Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Martini Borrhai in Mosem, diuinum legislatorem, paedagogum ad Messiam Seruatorem mundi, Commentarij. : in Librum de Origine mundi, quem Genesim uocant. Exodum. Leuiticum. Numeros. Deuteronomium. Acceßit locuples rerum & uerborum praecipuè obseruandorum index.

https://hdl.handle.net/1874/429429

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

Kast 109
Pl. 0 No. 12

RARIORA

25.
5.

No 30. e.

Kast 109
Pl. D Nº. 12

bñ cumodo ebrate medis ire aque
ulẽ u fundo calquis i uocatiõa
facit calq̃ ño hoc habent:

Quãm fũm i calid cẽre nocumẽ ꝓ ſ
mãẽ cor mẽ duxit i de aſſ ſ ma
ſit aſſe nequit ũ nocumẽto ſ ẽ q ſpũm ẽ
credit i ũ ned ebrate i ũ mẽ ebrate i bñ
cumodo cũ aque calẽ i fũ i ſtãto facẽ calor
uocat ebrate ũ cor mẽ ũ i mẽbꝛis placẽtis
fũ nõ ſ ẽ ſ ꝓ cabũ q calore ẽ ebrãto
ſt cor uocet: ſ gũ ebrãtẽ ſ ũ alius nõ ũat
ebrietate ũ hunc mõ q ſ ũ ſ ebrate q fũm
cor parat ũcẽ aut ũ ũcat calor ẽ aut
dm fũ ũ ſ ẽ defectus admã q
ſ ẽ admixtio fũ ſ ẽ q nõ excludẽ ũ diſſoluẽ
ſ phũ aũ aſſ i ũpom ebrtamo
ex uulnẽ ſ ũ ſ ũ ũ ebrate cumodo
cũ ebrate ẽ ebrãto cordis fũ ũ ſ
dm ũ mixtũ ẽ fũ ũ ſ ſ ſ
ſbrũ ſpatũ ex uulnẽ ũcẽ ex ũbꝰ ũoſ
placẽ fũ ũ ſ nocuit q calor uulnẽ nõ
ũcrassat i apũ nõ ſoluat

Calidũ fũm eũ facẽ ſ nõ ſ cor
uulnẽ ũcrassat ſ ad ebrietudi
nem ſ ſ ſ ebrietatẽ ſ ſ
ſ ſ ſ ſ ſ ſ ſ
ſ ſ ſ ſ

Kath 104
pl Dan 12

N. 25. B.

D fo 20c (Kast 109 Fp 12)

MARTINI BORrhai in Mosem, diuinum legislatorem, pædagogum ad Messiam Seruatorem mundi, Commentarij.

IN
- Librum de Origine mundi, quem Genesim uocant.
- Exodum.
- Leuiticum.
- Numeros.
- Deuteronomium.

Accessit locuples rerum & uerborum præcipuè obseruandorum Index.

BASILEAE, EX OFFICIna Ioannis Oporini.

ACADEMIA BASILIENSIS

Ex dono Burckelij



SACRAE DOMINI NOSTRI IESV

Christi sponsæ Ecclesiæ, gratiam & pacem à patre cæ-
lesti, Martinus Borrhaus.

VI POTIVS HAS IN MOSEM COMmentationes consecrem, quàm tibi sacra IESV CHRISTI sponsa, nemo mihi præterea in hac rerum uniuersitate occurrit: partim, ꝙ omnes qui CHRISTVM IESVM spõsum tuum seruatorem mundi profitentur, te unam suam quam sanctè reuereantur, cuicꝙ omnem industriã, studia, labores suos impendant, matrem agnoscunt: partim uerò, quòd sola tu de diuinis reb. iudicandi potestatẽ habes, quam sponsi tui spiritu, quo patris cœlestis arcana cognoscendo & iudicando penetres, & ea filijs tuis per ministros tuos aperias, constanter, ut debemus, prędità credimus. Sic enim de te maritus tuus in carmine illo diuino canit: Fauo manant labia tua, ò sponsa, mel & lac sub lingua tua. Nam tu cœlestis illa arca es, sacrosancto propitiatorio CHRISTO IESV tecta, in qua placeat Deo oracula sapientię, iusticię, uitæ, glorię suę reponere: tu illud non humanis, sed diuinis digitis elaboratũ tabernaculum es, quod Dei claritas illuminat, & cuius lucernam agnum cœlestis regni ciues confitentẽ. Tu illa superna Hierosolyma ciuitas diuinitatis, ex duodecim fundamentis, quorum nomina duodecim apostolorum agni nomina sunt, fundata prædicaris. Hæc ego in te perpendens, hanc Mosaicæ doctrinæ explicationem tibi dedicare, eamcꝙ in publico sub nomine tuo apparere uolui: ꝙ bene cõscius mihi essem, in ea hoc unum me spectasse, ut CHRISTVS IESVS sponsus tuus amplificaretẽ, & tuorũ saluti pro mea ~~mea~~ uirili consuleretẽ. Atcꝙ id etiam ut facerem, meum quo iam multis annis in sacris docendis literis fungor, munus me cõmouit. Quo sanè turpe mihi fore admonebar, accensam oraculorum Dei lucernam sub modium ponere, quam super candelabrũ collocatam omnibus qui in domo Dei uersantur, hoc est, filijs tuis deceat lucere. At uerò cur potius Mosem hoc præsertim tempore, quàm ullam aliam sacrorũ librorum partem, enarrandũ mihi existimarim, nõ arbitror necesse esse, ad te præsertim, eius rei rationem reddere. Siquidem tu una minimè omniũ ignoras quantus uates, & quàm fidelis minister Moses tuus habeatẽ, de quo hoc editum à Deo extat testimoniũ: Non est similis seruo meo Mosæ, qui in uniuersa domo mea fidelis est. Hæc aũt domus tu ipsa es, in qua statuat Deus cum omnibus regni sui opibus & diuitijs uersari. Ad hanc præterea Mosæ laudem accedit, quòd is inter testes qui de sponso tuo testimonia dicunt, præcipuam commendationem mereatur, tum quòd regium eius sacerdotium tot aptis figuris & umbris ex hoc aspectabili mundo, quem omnem perlustrat, desumptis, figuret atcꝙ delineet: tum quòd tot clara ora-

cula de eodem ab illo exponuntur, ut nemo à condito mundo ex omnibus tuis ministris repertus sit, qui maiore cum uarietate de Messia marito tuo testimonia referat, q̃ is tuus diuinus seruus Moses ueluti ipse sponsus tuus de eo testatur, ubi ait: Moses est qui de me scribit. Vnde accidit ut is etiam dignus iudicatus sit qui cum Helia apud CHRISTVM, cum is se in Thabore monte transformaret, tãquam locuples testis appareret. Demum, cur Moses explanandus mihi uisus sit, hæc nostra tempora in causa fuerũt. Nam in his Mosæ tractatio ad aduersariorũ tuorũ errores, quibus iam seculis aliquot liberos tuos miserè defœdarũt, refellendos, & ad lucem cognitionis sponsi tui restituendã maximum momentũ allatura uidebat. Quotquot porrò unquam ferè in Antichristi regno errores extiterunt, ex ipso Mose perperam & intellecto & exposito dimanarunt. Nam si cęremonias spectemus, ex quo alio põtifices sacerdotiũ suum putido oleo unctum, quàm ex Mose desumpserũt? idem de templis, aris, lucernis, oleis, sale, aquis lustralibus, suffitis, ferijs, & id genus alijs innumeris institutis ex superstitione natis iudicandũ fuerit. Cum his erroribus, ut est eorum copiosus prouentus, manifestam idololatriã coniunxerunt, ut est diuorũ & cœlestium geniorũ adoratio ad eorum cultum templis, aris, idolis, ferijs consecratis. Sed hanc uanitatẽ æquat aut superat potius quæstuosa illa Missarum nundinatio, in quibus præ se ferunt hostes tui sponsum tuũ uiuis & mortuis expiãdis quoties lubeat offerre. Atq; hoc sacrificiũ excogitarunt, ne qua ad falsam Mosę imitationem in hac parte occasio quoq;, quam improbitas quęrit, deesset. Hoc aũt cum faciunt, minimè perpendunt CHRISTVM IESVM semel se pro mundi peccatis obtulisse, ut nobis ueræ probitatis, uitæq; æternæ diuitias compararet, non sacrificulis Baalim augendis huius mundi opibus ad ludificandas conscientias materiam suppeditaret. Additur his erroribus longè pernicioſissimus error, quem cęterorum fontem esse dicas, qui in tradenda impiorum iustificatione cernitur. Atq; hunc quoque ex Mose malè percepto locustæ illæ & ranæ Aegyptiæ hauserunt. Etenim cum apud hunc legis iusticiam prædicari, eiusq; seruatoribus præmia promitti, contrà uerò transgressoribus supplicia intentari legerent: aduersarius CHRISTI tum Mahumetus Orientem & Aphricam falsa religione implens, tum is qui septem illos colles habitat, errorum suorum calice totum Occidentem inebrians, neglecta ea iusticia quæ ex fide IESV CHRISTI filijs tuis communicatur, ad legis & factorum iusticiam se totos contulerunt. Qui letalis error de libero arbitrio, de præscientia diuina ut hæc humanę uoluntati & futuris casibus subijciat, de prędestinatione ut hæc non ab immutabili mente Dei, sed à nostra uoluntate & actionibus pendeat, de meritis item contra merita CHRISTI, & de id genus alijs falsas doctrinas propagauit, atq; in aduersarij regno tot monachorũ hypocritarum & sacerdotum partim Phariſęorum, partim Sadducæorũ & Epicureorum sectas peperit, quot difficile, & non nisi magno cum piorum homi-

hominem dolore numerentur, una illa filiorum tuorum in CHRISTO IESV coniunctorũ,secta cõtempta,cũ unus sit pater,unus salutis arbiter CHRISTVS, unus uiuificator & renouator omnium spiritus, una in libro uitę scriptorum Ecclesia,una fides, unus baptismus,una cœlestis hæreditas,ad quam una spe filij tui nixi sanguine IESV CHRISTI pertendunt.Hæ hallucinationes,hæc cæcitas,hæ tenebrę, quas filius ille perditus præposterè Mose tractato filijs tuis offudit, & præstantia legislatoris atq; prophetæ me cõmouerũt,cur ego Mosem ad amplificandũ sponsum tuum,& ad tuorum salutem prouehendam in manus sumpserim interpretandũ.Si meo huic instituto atq; consilio euentus respõderit, eaq; meis laboribus assecutus fuero, quæ in eis spectaui, est unde de hoc successu,quem unicè propositũ habui,uehementer gaudeam: sin minus, hoc me consolabitur, sponsum tuum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM hanc in me uoluntatem non solum non improbaturum,sed etiam pro sua bonitate in bonam partem accepturũ, qui suorum erga se studia, diligentiam,assiduitatem,ex eo timore ac reuerentia quam uates cõmendat,Beatus uir qui reueret Dominum,preceptis eius ualde delectatur,dimetiatur. Neq; etiã uereor ut hi Cõmentarij ab illis malè accipiant qui ante me in Mose enodando laborarũt.nam si ea quæ nos afferimus,cum ijs quæ ipsi attulerunt & tradiderunt, eadem sunt, erit quod de hac inter nos consensione tibi spontè gratulentur,cui concordia placeat, discordia displiceat, cuius Satana autor sit,non sponsus tuus CHRISTVS, qui in hunc mundum uenit,ut sanguine suo omnia tum quæ in cœlis,tum quæ in terris sunt,pacificaret. Sin uerò à nobis quædam afferuntur, à claris illis pietate & doctrina uiris non attacta, digna tamen censeantur quę attingantur,quia inde eorum scriptis nihil decedit,sed potius accedit,mihi tantum aberit ut iniqui sint futuri, ut etiam de his Deo gratias habituros eos sperem,qui cuiq; diuini spiritus sui in hoc amplissimo electorum corpore,quod tu mater nostra Ecclesia es,ad donationem filij sui CHRISTI IESV capitis uniuersæ perfectionis spiritualis, munera dilargitur. Atq; hi etiam pro sua prudentia secum reputabũt nostra hæc tempora,nouissima Christi& Antichristi patefactionis tempora esse,in quibus cum euentus ipse non uanus oraculorum Dei interpres,quotidie multa aperiat ueteribus ignorata,mirari nemo debet, si his temporibus à pijs hominibus nonnulla è sacrarum literarũ penu depromantur,quæ hactenus filio perdito sanctum locum occupante deprompta & patefacta nõ fuerunt.Quo enim unquam ab Apostolorum temporib.seculo,ea manifestata sunt,quę hodie manifestari incipiunt? ut est Antichristi cognitio, quis is sit,quis eius ortus, ingeniũ, sedes, regnum. Qualis item rex Christus Iesus sit,quę huius origo,natura,munus:quam iusticiam,uitam, gloriam suis cultoribus afferat:quæq; uera sit iustificationis ratio,quid inter Mosem & Christum, inter iusticiam Mosaicæ legis & eius quam Euangeliũ affert:quid item in uniuersum inter uetus & nouum fœdus, inter ueterem& nouam

naturam ab origine,facultate,ui interſit: quid de ineluctabili Dei præ-
ſciẽtia ſtatuendũ,ut huic omnia tum futura tum prẽſentia ſubiecta ſint,ra
tio etiã ipſa humana cum ſua uoluntate,conſilijs,ſtudijs,factis. Quid prę
terea de prędeſtinatione diuina ſentiendũ, ut hæc omnẽ in CHRISTO ele-
ctis ſalutem expediat, ut hac antecedente omnes uoluntatis noſtrę cona-
tus, uocatio noſtri ad Euangeliũ, iuſtificatio,fides,bonę actiones, toleran
tia crucis, & tandem noſtri glorificatio conficiant. Non cõmemoro hic
ut his temporib. de reconciliatione Iſraelitarũ cum Deo maiorum ſuo-
rum, & de illuſtrandis pleniore Euangelij luce in totum terrarum or-
bem peruaſura gentib. oracula aperiri incipiant, atqꝫ hoc ampliſſimum
prophetarum myſterium patefiat,cuius ad Romanos Apoſtolus his uer-
bis meminit: Non enim uolo uos ignorare fratres myſterium, nẽ ſitis a-
pud uoſmetipſos elati animo, quod excæcatio ex parte Iſraeli accidit, do
nec plenitudo gentium ſubierit, tunc totus Iſrael ſaluus erit. Itaqꝫ quod
ſi nos quoqꝫ ad patefaciendos antichriſti errores,& ad illuſtrandum no
men ſponſi tui, quædam quæ abditis & obſcuris, quorum non exiguũ
numerum διαγραφὴν Moſæ doctrina continet, lucem importent, ex
ſacrarum literarum promptuario adducere molimur, id tibi gratum &
liberis tuis utile fore confido. Nam cum alij aurum, alij argentum, alij
hyacinthum,alij coccinum,ad ſacrum tabernaculum his temporib. inſtau
randum ornandumqꝫ offerunt,à me æs,lanam, linum, pelles, uoluntario
munere exhibita boni pro tua æquitate conſules. Neqꝫ etiam dubito te
aliter comparatam eſſe, quàm ſunt plerique comparati qui ſe ſcire putant
quod nondum didicerunt, ut putes præter illa initia & rudimenta quæ
nuper fidei ſacris initiati tenent, nihil in lucem produci debere: ſed poti-
us eorum ſtudium tibi probatur, qui certos in cognitione ſponſi tui ſapi
entię Dei patris, progreſſus facientes,è cœleſtis regni theſauris ad ędifica
tionem tui uetera & noua expromere ſtudent. Veluti omnium myſte-
riorum patefactor CHRISTVS IESVS Dominus noſter opum ſuarum diſ-
penſatoribus agendum eſſe iubet, cum ait: Omnis ſcriba doctus ad re-
gnum cœlorũ ſimilis eſt homini patrifamiliâs, qui depromit è theſauro
ſuo noua & uetera. Qui aũt hoc tentant facere, quid aliud faciunt, cẽ ut
ex ueteribus typis, umbris, figuris Moſaicis in eas ex noui fœderis ſcri-
ptura admirabili luce illata, CHRISTVM IESVM finem uniuerſę legis in lu
cem ſubmoto de auditorũ & lectorum cordibus uelamine proferant? At
uerò quid poſt cęteros ſedulos & diligentes miniſtros tuos, infimus ego
ſeruus tuus aſſecutus ſim,tibi iudicandũ permitto,quam iudicandi pote-
ſtatem à ſponſo tuo CHRISTO IESV ſummo ſacerdote & rege te accepiſſe
ſcio,qua tu ex uerbo eius & oraculis iudices,ſtatuas,pronũcies. Quibus
oraculis ſi ea quę in ſinum tuum exponimus,conſentiunt,eſt unde ego fi-
lius tuus cum reliquis filijs tuis gratias cœleſti patri agam: ſin uerò repe
ries quędam ab illis uel diſſentientia,uel nõ in loco adducta,ea quę mihi
abſunt,& in me à te deſiderantur, CHRISTVS IESVS ſponſus tuus in

me

me pro ſua benignitate & clementia ut corrigat atque emendet, uehemẽter precor. Equidem ut homo per ueterem naturam miſerè deprauatam, procliuius labatur, neque quicquam prius rectè ſapiat, quàm è noui & cœleſtis hominis ſpiritu ad ueram ſapientiam, iuſticiam, uitam natus ſit, tam facile agnoſco, quàm tu cœleſtis ſponſa Chriſti, Eccleſia Dei uiuẽtis, columna ueritatis, inanem hypocritarũ ſapientiam, eorumq; ſimulatam probitatem aſpernaris. Hæc autem ut non celo, neq; inficior, ſed ingenuè præ me fero atque confiteor: ita uiciſſim hortor filios tuos, ut diligenter illam Apoſtoli Pauli ſententiam cum animis ſuis cogitent, qua ſpiritus non extinguendos, prophetias non contemnendas, omnia probanda, bonum tenẽdum admonet. Ad hunc enim rectè uereq; de ſacris rebus pronunciandi uſum, filij tui non ab homine, ſed à Deo docti inſtitutiq; dicuntur, ut huius ſpiritu exornati, eum in cenſendo imitentur, quẽ ſanctus uates Ieſaias neq; ex oculorũ aſpectu iudicare, neq; ex auriũ auditu redarguere, ſed iuſtè atq; ex æquo decernere teſtatur. Perpendant ſecum liberi tui cùm Chriſti, tũ Satanæ, ſuam altitudinem eſſe alteri lucis, alteri tenebrarum: alteri cœli, alteri inferni: alteri uitæ, alteri mortis, quam non ratione ad res diuinas penitus caligante, ſed diuino mariti tui ſpiritu duce penetrent. Qui lapis ille uiuus & cœleſtis eſt, ſeptem omnia perluſtrantibus oculis præditus. Hos ſacros oculos, ut puros, ſanos, integros, perſpicaces, huic Moſaicæ doctrinæ explanationi iudicandę adhiberi cupio. Verumenimuerò quia tu mulier illa es amicta iuſticiæ ſole Chriſto Ieſu, & lunam ſapientiæ humanę pedib. ſubiectam tenens, quam draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui Diabolus & Satan appellatur, in hanc uaſtam mundi huius ſolitudinem expoſitam, per filium ſuum Antichriſtum diebus mille ducentis ſexaginta perſequitur, oro hos tuos liberos per terrarum orbem longè lateq; diſperſos, ut tuorum miniſtrorum laboribus, & hac ſcriptione noſtra non ſolum non offendantur, ſed etiam eam in uiam redeuntes æquo animo amplectantur. Quod facient, ſi conſiderabunt draconis dogmata, quibus iam aliquot ſeculis mundus deceptus eſt, ex inferni puteo dimanaſſe: doctrinam autem hanc quam his poſtremis temporibus ſerui tui docent, de cœlo ad nos delatam eſſe, quæ inde à principio in paradiſo Adamo poſterisq; eius promiſſa, à prophetis confirmata, ſub plenitudinis tempus quo omnia luce & ueritate cœleſtis regni implenda fuerunt, per Appſtolos publicè annunciata ſit. Neq; etiam aduerſarij cogitent perſonas ſuas à miniſtris tuis inimicè peti, cum eorum errores acrius perſtringuntur. Nam nequaquam cum perſonis, quibus diuinam cognitionis IESV CHRISTI benedictionem cum ſanctitatis atque uerę probitatis amore optamus, ſed cum doctrina mala falſaq; religione negocium geritur. Non enim dubitamus etiam inter illos eſſe, & ſemper fuiſſe, qui pietatis ſtudio pro tempo-

temporum profanationis ſpiritualis templi Dei, ratione errent atq; hallucinẽtur: ut documento ſunt nõ pauci, qui relictis tenebris, quas dum ſub Antichriſti ſignis militarent, nõ malicia, Chriſtiq; odio, ſed inſcientes ueritatis, ſecuti ſunt, hanc ſuauiſſimam Euangelij lucem magna cum animi alacritate atq; ardore ita ſuſceperunt, ut etiam contrarij regni hoſtes ſe profiteantur. Quem ſuum hoſtilem in Antichriſti errores animum non ſolum qui hoc tempore uiuunt, declarãt, ſed etiam qui prioribus ſeculis uixerunt, palàm teſtati ſunt, atq; declarãrũt: quorũ monumenta uaria typographicæ artis diuinitùs inuentæ beneficio noſtra memoria in publicum eduntur. Quamobrem omnium tum eorum qui in Euangelij luce uerſantur, tum qui ea carent, ſalus hic agitur: horum quidem, ut relicta angeli abyſſi cuncta uaſtantis caligine, qua mundus circunfunditur, ad ſuauiſſimum agnitionis Dei patris lumen, ad renouandam uitam in Chriſto ſeſe conuertant: illorũ uerò, ut intelligant quid illud ſit, Qui iuſtus & ſanctus eſt, iuſtificetur & ſanctificetur adhuc: ſubinde facta maioris ſanctitatis & probitatis pro incrementis fidei per amorem agentis acceſſione, in eo & per eum qui de ſe prędicat, Ego ſum uia, ueritas & uita. Qui eſt CHRISTVS IESVS Dominus noſter, ſponſus tuus, admirabilis conſiliarius, Deus potens, pater æternitatis, princeps pacis: cui ſit gloria & honor in æternum. Amen.

IN SACRAS VTRIVSQVE FOEDERIS LITERAS PRAEFATIO.

VETVS librorum sacræ scripturæ distinctio est, quosdam ueteris, quosdam noui fœderis doctrinam continere. De his summatim hunc in modum disserere uisum est. Veteris Testamenti libri, legis tractationem & prophetarum oracula, cum exemplis eorum qui uel sanctorum uatum monitionibus cum salute sua paruerunt, uel cum suo exitio repugnarunt, complectuntur. Quod ad legem, alteram prioris fœderis partem attinet, huius tripartitum genus est: unum ciuilia iura, alterum ceremonias ritusq; sacrorum: tertium naturæ leges, omniumq; gentium communes sententias tractat. Ciuilia iura in foro ad Israeliticæ reipublicæ trãquillitatem tuendam exercebantur: inter quæ, & reliquarum gentium iura atq; instituta quid interfuerit, alterius loci ac temporis disputatio est. Ceremoniarum autem usus partim in religione, quæ puerili Israelitarũ ætati apta esset, moderanda: partim in Domini nostri Iesu Christi regno adumbrando positus fuit. In his enim futurarum rerum umbram ac figuram, corpus autem in Christo, hoc est ueræ sapientiæ, iustitiæ, uitæ lucem contemplari licet: quæ omnem Mosaicæ legis sapientiam, iustitiam, uitam, tanquam tenebras dispellit: nõ secus atq; exortus solis splendor, aeris nobis circunfusi caliginem discutit, dissipatq;. Qua de re epistola ad Hebræos: Lex, inquit, umbram obtinet futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Hanc autem rerum non adumbratam, sed expressam & uiuam speciem in uno Christo, uniuersæ perfectionis spiritualis capite, fidei oculis intuemur. Quamobrem non temerè, sed sapienter Moses ab ipsa mundi fabricatione sacram historiam texere cœpit. Nam mundi huius aspectabilis opera, ut sunt aer, aqua, ignis, sidera, metalla, stirpes, animantia, typos & figuras, quas ea legis pars quæ in ceremonijs uersatur, ad delineandum Christi regale sacerdotiũ traderet, subministratura erant. Etenim ut præclarus aliquis pictor futurum opus obscuris lineis in tabula prius adumbrat, quàm id adhibita colorum luce perficiat: ita omnium sapientissimus architectus Deus, perfectissimi, quod absolueret, operis lineas, antea in tradita à Mose lege ducere uoluit, quàm id in Christo, legis & prophetarũ fine, exprimeret atq; absolueret. Quo magis mirandum sit, fuisse qui ex ceremonijs instar umbræ sub ortum solis (de quo Malachias uates meminit: Orietur uobis sol iustitiæ) disparentibus, probitatem, & diuinæ beneuolentiæ conciliationem peterent, CHRISTO IESV, in quo uno absoluta perfectio & salus spectatur, posthabito. Quanto uerò stultius agant ij, qui in ceremonijs quas homines de suo ingenio confinxerunt, quæ nulla specie, nulla imagine Christum piorum animis representant, salutis spem reponunt: cũ minimè ea quæ diuinitùs per Mosem lata est lex, probitatẽ quæ Deo probetur, afferat. Atqui quot ceremoniarũ genera & partes sint, quiq; singularum partium usus, suo admonebitur loco. Hæc de altera legis, quæ in ceremonijs uersatur, parte, hactenus meminimus. Tertium diuinarum legum, quas Moses Decalogo comprehendit, genus est, quæ non in externo cere-

moniarum ritu atq; pompa, sed in animo ipso, in quo uim suam exerunt, spectantur. Nota est enim lex illa: Dominum Deum tuum ex toto corde, et alterum ut te, amato. In qua equidem lege, non de sacrificijs, non de sanguine pecudum, non de oleis, lucernis, sale, aquis lustralibus, ieiunijs, feriis, non de templi humano opere constructi cultu, sed de ea religione, quæ fidei & charitatis spiritu constat, agitur, ut Dominus noster omnis ueri cultus Dei in nobis per spiritum suum autor & perfector, ex Osea uate his uerbis confirmat: Misericordiam uolo, non sacrificium. Quòd clementia atque benignitas, qua de egenis & nostra ope indigentibus bene meremur, diuino illo amore contineatur, per quem proximè Dei naturam imitamur atq; exprimimus. Deum enim amorem purum putum esse, uniuersitas hæc per eum cõseruata, & humanum genus per eundem illum è grauissima atq; horribili uitiorum mortisq; seruitute liberatum testatur. Itaq; de hoc amore Ioannes persanctè in hũc modum loquitur: Deus est amor. Atq; hanc sententiam natura ipsa in humanis mentibus comprobat, quæ ueteri illi Græcorum uati hoc carmen, quod ederet, dictauit:

πρῶτον ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων.

In quo Deum ipsum amorem, qui mundi huius primordia molitus sit, appellauit. Cæterùm nõ unum Decalogus munus habet, sed tripartitum. Unum in Dei uoluntate declaranda, alterũ in peccato ostendendo, tertium in pœna, quã noxa importat, irrogãda spectatur. Nam quod ad primum officiũ attinet, lex diuinitùs tradita est, quæ quid sequi, quid fugere cõueniat, monstret. Atq; hæc quãuis in omnium animis impressa sit, in tabulis tamen saxeis exarata, Israelitis per Mosem tradita est. Quo autẽ id Dei consilio factum sit, in eo loco explicandum erit, ubi ex instituto Moses legislator Israelitis suis legem interpretatur. Non extinguitur hæc legis fax, sed ut cum ipsa mente oritur, sic cum eadem immortalis est: quam non didicimus, sed ex Deo hausimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus, ad perpetuum Dei cognoscendi & colendi usum. Equidem diuinæ uoluntatis erga humanum genus de rebus expetendis & declinandis significationẽ, si quis ex mentibus nostris tollat, earũ ipsarũ usum uimq; sustulerit. Harum quippe naturalis uis in ueri quod numen ipsum Dei est, cognitione consistit. Qua de re his uerbis Apostolum Paulum differentem audiamus: Propterea quod id quod de Deo cognosci potest, manifestũ est in illis. Deus enim patefecit eis, per hanc uidelicet quæ in Decalogo cernitur, legis lucem. Omnino enim mundus is tot illustrium rerum paginis descriptus, diuinam quandam naturam esse longè potentissimam plenamq; sapientia & bonitate declarat, à qua omnia orta sapienter gubernentur. Veluti apud Iobum legimus: Interroga iumenta, docebunt te, uolucres cæli indicabunt tibi: loquere terræ, respõdebit tibi. item apud Regium uatem: Cæli enarrant gloriam Dei. Sed cui, et per quem interpretem enarrant? homini sanè, & per hominem, tam præstantis & tãta arte fabrefacti opificij interpretem, sic à mundi architecto fabricatum, qui mentis diuinæ insitas innatasq; notiones teneret, per quas intelligeret in hac uniuersitate quandam uim esse in omne rerum naturam pertinentem, quæ omnia regat atq; gubernet, quæ cursus astrorũ, mutationes temporum, rerum uicissitudines ordinesq; conseruet, terras & maria contemplans, hominum commoda uitasq; tueatur. Quare cum mundus is magnus liber habeatur, diuinæ sapien-

næ ſapientiæ, bonitatis & potentiæ opera explicans, non obſcura ratio eſt, cur Moſes creationis mundi hiſtoriam antè componeret, quàm legem in publicum ederet. Quid enim hæc aliud mandatura erat, quàm ut eum ſuper omnia amaremus, & ab eo omnia uitæ & ſalutis præſidia peteremus, qui cæteris ſapientia & potentia præſtaret, quàm in mundi huius creatione declaraſſet: & ſecundum hunc eam naturam præcipuè diligeremus, quæ proximè ad diuinitatem ipſam accederet? Hi enim perfectionis termini, quos ex mundi ædificatione cognoſcimus, naturæ legem, de amando Deo præ omnibus, & altero ut nobis ipſis diligendo pepererunt. Ex cuius deinde fontibus omnia etiam iura tum gentium tum ciuilia, cum ipſa prudentia domeſtica & ciuili dimanarunt. Hactenus de priori Decalogi munere atque officio. Alterum munus eius eſt, culpæ uim atque naturam oſtendere. De quo munere illud Apoſtoli: Sed peccatum non cognoui, niſi per legem. Item: Per legem cognitio peccati. Perneceſſarius quidem is legis uſus eſt, noxã conſecutus, & cum eadem finiendus. Nam cum diuina bonitas ueteris hominis uitioſitati remedium parare uellet, ut tantus cognoſceretur morbus, neceſſe fuit, quod plurimum ad ualetudinem interſit, ægritudinis genus & cauſam nouiſſe. Neque ſua dignitas unquam Chriſto conſliterit, niſi quæ labes corruptæ naturæ ſit, perſpectum habeatur. Medendi ergo neceſſitas, culpæ quam lex efficeret, cognitionem poſtulauit. Quò ſpectans Moſes, ut ſtatim à commiſſo rebellionis crimine Deus primos parentes delicti ſui commoneface-ret, quo melius ſacri ſeminis culpam cum morte deleturi ſpem daret, indicauit. Demum legis officium in peccati ſtipendio atque præmio, quod mors eſt, pateſaciendo expenditur. De quo legis officio Dominus apud Ioannem meminit: Eſt qui accuſat uos Moſes. Durum ſanè atque aſperum hoc munus eſt, quo nimirum nos capitis rei agimur, mortis & inferni diris deuoti. In quo præſtantiſſima quæque in homine, ut eſt ratio atque uoluntas, intelligentia & ratione gubernata, & ex ea morum factorumq; probitas nata damnantur. Firma enim hæc Apoſtoli ſententia eſt: Nam quotquot ex operibus legis ſunt, execrationi ſunt obnoxij. Atque hinc fit, ut legis adminiſtratio, condemnationis & mortis adminiſtratio appelletur. Hoc legis munus quàm terribile ſit, oſtendit quoque eius ad Sinam montem Arabiæ ſanctio atque promulgatio, cum tonitruis, fulgure horrendo, montis tremore facta. Neque ulla ui, ulla poteſtate ex tam miſero noxiæ & mortis nexu atque tyrannide eximeremur, niſi certa ad diuinam iram placandam occurreret hoſtia, qua tanta lues, perſoluto redemptionis noſtri precio luſtraretur. Hæc hoſtia piacularis CHRISTVS IESVS eſt, filius Dei uiuentis, qui ſolus diuinæ iuſticiæ ſatisfaciens, ius omne condemnationis perſanguinem ſuum abſterſit, & cruci affixus, chirographum quod aduerſus nos in conſcientijs noſtris ſcribitur, deleuit. Qua in re admirandam tum bonitatem tum ſapientiam Dei cognoſcimus. Sapientiam quidem, qui uitiatæ naturæ cognitorem & iudicem legem impoſuerit, quæ noſtræ nos improbitatis ſubinde admoneret: bonitatem autem, qui legi arbitrum ſequeſtremq; Chriſtum IESVM adiunxerit, qui ad Dei beneuolentiam, quam peccatum accuſante lege à nobis auerterat, reconciliandam ſe nobis interponeret, ira in gratiam, morte in uitam, execratione in felicitatem per CHRISTVM pro nobis peccatum & maledictum redditum, conuerſa.

Sapienter ergo Moſes primi hominis caſum, unà cum miſera, quæ illum conſecuta eſt, conditione, in libro de Origine mundi expoſuit. Nam originis uitij explicatio, tradendæ legi uiam commodè munitura fuit. Quæ contractæ culpæ fœditatem commonſtrans, tanquam tutor & pædagogus ſeueriore diſciplina nos CHRISTO *præpararet. Quam tutoriam poteſtatem & pædagogiam Apoſtolus his uerbis explanat: Itaque lex pædagogus noſter fuit ad* CHRISTVM, *ut ex fide iuſtificaremur. Ex fide inquam* IESV CHRISTI, *in quo fauoris & beneuolentiæ Dei Patris nobis placati, ſplendor reluceat. Quem nobis lex, hoc eſt rationis & uoluntatis noſtræ natiua facultas, minimè exhibere potuit, ut quæ nos per peccatum, in quod uenditi ſumus, Dei iudicio miſerè oppreſſos teneat. Hæc ſanctus Ioannes conſiderans, diuino ſpiritu inſtinctus, dicit legem nos & omnia noſtra condemnantem per Moſem datam, gratiam uerò ius condemnatorium abolentem per* IESVM CHRISTVM *exortam eſſe. Quæ comparatio Moſæ & Chriſti, Legis & Gratiæ, Iuſtitiæ humanæ & diuinæ, à pijs animaduerſa, maxima momenta atq; uim ueræ ſalutis cõparandæ habet. Ut omnino inſani iudicari debeant, qui ex lege, mortis & exitij miniſtra, uitam iuſtitiamq; quærunt, Chriſto unico ſalutis & uitæ perfectore contempto. Hæc breuiter de lege Moſæa, priore ueteris Teſtamẽti parte, dicta ſint. Altera pars geſtarum rerum Iſraeliticæ gentis narrationem continet, in qua exempla eorum qui uel ob probitatem præmijs, uel ob improbitatem pœnis affecti ſunt, ad maximum poſteritatis uſum, literis prodita leguntur. Demum ueteris Teſtamenti libris prophetarum oracula exponuntur, quæ ſingularis bonitas Dei cum lege, deprauatæ naturæ labem patefaciente, tanquam remedium cum morbi cognitione coniunxit. Quid enim profuturum fuiſſet, Moſem culpæ fontes aperuiſſe, & legem quæ eius turpitudinem oſtenderet, ſanxiſſe: niſi etiam diuina prouidentia, cognitis uitijs pharmacum aliquod, quod ſanaret, indicaſſet? Prophetarum igitur reſponſa de exhibendo Chriſto, qui factæ à primis parentibus defectionis à Deo, & in poſteros miſerabili contagione tranſmiſſæ, medicinam faceret, cum lege copulata ſunt. Hæc autem in Prophetis munera cernuntur: unum, quo legem interpretantur, atque in ea ſparſas de Chriſto ſcintillas proferunt. Etenim in his lumen Deus apparere uoluit, quod in Moſaicas tenebras illatum, tabernaculi & eius apparatus, menſæ, candelabri, ararum, arcæ, propitiatorij, Cherubim, olei, ſalis, aquarum luſtralium, ſacrificiorum, & cæterorum eius generis nobis συνοψαφίαν patefaceret. Nam hunc in prophetarum Moſæ interpretum lectione uſum ſpectari, ex noui fœderis monumentis erudimur. Alterum ſanctorum uatum munus eſt, populi uitia ea acriter reprehẽdendo, & ſupplicia intentando, quæ diuina æquitas, niſi in uiam redeatur, ſit irrogatura, emendare. ueluti id Ieſaiam, Hezechielem, Hieremiam, & alios prophetas factitaſſe legimus. Appellantur enim hi חזים ונביאים, hoc eſt, uidentes & loquentes. Videntes quidem, qui Dei uoluntatem in oraculari uiſo oſtenſam uideant, atque cognitam teneant. Non enim ſunt arcana & abſcondita in mente diuina conſilia, quæ quidem referat nos ſcire, quæ Deus uatibus ſuis, ut is apud Amoſum teſtatur, non aperiat. Loquentes autem נביאים apud Hebræos dicuntur, qui quæ ſacro ſpiritu afflati cognouerint atq; uiderint, ad populum erudiendum eloquantur: in eum uſum eis mente, ſpi-*

te, spiritu diuino, rerum gerendarum peritia, lingua instructis, ut pios in pietatis officio retineant, errantes in uiam reuocent, contumaces oratione igni diuini furoris inflammata doment. Demum in prophetis munus spectatur, quo promissiones de præstanda salute denunciant. Hoc longè præstantissimum illorum officium est. At uerò nõ uno modo uates promissa de CHRISTO nobis proponunt. Siquidem quædam tectius, quædam expressius exhibent. Quæ adumbratè tectéq; proponũtur, sunt, quibus sub sacerdotum, iudicum, regũ typis, CHRISTVS IESVS, qualis rex et sacerdos futurus erat, describitur. cuiusmodi multa sunt, quæ Iosua, Sampson, Gedeon, Dauid, Salomo, Ezechias, Iosias, in suis personis de Christo mundi seruatore præmonuerunt. Multa item in quibus Iesaias & cæteri prophetæ sub rerum gestarum inuolucro, suis ipsorum temporib. de eodem Christo, eiusq; regio sacerdotio præluserunt: quæ quoniã nota sunt, ea in præsentia nihil retulerit explicare. Expressa autem uaticinia sunt, quæ submotis figuris de salute, quam sospitator Christus mundo afferat, prænunciant. Quale est oraculum illud: Ecce uirgo cõcipiet. Item: Uerè languores nostros ipse tulit. Item: Paruulus natus est nobis, & filius nobis datus est, & factus est principatus super humerum eius, & uocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus potens, pater futuri seculi, princeps pacis, & id genus alia perspicua, quæ innumera sunt, de Messia uaticinia. Uerumenimuerò cum Christi regnum sine aduersario, qui Antichristus est, patefieri Dei consilia non ferrent, ut solent res aduersæ contrariæq; ab æterno Dei prouidentia præuisæ, se inuicem declarare: non solum in Prophetis de imperio Christi, uerùm etiam de Antichristo, sed alia alijs apertiora, extant oracula. Alicubi enim occultius sub mysticis Babyloniorum, Assyriorum, Græcorum, Romanorum historijs, filius ille perditus, alicubi manifestius significatur. ut uidere licet in Danielis prædictionibus: qui ut uicinior fuit nouissimis prædicãdi Euangelij temporibus, ita quædam clariora quàm alij uates, habet. In quæ patefaciendi Messiæ tempora, ut lex & prophetæ, tanquam in rerum omnium summam & scopum collineant, ita in ea desinunt, non tamen id pari modo ac ratione. Alia enim oracula in ea tempora quibus Christus in carne ad expiandum peccatum, & ad reparandam iustitiam, in mundum hunc uenit, respiciunt. cuiusmodi est illud Iesaiæ uatis: Attritus est propter scelera nostra. Alia uerò ad sequentia tempora, quibus illa abominanda filij perditi lues, templum Dei occupauit, referuntur. qualia multa in prophetis, sed longè clarissima in Daniele, suo loco adducenda, leguntur oracula. Alia uerò hæc nostra restitutionis Euangelij tempora attingunt: ut sunt, quæ de eo Messiæ aduentu edita sunt, quo is per Euangelij cunctis gentibus annunciandi his postremis temporibus, cum maximis orbis terrarum motib. affuturus erit. Nonnulla uerò ad id tẽpus quo CHRISTVS IESVS, cui pater omne iudicium dedit, ad iudicandos uiuos et mortuos, cũ maiestate ac potestate iudiciaria uẽturus est, pertinent. Sub quem plenum maiestate filij Dei uiuentis CHRISTI IESV Domini nostri aduentum, omnis oracularis disciplina cõpleta finietur, ea claritate subitura, qua Deum eo & lucis & amoris sensu cognoscemus, ut ab eo clarè & amanter cogniti sumus. Hæc de Ueteris fœderis doctrina, quæ ad cognoscendam salutem, & ad eam in Christo adipiscendam, quàm utilis atque necessaria sit, satis Christi Domini Apostolorumq;

teſtimonio conſtat. Hi enim perpetuò ex ueteris Teſtamenti libris teſtimonia afferunt, quibus ſacram cœleſtis Euangelij legem comprobent. Quò magis eorum error deteſtandus fuerit, qui imminuta Moſæ & prophetarum authoritate, ſolum noui fœderis doctrinam tractandam eſſe exiſtimant. Id autem cum faciunt, nequaquam perpendunt, ut omnis doctrina diuinitùs inſpirata ad doctrinam, ad reprehenſionem, ad emendationem atque iuſtitiæ diſciplinam, qua nos ad omnia benefacta præparemur, commoda utiliſq; habeatur. Iam ad noui fœderis monumenta progrediamur, in quibus hæc explicantur, cuiuſmodi ſit hoc nouum fœdus, idq; inter quos & cuius ſanguine ſanciatur: & quam, qui eo continentur, hæreditatem cœleſtis teſtamenti beneficio adeant. Deinde cuius doctrinæ miniſterio hoc æternum & nulla ui labefactandum fœdus in terrarum orbe patefiat, cum ſcriptis in libro uitæ ſanciendum. Hanc nimirum doctrinam, Euangelium eſſe per Prophetas in ſcripturis ſanctis promiſſum, & temporibus nouiſſimis ab Apoſtolis publicè annunciatum, in quo nobis mundi Seruator Chriſtus IESVS proponatur, cuius morte expiatum ſit peccatum, & eiuſdem excitatione ex mortuis, ſpiritus ſanctus ad perditam primi Adami uitio iuſtitiam recuperandam donetur. Hanc utranque partem, noxæ uidelicet expiationem, eiusq; condonationem, & Spiritus ſancti donationem, Euangelij doctrina contineri, Apoſtoli docent. Porrò ſi remiſſio peccatorum ſpectetur, in Apoſtolorum actis legimus: Per hunc nobis remiſſio peccatorum annunciatur. Item: Per quem habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum pro diuitijs gratiæ ipſius. Spiritus autem ſancti donum in eiuſdem Euangelij adminiſtrationem cadere, in hunc modum Paulus comprobat: Qui & idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti, non literæ, ſed ſpiritus. Itaque Chriſtus cum legatos ſuos in mundum ad diuulgandum Euangelium miſſurus eſſet, Spiritum ſanctum, ut eius unicus diſpenſator, cum peccatorum remiſſione his uerbis coniunxiſſe apud Ioannem legitur: Accipite Spiritum ſanctum, quorũcunque peccata remiſeritis, remittentur eis. Unde liquet, in noui Teſtamenti libris improborum iuſtificationem, delictorum condonatione & adoptionis ſpiritu conficiendam, ad reparandam amiſſam probitatem præcipuè tradi. Nam omnino placuit cœlesti patri ſecũdi Adami Chriſti IESV filij ſui obedientia, eam probitatem & innocentiam in iuſtificatione noſtri reſtituere, quam primus homo per contumaciam amiſiſſet. Hinc præclara illa ſententia ab Apoſtolo edita eſt: Qui mortuus eſt pro peccatis noſtris, & excitatus eſt è mortuis propter iuſtificationẽ noſtri, per mortem expiatorio ſanguine in cruce effuſo, qui uitia ueteris naturæ expiaret: translatus uerò è morte ad uitam, Spiritum largiretur, qui nos ad ueram iuſtitiam, ueramq; gloriam renouaret. Quò pertinet etiam illud eiuſdem Apoſtoli: Sed iuſtificati eſtis per nomen Domini IESV, & per Spiritũ Dei noſtri. per nomẽ quidem Domini IESV, qui mortis ſuæ merito Spiritum ſanctum à patre nobis impetrarit: per Spiritum uerò, qui de Chriſto perenni copia ad iuſtos, ſanctos & uiuos nos fingẽdos defluat. Unde contingit, ut quia Spiritus is ſanctificator & iuſtificator, ui glorioſæ potentiæ Domini noſtri IESV CHRISTI in nos proficiſcitur, apud Ioannem de eo legatur: Nondum erat Spiritus ſanctus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. Etenim quemadmodum Meſſias benedictus non niſi mortuus ad

amplitudinem

amplitudinẽ paterni regni euectus est: ita ei uisum est, non prius pleniorem iustitiã, uitam, gloriã nouo fœderi congruentẽ cum suis cõmunicare, quàm ipse è mortuis diuina ui expergefactus, spiritu in uitã reuocatus esset. Cuius reuiuiscẽtiæ uis nõ solum ad animos nostros in hac uita instaurãdos, sed etiam ad corpora in nouissimo tẽpore ad perennẽ uitã è terræ pulueris reuocanda immutandáq; ualet. Quæ præcipua fidei piorum hominũ cõfessio est. Hæc paucis de Euãgelio et iustificatione, ad quã conficiendã Euãgelij doctrina, iam à cõdito mundo scriptis in libro uitæ destinata est, delibauimus. Hac percepta in ijsdẽ noui Testamẽti libris, quæ etiã fidei officia sint, quis eorũ ortus et usus, quæq; Deo ad remunerãdum probentur, mõstratur. nec desunt crebræ admonitiones, quib. ad benefacta, quæ iustitiæ noui fœderis, quã fides in filiũ Dei cõmunicat, cõsentanea sint, præstanda incitamur. Demũ in his libris ratio interpretãdi Mosem & Prophetas exponitur: siquidẽ lucẽ ostendunt, quæ in Mosem importata, eius umbras in exhibito corpore, quod Christi est, excutit. Ut cũ reducto uelo intelligimus, noui fœderis face prælucẽte, quid aræ, sacrificia, suffitus, et id genus reliqua, significarint. quæ itẽ mystica notæ in ipsius mũdi imitijs, & in cœli astris, sole & luna, designẽtur: similiter quarũ rerum quæ in Christo et eius corpore Ecclesia cernuntur, ea quæ ex mundi elementis conflantur, ut sunt metalla, gemmæ, sal, oleum, stirpes, earumq; fructus, animalia, admoneant. Hæc omnia per noui fœderis lumen cũ maxima diuinæ sapientiæ admiratione, & nostri à litera in spiritum, ab umbris in corpus, à tenebris in lucem resplendentem in uultu Christi, ab imagine in rem expressam, reuocatione patefiunt. Quantum uerò ad Prophetarum explicationem attinet, in ijsdem noui Testamenti monumentis clauis exhibetur, qua illorum mysteria ijs qui oculos ad uidendum, aures ad audiendum, mẽtem ad intelligendum habent, aperiuntur. Nam quæ nõ abdita Prophetarum oracula de suo regno in terrarũ orbe amplificando, & de Antichristo maximis cum regnorum mundi motibus patefaciendo, Christus apud Matthæum recludit atq; aperit: Moses multa de Israelitarum reiectione, & eorũ in gratiam cum Deo reditione, quæ nouissimis manifestandi Messiæ temporib. futura sit, prædicit. Idem faciunt reliqui, qui Mosem secuti sunt, uates. At quæ in horum oraculis mysteria cõtinentur, Apostolus in epistola ad Romanos explicat. Extant apud Mosem & Prophetas occulta de Antichristo, per abominãdam uastitatẽ ac desolationem templum Dei occupantẽ descripto, uaticinia. Hanc aũt mysticã significationem Apostolus in altera epistola quã ad Thessal. scripsit, euoluit. Prætereo Danielis oracula, in Apocal. Ioannis exposita atq; explanata. Horũ quoniam in nostris Cõmentarijs in sacrarũ literarũ explicationem paratis, mẽtio fiet, in præsentia hæc, ut solet in præfando fieri, degustãda præbere uisum est: ut quid summatim uniuersa sacra scriptura, uetere et noua cõtineatur, quidq; de nostris lucubrationib. à pio lectore expectandũ esset, priusquã explicare Mosem aggrederemur, indicaretur. Spiritus sacer in pectora nostra de cœlo fundatur, quo Patrem cœlestẽ per filiũ IESVM CHRISTVM dominũ nostrum lege Mosaica uariè adumbratũ, per prophetas promissum, à maiorib. iam inde à cõtracta culpa expectatum, et postremis temporib. cum uarijs signis ostentisq; mũdo exhibitum et declaratũ, uerè sancteq; reuereamur, colamus, amplificemus: cui sit gloria & honos in æternum, Amen.

MARTINI BORRHAI IN LIBRVM DE ORIGINE MVNDI, QVI GENESIS APpellatur, Commentarius.

IN principio.] In hoc narrationis rerum à Deo genitarũ exordio Moses hac uoce, Principiò, duo nobis cognoscenda proponit: primò, mundum æternum nõ esse, sed molitionẽ eius initiũ habuisse. secus quàm multi philosophi statuerunt, qui mundi æternitatem, contra sacræ scripturæ testimonia & indubitata rerum experimenta, quæ commemorare superuacaneum sit, affirmarunt. Alterum est, certo definitoq; ordine cuncta diuina ratione condita esse, priorem locum cœlo & terra obtinentibus. Prior pars potentiam Dei explicat, qui tantam terræ & cœli molem, cum non fuisset, ex nihilo, nulla subiecta materia cui incumberet fultus, molitus sit, contrà quàm agunt cæteræ causæ, quæ omnes materiam in qua uim suam exerceant, requirunt. Itaq; refelluntur hic, qui uel ἀλλοιὰς ὑποστάσεις, id est materiales substantias: uel ἄτομα, id est individua corpora, primordia mundi statuerunt. Altera autem pars quæ rerum gentarũ ordinem attingit, sapientiam diuinam nobis declarat, qua Deus in fabricando mundo ab informi, rudi, incultaq; mole exorsus, ad operum suorum perfectionem, seruata apta rerum efficiendarum serie, progressus sit. Quapropter Chaldaica editio Hierosolymitana pro בראשית uertit בחרבבוא, id est sapientia: secuta procul dubiè Salomonem, qui his uerbis in Prouerb. libro de sapientia loquitur: Quando præparabat cœlos, aderam. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta cõponens. Huc ueteres Theologi spectantes בראשית interpretantur in filio, qui æterna potentia & sapientia Dei patris sit, per quam is cuncta fabricarit. Huc referunt illud Salomonis יהוה קנני ראשית דרכו קדם מפעליו מאז. id est, Me Dominus principio uiæ suæ habuit, iam olim ante opera sua. Atq; hoc principium, uerbum Dei esse uolunt, Messiam benedictum. De quo Dauid canit, Verbo Domini cœli facti sunt. Simplex sententia est, si intelligas uerbo ראשית initium temporis & ordinem notari, quo cœlum & terra cum nihil fuissent, & antequam quicquam fieret, fabricata sint. Quæstioni igitur illi apud ueteres diu multumq; agitatæ, mundus ne semper fuerit nullo generatus ortu, an ortus sit, Moses his uerbis occurrit: Principiò creauit Deus cœlum & terrã. Quibus uerbis fidem habent ij qui malũt Deo credere quàm falsas philosophorũ rationes persequi.

Creauit.] Ex nihilo. Huiusmodi hoc loco indicat בראquod est aut ex nihilo creare, aut ex ijs quæ ex nihilo facta sunt, aliquid efficere, ut infrà liquidum erit. Quod mundum ædificauit Deus uerbo & spiritu, dicunt interpretes sacrum hunc ternarium in uerbo בראnotari. Beth litera filium qui בן est, Reth spiritum qui רוח dicitur, & aleph patrem architectũ qui אב est, indicante. Hinc fieri, ut nomen multitudinis אלהים usurpetur.

Deus.] Non temerè & fortuitò, sed diuina ratione cœlum & terram extitisse, neq; mundum Deũ esse ἀνάρχον et ἀτελεύτατον. Itaq; primò cõtra impios homines prouidentiæ diuinæ omnia efficientis & administrantis fides aduersus μονογράμμους et nihil agẽtes deos hic confirmatur. Deinde uerbo Deus cũ hic legimus, Creauit Deus, dij alieni qui hac potentia nõ ualeant, funditus tolluntur, aduersus quorum cultum prophetæ sæpe ex historia creationis mundi argumenta petunt: ut cum dicit per Iesaiam Dominus: Ego sum Dominus, præter quem nemo alius est. Sed unde huius confessionis ducitur ratio? subijcit propheta: Ego feci terram, & manus meæ extenderunt cœlum. & per contentionẽ de dijs alienis: magno eorum opprobrio: Precantur Deũ non seruaturum. In dijs autem alienis numerantur omnia præsidia, quæ in alijs rebus q̃ in uno Dei numine ponuntur. Quapropter Moses Israelitarum ad Deum arbiter non temerè ab initio statim ædificationis mundi historiam texere uoluit, quò sibi ad sanciendam legem de colendo uno Deo ex uerbo eius uiam præmuniret, & idololatria Aegyptia populum suum liberaret. Superstitio enim, & uanitas Aegyptiorum cui Israelitæ assueuerant, histrijs satis nobilitata est, qui praua falsorũ deorũ opinione imbuti, non solum cœlum, solem, lunam, & homines, sed crocodilos, feles, canes, aspides, cæpas etiam & alliũ pro dijs habuerunt, eisq; diuinitatem dederunt. Quæstio hic est de Deo, quid ante mundum hunc cõditum fecerit, an ne ab omni actione uacarit ac quieuerit. Ociosa est hæc quæstio, atq; curiosa, cuius meditatio nullam adferat utilitatem. Nam Deus ipse qualis & quis sit, ex mundo tam sapienter condito in filio suo Christo Iesu cognoscitur: nõ quis fuerit, quidq; egerit ante extructum mundum, curiose inuestigari uoluit. Nec tamen omnino ociosum fuisse Deum, æterna uerbi expressio declarat, & in hoc omniũ quæ in tempore condita sunt conceptio & designatio, in qua Messiam, cœlestium electorum Hierosolymam, legem, Euangelium quod Iohannes æternum dicit sapientes homines ante extructũ mundum fuisse dicunt. Cæterùm nomen Dei אלהים non יהוה hic usurpatur, de quo infrà mentio fiet.

Cœlum & terram.] Tanq̃ futura gignendarum rerum primordia ac receptacula. De terra enim infrà legimus, Germinet terra: item, Producat terra, &

de aquis cum terra cõiunctis, Producant aquæ. De cœlo autem, Fiant luminaria.

Terra autem erat inanis.] A ſtirpibus & animãtibus. Similiter editio Chaldaica Hieroſolymitana, quibus rebus fuerit uacua terra, declarat רצוי בון בני אנשא. Deſcribitur habitus terræ qualis ab initio fuerit. Hanc informem, rudem, & obſcuram fuiſſe molẽ, uerbis Hebræis res rudes & informes notantur, et ad omnem uſum ineptæ. Ideo in ſcriptura ſacra, idola & dij alieni תחר רבחר appellantur, quòd uani ſint, & iuuare in rebus aduerſis nequeant. Et apud Iſaiã ſcito tropo ſummum deuaſtandi ſtudium indicatur, cum extendenda amuſsis תח רבחר dicitur. LXX. ſpectantes ad tenebras cuncta obſidentes, & ad indigeſtã molem, reddunt ἀόρατος καὶ ἀνεπισκεύαστος, quòd terra undequaq; aquis tecta eſſet atq; ſpiritus & lux abeſſent, quib. terra ad fructificandũ formaretur. Ad hunc cœli & terræ informem & inchoatum ſtatum uetères apud Græcos philoſophi reſpexiſſe uidentur in ſuo Chao:

ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ' αὐτὰρ ἔπειτα
γαῖα σύρυ στέρνος πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.

Hi intellexerũt cœli & terræ primò unum aſſectum fuiſſe, cõfuſis inter ſe mundi elementis et ſeminibus, deinde cunctorũ ſeparationẽ factã. Quã confuſionem appellarunt, modò Chaos, modò ἀταξίαν, modò ἀμορφίαν, interdum ὁμοιομερείαν. Huc Græcus poeta ſpectauit, ὡς ἄρχανδς γαῖά τε ἦν μορφὴ μία. Et Latinus:

Ante mare & terras, quod tegit omnia cœlum,
Vnus erat toto naturæ uultus in orbe.

Et tenebræ erant.] Explicatur ratio תחר רבחר. Contraria natura lucis eſt, quæ ſqualorem rebus eximit, & nitorem ornatumq; affert. Tulit Deus primò tenebras, quo potentiam ſuam declararet, qui ex profunda caligine admirabilem lucem producere, & ſimul gratiam gignendæ lucis quanta foret, oſtendere poſſet, ſi opus regenerationis euoluto typo aſpectabilis lucis conſideres. occurrit illud Petri, Vt uirtutes prædicetis illius qui è tenebris uos uocauit in admirabilem ſuam lucem. Cæterùm tenebræ γενικὴ φύσις id eſt condita aliqua natura non ſunt, neq; πανηρὰ ὑπόστασις id eſt mala res: ſed ἀπουσία ſolum, id eſt abſentia lucis. Itaq; hic non legitur tenebras creatas, ſed fuiſſe ſuper profundum, lucem autem factam.

Super faciem abyſsi.] Omnia tenebris terram, aquas & cœlum ipſum oppreſſa fuiſſe.

Et ſpiritus Dei.] Aggreditur poſt illũ ſqualorem ad explicandam ἐυκοσμίαν, id eſt exornationis cœli et terræ rationem, quib. rebus uelut inſtrumentis in illis expoliendis ad ſpeciem & ornatum, diuina ſapientia uſa ſit. Cuiuſmodi duo numerat ſpiritum et lucem. De ſpiritu primùm admonet. Atqui cum is bipertitus ſit, alter ingenitus, qui propriè Dei ſpiritus eſt: alter genitus ac creatus, qui uentus eſt, uterq; hic accipitur. Alter ut primæ notæ ac principalis ſpiritus. De quo uates: Et ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum. Alter ut inſtrumentum mouentis Dei ſpiritus, quem in arefacienda terra ſapiens artifex adhibuerit. Hæc enim uis in reliqua quoq; ſcriptura uento quem aer continuatus mari huc atq; illuc effluens efficit, tribuitur. Veluti legimus infrà: Et adduxit Dominus ſpiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ. Item in Exod. Cumq; extendiſſet Moſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante uento uehementi. Sed appellatio hæc reliquis quoq; naturis, per quas Deus uitam & motum miniſtrat, aſſignatur. Nam hoc modo animãtia ſpiritũ uitæ & ſenſus, homo ſpiritũ mentis habere dicitur. Sicut infrà mentio fit de ſpiritũ חכמיה, & de רוח חיים. Quod attinet ad principem illum ſpiritum, uim uidelicet per omnem naturam rerum intentam & commeantem, & cuncta animantem, eum etiam Græci philoſophi agnouerunt: quorum alij hunc ſpiritum νοερὸν, id eſt intelligentem ſpiritum, ut Mercurius Triſmegiſtus, uetuſtiſsimus gentium theologus: alij amorem, quæ appellatio ſpiritui ſancto conuenit, ut Poeta:

ἠδ' ἔρως ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι. Similiter Hesiod.

Thargum Hieroſolymitanũ de ſpiritu beneuolentiæ diuinæ interpretatur hic: ורוחא דרחמין.

Alij uerò hunc ſpiritum animam mundi, ut Platonici, uocarunt. Hos ſequutus latinus Poeta uidetur, ubi canit:

Principiò cœlum ac terram, camposq; liquentes, Vergilius Aeneid.
Lucentemq; globum lunæ, Titaniaq; aſtra,
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus.
Mens agitat molem & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumq; genus, utæq; uolantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore Pontus.

Veteres Hebræi hunc ſpiritum Meßiæ per quem, & propter quem, mundum hunc creatum fatentur, ſpiritum uocarunt.

Ferebatur ſuper aquas.] Ad exiccandã terram. Chaldæus pro מרחפת habet מגשבא, id eſt, flabat, ſe ſuper aquas librans. Is ad naturam uenti reſpexit, cuius uis ſpirabilis eſt, aquas natura mobiles flando cõmouens. Pſal. Flabit ſpiritus, & fluent aquæ. In uerbo Hebræo motus propriè uocatur, ut uidere licet in Deuteronomio, & Hieremia. Nam his tribus locis ſolũ reperitur Hebræa uox רחף. Indicatur hic magna ui ac impetu aquarũ uoraginem commotam et agitatam, ut terra appareret. Itaq; Solomon ſapientia Dei abyſſos non leuiter motas, ſed fractas dicit his uerbis: בקעו תהומות: & Dauid fugiſſe ac diſceßiſſe aquas ab increpatione Dei, & à ſonitu, uehementis ſpiritus in locum unum præcipitatas confluxiſſe. Quapropter ſunt qui abyſſum תהום dictam putent, propter fremitum illum ac fragorem uenti quo illa commota fuit. חבח enim fremere eſſe ac tumultuari. Atq; in uentũ quoq; ſatis competit Hebræa uocula רוח, quæ à ſonora uehementiq; litera incipit ſpiritus uehementiã exprimente, & in ſpirantem deſinit, non minus flatus q̃ uox. Hæc ipſa eſt animalis & in cuncta ſpirabilis natura, qua Deus aquas agitauit, & futuræ luci atque germinationi terræ uiam aperuit, & omnia ab inertia ac ſitu ad motum, uitam & lucem tranſtulit. Præterea ſeminum uis, quoniam ex ſpiritu & aquis conſtat,

ſtat, propter genituram rerum quæ ex ſeminibus confi cienda erat, hic ſpiritus cum aquis coniuncti, fieri men tionem uolunt. Sunt qui interpretantur מרחפת pro incubare. ut ſit ſententia, ſpiritũ Dei incubaſſe aquis, ut ea quæ animanda erant, uiuificaret, non ſecus atq; gallina ouis incubat, quæ calore fota & animata ex- cludat. Sed dicas: Si de uento etiam intelligis, unde is prodijt uel exijt? Apparet hunc cœli motionem conſe cutum fuiſſe, quod ſtatim ut conditum fuit, ueriſimile eſt moueri cœpiſſe.

Et dixit Deus.] iam agitatis ſpiritu aquis. Hic primò prope lucẽ nominatur uerbum Dei, de quo Ioã nis 1. In principio erat uerbum, & omnia per ipſum facta ſunt. De quo item Dauid: Nam ipſe dixit, & fa- cta ſunt. Hoc uerbum Chriſtus Ieſus eſt primogenitus uniuerſæ creatæ naturæ, per quem & in quem et pro pter quem omnia creata ſunt, tum quæ in cœlis ſunt, tũ quæ in terra, aſpectabilia & inaſpectabilia. quæ fiunt, in illo uita ſunt, ut eſt apud Ioãnem: Quod factũ eſt in ipſo, uita erat id eſt, uitalẽ naturam habet. Hinc Apoſtolus, Per quem condita ſunt ſecula. Item: Omnia per ipſum & in ipſum condita ſunt. Et ita quidem cõ dita ſunt, ut in eodem illo uerbo uiuant, moueantur, et ſint, ueluti illud indicat: In ipſo uiuimus, mouemur & ſumus. Nec mirum ſit, prope lucem primò mentionem uerbi factam eſſe, quod de ſe dicit alicubi: Ego ſum lux mundi: cuius hæc ſub aſpectum cadens lux, imaginem præfert. Patris igitur Dei & uerbi filij Chriſti poten- tia hic agnoſcitur aduerſus omnes grauiores tentatio nes: Patris quidẽ, qui ſolo nutu et imperio per uerbum omnia moliatur, & ea quæ non ſunt, ex nihilo ut exi- ſtant, conſtituat: uerbi autem, quo omnia oriantur, & orta ſapienter regãtur, ut cum Apoſtolo meritò Chri- ſtum Dei potentiam confiteamur. Itaq; hunc Chriſtum quia ueteres philoſophi ignorarũt factum eſt ut neq; uerbo Dei ſuum honorem tribuere potuerint, quã uis uocarent Dei uerbum θεῖον & θειότατον, & dicerẽt id tanquam τεχνικὸν apud architectum Deum λόγον fuiſſe, quo is in condendo & exornãdo mũdo uſus ſit.

Fiat lux.] Alterum inſtrumentum expoliendi cœ li & terræ. Terram rudem & informem, & ipſas te- nebras, et iam agitatas aquas, rerum & formarum di ſtinctrix lux cõſequitur. Lux autem quæ hoc die pri- mo rudis & inchoata creata eſt, quarto die expoliri, abſoluiq; ad claritatem ſuam cœpit. Qualis autem e- ius motus fuerit, declarat diei cõfectio. Itaq; non quia quarto die legitur, lumen in cœlo conditum, ideo hic per lucem accipientur angeli, quos primo die confir- mes creatos: quod affirmare, eſſet, contempta hiſtoriæ ueritate, allegorias perſequi. Hæc cum uidiſſent in Mo ſe ueteres philoſophi & poetæ, νύκτα, ἔρεβον, χάος, ὠκεανὸν, prima fuiſſe dixerunt, cum Moſes ante con- ditam lucem, cœlum et terram תהו ובהו, tenebras et abyſſum nominaſſet. Certo ordine rerum gignendarũ primordia recenſentur, terra, aqua, ſpiritus, lux, quam ex nihilo, hoc eſt ex tenebris, hic extitiſſe legimus. Si ſpiritualia ſpectemus, quorum mundus is aſpectabilis ſpeciem quandam ac imaginem præfert, in opere illo regenerationis terra quoque primùm inanis & uacua ſe offert, & tenebræ: de quibus illud, Eratis aliquando tenebræ: tum aquæ et ſpiritus, de quibus in Ioãne, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu: lux deinde, de qua legimus, Et lux in tenebris lucet, lux orta eſt iuſto quæ Meſſias benedictus eſt, qui adumbratus hac aſpe ctabili luce de ſe dicit, Ego ſum lux mundi. Hæc lux demum flammea cum ſpiritu coniuncta ad regeneran dum efficax eſt, de qua apud Matthæum: Ipſe uos ba- ptizabit ſpiritu & igni.

Et diuiſit lucem à tenebris.] deſignatis loci, mo tus, & nominum certis finibus. Cæterum umbra terræ iam eſt, quæ ante lucem conditã tenebræ cunctis offu- ſæ fuerunt. Nec ſui præſcripti termini deſunt luci & tenebris in ordine rerum ſpiritualium, quos per excla mationem explicat Apoſtolus: Aut quæ cõmunio luci cum tenebris? Quod enim eſt uiſibilis hæc lux mundo uiſibili, omnia in eo manifeſtans, & in terra animans, ac uiuificans, idem eſt Chriſtus Ieſus iam ſuperne rena tis in opere rerum inuiſibilium. de cuius ui patefacien di arcana Dei illud: Deum nemo uidit unquam: unige na filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. De uiuifi candi autem ui Ioannes: In ipſo uita erat, & uita erat lux hominũ. Hos limites lucis confundunt ij quos pro- pheta redarguit: Væ qui dicunt bonum malum, & ma lum bonum: ponentes tenebras lucem, & lucem tene- bras. Ex his terminis naſcitur diſcrimen hoc: Filij lucis, filij tenebrarum: opera lucis, opera tenebrarum: prin- cipatus lucis, principatus tenebrarum: facta alluſione ad opus hoc creationis. In quo opere ſtatim à principio cæteris quoq; rebus aduerſis, præluſum eſſe diſcimus, ad commendandam ſapientiam Dei, cum ſumma boni tate coniunctam: cuiuſmodi ſunt, mors & uita, ira & gratia, cæcitas & illuminatio, ignominia & gloria, quorum cõtentione admirabilis uis Dei eluceſcit, dum addiſcimus hunc ut ex tenebris lucem elicuit, ita eun- dem ex morte uitam, ex ira gratiam, ex ignominia glo riam noſtram poſſe efficere. Quæ fides ſanctorum eſt omnia uincens. Quærat hic aliquis, cur aquæ, quemad modum cœlum & terra, & lux ipſa, conditæ non le- gantur: præterea cur angelorum creatio non comme moretur. Aquæ ſi ſitum ſpectes, terræ: ſin naturam, cœ lo, cum quo affinitate quadam copulatæ ſunt, adnume rantur. Nomenclatura enim שמים quantum cœ- lo cum aquis conueniat, oſtendit. Vnde nonnulli addu- cti ſunt, ut cœlum, tum hoc proximum nobis circunfu ſum quod aer eſt, tum illud tenuius & clarius, aſtris in ſigne, & eius lumina, aquis conſtare affirmarunt. Qui dam ad hanc ſententiam tuendam citant ea quæ Pe- trus in altera epiſtola docet, ubi cœlos & terram olim & ex aqua & in aqua Dei iuſſu conſtitiſſe, dicit. At ut Apoſtoli uerba exponenda ſint, litera ipſa facile in dicat: præterea regeneratio quoq; quæ ex aqua et ſpi ritu conſtat, aquas cœlo, non terræ, ſtupido, pigro et i- nerti elemento copulat. Demum paulo infrà inter ea quæ ex aqua naſcuntur, uolatilia cœli referuntur. Vi- dere quoq; licet mirum aquarum cum cœli conuerſio ne conſenſionem intercedere. Indicio ſunt maritimi æ-

ſtus ad lunaris ſideris curſum gubernati. Quod ad angelos attinet, ſi quæras cur horũ in hoc opere creationem non deſcripſerit, ſic reſpondendum uidetur: Moſes hiſtoriam creationis mundi tradit, quatenus ea ſuo muneri congruit. Hoc autem myſticam diſpenſationẽ ac adminiſtrationem tenet uſq; ad Chriſtum, qui rerũ ſpiritualium adminiſtrator eſt, cœlosq; aperit, & eorum ciues, quæq; in illis parata ſunt ſanctis patefacit. Cæterum eſſe angelos, tum bonos, tum malos, ſcriptura planè teſtatur. Sed quo die et quomodo, & ubi ſint conditi, Moſes non oſtendit, qui hoc ſub aſpectum cadens opus ad rudem & craſſum populum, non inuiſibile explicat. Nobis ſatis eſt in præſentia, intelligere angelos creatos eſſe hominũ bono, & eos in cœlo coram Deo uerſari, ne hi ſuis incolis ut ſupernis maieſtatis diuinæ ſpectatoribus throniq; iuſticiæ & clemẽtiæ apparitoribus carerent. Vnde Dominus noſter eos faciem patris, qui in cœlis ſit, in cœlo uidere meminit, & eoſdem ſolio Dei in cœlis adſiſtere, prophetæ in prophetali ſpectro contemplantur, tanquam nuncios & cœleſtium mandatorum miniſtros ad nos homines corpore terram quidem incolentes, ſed mente cœleſtium ciues. Itaq; hinc liquet, non unam eſſe rationem cœli in ſcripturis ſacris. Alicubi enim proximus aer eſt uaporum, nubium, pluuiarum, & uolucrum ſedes. Alicubi tenuis illa ac pellucens & firmior pars, quam ſidera inſigniunt, quæ æther dicitur, extrema illa ora, & determinatio mundi. Vnde Græci locum illum ſummum τὸν ϱανὸν quaſi terminum appellarunt. Has cœli partes Moſes deſcribit in hiſtoria hac fabricationis mũdi. Diuinum autem illud quod angeli incolere dicuntur, cœlum, de quo in oratione rex horum cœlorum, Pater noſter qui es in cœlis: & pſalm. Qui habitat in cœlis: deſcribere, Moſæ officium non eſt, ſed eius qui iſtud cœlum ſanguine ſuo aperit ſpiritu regenitis & lege Moſæ liberis. Nam hoc cœlum diuinitatis cœlum eſt, luce et ſplendore inacceſſo, in quo pater uerſatur, ornatum. In hoc cœlum tertium Paulus ſe raptum fatetur, & in eo percepiſſe quæ fas non eſſet eloqui. Itaque id ut non habet neq; locum, neq; tempus, ſed extra locum et tempus eſt, ut lux & fulgor eius diuinus, ita à Moſe deſcriptum non eſt, ſed Chriſto explicandum & patefaciendum relictum.

Et uidit Deus.] Approbatio lucis uidendi uerbo ſignificatur. Hoc innuitur tantum, unũquodq; bonum eſſe, quantum Deo probetur, et de eo participet: qui à ſe ſummum bonum eſt, cætera ab illo bona, Deus autem ſummum bonum habetur, qui perfectus, qui ſibi ſatis, quiq; expetendus ſupra omnia & præ omnib. ſit.

Quod eſſet bona.] ornans cœlum & fœcundans per ſpiritum allata terram. Huc ſpectans latinus uates, cœli lumen, ſpirabile lumen uocat, lumen cœli ſpirabile. Porrò Deus quia ſapiens, finem certum ſuis operibus deſtinauit: & qua bonus, bonũ finem eis propoſuit: qua autem ui ualet ac potentia finem ut quodque ſuum adipiſcatur, efficit. At finis lucis cernitur in efficiendo die, & rebus patefaciendis, in diffundendo cœlo, in arefacienda terra, in generandis ſtirpibus & animantibus. Nã ſequentia cõmonſtrabunt hæc opera Deum luce tanquam inſtrumento uſum, genuiſſe. hic igitur ex rebus cõditis lux bona Dei ſententia pronũciata eſt, ſine qua ſiquidem nec terra fœtus ſuos producturа, nec cœlum ullam utilitatem allaturũ fuiſſet. Quare Græci cũ audiunt nominari lucem, dicunt φῶς ἀγαθόν: & latini orientem lucem, quia bonum ſit, mane appellant, quòd antiqua eorum lingua manum idẽ ſit quod bonum.

Appellauitq;.] Cũ nondũ homo eſſet creatus, qui rebus nomina poneret, aut intelligitur per hominẽ poſtea conditum nuncupationem hanc factam.

Lucem diem.] Hunc ab ortu ſuo per faſtigium cœli ad obitum profecta lux, conficit. Dici uſus explicatur à uate: Homo autem aggreditur opus ſuum, & negocio ſuo incumbit, uſq; ad ueſperam: contrà quies quæritur in nocte. Diei enim noctisq; uiciſſitudo conſeruat animantes, alio rebus gerendis, alio quieti tributo tempore. At uerò prouidentia diuina noctem etiam parauit animantibus, præſertim feris & agreſtibus, in qua uictum ſibi quærant, quibus interdiu tutò uagari non liceat. Sic enim propheta canit: Inducis tenebras, & fit nox, in qua omnia ſylueſtria ingrediũtur animalia. Accedit huc uſus etiam myſticus. Quas enim ſæuas poteſtates in tenebris uerſantes, feræ noctu uagantes ad quærendam prædam repræſentent, nõ eſt obſcurũ. De leone noctu graſſante & ueſtigante quos deuoret, Petri teſtimonium notum eſt, & pijs compertum.

Veſpere & manè.] Dominus ſeruans ordinem quem à Thou & Bohu, & à tenebris ad lucem progreſſus tenuit, ueſperæ, quàm matutini temporis prius meminit. Scitè Hebræa lingua ueſperam ערב appellat à confuſione lucis & tenebrarum: ut latinis crepuſculũ, à crepera, id eſt dubia luce dicitur. Et ab eadẽ lingua mane בקר dicitur, quod primùm exorta luce res faciles fieri incipiant ad ueſtigandum & internoſcendum. Cæterum hic mane pro tota diurna luce uſurpatur, parte pro toto ſumpta. Quoniam uerò tenebræ præceſſerunt lucem, ab his Moſes exorditur diẽ. Quæ ratio auſpicandi diem Hebræis cum nõnullis alijs gentibus communis eſt.

Dies unus.] primus. Primi igitur diei opera ſunt, cœlum & terra, aquæ, ſpiritus & lux, ignea rerũ procreandarum initia. Sunt inter ueteres qui non temerè primum diem unum diem à Moſe nominari dicunt. ſed certa ratione, quòd in eo omnium rerum ſemina et elementa contineantur, terra, aqua, ſpiritus, lux: ut in ipſo uno omnis numerus & multitudo continetur. & hanc eſſe diuinam huius linguæ proprietatem, ut quod primum in ordine eſt אחד, id eſt unum nominetur. Quam rationem etiam Germanorum lingua ad imitationẽ Hebraicæ ſeruat, cũ efferunt, eyns, zuuey, drey.

Fiat firmamentum.] Deſcribũtur opera ſecundi diei, quæ ſunt diffuſio cœli, diſtinctio aquarum, congregatio aquarum infernarum in locum ſuum, conſtitutio ſicci. Atq; hæc opera à Deo ui ſpiritus & lucis cõfecta ſunt. Cæterum noſter interpres in uertendo uerbo רקיע LXX. ſequitur, qui habent στερέωμα. Hi

procul

procul dubiè intellexerunt cœlum exfluxa aquarum materia constitisse: & quod prius liquabilis esset naturæ solidissimum esse effectum. Atq; de ea parte aiunt, quæ stellis ornata ac insignita est. quam tanquã medium limitem inter supernas aquas, quas nostri uocant cœlum crystallinum, & inter inferiores, in quib. nonnulli & aerem comprehendunt, positam esse confirmant. Hanc sententiam etiam Græcus uates tuetur, cum cœlum πολύχαλκον uocat. Huius sententiæ & græci & latini theologi sunt. At uerò Hebraica uox liquidum & id quod uelut in tenues laminas diducitur, significat. Veluti legimus in Exodo de auro in bracteolas diducto ויבסע את פחי חזהב. Sentẽtia ergo hæc uidetur hic esse: Ante immissum spiritum & conditam lucem cœlum crassum, & obscurum corpus fuisse, & hoc simul atq; lux emicuit, cuius natura sit rare facere & diffundere, explicari, extenuari, liquidumq; fieri cœpisse dẽsis tenebris disparentibus. Ad hanc diffusionẽ respicit Dauid ubi inqt, גרשת שמים כיריעה id est extendens cœlũ sic ut cortinam. et Iobus נטה שמים. In quibus locis רקע per expandendi uerbum נטה, explicatur. Hac autem ratione cœlum fusum est & extenuatum, ut in eo cõmodè animantia uiuerent, uelut exponit hunc ipsum usum Iesaias propheta cum dicit: גרשת כדוק השמים ויריעתם באהל לשבת id est: qui diducit tanquam tenuem laminam cœlum, & id ueluti tabernaculum expandit ad habitandum. Animãtia enim ex ipso cœlo spiritum ductura erant. רקיע non solum regio illa, quæ tum uagis ac errãtibus suis locis inhærentibus astris insignis est, uerumetiam inferior hæc aeris regio, quæ nobis circunfunditur mari continuata, uolucrumq; sedes ac nubium designatur. Cuius rei fidem multi scripturæ loci faciunt. In priorib. enim legimus de uolucribus uolantibus in tenui cœlo ac liquido. Nemo autem dixerit uolucres in eo cœlo quod astris fulget uolare. In Zacharia itẽ legimus, Cœli dabunt rorem suum. quod sanè intelligitur de aere nobis uicino. Neq; tamen negari potest quin firmamenti & roboris uox cœlo tribui debeat, cum Iobus dicat תרקיע עמו לשחקים כראי מוצק. In quo quidẽ loco robur cœlo tribuitur, sed ita ut neq; רקיע à propria significatione recedat, neq; solũ siderũ locus firmus reputetur, cum interpretũ sententia רקע in eo loco expandere sonet, & שחקים non de æthere pellucenti & æquabili calore suffusa regione sed de aere in nubes concreto interpretes exponant. Hunc quoque in modũ metalli fusilis tenuiter diductũ firmatũq; esse cõfitentes. Vnde Solomon in Prouerbijs בעצבו שחקים id est cũ firmaret aerem. Vbi Chaldæus pro שחקים uertit עננין id est nubes, ad significandum etiã aerem hunc nubium receptaculum, Dei potentia certis legibus firmatum. Itaq; aer is crassior, in quo nubes uẽtiq; coguntur, cœlum quoq; dicitur.

In medio aquarum.] Moses duo aquarum genera commemorat, alterum cœlestium, alterum terrestrium. Dissensio autem hic est non parua inter interpretes, nonnullis pro aquis supernis cœlum crystallinum supra stellatam regionem collocatum, alijs de aquis, quæ supernè in aere pendent, interpretantibus, quas diffusus aer à nostris aquis terræ affusis diuellat, sed ita, ut eas suo tempore terræ gremio ad usum uiuentiũ reddat. De quibus aquis Amos propheta: Qui uocat aquas maris, & effundit eas super terrã. Et Psalm. Qui tegis aquis superiora eius. Sed quib. aquis? Aperit has alius psalm. Qui operit cœlũ nubibus, et terræ parat pluuiã. Atq; hæ ipsæ sunt salutares aquæ, quas suprà in cœlo ad cõmoditatẽ uiuentiũ, apparauit diuina prouidentia opera tractuq; benignæ lucis, quæ ab infernis aquis uaporem leuat, qui in aere hoc in nubem dẽsatus, aquas fœtificas terræ refundit, ueluti legimus infrà capite secundo: Et uirgultum nondum erat exortum in terra, non enim pluerat super terram. sed אד, id est, uapor ascendebat, irrigans uniuersam terram. Atq; huiusmodi cœlestes aquas Moses hic explicat, nõ cœlũ crystallinũ, quòd id cœlũ ἀόρατον sit, id est in oculos nostros nõ incurrat, & ob id præsenti tractationi minimè aptũ habeatur. Mũdi enim opificiũ Moses describit, quatenus rebus uiuentibus cõmoda sit eius explicatio, & nos per ea quæ aspectabilia sunt, in inaspectabilis sapiẽtiæ & potẽtiæ Dei cognitionẽ adducat.

Diuidatq; aquas ab aquis.] Vsus diffusi cœli ac liquidi, ad hoc diremptionis aquarum opus usa diuina sapientia luce est.

Vocauitq; Deus firmamentum cœlum.] שמים ut diximus, suum nomen ab aquis et ignea luce ducere uolunt, ut græci etiam cœlum ὄλυμπον quasi usq; quaque lucidum dictum monent. At hi tamen contraquàm Moses, solum eam partem liquidi, hoc nomine dignantur, quæ nubibus, pluuijs, uentis, tempestatibus libera est, de qua his uerbis græcus uates.

ὄλυμπον δ' οὔ φασι θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
ἔμμεναι, οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὔτε ποτ' ὄμβρῳ.

Quinq; rebus legimus à Deo nomina indita, diei, nocti, cœlo, terræ, mari, & homini. aut anticipatio est qua intelligitur à Deo per Adamum illa nomina his rebus posita.

Congregentur aquæ.] Hoc opus congregationis aquarum ad secundum diem secus quàm multi sentiunt, quoq; pertinere sapientes uiri putant. Si enim diremas, secundi diei opus diuinæ sententiæ commendatione carebit, & tertius dies bis approbabitur. Ineptũ que esse putant, quod affertur de binario numero, qui quoniam inauspicatus sit, ideo eius commendationem fuisse intermissam. Nihil enim in hoc opere inauspicatum esse potest, de quo infrà hæc sententia edita est: Et uidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Præterea multa dicũt binario includi numero quæ in bonis numerẽtur, ut Deus & mũdus conditus, cœlũ & terra, Adamus & Eua, Christus & sponsa eius ecclesia, duo mundi. præterea binarij numeri præstantiam ex eo cognoscitur, quod is per se auctus sacrum illum quaternarium numerũ creat. Nam duo bis sumpta, quatuor efficiunt. Atque idem binarius hac repetitione in se ductus bis duo bis, octonarium primum cubum generat, quam Pythagorei nobiles philosophi uarietatis parentem, & rerum naturalium fundamentũ

formárúmque ſedem appellarunt. Qui cubus octonarius ex binario confectus, ut cõueniat terræ, hoc die ſecundo ſubmotis aquis exiccatæ, ſpecies formæq; plantarum & animantium ex terra genitarum ſatis indicant. At uerò cum binarium ſua laude dignamur, non negamus eum quoque uitium ſuum habere, quòd is primus ab uno in multitudinem abſcedat: & ferè ea comprehendat, quorum alterum aut bonum ſit, alterum non item, ut uidere licet in luce & tenebris, uero & falſo, recto & iniquo, uita & morte, gloria et ignominia: aut alterum altero melius habeatur, ut cernitur in ijs quæ paulo ſuprà ſunt adducta, in Deo & creatura eius, cœlo & terra, mare & fœmina, Chriſto & ſponſa ſua eccleſia, mundo præſente et futuro. Sunt etiam qui monent, prius terram exiccatam fuiſſe, quàm cœlum diductum, quòd ab inchoatis et imperfectioribꝰ. ad perfectoria Dei ſapiẽtia de more progrediatur. Hinc infrà capite 2. legimus, בירם לעשות אלהים ארץ ושמים, id eſt, In die quo parauerat Deus terram & cœlum, in quo inquam Deus terram rudem & incultam, atq; undiq; tectam aquis, & cœlum obſcurum corpus et craſſum formauerat, ut cõmoda eſſent iam generãdis ſtirpibus & animantibus. Neq; inſolentem eſſe huiuſmodi narrationis rerum interruptionem, neque abeſſe prætermiſſi ordinis exempla. Porrò infrà traditur: Formauit igitur Dominus de limo terræ, &c. Et poſtea, Produxitq; Dominus Deus de humo omnem arborem, cum conſtet prius germinaſſe terram, quàm hominem conditum.

In locum unum.] De hac congregatione aquarum uideris in Pſalmo centeſimotertio: Aſcendunt mõtes, & deſcendunt campi, in locum quem fundaſti eis: terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur. Itẽ Prouerbiorum octauo: Quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos. Iobus ſimiliter mare circumſcriptum repagulis & uectibus dicit, ut intra fines ſe cohibens decreto Dei deſcriptos, terram non cogant. Hi loci declarant tria parata præſidia, quibus Dei prouidentia aquarũ molem uerbo ſuo coerceret, ne terram amplius operirent, primò elatos montes qui tanquam aggeres mari obiecti, aquarum uim ſuſtinerent: deinde depreſſas deiectasq; in profundum ualles, in quibus latiſſimè aquarũ uis ſubſideret. Demum in terræ ipſius uenis ac uiſceribus meatus uarios inſtructos, per quos aquæ à mari fuſæ longè lateq; ſpargerentur, ut ſanguis in humano corpore ultro citroq; means & remeans, ſpargitur ac diffunditur. Hanc diſpoſitionẽ uates indicat, ubi canit: Quia ipſe ſuper aquas extẽdit terrã. Atqui ita intra terrã cohibentur aquæ, ut per fontes uelut fiſtulas emicent, & ſuper terram ſe fundentes, in mare unde profectæ ſunt, in flumina aucta recurrant. Ve luti ſapienter ſapiens Solomon dicit: Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum unde exeũt flumina, reuertuntur, ut iterum fluant. Quæ conſtitutio maris in eo etiam mirabilis eſt, quod id quã uis ſupra terrã ſit, medium tamen terræ locum petẽs ita conglobatur undique æqualiter, ut neque redundet unquam, neq; effundatur. Atquì ut hæc terræ & aquarum collocatio Dei uerbo confecta eſt, ita ex eius arbitrio interdum lex illius non ſeruatur, eam terræ incolis ob ſcelera ſua mutantibus, ut declarat diluuium ex rupti abyſſi fontibus natum. Vnde primò intelligimus potentiæ diuinæ eſſe opus, aquas coerceri ne in terræ habitatores erumpant, ſicut erupere in diluuio. Deinde mare et abyſſi fontes ita in poteſtate Dei eſſe, quos et temerè et in ſceleratos pro ſuo nutu immittere poſſit, ut id oſtendunt inſulæ multæ mari abſorptæ. et generale illud diluuium quo tempore Noe mũdus abſorptus eſt. Eſt etiam mare, quod mundus dicitur, ſæuis tyrannorum fluctibus æſtuans, quod Deus quoq; ſuis repagulis cohibet, ne extra terminos ſuos exiẽs pios abſorbeat. His ſimil. rabies Cainæ ſobolis cõcluſa fuit ante diluuiũ, & poſt illud Aſſyrij, Babylonij, Aegyptij, & alij in hoc mari graſſantes tyranni coherciti ſunt, ne in ſanctos pluſquàm ferret eorum ſalus ſæuirent. eſt & mare diuinæ ſapiẽtiæ & potentiæ, quod ſuã profunditatem & abyſſos habet. Ex quo mari ut omnia dimanant per occultos ſuorũ decretorum meatus, ita eadem in illud redeãt ſuo tempore per eum, in quo, et per quem, cuncta inſtaurantur in cœlo & in terra, qui Meſſias benedictus eſt.

Et appareat arida.] in uſum germinandi & habitationis animantium. Duo igitur terræ nomina ſunt, alterum ארץ, alterũ ריבשה. Vtrumq; nomen cũ habitum exprimit, qui uiuentibus commodus ſit. Alterũ enim in terra ab aquis liberata, aridi & ſicci affectionẽ notat, quam requiſituræ erant res iam ex terra generandæ. Alterum terram in medio uniuerſi libratam, uelut ſolum ac pauimentum indicat, quæ animantia ſub cœlo tanquam tecto inambulantia tererent atque calcarent. à רצץ enim quod terere eſt, ארץ uerbum ductum uolunt, ueluti etiam latinis terra à terendo appellata eſt. Huc poeta ſpectauit:

γαῖ' ἐυρύστερνος πάντων ἕδος ἀσφαλὲς ἀιεί.

Et uocauit Deus aridam, terram.] Quis ſitus et quæ forma terræ ſit, quantus ambitus, & quæ magnitudo dimettentis lineæ, et in quas terra partes tribuatur, quæq; ſingularum partium deſcriptio ſit per climata & parallelos ſuos, ex geographia eius rei notitia petenda eſt. Terram firmum & ſtabilem ſitum tenere, declaratur ex eo, quòd hanc in medio uniuerſitatis, tanquam centrum librari conſtat, cui cœli caua cõuexitas in ſe uergens tanquam cardini ſuo undiq; incũbit. Terræ enim orbem uerticibus cœli includi, omnes fatentur. Neq; tamen abſoluti orbis formam hæc habet in tanta montium excelſitate, tanta corporum planicie, ſed cuius amplexus, ſi capita linearum comprehendantur, ambitu perfecti orbis figuram efficiat. Mũdus igitur in centrũ uergit, ut ſolida terra atq; cõferta, à centro exit, eius globũ in formam orbis aſſidua circa eam cœli uolubilitate cogente. In hac hiſtoria creationis mundi Moſes fontes totius naturæ aperit.

Maria.] Ex eadem geographia petenda fontium, fluminum, lacuum, marium cognitio. Cæterùm nomine ים etiam ſtagna & lacus maiores notantur. indicio eſt la-

est lacus Tiberiadis & asphaltites.

Viditq; Deus quòd esset bonum.] Approbatio operum secundi diei, quorum commoditas hoc modo intelligitur. Diffusum cœlum interprete Iesaia prophe ta animantibus aptam habitationem efficit, quæ uitalem & salutarem spiritum, quẽ ex tenui & in omnes partes æquabiliter fuso aere hauriunt. Ad hæc uapori in nubem densando, & luci meatum aperit. Aquarum autem diuisio quam utilitatẽ apportet, rores & cœlestes pluuiæ in sublimi in nubib. pendentes declarãt, quibus ubertas terræ & annui prouentus ad uictum cultumq; uitæ necessarij parantur. Congregationis ue rò aquarum in locum unum, utilitas in eo apparet, q, hæc terram aptam ad fructificandum & ad habitandum efficit, & per subterraneos meatus sparsis aquis salubres balneas, dulces ut terra percolatas aquas, uiuos item & perennes fontes edit, piscosaq; & deuehendis oneribus opportuna flumina effundit. Atq; hæc commoda omnia in hac descriptione spectãtur. Terra autem in siccum redacta quam utilis sit, mox docebitur. Meritò igitur Deus cum inspexisset opera hæc, pronunciauit ea bona esse, nõ quæ sibi quidem, cui ex rebus cõditis nulla commoditas, qua ipse egeat accesserit: sed quæ uiuentibus quæ procreaturus erat et no bis utilia forent, quibus his ita prius conditis & præparatis prouidere pro sua sapientia & ineffabili bonitate uoluit.

Tertij diei opera.

Germinet terra.] Opera tertij diei describuntur, quæ sunt uis fruticandi, herbarum et stirpiũ germina. herbæ, fructus, semina & in his propagandi generis cuiusq; plantæ insita uis & natura. Quod ad uim germinãdi attinet, hæc uerbo Dei ingenita est terræ iam præparatæ per lucem & aquas cœlestes. Nam terra iam siccum facta ac continens et lucis calore intepefacta, complutaq; cœlestibus aquis stirpes creare uisa est. Initijs igitur et elementis descriptis, series quoque rerum ex illis gignendarum describitur, exordio ab herbis & stirpibus quæ animantibus in alimentum cessuræ erant, facto. Quare cum in terra spectentur situs forma, circunscriptio, usus: usus hic explicatur, qui in germinando & gignendo cernitur. Quatuor igitur hic uelut generalia principia tanquã antegressæ caussæ stirpibus ex terra edendis & animantium procreationi præparata sunt, terra, aqua, tum inferior tum superior, aër sprabilis, lux ignea. Harum qualitatum quæ unius modi sunt et simplices, alteræ duæ uim mouẽdi, alteræ patiendi habent. At uerò hic cum germinandi uim in principia sua ac primordia referimus, debemus scire hanc ad emittenda germina terræ fœcunditatem, Dei uim esse atq; munus. Nã legimus hic. Et dixit Deus, Germinet terra, In his igitur initijs instrumenti usus, in Dei uerbo princeps uis ac facultas agnoscitur, à quo primordiales caussæ conditæ sunt, in quabus latêret rerum omnium origo. Cum igitur hoc loco legitur, Dixit Deus, constantem sanè ac firmam uerbi eius potestatem intelligimus, qua semel fructificãdi uis terræ mandata, in legem naturæ abijt, ut ea per tot secula continuata, etiam nunc seruetur, & in mundi usq; finem stabilis permaneat. Cæterùm hic legitur creata luce, terram ut exiccata est, iussam germinare, unde ueteres interpretes uerisimiliter colligũt uernum tempus fuisse quo mundus cœptus sit ædificari, luce eam cœli partem describente, quam sol postea quarto die conditus æquinoctij tempore describere cœpit, cuius uicem in liquido hæc rudior lux gesserit. In hac sententia etiam uates latinus est:

Non alios prima crescentis origine mundi Georg. 3
Illuxisse dies, aliúmue habuisse tenorem
Crediderim. Ver illud erat, uer magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri,
Cum primùm lucem pecudes hausere.

Herbam uirentem.] quæ exornet terram, & alimentum præbeat animantibus. Nam tribus rebus horum uita erat tenenda, cibo, potione, spiritu. Sapientia Dei hic quoq; ordinem seruat à pullulante germine ad herbam, ab hac ad fructus & semina, ab his ad arbores & ad harum quoq; semina progressa. Comprehenduntur hic omnium herbarum genera, quorum alia sunt φιλυδρα, alia χερσαια, alia ἤμερα, alia ἄγρια, alia mõtana, alia campestria, alia ἀνθοφερῶντα suauissimos odores afflantia, alia ἀνάνθη id est floribus carentia.

Facientem semen.] ad conseruandam generis cuiusq; perpetuitatem, cum res singulæ in momenta dilabantur. Quæ mirabilis uis potentiæ diuinæ est, quæ in tam exiguis corporibus tantã arborum molem reponit, & earum ἐντελεχῆ γένεσιν, id est perpetuum ortum efficit. Terra igitur cum gremio mollito et subacto semen sparsum excepit, primùm id occatum cohibet, deinde tepefactum uapore & complexu suo diffundit, & elicit herbescentem ex eo uiriditatem: quæ nixa fibris stirpium sensim adolescit, culmoq; erecta geniculato iam quasi pubescens includitur. Semina ipsa, aut fructus aut grana fructuum sunt. Sed sunt quæ seminum uim in radice habent, ut ἀγρωστις, μίνθα, crocus, allium, & id genus alia, quæ per terram dispersa in radicibus generis cõtinuationem moliuntur. Itaq; omnibus è terra nascentibus, aut semen inest, aut quædam δύναμις σωρεματικὴ, quæ aptam materiã nacta, qua ali augeriq; posit, in suo quicq; genere fingit, atque efficit, ut sequitur.

Iuxta genus suum.] ad uitandam nascentium è terra confusionem. Nec non etiam in ordine spiritualium suum semen est principi tenebrarum, suum item Deo ex quo filij regni gignũtur. de quo Ioannes: Quoniam semen ipsius in eo manet. Sicut etiam suæ arbores sunt, de quibus Dominus ipse: Facite arborem bonam. & psal. Erit hic uelut arbor ad riuos aquarum consita. Sui item fructus, de quibus illud: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Meßiã צמח hoc est germẽ uocari indicat Iesaias capite quarto. Similiter Zacharias: Ecce uir צמח, id est germen nomen eius. LXX. addunt καὶ κατὰ ὁμοιότητα. In ijs enim quæ eodem genere continentur, quæ dã naturæ cõiunctio ac similitudo cernitur. Cæterũ in mente diuina hæc genera considerata ideæ uocãtur, quas

uerbum

uerbum Dei Christus Dominus noster cõplectitur. in quo tanquã in uiuo omniũ exemplari rerũ descriptæ rationes cõtinentur. Quocirca rectè dicitur ante creatum mundum in ipsa Dei sapientia quæ Christus est, fuisse cunctas seminum rationes dispositas ac designatas: solum hoc eis defuisse, ut corã in materia cognoscerentur. Apparet rerum species ac genera Hebraicè מין appellari quod illa numerorũ instar distincta sint, ut nec magis unũ in alterũ cõmutari possit, quàm numeri alij in alios cõmutantur. Quare numeros & genera rerum ueteres sapienter ἀσύμβλητα nominarunt. Neq; etiam parum scitè seminum, plantarum & animantiũ uim, diffusionem seminũ ac pullulationem, formas item, & conflatam ex forma et materia naturam, numeris et geometricis figuris compararunt. Vnitati, & puncto seminũ uim, lineari numero & lineæ, quam fluens punctam efficit, seminis ad generandum diffusionem, numero plano atq; extremitati magnitudinem claudenti ac terminanti ipsas formas materiam determinantes, corpori ac profundo & solidis numeris naturam ex forma & materia compositam conferentes. Huic sacræ literæ omnia in numero, pondere & mensura facta esse dicunt.

Et lignum &c.] Post herbas, arborum fructiferarum meminit. Harum genera ex scriptoribus rerũ cognoscenda sunt. Varietas item fructuum consideranda, quæ in magnitudine, figura, colore, sapore, temperatione, ui, natura, atq; facultate perpenditur.

Et uidit Deus.] Approbatio operum tertij diei.

Quod esset bonum]LXX. ὅτι καλὸν, quod esset pulchrum. Hebræi uerbo טוב generatim utilia pulchra & honesta cõprehendunt. Pulchritudo igitur & utilitas operis tertij diei hoc loco Dei sententia commendantur. Pulchritudo in tot herbarum, fruticum, suffruticum & arborum generibus terram quæ antea squalida & inculta fuisset, per prata, syluas, montes, ualles ad decus & ornamentum uniuersitatis exornãtibus spectatur. Vtilitas autem in duabus rebus cognoscitur. Altera in parando uictu, altera in medicatione. Nam quædam è terra nata alimentum præbent animantibus, quædam medicinam, quædam utrunque. Medicinæ tamen usus post contractam ab homine noxam apparuit, ubi sapientiam Dei cõiunctam cum summa bonitate contemplari licet, qui cum uellet uaria animantium genera ex terra & aquis procreare ea quæ victũ erant præbitura animantibus, antea prouiderit, quàm hæc ipsa generaret. Aperta ergo hic diuinitatis uestigia in creaturis impressa cognoscimus, quæ tanquã γνωρίσματα, id est notæ ac signa diuinæ sapientiæ, potentiæ & bonitatis in omnium animis sorent. Quapropter sapienter à Græcis theologis mundus is θεογνωσίας παιδευτήριον appellatur, qui præbeat χειραγωγὴν menti ad θεωρίαν τῶν ἀοράτων. Huc pertinent quæ Apostolus in epistola ad Romanos statim ab initio hac de re admonet.

Fiant luminaria.] Descripto terræ quem stirpes afferunt ornatu, opera iam quibus cœlum quarto die exornatũ est, exponuntur. Hoc ergo die lux quæ primo die rudior uicem solis præstans, condita fuit explicatur iam uaria & mirifica luminum serie distincta. Quæ claritate inter se differre uidemus: alium solis, alium lunæ, & alium stellarum splendorem esse, & stellam aliam ab alia fulgore superari. Duo autem luminarium cœlestiũ ordines explanantur: alter maiorum, qui solem & lunam continet: alter minorũ, quæ partim reliquas uagas stellas: Saturnum, Iouem, Martem, Mercuriũ, & Venerem, partim cœlo affixa sidera complectitur. Obseruandus hic ordo fuerit quem diuina sapientia hactenus in hoc admirãdo opere seruauit, primò rudem cœli et terræ materiam creatam, deinde cœlorum cõformationem aptam ad res generandas factã, tertiò terram ipsam paratã quæ ad germinandam cœlo uim ad edendos fœtus fructusq; suos reciperet: demum luminaria in cœlo descripta, quorum in terram immissi radij ad generanda uaria animantium genera sua momenta & uires haberent.

In firmamento cœli.] ברקיע השמים, id est priore parte, quæ æther dicitur. Nam ea cœli pars quæ aer dicitur, proxima aquæ est huic æther.

Vt distinguant inter diem & noctem.] Explicatur usus luminarium.

In signa.] Alius usus. Sed in hoc signorum genere duo considerantur: unum personæ sunt quibus fit significatio: alterum, res quæ significantur. In his serenitates, pluuiæ, tempestates, uenti, frigora, calores, siccitates, humores, et ea quæ has cœli affectiones consequuntur, ubertas, sterilitas, bella, morborum genera, cæteræq; uariæ calamitates quæ homini post contractã noxam accidunt, numerantur. Quod si quis etiam ingenia, mores, studia, fortunas, uitæq; humanæ casus siderum significatione contineri dicat, non absurdè senserit, modò id moderatè & ex sententia sacrarum literarum faciat. Nam constat alia apud alias gentes ingenia, mores, instituta uitæ cerni, ut Scythæ, Aegyptij, Græci, Germani, Itali, Hispani, & alij populi cœlo et terræ finibus distincti documẽto sunt. At hoc ingeniorum atq; morum discrimen unde nascitur? Procul dubie illud diuina sapientia siderum inclinatione, situ, et dispare radiorum luminis iactu regi uoluit, temperationem diuersam caloris & frigoris, sicci & humoris, ingeniorum quoq; & studiorum dissimili forma comitante. Atq; id esse docti homines existimãt, quod infrà Moses in Deuteronomio dicit, Deum gentibus sidera & stellas distribuisse, quibus uarietate lucis & motus deseruirent. Dico moderatè in astrorum significationem humanæ uitæ casus referendas esse. Nolim enim hic Chaldæorum & astrologorum superstitionẽ et curiosas eorum diuinationes ex astris probari, quibus uelut in digitos supputatis, fortunas fataq; hominũ & rerum gerendarũ consilia gubernanda esse maxima uanitate tradunt. Quàm indigna aũt hæc ars siue potius superstitio sit pijs hominibus quorũ animos, cogitationes, studia uitam, diuino Christi spiritu regi conueniat, & quàm malè huiusmodi astrologi & uani siderum interpretes anxiè notationem cuiusq; uitæ ex natalitijs prædictis rimãtes, tum apud profanos, tum

apud

apud sacros autores audiant non est obscurum. Personæ aũt quibus fit significatio, agricolæ sunt, nautæ, materiæ ædificiorũ cæsores quos materiarios uocant, arborarij, medici, & si qui alij occurrunt. Etenim constat, ut inse endo, arando, pastinãdo, stercorando, metendo, & colligendis reponendisq; fructibus solem & lunam obseruent agricolæ, in morbis curandis medici, apud quos celebres sunt dies quos uocant criticos, ad lunæ motum animaduersi. In nauigando nautæ, in arboribus cædendis fabri lignarij. Hi siquidem luna senescente arbores tempestiuè succidunt, quia tunc maximè exiccatæ sunt. Sentiunt enim præcipuè lunaris sideris uim ex terra nascentia. Experitur mare, cuius rei indices sunt maritimi æstus ortu obituq; lunæ commoti: sentiunt ipsæ stirpes & animantium corpora, prout uel silens uel plena luna est, suiq; luminis auctibus, aut crescit, aut decrescit. Porrò multa à luna manant et fluunt, quibus animantes alantur, augescant, & pubescant, maturitatemq; assequantur quæ oriuntur è terra. Nam omnino luna grauitates & partus maturitatesq; gignendi afferre dicitur. Vnde fit, ut fateri liceat hos infernos tum elementorũ tum rerũ ex his conflatarum motus superno siderum cursu & lumine diuinam prouidẽtiam moderari. Siquidem credi non debet, tot & tam præclara lumina frustra in cælo esse collocata, quorũ uis se in terra non ostendat atque exerat. Hos autem humores siderum conuersione atq; luce cõmoueri, certa experimẽta sunt. Atqui ita hac de re statuendũ est, ut animo tamen inde nulla uis fiat, sed eos motus eduzatio ac disciplina aut uincat aut corrigat atq; emẽdet. quod præcipuè fit, si diuinus spiritus mentes nostras occupet, cui ipsum cœlum cum stellarũ exercitu et infernis elementis subijcitur. Quæ præstans et eximia sanctorum hominum dignitas est. Altera ratio est qua humana corpora stellarum in terram immissis radijs obnoxia sunt, quatenus horum inclementiam Deus intẽtat perfidis et rebellibus, uel benignitatem suæ parentibus uoluntati, ostẽdit. Hinc illud apud uatem: A signis cœlorum non formidabitis. Quæ admonitio duo indicat. Vnũ est, siderib. beneuolentiæ & iræ diuinæ portendẽdæ uim inesse: alterũ, à calamitatum tamen significatione sanctos non perterreri, qui sacro Dei spiritu ornati in suprà cœlestib. extra cœlum hoc aspectabile & mundi elementa positi, uersentur omniũ domini et principes. sed minabundam siderũ uim ad sceleratos pertinere. Deum siquidem à conditis seculis prænouisse, qualẽ uitam homines essent acturi, ad quorum ingenia, mores, studia, astrorum cursum & situm attemperarit, quæ benignè pijs & malignè impijs lucerent. Vnde minæ de cælo ferreo & terra ærea exortæ sunt. Quò etiam pertinent grãdines, ruinæ, uredo, intẽpestiuæ pluuiæ, maioruis cœli, cometæ magnarum calamitatum prænuncij, faces & ignes cœlestes, geminati soles, maiorum siderum defectiones. de quibus illud: Videbitis signa in sole & luna. Quæ quoniam iræ Dei in ipsa scelera certam indicationem cõtinent, affirmare etiam licet ipsa sidera hic nominata efficere signa, quibus ad pœnitentiam incitemur, ne desint nẽue in cœlo, nẽue in terra, quæ nobis Dei uoluntatem declarent. si præterita tempora parum nos commouẽt, præsentia commoueant, in quibus tot & tam uaria in cœlo signa edita, tanta annonæ caritas, tot morborũ genera, tantiq; bellorum motus, quãti uix extiterunt à multis seculis ad meliorem frugem sub Euangelij Dei iam restituti mundo denunciatione nos impellere debebunt.

Et tempora.] Tertius usus. Tria hic nomine מוערים accipimus: primò statas solennitates, quales apud Hebræos fuêre, paschatis, pẽtecostes, tabernaculorum, expiationis feriæ, quæ ex motu lunæ obseruari iussæ sunt. Nam hæc ualde apta est ad tempora designanda, ut quæ circuitu orbis sui quatuor spacia perficiat, interlunium, medium splendorem, plenũ orbem, medũ rursus, & iterum interluniũ. Atq; hæc interualla peragit singulis septenis diebus. Huc spectans uates Dauid de luna sic canit: Tu lunam statorũ temporum caussa fecisti. Secundò omnium rerum agendarũ indicta & constituta tempora notat, cuiusmodi sunt quæ patresfamiliãs in regenda domo & priuati homines, si quid cum priuatis transigendum habeant, obseruãt, & quæ qui in Rep. uersantur, cum alia alijs temporibus conueniat agere animaduertunt. Tertiò quatuor anni mutationes ac uicissitudines accipiuntur, ut sunt uer, æstas, autumnus, hyems, quas per solstitia & æquinoctia sol ad usum eorum quæ è terra oriuntur, per signiferum means efficit. Nam ex his quatuor anni mutationibus, omnia quæ terra mariq; gignuntur, initia atq; causæ ducuntur, dum solis accessus recessusq; modici frigoris & caloris modũ temperant. Spiritus hic Dei tempora ad luminarium cursum dirigit atq; metitur, propter conuersionis & motus constantiam quam obtinent. Rectum enim optima mensura sui est, & obliqui, æquale inæquales. Proinde uerè tempus definitur numeratio motus cœlestis lucis sua æquabili motione durationes actionesq; rerũ conditarũ metientis. Vnde tria colliguntur: unũ est, tempus non esse ubi nec numerus sit, nec motus. Alterum, solam rationem præditam naturã temporis rationem nosse, ut quæ solum numerandi artem teneat. Proinde homo præ cæteris animantibus solus ita factus est, ut obseruata solis & lunæ atq; reliquorum siderum conuersione rerum ortus, progressus & obitus metiatur. Tertiò efficitur, nõ Deo, sed homini temporũ rationẽ necessariã esse. Nam Deus nec numerat, qui supra numerum sit: nec tempore includitur, qui omnia sine tempore attingat. Etenim apud hũc cũ cuncta præsentia sint, nihil apud eum nec fuisse nec futurũ esse intelligitur, ut apud quẽ mille anni perinde habeantur atq; momentum.

Et dies.] Hi diarijs conficiendis seruiunt.

Et annos.] annalibus, chronicis, historijsq; annotandis accõmodantur. Annus est si sol tricenas sexagenas partes mensus sit signiferi. Dies, cum ex illis unã confecerit, idque fit spacio 24. horarum. Sol igitur anniuersarias uices annumque semper renascentem ex usu orientiũ et intereuntiũ rerum digerit. Vnde anno nomen שנה inditum ab ista uertente regressione.

Sicut etiã apud latinos uertentis anni appellatio extat. Sphærica & circularis ratio huc de siderum motione asserenda est. Confinguntur hic ἐπικεντροι, σύγκεντροι, ἐκκεντρότητες, orbes, imas & summas ἀψίδας deferentes, qui animi ne cogitatione, an re ipsa ita distincti sint, non est huius instituti eius rei tractatio. Pro culdubiè nõ sine singulari Dei beneficio ad tam uarios firmosq; cognoscendos superiorũ luminum motus hæc orbium cœlestiũ inuenta & excogitata est partitio. Eódem pertinẽt circuli in sphæra, æquinoctialis, signifer, tropici duo, quorum altero æstualis, altero hyemalis reciprocatio describitur: coluri, meridiani, finientes, qui à Græcis ὁρίζοντες nominantur, aspectum nostrum definientes. Atq; hinc præstantiam animi licet cognoscere, qui in cœlum usq; penetrans siderum naturã, ortum & occasum expendit, defectionesq; solis & lunæ supputat, & in omne posterum tempus prædicit, ut intelligantur animi nostri nati esse qui aliquando cœlum possideant.

Et illuminent terram.] Quartus usus. Nulla creatura sibi condita est, luminaria lumine suo, motu & calore terræ seruiunt, terra plantis & animantibus, hæc ex terra nata homini, homo Deo & hominibus, ad imitationem summi boni: cuius unumquodq; quantum consors est, tamũ alijs commodũ fuerit & utile.

Duo luminaria magna.] Magnitudo illustrationis non molis corporum accipitur. Nam luna cætera sidera quæ minora apparent, maiora iudicantur.

Luminare maius.] Sol moderator & dux temporum fons cœlestis lucis, dux & princeps stellarum, qui quod principatum hunc habet, à latinis sol, quasi solus talis appareat, appellatur. Is ut reliquis quoque astris lumen fœneratur, indicio est luna: quæ quia proximè terram fulget, maior cæteris uidetur, cum tamen minimo orbe hoc feratur sidus, sed celerrimi motus, minimo nimirum ambiens circulo, ut superiora lumina tardiore conuersione circulos suos per orbem conficiunt, maiore nimirum contorta orbe. Cæterùm quæ magnitudo sit luminarium, ut ea ex defectionibus obseruata proportione diametrorum corporum trium, terræ, solis, & lunæ deprehendatur, licet ex astronomiæ professoribus cognoscere. quorũ etiam est demonstrare, ut defectio solis fiat interpositu interiectuq; lunæ inter illum ipsum & aspectum nostrum, & cum hæc in umbram terræ subiecta & opposita, soli in ipsis scrupulis ἐκλειπτικοῖς incidit.

Vt præesset diei.] Officium solis, tenebras pellere, illuminare, calfacere.

Nocti.] Officium lunæ. Vmbra autem terræ officiens soli noctẽ efficit, quã lumine suo luna temperat.

Et stellas.] Tum cætera errantia sidera, tum cœlo infixa astra, quorum situs, ortus, & obitus, progressus & regressus cognitio, ex sphærica ratione petenda. Horũ numerus, ures, nomina Deo cognita sunt eorum conditori, ut uates canit: Qui numerat stellas, & nominatim nominat.

Et uidit Deus.] Approbatio quarti diei.

Bonum.] Ratio boni in pulchritudine, magnitudine, & cõmoditate cernitur. Quia Deus sapiens est, pulcherrimũ opus: quia magna ui pollet, maximũ: quoniã aũt bonus est, utile opus fecit. Sed præter utilitates, quas didicimus ex Mose, licet etiam alias intueri, quæ cernũtur in significatione rerũ spiritualiũ, quarũ nos duo maiora luminaria, sol & luna præcipuè admonent, ad cognoscendum discrimen lucis inaccessæ Dei & luminis naturalis. Porrò ut sol cæteris astris lumen fœneratur & cõmunicat, ita Christus sol sanctis lumen dei patris luce accensum impertitur. Deinde solare lumen sic fulget, ut simul uitali calore cũcta animet, alat, conseruet & efficiat, ut omnia floreant, & in suo quæq; genere pubescant. Cõtrà lunaris fax lucet quidem, sed cuius lux non uiuificet, neq; hac radiante per noctem in corporib, malè affectis sanẽtur noxij humores. sed magis laxentur & inualescant, quos benignus solis fulgor aut absumit aut mitigat. Sic lumen animorũ innatũ inefficax fuerit ad transformandos eos, quibus illucet, nec noxiã luẽ prauorũ affectuũ expurgarit. sed eam magis irritarit, non suo, sed sæuientis peccati, quod tenuitate huius luminis minimè superetur, uitio. Vnde illud Apostoli: Lex irã operatur. Et in epistola ad Romanos per lumen naturale diuinitatẽ quidem per ea quæ tanta arte & solertia facta sunt, intelligi, sed non ut oporteat, glorificari Apostolus testatur. Contrà lux Dei patris sic fulget in Christo, ut eos quib. illabitur, conuertat in nouam naturam, noxã exumat & abstergat, sanctos, purosq; affectus indat. Insuper sol ipse reliqua sidera obscurat appulsu lucis suæ, idem facit Christus ad quem meræ tenebræ sunt creatæ mentes, cum suo ingenito lumine ut illud habet: Et lux in tenebris lucet. Item: Veni ut qui uident, cæci fiant. Luna ipsa prout propius aut longiùs à sole abscesserit, splendorem magis minusue intendit, ita fax naturalis intelligentiæ, prout propius aut longius abscesserit à luce Dei, clarius aut obscurius splendet. Et ut lunæ lumen præclarum quoddam lumen est in remediũ nocturnarũ tenebrarum à Deo repertum, quod noctu cuncta cõmonstrat quæ sol interdiu. sed non pari splendore, motu, atq; ui, adhibitumq; ad solem penitus obscuratur: ita lumen natiuũ præcellens quidem lumen est pro sua sorte ac statu, ea quæ lux Dei inaccessa monstrat, cuius æmulum est, ostendens quamuis impari fulgore, atq; ui, ut quæ nocti præfecta sit, non diei, secus se habẽte luce Dei, quæ diei præposita est, non nocti. Cõtinet aũt nox cui intelligentiæ natiuæ lumen præest, boni & mali cognitionem, uarias artes atq; tum domesticam tum ciuilem prudentiam. Dies aũt quem lux quæ in Christo splendet, imò quæ ipse Christus est regit, cernitur in patefactione conciliatæ gratiæ patris per remissionẽ peccatorũ, in donis sanctitatis & iustitiæ, in tributa uita æterna, in possessione gloriæ diuinæ, in uictoria peccati, mortis et potestatis tenebrarũ. Huic diei, de quo Apostolus, Ecce nũc dies salutis, solus Christus sol præsidet. hunc solus regit & moderatur, noctem aũt ipsa intelligẽtia & ratio naturalis, cũ sua sapientia prudẽtia, & iustitia. Hoc discrimen, hæc officia duorũ illustriũ luminũ in opere illo, quod sub sensus non

ſus non cadit, proculdubiè placuit ſapientiæ diuinæ in ſole & luna adumbrari, ut eſſent quoq; in cœlo tanto rũ myſteriorum certa & indubitata ſigna, quæ nos Chriſti & noſtræ conditionis admonerent. Horũ lumi narũ ſignificatio oſtenditur in muliere Eccleſia, quæ in Apocalypſi Ioãnis ſole Chriſto amicta, & lunã intelligentiæ, ſapientiæq; humanæ cum omnibus rebus fluxis ſublunaribus, ſub pedibus habere, coronamq; regiã 12. ſtellarũ lucis Euangelij per duodecim apoſtolos in terrarũ orbe diuulgati, in capite gerere dicitur. Cæterùm quantã ſui admirationem in creatore ſuo luna moueat nouiſſimũ ſidus terriſq; familiare, nõ eſt ob ſcurũ, cũ hæc ſemper creſcat aut ſeneſcat, & modò ſi nuata in orbẽ, iãq; immẽſa orbe pleno, iã repentè nulla, aliàs pernox, aliàs ſera. Iam uerò humilis & excelſa, & ne id quidem uno modo, ſed aliàs admota cœlo, aliàs cõtigua montibus, nunc in aquilonem elata, nunc in auſtros deiecta. Proxima ergo terræ, ideoq; minimo ambitu uicenis diebus, ſeptenisq; & tertia dici parte peragit ſpacia ſua. Deinde morata in coitu ſolis biduo, cum tardiſſimè à triceſima luce rurſus ad eaſdem uices exit.

Dixit Deus.] Explicantur opera quinti diei, quæ luce iam in luminaria diſtincta, aquæ iuſſæ ſunt producere. Lux igitur quæ dũ rudis eſſet, fructificationi terræ per temperatũ calorẽ quo omnia oriuntur & orta augeſcũt ſatis fuit, iam eadem expolita, atq; in tot luminũ ſeriem digeſta, animantiũ quoq; procreationi accõmodatur, quæ munere animæ ſenſu præditæ ſtirpibus præſtant. Sic ſuis nobiliũ operũ gradibus grandeſcit, aſſurgitq; opificiũ Dei. Huius aũt dici opera & uaria natantiũ animantium genera, ordine explibuntur.

Producant aquæ.] ישרצו. Vim uerbi Chaldæus expreſſit, ירחשון, id eſt, faciãt ſcatere, ut aquæ iam calore lucis efferueſcẽtes & ebullitẽtes, qua uoce etiã numeroſa copioſaq; aquarũ ſoboles atq; fœtus notatur. Germani uim uerbi in wimblen vnd grodlen exprimunt.

Reptile.] שרץ nomine accipiũtur omnia ſerpentia & repẽtia & fluitantia natãtiaq; animalia. Quorũ quædã in aquis uerſantur, ut ſunt piſcium genera: quædã in aere, ſed quæ non multũ ſe attollant ſupra terram, ut ſunt inſecta, ueluti muſcæ, apes, ueſpæ, ſcarabei. Nõnulla in terra degũt, ut uermes & ſerpẽtes. priora duo genera huius diei opus ſunt, tertium ſexti.

Animæ uiuentis.] ſenſu & motu præditæ. Is ipſe animus flabilis, ſpirabiliſq; naturæ eſt, corpus ex imitijs ac primordijs iam deſcriptis temperatum, regens, quẽ ſenſum Deus animantib. & cum quodã appetitu acceſſum ad res ſalutares, à peſtiferis receſſum dedit. Hæc cernũtur in נפש חיה. Itaq; Hebræis, Græcis, & latinis animus à flatu ac ſpiratione nomen ducit, ut in dicat נפש apud Hebræos, ψυχὴ apud Græcos à refrigerando ita nominata, quæ uis in ſpiritu cernitur. & apud Latinos animus qui ἄνεμος eſt.

Et uolatile uolãs.] Ornatus aeris. Volucres quæ cœlo fruũtur, iunguntur piſcibus. Quæ res argumento eſt, aeri cum aquis, uolucribus cum aquatilibus aliquã συγγενείαν, id eſt, naturæ quandã cognationem intercedere, & utriſq; unã originẽ eſſe. Affinitatem declarant pinnæ & pennæ: his natantia aquas ſulcant, illis uolantia aerem. Accedit huc, inter uolucres multas etiam aquatiles eſſe, ut ſunt mergi & urinatrices. Suum igitur diſcrimen inter animãtia quo in reſpirando inter ſe differũt, cernitur. In aere enim uolucres, ſerpentes & quadrupeda, in aqua piſces branchijs ſuis calorem ſuum moderantur, qui in terram translati ſuffocantur, ut quadrupeda in aquis.

Sub firmamento.] Aer fuſus & extenuatus notatur, in quo uolucres iuſſæ ſunt uolare, oſtendit locutio hæc על פני non ſolũ cœlũ ſtellis illuſtre, ſed etiã hunc aerẽ nobis circũfuſum רקיע nomine ſignificari.

Creauitq; Deus.] ex aquis nimirum.

Cete grandia.] Huc referuntur balenæ, phocæ, delphini, dracones maritimi. Vox תנינים à thinnis non abhorret, uaſtæ magnitudinis piſcibus. Literis proditũ eſt, captum aliquando ſenem thinnũ, cuius pondus fuerit ad talenta quindecim, & caudæ interuallum ad cubita quinq; & palmum.

Et omnem animam uiuentem.] נפש Verbum cõmune eſt animis & animatis corporibus. Animans huc quadrat.

Atq; motabilem.] הרמשת hoc loco genera eorũ quæ repunt & ſerpunt per aquam notat.

In ſpecies ſuas.] Harũ uarietas ad decus & multiplicem uſum quæſita eſt. Inuenias aquatiles animantes quæ in humore uiuant & uictum cõparent, quod plurimæ piſcium parti euenit. Sunt etiã quæ in aquis degunt, ſed in aere ſpirent, & foris pariãt, ut lutra & crocodilus, natrices, mergi. Traditũ delphinũ ſolũ inter piſces uocem edere quod aerẽ reſpiret, ac reddat. Hæc inter ἀμφίβια, id eſt, in ancipiti genere quod in utraq; ſede uiuũt, numerantur. Alia quædam in humo victũ quærunt, & in eo ſpirant, pariuntq;, nec tamen uel humorẽ uel aerẽ ſorbent, ut ſunt urticæ & ὄστρεα. Item alia marina, alia fluuialia, alia paluſtria, alia lacuſtria, alia πετρώδη, id eſt ſaxis uiuis teſtis inhærentia, ut conchæ: alia nandi, alia gradiendi, ut cancri, ui prædita. Item alia teſtis intecta, ut cocleæ marinæ, pectines, & ſtrombi: alia cruſtacei generis, ut ſunt locuſtæ & cancri. Alia mollia, quorum caro tenera & laxa ſit, ut ſunt polypi ſepiæ. Cæteras piſciũ ſpecies & differentias à loco, magnitudine, forma, ortu, de eorũ itẽ partib. & partiũ uſu, quidq; interſit inter piſcium ortum & auium, uideris apud ſcriptores rerum.

Et omne uolatile ſecundum genus ſuum.] Volucrum genera diſtinguuntur magnitudine, colore, figura. Sacra ſcriptura in duo genera partitur uolucres ut reliqua etiam animantia. Alterum mundarum eſt, alterum immundarum. Præter differentias quæ uolatilibus cum terreſtribus cõmunes ſunt, à pennis quoq; diſſimilitudo colligitur, cũ alia ſint quæ fiſſas pennas, ut bona pars uolucrum: alia cuteas pennas, ut ſunt ueſpertiliones: alia pennas uagina incluſas habeant, ut ſcarabei: alia πτιλωτὰ, id eſt, teneris, ac uelut in te-

nues diductis laminas alis uolitent, ut apes. Alia etiam sunt discrimina, de quibus libros qui de ortu & interitu, & eorum tota historia edita sunt, consulas.

Et uidit Deus.] Approbatio operum quinti diei.

Quod esset bonum] Hoc cernitur in ornatu & usu quem præbent homini & reliquis animantibus ad alendum.

Benedixitq; eis.] Hoc est, uim prolificãdi ad propagandum genus suum indidit. Est enim ברך fœcundare & ferax reddere. Et ברכה ubertas, affluentia, copia & fœcunditas, prolisq; augendæ uis.

Dicens.] Verbum igitur Dei fabricatoris, natura & uis illa est in quouis animãte gignẽdi & fœtandi.

Crescite & multiplicamini & replete.] Tot uerbis exponitur benedictio Dei.

Aquas maris.] Nomine maris, fluuij, lacus, paludes, sinus, extera & interiora maria accipiuntur.

Auesq; multiplicentur super terram.] Discrimen auium & piscium à loco. Quæ dissimilitudo etiã ingeniorum, & corporum discrimen parit.

Dixit quoq; Deus, Producat terra.] Descriptio operum sexti diei. Hæ sunt animantes terrestres, quarũ bipartitũ genus est, unũ ratione & inteligẽtia caret: Alterũ ratione præditũ est. Prioris generis tres formas numerat Moses, de quibus ordine docebimus.

Animam uiuentem.] Hæc comprehendit sensum & appetitum: altero conatum habent animantes ad naturales pastus capessendos, altero secernunt pestifera à salutaribus.

Iumenta.] Primum genus animantium, quæ cum homine quasi domesticam consuetudinem habent, quorum quædam ei commoda sunt ad uescendum, quædã ad uehenda onera, quædam ad utrunq;. Itaq; noster interpres iumenta reddit, quæ Latinis à iuuando dicta sunt, ut ad usum & ad uictum utilia. Hæc interpretes ab Hebræa lingua בהמות appellari uolunt. Non mirum igitur sit, ab aquatilibus & uolucribus progressum esse Deum ad generanda huius generis animantia, quibus tanta cum homine sit societas & familiaritas, cum in piscibus neq; memoriam, neq; aptam naturam ad cicurandum, qui condocefieri ut minimè ἀνθρωπινοὶ nequeant, liceat contemplari. Quod his minus uegeti sensus sint, auditus grauior, obtusior aspectus. In aqua enim crassiore elemẽto spirant, atq; aqua his circunfunditur, ut reliquis animantibus aer elementum tenue, diffusum, spirabile, piscibus etiam branchiæ eum præstant usum, quem pulmo spirandi officina cæteris animantibus quæ in aere & terra uersantur, præstat. Hinc factum uidetur ut ex piscium genere nullum in sacrificium à Mose delectum sit. Qualis enim hostia benedictus Messias esset futurus illum non latebat, cui adumbrando pisces minime apti uidebantur. Accedit huc, quòd etiã sanguis adimatur piscibus aut alterius rationis eius tribuatur quàm cæteris animantibus, sine quo nulla constat expiatio. Itaq; perpensa piscium natura & ingenio, mirum non fuerit cur in מרכבה, id est, quadriga illa diuina qua nobis legatorum Dei ad tribunal eius repræsentatur administratio, locum non inueniant pisces. sed cætera animantia in terra & aere uersantia, ueluti est homo princeps mundi, bos rex cicurum animantium, leo princeps ferarum, aquila auium regina. De qua quadriga uideris apud Ezechielem.

Et reptilia.] Suprà in operibus diei quinti רמש ea quæ in aquis natant, notat, hic quæ super terrã, in quibus cõtinentur parua animãtia quæ per terram repunt aut serpunt, ut sunt uermiũ & serpentũ genera.

Et bestias terræ.] Tertium genus bestias & feras animantes continet, quæ à consuetudine animantium remotæ sunt. LXX. θηρία uertunt. Rerum scriptores animantium in uniuersum dissimilitudinem ex loco, uictu, actione et moribus colligunt. Si locum spectes, alia abdita terraq; tecta sunt, cauernasq; subeũt, ut talpæ, lacerti, serpentes, uermes: alia super terram degunt, alia itẽ in terra, alia in aquis, alia in cœlo uersantur: alia ambigua sunt, ut fibri, cancri. Huius generis animantes aqua & aere ad respirandum utuntur. Atqui animans quod uolucre tantũ sit, ut piscis natatile, nullum reperiri. Ex hoc genere uolucres aliæ in campis, ut palumbes: aliæ in montibus, ut upupæ uiuunt. Victu differunt animantia, cum quædam carne, ut lupi, leo, oues, canes: quædam frugibus & arborum fructibus, quædã omni genere alimentorum utuntur. Quod ad actionem & mores attinet, alia congregata sunt, ut pecora, armenta: & in piscium genere limosæ, thinni, hamiæ: in uolucribus columbi, grues, olores. Et ex his quædam duce reguntur, ut grues, apes: quædam imperio nullius sunt subiectæ, ut formicæ, & alia multa. Nullum cui adunci ungues sunt, ex congregabilib. esse. Nonnulla item solæ degunt, abhorrentes à consuetudine mutua, cuiusmodi multa in omni genere animantium reperiũtur, ex quibus aliæ noctu uagantur, ut noctuæ, ferales aues, et uespertiliones, aliæ interdiu. Præterea quod ad mores pertinet, quædam animantes cicures & placidæ, ut boues, capræ, oues, sues, equi: & sunt quæ facile cicurantur, ut elephanti, cameli. At uerò quæ mansueta sunt, fera quoq; cernũtur, ut apri, canes, boues, equi, capræ, catti. Quædam semper immanes sunt, ut, Pantheræ, lupi. Nonnullæ animantes prudentes & timidæ, ut ceruæ, lepores, cuniculi: quædam illiberales, uersutæ, malitiosæ, ut serpentes: aliæ liberalis, fortis & generosæ indolis, ut leones: aliæ generosæ sed immanes: ut lupi, aliæ callidæ & malignæ ut uulpes. Nonnulla animalia & ad amandum apta, sed non citra adulationis uitium, ut canes. Quædam uerecunda & cauta, ut anseres: alia inuidi & superbi ingenij nimióque ornandi se studio prædita, ut pauones. Sed præter hæc differunt etiam animalia ortu, corporum partibus, magnitudine, colore, figura, de qua dissimilitudine apud scriptores. Discrimen etiam cernitur in longitudine & breuitate uitæ. Porrò animantia magna quæ parum & tardè reddunt halitum ac respirant, breuis esse uitæ traduntur, ut sunt bouilli generis. Exigua enim respiratio modici caloris indicium est, qui magnam molem diu moderari nequeat: longioris autem uitæ sunt, quæ multũ et tardè crescẽt,

ut breuis quæ multum & celeriter. Nam humidũ quod
properè diffunditur, properè etiam absumitur. Qua-
le est humidũ multũ aquæ habẽs, contra humidũ pin
gue comparatũ est & densum. Quare cameli elephã
tes, homo, longiorẽ uitã ducunt. Cæterũ animantium
quodq; suũ tenens munus, cum in dissaris animantis ui
tam transire non possit, manet in lege naturæ, quam ei
Deus uerbo suo præscripsit. Procul dubiè quotquot a-
nimalium formas mens diuina in speciem rerũ intuens
cernebat, totidẽ et tales in hoc mundo secum cogitauit
effingere. In uerbo aũt suo quod Christus Iesus est, quo
niam eas quas fingeret, species intuitus est, qui cum
mente diuina effectrice omnium causa, exemplarẽ con
iungunt. hi si ex ea sententia quam sacræ literæ cõfir
mant, illam statuunt, sapienter facere uidentur.

Et factum est ita.] Notatur artificis & uerbi
eius, de qua Psal. Dixit, et facta sunt, uis atq; potentia.

Et uidit Deus.] Approbatio animantium terre-
strium, qua notatur architecti bonitas.

Quod esset bonum.] Hoc cernitur partim in
ornatu, partim in uictu quem præbent homini, partim
in exemplis formandorum morum. Tot enim animan-
tium genera ad decus & ornamentũ uniuersitatis, &
ad suppeditandum uictum hominꝰ quæsita sunt, qui ui
ctus etsi à Mose nõ est expositus ante admissam noxã
primi hominis, infrà tamen planè his uerbis exponi-
tur: Et omne quod mouetur & uiuat, erit uobis in ci-
bum: Quod uerò ad morum admonitionem attinet,
sedulitatis exempla inertibus à Salomone proponun-
tur in formicis, prudentiæ à Domino in serpentibus.
Mansuetudinis documentum præbent columbi & ele
phanti, fortitudinis leones, fidei canes, iusticiæ ciconiæ.
Nã etiã in hoc quod mente caret animantiũ genere,
cernitur quædã diuinæ rationis ἀμαυρωσις hoc est no-
ta ac significatio: sed cũ hæc obscurior esset, placuit fa
bricatori mũdi progredi ad creãdũ opus, in quo is pla
nè manifesteq; diuinitas sua appareret. Itaq; sequitur:

Faciamus hominem.] Plantas animantia sequun
tur, animantia homo, seruato à minoribus ad maioris
notæ ac præstantiæ opera, progressionis ordine, dum
ad præstantissimũ, quod Deus efficiat, ueniatur opus.
Is homo est animal sagax, prouidum, multiplex, acu-
tum, memor, plenum rationis & consilij, praclara qua
dam ratione generatum à Deo. Huius fabricandi hoc
modo planè breuiterq; ex sacris literis consilium ex-
plicandum uidetur. Quoniam Deo mundũ hunc con-
dere placuit in quo sapientiam, potentiam & boni-
tatem suam qui dicitur propter semetipsum omnia fa-
bricasse, declararet, cumq; ex tot operibus creatis, non
dum ullum esset repertum, à quo celebraretur, mancũ
certè ac mutilum futurum fuisset hoc mundanum opi-
ficium, nisi natura aliqua, quæ tantã artem & sapien
tiam, qua mũdus conditus est, cognosceret laudaretq;,
& in maiestatis diuinæ consortium cum tempore eo
optaretur, accessisset. Homo igitur diuino consilio ac
ratione generatus, & in mundum hunc, tanquam in
amplissimum theatrũ spectator et contemplator tan-
torum operum inductus est, qui opificis Dei laudes, ue
lut reliqui operis interpres perficeret. Vt autem is ad
hoc munus fungendum aptus fieret, noua quædam in
condendo eo ratio adhibita fuit, qua in cæteris creandis operibus Deus usus non fuerat. Atq; hæc his uerbis declaratur: Faciamus hominẽ. Suprà nanq; legitur de stirpibus, Egerminet terra: de aquatilibus, Ebulliant aquæ: de bestijs, Producat terra: hic uerò in fabricatione hominis, Faciamus hominẽ, nõ aquæ, non terra. In homine igitur formando Deus præcipuè occupatus fuisse dicitur. Atq; utitur hic numero multitudinis נעשה, id est faciamus, quo procul dubiè, quia in eo fingẽdo opificio usurus erat uerbo et spiritu, ita usus est, ueluti etiã in noua hominis generatione patris, filij & spiritus sancti fit mentio, cum mandatur Apostolis ut his uerbis baptismum regenerationis sacrum symbolũ administrent: Baptizantes eos in nomine patris, & filij, et spiritus sancti. At dicat fortasse aliquis, etiã in cæteris operibus faciendis, Deum usum uerbo suo & spiritu, nec tamen ab eo usurpatũ uerbũ Faciamus. fatemur id quidem sed aliter uerbo et spiritu in illis generandis, aliter in homine formando usus est. Nam is factus est, qui Deum per uerbum filium in spiritu sancto coleret, & in sapientiæ, iusticiæ & gloriæ diuinæ consortiũ ac participatũ ascisceretur. Hac autẽ ratione cũ cæteræ naturæ corporatæ creatæ nõ essent, meritò legitur hic Deum occupatum in homine formãdo dixisse, Faciamus: nõ item cum reliqua opera fingeret, quorũ nullum eam imaginẽ erat repræsentaturum ad quã homo dicitur hic efformatus, de qua sequitur.

Ad imaginem.] Hebræus בצלמנו כדמיתנו, Id est ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram, id est faciamus hominem ad imaginem nostram, nostri similem. Vbi duo uerba usurpantur. Alterum צלם, alterum, דמות est, hoc similitudinem, illud imaginem notat: in צלם natura imaginis, in דמות qualitas significatur, Similitudinis, qua primus Adamus factus ad imaginem Dei eum repræsentauit in perfectione, quæ in uita, sensu, mente et spiritu diuinæ sapientiæ & iusticiæ spectabatur communicata. Nã quibus Deus ea uita nõ uiuat, qua plantæ uiuunt, eo sensu quo animata, non sentiat, ea mente non sapiat, qua animi perfectio tamen uitæ stirpiũ sensuum, animorũ in Deo, ut effectrice causa cõtinetur. et quoniã in Christo hæc tota ut capite uniuersæ perfectionis corporatè comprehenditur, quẽ inde sacræ literæ Dei incõspicui imaginẽ appellãt, uxta illud: Qui est imago Dei inconspicui. Item qui cum sit splendor gloriæ & expressa imago substantiæ illius, meritò hic uerbo צלם accipitur Christus, ad quẽ ut ad imaginem dei primus homo dicatur cõditus, q sic factus similis esset dei, hoc est diuinas dotes in Christo et per Christũ, ut indicatũ, exprimeret. Ergo hominẽ cũ uellet cõdere deus, intuitus est Christum tanq πρωτότυπον, id est exẽplar, ad quem similib. dotibus hominem ornaret. Proinde similitudo, qua primus homo Deũ repræsentauit, in uniuersa perfectione quæ in natura, in uita, in mẽte, in sacro Dei spiritu cernitur, consistebat. Is enim ambitus est præstantiæ rerum totius uniuersi-

tatis quæ in Christo plenè continetur: in homine primo aũt, quoniã eadem illa excellẽtia naturæ, uitæ, rectæ mentis diuiniq; spiritus pro ratione primæ fabricationis, ad contemplationẽ Christi expressa est, ad imaginẽ Dei qui Christus est, iure ille effictus dicitur. Nullæ enim Dei dotes neq; in cœlo, neq; in terra, neq; in usibilibus, neq; inuisibilibus explicatæ reperiũtur, quæ hoc modo in homine ad mensurã donationis Christi nõ appareãt. Hac enim ratione absolutus homo, naturæ atq; essentiæ cũ omnibus consors est. Cum ijs aũt quæ ex terra nascũtur, uitæ: cũ animãtibus, sensus: cũ supernis mentibus, intelligẽtiæ: cũ Deo patre et Christo filio spiritus sancti, qui summus et ultimus excellentiæ diuinæ gradus habetur, particeps est. Non frustra igitur ueteres tam præclaro opere obstupefacti, hominem pro magno miraculo habuerũt, et eum minorem mundũ scitè appellarũt. Nam quã præstantiã in hoc mundo efficerat Deus opifex, eam uniuersam quasi in parua tabella quæ homo est, magna artificij sui laude descripsit. Vt inde quoq; mirũ non sit, cur uerbũ Dei, nõ angelus, nõ animãs aliud, quàm caro, hoc est homo factũ sit, ut hac ratione rerũ omniũ perfectiones ab eo dẽ uerbo, per quod omnia cõdita fuerãt, restituerẽtur. Veluti legimus Christũ excitatũ ex mortuis, omnia, tum quæ in cœlis, tum quæ in terra sunt, Deo reconciliasse, & integritati suæ restituisse. Atq; hoc ipsum est incarnationis uerbi, quod toties hic à Mose tanq̃ socia causa opificis mundi memoratur, mysteriũ. Sed ut ad imaginẽ diuinã redeamus, huius repræsentatio per similitudinem, cum amissa deletaq; sit culpa primorum parentũ, corporibus corruptis, uitiatis sensibus, mente per abscessum S. Spiritus deturpata, persanctè admonet Apostolus ad eandem imaginem, quæ Christus est, nos reparandos esse, cum dicit his uerbis: Exuite ueterem hominem, & induite nouum, qui renouatur in agnitione Dei secundũ imaginem eius qui creauit eum. Item: Eosdem & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Et idem in alio loco nõ mentis solum renouandæ meminit, sed omnia quæ in homine sunt, reparanda ad integrũ ab omni labe statum dicit. In quo cœlestis hominis gestaturi simus imaginem, ut terreni gestauimus, omnibus in nobis ad formam & speciem Christi, tanquam ad archetypum, per resurrectionem nostri reparatis, corporibus, sensibus, mente, infuso post animalis uitæ spiritum, in quem in priore Adamo facti fueramus, spiritu uiuificante, de quo idem Apostolus: Factus est primus Adam in animam uiuentẽ, extremus Adam in spiritũ uiuificantẽ. His pensitatis, cognoscimus primò Christum æternum illud uerbum Dei esse, per quod & in quo & in quod omnia condita sint. de quo illa leguntur & fide percipiuntur: Christus hodie & heri idem in secula est. Item in Apocalypsi: Et uocatur nomen eius uerbum Dei: et ad Colos. Omnia per illum & in illum creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia per illum consistũt. Secundò colligimus Christum Iesum ut uerbum dicitur, ita etiam imaginẽ Dei eum dici, & utranq; appellationem illi cõuenire. Hunc quidem imaginem Dei uocari, qui nobis oẽm præstantiam diuinitatis repræsentet, ut qui Christum uideat per lucem fidei, etiam Deũ uideat in Christo tanq̃ in uiua imagine relucẽtem. Sicut etiam ipse his uerbis ad Philippum testatur: Philippe qui uidet me, uidet & patrem meũ. Vnde quoq; meritò Christus ipse uerbũ patris Dei appellatur. In uerbo enim & sermone eius qui loquitur, animus exprimitur atq; explicatur, non minus in illo apparens quàm res in sua imagine appareat. Hinc illud: Filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit, tanq̃ uidelicet interpres uerbum, continẽs omnes diuinitatis thesauros, & sapientiæ eius diuitias, quas membris corporis sui, quod est ecclesia, exponat atq; patefaciat. Eódẽ nomina lucis, splendoris, uultus Dei, quæ Christo tribuũtur, pertinent. Tertiò intelligimus ex hac sacra historia, in qua re Adamus imaginem Dei, quæ Christus est, repræsentarit, nõ animo tantũ imaginẽ illam effictam: non uirtutibus animi, non facultatibus, ut sunt memoria, intellectus, uoluntas: non etiam in imperio & dominatu. Nam hic Dominũ dicere legimus: Faciamus hominem ad imaginem nostram: homo autem nõ animus est, nõ uirtutes animi, non uires, nõ imperiũ, quod ei ut tam conditus fuit, tributum est. Igitur repræsentatio imaginis Dei, ad quã primus homo fictus est, et ad quã illius posteri meliore nota refingentur non solum in mente, sed in omnium quæ homo continet, integritate spectatur. Nam in horum omnium corporis uidelicet, sensuum, mentis, reparatione similitudo illa quæ imagini Dei Christo respondeatur, continetur. Ad cuius etiam similitudinis restitutionem uniuersa natura suspirat, ut quæ in hac uindicatione à seruili interitu quoq; sit liberanda, homine uidelicet ipso suæ dignitati à corpore & animo restituto. Vt his uerbis monet Apostolus: Veluti & ipsa creatura liberatur à seruitute interitus in libertatẽ gloriæ filiorũ Dei. Postremò intelligitur quanta sit præstãtia humani generis, cũ nullã naturã, neq; in cœlo, neq; in terra ad Dei imaginẽ conditã legamus præter hominẽ. Quod si angeli præstãtiore ad præsens statu sunt quã homo, quod contemplãtur faciẽ Dei quã homo non cõtemplatur, quod labe & uitio carent, non item homo à uetere et terrena natura uitiosus, quod mortis & crucis opprobrio obnoxij nõ sunt, quo notatur homo: tamẽ hac cõditione et statu nõ semper homini antecellẽt. Firmũ enim est illud: Scimus aũt si apparuerit, similes ei erimus, quoniã uidebimus eũ sicuti est. Hinc uates: Fecisti eũ paulo inferiorẽ angelis, gloria et honore coronasti eũ. Quæ quidẽ uerba primò in Messiã cõgruũt ut caput, deinde uerò etiã in reliquos sanctos illius mẽbra cõuenient, qui quam gloriã Christus in cœlo obtinet, eam quoq; obtinebũt ut cohæredes et filij. Hinc illud: Qui uicerit, dabo ei sedere in throno meo. Quod angelis cõtingere nusquã legimus, qui munere administrorũ spirituum fungẽtes, coram throno Messiæ assistere, nõ sedere dicuntur. Atqui hac de re alio loco cõmodius.

Homo μικρόκοσμος

Cur uerbũ Dei caro factum.

Et præsit piscibus.] וירדו et dominetur. Mutatur numerus. Infrà enim. Masculũ et fœminã creauit eos. Item, Crescite et subijcite terram.

Crea-

Creauit illũ.] *Adamũ. Vnde hoc Apostoli de uiro: Cum sit imago & gloria Dei. Dixeris, An non & fœmina facta est ad imaginem Dei? Fœmina uiro continetur, ut eius os & caro, ideo sequitur.*

Masculum.] *tanquam caput.*

Et fœminam.] *tanq̃ corpus. Hic umbra, in Christo & sponsa eius ueritas.*

Benedixitq; illis.] *donans uim gignendi liberos. Fœcunditas igitur uerbi Dei nõ naturæ, non sexus munus fuerit. Argumento sunt clausi per minas Dei, et aperti per promissionem uteri. Conuertunt hanc benedictionẽ in maledictionẽ, quibus inuisa sunt matrimonia, & cordi probrosæ libidines. Cæterũ cum duplex sit societas humani generis, altera domestica, altera ciuilis, domestica hic primò sancitur: cuius cũ tres partes sint, una mariti & uxoris, altera parentũ et liberorũ, tertia dominorũ & seruorũ, duæ priores coniunctiones ab initio hic statim confirmantur, quòd sine his ciuitates non potuissent ædificari.*

Crescite, & multiplicamini.] *Is unus ex finibus coniugij est. Verbum igitur Domini de augenda sobole religiosè considerandũ est. Spectanda gloria & uoluntas Dei, nõ uanitas huius mũdi, opes, libido, forma, honor. Cæterũ quod hic legimus, Crescite: hanc legẽ in corpore primi hominis scriptam, solus abrogarit is qui dicit: Qui potest capere, capiat. Is est Adamus alter, nouus & cœlestis Adamus, ad quem et sobolẽ eius, quatenus corpore & animo renata sit, hoc mandatũ de gignenda prole nõ pertinet. Stat enim illud: In resurrectione iustorum neq; matrimonium contrahunt, neq; elocantur. Sunt sicut angeli Dei in cœlo.*

Et dominamini piscibus maris.] *Expressionem imaginis diuinæ imperium in omnia comitatur, per quam par sit eam naturam imperare quæ generis præstãtia cunctis antecellit. Hoc imperio iure utuntur pij, iniuria impij. legimus enim hic Adamo adhuc tuenti innocentiã suam imperium in omnia concessum. Amissum igitur hoc est illa perdita, sed quod sit in secundo Adamo restituendum longè meliore conditione. Is enim de imperio, quod nactus sit potestatibus mortis & infernæ deuictis, sic loquitur: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Et apud uatẽ: Omnia subiecisti pedibus eius.*

Ecce dedi uobis omnem herbam.] *Explicatur usus operum tertij diei. Carnis esum legimus signatè concessum post diluuiũ. Plantæ igitur nutriuntur elementis, plantis animantia: homo utrisq; & plantis & animãtibus uescitur. In quem usum quatuor uires destinatæ sunt: una, quæ deorsum trahit cibum dentibus confectum, quæ à Græcis uocatur καθεκτικὴ: altera κατακλειστικὴ, qua cibus retinetur: tertia, quæ alimentum ex alio in aliud mutat, appellata ἀλλοιωτικὴ: quarta, qua excrementa egeruntur, quam ἀποκριτικὴν uocant.*

Viditq; Deus cuncta.] *Generalis approbatio operũ Dei, in qua hæc nobis significãtur: primò, res cõditas imaginem & speciem bonitatis diuinæ præferre: deinde, à Deo opera quæ fecerit, amari. Demũ eadem Dei bonitate conseruari quæ creata sunt. Veteres ergo sapienter dixerunt amorem in omnibus & per omnia in mundo spargi. Nam cũ tres rerum in hac uniuersitate cernuntur gradus, superiora, inferiora, paria, in singulis amor uersatur. Quæ enim suprà sunt, eorũ quæ infrà sunt, censentur causæ: quæ infrà superiorum opera sunt: quæ uerò paria ac similia sunt, cognatione naturæ quadam continentur. Causæ autem opera sua tanquam partes & simulacra sui amant, opera causas tanquam sui conseruatrices diligunt. Itaq; hic legimus Deum res à se effectas amare, & eis oblectari, ut in quibus suæ sapientiæ & bonitatis uestigia & certa indicia animaduertat. De paribus autẽ et similibus rebus iactatur sententia illa: Similia similibus fauent. Cæterum mirũ non est homine iam creato sexto die, summatim approbata esse opera sua à Deo, quòd homo reliquas naturas intrà se complectatur. Vnde μικρόκοσμος, & in sacris literis uniuersitas appellatus est. In hac generali approbatione, qua architectus Deus opificium suum commendat, bonitas eius præcipuè in ea prouisione declaratur, qua prius tam prouidè domum ædificarit, quàm hominẽ fabricaret, cuius ædificij tectum cœlum esset tabernaculi instar expansum, pauimentum terra in medio mundi librata, opes et diuitiæ ad cultum & ad uictum comparatæ, arborum fœtus & animantium genera forent. Pro* טוב *igitur paraphrastes Chaldæus* נאים *reddit, significans omnia à Deo condita quæ cõmoda essent & apta ad aliquem usum. At dicat hic aliquis, Salomonè omnia in uanis habere, ubi ait, Vanitas uanitatũ, et omnia uanitas. Cuncta in bonis sunt, quatenus à Deo sunt, & se Deus eis creãdis et conseruãdis impertit: quatenus uerò ad interitũ uergũt, Deo se ab eis auertẽte, in uanis numerãtur. sic enim uates psalmo 103. Aperiente te manũ tuã, omnia implentur bonis: auertente autem te faciem, turbantur. Diuina igitur sententia ad naturã rerum conditarum & conseruatarum, Salomon ad alterum spectat. Præterea Salomon mundum depranatum uitio primi hominis perpendit, Deus mundum adhuc integrum et labe carentem. Sed quanto uerius hæc sententia Dei, qua omnia bona pronunciantur, locum habebit in restituto reparatoq; mundo, sanguine Messiæ omnibus à seruili interitu et labe uindicatis. De quo statu Apostolus his uerbis in epistola ad Romanos: Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruili interitu in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quærat præterea aliquis quomodo Deus operibus suis approbãdo ea pro bonis oblectetur, cum ab eis cõmoditatem nullam capiat. Oblectatur non accipiendo ab eis quippiam, sed se illis communicando: ad cuius imitationem secundariæ causæ siue naturales, siue artificiales, efficiẽdo sui aliquid simile, quoq; tantopere uoluptate afficiuntur, dum sui imaginem & similitudinem quandã in rebus à se elaboratis contemplantur, quod boni sit sese diffundere ad expressionem eius boni de quo hic Moses: Animaduertit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Hæc de creatione mundi, cuius explicationẽ summatim hoc modo licet retexere ac repetere. In hac*

Eccles. 1

historia

Breuis repetitio creationis mũdi.

historia duo nobis ad cognoscendum proposita sunt. Alterum, fabricator Deus est: alterum, mundus ipse fabricatus. In fabricatore tria cernuntur, mens, uerbum, spiritus. Mens diuina rerum omnium genitarum origo est: uerbum in mente artificis rerum conditarũ uiuum exemplar, ad cuius contemplationẽ mens opificis omnia tam solerter fabricauit, de quo Apostolus meminit, ubi dicit: Per illum creata sunt omnia in cœlo et in terra. Item Ioannes: In principio erat uerbum. Omnia per ipsum facta sunt. Spiritus autem uis erat in utroq; & architecto et uerbo eius, qua mundum constitutum confitemur. Hæc tria in sacra triade nomina in hac historia distinctè cognoscũtur. De opifice enim tegimus: qui dixerit: de uerbo, quòd idem ille dixerit: de spiritu autem, quo Deus abyssum aquarum commouerit, & boni naturam cunctis rebus inseruerit. Quocirca in reliqua quoque scriptura sacra, toties Dei eiusq; uerbi & spiritus fit mentio, cum neque ab ullo artifice opus in animo eius conceptum, sine exemplari uerbo et ui perfici absoluiq; possit. Res autem conditæ bipartitũm ordinem habent: quædam initia ac elementa cæterarum rerum sunt, quædam ex his concreta: initia sunt, terra, aquæ, tum inferæ tum superæ, aër, lux cœlestis. Concretæ autem conflatæq; ex principijs res, aliæ uita carent, ut sunt metalla, aurum, argentum, stannũ, cuprũ: et reliqua quæ ex terra eruũtur, ut sal, lapides, gemmarumq; gen... Aliæ uitam habent. Harum duo genera sunt: in altero continentur ea, quæ è terra nascuntur, stirpibus suis nixa, ut sunt herbæ, frutices, arbores quæ aut baccas aut flores aut fructus fundunt. In altero animantia cernuntur, quorum quædam ratione carent, ut sunt pisces aquarũ incolæ, uolucres cœlo fruentes, bestiæ terrestres. Quædã mentem & rationem habent, in quibus homo numeratur intelligentiæ particeps ex mente diuina decerptæ, qui solus inter animantia ad Dei imaginem conditus, eius arcana intelligit, consequentia cernit, principia & causas rerum uidet, eorumq; progressus & quasi antecessiones non ignorat. Hac ui mentis præditus, principatum in omnia munere Dei obtinet: et ornatus facultate dicendi, ad uitæ societatem legum, morum, iurisq; descriptione & certa uiuendi disciplina constituta, cœtus colit atque celebrat: qui ut existerent, iussus est aucta sobole terram replere, ad eam fructificationem à Deo fœcunditatis ui accepta. Quem ut sanctè coleret & amaret & prædicaret, in medio huius mundi collocatus est, non quidem ut in his seculis & elementis perpetuò uersaretur, sed ut in hoc mundo confecto cursu suo, tandem in cœli incolarum consortium receptus Dei amicitia & familiaritate frueretur, à terreno in cœlestem, ab animali statu in spiritualem translatus per eum Adamum, de quo illud: Secundus homo de cœlo cœlestis. Hæc breuiter de opificio Dei sex diebus elaborato. Reliquum est, ut quem usum contemplatio illius habeat, exponamus. Is autem bipartitus est: unus quidem, quo ex inspecto mundo architecti Dei potentiã, sapientiam & bonitatem cognoscimus, ad eam sancte colendam & prædicandam. Alter est, quo admonemur de altero mundo & futuris seculis. Quantum ad priorem utilitatem pertinet, ut fabricæ mundanæ inspectio, potentiam Dei declaret, ostendit uates cum ait: Dixit, & facte sunt. Item: Quæ uoluit, fecit in cœlo & in terra. Quæ admirandæ Dei potentiæ cognitio animos nostros aduersus omnes grauiores casus mirificè confirmat, cum intelligimus eum à nobis stare & nostris rebus fauere qui crearit cœlum et terram, omnia ferens et gubernãs uerbo potentiæ suæ Christo Iesu, qui tam facilè nos à tenebris ad lucem, ex morte ad uitam transferre possit, quam rudem & informem terram ad cultum, obscurum cœlum ad claritatem transtulisset, qui natura tam bonus sit, ut uelit: et tam potens, ut possit nos iuuare. Vnde illa plena consolationis uox nata est: Spes eius in Domino, qui fecit cœlum & terram. Huius diuinæ potentiæ alis nos contecti, in ipsis tenebris lucem, in ipsa morte uitam, in inferno cœlum expectamus, non ignorantes Deum pro sua potentia uocare ea quæ in rerum natura non sunt, ut existant, & quæ sunt ne sint, in nihilum redigere. In hac meditatione & peritia, fides uim, robur & neruos suos collocatos habet. Sapientiam aũt Dei opera tanta uarietate edita perspicuè ostendunt, quæ omnia decenter in numero, pondere & mensura facta conspicimus. Numerus in rerum generibus, quæ certa in singulis cuiusq; diei operibus distincta sunt, cernitur, quæ non magis confundi inter se possunt, quàm numeri ipsi confunduntur. Pondus autem in ui & potestate, quæ cuiq; sua tributa est, spectatur. Nihil enim ocioſum, nihil iners diuina sapientia in hac rerum uniuersitate uoluit esse, quod se ad eius imitationem alicubi non proferret. Mensura uerò in magnitudine consistit, quum aliam alijs opifex Deus assignauit. Si quidem aliam cœlo, aliam terræ, aliam aquis, aliam aeri, aliam ijs rebus quæ terra quæ aquis et aere continentur, accommodauit. Non enim cuique quæuis moles ac granditas conueniret, quóque genere suam magnitudinem, in qua uim suam proferat, postulante. Imò Deus ipse in uerbo suo Christo æqua mensura & numerus omnium est, quo cuncta tanquam iusta trutina mensurãtur, ponderantur & numerantur. Bonitatem demum quæ est benefaciẽdi cunctis in Deo uoluntas, ex eisdem rebus licet cognoscere, ex quibus potentiam & sapientiam cognoscimus. Deus enim qui potentiam suam & sapientiã in mundi fabricatione declarauit, idem etiam benignitatẽ in eo monstrat, quòd omnia sic condere uoluit, ut bona forent, hoc est aliquẽ sui usum, tum inter se, tum præcipuè homini, propter quẽ ut Dominũ mundi creata essent, afferrent. Quod Dei beneficium, ponderans homo, quantam materiam diuinæ bonitatis celebrãdæ habeat, indicat uates ubi canit: Laudate Dominum quia bonus: Item: Celebrate Dominum, quia bonus, quoniam æterna benignitas eius. At huius amplißimè decantandæ ut post contractam culpam, et eam sanatam exhibita fuerit occasio, mox indicabitur. Hæc potentiæ, sapientiæ, & bonitatis diuinæ meditatio, pios admonet, ut ucrè Deum colant, & impijs metum iniecit iudicij diuini, quo de-

Sapientia

Numerus

Pondus.

Mensura

Vsus quẽ offerat cõtemplatio mundi.

territi

territi ad meliorem frugem relictis sceleribus redeãt, de quo metu ex contemplatione mundi excitato his uerbis propheta meminit: Verbo Domini cœli facti sunt, & ad eiusdem oris spiritum, omnis exercitus eorum. Is maris aquas, quasi in cumulum congregauit, abyssis in cellas conditis. Ergo Dominum metuant omnes terræ, timeant eum omnes incolæ orbis, quoniã ipse dixit, & factum est: ipse tussit, & extitit. Hæc de priore usu: Alter consistit in consideratione alterius mundi, cuius is aspectabilis mundus figura quadam admonet. Nam quia priore molitione conditum ex nihilo opus, uanitati obnoxiũ est, is nobis alterius mundi, quem Deus ab omni labe liberum adornat, memoriam refricat, in quo noui cœli, noua terra, nouus spiritus, lux, aquæ, nouus & cœlestis paradisus, nouus Adamus, & noua eius soboles, noua item Heua, hoc est, omnia noua spectantur, ut in altero mundo uerè dicas omnia esse adumbrata, in altero expressa & absoluta. Alterum igitur ueterem mundum & præsentem, alterum nouum & futurum uocant. Atq; sapientes Hebræorum ueterem in ח litera, quæ infrà aperta & supra clausa est, significari dicunt. Qua in re ostendunt alterum mundum in deterius atq; ad interitum uergere: alterum autem iodo litera indicari, quæ denarium numerum perfectum notat, qui aptum symbolum sit noui mundi per Messiam ad summam perfectionem absoluendi. Hunc duplicem mundum uolunt ueteres ab Isaia propheta in ea dictione monstrari, ubi ait: בר ביח יחוח צרר עלמים. Itaq; Messias benedictus utriusq; mundi autor & finis habetur, à quo & per quem, ut sapientiam & uerbum Dei cuncta efficiantur, & propter eundem omnia fiant & conseruentur, ut uerè is de se prædicet: Ego sum alpha & ω. Non hic affero, ut sapientes homines mundũ alia partitione in maiorem & minorem distinguant: minorem hominem appellantes, maiorem uerò diuidant in materiatum & aspectabilem, hactenus à Mose descriptum: & in νοητὸν, quem dicunt genijs constare: demum in ὑπερτάτου, hoc est, supremum & diuinum illum mundum non creatum, sed creati exemplar & ideam. Quem mundum κρύπτον mundum appellant. Cæterùm Mosem hanc historiam scripsisse receptum est, quam ei partim Dei spiritus dictauit, qui propheta magnus fuerit: partim eum à maioribus qua si per manus in posteros propagatam recepit. Etenim uerisimile est unà cum religione noticiã historiæ creationis mundi à primo Adamo per posteritatẽ ad Mosem usq; deuenisse. Omnino credendum est, hunc de origine mundi librum sacro Dei spiritu scriptum esse, in quo semina uniuersæ doctrinæ, quæ uetere et nouo Testamento, lege, prophetis & Euangelio continentur, sparsa reperimus. Nam si legem spectemus, decalogi quantus fuerit usus apud pios, cõciones de amando Deo, & diligendo altero, & reprehensiones contrariorum uitiorum, satis declarant: nec ceremoniarum quæ in sacrificijs, aris, delectu & discrimine animantium mundorum & immundorum cernuntur, tractatio deest. Euangelij ueritatem indicat Christi promissio Adamo statim à contracta culpa in paradiso facta, quæ deinceps ad patres clarè repetita est, & uarijs typis ac umbris adumbrata. Oracula ac uaticinia de futuris Israelitarum casibus, & de regno Christi in orbe terrarum inter gentes excitando, ut sub finem huius libri in testamento Iacobi exponantur, nõ est obscurum. Vt uerè is liber omnium eorum, quæ reliqua sacra scriptura complectitur, seminarium appelletur. Non commemoro hic, ut hæc historia peccati originẽ, eiusq; naturam & damna in mundum importata explicet, quibus ignoratis nullus Euangelij patribus promissi, à prophetis prædicti, & postremis temporibus per Apostolos clarè annũciati, futurus sit usus. Et quod ad cognitionem iusticiæ, bonitatis & clementiæ diuinæ attinet, proponuntur nobis in hac sacra narratione, uaria tum interitus impiorum, tum salutis piorum exempla, quæ admonent nos, qui in terminos mundi incidimus, piè Deum colendum esse in filio, & impijs metu de seuero iudicio Dei incusso, improbitatem relinquendam, & probitatem pietatemq; suscipiendã. Sunt authores qui tradunt Hanochi libros extare, & magna autoritate apud eos penes quos sunt, haberi, atq; in his præceptorũ ceremoniarumq; semina quæ Moses his quinque libris plenè explicauit, contineri. Quod si ita res habet, Mosaicæ doctrinæ fundamenta etiam ante diluuium iacta sunt. Post diluuium uerò, ut sacrificia, sacerdotium, ciuilia inter sanctos iura in usu fuerint, Noa, Semus rex & sacerdos altissimi, Abrahamus & eius posteri usq; ad Mosem satis declarant. Hi cum tenerent ius tum naturæ omnium nationum commune, tum illud quod ore & traditione maiorum excipiebatur, Moses à Deo excitatus est, qui monitore, doctoreq; spiritu naturæ, & ceremoniarum quæ maiores coluissent iura, augeret, illustraret, atq; publicè in literas relata exponeret: de futuris autem oracula placuit etiam diuinæ prouidentiæ Sibyllarum uaticinijs confirmari, ne usq; ad profanas quoq; gentes deesset ueritatis testimonia.

IN CAPVT II.

Coeli.] Aether & aer.

Et terra.] cum mari, si situm spectes. Ipsum enim mare sic terram appetẽs litoribus eludit, ut una ex duabus naturis conflata uideatur.

Et omnis ornatus eorum.] צבאם exercitus eorum. Militari tropo sidera uelut certa acie instructa in cœlo, & à sole recta, opera item in terra dispositа & hominis ductu gubernata, exercitum uocat. Mundus à Græcis & Latinis ab ornatu nomen habet. Ideò Græci hic pro צבאם uertunt κόσμος αὐτῶν, quos noster interpres sequitur. Duplex hic significatur exercitus, alter cœlestis, alter terrestris. Cœlestis quoq; suam habet distinctionem. Nam ut non unum est cœlum, ita nec unum cœleste agmen. Est enim cœlum, quod sensu percipitur, cuiusmodi Moses descripsit: est item cœlum quod in sensus non cadit, sed intelligentia solum intelligitur. Illius uisibilis est exercitus ex astrorum copijs descriptus: huius inuisibilis, qui angeli sunt, de quibus Micheas propheta: Vidi Dominum sedentem

tem ſuper ſolium ſuum & omnem exercitum cœli aſſiſtentem, à dextris & ſiniſtris. Ad hanc appellationem exercitus Chriſtus ſpectans, legionum angelorum meminit. Terreſtris autem exercitus ex plantis & animantibus uarij generis conſcriptus eſt, militans ſub duce homine. Communis autem & ſummus imperator, utriuſq; agminis eſt, de quo Pſalmus, Dominus exercituum ipſe eſt rex gloriæ, qui ipſe Meßias eſt benedictus.

Opus ſuum quod fecerat.] Hebrææ linguæ עשה facere & præparare eſt. Vtraq; ſignificatio huc quadrat. In operibus enim ſex dierum, quædam creata ſunt, quædam iam creata cum eſſent, expolita & ad certum uſum apparata.

Et requieuit.] à nouis creaturarum generibus, quantum ad priorem incorrupti mundi ædificationem attinet, feriatus. Nam noui cœli & terræ extructio, noui Adami generatio, miraculorum editio, morborũ item recens natorum tot genera, primæ extructionis opera non ſunt. Duplex porrò mundus eſt. Alter uetus, alter nouus. Veteris bipartita ratio, altera integri & incorrupti, altera uitiati. Incorrupti opera à quibus requieuerit Dominus, hic notantur, ad corruptum iam uitio primi hominis mundum morbi, & tot quæ conſecuta ſunt peccatum, mala pertinent. Ad nouum autem mundum referuntur Chriſti conceptus & genitura & Eccleſiæ inſtauratio, miracula, rerúmque omnium reparatio.

Die ſeptimo.] Condito iam homine die ſexto ad imaginem ſuam, qui cum proximè diuinitatem attingeret, eo creato non abs re quieuiſſe Deus dicitur. Quanto uerius Sabbatum conſecratur, formato iam Chriſto, & ex eo ſanctorum eccleſia, cœleſti Eua extructa, omnibusq; ad ſtabilem nouitatem reconcinnatis? Inutiliter igitur de infinitis mundis, de potentia in Deo maliendi nouos mundos hoc præſtantiores, diſputatur. Qui enim in ea re diſceptant, non expendunt, quid hoc ſit: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Non animaduertunt hi imaginem Dei ad quam effictus eſt homo, non conſiderant maieſtatem hominis Chriſti filij Dei omnem ſapientiam & potentiam diuinam æquantis, non intuentur ambitum perfectionis, quem ſanctorum Eccleſia corpus illius continet, quomodo hæc πλήρωμα capitis ſui ſit, Ieſu Chriſti. Non minus uana eſt quæſtio qua quæritur fortuitóne, & ut dicunt, contingenter, an neceſſariò mundus hic factus ſit. Quæſtionis enim ſcrupulum tollit conſideratio Chriſti & Eccleſiæ, & in hac expenſa ipſius mundi elementa ad ueritatem reſurrectionis carnis, oraculorũ Dei conſtantia, & conſummatio mundi. Quod ſi quis percunctetur, quomodo Deus, qui tempori non ſit alligatus, ſupra & extra tempus poſitus, ſex dies in creando mundo conſumpſerit. Vt contingentia rerum conditarum, & earum mutabilis natura cum infallibili & immutabili Dei prouidentia non pugnat, ita opera temporibus terminata, definitaq; cum æternitate Dei libera ab omni temporis ratione non contendunt. Nam quod certis temporum ſpacijs mundus confectus eſt & abſolutus, temporum illa interualla non ad naturam agentis Dei, ſed ad materiam & ſecundarias cauſas, quibus Deus tanquam inſtrumentis uſus eſt, & ad ordinem rerum condendarum referenda fuerint.

Et benedixit Deus diei ſeptimo.] Id eſt, celebrem fecit ſeu dotibus ſuis ornauit, dum res conditæ, eam quam acceperant fœcunditatem, proferre pergerent, & homo eo die per uacationem à cæteris muneribus, contemplans opera condita cognitionis Dei opibus auctior fieret. ברכה enim eſt תוספת חטוב id eſt, acceſſio boni. Nec ſua caret benedictione Sabbatum illud, de quo propheta: Erit ſabbatum ex ſabbato, benedictione uidelicet cõtemplationis gloriæ Dei, plenum, de qua propheta: Et uenient & uidebunt gloriam meam. Quas præterea diuitias ſpiritus ſacri pepererit requies illa, qua Chriſtus peracto opere redemptionis requieuit in ſepulchro, eius excitatio ex mortuis ſpiritus ſancti muneribus ac donis illuſtris indicat.

Et ſanctificauit illum.] .i. ſegregauit ad cultum ſuum, qui in ſpectatione & celebratione operum Dei uerſatur. Hæc eſt antiquitas diei ſeptimi ad quietem conſecrati, omnibus gentibus etiam celebris, de quo poeta:

Καὶ ἑβδόμην ἱερὸν ἦμαρ.

Hinc ueteres ἕκτὰς diei putauerunt, quaſi τετρὰς, propter huius diei uenerabilem memoriam. Moſaicum igitur ſabbatum ad memoriam opificij ſex dierum, & ad myſticam futurorum ſignificationem ſuſceptum eſt. Vnde ſuam ſeptenario in reliqua ſcriptura dignitatem tributam legimus. Sed in ſabbato ueteris mundi figura & umbra, in noui autem requie, ueritas cernitur. Trium rerum admonemur in ſeptimo ſacrato ad requiem Deo die. Primò præſtantiæ primi hominis, quo tanquam excellentiſſimo opere creato, Deus quieuerit: deinde eius rei, cuius gratia homo factus eſt, quæ eſt amplificatio nominis Dei, commonemur, cui ut Adamus cum poſteris ſuis ſeptimo die præcipuè operam daret ſacer is redditus eſt. demùm is dies eius quietis cogitationẽ excitat, de qua Apoſtolus ex Pſalmo, Si introibunt in requiem meam: quæ eſt alterius ſeculi, & noui mundi quies. Cæterum ſenarius meritò ædificationi ipſius mundi tribuitur, ſeptenarius quieti. Nam ſenarius, quoniam primus numerus perfectus eſt, perfecto & abſoluto operi congruebat. Etenim is numerus ex partibus ſuis ita conſtat, ut nihil neq; redundet, neq; ſuperfluat, ut licet cernere in uno ſexta parte, duobus tertia, & tribus dimidia, quæ ut ſenarium efficiant manifeſtum eſt: ſi mundum ſpectes, is ita conflatus eſt ex ſuis partibus, ut nuſquam eum abundare ſuperfluis, & carere neceſſarijs uideas. Septenarium autem quieti & ocio aptum eſſe ex eo patet, quòd is numerus neq; ex quoquam naſcatur, nec ipſe quenquam infra denarium duplicatus generet. Vnde ſapienter is apud ueteres urgo appellatus eſt, & ſacer in ſacris literis quieti factus. Claritas & nobilitas ſeptenarij naſcitur ex partibus quibus conſtat, ut

ſunt

ſunt unum & ſenarius, binarius, & quinarius, ternarius, & quaternio. Si unum ſpectes, quem id nobis referat ſatis compertum ſenarij autem perfectio: iam indicata eſt. binarius primus numerus eſt, quinarius medietatem denarij continet, ternarius primus numerus impar: qui quam ſacram ternionem oſtendat, pijs notum. quaternarius unde celebris ſit tetractys illa, hoc eſt, nomen diuinum declarat. Itaque ſapientiæ nomine olim ſeptenarius nobilis fuit, quòd ut is numerus ex ſola unitate procreatur, ita ſapientiam quæ Chriſtus eſt, ex uno patre generari confitemur Sapientes homines per ſex creationis mundi dies, ſenos millenos mundi annos, ſeptimum autem millenarium ſeptimo die quo Deus à condendo mundo uacauit, repræſentari uolunt. Itaque in quarto millenario, Chriſtum ſolem iuſtitiæ affulſiſſe orbi terrarũ, ut in quarto die ſol aſpectabilis illuxit in ipſo cœlo, atque ut Deus ſeptimo die quieuit ab operibus: ita ſeptimum millenarium ſabbatarium fore ueteres ſtatuerunt, in quo quiete à tot mundi laboribus parta, ſancti tranquillè ſint culturi numen Dei. Sed quid hic ſtatuendum ſit ex ſacris literis, alio loco.

Vt faceret.] *ut ad certum uſum pararet ac deſtinaret.* Nã *in uerbo* עשה *ut uolunt Hebræi,* הסדר רבר, *id eſt, diſpoſitio ac ordinatio notatur. At* לעשות *quorundam ſententia ad opus pertinet, ut ſit ſenſus: Deus condidit creaturas, ut quæque ſuum opus perageret. ideo ſequi.*

Iſtæ ſunt generationes.] *Id eſt, hæc ſunt quæ cœlum & terra generarunt, poſtquam ea creauit & diſpoſuit Dominus ad uſum rerum gignendarum. Memorantur ſuprà germina, piſces, uolucres, animantia terræ, quæ omnia præparationis cœli & terræ fœtus ſunt ac partus. Annotant ueteres interpretes hic, & in libro Ruth, uocẽ* תרורית *integrã ſcribi. Hic quidem ad denotandum mundum perfectum eſſe conditum, illic uerò ad indicandum per Meſſiam ex Ruth natum, mundum uitio primi Adami deprauatum ad perfectionem ſuam & integritatem reparandum. In cæteris uerò locis ſcripturæ ſacræ hanc uocem integram non ſcribi, ſignificante diuino ſpiritu, culpa Adami terreni mundum uitiatum, non aliter quàm puro alterius Adami ſanguine ad ſuam puritatem reſtituendum. Qua de re Apoſtolus noſter perſanctè, in Epiſtola ad Romanos & ad Coloſſenſes monet.*

Quando creata ſunt] *diffuſo cœlo, & facta terra arida: tum enim gigni cœperunt opera ſuprà memorata.*

Dominus Deus] *Hic primò nomen Domini tetragrammaton, ſimul atque omnia facta ſunt, uſurpatur. Naturæ enim uerbum eſt ac eſſentiæ* יהיה *quod ipſæ ſacræ literæ declarant. Pulchrè igitur ueteres interpretes dicũt* גסרא שמבלא על עלרם בולא *id eſt, uſurpatum nomen perfectum Dei, mundo tam perfecto, cùm uniuerſa iam ſuam naturam, uitam, & motum accepiſſent. Itaq; tria in hoc uerbo intelligimus. unum eſt, omnia à Deo proficiſci, & tantam quamq; creaturam eſſe, tantum uiuere, tantum moueri, quantum Dominus ipſe in ea uiuat, moueat, exiſtat: idq; ea præſentia, ut propemodum diuinum numen palpari poſſit, ueluti his uerbis docet Apoſtolus: Si fortè palpent eum, & inueniant, quamuis non longè abſit ab unoquoq; noſtrum: per ipſum enim uiuimus, mouemur & ſumus. Alterum eſt in Deum omnia ut finem omnium referri. Atq; hanc Dei naturam in omnia fuſam & in cuncta pertinentem quatuor hæ literæ, Iodum, he, uauum, & he in hoc ſacro ſancto nomine* יהוה *declarant. Nam prima litera Iodum puncto ſimilis eſt quo apud Geometras nihil prius eſt, ad quod omnes figuræ ut ad principium & initium, redigũtur. Eadem litera denarium quoq; ſignificat finem numerorum, unde Iodum, ſiue punctum, ſiue denarium ſpectes, aptiſſimè nobis diuinam naturam repræſentabit, à qua & ex qua omnia oriantur, & in quam omnia circuitu quodam, tanquam ad finem redeant: quæ quamuis ſimplex ſit ut unitas in numeris, & punctum in figuris, tamẽ omnis multitudinis ut unũ numerorũ & punctũ figurarũ principiũ eſt, & cauſa: deinde ut ipſum unum fluens primũ numerũ binariũ, & inde ternarium imparem numerum creat, punctum autem ſe diffundẽs lineam, & hæc extremitatem quam uocant ſuperficiem, generat: ita diuina natura ſe in creando proferens, per rerum ſimilium & diſſimilium genera, quæ binario & ternario numero continentur, progreditur, dum totum opificiũ, quod mente deſignauit, perficiat. Similium autem & diſſimilium creatio in quinario, quem he litera ſignat: perfectum autem opus in ſenario, quem uauum in tetragrammato notat indicatur. Atq; id ipſum eſt quod diximus in nomine hoc ſacro declarari mundum à Deo perfectum & abſolutum factum eſſe. Itaque accedit ad claritatem tetragrammati, quod hoc ſenarium & denarium perfectos numeros etiam alia ratione continet. Nam ſi in eo unum, duo, tria ſupputes, ſenarius conficietur: cui ſi quatuor accedunt, denarius conflatur, ſummam numerorum continens. Quod autem in tetragrãmato repetitur ſub finẽ he litera, ſignificari uolunt mundum, ut ex iſta rerum ſimilium & diſſimilium creatione perfectus eſt, ita eundem per ſuum rerum ordinem reparandum eſſe per reditum ſuum in Deum principium & finem rerum omnium in Iodo tetragrammato monſtratum. Quem fœlicem per inſtaurationem mundi reditum in he quinario, qui medius numerus denarij eſt, notari confirmant. Hinc fieri ut quinarius in ſacris literis quoque ſacer habeatur, ut id ſuis locis monſtrabitur, cuius dignitatem ut medij numeri, & uelut centri ſphæræ ex denario confectæ, facile figura in hanc rem parata oſtenderit. Hæc tanta myſteria hoc diuino quatuor literarum nomine* יהוה *nobis ſignificari, docti & pij homines tradiderunt. Sunt etiam qui uolunt prima huius nominis litera Iodo patrem ſignificari,* ה *filium, uauo ſpiritum ſacrum. Iodo quidem patrem, à quo omnia originem ducant.* ה *uerò filium, in quo & per quem omnia à patre Deo proficiſcantur: uauo demum ſpiritum ſacrum, per quem pater & filius omnia efficiãt. Quod*

autem ה repetitur in יהוה fieri id tradunt, quod per Christum filium Dei omnia ad Deum redeant, cum eo reconciliata, pacificatis sanguine eius cuuctis & cœlestibus & terrestribus. Tertio igitur per hoc nomen diuinæ erga nos & reliqua opera beneuolentiæ significatio datur, cum illo admoniti res non casu, temerè ac fortuitò ferri, sed à Deo intimè præsente regi & conseruari consilio bonitatis eius cognoscimus. Hæc benignitas nomine hoc יהוה & in Exodo per אהיה ostenditur, Dei uidelicet naturam & ingenium esse, ut benefaciat suis, & eos seruet. Vnde illa frequentia legũtur: Ego sum Dominus Deus uester Item: Ego sum saluator uester. Item: Scitote quoniam Deus ipse est, qui uidelicet operum suorum curam gerat. Atq; id no men subinde clarius patefit, quo salutarem Dei præsentiam accidit propius persentiscere. Vnde patribus Abrahamo, Isaaco, Iacobo ignotum illud fuisse memorat Dominus in Exodo, manifestatum autem posteritati illorum, quòd redemptio & salus tot miraculis illustrata, tanta non affulserat maioribus, quantam declaraturus erat Deus in illorum liberandis posteris: et quoniam hæc in uerbo potentiæ & benignitatis diuinæ carne facto, Christo Iesu exhibenda fuit multo clarius imè per patefactionem diuinæ gratiæ, efficitur, ut clarior manifestatio nominis huius sacrosancti in tempora manifestandi Euangelij præcipuè cadat. In quibus missus à Deo spiritus sanctus Deum non solum declarat qui gignat, alat, & conseruet omnia, sed etiam qui se præbeat nobis præsentem luce sua, uita sua, in diuinæ suæ naturæ, lucis, uitæ participatum nobis in Christo uera uita & luce coaptatis. Hunc cum ignorarent philosophi ueteres Iehouam Deum neq; uerè cognouerunt, neq; coluerunt, quamuis multa præclarè de Tetragrammato hoc quod τετράκτυν appellarunt, disputarint: cùm hanc τετράκτυν tanquam fontem naturæ in uniuersitatem fundi, & ab ea cuncta condi, conditaq; conseruari, Mosaica doctrina imbuti dicerent. Hanc enim de Iehoua cognitionem non filius illis per lumen fidei, sed natura per facem naturalis intelligentiæ aperiebat. Qua qui præditi sunt, Deum quidè cognoscunt ex ijs quæ tam sapienter facta sunt: sed eum pro dignitate & ad salutem non cognoscũt & amplificant: qui solum per eum hoc modo cognoscitur, qui dicit: Patrem nemo cognoscit nisi filius, & cui uolueris filius patefacere. Iehoua igitur sacrum nomen primo hic lectum uerè etiam in Christum Iesum cõgruit: qui si uerbi rationem spectes, filius Dei sit æternus, in quo tota diuinitas habitet corporatè, ex cuius plenitudine cæteris omnibus cœlestibus & terrestribus, aspectabilibus & inaspectabilibus suæ excellentiæ portio ac modus decidatur, ut mirum non sit, per eum, tanquam interpretem, diuinitatem cognosci, et eius uniuersos bonitatis thesauros explicari. In quo diuinitas ipsa, quanta quanta est à sapientia, potentia, bonitate uersetur. Hunc Christum Iesum hic Iehoua appellatum, iam condito & perfecto mundo, & in throno Dei sedentem, gubernatorem omnium, uitæq; & mortis, cœli & inferni, præsentis & futuri seculi, Dominum adorant supera, cœlestia, & infera. Sed de Messiæ nostri amplitudine & splendore, aliàs commodius differetur. hæc hic delibasse satis sit.

Et uirgultum agri.] Cœlum & terram temperata certe lege fuisse antequam terra germinaret, & homo eam coleret.

Non enim pluerat.] Exponuntur superiora. Non antea uidelicet terram cœpisse fruticare, quam diremptis aquis per lucem cœlestis humor, siue pluuia, siue ros eam madefecisset. Quæ ergo hic narrantur, die tertia facta sunt, ut iußit Deus terram stirpes creare.

Dominus.] Signatè hic legitur Dominus pluere. Aliter igitur causas rerum fides expendit in sanctis, aliter lumen naturæ in philosophis Hi proximas causas & propriàs rimantur ad cognoscendã originẽ, & uim cuiusq;: illi principem omnium causam agnoscunt Deum, quẽ uenerentur, & in eo fide & spe conquiescant. Quæ fides in exquirendis rerum naturaliũ causis, ut uentorum, roris, pluuiarum, niuis, grandinis, anxia & curiosa non est, sed illas in sinu sapientiæ diuinæ abditas confitens, Iobi illam admonitionem expendit: Nunquid ingressus es thesauros nuis, aut thesauros grandinis aspexisti? Habet ne patrem pluuia, aut quis roris guttas gignit? cuius ex uẽtre prodit glacies?

Et homo non erat.] Hoc nimirũ sexto post præparatam terram condito.

Sed fons.] אד uapor materia pluuiarum. Iobus: ריזקו בטרל אדו.

Ascendebat.] Sublatus lucis calor è mari uapor, qui supernè in nubes concretus cogitur, atque inde in humorem resolutus, terram fœcundat imbribus.

Formauit igitur.] cæteris iam condisis, ut esset qui coleret terram, & alijs imperaret Sexti diei opus hic propter historiæ seriem de homine continuandam exponitur. In quo explicando partes, quibus is conflatus est, ordine persequitur, quarum altera corpus est, altera animus. In formatione corporis quatuor nobis res expendendæ proponuntur: Artifex, materia, opus fictum, ciúsque partes, demum partium usus. Artifex Deus est, non terra, non lumina cœli. ideo legitur: Et formauit Dominus Deus, solers ille architectus, qui in hoc ædificio extruendo támque digno imperio in omnia, tam sapienter elaborauit. Materia lutum est ac limus. Opus autem fictum conformatio illa speciosa membrorum habetur, quæ admirabilis sanè in eo animante fieri debuit quo in Dei imago gerenda, & in cuius corpore tanquam domicilio mens sacro imbuta spiritu, habitatura erat. Partes uariæ sunt, caput, collum, ceruices, latera, aluus, tergum, poplites, manus, pedes, femina, crura, cerebrum, cor, pulmo, iecur, & si quæ sunt aliæ partes. Vsus autem partium corporis humani in ijs muneribus cernitur, quæ animus corporis membris tanquam instrumentis fretus peragit. Vt igitur functio alia est θρεπτικὴ & αὐξητικὴ, id est, alens, & augens uis, cum procreandi liberos munere coniuncta. Alia quæ sentiendi munia obit, sensus continens nuncios & interpretes rerum, alia ratione & intelligentia, dicendiq; facultate utens, ita

alias

alias partes in corpore humano ad alia officia accommodatas Dei sapientia ex luto finxit, easq; ea lege interse constrinxit, ut nulla quidem sit in hac rerum universitate perfectio, quæ in efficiis ita membris non ostendatur. Quæ diuina sanè est & admirabilis humani corporis ad tot & tantas functiones obeundas, fabricatio. Cuius operis pulchritudinem resurrectio ipsa declarabit hoc corpore, his partibus ad cœlestem gloriam post exutam illam deformitatem, quam peccatum induxit, translatis. In corpore igitur Adam artificis Dei manibus ex terræ limo tam solerter efformato pulchritudo, hoc est, apta membrorũ figura, & ipse usus cernebatur. Nam fusilis ille limus argillaue bene macerata et cœlesti humore temperata, apta materia fuit, quæ in tot corporis membra ad suas perficiẽdas actiones corporaretur figurareturue, quorum, alia fundendo sanguini, qui animæ & utalium ex illo ortorum spirituum fomentum est, alia sensuum muneri, alia concoctioni, quædam progressioni, nonnulla generationi, alia sermoni deseruirent, aliaq; ad alia officia artificis Dei prouidentia atque industria accommodata essent. At quamuis tale sit & tam fabrefactum corpus humanum, tamen quia id puluis est ex puluere & luto terræ, quæ tardum, stupidum, inersq; naturæ elementum est, fictile hoc est infirmum & debile opus fictum, debet huius cogitatio sæpe in animos nostros subire, qui terram hoc lubrico fragilitq; corpore terimus, ut hoc mũdo ad omnem uicissitudinem mobili, moderatè cum metu Dei utamur, non ad fastum, luxum, libidinem abutamur opprobrio Dei & nostra pernicie. Præterea etiã utilis est huius fragilis pulueris meditatio ad commodè aliorum uitia ferenda, cum cogitamus ex una limi massa unuersum humanum genus originẽ ducere, quæ parem conditionem infirmitatis & propensionis ad mala creet, discrimen solum in temperatione frigoris & caloris sicci & humidi esse. Vnde alij leniores, & moderatiores, alij incitatiores et uehemẽtiores affectib. animiq; motibus euadãt. Par igitur fuerit ut cũ paria ducimus ex limo terreno, alius in aliũ æquo sit animo, & inter nos originem nostram perpendentes, culpas condonemus orantes: Remitte nobis debita nostra ut nos remittimus debitoribus nostris.

Hominem.] corpus humanum.

De limo terræ.] Aptè usurpatum est hic figulorum uerbum יצר cum de luto hic fiat mentio. Hæc est materia originis primi hominis. Contraria est formatio secundi Adami, qui è cœlo cœlestis homo est. Huc spectans Apostolus per contentionem de utriusq; origine his uerbis dicit: Primus homo de terra terrenus, secundus homo ipse Dominus de cœlo. Dum ergo hic Deus terræ stupidæ et in puluerẽ friabilis argillam tractat ex qua fragile corpus fingat, trium admonemur. Vnum est ortus nostri infirmitas, cuius cognitio fastum & arrogantiã in nobis deiecerit. Huius memor propheta meritò canit: Quoniam ipse nouit figmentum nostrum, recordatus est quoniam puluis sumus. Et contra quia is puluis in eam speciem & habitum corporis formatus est, qui animum Dei spiritu prædutum rectorẽ recipiat, admonemur in ipsa fronte, oculis, ore & reliquo corporis statu, quem Deus humo excitatũ, celsum rectumq; constituit, cum cætera animantia ad pastum abiecisset, nos non pulueri, non luto, non terræ, sed cœlo quo aliquãdo fruamur, natos atque genitos esse quasi superarum rerum atq; cœlestium spectatores, quarum spectaculum ad nullum aliud animantium genus pertinet. Altera res, quã ex hac origine meditemur, facilis illa est ad tentationem peccati occasio, per quam primi parentes tentatori serpenti oportuni cum essent, non difficulter à recto statu in hunc miserum & calamitosum depulsi sunt. Quæ res eo magis nos sollicitos & cautos reddere debet, ut huius corporis adeò uitiati habeamus rationẽ, et tãto maiorẽ, quãto facilius corpora nostra uersuti hostis per prauas cupiditates insidijs patent. Quia uerò Deus non ita fragilem hominem ex limo finxit, cui sua fragilitas fraudi foret, statim in ipsa fictione tam debilis operis, quod postremò cogitandum hic est, spem fecit futurum, ut præstantiore conditione secundus Adamus nasceretur non de terra terrenus, sed de cœlo cœlestis, qui aduersus oẽm iniuriam cũ sobole sua tutus esset. Hæc est consolatio & victoria sanctorum contra peccatũ, mortem & portas infernorum, in altero Adamo qui est Messias benedictus.

Et inspirauit. [Luto in corporis humani speciem efformato alteram hominis partem qui uitalis spiritus est, tractat. In huius explicatione origo, natura, causæ, uis ac facultas pensitanda occurrunt. Origo animi bifariam consideratur, tum ut primò creatus est, tum ut in hominum propagatione oritur. De prima origine Moses meminit, cum primo homini Deum spirabilem animum ut eum ex terræ argilla formasset, indidisse dicit. Ex quo perspicuum est, primam animi originẽ ex Dei halitu fuisse. Secunda aũt origo est quæ in generis humani propagatione cernitur, de qua docti et sapiẽtes homines inter se dissentiũt. Nam fuere qui putarẽt animos primo oẽs in cœlo cum genijs conditos et seculorũ serie quemq; suo corpori inseri, hocq; collapso eò illos quò uenissent redire detersis paulatim sordibus corporum contagione contractis. Sunt præterea qui docens animos humanos propagari semine non alia ratione quàm cætera animantia propagantur. itaque ut animantibus reliquis generandi uim simul indidit Deus, qua deinceps horum quodque suam tueretur speciem: sic homini semel uitalem à Deo inspiratum animum, ut ea uis perpetua inesset in homine, qua et ipse genus suum in posterum propagaret. Nã ei et posteris eius iussisse Deum, ut ipsi quoque deinceps genus suum seruarent, et sobole familias augerent. Proinde ut bos bouem, balena balenam, agnus agnum gignit, eodem modo ab homine hominem procreari, è seminibus humanis nõ secus animis producuntib. quàm ex cæterorũ animantiũ seminib. animæ generãtur, in homine enim nõ minus eam gignendi uim messe quàm cæteris animalib. insit, ideo ex illo nõ tantũ corpora, sed etiam animos oriri, ne deteriorẽ facultatẽ generan

di tam homini quàm alijs animãtibus tributam existimemus. Hæc igitur si & corpus & animos generant, nõ minus quoq; dicetur homo eorum quos generat & corpora & animos generare. Atque huc pertinere quod infrà legitur, Adamum ad sui similitudinem & imaginem procreasse filium, quem Sethum appellauit, ad similitudinem inquam & imaginem suam, id est hominem cuiusmodi ipse erat, corpore & animo præditum. Addunt, quòd nisi sic statuatur, non posse facile originis uitium defendi ab Adamo in posteros eius dimanasse, si ab illo animi ut corpora non dicantur propagari. Hanc quoque suam sententiam probant ex eo, quòd ferè liberi non solum corpora parentum, sed etiam animos referant ac repræsentent. Nam à parentibus liberos effingere, & formas & mores & pleroſq; nutus & motus constare. Demum dicunt sententia hac confirmata, maiorem seminis, ne temere sine metu Dei fundatur, rationem haberi, in quo nimirum etiam animi proximè ad diuinam naturam accedentes, immortales & sacri spiritus participes contineantur. Sunt etiam qui tres animas in homine ponunt: unam, quæ ad certos auctus & incrementa alendi nutriendique uim habeat: alteram sentiendi mouendiq; facultate præditam: ultimam eam in quâ mens et intelligentia uersatur. Duas illas priores ex seminibus proficisci & oriri, & unà cum corpore fatiscere & exolescere dicunt: tertiam uerò cœlestis originis, non terrenæ, neque cum corpore mori, sed immortalẽ esse. Sunt item qui duas in homine animas statuunt: alteram sensu fungentem, in qua nutriendi & mouendi facultatem complectuntur: alteram rationis & mentis participem. Atque hi ut ita sentiant, eos diuersi tum affectus ac motus tum exitus qui in illis cernuntur, commouent. Alteram enim animam animalem dicunt appellari, quæ contra mentem Dei spiritu imbutam pugnet. De qua pugna illud: Caro concupiscit aduersus spiritum. Alteram Deo fide & amore adhærere, alteram item opera sua conficere, quæ altera non animaduertat: ut uidere licet in Lotho, qui per animalem illam uim, sobolem generauit, mente ab ea actione auersa. idem in uisis oracularibus accidere aiunt. Quod demum ad exitum attinet, eam animam quæ in sentiendi muneribus occupatur, cum corpore dissipari non item mentem. Postrema sententia uulgata receptaq; eorum est, qui unum animum corpori iam in utero ad alentis sentientis, intelligẽtisq; uitæ usum à Deo inspirari, nõ ex seminibus corporatis nasci statuunt. Nam unum animum tribus istis muneribus satisfacere posse et eundem tam præstantis naturæ esse, ut tam crassis fluxis caducisq; seminibus contineri nequeat, cum quibus & terrenis & mortalibus naturis nihil commune habeant cœlestes & immortales animi in Dei consortium ascripti. Itaque has mentes in diuina mente solum habere semina suâ quæ formatis iam atque constitutis corporibus Dei halitu inserantur ut primi hominis corpori ex luto iam efficto, animus inspiratus fuit, ne hoc tam præstans & diuinum in natura opus terræ & elementorum mundi, fluxiq; & crassi seminis non Dei singulare opus dicatur esse. Itaque etiam apud ueteres sapientes illos uiros reperti sunt qui dicerent animos foris in corpora uenire, nõ de seminibus eorum nasci. At uerò quod legitur Adamum ad similitudinem generasse filium, respondent hi id uerum esse, neque negari ab homine hominẽ procreari: sed ita, ut accipiatur homo non aliter animi causa esse, quàm sine qua non, quod cum non crearet, & creatum infunderet Deus, nisi homo semen præberet quod in corporis speciem conformatum animum reciperet rectorem & gubernatorem. Neq; propterea hominẽ deteriore conditione cæteris animantibus, sed meliori potius et præstantiori esse, quòd Deus ipse eam gignendi animi facultatem suppleat. Etenim hac in re et animorũ dignitatem & hominis præstantiam cognosci: animorum quidem, quorum origo cœlestis, non terrena ex terrenis seminibus statuatur: hominis autem, quem Deus præ cæteris animantibus diuina mente præditum suæ diuinitatis sacrum templum faciat. Neq; etiam quia Deus animorũ generator est, tolli originis uitium. Animos enim sic in corporibus creari, uitiosis ac corruptis, ut ex ea coniunctione labem statim contrahant non secus atque bona uina ex malis uasis saporem malum ducunt. Fatentur præterea hi sæpe parentum non corpora solum, sed etiam animos à filijs repræsentari. Sed quomodo hi qui his rationibus utuntur, contraria affirmãtibus occurrent, sæpe uidelicet accidere, ut liberi corporum solum lineamenta suorum parentum referant, animorum formam ac figuram nullam reddant, ueluti cum ex probis nascuntur improbi, qualis fuit Cainus, Chamus, Esaus, Absolomus, Achas, & alij. Interdum item nec corporum, nec animorum speciem effingi, ut cum etiam deformes ex formosis nascuntur. Quod si contingit, filios parentum moribus atque ingenio respondere, similitudo sanè hæc partim corporum affectioni, partim consuetudini atque domesticæ disciplinæ tribuetur. Etenim similem temperationem corporum similes ferè animorum motus comitari uidemus. Quantum autem educatio, disciplina, uitaq; coniunctio ac consuetudo hominum inter se ad confirmandam uitam ualeat, non est opus indicare. Quod uerò ad seminis mittendi rationem attinet, non minorem eius curam teneri statuunt, si dicatur animos seminibus paratis potius comitari, quàm ex eis generarari. Imò quanto præstãtior animorum ortus traditur, tanto seminum, ne temere contra legem Dei fundantur, rationem haberi. Sed dicat fortasis aliquis, uerborum hic, non rei contentionem cerni. Nam eos qui semin. animos continere dicunt, & ex eis illos nasci, nõ aliter id accipere, quàm seminibus in uterum receptis, & in corporis humani speciem effictis diuina ui animos existere & oriri. Si ita sentiunt, uerborum equidem tantum, non rei dissensio hic fuerit: sin uerò animos humanos in parentum semine non aliter includi uolunt, quàm cæterorum animantium animæ in suis seminibus includuntur, ex quibus ut efficientibus

causis

cauſſis oriantur, controuerſia hic ex re ipſa orta iudicabitur. In præſentia nos omnino confirmamus mentes humanas à Deo originem ducere, quæ corpora quibus ſemel ex inſtituto ab initio ordine inſerũtur, animent & intelligẽtia regant. Ortum igitur cœleſtẽ & ex mente diuina decerptas illas habere ſed in terreno corpore cum quo naturali quodam ex inſtitutione Dei uinculo coniunctæ ſint. Quam coniunctionem moleſtus eorum ex corporibus excuſſus, & redeundi ad illa in tempore excitationis mortuorum cupiditas indicat. Origine animorum breuiter indicata, proximum eſt, ut natura quoq; eorum ſed modeſtè et quantum ſirt infirmitas noſtra, explicetur. De ac autem uaria eſt opinio. Nam alij numerum ſe mouentem, alij harmoniam ex numero natam, alij ſuffujum cordi ſanguinem, alij corpus ita figuratum eſſe ut temperatione naturæ ſentiat aliud nihil, alij ἐντελεχείαν, alij ſtellaris naturæ ſcintillam, alij ignem, alij ſpiritum corpori concretum, alij de æthere tenuem ſumptum ſpiritum & toti corpori inſertum animum tradunt eſſe. Atq; hi eiã ita ſentiant, mouentur ex eo quod animus interdum uocatur רוח, id eſt ſpiritus, interdũ נשמה id eſt halitus. De ſpiritu legitur in Geneſi, אשר בו רוח חיים de halitu uerò uitali ויפח באפיו נשמת חיים, id eſt et inſpirauit in nares eius halitũ uitalem. Quo halitu dicunt ſignificari puriſsimum tenuiſsimumq; aeris ſpiritum, atque ita animum uolunt eſſe ſpirabilem naturam ex pura aeris parte acceptam & corpori infuſam. Conuenire enim docent, ut quemadmodum Deus finxit ineis ex terræ argilla corpus, ita agilem & ſpirabilem animum ex cœlo decerperet, & corpori ad id animandum mouendumque inderet. Sunt alij qui animos ex æthere hauſtos negant, eorumque eſſentiam neue terream, neue aqueã, neue aëream eſſe, ſed ab his mundi elementis ſeparatam quandam naturam habere confirmant. Atque hanc ueluti quintam eſſentiam haberi quæ iam corpore ex terra facto, & temperato aqueo humore et aëriſque, ignis affectione exiſtat, et cum illo ex Dei decreto copulari cupiat. Vocari autem רוח & נשמה hoc eſt ſpiritum & halitum propter ſimilitudinem quam cum aëre in cuncta ſpirabili habeat. Sicut etiam eadem ſimilitudine ſacræ literæ uſæ Deum interdum ſpiritum, interdum ignem appellant, qua in re ea quæ in ſenſus cadunt, Deo tribuuntur, ut diuina ad nos, in quib. nihil eſt concretum, nihil mixtum & coagmentatum, transferantur. Itaque hi dicunt humanos animos naturam eſſe creatam, ſimplicem, non concretam & coagmentatam, ſpirabilem, immortalem, mouendi, alendi, ſentiendi, intelligendique ui præditam, quæ cœleſtis genituræ ex ſpiritu ſancto beneficio in conſortium Dei ad eius maieſtatem amplificandam in Chriſto coop etur. In hac definitione ortus, natura, functio, & finis animorum declarantur. Origo quidem, cum dicitur animum à Deo creatum: naturam autem, cum is ſimplicis & ſpirabilis eſſentiæ traditur eſſe: uis uerò in mouendo, nutriendo, ſentiendo, & intelligendo, cernitur. Hæc Apoſtolus conſiderans hominem in corpus, animam & ſpiritum intelligentia & ratione omnia penetrantem partitur. Finis demum animorum cernitur in participatu & conſortio diuinitatis in Chriſto: condi uidelicet animos qui Dei conſpectu ad uitam æternam fruãtur in Chriſto Ieſu Domino noſtro, ad eius gloriam & maieſtatem amplificandam. Cui ſit honor in æternum Amen.

Spiraculum uitæ.] animalis. Alius igitur ſpiritus hic inflatur, alius de quo in Ioanne: Flauit in eos, & dixit: Accipite ſpiritum ſanctum. aptè hic flandi uerbum uſurpatur, quod conuenit in uitalem halitum, & in ipſos animos qui tanquam flabiles ἐντελεχείαι corpora quaſi flatu ac ſpiratione regunt, atque commouent.

In animam uiuentem.] Contrà autem de ſecundo homine legimus: Extremus Adamus in ſpiritum uiuificantem. Alius eſt ergo flatus atque halitus animalis uitæ, alius ſpiritus uiuificans. Alter hominem animalem, alter ſpiritualem & cœleſtem efficit: alter corpus terreſtre & fragile moderatur ad functiones naturales: alter corpus terrenum cum ſit, cœleſte & immortale efficiet, ut ſit aptum ad munera uitæ ſpiritualis. Quod igitur ad primum hominem, qui rectus conditus eſt, pertinet, ſpiritus uiuificans opponitur animæ uitali, & ſpirituale animali, cœleſte terreno. non ut iuſticia peccato, aut rei peccato deturpatæ, neque ut integrum rei corruptæ: ſed ut firmum fragili, perfectum inchoato. Itaque Apoſtolus: Seminatur in infirmitate, reſurgit in potentia: ſeminatur corpus animale, reſurgit corpus ſpirituale. Quæras hic quo diſcrimine ſeparetur animans humanum corpus anima, ab ea quæ ſuprà quoque cæteris animantibus tributa eſt, Producat terra animam uiuentem. Quæſtionem diſſoluunt animæ qua homo præditus eſt, munera. Si ſenſum cum quo motus & appetitus coniunctus eſt, & uim gignendi ſobolis ſpectes, ſimilitudinem intelligas: ſin intelligentiam & rationem conſideres, multum intererit, qua cætera animantia careant. Rationem autem in נשמת חיים, id eſt in uitali animo quoque comprehendi, imago Dei, ad quam primus homo formatus eſt, & ſine mente non conſiſtit, ſatis declarat. Chaldæus igitur interpres, ut eam uim exprimeret, qua præcipuè homo à cæteris animantibus differt, pro נפשת חיה uertit לרוח ממללא id eſt in ſpiritum loquentem. Quod oratio ex tot animantibus hominis propria ſit, mentis uiuum ſimulacrum, & ſacri ſpiritus eiuſque oraculorum ad homines interpres. Quare ſapienter Græci uno uerbo λόγον rationẽ, ſermonẽ & numerũ efferunt. Hac animi uitalis parte uſus Adamus deũ fabricatorẽ cognouit, rerũ origines intellexit, & cunctis pro cuiuſq; ui & natura nomina poſuit, et per eandẽ illam animi uim uoluntatẽ Dei, dè rebus fugiendis et expetẽdis, ut iam diſcemus, intellexit. Quod munus indicat ipſos animos immortales eſſe, et ſic generatos à deo qui eius ſuſticiæ, ſapientiæ, lucis, gloriæ fierẽt in ſeciũo Adamo conſortes.

Quo

Quo beneficio cætera animantia per suas animas non ornantur. Atque hanc humanorũ animorũ præstantiam partim in ortu, partim in uerbis נשמה et חיים indicari dicunt. Nam si ortus spectetur, legi hic non ex terra, sed ex inspiratiõe Dei illos originẽ suã ducere. Quæ inspiratio declarat animos nos libatos haustos et acceptos ex diuinitate habere: sin uerò uocula נשמה consideratur, hæc quia affinitatem cum שמים habet indicat animorum naturã cœlestem esse nõ terrestrẽ. Vox autem חיים dualis numeri animos nostros & in præsenti & altero mundo uiuere declarari uolunt. Quòd aũt Deus hunc cœlestẽ & diuinũ halitum in corpus suis membris conformatũ demerserit, id sapientes homines factum arbitrantur ut in hoc ergastulo ac carcere uariæ crucis igni probatus animus nihil impediente terrestri labe ad suam puritatem adduceretur. Quèadmodũ etiã aurum nõ aliter q̃ igni in terreo uase admixto plũbo, quod sex metallorũ est, purificatur.

Plantauerat.] Iam antea die tertio, ut esset ex prouidentia diuina locus paratus, quem futurus homo coleret. Nõ seruatur hic historiæ creationis ordo, sed subiungitur formationi hominis narratio de paradiso, ut quæ in hoc loco gesta sunt, ad magnarum rerum præludia cõmodius exponantur. Hæc igitur de paradiso cõsideranda fuerint. Primò qualis hortus fuerit, cum nonnulli spiritualem eum fuisse fingant: deinde quem situ habuerit: tum quibus arboribus eum Deus cõseuerit, quæ uitæ arbor & cur ita appellata, & quæ scientiæ boni & mali, & quare ita nominata sit. Præterea ut flumina paradisum irrigantia, exponenda sint. Postremò quem usum terrenus paradisus, & quam mysticam significationem cum arbore et fructu uitali atq; cum fluminibus tenuerit. De singulis ordine docebitur.

Paradisum uoluptatis.] Heb. גן בעדן, Hortum in Eden. In hìc nota topographiæ est interpretũ sententia. Ideo Græci παράδεισον ἐν ἔδεμ. Eden igitur propriũ nomen est loci à delicijs, ut apparet, sic appellati. Nota enim est uocis hebraicæ ערן significatio. Atque hæc horti omni genere uoluptatum affluentis amœnitas & Adami integritati, & allusioni ad cœlestem paradisum conueniebat.

A principio.] מקדם ab oriente. similiter Græci πρὸς ἀνατολάς. Paradisum ad eam partẽ Eden planatum fuisse, quæ primò luminis radios excipit. Quo honore postea quoque in lege oriens habitus est. Tria igitur hic loca spectantur, oriens, Eden, hortus.

In quo posuit hominem.] Non legitur, creauit. sunt igitur qui hominem extra paradisum creatũ putent, alij aliter, qui simile genus locutionis afferunt. Infrà enim legi: Et ædificauit Dominus Deus costã quã tulerat de Adamo in mulierẽ, & adduxit eam ad Adamum. Dicas: Nónne tota terra cessura erat homini in paradisum, si in innocentia permansisset, suprà enim legimus: Crescite & multiplicamini, & replete terrã. cur igitur hic meminit hortuli priuati ad orientem consiti? Prænouerat Dominus casurum Adamum ideo ad adumbranda futurarũ rerũ mysteria, certũ locum instruxisse uidetur summa amœnitate ornatum, quem innocens Adamus incoleret, & peccator factus desereret, ad repræsentandum paradisum cœlestem, sanctis aperiendum, & profanis occludendum. de quo Dominus ad latronem: Hodie mecũ eris in paradiso. Eodem cõsilio particularis orbis regio, terra Chanaan, quæ quadam figura significaret hortum regni cœlorũ delecta est, in qua populus ex omnibus terræ gẽtibus segregatus habitaret. Vnde hæc propter mysticam no tam paradisi nomine appellata fuit, גן עדן uidelicet. Veluti legimus apud Ezechielem his uerbis: Terra illa inculta facta est ut גן עדן, id est hortus Eden.

Produxitq; Dominus Deus.] Exponitur cultus paradisi.

De humo.] ut cultorẽ. Nam terrenus hortus terreno, cœlestis cœlesti conueniebat cultori.

Omne lignum pulchrum uisu.] Similiter Græci ὡραῖον εἰς ὄρασιν. Heb. pro pulchrum habent נחמד expetibile. Sed nota metalepsis est, qua illi usi sunt.

Lignum uitæ.] arborem, cuius fructus ad tuendum à morbis, lassitudine, senio, corpus accommodatus esset. Remoto typo de arbore uitæ cœlestis paradisi legimus: Vincenti dabo edere de ligno uitæ, quod est in medio paradisi. Hoc lignum uitale exprimit Esaias, Et egredietur surculus, &c. De eius autem esu uitali Ioannes 6.

Lignumq; scientiæ.] cuius fructus recta corporis constitutione conuulsa per inobedientiam, concupiscentiam páreret boni & mali sensum continentem. Vocatur & Christus à theologis arbor scientiæ boni & mali, sed alia ratione: ea uidelicet, qua in eo æternæ rationes ac leges de bono expetendo & malo fugiendo continentur, quas etiam genij consulant, qui se alicubi uocet uiam & ueritatem, itaq; ueteres sapientes dicunt hanc de bono & malo legem in uerbo & sapientia Dei quæ Christus est fuisse ante quàm daretur. Sed longè aliter hæc scientiæ boni & mali arbor se habet, quàm illa quæ Adamo ad uescendum ex ea prohibita fuit. Etenim alterius esu mortem contraxit, altera qui uescuntur, uitam adipiscuntur.

Et fluuius egrediebatur.] Terra iam die secundo arida facta.

De loco uoluptatis.] de loco Eden, non de paradiso. Vbi hæc regio Eden cum horto situm tenuerit, & qui horum quæ hic memorantur fluminum, fontes cursusq; fuerint, Moses non explicat, & maledictio diuina quam peccatum induxit, ita per diluuium omnia uastasse uidetur, ut Eden et paradisus nomina uerè solũ remanserint: res uerò hoc est amœnitas & ubertas perierit, modicis solum uestigijs primordialis fertilitatis relictis. Vt solent per peccatum omnia in deterius degenerare, cœlum, terra, stirpes, animantia, hominum & corpora & animi, ut argumento sunt præter paradisum Sodoma & Gomorra, et terra ipsa Chanaan, solitudo quædam & desertum, propter Iudæorum rebellionem facta, quæ olim omnium rerum copia abundauit. Itaq; potuit fieri, ut fluminum quæ hic recensentur, fontes et aluei cõmutati sint, ut cum tempore etiã, lacus, paludes & maria ipsa sedes suas commutasse leguntur.

guntur. Veruntamen si argumenta & indicia, quæ quidem sacræ suppeditẽt literæ, sequi libet, neq; de India, neq; de Aethiopia illa meridionali, neq; de Aegypto ad meridiem & occasum exposita, à Mose hic in descriptione Eden loci & horti factam mentionem dicemus. Nam neq; meridies, neq; occasus cum paradisi situ ad ortum consiti, neq; omnis orientalis plaga conuenit. Sed ea quæ literis sacris nota est & celebris, ut est regio quæ Armeniam, Assyriam, Babyloniam, & Arabiam continet. Proinde paradisi situm partim ex locis memoratis, ut sunt Hauila et Chus: partim ex fluminibus, ut sunt Euphrates & Tigris: partim ex opibus quas refert Moses, ut sunt aurum, margaritæ, & gemmæ pretiosæ, cognoscere licebit.

Phison.] Dissensio est de hoc flumine. Iosephus, quem nostri sequuntur, de Gange Indico interpretatur. Hebræi quidã de Nilo. At uerò neuter fluuius huc congruerit. Nam Nilus in remotissimis meridionalis plagæ locis exortus, per Aegyptũ decurrens ab oriente, cuius hic fit mentio, longius abscedit. Gangen autem nõ tolerat id quod hic legimus, Qui circuit omnẽ terram Hauila. Constat autem Hauilam Arabiæ adnumerari, quæ Assyrijs, per quos Tigris & Euphrates labuntur, uicina est, ueluti liquet ex ijs quæ infrà dicuntur: Habitauit autem Haula usq; Sur, quæ respicit Aegyptum introeuntibus Assyrios. Et non longè ante hunc locum legimus inter filios Iectan referri, Saba, Hauila, Ophir & Iobab. Apparet ergò uicinos fuisse populos, qui ab his fratribus progeniti sunt. Ezechiel propheta cum Armenijs, Assyrijs, Haran gente Mesopotamiæ negociatores Eden signate his uerbis contungit: Haran & Canne & Eden, negociatores Sabæ, Assur, & Chilmad, negociatores tui. Ex quo loco intelligimus regionem Eden non in India, neq; in Aethiopia illa meridionali, sed ubi hæ quæ iam numeratæ sunt gentes, sedem habent, locatam esse. Neq; Eden nomen (unde Græcis proculdubiè sua ἥδονὴ) ab Arabia fœlice abhorret, quæ auro optimo, gemmis, margaritis, & omni fructuum genere abundat. Phison igitur, quod nomen in reliqua quod sciam, scriptura non reperias temere, Indicus Ganges minimè fuerit, sed uel uicinum Euphrati, uel Tigridi, aut deriuatum ex alterutro flumen existimandum est.

Bdellium.] Græci ἄνθραξ, carbunculus. Nonnullis unio. Narrant enim rerum scriptores margaritarũ suum in Assyriæ & Armeniæ fluuijs prouentum esse. Quod ex sententia Charetis Mitylenæi, Athenæus libro tertio Dipnosophistarũ confirmat. Comprobant hanc suam opinionem ex Numeris. Erat autem manna, quasi semẽ coriandri specie bdellij. Alij sunt qui bdellium arborem interpretantur claram gummi.

Onychinus.] שהם Chaldæus ברלא beryllum, Germani Berlin, Græci πράσινος, id est, porraceus, porri formam præferens.

Geon.] Iosepho & nostris Nilus est: sed paradisi situs & reliqua flumina reclamant. Aben Ezra uult esse flumen uicinum terræ Israelitarum, citans locum ex libris Regũ. Si de nominibus omnino non constat, descriptio tamen Mosæ indicat flumina quæ paradisum irrigarunt, uicina inter se fuisse.

Aethiopiæ.] Non illius meridionalis, ut nonnulli admonent, quæ in scriptura sacra nobilis non est: sed orientalis uicinæ Assyrijs, cuius sit mentio in Regum & Paralip. libris. Cuiusmodi sunt Arabes, Madianitæ, & Ismaelitæ. Hos autem numerari in Aethiopibus, declarat uxor Mosæ filia Iethronis, sacerdotis Madianitarum, quæ Aethopissa in Numeris dicitur. Itaq; sunt qui hos Aethiopes ab Homero intellectos uolunt, ubi duplicem Aethiopiam distinguit, alteram occidentalem, alteram orientalem:

Αἰθιοπάς τοι δίχθα δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν
οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.

Tigris.] חדקל à ueloci cursu sic appellatum ab Hebræis flumen. Barbari quoq; propter celeritatem cursus ita nominare quasi sagittam, produntur.

Contra Assyrios.] קדמת אשור ad orientalem regionem Assyriorum.

Euphrates.] פרת à fertilitate nomen adeptus, ut etiam Phison. Euphrates & Tigris ambo flumina ex Armenia manant non ita longo interuallo fontibus distantibus, quorũ alter Euphrates uidelicet, ampliori alueo profluit, modò in occasum, modò in austrũ, modò in boreã sinuoso flexu prolabens, Tigridi tandem ad Babylonẽ scissis antea alueis orientem uersus insinuatur, amboq; inde iunctis aquis decurrentes in Persicũ sinũ exonerantur. Proditũ est, utrunq; flumen iisdem ferè temporibus, sole uidelicet Cancrũ subeũte, Mesopotamiam annua inundatione uberare. Causam incrementi in liquefactas in montibus maioris Armeniæ niues, referunt. Eo tempore tanta fœcunditas agrorum existit, ut exiles quinquagesimo, cultiores etiam centesimo fœnore respondeant. Remanserunt igitur paradisi in Mesopotamia & Sabæorum regione sua uestigia. Atq; ubi is consitus fuerit, ex his quæ attulimus ex Mose & reliqua scriptura, non leuia argumenta & indicia patent. Quo magis mirum sit, tantam extitisse controuersiam de paradisi situ, alijs inter terram & lunam illam locantibus, alijs sub æquinoctiali, alijs alibi, quibusdam fingentibus omnia spiritualia de hoc horto. Indubitatum esse debet, paradisum floruisse ubi flumina hic commemorata labuntur, in Syria uidelicet & Arabia. Nam qui secus sentiunt, historiæ ueritatem dissipantes, inutiles allegorias sequuntur.

Vt operaretur.] Cultus horti mandatur Adamo. locus de ocio inuiso apud Deũ. Sed dissimilis cultus terræ fuit qui post contractã noxam consecutus est: alter molestia caruit, alter non item. de quo infrà: In sudore uultus tui, &c. Tanto discrimine separantur iustitiæ & peccatum.

Et custodiret.] à feris & bestijs, quarum imperium tenebat: aut, ut nonnulli præclarè seruata iustitia per uitationem arboris scientiæ boni & mali. Sequi enim: Præcepitq; ei. Duo igitur munera iniunguntur homini posito in paradisum: alterum, colere hortum: alterum, custodire. cultus qualis fuerit, & quàm dissimilis ei qui contractam culpam consecutus est, ex ipsa

historia et discrimine probitatis, improbitatisq; liquet. Custodia partim in innocētiæ studijs partim in ijs quæ innoxiū statum corrumperent, cauendis uersabatur.

Præcepitq;] *Aperitur iam ludus & schola spiritus sancti, & aguntur hic præludia magnarum rerum, de quibus paulò pòst. Adamus nominatur ut primarius sexus, cui ut capiti uidetur, primo lex tradita, quam ipse mulieri exponeret. Præceptū enim hoc ad utrosque pertinet, ut communis fuit ex paradiso exterminatio, & capitis supplicium. Huc spectantes Græci,* φάγητε ἀπ' αὐτῶν *pluralem pro singulari reddunt, id est, comedatis ex eo.*

De ligno autem scientiæ boni & mali.] *cuius fructum nouerat Dominus lætalem fore. Mandatum igitur fuit clementis, non irati Dei. Dicas, legem occidère & damnare, Apostoli sentētia, & ibi esse transgressionem, ubi sit lex. Duplex legis munus est, unum proprium, alterum alienum & fortuitum. Proprium, docere est quæ fugias, quæue expetas. Alienum, damnare & occidere, si quæ docuit non serues. Hoc officium peccatum imponit, nō legislator, à quo cum lex ponitur ad uitam, ea per peccatum exitium affert & mortem.*

Ne comedas.] *Bipartitum genus legis est, unum uetans, alterum iubens. uetans hic traditur.*

In quocunq; die comederis.] *Ratio mandati.*

Morte morieris.] *Certitudo oraculi Hebraica* ἀναλλαλώσια *indicatur. Accipitur hic* ὄρος, *hoc est, certum mortalis sortis decretum. Nam statim ut uetitus cibus in uiscera deiectus est, mortalis conditio primos parentes inuasit, corpore uergente ad interitum semel inductum. corruptum corpus, exitialis labes totā naturam uitians consecuta est. Hæc est horrenda pernicies peccati originalis, quod iustitiam, id est, uniuersam integritatē primi status labefactauit, atq; euertit.*

Dixit quoq; Dominus Deus.] *Perseuerans in opere sexti diei, formationem fœminæ, & coniugij institutionem explicat, ubi quatuor expendenda sunt. Vnum est formans fœminæ causa & autor coniugij: alterum personæ, quæ matrimonij lege copulantur: tertium, ratio formandæ fœminæ: quartum, usus extructæ uxoris & instituti coniugij. de singulis ordine monebitur.*

Non est bonum.] *bonitate solitudinem non ferente.*

Hominem.] *effictum ad imaginem meam, quæ Christus est, qui quoq; ne solus esset ex eo sponsa Ecclesia cœlestis illa Eua ædificata est. Noster interpres ex Adamo commune naturæ nomen reddit, cum hoc loco uirilis sexus appellatio sit.*

Esse solum.] *postulante capite corpus, marito sponsam.*

Faciamus.] *Exponitur autor fœminæ & coniugij Deus ipse. Vnde fœminæ & matrimonij dignitas æstimatur. Solent enim opera ex suis causis ponderari. Contemnunt igitur Deum, qui uetant coniugia. Matrimonium etiam locus ipse in quo institutum fuit, paradisus uidelicet, et ipsa temporis uetustas, cōmendat.*

Adiutorium.] *Exponitur usus fœminæ & coniugij, qui uarius cernitur. Vnus in opera & studijs quæ uxor marito præstat tanquam corpus capiti. Alter in augenda sobole ad conseruandum genus humanum spectatur, de quo suprà: Crescite, & multiplicamini. Atq; is sanè usus fontem administrationis domesticæ, ciuilis, Ecclesiasticæ continet. Tertius adhibetur ad uitanda stupra, & probrosas libidines. Hæc utilitas medicinæ loco post uitiatam naturam coniugio accessit, quæ præstans uxoris commoditas est. Quartus usus mysticus est, qui uersatur in contemplatione coniunctionis Christi & Ecclesiæ, quam nobis arctissimū hoc uxoris & mariti uinculum repræsentat. De quo Apostolus ad Ephesios meminit. Hanc utilitatem & has commoditates uniuersas tollunt, qui uetant matrimonia contrahere, digni sanè, qui iam pollutis stupris, quæ nominare fas non sit, polluantur, quibus tantopere impollutum & sacrum coniugium displicet. Chaldæus pro* עזר *reddit* סמך *indicans, uxorem marito fulcīri & sustentaculi loco esse illius onera commodè sustinens. Rectè ergò definias matrimonium esse maris & fœminæ coniunctionē à Deo institutam ad procreandam sobolem, qua domestica, ciuilis et Ecclesiastica societas ad amplificandū Deū retineatur. Visum est ergo diuinæ sapientiæ & bonitati, ex matrimonijs quæ eorū maxima est dignitas, materiam sibi parare, ex qua ciuitatem cœlestis regni sui longè amplissimam extrueret. Quo nomine nobis magis grata debent esse matrimonia, & maiore sanctitate habenda, & liberi ex illis nati diligentius educandi.* Matrimoniū quid sit

Simile sibi.] כנגדו *quod præstò sit illi. Locutio obsequia prompta & expedita in uxore declarat. Huc respexit Apostolus, cum mulierem propter uirum factam dicit quæ uiro obsequens esset, & ut corpus capiti suo parēret. Non enim omne regendi & parendi officium & dignitatis discrimen, integræ naturæ status, ut neq; imperiū in liberos, neq; ciuile in iam aucta sobole recusaturus fuisset.*

Formatis ergo.] Ἀνακεφαλαίωσις, *qua repetit summatim creationem animantium, quo consilium de formanda fœmina commodius exponat.*

Cunctis animantibus terræ.] *die sexto ante hominem.*

Et uniuersis uolatilibus cœli.] *die quinto. Suprà ex aqua, hic ex terra uolatilia enata dicuntur. Indicatur animantium omnium utrunq; elementum, terram & aquam pro materia haberi, quæ est limus maceratus liquore. Græcis* ἰλὺς, *pro quo uidetur ὕλη apud posteros inoleuisse.*

Ea.] *tanquā indicia & notas diuinæ sapientiæ.*

Ad Adam.] *tanquam operum Dei in tam amplo mundi theatro spectatorem, ad eum usum mente & intelligentia cuncta quā cœlum, terra, maria patent, penetrante præditum.*

Quid uocaret ea.] *ex cognitis naturis eorum. Quæ indendi nomina facultas magnam & illustrem rerum cognitionem declarat fuisse in primo homine. Hanc peccatum originis miserè obscurauit, & uix te-*

mula

nuia illius uestigia reliquit. Sapientia igitur quam Salomon habuisse legitur in historia Regum, præ cæteris hominibus, per quam ut hic de Adamo legitur, dissere re de omni rerum natura potuit, gratiæ diuinæ donũ fuit. Vt est in sacra de Salomone narratione: Dedit autem Deus sapientiam Salomoni atq; intelligentiam eximiam, eamq; animi ubertatem quæ æquaret arenam maris ut non solum Arabas, &c.

Apellauitq; Adam.] Hic bipartitum munus animi præstantissimæ in homine partis se profert: unum in rerum naturis cognoscendis, alterũ in sermone uersatur, quo sensa animi de rebus certis nominibus exponuntur. Proinde rectè philosophi fontem orationis mentem dixerunt. Ergo hic non postrema imaginis diuinæ, ad quam homo conditus fuit, pars se aperit. Interpretes hic colligunt linguæ Hebrææ uetustatem qua usus sit in ponẽdis nominibus Adamus atq; hunc unum quodq; nomen per literas naturæ rei accommodatas imposuisse.

Adam uerò non inueniebatur.] ut cæteris animantibus, in quibus sua parta licebat cognoscere.

Immisit ergo.] Exponitur ratio & modus formandæ fœminæ.

Soporem.] תרדמה plus est quàm somnus. Ideo Græci ἔκστασιν uertunt, & Symmachus κάρον. Si alterum Adam spectes, ex hoc dum in cruce interquiescit, cœlestis Eua expromitur.

Tulit unã de costis eius.] Pars robustior in hoc ædificium sumitur, quod quantum onus erat laturum, non fugiebat architectum. Infrà: Cum dolore paries filios. Hæc est coniunctio copulæ coniugalis, maritus robur firmitatem suæ sponsæ communicat, & uicissim in eius costæ locum debilem carnem comprimi patitur, ut hac compressione lacuna excisæ costæ repleatur. Vnde uiro sua infirmitas muliebris, & mulieri firmitas uirilis. Itaq; infrà fœmina אישה quasi uira, quæ ex uiro extructa sit, uocitatur. In Adamo alterò parẽ commutationem reperias. Quid is communicat suæ uxori? Nos legimus in propheta: Si posuerit pro peccato animam suam. Item: Qui factus fuit sapientia à Deo, iustitia, & sanctificatio, & redẽptio. Sed quæ uicissim reddit sponsa? Legimus: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Cæterũ sunt qui צלעת de latere interpretantur, atq; uolũt fœminam ex integro latere, in quo primũ uiro adhæserit, exiructam: deinde diuulso latere separatã & perfectè post soporem seiunctam. Non commemoro hic ut nonnulli Græcorum sapientes lectis Mosaicis libris doceant à principio marem & fœminam coniunctos fuisse perdorsum, postea sectos ut è conspectu mutuo copularentur ad procreandam sobolem. Hac sectione factum, ut alter alterum tanquam dimidium sui tantopere expetat, mutuoq; amore mares & fœminæ exardescant. Et hoc esse quod suprà legitur, mulierẽ esse adiutorium uiri, & בנגדו id est, coram eo uersari.

Et ædificauit Dominus.] Tropus in בנה respicit ad costã, ex qua tanquã ex trabe extructum sit hoc ædificiũ. Suprà non minus aptè fingendi uerbum prope lutum memoratum fuit. Neq; reliquæ scripturæ sacræ ædificandi uerbũ insolens est. Infrà porrò Rahel dicit ad Iacobum: Accipe ancillam ut ædificer ex ea. Et eodem tropo liberi בניו dicuntur, quasi parentum structura & ædificiũ. Si Ecclesiam spectes, huius ædificiũ Heua indubitatũ typum prætulit. Frequentia apud Apostolũ ædificationis, domus structuræ nomina usurpantur, ueluti legimus: Dei ædificatio estis. Sacræ igitur literæ loquẽtes de cõdito homine uerbi creandi, fingendi, ædificandi, & faciendi utuntur. Dicunt enim Adamũ creatũ ויברא אלהים את האדם quod materiæ ex qua is factus erat, ex nihilo condita esset: factus aũt ex limo terræ dicitur, quòd speciosam partiũ corporis formã artificis solertia accepisset, quæ forma indicatur in uerbo ויצר, quod est sequacem materiã tantisper tractare, dum hæc formam mente conceptã assequatur. Ædificata aũt Heua hic dicitur è costa maritali, quæ instar ædificij sic parata sit, ut ad cõcipiendũ fœtũ & eũ gestandũ pariendumq; apta esset. In faciendi uerbo עשה præparatio & perfectio ad usum notatur. Itaq; de Adamo legitur נעשה id est, faciamus, hoc est, paremus & absoluamus eum ita ut nostri similis sit.

Et adduxit eam ad Adam.] Hæc sunt sponsalia & sacra fœdera quibus Deus fœminam tanquã para nymphus cũ marito coniunxit, commendans illam Adamo, ut futuram generandæ educandæq; sobolis coniugem. Non enim legitur hic, Et rapuit ad se Adamus Heuam: sed, Adduxit Deus. Quod significans Dominus dicit: Quos Deus coniunxit, homo ne separet.

Hoc os ex ossibus meis.] Confirmatio sponsaliũ. Hæc confessio continet omnium rerum communionem inter maritum & uxorem, domus, opum, liberorum, & studiorum. Qua concordi coniunctione nihil iucundius esse, etiam Græcus poeta intellexit:

Ἀνδρά τε καὶ οἶκον καὶ ὁμοφροσύνην ἔχητον
Ἐσθλήν· ἡ μὲν γὰρ τῆγε κρείσσον καὶ ἄμεινον.

Si Christum spectes, is suam Heuã quoq; pro carne & osse suo agnoscit per cõmunicationem cœlestis carnis & ossiũ. Qua confessione omnia Ecclesia cũ Christo marito suo communia obtinet, resurrectionem, uitam, iustitiã, deitatem, hæreditatem, gloriã. Atq; hæc ipsa est cõiugalis fides, quæ peccatũ, mortem, inferos, crucis ignominiam uincit. De qua Oseas: Et sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus.

Et caro de carne mea.] Hæc uerba indicant utrunq; os et carnẽ ex secto Adami latere sumptũ esse.

Ob hoc uocabitur uirago.] Mulier ut in cæterarum rerum, ita etiam in nominis uiri uenit communionem, quæ ab איש id est, uiro אישה quasi uira denominata sit. Elegans est Hebraica paranomasia, quã Latinè non exprimas.

Quoniam de uiro sumpta est.] Ratio nominis. Huc spectans Apostolus in priore quam ad Corinthios scripsit Epistola, dicit: Non enim est uir ex muliere, sed mulier ex uiro. Hinc quoq; illa uiri gloria quem ueneretur, dicitur, ut uir Dei gloria quem honoret, & cuius maiestatem prædicet. Depositio typo, occurrit

Christus, qui imago & gloria patris est, quẽ celebret & glorificet. Christi uerò sponsa Ecclesia gloria est, à qua magnifiat & prædicetur. Ergo quoniam Christũ repræsentat uir, is imago Dei dicitur, non mulier ab eodem Apostolo: Vir quidem non debet uelare caput, cum is sit imago & gloria Dei. Et quoniam mulier typus Ecclesiæ est, quæ ut Christo p omnia paret, & eo loquente ipsa silet: ita in sanctorum conuentu par est uirum loqui, mulierem tacere. Cuius obsequij et silentij symbolum in capitis uelamine, quod mulier gestat, notatur. Sed si deponas typum primæ molitionis, in Christo neq; masculus est, neq; fœmina, sed noua creatura.

Quamobrem relinquet.] priuatim habitaturus.

Et adhærebit.] Verbo דבק intima uiri & uxoris coniunctio significatur.

Vxori suæ.] Non dicit uxoribus, nec nisi una Heua exprompta est ex Adami costis: & Christo quoq; una solum sponsa est, uno capite non plura corpora tolerante. Itaq; pugnat eum creationis lege, marito plures una uxore, nubere.

In carne una.] Vir igitur si diligat uxorem, carnem suam dilexerit: & eam si odiat se oderit. Qui igitur inuisam Christus sponsam suam odio habeat? in quo typi corpus & ueritas cernitur.

Et non erubescebant.] pudorem fœda libidine suffundente quæ aberat. Præclarus fructus innocentiæ bene sibi conscia nuditas & animus pudoris nescius.

IN CAPVT III.

Sed & serpens.] Tres loci hic ad explicandum propositi sunt: Vnus de contracta inobedientiæ culpa à primo Adamo. Alter de mulcta ac pœna, qua rebellio mulctata est. Tertius Christi, qui noxa posteros Adami liberet, promissionẽ continet. Atq; hi loci hac ratione breuiter exponendi uidentur. Duplex humani generis status est, unus uetus, alter nouus. Vetus bipartitam habet distinctionem: alter integer est, alter corruptus. in utroq; expendimus qualis fuerit, quas causas habeat, & quæ utrumq; consecuta sint. Quod ad rationẽ integri status attinet, is nihil aliud fuit, quàm cõformatio totius humanæ naturæ ad imaginem Dei, in qua omnia labe & uitio, siue corpus, siue animus spectetur, carebãt. is porrò bene cõpositus, nullam dissensionem à Deo per prauas cupiditates sensit. illud autem præclarè constitutum, nutricantem, genitalem & mouentem uim perfectam, sensus ualentes & sanos habuit. In causis tam beati status numerantur Deus, obediẽtia, & arbor ipsa uitalis. Deus princeps causa & efficiens habetur, obedientia cum arbore uitali in conseruante & tuente incolumitatis causa ponitur. Effectus uerò integrum statum consecuti uarij fuerunt, qui partim in corpore, partim in animo cernebantur. corpus quidem à laborum molestia, fatigatione, sterilitate, morbis, senio & morte ipsa liberum erat. Animus uerò carebat quærendi uictus, regendæ familiæ, & educandorum liberorum, quæ negocium exhiberent, curis: & quod præcipuum liberæ uitæ donum fuit, caruit metu iudicij Dei: aspectum huius placidè tolerauit. securus de malis omnibus, ut cuius animus bene sibi conscius esset, & in reliqua parte nulla rebellio aduersus uoluntatem Dei illum tentaret, abessent nimirum cupiditates in corpore aduersus spiritum pugnantes: abessent turpes affectus, ira, odium, inuidia, ambitio, auaritia. Atq; hæc quidem omnium quæ in humana natura sunt partium inter se consensio, & cum uoluntate Dei conformatio, iustitia illa primogenita & originalis fuit præstantissimus integri et incorrupti status fructus. Hunc statum perpendens sapiẽs Salomon in Ecclesiaste suo dicit: Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum. Hactenus breuiter de integro statu. Corruptus illi omnia contraria habet, siue rationem eius siue causas, siue res effectas consideres. Quod ad rationem attinet, corruptus status ab imagine Dei recessus est, ac defectio, ut integer accessus erat, dum omnia in natura hominis à Christo archetypo dissentiunt ac discedunt. Corpus uitiatum, maléque affectum, sensus hebetes, & obtusi, animus dissolutus. Causa efficiens tanti uitij atq; tam praue affectionis duplex spectatur: altera exterior, altera interior. Exterior Satan est, qui ad decipiendum & ad afferendum exitium serpente & arbore scientiæ boni & mali, certis tantorum malorum instrumentis usus fuit. Interior uoluntas primorum parentum habetur. Has causas sui quoque effectus consecuti sunt, sed dispares & contrarij illis, qui suprà in integro statu expositi sunt, ut est optimæ constitutionis corruptio ac labefactatio, quam turpis concupiscentia in corpore fœdè aduersus Deum tumultuans, comitata est, dum animum quoq; labes afficeret spoliatum spiritu Dei, inducta in totam naturam rebellione contra uoluntatem diuinam, quæ peccatum illud originis est, quod ipsum Adamum & eius posteritatem, tot, tantisque malis inuoluit. Siue corpora, siue animos spectemus. Corpora laboribus fatigantur, morbis debilitantur, senio conficiuntur, morte contabescunt. Animi præter infinitas curarum quibus æstuant molestias, suos morbos, senium, mortem quoq; sentiunt, dum Deo diffidunt, & suis præsidijs niti nequeunt, dum Dei iudicium de peccato metuunt, & sua iustitia, qua careant, uti non possiunt, omnia tenebris, morte, & exitio obruentibus. Ex quo etiam uitio, morbóque originis hæreditario, tanquam ex uitiosa arbore uitiosi quoq; fructus eduntur: adulterium, scortatio, furta, odia, homicidia, ebrietas, ut Dominus atq; redemptor noster Iesus Christus, huius uitij sanator ait: Ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuicia. Hic igitur liquet quæ peccati originis natura sit. Hoc neque aliquid esse, neque prorsus nihil. Non quidem omnino aliquid, in quo priuatio iustitiæ, quam oporteat inesse ijs, quos morbus ille inuasit, contineatur. Priuationem autem rei alicuius quæ uerè sit, naturam non tueri ac nomen, satis est liquidum. Hinc qui hac labe affecti sunt, uanè esse, & uanitatẽ persequi dicuntur. Quam declarant tria illa uerba חבל שוא ארן in sacris literis frequentatæ,

tata. Neque etiam omnino nihil esse originis uitium, in quo omnia nulla re posita negentur, ex eo patet, quòd id partim personam uitiatã in qua hæreat, partim iusticiam quam nos habere conueniat, partim diuinam iram quæ in hanc confusionẽ desæuiat, suo ambitu cõprehendat. Nam is morbus humanã naturã tam fœdè deturpans, horribilem omniũ in illa partiũ confusionẽ inducit, dum ima per media cum summis non consentiunt deprauatione in corpore, sensu, mente, reperta. Quæ ordinis dissipatio efficit, ut ob eam etiam hæc uniuersitas laborare ab Apostolo dicatur, cũ ait uniuersam naturam conditam congemiscere cum filijs Dei, quæ his redemptis, suam quoq; à seruili interitu liberationẽ expectet. Quo nomine quã grauiter delinquãt qui hoc uitiũ capitale peccatũ esse negant, facile ex tantis malis quæ illud in mundum hunc apportat intelligitur, ut sunt tot morborum & calamitatum genera, mors, Satanæ sæuum imperium, ira demum diuina, cui obnoxij reduncur quos hæc labes ex conceptu & partu ueteris genituræ inuasit. Hinc illa: Eramus filij iræ: item, Quemadmodum per unum hominem peccatũ in mundũ introijt, ac per peccatũ mors, & sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus. Sed quo peccato & peccauimus et mortui sumus? Peccato sanè Adami in nos posteros eius propagato uitiosa generatione, ut idem Apostolus ait, Nam si unius delicto multi mortui sunt: item, Nam si condẽnatio quidẽ ex uno delicto ad condemnationem: item, Itaq; sicut per unius delictũ propagatũ est malum in omnes homines ad condemnationẽ. Declarat etiã hanc labem exitialem esse uictima sacra Iesus Christus, quem sanguine suo hoc uitiũ purgare & morte sua tantũ malum expiare oportuit, ut est apud uatẽ: Morbos nostros ipse fert, & scelera tolerat. Vbi propheta & ipsum fontem peccatorũ morbũ originis & uitiosas actiones et facta ex fonte perturbato manantia piaculari illa uictima quã אשם uocat, sanari dicit. Quapropter uitium originis quid propriè sit, ex ijs quæ explicata sunt, hac definitione exponere licebit. Id nihil aliud esse quàm morbum hæreditarũ Satanæ primũ spiritu primis parentib. per ipsorũ inobedientiam afflatum, deinde eum per propagationem in posteros illorũ transmissum, quo humana natura ad rebellandũ Dei uolũtati propensa reddita, sibi mortẽ atq; condemnationẽ conflat. Ex hac definitione efficitur primò nõ per imitationẽ primi parentis, sed uitiosæ carnis propagatione nos uitiosos reddi. Firma enim est hæc sententia: Per unũ hominẽ in mundũ peccatũ peruasit. Deinde cõcluditur quamuis alienũ uitiũ sit originis peccatũ, tamen id ita transfundi in posteros, ut eo quisq; tanq̃ suo uitiosus efficiatur. Etenim quemadmodũ altena iusticia quæ Christus est, ita iusti reddimur ut unusquisq; tamẽ sua iusticia iustus dicatur, dum cuiq; suũ ex capite Christo iusticiæ & probitatis donũ fide cõmunicatur: sic idem usu uenire uidemus in morbo illo hæreditario à primo Adamo in nos posteros eius cum morte trãsmisso, quo uitiati nostra sponte & uoluntate dissentanea diuinæ uoluntati cupimus, consentanea aspernamur. Hæc tam horrenda opera nobis Satan & pernicialis inobedientia primorũ parentum per esum noxij fructus in orbem inuexit. In quibus sanè malis miserrimè perituri fueramus, nisi pro sua bonitate Deus ante cõdita secula de ratione aliqua prouidisset, qua tanta à nobis mala auerterentur, hoc est alterum Adamum sibi proposuisset, per quem omnia, qui alter et nouus status est quæ malitiosi serpẽtis uersutia perdita fore cognouerat, restituerentur.

Sed serpens.] Alijs Satanas, alijs bestia serpẽs accipitur. Vterq; serpens & terrenus & spiritualis intelligitur, alter ut author, alter ut instrumẽtum deceptionis. Alterum Moses ut literæ minister indicat, alterum Christus spiritus dispẽsator his uerbis explicat: Ille homicida erat ab initio. et Ioannes: Apprehendit serpentem draconẽ antiquum, qui est diabolus & Satanas. Non est quod hic percunctemur cur Satanas potius serpẽte usus sit, quàm alio animãte ad decipiendã Heuam. Primò ut id fieret sic prouidit Deus, cũ præter eius consilium temerè casuq; nihil eueniat. Deinde quàm aptam imaginẽ ac speciem hoc animal Satanæ præferat, nõ est obscurũ, & ex sequentib. patefiet, ut mirum non sit persuasum esse dæmones solere familiarius serpentũ figuras induere. Quod aũt serpentis occursum Heua nõ exhorruit, in causa fuit quòd tum nullum animans formidandũ homini erat: mansueta & innocua omnia homini adhuc insonti habebantur.

Erat callidior.] De hac uersutia Apostolus: Vt quemadmodum serpens Heuam decepit uersutia sua. Græci ערום φρονιμώτατος reddunt. Tribuit et Dominus serpentibus prudentiam, sed quæuis prudentia in serpẽtibus est, qui improbitate carent, ea in serpente Satana ut improbo dæmone, malignitas est, ac malitia. Atq; ערומה in loco πανουργία est et ערום πανοῦργος, ueluti Græci in Psal. uertunt κατεπανουργεύσαντο.

Qui dixit ad mulierem.] ut ad fraudem commodiorem sexum et iniuriæ propter infirmitatem opportunum, quod Satanam non latebat.

Cur præcepit uobis Deus.] Similiter Græci: τί ὅτι εἶπεν. Chaldæus בקושטא uerum ne est quod dixit Deus? Dolus nectitur in uafra & captiosa & ad deludendũ apta interrogatiõe, quæ dei præceptũ eleuet. Omnino enim uerbũ Dei studet tollere atq; eripere, quo suis mẽdacijs Heuæ fidẽ labefactet. Hæ sunt artes impostoris serpẽtis. Sunt interpretes qui אף בי pro quanto magis interpretentur, ut sit nota argumenti à cõparatione maiorũ et minorũ ducti: Quanto potius dixit uobis Deus ne de ullo arboris fructu ederetis, q̃ quod à tam suaui fructu abstineretis, ut intelligatur Satanam simul & arborẽ uitæ contemptã reddere, & arborẽ letalem scientiæ boni & mali commẽdare uoluisse. Hi colligunt integram disputationẽ nequaq̃ exponi, sed præcessisse quædam alia, quæ serpens cum Heua disseruerit. Oratio generis deliberatiui est, qua hortatur Heuam ut Dei uerbũ relinquat, & de fructu arboris scientiæ boni & mali comedat. Confirmationis argumenta ex locis commodorum depromit.

Cui respondit mulier .] Ociosa & absente mari to, cui quoq; occasioni serpens non defuit, ut solent incauti & creduli facile decipi & lædi. Alij sexto die, alij septimo hãc tentationẽ factã dicunt. Vtriq; incerta afferũt. Verisimile uidetur nõnullis die septimo qui contemplationi operum Dei & uacationi ab operibus consecratus esset, à serpente insidias structas, atq; eodem die & in casum exitiumq; adductos primos homines, & ex paradiso electos, simul & prætermissi præcepti per inobedientiam & uiolati sabbati per neglectum gratiarum actionis cultum, pœna data.

Quod est in medio paradisi .] De arbore quoq; uitali suprà legimus: Arborẽ etiam uitæ in medio paradisi. Vicina ergo fuit arbor scientiæ boni & mali arbori uitæ.

Et ne tangeremus .] Suprà huius non fit mentio. Verisimile tamen est quo magis essent cauti, in mandato expositum, ne tangerent.

Ne fortè moriamini .] Immutauit uerba Dei, & pœnam in dubiũ uocat, quæ cum hac asseueratione intenta fuit: Morte morieris. Hæc excussi uerbi Dei et ruentis fidei initia sunt. Hic agitur stratagema summæ tentationis.

Nequaq; moriemini .] Leuiter impulso muliebri animo per præcepti eleuationem, apertius inuadit, cum arborem scientiæ boni & mali omni incommodo liberat, non solum in Euam iniurius, sed etiam in Deũ blasphemus, quem mendacem redarguens dicit: Nequaquam moriemini: cum tamen Deus suprà dixisset, Moriemini. Vnde Dominus: Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, atq; eius rei pater.

Scit enim Deus .] Suspectam facit bonitatẽ diuinam, interpretans inuidiam, quæ bonitas erat, quo infirmum mulieris animum à Deo auertat, & sibi adiungat.

Sicut dij .] Acommodat uper bus draco superbiæ affectum afflat. Percunctari hic licet ô serpens Satan, qui sint illi dij scientes boni & mali, & quid sit scire bonum & malum, númne cognoscere discrimen inter bonum & malum, sciréq; malum fugiendum esse, et bonum expetendum, at hoc modo Adamus insciens non fuit boni & mali, qui præditus ratione esset, ostendente amorem Dei in bonis, & contemptum in malis numerandum. Sin uerò intelligis cognoscere bonũ & malum esse, sensum boni & mali habere, utriusque peritum esse, iure quæritur ex te hic, quinam sint dij illi scientes boni & mali. Num Deus ipse? At is mali omnis, qui bonum ipse sit, expers est. Num angeli? At hi si boni sint, mali sensu nunquam tanguntur, in bono iam inde ab initio confirmati. Sin mali, hi boni affectione semper uacant, in malum à principio contempto bono auersi. Statim igitur hac aggressione uanum se & mendacem serpens Satanas declarauit. Dicas ab illo significatum Messiam, quem boni & mali peritum intelligeret fore, maledictum & peccatum factum, et sic tentatum ad amplitudinem paterni regni profecturum, atque huic simulem futurum Adamum gustato uetito fructu. Si sic intellexit perditus serpens similitudinem, propheta hic fuit, non qui amore ac studio Adami hæc prædiceret, sed cui mortẽ hac prædictione machinaretur, qui sciret hac similitudine eruciis firmas contineri quas ferret Adamus hoc modo sciens boni & mali redditus, atque ita sub necessitate consiliorum Dei hæc uaticinatum Adamo serpentem.

Vidit ergo mulier .] ותרא probantis est. Viderat quoque antea quæ cæca non erat: sed iam aliter uidet quàm antea, sic à serpente inducta.

Aspectuq; delectabile.] לתשכיל respicit ad, Eritis sicut dij scientes bonum & malum.

Et tulit de fructu illius .] Victoria Satanæ, sed tẽporaria, quæ erat illi funesta futura, & Heuæ in promittenda sobole salutaris.

Deditq; uiro suo.] Studio communicandi ex iure coniugij omnia quæ crederet bona.

Et aperti sunt oculi .] Conscientiæ, tum conscientiam patefactam fuisse de noxa, & expertos utrosque in quæ mala amissis bonis incidissent. Sed cum legis tripartitum munus sit, unum, docere quid agas ut uiuas, & incolumis sis, alterum patefacere noxam, tertium damnare & occidere: alterum munus hic indicatur, primum suprà, tertium infrà indicabitur, ne desit pædagogia legalis ad promittendum sospitatorem, de quo mox.

Nudos.] In corpore corrupto, fœda cupiditate ac libidine pruriente. Probrosa igitur fuit hæc nuditas, per quam nimirũ intellexerint uestitu innocentiæ & iusticiæ se nudatos. Quæ animi nuditas quàm fœda sit declarat illud apud Ezechielem: Denudabunt te uestimentis tuis, & auferent uasa decoris tui, & relinquẽt te nudam plenamq; ignominia. Quoniã uerò ערום hic legitur, uox nudum & astutum sonans, sapienter hic nuditatis fit mentio, cũ suprà astutiæ facta fuisset, qua serpens præditus esset. Nã Adamus et Heua exuti innocentia cœlesti, terrenam serpentis uersutiam induerunt, quam secundus cœlestis de cœlo Adamus euerteret. Sicut legimus apud uatem: Perdam sapientiam sapientũ. Sunt qui arboris scientiæ boni & mali fructum huiusmodi fuisse monent, qui comẽsus optimam corporis constitutionem labefactaret. legi enim: Quocunq; die comederitis, &c. Quam corruptionem sequens in corporibus turpis cupiditas pudorem de nuditate offuderit, & animi oculos de crimine & misero statu aperuerit. Nam scribi hic non oculos antea patefactos, boniq; & mali iudiciũ cum nuditatis sensu cõtigisse, quàm uetitus fructus in stomachũ transmissus concoctusq; fuisset. Dicas mortẽ per inobedientiam subijsse. Fatentur id uerum esse qui ita sentiunt. nisi enim inobediẽtiæ crimine se obstrinxissent, de hoc fructus genere nõ comedissent, sed præcipienti Deo obtemperassent, qui nouerat quod alimẽti genus cõseruandæ uitæ utile foret, et quod bonã corporis structurã ad concipiendam concupiscentiã corrumperet. Statuunt igitur hi mandatũ cum noxio cibo conuunctũ fuisse, neq; prius inobedientiæ culpã iudicari sentiriq; cœpisse, quàm qui prohibitus fuisset fructus gustatus esset.

esset. Sed dicat aliquis, non uideri innocentiæ statum tulisse quicquam noxium, neque in stirpibus, neque in bestijs. Si ita? Quomodo ergo dicetur Dominus requeuisse die septimo, si adhuc superfuêre rerum quædam genera tum non creata? Respondeas, de statu incorrupto illic loqui Mosem & de ijs operibus quæ illi competerent. Concesserint hi neque in ijs quæ ex terra gignuntur, neque in animantibus fuisse, quæ ante contractam noxam corpus humanum temere luxarent. Homini enim omnia ut duci suo dum regeret eum innocentiæ spiritus paruisse constat. Quemadmodum etiam post conflatam culpam, per Christum efferatissimis quibusque bestijs & uenenatis animantibus, ne noceant, idem imperandi ius reparatur. Vt patet id ex Iesaia, & Apostoli aduersus uiperam exemplo. Neque si dicamus uenenata primò condita, propterea opus istud bonitate sua & usu caruisse quisquam fatebitur. Reperias enim animantia quibus uenena & ad cibum & ad medicinam commoda sint & utilia. Varietatem non commemoro, qua ut uniuersitas hæc mirificè cõmendatur, ita nec à principio ab opifice neglecta fuisse uidetur. Quòd si uenenata et pestifera aliquo modo sunt mala, relata tamen ad hanc uniuersitatem bona iudicantur in diuinæ prouidentiæ rationibus. Vt etiam tenebræ ipsæ suam commoditatem habent, si ipsæ non in se quidem, sed in mundi huius dispositione considerentur. Quò spectans sapiens architectus apud prophetam dicit se bonum & malum, tenebras et lucem creare. Veluti si quis in domum fabri alicuius ingressus, reperiat præter recta instrumẽta, etiam obliqua: hæc si ad fabrilis artis rationes referat, suum quoq; usum obtinere arti accommodatum iudicabit. Non est igitur cur quis hic percũcletur, cur si à cæteris nullum fuit periculum primo homini, unus scientiæ boni & mali arboris fructus noxius fuerit, & quomodo in bonis numeretur, qui in tantam calamitatem Adamum & posteros eius adduxerit. Neq; hunc fructum noxium futurum fuisse dicunt, si ab eo per obedientiam abstinuissent. Itaque naturã lædendæ ualetudinis quam habuit, eam per inobedientiam declarauit. Qui si humano generi ad cibum commodus non fuit, propterea malum Dei opus censeri non debet, qui præterquam quòd alias multas commoditates habere potuit, quàm utilis fuerit, occasio per illum aperiẽdi Christi ad futuræ gloriæ possessionem, declarat, de qua re paulo suprà. Si innocẽtiæ status omnino noxium nihil toleraut, quid ergo faciemus Satanæ, cum quo nihil neque in uenenatis, neq; in immanibus bestijs nocendi ui comparari ullo modo poterit? si fragili corpore ex luto effictus est primus homo q aliquando pateret tentatori serpenti, quid uetat quo minus dicatur etiam consita fuisse arbor in paradiso, quæ debilem illam & infirmã fabricam dissolueret, ut fuit consita arbor cuius fructus illam conseruaret. In quo clementia Dei magna declaratur, qui cũ sciret illius arboris naturã hominis ualetudini incõmodam fore, ipse ne ex ea ederet per mandatũ præmonuerit: cui cũ minus obtemperarũt primi parentes, culpa sua periclitati sunt, qui Dei bonitate seruari noluerunt. Non commemorãt qui sic sentiunt, in quo statu fuerint hi ante sumptũ uetitũ fructũ, quamq; dissimilis labendi ratio Satanæ eiusq; socijs esse debuerit, & primo homini ad Dei imaginem, qua carent semel maledicti, condito.

Folia ficus.] Hoc loco colligunt quidam ficum fuisse hunc prohibitum aduescendum cibum. Si ita, cur igitur non addidit Spiritus: Et consuerunt fõlia de arbore scientiæ?

Et cum uidissent.] Alter locus qui accusationem & sententiam de irroganda pœna continet.

Domini Dei.] Ad iudicandum accincti per ministros angelos, de quibus propheta: Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.

Deambulantis.] Sunt qui מתהלך ad uocem referant, quam obambulantẽ audierant. Nam חרלבח uoci quoq; tribuitur, ut legimus de tuba: שופר חרלח קרלח.

Ad auram post meridiem.] Hebræus לרוח היום ad auram diei. Noster interpres similiter Græcis uertit, qui reddunt δειλινὸν. Eodem modo Hebræi qui de tempore uicino לערב id est uesperi exponunt, quo soleant uenti aspirare diei calorem frigore temperantes. Paraphrastes Chaldæus לרוגח, id est sub quietem diei quo æstus remittit, & cuncta ad quietem se dant. Vespera mysterio nouissimorum dierum, quibus Messias expiator noxæ & restitutor uitæ repræsentandus erat, congruit.

Abscondit se Adam.] flagitij sibi conscius, quod Dei iudicium non sustinet.

A facie Dei.] Contrà affecta est innocentia & iustitia fidei. Hic conspectum Dei fugit Adamus, quem suprà toleraut, & quem sancti per fidem ferũt. Sicut legimus infrà: Noa uir iustus atque integer cum Deo ambulauit. Item, Ambulauit Enochus cum Deo. Iam dispares fructus sunt probitatis & improbitatis.

Vocauitq;.] ad iudicium. Accusatur primò Adamus, qui primus ut caput, legem acceperat. Legimus enim suprà: Præcepitq; ei dicens. Oratio hæc generis iudicialis est, accusationem & defensionẽ continens. Accusator & iudex Deus est corporali specie ac uoce causam suam per angelos agens. Rei qui in ius uocantur tres sunt, maritus Adamus, uxor Heua, serpens impostor. Res aũt quæ in iudiciũ ueniunt, inobedientiam primorum parentum & Satanæ fraudem continent. Pœna nõ eadem, ut nec personæ culpa obstrictæ pares fuerunt.

Vbi es?] Exordium accusationis. Scisciatur non ut discat, qui nouerat omnia: sed ut sic interrogando Adamum ad confessionem noxæ & ad pœnitentiã adducat. Ἀφορμὴν igitur, ut patres uerè dicunt, μετανοίας & ἐξομολογήσεως, id est occasionem pœnitentiæ & confessionis hæc interrogatio habet.

Et timui quòd nudus essem.] Prætexit nuditatem fugæ, qui statim rebellionis crimen confiteri debebat, quod præ metu primò celat. Et cum in genere iudiciali tres quæstiones cernantur, quibus omnis controuersia conijcitur, An sit, quid sit, quale sit: quod

attimet ad quæstionem. An sit, qua quæritur an cõmissum sit scelus nec ne, primò non confitetur culpam perfidiæ, sed eã dissimulat, fugæ prætendẽs uocem Domini, & nuditatem suam. sed cur ô Adame causam fugæ reijcis in uocem Domini, quam antea tam placidè semper audieras? & cur nuditatem causaris, quæ prius tibi ornamento fuerat? Ideo pergit Dominus in exquirenda noxa & ueris fugæ causis.

Quis indicauit tibi quòd nudus esses?] cur erubesceres de nuditate.

Nisi quòd ex ligno.] Hebræa interrogatio apta est ad extorquendam confessionem facti. Lege, quæ uerissimus peccati testis est, urget conscientiam Adami.

Dixit Adam, Mulier.] Conuictus legis testimonio de commisso facinore, translatione utitur ad excusandum factum, reiecta culpa in uxorem. Vbi expurgationem sui quærit, et à persona Dei qui tanquam auspex coniugij Heuam sibi coniugem dederit, cum qua omnia communia haberet, & ab ipsa uxore coniuge, cui nihil ex iure coniugij denegare potuerit. Sed ô Adame, qui prior acceperas mandatum, & qui caput & maritus eras, debueras potius obtẽperare Deo, quàm uxoris blanditijs à Dei lege auerti. Huic imperare te ad laudem opificis, cuius imago eras: non parêre, neglecta lege illius, oportebat.

Dedit mihi de ligno.] Fatetur se comedisse de fructu arboris, sed oblato ab uxore: ita tamẽ ut hanc impostura sicut Heua serpentem minimè redarguat. Neq; enim hic legitur delusum Adamum, sed mulierẽ: neq; mulierem decepisse, sed serpentem peccati autorem, qui solus hic mali doli postulatur. Atque id ipsum argumento est, Adamũ colloquio serpentis & Heuæ non interfuisse. Huc referenda est illa Apostoli ad mulieres admonitio: Adamus non fuit deceptus, sed mulier seducta. Quæ hic subsit mystica ratio, & quo uterq; fuerit animo ante gustatũ uetitum fructum, pijs cogitandum relinquo.

1. Tim. 2

Et dixit Dominus Deus ad mulierem.] Accusatur mulier.

Quare fecisti hoc?] Duplicis criminis accusatur, & comesi fructus, & eius dati uiro.

Quæ respondit.] Defensio ex locis status assumptiui.

Serpens decepit me.] uerbo tuo mihi adempto per fraudem illius.

Et ait Dominus Deus.] In iudicium uocatur serpens. Et quia neq; factum negare, neq; criminis purgationem ullam afferre potuit, non utitur hic in accusando ulla interrogatione iudex, sed statim serpens inexcusabilis, audit horrendam sententiam quæ sequitur.

Maledictus es.] Qui primus autor peccati fuit, primò pœnas dat, impares sanè Adami & Heuæ pœnis. Ille enim diris deuouetur, hi non item. Neq; id mirum fuerit. de diabolo enim legimus in Ioanne: In ueritate non stetit, non quòd aliquãdo ueritas, id est iustitia fidei in eo fuerit. subditur enim imbi. Quia ueritas in eo non est. Nam, ut uidetur, Hebræo uerbo usus est Dominus עבר quod in loco sungi efficio est, efficio & munere spiritu ueritatis eum non usum, quem Ioannes dicat ab initio peccasse. In Adamo autem & & Heua hæc ueritas ab initio fuit. Hi enim ad imaginem Dei conditi fuerant, & ante condita secula in promittendo semine ad uitam selecti gratia promissionis non exciderunt per serpentis astutiam, integritate iam amissa. In qua promissionis gratia quia Satan cũ suis partem nullã, ut capitalis illius hostis, habebat, cũ suis execrabilis pronũciatur, illi in Christo seruari confirmantur. Ideo alteris dicit Dominus ab exordio mundi paratam esse gloriam, alteris exitium. Cæterũ non prius damnatus legitur Satan, quàm decepisset hominem caput uniuersæ creaturæ. Huic cũ in sanctos angelos nihil liceret, qui essent & regno & conditione naturæ confirmatæ gratia, muniti, in hæc infima ipse deturbatus, qua fuit ingenij naturali perspicacia præditus, opera Dei perlustrauit: atq; primum hominem rimatus, quo ex terra fictile opus esset ad tentationem accommodatum, dolo Heuam ut infirmiorem sexum aggressus est. atq; hac labefactata, perniciẽ uniuerso humano generi per inuidiam attulit, ut dicit ille: Per inuidiam diaboli intrauit mors in orbem terrarum. Causa proculdubiè inuidiæ erat, quòd ipse de cœlo eiectus esset ab homine occupando: quæ hominis felicitas superbum dæmonem urebat, sed falsus is spe exitium sibi conflauit, illi per promissum Christum salutem. ut uerum sit illud Apostoli: Omnia cedere in bonum ijs qui secundum propositũ uocati sunt. Item illud, Lacum aperuit, & effodit eum, et incidet in foueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in uerticẽ ipsius iniquitas descendet. Is est impij serpentis et eius ministrorum miser exitus. Ex hac dissimili pœna quæ in Adamum et serpentem sathanam irrogata est, quid inter condonabile peccatum & incondonabile interfit, cognoscere licet. Nam Adamo & eius soboli Christus, qui ipsorum improbitatem sanet, & serpentem diris deuotum conterat, promittitur. Dices, Si originis uitium exitiale est, ut id suprà comprobatum satis firmis argumentis legimus, æque sanè id mortem attulerit & interitũ, atque ea noxa qua se Satan obligauit. Etenim lex pari seueritate mortis et condemnationis reos agit, quotquot sua sponte et scientes, contrà quàm Deus præcipit, quicquã cõmiserint. Vtrunque quidem peccatum, & originis in primo Adamo eiusq; posteris, & rebellionis in satana aduersus Christum, exitiale esse fatemur: modum tamen & rationem perdendi dissimilẽ in utroque cerni. Nam alterum quidẽ natura lætale esse sentimus, sed ita ut medicinam in Christo ferat, qui spiritu suo igneo uitium istud expurget, integritate reparata. De qua medicatione Dauid: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum liberalẽ in pectore meo renoua. Angelus item ad Ioseph: Pariet autem filium quem Iesum uocabis. Is enim suos ab ipsorum peccatis liberabit. Alterum uerò crimen quo in sacrũ Messiæ spiritum delinquitur, ita natura exitiale est, ut nullam medicinã admittat. Etenim qui illo correpti sunt, Christum unum salutis arbitrum capitali odio persequuntur, in miceq;

etiam

etiam cognitum insectantur, semel ab initio statim inter Satanam & Christum inimicitia sata, de qua hic: Inimicitiã ponam, &c. Vnde fit ut originis culpa quia medicum Christum tolerãti cõdonabilis habeatur, Satanæ delictum non item. Hoc enim in spiritũ sacrum peccatur, cognita ueritate qua Christus mundi seruator declaratur, contumaciter repudiata: per uitium uerò originis in filium cõmittitur, dum in hunc aut nondum cognitum ignoratione, aut si cognitus sit, infirmitate peccatur. In pugna ista carnis & spiritus, interdũ carne inuitis sanctis uincente. In quo certamine hi se peccatores agnoscentes orant cum Dauide, Miserere mei Deus pro magna tua misericordia, & uenũ consequũtur. Hoc modo peccatores q̃ sunt Deo inuisi, peccatores non sunt quos Christus in sanctis et cohæredibus suis numeret & agnoscat, ob peccatum tanq̃ maledictos non repudiet, ut qui ob eos peccatum quos liberaret peccato, et maledictum quos eximeret maledictione, factus sit. Hinc illud: Non ueni propter iustos, sed propter iniustos, &c. Secus serpens cum suis ministris compositus est. Qua propter in ijs qui ex Adamo nati, soboles promissionis, hoc est scripti in libro uitæ sunt uitium originis cum factis suis si extra Christum seruatorem consideretur, natura sua lætale est: sin in Christo ut medico perpenditur, sanabile ueniæq; particeps fuerit. contrà se habet serpentis et repudiatorum noxa, quæ cum per rebellionẽ Christũ respuat, insanabilis est & ueniæ expers. Qua nimirum uitiati sermone illo condemnabuntur, de quo Christus ipse: Sermo meus quem locutus sum, ille iudicabit eum in extremo die. Itaq; Ioannes de altero peccati genere sic ait: Filioli mei ne peccetis, et si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem Iesum Christum iustũ. De altero uerò: Est peccatũ ad mortem, non pro illo dico ut roges. Hoc genere criminis obstringit se Satan & omnes cum eo maledicti, & adignem æternũ damnati. peccatum igitur quod in spiritũ admittitur, propriè est repudiatorum & maledictorum ac uasorum iræ, non electorum ante conditum mundũ in Christo ad uitã. Sed dices, in uitio originis quoq; contineri peccatum in spiritum sanctũ: per illud enim nos propendere ad odium Dei & ueritatis, & ad omnia crimina lege diuina prohibita. Verũ id esse fatemur. Nã istud uitiũ contra totam utrusq; tabulæ Mosaicæ legẽ pugnat, semina omniũ scelerũ continens. Graue siquidẽ id esse oportet & horribile peccatũ, quod nõ nisi sacrosancto sanguine seminis hic promissi expietur purgeturq;: sed hoc tamen hic cogitandũ fuerit, semina odij ueritatis ut se palàm proferãt sub patefactionem Euãgelij Christi impediri in electis per electionis gratiam, qua illorũ pectora præparata Euãgelio suppressa propensione ad rebellandũ, credunt: ut indicant illa: Oues meæ uocẽ meam audiunt: item, Crediderunt quotquot ordinati erant ad uitam: item, Quos prædestinauit, hos & uocauit. Qualis præparatio in maledictis noxæ in spiritum sanctũ obnoxijs nõ est. Atqui de hoc argumento alijs locis copiosius.

Inter omnia animantia.] Adhibẽda dijudicatio spiritualis qua utrique serpenti sua execratio, externo exterior, & interiori interior tribuatur. Alterã describit Moses, alterã Christus hostis & uictor serpentis.

Super pectus tuum.] Exponitur forma execrationis ac diraríũ. Si bestiã spectes, maledictio sensibus nota est, nam serpentes humi serpentes in cauernis latent, cœli et eius lucis fugitantes. Sin Satanam, hunc de cœlo deiectũ humi prorepere manibus bonarũ actionum et pedibus sanctorũ affectuũ spoliatũ, declarant, eius studia et cogitationes, quæ terrena et nihil cœleste spirant. De quo D. Videbã Satanã sicut fulgur de cœlo cadentẽ. Dignã sanè pœnã ingenio suo luit, ut in terra obuolutus tenebris et caligine uersetur, cui lux, fides, iusticia, innocentia, & omnia cœlestia iam inde ab initio inuisa essent. Contraria ratio Christi est & sanctorũ, de quibus apostolus: Superna curate, nõ terrestria. Et de Christo: Vbi Christus est ad dextrã Dei sedens. Apta figura serpens super terrã pronus repẽs, uenenatus, lucifugus, nobis principẽ tenebrarũ Satanam repræsentat. Hunc alij rectũ & excelsum à Deo factũ, post cõmissum aũt scelus deiectũ humi: alij erectum quidẽ à Satana, quo cõmodius loqueretur cũ muliere, et deinde iussum in pectus et uentrẽ procũbere. Qui typus in superbũ Satanã non malè congruit.

Et terram comedes.] Terræ puluis ac lutum serpenti pro cibo, unde illi uenenũ, datur, cæteris animantibus herbæ. De quo Micheas: Lingent puluerẽ sicut serpentes. Item Iesaias: Et serpenti puluis pro cibo. Remoue typum. Satanas cœlesti cibo destitutus (de quo in Ioanne, Ego sum panis uitæ) terreno cũ suis terrenarum cupiditatum alimento nutritur.

Inimicitiam ponam inter te.] Quæ huc usq; durat, dum posteritas Heuæ serpentum capitibus infesta est, et illi calcaneis nostris, quæ mordeãt, et eis uirus affundãt, insidiosi. Sed hic typus in Satana ueritas signi.

Inter semen tuum.] impios, de quibus Ioannes: Progenies uiperarum.

Et semen illius.] Christum & membra eius. Hoc loco hæc annotantur: primò principatus tenebrarum, quem Satan peccati autor gerit: deinde huius soboles, de qua Christus in Ioanne: Vos ex patre diabolo estis, & desiderijs patris uestri uultis obsequi. Tertiò principatus lucis & iusticiæ, quẽ Christus iusticiæ & lucis autor obtinet. Huius progenies quod quartũ est, sancti sunt. Vt igitur perpetua dissensione dirimuntur lux & tenebræ, iusticia & iniusticia, uita & mors, ita ἀσυμφωνία, hoc est irreconciliabile bellum inter Christum & Satanam, inter prolem Satanæ et sanctos accenditur. Quod enim cõsortium, ut apostolus dicit, iusticiæ cum iniusticia? aut quæ communio luci cum tenebris? aut quæ concordia Christo cum Belial? Itaq; in Apocalypsi Ioannis legimus, quõ agnus uitæ ab origine mũdi occisus sit, Sathanæ uidelicet proposito & uoluntate. Et in hac inimicitia perstitit, dũ eum tam natum, per Herodem in cunis per, equeretur, eumq; iam adultũ, et docentẽ odio, minis et multis malis afficeret, tandemq; cruci affixũ occideret. Discordiã aũt inter pios et impios reliqua scriptura sacra diligenter commemorat.

memorat. Sic Cainus Abeli, Caini ꝓgenies Sethi genẽ ri infesta fuit. Esaus Iacobũ, Aegyptij, Cananæi, Assyrij Israelitas, Dauidẽ Saulus: impij reges ꝓphetas, scribæ & pontifices apostolos, hypocritarũ gens omnib. seculis ueros fidei professores odio prosequitur. Sed in hoc prælio quis abit uictor? sequitur.

Ipsum conteret.] nõ aliud. Emphasis est in demonstratione הוּא quã Petrus in Actis explicat. Non enim aliud nomẽ sub cœlo datũ est inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Excluditur hic natura, lex, opera legis et omnia. Tertius locus q promissionẽ Christi continet hic exponitur: Dicas, Moses de posteris Heuæ loquitur, qui serpentũ caput sint infestaturi, de Christo nulla aperta facta mentione. Respõsio: Triplex docẽdi Christi in sacra scriptura ratio est, una tecta atq; adumbrata, altera mixta, tertia aperta. Moses tectè Christũ docet, qui ministeriũ literæ et ueli cõtinet. Prophetæ partim figuratè, partim sine figura. Nonui uerò testamẽti ministri qui spũs non literæ munere funguntur, subducto uelo regnũ Christi nobis manifestè sine umbra exponunt. Tectè aũt hunc locũ de Christo accipiendũ esse Dominus ipse cõfirmat, cum exaltati serpẽtis significationẽ in Ioanne exponit: et Apostolus de Satana loquẽs figuratũ sermonẽ de serpẽte retinet, dicens: Deus aũt pacis cõteret sub pedes Satanã breui. De quo Satana proculcãdo sub nomine serpentum his uerbis nostrum benedictũ semẽ meminit apud Lucã: Ecce do uobis potestatẽ calcãdi sup serpẽtes, et scorpiones, et super omnẽ potestatẽ inimici. Vbi figuratè significat se implere quod hic promittitur: Ipsum cõteret caput tuũ. Præterea, res ipsa idẽ cõprobat. Nã cũ Satanã omnes confitentur locutũ per serpentẽ potius hæc pœna in autorẽ peccati intentata existimabitur, quàm in serpentẽ instrumentũ fraudis. Iam aũt Satanæ caput, hoc est potestatẽ peccati et mortis, nullum aliud q̃ liberũ à peccato Heuæ semẽ cõtriuerit, et nos à peccati et mortis iure liberauerit. Id aũt Christus erit, ut propheta dicit: Eo quòd iniquitatẽ non fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius. Itaque duo in hoc semine mulieris ante omnia cernũtur. Vnũ cõceptio est, alterum natiuitas. Cõceptio è spiritu scilicet, nõ ex polluto uiri semine facta intelligitur. Per natiuitatẽ aũt uirgo sacrũ partũ nobis edidit, ueluti legimus in Symbolo: Qui cõceptus est de spiritu sancto, et natus ex Maria uirgine. de qua re propheta antè prædixerat: Ecce uirgo cõcipiet, et pariet filiũ. Eum enim qui deleturus erat peccatũ, purũ & à cõceptu & partu fore oportebat, qui cœlestis nõ terreni hominis nomẽ ac dignitatẽ tueretur. Itaq; is quidẽ per conceptũ è spiritu sancto filius Dei, per natiuitatẽ è uirgine filius hominis cognoscitur. Altera parte iusticia et innocẽtia, altera ad crucis iniurias apta cõditione declarata. In qua quantũ ad ærumnarũ et mortis sententiã attinet, communẽ sortem, citra tamẽ culpã cũ posteris Adami ueteris obtinet. In hac igitur conceptionis & natiuitatis cõsideratione duo quæ necessaria sunt ad iustificationẽ nostri et ad reparandã integritatẽ expendimus. Alterũ mors est, alterũ resurrectio, duplicẽ item statũ, unum ignominiæ cruci subiectum, alterũ qui in gloria cernitur. In morte quidè redẽptionis preciũ perpenditur, cuius psolutione Christus tanq̃ piacularis uictima iudicio dei de nobis satis facit, dũ innocẽs et insons pro sontib. immolatur. De qua hostia ꝓpheta: Attritus est ꝓpter scelera nostra. In resurrectiõe aũt uictoria aduersus peccatũ et mortẽ parta spectatur. Hinc duo in contẽplatione mortis et resurrectionis sobolis sacrosanctæ cernere licet: alterũ eius potestas est, alterum dona ac munera quæ iã nactus Christus potestatẽ suã nobis ad salutẽ donat. Quod attinet ad potestatẽ, hæc bipartita, qua serpentẽ uincit, et nos integritati restituit, intelligitur: altera sacerdotij est, altera regni. Sacerdotalis potestas duplicẽ habet functionẽ: unã qua Christus hostiã se ipsum obtulit patri pro expiãdo peccato mũdi, de quo munere ꝓpheta: Verè languores nostros ipse tulit. Et Ioannes: Agnus Dei q̃ tollit peccata mũdi. Altera potestas quæ sacerdotalis est, munus orandi pro peccatorib. cõtinet. de quo idẽ propheta: Et ꝓ sceleratis rogauit. Atq; hoc munus partim absoluit in statu crucis, partim eodẽ etiamnũ fungitur in statu gloriæ suæ, in quo summũ sacerdotẽ gerens suæ mortis beneficia nobis dispẽsat spiritu suo: quod est Christũ mediatorẽ, aduocatũ & nostrũ sacerdotẽ esse. Regia aũt potestas partim in peccati, mortis, mũdi, et satanæ principis mũdi uictoria spectatur, quã hic Moses tectè significauit: Ipsum conteret caput tuũ. et Iesaias clarius, sed alijs uerbis: Et fortiũ diuidet spolia. Perspicuè autem Dominus in Ioanne: Iam iudicatus est princeps mũdi, hoc est damnatus et uictus. Partim uerò eadẽ regalis illa potestas cõspicitur in regẽdis nobis per regiũ spiritũ, ut omnia nostra cõsentanea sint uoluntati Dei patris, nõ impij Satanæ libidini et cupiditatib. de qua regni ui, oratio à Domino tradita nos admonet: Adueniat regnũ tuũ, regnũ uidelicet sacrisp̃ũs, quo adparẽ cũ patre potentiã unctus præ consortib. citra modum Christus homo dicitur, psal. 45. Atq; hæc ipsa regia potestas est, ad quã uicta mortis ignominia per resurrectionẽ Christus peruenit, de qua ipse excitatus è mortuis his uerbis mominit: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Eademq; dextra illa est patris de qua propheta: Sede à dextris meis: et Symbolũ, Sedit ad dexterã patris. Qua sanè appellatione par potentia filij hominis Christi, par sapientia, par iusticia, notatur, qui uerè sit filius Dei, uerè Deus, uerè hæres et Dominus omniũ nomenq; adeptus dici debeat, in quo omnia cœlestia et terrestria, supera & infera illi genu flectãt, omniaq; cõfiteantur quòd Dominus sit Iesus Christus, ad gloriam Dei patris. Res aũt salutares quas potestas huius seminis suæ mortis et resurrectionis ui nobis parauit, uariæ sunt. Inter has primũ locũ liberalis et gratuita peccatorũ remissio habet, quã exprimit symbolũ: Credo remissionẽ peccatorũ. Et prophetа: Beati quorũ remissæ sunt iniquitates. Secũdus fructus est, donatio spũs adoptionis, cuius tanq̃ depositi pignoris testimonio sentiamus nos charos filios Dei esse, remissis nobis delictis, qui iræ et mortis filij fueramus sub sæuũ peccati ius miserè uernudati. De quo

spiritu

ſpiritu Apoſtolus his uerbis: Sed accepiſtis ſpiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater, quem antea cum ſub tutoria poteſtate legis cuſtodiremur, Dominũ & ſeuerũ iudicem cognoueramus, per degenerem ſeruilemq; timoris ſpiritũ, de quo idem Apoſtolus: Non enim accepiſtis ſpiritũ ſeruitutis iterũ ad timorem. Quẽ ſpiritũ lex adminiſtra iræ diuinæ incutiebat, à cuius dura et aſpera accuſandi dãnandiq; function liberati ſumus, condonatis nobis per Chriſtum peccatis, et tributo eiuſdem ſpiritu tanq; arrabone, qui nos de conciliato Dei fauore certiores reddat. Et uerè liberos à iure peccati, mortis, inferni et poteſtatum inferni, ne nobis non ſolũ non noceant, ſed etiam proſint, efficiat. De quo iure libertatis ſacræ ad Romanos: Liberum me reddidit à iure peccati et mortis. Hoc autẽ ius in Chriſti ſpiritu contineri probat idem Apoſtolus ad Cor. Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas, cui omnia in ſanctis peccatũ, lex potentia peccati, mors, uita, infernus, cœlũ, et id genus reliqua ſubiecta ſunt. Atq; is ſanè adoptionis ſpiritus reſurrectiõis Chriſti ui in nos manat, de qua ſymbolũ, Tertio die reſurrexit è mortuis: & de dono reſurrectionis, Credo in ſpiritum ſanctũ. De quo dono et Dauid propheta: Aſcendit in altũ, et dona dedit hominibus, dona uidelicet ſacri ſpiritus. Sed quæ dona? Iuſticiæ, et ſanctitatis uitæ dona, de quib. his uerbis Apoſtolus: Etenim ſi per unius delictum mors regnauit per unũ, multo magis ij qui exuperantiã gratiæ et doni iuſticiæ acceperunt, per uitã regnabunt, autore uno Ieſu Chriſto. Tertius effectus mortis et reſurrectionis Chriſti eſt renouatio noſtri: atq; hæc bipartita eſt, altera mentiũ, altera corporũ. Mentiũ in hoc ſeculo incipit, et in dies ſingulos perficitur, ut Apoſtolus dicit: Internus tamẽ homo renouatur in dies ſingulos. Corporũ aũt reparatio nõ antea continget, quàm denuo aduenerit Dominus mortuos è puluueribus terræ excitaturus. De qua renouatione corporũ Symbolum: Credo carnis reſurrectionẽ. Nam in hoc ſeculo corpora omnino reſtitutionẽ nullã habent, ſed ex ſententia Dei in terrã reuertuntur ex qua ficta ſunt. Ideo Apoſtolus: Sed quamuis externus noſter homo corrumpitur. Quartus fructus ſancta ſtudia ſunt, et bona opera, quæ in nobis Chriſtus per ſacrũ ſpiritũ efficit, in quib. corã Deo ſanctè uerſemur, ut legimus ad Epheſios: Nã ipſius opus ſumus, cõditi in Chriſto Ieſu ad opera bona quæ præparauit Deus, ut in eis ambularemus. Quintus fructus ſtatus gloriæ eſt, quẽ morte ſua per reſurrectionẽ immortalis factus nobis parauit, & abſoluto curſu ignominiæ, confert. Hinc efficitur, ut longè ad maiorẽ dignitatẽ reſtituamur per alterũ Adamũ, q̃ in priore amiſſa ſit et pdita. Nã in hoc animalis uita amiſſa eſt et terreſtris, in illo uita ſpũalis et cœleſtis reſtituitur. Sed hac de re aliàs cõmodius. Itaq; bonitatis diuinæ, nõ inclemẽtiæ et temeritatis fuit hominẽ primũ tã fragilẽ ex luto effictũ fuiſſe, et Satanæ tentatiõni opportunũ. Hoc enim modo peccati et mortis incõmodis deguſtatis immẽſæ miſericordiæ et gloriæ diuinæ pondera atq; uim ſcriptos in libro uitæ ex primo Adamõ genitos experiri licuit, dũ poſt iacta interitus et ignominiæ ſemina, integritatis nulla labe corrũpendæ fructus metũt. Vt ſolet Deus pro ſua ſapientia nõ primò quæ omnino præſtãtiſſima ſint cõdere, ſed ab inchoatis et rudib. ad perfectiſſima et omnib. numeris abſoluta certis propoſitis mediis progredi. Atq; ità debilitati primi hominis uſus eſt, ut ſub huius occaſiõne per peccatũ miſericordiã, per dedecus crucis, gloriã, p mortẽ uitã æternã animali corpore mutato in ſpirituale, oſtẽderet atq; declararet. Qua ex re diſcimus, deũ prò ſua bonitate non ſolũ bonũ facere quæ eius natura eſt, ut ignis calfacere, & lucis illuminare: ſed etiã per prouidentiã ſuã ea quæ per malos excogitatà ſunt, in bonum finẽ et exitũ cõuertere. Sextus fructus eſt cõſtitutio eccleſiæ, hoc eſt cõmunionis ſanctorũ in uno corpore aptè cũ ſuo capite connexio. In quo ope cernimus infinitã illã beneuolentiã Chriſti, quã erga ſuos gerit, qui ut nos in uno corpore tanq; mẽbra conſertos, ſibi eodẽ ſpũ, quo ipſe citra modũ præditus eſt, animatos cõiungeret, ſacrũ ſanguinem effudit. Qui eſt excellẽs fructus, mortis et reſurrectionis Ieſu Chriſti, de quo apoſtolus: Cũ ſuſcitaret eũ ex mortuis, et ſedere fecit eũ ad dextrã ſuã in cœleſtibus, eumq; dedit caput ſuper omnia ipſi eccleſiæ, quæ eſt corpus illius. Ex quo uſu diſcimus nobis omnia cũ Chriſto eſſe cõmunia, diuinitatẽ, hæreditatẽ, ius filiorũ, regnũ, ſacerdotiũ, ut quẽadmodũ Chriſtus ut caput plenè Deus eſt inhabitante in eo diuinitate corporaliter, ita nos ut mẽbra eiuſdẽ diuinitatis cõſortes dij cẽſeamur: & ut ille filius naturalis dicitur, ita nos filij per adoptionẽ ex cõmunione, quæ capiti cũ corpore et eius membris intercedit, nominemur. Septimus fructus eſt, nouæ mũdi extructio, nouiq; cœli & terræ fabricatio. de qua propheta: Ecce enim creo cœlos nouos et terrã nouã. Vt enim primi hominis uitio omnia deteriora facta ſunt, ità ſecundi Adam probitate cuncta ad optimũ ſtatũ inſtauratur et reficiuntur, per quẽ placuit patri recõciliare cuncta ergà ſe, pacificatis p ſanguinẽ crucis eius, ſiue quæ in terra ſunt, ſiue quæ in cœlis. Tantũ uſum habet ſacroſanctũ ſemen, tectius quidẽ hic per Moſem, clarius aũt per reliquos prophetàs indicatũ, ſine omni uerò figura manifeſtiſſimè à miniſtris noui fœderis explicatũ. Verbũ igitur quo artifex Deus in fabricãdo mũdo uſus eſt, ſobolẽ mulieris fore prædicitur, quod in carne caput ſerpentis Satanæ cõculcet, id eſt peccatũ expiet, et integritatẽ humano generi reſtituat. Vt intelligamus quẽadmodũ uerbo omnia cõdita ſunt, ita eodẽ carne facto uniuerſa reparari: & hunc qui opifex in mundo extruendo apparuit in eodem renouando ſeruatore, inſtauratorem & reparatorem apparere.

Caput tuum.] poteſtatẽ peccati et mortis. Cõtraria igitur fuerit poteſtas ſeminis promiſſi, iuſticiæ uidelicet et uitæ poteſtas, qua poſteros Adami iniuſticiæ et morti obnoxios liberet, hoc eſt iuſtos reddat, et cœleſti uita ornet. Legimus hic ſuã poteſtatẽ eſſe diabolo, qua in ſeruitute primi Adami ſobolẽ detineat. Propter quã poteſtatẽ princeps ille mũdi uocatur, qui dominus hominis factus ſit, cui imperiũ mundi tributũ fuerat. firmũ enim eſt illud Petri: A quo quis ſuperatus fuerit,

rit, ſeruus eius eſt. At uerò cum hic legatur, Ipſum conterere caput tuum cõſequitur fore, ut Satan ſpolietur imperio, eo homini reſtituto per ſecundum Adamum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. ſic enim legimus apud Ioannem: Nam princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Quod eſt hic, conteret caput tuum.

Et tu inſidiaberis calcaneo eius.] Sed cur non capiti? Suprà legimus: Sup pectus tuũ gradieris. Humi igitur proſtratus ſerpens calcẽ ſacroſancti ſeminis infeſtat, capite excelſiore parte ab iniuria tuto. Sed quo capite? Hoc caput ſacri ſpũs poteſtas eſt regalis illa unctio tuta aduerſus oẽm uim et iniuriã. Ideo dominus ipſe de ſe in Ioanne: Venit enim princeps huius mũdi, et in me nõ habet quicq̃. Et de ſuo ſpiritu: Cũ uenerit ille arguet mundũ de peccato. In hoc caput, in hanc poteſtatẽ cũ draconi nihil liceat, calcaneũ tamẽ eius læsit atq; afflixit, dũ Chriſtus quatenus ex Heua naſcitur, filius hominis cruce et morte p omnia ſimiliter nobis tẽtatur, incuſſa plaga ei de peccato noſtro. de qua propheta: Et nos reputauimus eum quaſi leproſum, et percuſſum à Deo et humiliatum. Huiuſmodi ſonat hic תשורנו. Nec diſſimiliter calcem ſanctorũ Chriſto inſertorũ inſidioſe uerſutus hoſtis petit, cum eos ad caſum p reliquias peccati originis ſubinde ſollicitat. De hoc calcaneo pedum Dominus noſter loquitur cũ dicit: Qui lotus eſt, non opus habet niſi ut pedes lauet, id eſt ut ueterẽ hominem expurget, qui calce uitioſæ cõcupiſcentiæ à ſerpente afflatæ, ſpiritui perpetuò recalcitrat, cæterùm totus mundus eſt à capite ſuo Chriſto Ieſu, qui factus ſit à Deo noſtra iuſticia, ſanctitas et redemptio. Itaq; diſſimilis hic legitur infeſtatio. Chriſtus enim et nos in Chriſto ſerpẽtis caput cõterimus, quæ noſtra eſt victoria: Serpens aũt Chriſto & nobis calcem ſolum inuadit ac pertentat. Nõnulli interpretes תשורנו uertunt afflare. Afflabis calcaneo eius, uirus uidelicet ac uenenũ ſibilo affundes. Venenũ tribuitur ſerpentib. pernicioſum, ſed longè exitialius eſt ſerpẽti Satanæ et eius ſoboli uirus, de quo Apoſtolus. Lingua plena ueneno mortifero. Præterea traditur, ſerpentum linguam triſulcam, uibrantem et atri coloris eſſe. Nec ſimplex et candida draconi Satanæ eſt et eius proli, documẽto caſus Heuæ, et omnes quibus ſpecie boni Satan transfigurans ſe in angelum lucis per ſerpentes fraudis ſuæ organa, hypocritas, hæreticos, calumniatores, falſos fratres imponit. Vnde manarunt tot ſectæ, falſæ religiones, prauæ opiniões ſimilitudine quadam ueri inſidioſæ, qualis fuit in Heua de ſcientiæ boni & mali arbore, cuius fructus efficeret deos, opinio, qualiſq; in omni hominũ genere eſt, qui aliunde quàm ex dei uerbo ſalutẽ cõparare tentãt. Hæ artes & technæ ſunt fraudulẽti draconis. Cõtrà cõpoſitus eſt aduerſarius illius, de quo ppheta: Neq; fuerit dolus in ore eius.

Multiplicabo ærumnas.] Sententia diuina in mulierem. Anadiploſis Hebraica הרב ארבה certitudinẽ et ærumnarũ uim declarat, quibus huc uſq; nihil decedit, cõſtanter durante muliebri dolore p menſes, cõceptus, partus, & liberorũ educationẽ. Per contentionẽ paradiſi delicijs & uoluptatibus, quas Heua temerè poſthabito uerbo Dei ſecuta eſt ærumnæ hic opponuntur. Hæc eſt talio diuinæ æquitatis et iuſticiæ.

Conceptus tuos.] dolores ex cõceptu natos. Totum tempus ſignificatur nomine cõceptus, quo in utero fœtus fertur. Tempus ſanè plenũ moleſtia & cruciatu. Declarant hunc capitis dolores, oculorũ uertigines, tenebræq; faſtidiũ in cibis, redundantia ſtomachi, crurum & inguinum tumor. Grauior tamen fœminæ quàm maris conceptus. Hæc ſunt initia generis humani poſt caſum. More Hebraico ſumma primò proponitur: Multiplicabo ærumnas tuas, quã deinde ſacra narratio per partes exponit.

In dolore paries filios.] Conceptũ partus ſequitur altera miſeriæ pars, cuius magnitudinẽ res ipſa declarat, & reliqua ſcriptura quæ maximã quanq; afflictionem cũ parturiendi labore comparat. Ieſaias: Torſiones et dolores tenebũt, quaſi parturientes dolebũt. Itaq; apud Græcos, ὠδῖνα dolor et partus eſt. Hic docemur nõ naturã culpa tolli, ſed mutari. Manet enim conceptus ex benedictione diuina pariendiq; donum, manent cibi, dominatus rerum, ſed ita, ut quæ in integro ſtatu mœrore caritura fuiſſent, poſt contractam noxam iam cum ærumnis coniuncta cernantur. Vitium igitur à natura ſeparandum eſt, & ſeorſum ſeparatimq; de utriſque diſſerendum. Quod non faciunt ij qui coniugia damnant. Grauiſſimus quidem cruciatus eſt qui in pariendo ſentitur: ſed tantum abeſt, ut is irati Dei & contemnendi coniugij ſignificationẽ habeat, ut etiã ſalutẽ mulierib. afferat. Legimus enim: Saluabitur tamẽ fit per liberorũ generationẽ. Sed in quo? Si manſerit in fide, in fide uidelicet promiſſi huic ſeminis, quo omnia commutantur in melius.

Et ſub uiri potoſtate eris.] תשוקתך, id eſt appetitus tuus ad uirum tuum erit, uiro obedies explens eius cupiditates. Sententiã igitur non perperã explicauit interpres. Significatur item mulieri omne præſidiũ in uiro ad quem uelut ad portum confugiat, poſitum eſſe. Huc ſpectaſſe uidentur Græci in uoce ἀποστροφή. Tertia igitur diuinæ ſententiæ pars eſt, ut uiro ſubdita ſit mulier, ut ſequitur.

Et ipſe dominabitur tui.] ciuili non tyrannico imperio. Contra naturæ igitur legem & hanc in mulierem latam ſententiam, fœminæ imperium, ſiue publicum ſiue priuatum obtinẽt. Sed hic uiderint uiri, ne abutantur hoc dominandi iure, ſed coniugalis fidei ab initio ſancitæ memores ſint, quæ per hanc Dei ſententiam non abrogatur, ſed peccatum punitur. Intelligendum eſt igitur aliud γαμικὸν aliud patriũ, aliud δεσποτικὸν eſſe imperium.

Adæ uerò dixit.] Sententia in Adamum.

Quia audiſti uocem.] qui meã audire debebas, ut gloria & imago mea.

Vxoris tuæ.] quam uerbo meo regi à te oportebat, non ei tibi contra mandatum meum obſequendum.

Maledicta terra.] negato prouentu & malignè reſponſura laboribus tuis. Explicatur pœna talionis terrã rebellem fore Adamo, qui ſe Deo rebellẽ præſtitiſſet. Vt benedicere, largiri copiam eſt & ubertatem: ita maledi-

maledicere, subtrahere ubertatem. Suprà legimus benedictam terram, Produxitq; Dominus Deus de humo omnem arborem: hic uerò maledictam. illic enim iustitia regnabat, hic peccatum. Ideo sequitur:

In opere tuo.] בעבורך Propter te, hoc est, propter inobediẽtiã tuã. Ad habitũ igitur hominis reliqua natura sese attẽperat, ut ea quamuis nihil deliquerit, propter delicta tamẽ hominũ pœnã luat. Cæterũ maledictio & infœlicitas terræ cernitur in eo, cum fert quæ nõ ferret, si peccatũ sui cultoris non esset, ut sunt tot noxiorũ et uenenatorũ genera. Secundò, cũ nõ eos edit fructus, quos ederet si iustitia uigeret. Tertiò, cum fructus, quamuis magno labore exculta, partim parcè profert, partim tales, qui ob immaturitatẽ cõmodi non sint ad tuendã ualetudinem. sed qui graues morbos gignãt. In hac maledictione cõtinetur etiã ipsum cœlum malignius nobis affulgens, quod Moses infrà æneũ, & terrã ferreã, quã hic maledictã appellat, sceleratis minatur. Atqui hæc pœna nõ semper eundẽ modũ tenet, sed gradus suos & auctus habet. prout enim flagitia crescunt, etiã terræ & elementorũ mundi maledictio crescit, ut id declarant Adami, & quæ pòst secuta sunt secula. nostra tempora taceo. Contraria ratio iustitiæ est, quæ cœli, terræq; benedictionis promissonẽ, ut ex Mose patebit, habet.

In laboribus.] בעצבון in dolore. Interpres rectè metalepsi usus pro dolore labores reddit. Explicat ordine partes maledictionis. Complectitur hæc sententia Dei molestias et labores, dolores uarij generis, infirmitates, morbos, senũ, & id genus mala, quæ opponuntur uoluptati Edenis. Sed tolerabilẽ reddere debet hãc calamitatẽ, partim æqua sentẽtia Dei in peccatũ pronunciata, partim futuri seculi, quã expectamus, gloria & integritas, quæ his malis succedet, ueluti Dominus his uerbis promittit: Beati qui lugent, quoniã ipsi consolationẽ accipient. Contra hoc igitur Dei iudiciũ delinquũt, qui delicias & uoluptates in hoc mũdo consectantur, immemores eorũ quæ hic dicuntur, Cũ labore. Hanc Dei sententiã perpendens Iobus, dicit hominem natũ esse ad laborẽ, quòd homo præ cæteris animantibus uictũ magnis laboribus cõparet. Qui ut is illi constet, arandũ est, seminandũ, metendũ, triturandũ, colligendũ in horreũ, molendũ, subigendũ, coquendũ, & in adornando uestitu condendũ, lauandũ, unguendũ, pectinandũ, filũ deducendũ, texendũ, sarciendũ, & suendũ. Similiter in lino parãdo, quãtus labor sumatur, non est obscurũ. Animantia uerò cætera ut nascantur cum suo uestitu, & uescantur cibo ex humo sponte edito, res ipsa ostẽdit. Itaq; Dominus noster Christus hæc considerãs, sic ait: Respicite uolatilia cœli, quæ non serunt, neq; metũt, neq; congregant in horrea, & pater meus cœlestis pascit illa. Atqui ut homo laborẽ maiorẽ obit, ita finem & exitũ laborũ suorum fœliciorẽ sortitur. firma enim est sententia hæc: Oportet per multas afflictiones ingredi in regnũ Dei. Quapropter iniunctus hic Dei sententia labor post contractã culpã, tantum abest ut noxius sit, ut etiã salubris habeatur. Nã eo corporũ ualetudo cõfirmatur, ut inertia labefactatur. Quod etiam in cæteris animantib. usuuenire uidemus. ferũt enim gallinarũ carnẽ salubriorẽ, suaviorẽq; effici, cum hæ subtracto eis copioso alimento, uictũ laborepedibus eum effodiendo quærunt.

Comedes ex ea.] Hebr. Comedes eam. תבראתה pro uentum eius nota figura.

Spinas & tribulos.] pro fructiferis arboribus. Hoc diuinæ iræ signũ repetitur etiã in reliqua scriptura. Iesaias: Omnis locus ubi fuerint mille uineæ in spinas & uepres uertetur. Ad hæc etiam opes quas terra affert, in spinis ppter uitiatã naturã habẽtur. ut alter Adamus indicat, ubi ait diuitias terrenas spinas esse.

Et comedes herbas terræ.] Huc referuntur olera et legumina, pisum, fabæ, miliũ, far, triticũ, hordeũ. Cum hac sententia Dei uoluptariorũ luxus pugnat, ut quæ nos ad frugalitatẽ inuitet, & curam de lautiore uictu eximat. Non enim hic artes uoluptatum ministras audis nominari, cetarios, coquos, farctores, piscatores & unguentarios.

In sudore uultus tui.] Latissimè patet is sudor et labor. Nõ enim unũ muneris genus uiro imponitur. Alij enim priuatã, alij publicã degunt uitã. Qui priuatam degunt, alij agricolæ sunt, alij artifices, & hi uarij generis. Qui munera publica gerunt, alij ciuili, alij ecclesiastica potestate fungũtur. Nullum munus caret suo sudore & molestia, quæ præbeatur ijs qui illo utuntur. Firma igitur est hæc Dei sententia, Cũ sudore uultus tui tolerabis uictũ לחם panis more linguæ pro uictu & rebus ad cultũ uitæ pertinentibus, sumitur. Facessant igitur hic ociosi uentres, aduersus quos Apostolus: Qui non laborat, non manducet. Manducatur aũt non uno modo panis. qui enim subditi sunt, suis laboribus & sibi & ijs qui eis præsunt, siue ciuili, siue ecclesiastica administratione, comparant uictũ. Huc pertinent tributa, uectigalia, decimæ, ciuili & diuina lege confirmatæ. Stat enim hæc sententia: Dignus est operarius mercede sua. Item illud Apostoli: Sic enim Dominus ordinauit, ut qui Euangeliũ annunciant, ex Euangelio uiuant Molestias igitur quisq; in suo munere, ut patiẽter ferat, eũ cõmoueat tũ uolũtas Dei, cui labor placeat, ocium iners displiceat, tum spes futuri seculi, in quo omnis hæc acerbitas finẽ sit habitura, ut sequitur.

Donec reuertaris in terrã.] liberatus ærumnis.

De qua sumptus es.] cunctis redeuntibus ad ortum suum. Contraria ratio secundi Adami qui in cœlos abit, unde uenit, carne eius corruptionem nullã sentiente. Psal. Nec fines sanctũ tuũ uidere corruptionem. Item: Et nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo.

Quia puluis.] A corpore. Mens enim interitu caret, sed ad Deũ redit unde proficiscitur Ecclesiast. Et reuertatur puluis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deũ qui dedit illũ. Itaq; hæc sententia magis est clementis quàm irati Dei. Admonemur enim per hunc puluerem finem aliquando fore nostrarum calamitatum, & spe resurrectionis accensi, non dubitamus hoc corpus in terram dissipatum, denuò ad immortalitatem excitandum quæ sanctorum est

cõsolatio et uictoria. Compertũ est corpus humanũ, ut uita priuatum est, in puluerem terræ exigui ponderis redigi. Affirmãt quidã uix quinq; aut sex uncias puræ terræ, in quã illud cõmutatur, cerni. Quæ res indicio est Deũ in fingendo hominis corpore, multã caloris et aeris uim adhibuisse, frigidorũ elementorũ, terræ & aquæ natura, in meliorem habitũ temperata. quæ res quoq; cõprobat hominem ex limo terræ effictum, non qui terrenus maneret, sed olim totus cœlestis reddere tur, puluere hoc modico in cœlestem speciẽ conuerso.

Et uocauit Adam nomen.] Significatio hæc est uirilis potestatis in mulierem, quòd maritus uxori suæ nomen ponit, non contrà. Vnde quoq; uxores in uirorũ nomen & familiam transcunt.

Heua.] Argumentum uetustatis linguæ Hebrææ.

Cunctorum uiuentiũ.] Chaldæus tropũ in hunc modum reddit, uniuersi generis humani. Est etiã eccle sia cœlestis Heua mater nõ animali quidem, sed spirituali uita uiuentium, extra quam nimirum nulla salus sit, nulla uita.

Fecit quoq; Dominus Deus.] prouidentia diuina de uestiendo Adamo.

Tunicas pelliceas.] Is tam neglectus uestitus admoneat nos nostræ sortis, & studium adimat splendidius huius corporis uestiendi: propter nos enim hæc literis mandata sunt. Præterea typum eius uestitus qui ex pelle agni conficiendus erat, prætulit, de quo illud: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi, qui pelle sua ut uestiat suas indicat illud: Christũ induistis. Hoc uestiti amplius turpiter nudi non apparemus, ut idem Apostolus ait: Si tamẽ uestiti non nudi reperiemur, sed tecti. sentimus quid sit illud: Beati quorum tecta sunt peccata. Is uestitus agnus ille innocens Christus D. noster, ut quidam uolunt, in uerbo illo לבשרם, id est uestiuit eos, declaratur. Nam hæ literæ si mutentur, efficiunt ישרלבם, id est Iesu corcorũ. Is noster uestitus est cum nos uestit eo uestitu quo Deus ipse uestitus est: Amictus lumine sicut uestimento.

Ecce Adam quasi.] Spectatur ad serpentis promissa: Sed eritis sicut dij. Ironiã multi interpretantur, qua redarguerit Adamũ, & eum admonuerit de qua dignitate decidisset, & in quã miseriam incidisset, ut ad uerã imaginẽ Dei quæ Christus est suo uitio amissam, aspiraret.

Tanquam unus ex nobis.] Christus filius Dei significatur, cui similes fore Adamum & Heuam pollicitus erat Satan, si uescerentur arbore scientiæ boni et mali. Hac de re suprà.

De ligno uitæ.] cuius fructus uitæ conseruandæ & in longam ætatem prorogandæ uim uerbo Dei inditam habebat.

Et uiuat.] qui mortis reus factus sit per peccatũ.

In æternũ.] עולם in sacris literis sæpe longi temporis spacium est, ut patet ex illo וישב שם לעולם.

Emisit eum Dominus.] Suprà, Et posuit eum in paradiso, hic וישלחהו quod uerbũ contemptum indicat exterminationis, ueluti infrà legimus, שלח בעלמגי

Vt operaretur terram.] Agrorum cultura mandatur uiro, concipiendi autem, pariendi, educandiq; liberos molestia ad fœminã pertinet. Vetustas agriculturæ hic indicatur.

Ante paradisum.] מקדם à plaga orientali.

Cherubim.] Angelos quos humana specie, sed alata apparuisse cũ gladio intelligimus. Sunt q̃ dictos כרובים uolunt quòd puerorum speciem præferrent. Chaldæorũ enim lingua רביא puerũ significari. Alijs generatim figura rerũ diuinarũ est, sed in qua hominis emineat. Cherubim ultorem gladiũ intentãtes qui hic in primo Adamo portendunt nobis offensi dei irã, ijdem in altero Adamo fauorẽ reconciliati ostendunt. Etenim hi super propitiatoriũ Meßiam extenti, cum protectricib. ministerij fœderis gratiæ alis patefactũ cœlestẽ paradisum, et eius uitalẽ arborẽ indicãt. In superni igitur et cœlestis paradisi exilio ueritas, in terreni typus. Sunt qui per allegoriã accipienda hæc esse putãt, et in uerbis translationẽ inesse uolũt, ut ab arboris uitalis esu & ab oriente custodiã eam esse intelligamus, qua Adamus à uita in mortẽ, à luce in tenebras translatus est, hanc Dei iram flammeo gladio indicante. Duas sententias ꝓposuimus. Sapiens et pius lector facile iudicabit utra ueriſimilior sit. Rarũ non est angelos cũ stricto gladio ut diuini iudicij ministros apparere. Similia exempla leguntur in Numeris, & sub finem libri secũdi Regũ. Cæterũ ut suprà Moses sub nomine serpentis satanã innuit, ita hic sub appellatione Cherubim sanctorũ angelorũ mentionẽ facit. Duplex igitur genus est angelorũ, alterũ bonorum, alterũ malorum. de quibus hæ quæstiones afferuntur. Vna, an sint: altera, quando creati sint, tertia: quõ creati sint: quarta, quod eorũ ministeriũ sit et munus. Quod attinet ad primam quæstionem, creatos illos esse constat. legimus enim apud uatem: Qui angelos suos fecit spiritus & ministros suos ignem flammeum. Quando autẽ & quo die conditi sint, neq; Moses indicat, neq; interpretes unã ea de re afferunt sententiã. Alij enim ante cœlum, alij cum cœlo creatos angelos existimãt tanq̃ futuros mundi spectatores, et humani generis administros spiritus. Hi sententiã suam Iobi uerbis confirmant ubi ait: Cum iubilarẽt astra matutina, et exultarent omnes filij Dei. Quo aũt die hi facti sint, primóne an quarto cum luminibus cœli, postq̃ id Dei uerbo explicatum nõ est, temerè nihil de eo pronunciandum esse arbitramur: ueriſimile tamen est ante hominẽ cui administraturi erant, factos esse. Quomodo aũt facti sint, tertia quæstione quæritur, qua duo inquiruntur. Vnũ, è nihilóne, an ex subiecta materia facti sint: alterũ, an ne omnes genij tum boni mali in sua ipsorũ creatione spiritũ dei acceperint. Quod ad priorẽ partẽ attinet, alij eos è nihilo, ut cœlũ et terrã: alij ex purißima & ignea ætheris parte creatos uolũt, hoc uatis suprà quoque citato testimonio freti: Et fecit eos ignẽ flãmantem. Atq; hanc materiã nõ dicũt esse Physicã quæ labi obnoxia sit, sed ab earũ rerum quæ oriũtur et intereunt sub cœlo materia ut cœlum ipsum differre. Itaq; genios habere spũs quosdã tenues, aëreos atq; puros, qui

quũ sub aspectum non cadant, posse tamen hos, ubi uisum sit Deo, aliquando suum corpus aspectabile reddere ad usum eorum ad quos mittuntur. Sic aspectabili specie Adamo in paradiso, Abrahamo, Sampsoni, Eliseo, & alijs apparuisse dicunt. Quod ad dæmones attinet, uox ferè in malo usurpatur, impios genios significans, cum tamen à scientia genijs tribuatur, quod ad laudem pertinet. Dæmonum quatuor genera ponunt, terreos, aqueos, aereos, igneos. Atque hos in circumfuso nobis aere uersantes corpora habere ad generandam sobolem apta, ueteres nonnulli & philosophi & Theologi asseruerunt, quibus cum animali generãdæ prolis ui sexus quoq; discrimen attribuunt. Ad quam suam sententiam confirmandam afferunt illud: Ponam inimicitiam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius: semen igitur, ac sobolem, si diabolus habeat, generandi quoq; uis ut ei tribuatur, necesse esse. Quò referunt etiam illud: Videntes filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, accesserunt ad eas, & genuerunt. Hos autem filios Dei, dæmones fuisse uolunt. Quam sententiam ueterem esse declarat Iosephus, qui eam ut comprobet, infrà patebit. Principem autem fœminei sexus inter dæmones, uocant לילית cuius potestas præcipuè nocte declaretur, quæ לילה dicitur. Ad hanc sententiam de origine dæmonum refutandã, qui meliùs se sentire arbitrantur, Christi testimonium afferunt, quod illorũ sententiæ refragrari omnino uideatur. Etenim is Dæmones spiritus uocat generandæ sobolis ui carentes, ut qui eam naturam habeant, quam boni angeli ac genij habent. Hos enim legimus cum principe suo Satana, ex grege angelorum, quorum nomina tenebant, eiectos. Veluti indicat sanctus Petrus, ubi ait: Si angelis, qui peccauerunt, non pepercit. Itaq; si angeli ac genij cœlestes corporum ad generandam prolem expertes sunt, quos Dominus dicit neq; nubere, neq; matrimonia contrahere, etiam dæmones expertes erunt. Aliterq; exponendus erit is locus: Ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, & genuerunt. Vt autem exponendus sit, infrà monebitur. Quod uerò legitur, Diabolum semen habere ac sobolem, id nequaquam sic accipiendum fuerit, ut carnali ratione generari ex illo proles existimetur, sed spiritu perfidiæ, quomodo Pharisæi, & hypocritæ, progenies Satanæ ex eius spiritu geniti, à Domino appellantur, ut pij soboles Dei uocantur generati ea generatione, de qua eius generationis autor: Nisi quis natus fuerit ex spiritu & aqua, &c. Quod ad Mosem attinet, is in hac creationis mundi narratione, cum aliarum naturarum corporatarum, quæ quidem aptæ essent ad gignendam sobolem, meminisset, talium animalium, quos dæmones illi uocant, non meminit, neq; reliqua scriptura de eis usquam mentionem facit. Quam obrem, qui secus sentiunt, & qui uerè se iudicare arbitrantur, monent cum sacræ literæ geniorum originem perspicuè non exponant, præstare sobriè de ea loqui, satisq; esse scire ad præsens illos spiritus conditos intelligentia præditos, quorum alij sacro spiritu ornati Deum celebrent, ad aspectum gloriæ Dei destinati & hominibus bene cupiant, eorũ salutem procurantes: alij uerò diuino spiritu priuati, Christum ipsum, et eius membra odio persequantur, ex sententia illa semel lata, Inimicitiam ponam inter te, etc. An aũt, quæ altera pars est huius quæstionis, angeli omnes ab initio quo existere atq; fieri cœperunt, Dei spiritum sum pserint, id de Satana & eius ministris dæmonibus impijs, uerum esse non uidetur. Nam Christus Dominus noster de Satana dicit: Et in ueritate non stetit. subiuncta illic ratione, Quia ueritas in eo nõ est: & Ioannes in eandem sententiam, Quoniam ab initio diabolus peccat. Quæ uerba indicant ueritatem fidei Iesu Christi, in Satana & eius ministris, ut capitalibus hostibus illius, nunquam fuisse. Neq; consequi, In ueritate non stetit, igitur ueritatem in eo aliquando fuisse. Quid enim sit עברי in Hebraica lingua alio loco, ubi tota causa de dissimilitudine electorum & repudiatorum, tractatur, annotatum est. Sed dices, à Deo omnes naturas bonas, non malas conditas. Supra enim legi: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. fatentur hi qui sic sentiunt, omnes naturas bonas conditas, bonitate quidẽ natiua, sed qua statim in articulo creationis sui, Satan cum impijs dæmonibus, ut uasa iræ, ad interitum per rebellionem sit abusus. sicut legimus eum ab initio deliquisse, & malum fuisse, non bonum, bonitate ea quæ in ueritate spiritus Dei cernitur: quæ ut electorum & scriptorum in libro uitæ propria sit, non communis etiam maledictorum, alio loco indicatum. Postremò quæsitum est, quod munus ac ministerium, quisq; usus angelorum sit. Vtriq; Deo seruiunt, boni & mali: quo autem cum discrimine, planum id est ex sacris literis, & quotidianis experimentis. Nos legimus apud Iobum, Satanam quoq; inter Dei filios, Deo, tanquam ministrum, assistere, ut quæ is iubeat, exequatur. neque posse hunc quicquam, præter Dei iussum & imperium, moliri: sed ita eum comparatum, ut ad nocendum seruire cupiat, non ad commodandũ. contrà compositi sunt sancti angeli diuina luce illustres spiritus, qui ut aduersus Satanam & impios dæmones, homines in terra uersantes, tanquam fidi salutis ministri tueri studeant, passim sacra scriptura indicat. Et ut Christum Dominum nostrum, Satan cum ministris suis, iam ob origine mundi, capitali odio persequitur: ita primo sancti angeli, huic, ut capiti, ueluti uates, testatur his uerbis, Angelis suis de te mandauit, ut custodiãt te: deinde reliquis sanctis, tanq̃ membris illius, inseruire dicuntur, ut in sequenti historia Abrahamo, Agari, Iacobo, Israelitis suos genios cœlestes affuisse, ueluti diuinæ bonitatis administros legatos legimus. Atqui singulis pijs hominibus singuli ne angeli deputati sint, quos cõtra Satanã et eius ministros, tueãtur ea de re hic quoq; controuersia est, alijs singulis singulos designantibus, alijs plures. Hic quoq; monemur, ne supra quàm moderatio ferat, sapere laboremus. Sacræ literæ ostendunt in uniuersum nobis bene uelle angelos, omnes nostri curam gerere. legimus enim de his quantopere gaudeant, si unus aliquis peccatorum ad meliorem frugem, mutato delinquendi consilio, redierit. Apud

rit. Apud Lucam plures angeli dicuntur Lazari animam in Abrahami sinum detulisse: & in libris Regũ multitudinem illorum aduersus Syros armatam equorum & curruum igneorum specie Elisæo apparuisse legimus. Atqui tametsi res sic habet, ut omnes angeli nostram, qui in terra uersamur, salutem sartam tectã cupiant, nihilominus tamen traditur sæpè angelũ sanctis missum, non angelos. Vt exemplo sunt sancti uiri sacra historia celebrati. Sic Abrahamo promittitur angelus qui se illi itineris ducem præbeat. Sic suum Agari, suum Iacobo, suum Mosæ, suum Israelitico populo angelum missum, sacra historia proditum est. Sic apud Danielem suus Persarum, suus Græcorum imperio angelus tanquam regni præses destinatur. At uerò hæc ita accipienda fuerint, non ut intelligamus, sic unum aliquem missum, ut cæteri à cura & studio sanctorum hominum uacarint. Sed per unum salutis opus Deum confecisse, quod omnes confici, curariq; cuperent, aut unum tanquam ducem selectum, cui cæteri in administranda salute parêrent. Nec etiam hac in re cum angeli qui redimat sanctos, non multitudinis fit mentio, figura deest, qua diuina sapientia eum angelũ adumbrari uoluerit, de quo Malachias uates: Veniet ad templum suum dominator & angelus Testamenti quem uos uultis. Is Meßias benedictus est Iesus Dominus noster, caput sanctorum geniorum. Solet etiam de angelorum ordine, statione et dignitatis gradibus quæstio moueri. Nos quantum sacræ literæ hac de re meminerunt, moderatè ut et sentiamus & loquamur, par est. Hæ quidem ordinem suum inter genios cœlestes statuunt. Michaelis enim principis magni Daniel, archangeli buccina ad iudicium Dei euocaturi, cunctas ratione præditas naturas Apostolus Paulus, mentionem facit. Accedit huc, de legionibus & castris angelorum non uno in loco sermonem haberi, quæ suos duces uideantur tenere. Si quis igitur generatim de ordine angelorum, quatenus eum sacræ literæ tradunt, disseruerit, is rectè, sapienterq; facere uidebitur: imprudenter autem, si ordinem hunc in suas classes, stationes, officia, dignitatis gradus, ut nonnulli curiosius quàm uerius fecerunt, persequatur. Vt autem ad nos homines in terra uersantes angelorum descensus intelligendus sit, & quare potius humana specie apparuerint quàm alia, & an homine naturæ præstantia inferiores sint, quæ quoq; de angelis in quæstionem uenire solent, ea de re quantum ad amplificandum Christum, & ad ædificandam Ecclesiam intererit, sobriè suis locis monebimus: quanquam etiam de hac re nonnihil suprà attigimus. ad institutum redeamus. Ex his quæ iam explicata sunt, colligimus, duo creaturarum quæ ratione præditæ sint, genera à Mose nobis proposita esse. Vnum earum quæ gratia promissionis Christi continentur, alterum quæ illa carent. Quæ gratiæ promißonis consortes sunt, quædam corpora habent, quædam non habent. Hi angeli sancti sunt à peccato immunes spiritus, illi homines, qui quidem peccato obnoxij facti sunt fraude serpentis. sed quod per Christum expietur, mutanda ignominia uariæ crucis in gloriam, morte in uitam æternam. Quod uerò ad alterum genus pertinet, in quo naturæ gratiæ promißionis destitutæ cernũtur, harum quoque aliæ corporatæ sunt, aliæ corporis expertes. Corporatæ impij sunt homines, maledicti Satanæ maledicta soboles, de qua progenie Dominus hanc fert sententiam: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Itaq; his omnia cedunt in deterius, ut ijs qui in Christi promißione sunt, cuncta in melius. Quæ uerò corpore carent, impiæ naturæ dæmones & eorum principem Satanam continent. Horum sententia suprà expositа est: Maledictus es. Atq; hæc ipsa partitio summam complectitur omnium rerum, quæ in reliqua tota scriptura tractantur. Aut enim sanctorum in Christo conditio, aut impiorum quam extra Christum habent, sors in sacris literis explicatur. Nam ad hanc piorum & impiorum, regni Christi & Satanæ, fidei & perfidiæ summam, omnia referuntur, ut iam in Caino & Abele audiemus.

IN CAPVT IIII.

ADam uerò.] Describuntur initia propagationis generis humani: ubi duplex statim à principio principatus, alter Satanæ, alter Christi: duplex Ecclesia, una hypocritarum in Caino, altera sanctorum in Abele, sub imagine quadam spectanda proponitur.

Cognouit.] Verecunde uerbo cognoscendi יָדַע sacra scriptura utitur, quod dare operam liberis latini dicunt.

Quæ concepit & peperit.] Beneficio benedictionis diuinæ, de qua suprà: Et benedixit eis. Non igitur neq; mariti, neq; fœminæ naturæ, neq; coniugij lex, neque uis gignendæ, augendæq; sobolis per peccatum aufertur, sed status mutatur.

Cain.] is primogenitus est Adami. Vnde in hoc fastus & arrogantia, fratrisq; contemptus extitit. In propagatione generis humani impia proles priorem locum habet. qua in re docemur, aliam dignitatem primogenituræ carnalis esse, aliã spiritualis. Hac Christus præstat, de quo legimus, Primogenitus uniuersæ creaturæ: illa impius Cainus. Per alteram Cainus superbiens imperio, hæreditate, opibus, fratrem iustum contemnit & occidit: per alteram Christus sese ad infima mundi demittens, fratres regni sui cohæredes facit, & eis ut uitam afferat, ipse moritur. In altera igitur primogenitura hypocrisis, fastus, odium in sanctos, nocendi perdendiq; studia: in altero ueritas, demißio animi, & benefaciendi alteri animus cernitur. Hic igitur primi parentes legis luce prælucente, intelligere potuerunt, quanta mala importasset ipsorum inobedientia orbi terrarum in hoc horribili Caini homicidio, qui ex eis natus tantũ facinus perpetrasset. Rursus autem, quàm salutaris foret promißio de Iesu Christo peccatum, mortem peccati stipendium, uicturo, hoc casu quoq; cognoscere licuit.

Acquisiui uirũ.] Exponitur etymum Cain. Gaudentis sibi de suscepta per benedictionem Dei sobole uerba sunt. Veteres interpretes Adamum sibi de Messia promisso semine, & iam sibi reddito, gratulatum interpre-

tantur. Atq; hanc cabalam primordialem salutis nunciam fuisse de Messia in mundo mittendo ad humanum genus instaurandum. Hanc igitur cum uxori Heuæ indicasset, eam ad gratiarũ actionem animũ cõuertisse.

Per Dñm.] אתיהוה Chaldæus מן קדם יהוה à Domino. Significatio grati animi est, qua agnoscit Dei, non naturæ beneficium esse, liberos concipere, & parere: aut ut ueteres Hebræi uolunt, putasse se Messiam יהוה appellandum, genuisse.

Rursusq; peperit.] Quid attinet hic disputare gemelli ne fuerint, nec ne. Impiũ Cainũ sequitur iustus Abel. is primus sanctorum est, et primitiæ sancti seminis suprà promissi: ille impiorum.

Fratrem eius.] nõ ex spiritu, sed carne. Alter porrò serpentis proles, alter de Christi genere. De Caino enim legimus: Non sicut Cain, qui ex illo malo erat. De Abele uerò: Vt ueniat super nos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti.

Abel.] Congruit nomen הבל contempto abiectoq; Abeli. Hæ sunt crucis formæ, quas in hoc mundo sancti conformes imaginis Christi gerunt. de qua imagine propheta: Nõ est species ei, neq; decor. At uerò in hac dolentium forma pij coniunctam habent beatitudinis promissionem. de qua Dominus ipse his uerbis: Beati lugentes.

Fuit aũt Abel.] Descriptio generis uitæ in utroq;.

Pastor ouium.] Quo animali nihil simplicius, et ad uarium usum cõmodius. Eius animantis custos fuit, quod appositum semper typum prætulit agni, de quo illud: Agnus Dei qui tollit peccata mundi. is agnus & ipse ouiũ custos dicitur, ut se de fatetur: Ego sum pastor bonus, et cognosco oues meas. Non commemoro hic, ut hoc uitæ genus ad cogitandũ de rebus cœlestibus aptum sit, & exemplo reliquorum sanctorum patrum illustratum.

Et Cain agricola.] uarijs curis occupatus. Nam in agriculturam hæc cadunt: nosse agros colere, uarijsq; seminibus conserere, hordeo, frumento fabis, cicere, oleribus: pomaria omni arborum genere instruere, armenta, pecora, equos, asinos, canes, apes curare, uariaq; instrumenta parare, & eorum usum cognitũ tenere. Qua cura ouium pastor liber est.

Factum autem est post multos.] post certũ tempus, quo iam terra exculta fructus suos protulerat. Interpretes nonnulli ימים annum significari uolunt, citant similem locum יבמים יהוה גארלתו.

Vt offerret Cain.] citra fidem & dilectionem, nõ cogitante illo diuinam hanc sententiam: Misericordiã uolo, non sacrificium. Statim unà cum propagatione humani generis cœpit cultus Dei & sacrificatio. Vnde cognoscitur, proprium hominis esse, Deum colere, & sacrificare.

De fructibus terræ.] Non legitur hic de quo frugum genere obtulerit. Verisimile est impiũ nõ de optimis fructibus obtulisse munus Deo: & si de optimo, nõ bono tamen animo, & sine uerbo Dei, sine fide.

Hebr. 11. Abel quoq; obtulit.] fide atq; animo religioso, & pio.

De primo genitis.] nõ de uilissimis, sed eximijs. Locus de uetustate sacrificiorum, quibus cœleste sacrificium pro peccatis omnium, immolandum Messias iam inde ab initio adumbrabatur.

Et respexit Dñs.] וישע ק׳ יפן קבל uel Chaldæus tropum expressit his uerbis, ורחיחרעא קדם יהוה id est, & placuit Domino. Data significatio fuit fauoris Dei uel per ignis flammam, quæ sacrificium consumpserit. Quale signum etiam in primi templi dedicatione exhibitum fuit, & in sacrificio Heliæ in monte Carmelo. Vel beneuolentiæ signum in eo apparuit, quòd Deus Abelis res prosperas efficeret præ Cainis. Rationem reddit Apostolus in Epistola ad Hebræos: Fide meliorem hostiam obtulit Abel quàm Cain. Memorabilis locus est, Deum ante omnia opera, personam qualis sit per fidem respicere. Vterque enim sacra Deo facit. Alter Deo gloriam iusticiæ, bonitatis & misericordiæ tribuit. Alter non tribuit, fretus sua iustitia & dignitate primogenituræ. Itaque ab initio statim Dominus excelsa huius seculi deiecit, et humilia extollit. Sed ut ferunt hoc Dei iudicium impij? Sequitur:

Iratusq; Cain.] Abeli de gratia et fauore in ipsum Dei. Ostenditur hic imago impiorum hypocritarum in ipso Caino, qui suam religionẽ, suum cultũ Dei contemni non ferunt, & uerum cultum dotesq; innocentiæ sanctorum & erga hos beneuolentiam Dei, ira, odio, gladio persequuntur. Verum igitur hic in ipso Caino statim fit, de quo suprà meminerat Dominus: Ponã inimicitiam inter semen tuum & semen illius. Ad uehementem iram exprimendã, qua impij in pios feruntur, apto uerbo utitur Dei spiritus ריחר quod non est leuiter irasci, sed furore accensum succensere.

Et cõcidit uultus eius.] Notatio impij animi à uultu qui sibi malè conscius oculos in cœlũ tollere nequiuerit, ne falsa esset maledictio: Super uentrem tuum gradieris. Meminit uultus, in quo affectionum animi iræ, inuidiæ, fastus, amoris, tristitiæ, metus notæ appareãt. In hominis igitur facie tres admirandæ res spectantur. Vna est, quòd in tam parua parte tantam pulcritudinem in oculorum, nasi, oris, genarum, menti, labiorum, dentium, frontis & superciliorum figura diuina sapiẽtia expressit. Alterum est quod admirandum solertiæ Dei documentum est, in tam exigua parte tot affectuum animi signa, quæ iam commemorata sunt, ostendi. Tertium uarietas ipsa est, quòd in tanto hominum numero nemo alteri facie similis ferè inueniatur.

Dixitq; Dominus ad Cain.] Redarguit Dominus Cainũ de ira eius in fratrem, quam illius iustitia dilectionem requirens, minimè ferat.

Quare iratus es?] Interrogatio est non ignorantis causam iræ, sed reuocantis ad cognitionẽ sui & peccati, & redarguentis maleuolentiam, qua Cainus fratri innocentiam & fauorem Dei inuidebat. Cuius maleuolentiæ Dominus argumenta colligit ab ira & deiecto uultu.

Nonne si bene egeris.] Per fidem in omnibus mihi gloriam dando, tibi ignominiã peccati: & per cha-

ritatem fratrem diligendo, non odiendo.

Recipies.] Triplex hic affertur interpretatio: una interpretis nostri, Si bene egeris, feres præmiũ: altera, Nónne si bonus esses, et rectè faceres, שאת id est esset leuatio, hoc est leuares uultũ, neq; tã turpiter illũ deijceres, rephenso Caino à signo. Hæc interpetatio cohæret ad superiora: Et cur cõcidit uultus tuus? Tertia Chaldæi est terpretis, qui de remissione noxæ exponit, quẽ nostri sequũtur: Nónne si bene cõpositus esses erga me fide et erga fratrẽ tuũ charitate, placarer ego quoq; tibi, ut placatus sum fratri tuo Abel. Nã נשא aliquoties remittere & cõdonare est peccata, quæ tolli à nobis tanquam grauia onera dicuntur. Hæc expositio ad sequentia congruit.

Sin aũt malè.] per infidelitatem & maleuolentiam in fratrem. Huc Salomon spectãs ait: A sacrificijs impiorũ abhorret Dominus, & piorum precibus oblectatur. Paraphrastes Hierosolymitanus in hũc modum locũ interpretatur: חלא אין תטיב עבדך בעלמא חרין ישרי וישתבק לך לעלמא ראתי בעלמא ראין לא תיטיב עבדך בבעלמא חרין לירם וינא חטאר נטיר ועל תרע לבא רביע id est, Nónne si bene egeris in seculo hoc, cõdonobitur tibi in futuro. Qd' si uerò nõ benefeceris in mundo hoc, ad diẽ iudicij magni peccatum tuum reseruabitur, & ad ostium conscientiæ quiescet. Ex qua paraphrasi hæc intelligimus, primò duplex Dei iudicium esse, duplex item seculũ: alterũ particulare iudiciũ, & præsens seculũ: alterũ generale iudiciũ, & futurũ seculũ. Secũdò sæpe accidere, ut in præsenti seculo impij dum uiuũt, impune secureq; habeãt: in altero aũt à supplicio immunes nõ futuri, cum in eos thronis positis in die iudicij illius magni damnatoriæ sententiæ pronunciabuntur. Demum colligitur quid de immortalitate animorum & corporum excitatione ad uitam statuatur ex ueterũ etiam Hebræorum sententia.

Statim in foribus.] Heb. Ad fores peccatum cubat. id est, etsi ad tempus cubat, hoc est quiescit peccati pœna ac iudiciũ, non tamen diu quiescet, sed tandẽ euigilabit paratis ad tribunalis Dei fores pœnis, quas impij luant. ἐνδιατρον enim est, ut ille dicit, θεῖον ὄνειαρ. Sunt etiam qui in hunc modum explicant, crimen præ foribus cubare conscientiæ, quam misere laceret & diuexet, cuius diras Cainus sentiens fateatur hic: Maior est culpa mea, quàm ut remittatur. Ad ea enim quæ ad fores iacent, facile offendi atq; impingi.

Peccatum tuum.] Μετωνυμικῶς iudiciũ & pœna peccati.

Sub te erit appetitus eius.] Admonet officij & muneris. Locutio Hebraica indicat peccatum nobis debere esse subiectũ. Nam eadẽ subiectionis phrasis hic usurpatur, quæ suprà usurpata est de muliere.

Et tu dominaberis illius.] ut propensio peccandi pareat iudicio legis diuinæ in mente scriptæ. Dicas: Igitur Cainus ui naturæ potuit rectè agere & peccatum cauere. Responsio: Hic quid debuerit agere, & quid sua sponte egerit, & quid ex prauo animo malè, non quid sua ui bene potuerit agere, hac admonitione indicatur. Futurum igitur Dominaberis, debitum officium declarat, facultatem sanctè cogitandi & agendi non significat, de qua alia quæstio. Perperam igitur hic disputatio instituitur de libero arbitrio, in cuius definitione erratur, cum id definitur esse facultas qua quis bene aut malè agere possit. Nam hoc modo definita libertas latius patuerit, q̃ definitio. Deus enim liberrimæ uoluntatis est, qui tamen solũ bene, malè nequaquam egerit. Idem de Christo filio & de sanctis angelis liquet. Ad hæc malè posse agere, non est libertas, sed seruitus peccati: uerius dicitur, at si uerè iudicamus, libera uoluntas est spontanea bene agendi uis ac facultas. Atq; hæc bipartita est, altera in actionibus quæ in ciuili uita commendantur, cernitur: altera in actionibus quæ fide corã Deo probantur. illa libertas ciuilis est & moralis, qualem philosophi in libris quos de Moribus scribunt, tractant: hæc spiritualis, de qua Apostolus: Vbi spiritus, ibi libertas. Citra quem spiritum nulla bona neq; cogitatio, neque actio, quæ quidem Deo probetur, constat, ut Dominus alicubi: Sine me nihil potestis. Altera igitur libera uoluntate Cainus multa agere potuit, quæ probarentur à parentibus & à familia sua: altera quod placeret Deo, qui fide careret, nihil egit. Cæterùm quid in uniuersum de libera uoluntate & eius generibus, ui & facultate sit statuendum, suo loco quantũ Deus pro sua clementia dederit, explicabitur.

Dixitq; Cain ad Abel.] Sed quæ dixerit scriptura, non commemorat. Thargum Hierosolymitanũ hæc dixisse indicat ראמר קין לחבל אחוי ליה דין ולית דיין ולית עלם אוחרן ולא לבריתי אגר טב לצדיקיא ולא לאתפרע בין רשיעיא. id est, Et dixit Cainus ad Abelem fratrem suum, Non est neq; iudicium, neq; iudex, neq; alterum seculum, neq; præmium quo ornentur iusti, neq; pœna quam pendãt impij. Hæc uerba conueniunt in impium, de quo psal. Dixit stultus in corde suo, non esse Deum. Alij interpretantur blandè locutum cum Abele, quo melius per fraudem illi exitiũ strueret. Quæ expositio impij hypocritæ fallax ingenium à serpente uersuto desumptũ, declarat, & cum sequentibus consentit uerbis.

Egrediamur foràs.] Similiter LXX. Διέλθωμεν τὸ πεδίον. Hebræus hæc non habet. Sed Thargum Hierosolymitanum habet: נפוק לאפי ברא.

Cum essent in agro.] absentibus parentibus. Explicatur locus insidiarum & opportunitas.

In surrexit Cain] odio & inuidia inductus q̃ erat inuidi serpentis progenies. Ideo Ioãnes: Et ppter quid occidit eum? quia opera eius mala erant, fratris autem eius iusta. Odium igitur & inuidia homicidiũ grauarit in Caino.

Fratrem suum.] qui Christi erat & ex Deo. Attributum personæ auget delictum. Clarus locus is est, impios meliores non effici admonitione, sed deteriores. Exemplo est Cainus & huius genus quod diluuio perijt, contumax aduersus conciones sancti uiri Noæ. Exemplo item Aegyptij rebellantes admonitori Mosæ: exemplo impij Israelitarũ reges toties castigati à prophe-

prophetis,nec tamen meliores redditi:tum ipsi pontifices cum scribis & Pharisæis, qui ad exitiũ suum usq; Christum & Apostolos persecuti sunt, tantum abfuit ut illorum doctrina ad meliorem frugem redirent. Is est fieror serpentis,Caini & omnium impiorum aduersus Christum & aduersus eos qui Christo inserti sunt, Nostra secula prætereo,quæ exempla Cainæ insaniæ clariora ostendunt,quàm commemorare opus sit.

Et interfecit.] Non contentus odisse, imitatus patrem suum diabolum,de quo legimus:Ille homicida erat ab initio.

Eum.] corpus. In animum enim ad Deum profectum satanæ per instrumentũ suum Cainum nihil propter fidem promissi seminis licuit.de quo suprà:Et ipsum conteret caput tuum.

Et ait Dominus ad Cain.] Accusatur Cainus. Accusator Dominus est. persona quæ accusatur, Cainus: res autem quæ uenit in iudiciũ,cædes innocentis Abelis est, ad quam, ut facta sit,confirmandam,præter certũ conscientiæ testimoniũ signa etiã afferũtur.

Vbi est Abel.] Interrogatio est non nescientis ubi esset Abel, sed criminis confessionem extorquentis ad dicendam iustam in commissum scelus sententiam.

Nescio.] Mendacio celat delictũ, referens patrẽ, de quo illud: Mendax est & eius rei pater. Hypocritarũ in Caino imago pposita nobis est,qui peccata sua tegũt ut se iustificẽt. Non dicit hic Cainus: Fateor fãcinus,occidi fratrẽ,peto ueniam,cõdones pro misericordia mihi scelus:sed contrà iudicio Dei dissimulando facinus,occurrit. Secus faciũt pij qui Dei irã precatione ueniæ & confessione delicti declinant, orantes cum propheta: Pro multitudine miserationum tuarũ dele iniquitates meas. Hæc sunt arma sanctorum,quibus se defendũt,qui norunt illud: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo ullus qui uiuit.

Nunquid custos fratris.] Addit mẽdacio contemptum fratris,crimen crimine accumulans. Multis nominibus fratris curam gerere debebat:uno,quòd frater esset: altero,q; maior natu:tertio,quòd primogenitus:quarto,ut gratificaretur parentib. quibus Abelem ut filium in illa solitudine totius mundi gratum sciebat esse:quos quanto dolore affecerit sublato illo,& suam causam grauarit,res ipsa docet. Idèo in accusando nõ remittit Dominus.sequitur enim:

Dixitq; ad eum,Quid fecisti?] Pergit in accusando, & conuincit certis signis eum qui facinus dissimulabat.

Vox sanguinis.] fusi in terra. A signo quod colorat prosopopœia.Sanguinem loqui dicit: neq; id leuiter,sed clamare à terra usq; in cœlum. דמים legitur, id est sanguinum.pro quo paraphrastes קלהם דרעין, id est uox sanguinis seminum, hoc est posteritatis: ut indicari intelligas, obijci Caino eum non solum cædis Abelis, sed totius posteritatis ex Abele propagandæ interitus reum factum.

Fratris tui.] insontis. Locus plenus consolatione, qui duo nos docet: unum,ut cognoscamus sanctos Deo uiuos & mortuos curæ esse, quem occisorum anguis commoueat ad ultionem impiorum. Alterum,patientia est,ut in hoc seculo impiorum hypocritarum & tyrannorum iram,odia, persequutionem,æquè feramus, cogitantes illud:Mihi uindicta,ego retribuam. Non enim defuturum esse qui nos uindicet, & de impijs pœnam sumat, quorum scelera impunè abire nequeant. Suprà:Ante fores peccatum cubat.

Ad me.] iustum iudicem & scelerum uindicem. Psal. Deus rex iustus est, & fortis. Iustus quidem, qui uelit punire malos,& liberare bonos: fortis autẽ,qui possit. spectatur igitur hoc clamore nõ odium piorum quod erga impios gerant ad eos perdendos, qui rogẽt cum suo Domino, Remitte eis: sed conseruandæ iustitiæ studiũ punita iniustitia in hoc clamore pijs propositum est, ut asserta probitate locus sit amplificando nomini Dei, quod impiorũ improbitate imminuitur.

De terra.] quæ pijs condita,impios ferre nequeat, ut cui ubertas sua constet per cultorum innocentiam, auferatur autem per noxam. Ideo sequitur:

Maledictus es.] Sententia iudicis in Cainum peccati conuictum. Qui serpentis semen fuit,cum serpente diris deuouetur. Eandem sententiam Christus dicit in impios in uniuersum: Discedite à me maledicti in ignem æternũ,qui paratus est diabolo et angelis eius. Alia sententia suprà in Adamũ lata fuit,propter cuius peccatũ terra maledicta fuit, persona nõ item:hic contrà persona maledicitur. Alter siquidẽ filius promissionis erat,alter nõ erat:alter fide ducebatur,alter pfidia: alter ex malo erat,alter ex bono. Ex altero item Christus erat nascendus,ex altero nõ item, cuius nimirum progenies diluuio delenda esset.

Super terram.] מן האדמה, id est è terra contra te testimonium ferente, & fructus suos firmasq; se des negante,ut sequitur.

Quæ aperuit os suum.] Affingitur terræ os quo auidè deuorarit sanguinem Abelis,quem Cainus ferre non poterat. Meminit sanguinis in quo uita contineatur Deuteronomij 12.

Non dabit.] uindicans sanguinem innocentem. Omnia armari in ultionem impiorum, terram, cœlum,angelos,Deum.

Fructus suos.] בחה, id est uim suam. noto tropo uis pro fructu. Negabit necessaria ad uictum, & ad cultum uitæ. בח uim fructificandi significat quam terra arida facta post conditam lucem accepit. Tripartita mulcta punitur Cainus,exilio,terra malignè fructus afferente,& spoliatione iuris primogenituræ.

Vagus & profugus.] Iure possessionis terræ non ad impios,sed pios pertinente,ut propheta dicit: Quoniam mali exterminabumtur, iusti autem possidebunt terram. Atqui magis uaga et profuga conscientia uerbo Dei destituta fuit,cum non esset ubi consisteret aduersus iudicium Dei, per quod ut propheta dicit, non est pax impijs. Huc tragici poetæ spectant,ubi animũ à conscientia irrequietum & à furijs miserè exagitatum describunt.

ὀρέστα τλῆμον τίς σ' ἀπέλυσε νόσος;

ἡ σύνεσις, ὅτι σύνοιδε δεῖν' ἐργασαμένοις.

Contrà habet conscientia bona, quæ caret metu. Iustæ talionis pœna irrogatur in Cainum. Nam qui stabilem Deum & immobilem perfidus deseruisset mobili creaturæ adhærens, ut mobilis & instabilis in terra fieret parfuit.

Maior est iniquitas mea.] Sera peccati confessio, quam non delicti odium, sed desperatio non ferenti iudicium Dei Caino expressit. Contrà pij erga misericordiam Dei compositi sunt qui dicunt: Magnificata est usq; ad cœlos misericordia tua. Neq; id mirum sit. Hi fidunt promisso semini peccata mundi expianti, & Dei iudicio satis facienti: impij non fidunt, atq; ita deserti placandæ diuinæ iræ hostia, de salute desperant, cum neq; ipsi quod pro culpa persoluant, habere se sentiant: neq; fide eum amplectantur, qui in mundum uenit quē persoluto precio debitis liberet. Quæ maxima impiorum clades ac calamitas est, quos cum pijs hoc modo licet comparare. Impij quorum imago in Caino spectatur, filij promissionis non sunt: pij promissionis filij sunt, & ex bono q Messias est, nA ex malo satana orti. Alteri igitur fide carēt, alteri, nō carēt: alteri falsam religionem carentē uerbo Dei instituunt, quam sequantur, aut à Deo institutam sine fide cum Caino per hypocrisim colunt: alteri uerum cultū amplectuntur, & fide eum cum Abele prosequuntur. Impij cum uident se cū sua religione & sacrificijs à Deo contemni, & pios cum cultu suo gratos esse, aduersus Deum fremunt, & quos is amat, odio, ira & ferro atrociter insectantur. Atq; hi cū in ius uocantur à Deo, negant facinus, & se iustificant, & Deum iniustum faciunt. Contrà pij iudicio Dei occurrūt peccati confessione & precatione ueniæ, sibi iniusticiam, Deo iustitiā tribuentes cū ppheta: Tibi soli peccaui, ut tu iustificeris. Atque suas calamitates quas peccatum imposuit, æquè ferunt & eas ad pœnitentiam conuertunt. Ergo his salutem iudicium Dei, illis exitium & desperationem affert. Hæc est dissimilitudo impiorum, & piorum nobis in Caino & Abele tanquam in speculo statim ab exordio mundi representata.

Quàm ut ueniam merear.] Horrenda blasphemia, qua scelere suo clementiam Dei superari dicit, et agni sanguinem piacularem maiorē uim habere in lustranda noxa mundi negat, quàm hæc in impiando habeat. Qua in re Deo bonitatis filio eius iustitiæ expiantis culpam honorem, crimine ueniæ omnis experti, detrahit. Misericordiæ diuinæ maiestatē imminuit, cuius longitudinem & latitudinem, per ortum & occasum, per septentrionem & meridiem diffusam, cuius profunditatē à cœlo ad infernū penetrantem uniuersitas hæc celebrat. Agni sanguinem summa iniuria afficit, quē omnia in cœlo et in terra purgare peccati, mortisq; ius abolere omnis natura condita confitetur, Cainus cum satana & eius ministris non confitetur.

Ecce eijcis me.] Primū homicidiū exilio punitur.

Et à facie tua abscondar.] Priuatus beneficijs tuis. Abscondere enim Dominus ἀνθρωποπαθῶς faciem dicitur, cum desinit benefacere: aducrtit cum benefacit, & beneuolentiam suam ostendit.

Et ero uagus & profugus.] Priuatus parentum consuetudine & hæreditate. ferunt & sancti in hoc seculo suum exilium. Sed quod cum uerbo Dei coniunctum, à iure ueræ hæreditatis minimè separatum sit.

Omnis qui inuenerit.] Metus malæ conscientiæ de retalione, qui etiamnum in homicidis apparet.

Septuplum punietur.] Solet septenarius pro חשבון רב, id est, pro numero iusto usurpari, ideo phrasis indicat iustam & cumulatam pœnam ab eo sumendam, qui Cainum occiderit. Sunt qui de septem ætatibus exponunt, post quas pœnas de Caino sit sumenda. Hanc sententiam exponit paraphrastes. לשבעא דרין יתפרע מגיה.

Posuit q; Dominus.] Quale signum fuerit, scriptura nō explicat. Interpretes putant tremorem quendam fuisse membrorum, & toruum aspectum, qualis ferè solet esse in homicidis. At uerò hoc signo notatus Cainus, potius perdi ut homicida debuit, quàm seruari. Deinde cum nulli homines tunc erant in terra præter patrem eius, quid opus habuit, ut nota ei apponeretur, quam qui uidisset, deterreretur ab illo occidendo? An uerò si gnū ei additū fuit, ne uel à bestijs, uel à dæmonibus, uel à sobole ex Adamo loco Abelis gignēda perderetur, cuiusmodi signo postes ædiū Aegyptiarum consignati fuerunt, ne Israelitæ à genio primogenitorum Aegypti uastatore interficerentur. Sed cur tantopere pepercisset Caino, qui dicat apud uatē: Sanguinarij & fraudulenti ad medium ætatis non perue nient? Apparet Cainum diuina ratione, non bono suo cōseruatum ad tempus, sed malo, ut ex eo ad exercendam piorum ex Setho nascendam sobolem, impiorum familia generata miserè tandem ad declarandum diuinam iustitiam diluuio periret. De quo iudicio Salomon his uerbis: Omnia propter se fecit Dominus, etiā impium ad diem malum. Sunt qui hanc Caino appositam notam de animi robore à Deo illi concesso interpretantur, quo rerum prosperarum successu confirmatus Cainus, sine metu deinceps in hoc seculo more impiorum uixerit: atq; hoc signo conspecto, alios non aussos illi manus afferre. Velut in hac narratione legimus Caini familiam ceteris terrori ob potentiam fuisse, non contrà alios his. Huc quæ reliqua scriptura sacra de securitate impiorum, qua aduersus pios utuntur, meminit, afferenda fuerint.

Egressus est Cain à facie Domini] Faciem Domini reliquisse dicitur hic Cainus. Sed quam faciem? ubi uersabantur parentes, ubi erat cultus Dei, ubi habebat suos agros, & ius primogenituræ expectabat. Hæc omnia perdens per exilium à facie Dei egressus dicitur, in qua fauor & beneuolentia diuina indicatur. Quapropter paraphrastes libro altero Samuelis capite יג. מבי pro beneuolētia interpretatur. Nam ubi in Hebræo dicitur, ויבקש דוד פני יי Chaldeus uertit רבעא דוד דהבוין סדם יי, Suprà legitur, Et à facie tua abscondar.

Profugus in terra] Similiter Chaldæo interpreti qui uertit גלי ובטלטל Græci pro nomine loci proprio

proprio vocabulo. Similiter Iosephus.

Ad orientalem plagam.] relicta meridie & occasu ubi parentes uiuebant, quo pulsi ex paradiso confederant. Arbitrantur nonnulli in eo loco hos consedisse, ubi postea Hebron fuit ædificata, ciuitas patriarchis inclyta & etiam Adami sepultura Lxx. interpretum sententia clara, cui loco ad septentrionem & orientem imminebant Libani iuga, quo profugisse Cainum ibi à se nomine Hanochi condita urbe, autor Berosus est.

Cognouit autem Cain.] Descriptio familiæ, Cainæ, quæ iustorũ genus præcedit seruato ordine, quem Dominus in creatione mundi tenuit, in quo tenebræ præcessere lucem.

Vxorem suam.] quæ soror erat, quam necessitas meuntis mundi in uxorem concessit. nisi quis dicat alios quoq; fuisse Adamo, tum filios quos hic scriptura non numeret.

Aedificauit ciuitatem.] A Caino primum urbs ædificata. Sed quam non uirtutis excolendæ gratia in ciuili societate, sed ut uim & tyrrannidem suam confirmaret, & in ea cũ posteris omni luxu perditus uiueret, extruxerit. Hoc institutũ suũ cõprobant instrumẽta musica, quib. domi animũ delinirẽt, et ferrea quib. foris grassarentur bella & cædes exercentes. Cæterùm aperiunt se humanæ uitæ societates, quas hoc ordine breuiter explicare licet. Bipartita communio est altera simplex, altera mixta. Simplex bifariam distinguitur: una maris & fœminæ est, altera quæ inter dominos et seruos intercedit à Græcis δεσποτικὴ appellata. quam societatem peccatũ induxit. Commixta uerò societas aut familia est constans maris & fœminæ, parentum & liberorum quæ πατριὰ ἀρχὴ est, dominiq; & operarum coniunctione, aut δῆμος, id est, uicinia est ex multis familijs conflata, aut ciuitas ex multis uicinijs extructa. Atq; hæc si finem propositum habet uiuendi bene ex præscriptione pietatis, recta et uera ciuitas fuerit: sin ex libidine animi, uitiosa. Qualis hic Cainæ ciuitas fuit rapinis, luxu, libidine plena.

Ex nomine filij sui Enoch.] quæsita propagande memoriæ nominis sui materia. Dicat aliquis: si ex sententia Dei profugus in exilio uersari debuit Cainus, cur ergo legitur hic condidisse urbem delecto certo loco in quo positis erroribus maneret. Profugus fuit qui exul, parẽtum consuetudine, ture primogenturæ, Dei uerbo & cultu careret.

Porro Enoch genuit.] Recenset genus Henochi quæq; ab eo inuenta sint, explicat. Sed quoniam impij curæ non sunt Deo, quorum nomen ut Salomon dicit, putrescit, ætatem Caini, & quot huius soboles uixerit annos, Moses minimè enumerat, ut quorum neq; uita, neq; mors Domino placeat, qui diluuio perituri erant.

Qui accepit duas uxores.] Sed id non ex institutione primi coniugij, in quo unus Adamus cum una uxore Heua cernitur.

Pater habitantium in tentorijs.] Tabernaculorum inuentum Iabelis est. Tabernacula conueniunt pastoribus, qui subinde cũ pecorũ pastu sedes mutant.

Pater canentiũ cithara.] Inuentor musicæ Iubal. Qui fuit malleator & faber.] Heb expolitor omnis opificij ærei & ferrei. Tubalcaimus inuentor fuit ferrariæ. Dignum inuentum prole Caini homicidæ. Hic primò mentio fit metallorum, neq; id mirum. Suprà enim inter opera sex dierũ eorum rerum meminit Moses, quæ homini commodè forent ad uictum: hic ea cõmemorantur, quæ animus cædes spirans ad usum rei bellicæ excogitauit. Florent etiam impij liberis, opibus, uarijsq; artibus: sed quoniam uerbo Dei, uera religione, uitæq; promissione carent, hæc rerum affluentia eis exitium affert nõ salutem. Non hic liberi, opes, metalla, artes, quæ dona Dei sunt, reprehendũtur, sed uitium in impijs possessoribus reprobatur.

Quoniam occidi uirum.] Exponunt nonnulli in hunc modum præsentem locum: Vxores Lamechi cum uiderent septimam ætatem adesse in qua ultio de Caino esset sumenda, abstinuisse à concubitu sui mariti, uerentes ne in liberos qui nascerentur, diuina uindicta intentata Caino, caderet. His autem sic respondisse Lamechum qui sextus Caino erat, septimus autem Adamo, non est quòd metuatis uobis uxores meæ, ne ultio quam Dominus minatus est Caino, me absorbeat, Nam si quis me uel maior natu uulnerauerit, uel minor ac puer liuorem mihi ac plagam incusserit, & ego eum occidero, multo æquius mecum agetur, quàm cum Caino. De hoc enim Deus se septima ætate uindictã sumpturum dixit, de me non prius ultionem sumet quàm septuagintaseptem effluxerint. Siquidem Cainus ex libidine animi non lacessitus insontem fratrem interemit, ego si quem occidero, lacessitus occidero, non meâ sponte. Atq; qui sic hunc locum interpretantur, dicũt, הרגתי præteritũ hic loco אהרג futuri poni. Vt accidit etiam in his בתתי בסף שרח, item לקחתי בירי, Lamed item in לחברתי & in לפצעי uertũt pro בעבור. Vt sit sententia: Si uel uirum interfecero propter uulnus meum mihi ab eo factum, uel puerum propter plagam ab eo mihi impactam. Sunt qui uolunt fateri Lamechum hic ut hominem improbum homicidia sua sed quæ impunè sint abitura. Cõmisi quidem homicidium, sed de cuius ultione mihi non magnopere sit metuendum. Nam si quicunq; Cainum occiderit, septupli pœnam subibit, me sanè si quis interfecerit, pœna septuagecupli septupli afficietur. Atq; hi q sic hunc locum exponunt, securitatis impiorum exemplum nobis hic proponi putant. Alij sunt qui Lamechum ut bonum uirum fateri hic sua scelera tradũt uxoribus suis, & ea in re illum meliorem fuisse Caino uolunt, qui suum crimen celarit, Lamechus non celarit, sed confessus sit: se tamen non dubitare grauius suppliciũ Deum de eo sumpturum qui Lamechum occiderit, quàm intentatur illi qui Caino manum inferre ausus fuerit. Sunt præterea qui ita explanãt locum hunc: Lamechũ uoluisse ostendere grauius esse crimen occidere hominem qui homicida non sit, quam qui sit, qualis fuit Cainus. Si igitur septupli pœnam luet qui Cainum occiderit fratricidam, Lamechum sanè hoc est quemuis qui hominem quempiam non homicidam interfecerit ma-

iore supplicio dignũ forè. Ex his sententijs lector eam quæ tibi uidebitur probabilior recipito. Sunt ex ueteribus qui tradant à Lamecho Cainũ interfectum occultò Dei iudicio, partim qui Abelem peremisset, partim quòd huic mortuo sobolẽ suscitare renuisset. Vt infrà Onan diuina ultione perijsse legitur, quòd fratri Heri mortuo recusasset liberos generare. sed hæc ut incerta relinquimus.

Cognouit quoq; adhuc Adam.] Descriptio generis iustorum.

Vocauitq;.] Heua, legitur enim יהסרא

Nomen eius Seth.] alteram ab Abele sanctam prolem.

Quia posuit mihi.] Exponitur etymũ Seth. Hũc tanquam fundamentum generationis sanctorum nõ temerè ut Abelem conuellendum, ut ex quo sit nascendum promissum recuperandæ salutis semen Messias.

Deus.] Grati animi significatio.

Aliud pro Abel.] Iusto.

Quem occidit Cain.] Iniustus. In hac gratulatione sanctæ mulieris fides & probitas declaratur: fides quidem, quæ in Setho animum ad promissionem de Christo seruatore coniecerit: probitas autem, quæ Abelis iustæ sobolis memor fuerit.

Enos.] Vt suprà Abel à contemptu & uanitate nomen adeptus est, ita hic Enos à calamitate & afflictione, quæ sanctorũ sors est, appellatus est. Notum enim est uerbum אנש. Et oraculum illud, Ponam inimicitiã, irritum fieri non potuit. Ideo sequitur:

Istæ cœpit.] אז ad tempus refertur, non ad personam, tum Cœptum esse nomẽ Domini inuocari. Similiter nostro Græci ἐνῶτος.

Inuocari.] publicè coli, iam aucta ecclesia iustorum & inualescente, unà cum falsa religione & idololatria Cainorum tyrannide aduersus pios. Itaq; inuocatio præcipuam cultus Dei partem continet: prædicationem uidelicet doctrinæ fidei, aduersus falsam religionem: fidem in Dominum, qui unus in rebus aduersis possit suos tueri ac conseruare: gratiarum actionẽ de acceptis beneficijs. Psal. Laudãs inuocabo Deũ.

Nomen Domini.] In eo & per eum, de quo Apostolus Petrus: Non est aliud nomen sub sole, &c. In hoc etiam patriarchæ sub spe salutem suam confecerunt.

IN CAPVT V.

Hic est liber generationis.] Posteritatis Adami continens genealogiam in qua annos ætatis cuiusq; patriarchæ, tam accuratè numerat, ut cõstet certus numerus annorum mundi, ad res memorabiles posteritati commendandas, quæ una causa est: altera accedit, ut intelligamus iustorum memoriam apud Dominum æternam esse. iuxta illud: In memoria sempiterna erit iustus, cum quo Dei fœdus initum tam firmum dicit esse Hieremias, quàm sit pactio cum die & nocte, cum cœlo & terra facta. præcipuè autem tam accuratè hæc descriptio fit, ut annorum certus ad Messiã usq; nascendum decursus constet.

Ad similitudinem Dei.] Priusquam commemoret iustorũ prosapiã, creationem Adami, quomodo is ab initio factus sit, repetit ut declaret speciem atq; expressionem Dei ad sanctos pertinere, amissam quidem uitio primi Adami, sed iusticia alterius reparandam.

Vixit autem Adam centum triginta annis.] Ab hoc numero continuabitur uniuersa supputationis annorum mundi series.

Genuitq; filios & filias.] Quàm numerosam uiderit sobolem Adamus, satis clarè hic apparet: & unde mares acceperint in uxores fœminas, non est obscurum. legimus enim: Genuitq; filios & filias. Atqui id non ita intelligendum erit, quasi istis octoginta annis secutis Sethum, Adamus liberos non genuerit. Sicut etiam accipiendum esse nõ apparet in tanta hominum infrequentia et accepto mandato illo: Fœtificate, multiplicamini: aut Sethum annos CV, aut Enosum XC, aut Iaredũ CLXII, aut Lamechum CLXXXII, aut patrem Mathusalã CLXXXVII à connubijs abstinuisse, priusquam gignere sobolem inciperent: sed in rationem uenire qui hic recẽsentur liberos, non tam quam primogenitos, sed à quibus genealogia usq; ad Messiam D. nostrum continuetur.

Anni nongenti triginta.] Aetas Adami. Causas tam longæ ætatis alij alias referunt, quas partim ex uigore corporũ ac temperie, partim ex uictu, partim ex commodis terræ nondum diluuio corruptæ fructibus, partim ex moderata, eademq; sera uenere colligunt. Nec parũ profuit tum tã longa ætas mũdo. Nam in tanta raritate hominum utilis fuit ad augendã multiplicandamq; sobolem, & ad inueniendas artes atq; disciplinas, tum ad cultum ingeniorum, tum ad uariũ utæ usum utiles. Hallucinantur qui alios quàm solares annos hic accipiunt, quiq; fingunt plura annorum genera apud Hebræos haberi, quosdam annos lunares, alios bimestres, alios trimestres. Anni quos solis conuersio conficit, hoc loco à Mose numerantur. Atq; in horum supputatione Hebræorũ calculus sequendus est, non Græcorum: quos dum cæteri scriptores secuti sunt in annalib. suis, eos quos uidemus errores. admiserũt.

Et mortuus est.] ex sententia diuina in peccatum semel lata: Quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

Vixit quoq; Seth centum quinq; annis.] Anno igitur conditi mundi & ætatis Adami ducentesimo trigesimoquinto natus est Enos, tertius Patriarcha.

Vixit uerò Enos nonaginta annis.] Qui fuit annus ætatis Adami tricentesimus uicesimusquintus.

Et genuit Cenam.] Quartus Patriarcha Cenam, qui uixit cum Adamo proauo sexcentis quinq; annis.

Et genuit Melalehel.] anno mundi tricentesimo nonagesimo quinto.

Et genuit Iared.] Sextum patriarcham, qui uixit cum atauo Adamo quadringentis sexaginta annis.

Et genuit Enoch.] Qui fuit septimus patriarcha, natus anno ætatis Adami sexcẽtesimo uigesimosecũdo

Et genuit Methusala.] Octauũ patriarcham sexcentesimoseptimo mundi anno.

Et ambulauit Enoch coram Deo.] tranquillo per fidem animo Deum colens & uenerans, & iusticiam eius aduersus iniustos deprædicans. Quod est ambulare

ambulare coram Deo uulgari scripturæ tropo. Ideo Chaldæus pro cor ā Deo habet דחלתא קדם cū timo ac metu Domini. Contrà suprà de Cain: Et egressus est Cain à conspectu Dñi item: A faciæ tua abscōdar.

Quia tulit eum Deus.] Ex hoc seculo antequam attigisset eam ætatem quam cæteri patriarchæ attigerant. In explicando hoc loco sunt nobis quædam ponenda. Primò, sanctos duplici homine constare, externo, & interno. Externus est, qui cupiditatibus & libidine in corpore corrupto grassante aduersus Dei legem fertur. Internus autem homo mens est Dei spiritu tincta. Secundò, externum hominem ex limo terræ formatum subinde deficere, dum in terram ex qua fictus est, ex sententia Dei supra expositā conuertatur. Tertiò, hac sententia neminem excipi de sobole primi Adami, ueluti Apostolus testatur his uerbis: Et sic omnes homines mors inuasit, quatenus omnes peccauimus. Quapropter neq; etiam Henochum & Heliam corporali morte eremptos credimus. Nemo enim meliore cōditione fuerit Christo capite sanctorū, quem cum iustus esset, mortem subijsse scimus, per quam nobis ad uitam aditū patefaceret. Atq; ita nulli homines prius cum uiuis corporibus siue in terrenum, siue in cœlestem paradisum transferuntur, quàm mortui aut simile mortuis passi fuerint. At uerò ut Christū, quod demū obseruandum est, ex mortuis in cœlum suscitati potentia Dei, extarent in pijs sua uestigia & certi fructus, penitior hominis pars resurrectionis uim experitur, dū cū corpore nō dissoluitur, sed in uitā æternam transit ornata spiritu Christi. In hoc igitur homine sancti q in Christo sunt, mortē nō uident, sed corpore in terrā repositō transferūtur in meliorem statum, ut legimus hic de Henocho: Quoniam tulit eum Deus. Et in epistola ad Hebræos: Per fidem translatus est Henochus ne uideret mortem. Vbi Apostolus non uidetur loqui de corporis trāslatione sed animi, de qua Dominus in Ioanne his uerbis: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Quæ uerba Apostoli locum hunc explicant, & ut sublatus sit Henochus, declarant. Magna ergo consolatione legimus Henochum non mortuum, sed à Deo sublatum esse, ut nobis certa spes foret, in sanctis non omnia expirare, sed præstantissimam partem superstitem remanere ad possessionem uitæ beneficio resurrectionis Iesu Christi, qui est hodie & heri & omnibus seculis suis præsens deinde etiā sciremus nequaq; ita dissolui corpus, ut id suo tēpore sub certa resurgendi spe nō excitetur ad uitā. Hinc fit ut ad immortalitatē animi significādā Dei spiritus uti soleat uerbo לקח, i. tulit, ut cernere licet in Psalm. אך אלהים יפדה נפשי מיד שאול כי יקחני סלה id est: At meam animā redimet ab inferno Deus quandoquidem me auferet. Dicas: Si ita res habet, cur igitur non ut Henochus cæteri etiam patriarchæ hic descripti, dicuntur ex hoc mundo abrepti sublatiq;, sed singulos eos mortuos esse literis proditur. Hoc quidem factum est, ut posteritas intelligeret hac sententia semel lata, puluis es, et in puluerē redibis, omnes etiam sanctissimos ex Adamo genitos contineri: Henochum autem non mortuum, sed sublatum ex his fluxis seculis scribi, ut cognoscerent pij, ueram esse sententiam hanc à promisso semine dictam: Si quis in me crediderit, mortem nō uidebit in æternum. Vnde efficitur, hæc duo minimè inter se pugnare, pios mori, pios non mori. Mori quidem corporis dissolutione, & animi ab eo discessu. Nam mors est quasi discessus ac secretio diremptusq; earum partium quæ ante interitum iunctione aliqua tenebantur. non mori autem animo seruato integro huic uitam fide in Messiam tribuēte, quæ sub spe etiam mortuū corpus sit ad æternam uitam suscitatura. proinde in discessu ex hoc seculo piorū uerius somnus & quies cernitur, quàm mors. Hinc illa frequentia: Dormiunt cum patribus. Et Christus de filia principis synagogæ mortua: Puella non est mortua, sed uiuit. At obijciat aliquis, nonnullos sanctos patres sentire Henochū & Heliam uiuos cum corporibus & animis hinc ablatos in finem usq; mundi reseruari. Fatemur sic quosdam sentire, quorū sentētiam si quis sequi malit quàm diuersam, per nos ut sequatur, licebit, modò nobis ex illorum sententia fidei regulam, quam conscientiæ lege sequamur, non sanciat ac constituat, ut si quis secus sentiat, contra sacras literas sentire debeat existimari. Nam quod nonnulli dicunt in terrestrem paradisum illos translatos, iurè quæsuero, ubinam sit hodie terrestris ille paradisus, postquam per diluuium omnia tam miserè uastata dispersitaq; uidemus: & si est ullus talis hortus, cum is angelorā custodia tam bene clausus sit, cur potius Henocho & Heliæ q̄ alijs sanctis patribus, prophetis & Apostolis apertus ille sit, meritò mirentur pij. Sin uero in cœlestem paradisum cum corporibus recepti sunt, quid ergo sacrosancti seminis prærogatiuæ faciemus, de qua illud: Nemo ascendit in cœlū nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo. Scio quidem quid hic responderi possit, sed quàm aptum id sit in præsentia non explicabimus. Neq; est, cur quisq; dicat nobis hic in Henochi cū corporei trāslatione futuræ uitæ spē cōfirmari: quæ infirmetur, si secus statuatur. Primò spes futuræ uitæ pendet ex promissione illa salutaris sobolis: Ipsum cōteret caput tuū. Sub qua spe & fide Adamus & omnes eius posteri, quorum quidem nomina in cœlis scripta sint, morte uicta in uitam transierunt. Deinde si corroboranda est spes ex cuiusquā corpore in cœlum translatione, confirmanda fuerit ex translatione illius, de quo Apostolus: Quòd si spiritus eius qui excitauit Iesum ex mortuis, habitat in uobis, is qui excitat Christū ex mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra propter ipsius spiritū habitantē in uobis. De his hactenus, quæ iudicanda xe sacris literis reliquero sanctis.

Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinq; anni.] Vixit igitur cum Adamo trecentis octo annis, & mortuo iam Adamo quinquaginta septem annis.

Et facti sunt omnes dies Mathusalah.] Cæteris patriarchis diutiornior Mathusala fuit, ut diutius erudire iuniores posset, quorum uita breuior erat futura diluuio appropinquante.

Vixit

Vixit autem Lamech.]*nonus patriarcha, qui natus est octingẽtesimo septuagesimoquarto ætatis Adami anno. Mortuus ergo est quinq; annis ante diluuium, cum uixisset cum Adamo quinquaginta sex annos. Non carent significatione sua sub appropinquantem iam deprauati mundi finem usurpati hic septenarij. Septingenti septuaginta septem anni.*

Vocauitq; nomen eius Noa.]*In hac historia de Noa considerandum est nomen sancti uiri: deinde, eius studia: tum mundus sceleratus: tertiò, tædium de redarguendis sceleribus: quartò, longanimitas Dei: quintò, iudicium mundi pœnitentiam recusantis: demum mystica Noæ, renouati mundi, arcæ & octo seruatarum animarũ cum animantium generibus ratio. De singulis ordine & suis locis monebitur.*

Dicens, Iste consolabitur.]*Etymi נח explicatio. Lamechus igitur propheta fuit, qui quæ sub Noa erant euentura præsenserit.*

Ab operibus.]*malis. aut, à negotijs & laborib.*

In terra.]מן האדמה, *id est, de terra, id est de maledictione terræ.*

Cui maledixit.]*propter peccatum, quæ condita fuerat ad benignè edendos fructus.*

Noa autem cum quingentorum esset annorum.]*decimus patriarcha, qui est natus anno mundi, millesimo quinquagesimosexto post mortem Adami, anno centesimo uicesimosexto. Insignis castitatis ostenditur hic in Noa exemplum: nisi quis dicat, solum Semum, Iaphetum, Chamum, numerari, reliquos liberos reticeri. Is est sanctorum patriarcharum catalogus post impiorum progeniem à Mose diligenter descriptus, quo planius utriusq; Ecclesiæ iustorum & iniustorum discrimen cognosceretur. Cernitur autem dissimilitudo ea tribus in rebus: in natura, usu, & exitu. In natura quidem, cum aliam impiorũ, aliam piorum scriptura nobis proponit indolem atq; ingenium. de qua dissimilitudine suprà. Quod autem ad usum pertinet, is non minus dissimilis est in utraq; ecclesia, quàm natura. In altera enim impij tolerantur, qui pios suo ipsorum bono uarijs afflictionibus exerceant, quibus ad patientiam durentur, et ad inuocandum nomen Domini apti reddantur, factaq; redemptione habeãt, in quo laudent beneficia liberationis de eis gratias Deo agentes. de quo usu suprà: Tunc cœptum est inuocari nomen Domini. Is est præclarus impiorum fructus, his quidẽ pernicios us, sanctis autem salutaris: contrà piorum usus habet, quos Dominus è mundo seligit in quibus colatur, & supra omnia celebretur. de quo usu psal. Deus qui glorificatur in concilio sanctorum. Vt igitur dissimilis natura est & usus ecclesiæ iustorum et iniustorum, ita par quoq; exitus utrorumq; spectatur. Nam alteris propositus est interitus, alteris salus. In exitio impiorum Deus declarat potentiã suam et iustitiã, in salute piorum bonitatem & misericordiam. Interitus exempla apparent in diluuio, bonitatis in arca. Iaq; Salomõ de impijs: Omnia operatur Dominus impium etiam in diem malum.*

Sem genuit.]*Semus Iapheto maiori natu præponitur propter dignitatẽ. Ex eo enim sanctus populus et Christus nascendus erat. Porrò de Iapheto infrà legimus: frater Iaphethi maioris.*

IN CAPVT VI.

CVm cœpissent homines multiplicari.]*non pietas. Narratiuncula, diluuij causas continens.*

Videntes.]*libidinis animi nõ timoris Dei oculis. ut* ראה *uidere in hac lingua uoluptate affici est. Psal. Oculus meus uidit inimicos meos, uoluptatem cæpit ex uindicta eorum.*

Filij Dei.]*filij sanctorũ patriarcharũ in Dei uerbo et cultu educati, quales appellãtur filij Dei. Vt deifrae litis legimus: Filij estis uos Domini Dei uestri. Quidã de angelis Dei interpretantur, ut Iosephus. Sunt qui hic incubos fingunt dæmones. Alij de filijs iudicum & potentum exponut, ut Chaldæus.*

Filias hominum.]*De primogeniti Caini falsa religione, bellis, homicidijs, libidine insigni familia. Per contentionem opponit filios Dei filiabus hominum, et ipsos homines quæ appellatio in malo sumitur, Deo. Psal. Quid est homo q. memor es eius? Et Deus apud prophetam: Ego Deus, & non homo.*

Quòd pulchræ essent.]*non quòd timentes Deum essent. Qualibus oculis Heua suprà arborem scientiæ boni & mali aspexit, talibus hic filij Dei puellas hominum intuẽtur. Eisdem enim in utroq; loco utitur spiritus Dei uerbis. Exprobratur libido & ueneri prona cupiditas ad quam homo præ cæteris animantibus fertur procliuior esse, quòd humore & calore is maximè abundet. Hæc si tum corporis tum animi uires debilitans nimia fit, Dei iram excitat. Qui honestã & modicam uenerem in matrimonij usu à se institutã commendat ut ad sobolem procreandam necessariam, & ad ualetudinem tuendam leuandasq; curas utilem.*

Acceperunt sibi.]*non Deo. Suam libidinem sequebantur, non Dei metum, non sanctorum parentum uoluntatem, non legem coniugiorum, quæ mutuum præsidium & sobolis procreationem probat, incestum & promiscuam libidinem improbat atq; damnat.*

Vxores ex omnibus.]*nullo delectu probarũ facto contra exempla maiorum & legem quam postea Moses præscripsit. Non dãnantur hic connubia, nõ pulchritudo, non sexus muliebris, non soboles: sed uitiũ et abusus in prauis hominib. qui non ut debebant et quas debebant, sed quas liberet, & quotquot liberet, contra morem duxerint uxores, pariter & re domestica propter promiscuam libidinem et incertos liberos et re ciuili propter uim ac tyrannidem, & Ecclesiastica dignitate propter Dei cultum perturbatũ confusumq;, conuulsa. Nam solent filiæ alienigenæ in domos maritorũ falsam parentũ religionẽ, prauosq; mores, quib. uerũ cultum & honestatem labefactant, importare. Exemplo est Salomon, cuius cor per mulieres alienigenas legitur à Deo auersum fuisse. Quæ ergo in coniugijs cõtrahendis spectari debeãt, exẽplo hic admonemur.*

Dixitq; Deus.]*Exponitur prima et grauissima pœna subtractio uerbi Dei, quæ grauior est diluuio, igni, gladio, peste. Hæc corpora intereunt, illa animi.*

Non

Non permanebit.] Similiter Græci οὐ παραμείνῃ. Heb. לא ידין, id est nõ cõtendet, disceptabit, iudicabit. Non palàm arguam mundum de peccato per prophetas meos. Tædium hic indicatur prædicationis pœnitentiæ in tam deplorato populo. Porrò iudicare est publico ministerio uerbi Dei fungi. Et iudices prophetæ sunt & Apostoli. Psal. Iudicabit in gentibus Quanto autem fastidio afficiantur prophetæ Dei in disceptãdo cum ijs ad quos mittuntur, documento sunt Moses, Elias. Hieremias, Micheas & alij uates. nostra tẽpora prætermitto.

Spiritus meus.] Spiritus uerbi mei arguens per ministros prophetas mundum de peccato. Sunt qui interpretantur spiritum Dei, de uitali spiritu quem homini Deus sit adempturus, adducto in terram diluuio. Qui spiritus, Dei spiritus appelletur ut à Deo Adamo inspiratus: Et inspiraut in nares eius halitum uitæ. Veteres sapientes spiritum Dei, de Messiæ spiritu interpretantur, qui Dei spiritus dicitur iudicans, hoc est reprehendens & dãnans per legatos suos mundũ de noxa. ut Esaias capite. 11. docet. & Christus apud Ioannem: At arguet mundum de peccato. Quod est hic יריב, redarguere, iudicio contendere, ac disceptare.

Quia caro est.] Spiritum uerbi mei inuisum habẽs. Per contentionem spiritui carnem opponit. Ratio auferendi spiritus monitoris ex ponitur ex locis contrariorum. In spiritu, lux, ueritas, innocentia, puritas, benignitas cernitur: in carne tenebræ, mendacium, uis, impuritas, malignitas. In carnis igitur nomine, non solum belluina libido cõprehenditur, sed etiam sapientia humana fastus, arrogantia, tyrãnis, ambitio. Huc referas quæ Apostolus in epistola, quam ad. Galatas scripsit, inter fructus carnis numerat.

Eruntq; dies illius centum.] Locus de lenitate Dei proni ad ignoscendum. De hac lenitate Petrus: Cum semel expectabatur lenitas Dei in diebus Noæ.

Centum uiginti annorum.] Anni hi ad pœnitentiam assignati sunt quibus resipiscerent, non ætati, quam deinceps uiuerent. Nam constat Semum uixisse sexcentos annos, et fuere qui deinceps non attigerunt annorum centum uiginti ætatem, quæ ut Dauid dicit, septuaginta aut ut plurimum octoginta annorum spacio continetur. Rectè igitur Chaldæus ארבא יתיב לחון בואת רעשרין שנין אם יתובון. Sed dicas, centum uiginti numerãtur hic, cum tamen ab eo tempore quo natus est Iaphetus usq; ad diluuium solum centum anni fluxerint: quid ergo faciemus uiginti reliquis? Respondent interpretes non esse בירם רם רברהר בתורה, id est, non seruari rerum gestarum ordinem in scriptura, ideo dicunt uiginti annis antea Dei decretum denunciatum Noæ, quàm natus esset Iaphethus. Simile exemplum legitur de Thera: Mortuus est Thera in Haron. & deinde: Et dixit Dominus ad Abraham, Abi ex terra tua. Manifestum autem est Theram non prius mortuum fuisse, quàm esset Isaacus triginta quinq; annos natus.

Gigantes autem erant.] גבורים Alijs Gigantes sunt; qui citant locum hunc ex Numeris de filijs Enac: Ibi uidimus monstra quædam, de גבורים quibus comparati homines quasi locustæ uidebantur. alijs tyranni sunt. Quoniam hic de potentibus & claris hominibus fit mentio, utriq; uerbo hoc Hebræo significantur, tyranni & gigantes, quòd genere, opibus, corporum dotibus clari, insolescerent, & cæteros per contemptum & fastum opprimerent. Nam si post diluuium uixere procera celsaq; statura insignes homines, quo tẽpore ut terræ bonitas ita etiam corporis dotes imminutæ sunt, quanto magis ante diluuium cum adhuc omnia magis integra essent, proceritatem corporũ supra communẽ conditionem hominũ admirandã licuit cernere. Nõ cõmemoro hic, quod Berosus meminit ppe Libanũ montẽ fuisse Enochiũ urbẽ maximã Gigantum.

Filij Dei.] Notantur degenerasse etiamij quos uerum cultum Dei tueri oportebat.

Potentes.] tyrannide & inde meriti qui iudicio Dei deprimẽtur. Hinc illud, Dispersit supbos mẽte.

Famosi.] Græci ὀνομαστοί: nobiles ac clari. In bono & in malo sumitur אנשי שם.

Videns autem Deus.] ueri iudicij oculis. Quam mundus malitiam uidere noluit, Deus uidit. Rectè igitur apud prophetã: Nõ sunt uiæ meæ sicut uiæ uestræ.

Quòd multa malitia.] et aucta ab obitu Adami. Repetit causas futuræ cladis: declarat etiam quæ uitia potentiam, opes, luxum comitentur.

Et cuncta cogitatio.] ueteris hominis. De nouo enim legimus: Et ambulauit Enochus corã Deo: Item de Noa: Et Noa fuit uir iustus. Heb. scita metaphora utitur, cogitationem animi uocans יצר, id est, figmentum, quod animus rerum quarumuis cogitationes tanquam figuras instar figuli fingat, qui ex luto quiduis effingit ac efformat.

Intenta esset ad malũ.] Memorabilis locus aduersus uires naturæ contaminatæ uitio originis. Extra gratiam spiritus sacri filij Iesu, neminem posse quicquam sanctè neq; cogitare neque agere. Damnantur igitur hic omnia figmenta hoc est cõsilia & cogitationes rationis & mentis humanæ non gubernatæ spiritu Dei.

Pœnituit eum.] Ἀνθρωποπαθῶς loquitur scriptura & ut interpretes dicunt בלשון בני אדם, id est, more ac sermõe humano homines cũ destruũt opus qd̃ fecere eius tædio affici dicũtur: ita pœnitere Deum est conditũ opus perdere. nõ igitur in Deo, sed in natura cõdita, cernitur mutatio. Atq Deus cum opus conditũ abolet, sic aboleat, ut melius reparet, q̃ mortificat ut uiuificet, q̃q; terrena opera frãgit, ut cœlestia refingãt, et ea instauratiõe oblectetur, seq; mirificè cõsoletur legitur ויגחם in quo uerbo & pœnitentia & consolatio notatur. At uerò horũ uerborũ cũ Deo tribuũtur, in effectione nõ affectione qua libera est natura diuina, significatio ponderãda est. Sunt tamè qui existiment cũ affectus, & cor & membra Deo affingit scriptura, id fieri typo Messiæ hominis, in quo Deus σωματικῶς habitat, qui est imago inuisibilis Dei, ut Paulus ait.

Et tactus dolore cordis.] Affingitur Deo cor & dolor, qua ἀνθρωποπαθείᾳ, exprimuntur duo, odium peccati et amor operis creati, ad quod seruandum pro

nior est Deus, quàm ad perdendum. Hinc illud: Nolo mortem peccatoris, sed potius ut conuertatur, & uiuat. Chaldæus exprimit dolorem his uerbis: ראבר במרמריח לבריתבר תרקפריחון ברעתיח dolere igitur dicitur Deus, cũ punit et disperdit: et lætari, cũ bene facit et miseretur. Apud Esaiã pphetã alienũ opus dei dicitur affligere, propriũ misereri. Quo nomine etiam fit, ut cum suos punit ac percutit, bono ipsorum, nõ malo eos puniat. Hinc illud: Vulnerat ut sanet.

Et dixit Dominus.] Narratio decreti de excidio mundi quod iam intentat, cum neq; adhortatio Noæ sancti uiri, neq; Dei lenitas, ad pœnitentiam sollicitans quicquam prodesset.

Delebo.] In uerbo אמרחח spectatur ad infirmitatem humani generis ex humo efficti, quòd Deus aqua sit deleturus, instar pictoris, qui picturã in tabula spongia abstergit.

Quem creaui.] non ut perderem, sed seruarem. Exprimitur causa doloris & pœnitentiæ diuinæ. Suprà enim: Viderat Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona.

Ab homine.] fine cæterarum rerum.

Ad animantia.] propter hominem condita: quæ salua sunt, homine saluo: perdita autem, homine perdito. Partium enim salus, ex integri & totius salute pendet. At homo minor mundus est, cuius, terra, cœlum, animantia, stirpes quadam ratione partes sunt. Non meminit hic piscium quos delere uelit. Etenim hi in aquis uersantur mundum lustraturis. Vnde expendendum uidetur, cur Messias præ cæteris animãtibus iam expiata noxa, post excitationẽ suã è mortuis piscẽ & eo asso uesci uoluerit.

Noe autem inuenit gratiam.] solus ex humano genere, ne id funditus periret. Non est igitur currentis, sed uolentis Dei conseruari. Anne autem cæteri omnes omnino æterno exitio perierint, non est huius loci ac disputationis eius rei explicatio. Ex Petri Epistola quæ plio explicari debet.

Noe autem uir iustus.] Iustitia fidei, de qua propheta: Iustus ex fide uiuet. Et de Abrahamo: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam. Et Apostolus de fide Noæ: Per fidem etiam admonitus oraculo Noa, ea quæ nondum uidebantur ueritus, apparauit arcam ad salutem domus suæ.

Atq; perfectus.] fidei iusticiam exprimens integritate uitæ. Integritas tum cordis tum uitæ accipitur, quam fides in Christum sanctorum integritatem, in illo creabat, quæ tum ex Christi dono ac munere, tum ex mensura primitiarum spiritus æstimabatur. Hæc duo fides & integritas et animi & uitæ fidẽ comitata seruarunt Noam. Cæteros Dei contemptus & praua studia perdiderunt. Memorabilis est hæc commendatio inter locos cõmunes de causis salutis conseruandæ numerãda, Suprà ex cõtrarijs locis causarũ numerata sunt in causis interitus, fastus tyrannis, contẽptus ueræ religionis perfidia, libido. Noæ etiam in Sibyllinis oraculis fit mentio.

μόνος δ' οὐ πάντεσσι δικαίτατος ἠδὲ ἄληθὴς
λῶν νῶι

In generationibus suis.] inter homines sui temporis tam ante, quàm post diluuium.

Et cum Deo ambulauit.] præco diuinæ iusticiæ contra iniusticiam impiorum.

Et genuit tres filios.] Repetitur soboles Noæ unà cum ipso seruanda tanquam seminarium futuri mũdi.

Terra.] habitatores terræ. Tropo noto.

Coram Deo.] non coram impijs, qui sibi sanctissimi uidentur. Exemplo sunt omnibus temporibus hypocritæ. Alij igitur sunt oculi Dei, alij hominum.

Iniquitate.] חמס id est iniuria, ui, tyrannide, immanitate. Vim potentium suprà memoratorum explicat. Chaldæus pro חטרפין uertit חטופין quæ uox rapinas sonat, sed latius patet Hebrææ uocis significatio. Et hic non unum genus iniuriæ indicatur, qua potentes in alios grassati sint. Quæ tum in uerbis tum factis cernitur. Verba conuicia cõtinent, facta defraudationem & uim. Vt si quis alterum suis fortunis spoliarit, uxorem & liberos uitiarit, uita priuarit insontes. Ad huiusmodi animi & morum prauitatem multum ualebat corporum corruptæ naturæ constitutio ac temperatio, quæ illis tẽporibus erat etiam firmior. Nam corpora humana ualde calida sunt & humida. caloris ui excitabatur ira, sæuicies, crudelitas, insolentia: humore uerò segnities, lasciuia, ocij studium & uoluptatũ. Itaq; cum ingenio & animi fortitudine præstantes homines caloris humorisq; ui abundent fit ferè, ut quanto quiq; humana sapientia & prudentia magis excellunt, tanto maiorem perniciem affirant, ut in hac historia & omnium temporum exemplis uidere licet.

Omnis caro.] homo. Paraphrasi אנוש.

Viam suam.] institutas naturæ leges, abusi corporum animorum & cæterarum rerum donis. Nomine uiæ enim in sacris literis intelliguntur leges, instituta, mores officia, metaphora sumpta à semitis quas terimus in eis ambulantes.

Finis uniuersæ carnis.] Id est statutum exitium, iam impleto tẽporis spacio ad resipiscendũ assignato.

Cum terra.] cum ijs quæ è terra nascuntur, cum satis, herbis, arboribus, imminuta etiam per noxiam aquarũ inundationem naturali terræ quam à Dei uerbo acceperat, fœcunditate, ut omnia fuere in primo mundo præstantiora, corporum uigor quem indicat longissima ætas, ingenia quorum uis corporum integritatem comitatur, terræ ubertas, fructuum bonitas.

Fac tibi arcam.] Exponitur ratio ac uia seruandorũ electorũ Dei. Nõ inuentũ humanũ hæc arca siue nauis est, sed artis diuinæ opus, cuius architectus fuit Deus, Noa minister.

De lignis læuigatis.] גפר alijs abies, Chaldæo cedrus, Græcis ligna quadrata ἐκ τῶν ξύλων τετραγώνων. Ex genere pinorũ larix etiã est carie libera, & in aquam contumax, quæ aptam materiam potuit extruendæ arcæ præbere.

Mansiunculas.] in usum animantium & rerum conseruandarum ad uictum קנים nidi sunt, scita metaphora. Quemadmodum Latinus poeta antiquas domos auiũ nidos appellauit. Idem enim nobis domicilia

sunt

sint quod auibus nidi. Chaldæus similiter nostro.

Et bitumine linies.] ut bene sit munuta aduersus fluctus maritimos, in quib ferè totũ annũ erat iactanda hæc sine exemplo nauis. Hac prouidentia Deus pro suis laborauit, quam singularem requirebat magnitudo horrendi & funesti, quod imminebat, exitij. Hoc exemplum posteri sunt imitati qui prorsus intus & extra picatis nauibus in mari utuntur. Hinc uates: Nata tuta carina.

Trecentorum cubitorum.] Magnitudo arcæ. Distinguuntur à nonnullis cubiti in communes & geometricos. Communes dicunt sex palmis contineri, id est sesquipede. Geometricos uerò nouem pedibus aut triginta sex palmis quos hic accipiendos uolunt, ut satis amplum hoc ædificium ad tot animantium genera recipienda fuisse intelligatur. fuere qui indutere cubitum Aegyptium, qualiũ singulos continere quinq; cõmunes. Simplex sententia est cubitos prostatura Noæ & hominum illius seculi usurpatos, quos proceriores fuisse dubium non est. Nam Moses & in alijs locis cubitorum facit mentionem, qui teneant modum humanorum cubitorũ, ut licet uidere in Deuteronomio capite tertio. Duplex genus cubitorũ in sacris literis nobis uidetur ostendi: alterum prosanorum & communium, alterum sacrorũ: prophanos continere sesquipedem, sacros cubitum & quatuor digitos, ut id patet ex Ezechiele capite quadragesimo.

Quinquaginta cubitorum.] Latitudo igitur fuit sexta pars longitudinis, quæ sescupla est proportio.

Et triginta cubitorũ.] Longitudinis decima pars, quæ proportio decupla est. Si uerò referas ad altudinem erit superbipartiens tertias.

Fenestram.] De luce prouisio, qua arca illustraretur & qua noctem à die distingueret Noa. צהר à meridiana luce dicitur.

Cœnacula & tristega.] Tripartita contignatione fuit distincta arca infima quæ pauimentũ erat, media, & summa. Infimũ alij feris animantib. alij stercori, medium animantibus & rebus ad uictum necessarijs, tertium hominibus attributum ferunt. Dispositio uidetur hæc fuisse: fundus planus erat non recuruus in proram & puppim, latera recta forma quadrãgula rectis angulis. In hac arca repræsentatur minor mundus homo, cuius superior pars quæ caput est sensu & mente uiget: media in qua cor, epar, pulmo residunt, uitali uirtute prædita est, in infima fundendi seminis ad generandã sobolem & excrementa excernendi uis cernitur. Siese Noæ arca habunt, in cuius suprema parte homines mẽtis ac rationis participes uersabantur, in secunda animantia ratione carentia, in tertia ac infima uilissima quæq;.

Ecce ego.] Genere cladis nouo se puniturum mundum minatur. in communibus calamitatibus numerantur bella, fames, pestis. In demonstratione חנני certitudo oraculi contra securitatem impiorum notatur, qui nouo & inaudito supplicio fidem minime habebant. Eandem certitudinem declarat præsens uerbũ מביא pro futuro sumptum.

Aquas diluuij.] Aquæ suprà in suum, quo terra redderetur continens ac siccum confluxere locum, hic reuocãtur. Hoc est peccati meritum, unde discimus omnia obedire uerbo Dei.

In q̃ spiritus uitæ est.] animus uitalis. Latè igitur patet רוח. Est enim in animantib. suus spiritus, suus in angelis, suus in Deo. Hic ψυχικὸς, id est, animalis spiritus, cuius uis in alẽdo corpore, in sentiẽdo, in mouendo et gignẽdo cernitur, nõ ille q̃ in mẽte et intelligentia uersatur, accipitur. de quo Ecclesiast. Et spiritus redeat ad eũ, qui dedit illũ. igitur sequitur: Subter cœlũ.

Ponamq; fœdus meum.] conseruationis tui & tuorũ. In hoc fœdere figura & umbra, in fœdere per alterum Noam Christum cum seruandis in arca ecclesia electorũ per baptismũ è sacro spiritu, ueritas. fœderis cũ Noa initi firmitas exprimitur in uerbo והקימתי. Et confirmabo. tropo à rebus rectis & stantibus quæ firmæ sunt mutuato. Aduersus tantum periculum peculiari confirmatione animi opus habebat Noa, quæ in uno præsidio promissionis diuinæ de præstanda ope nitebatur.

Tecum.] Suprà: Noa uerò inuenit gratiam coram Domino. Nominatur hic Noa, ut in quo tanquam capite & marito uxor continebatur. Liberi ut in parente, cætera animantia tanquam subdita illius imperio. Remoue typum. Christus occurrit uerus Noa omnia saluans, quæ in cœlo sunt, & quæ in terra.

Et uxor tua.] Non legimus, Vxores tuæ. contrà q̃ supra de Lamecho legitur: Et accepit duas uxores.

Et ex cunctis animantibus.] Summũ genus proponitur. Etiam feras & immanes bestias receptas in arcam. Sic erat fides Noæ, cuius imperio omnia obediẽbãt. Qui suprà attulisse legitur ad Adamum omnia genera animantium, quibus ille nomina daret. Idem ut ad Noam in arcam eadem illa ingrederentur, autor fuit. sub imperio illo: Dominamini uniuersis animantibus quæ mouentur in terra.

Vt possint uiuere.] omnia cum Noa in arca seruantur genera rerum semel à Deo condita. Si alterum Noam Christum consideras, ut per hunc in sua arca seruetur ab interitu uniuersa creatura declarat Apostolus in Epistola ad Romanos capite octauo.

De uolucribus.] summum genus subiectis partibus tractat.

Tolles igitur tecum ex omnibus escis.] Prouisio Dei de uictu, alimentis quæ condiderat Dominus, illi cõmendatis quibus uteretur cum gratiarum actione, non contemneret per Dei tentationem.

Quæ mandi possunt.] Commoditas & consuetudo inest futuris habraicis: אשר יאכל, id est quæ consueta commodaq; sint ad uescendum.

Fecit ergo Noa.] Commendatio obediẽtiæ Noæ, qui per fidem non naturam, non mundum qui minas Dei contemnebat, neq; res quas faciebat quæ ridiculæ mundo uidebantur, sed mandantis Dei uoluntatem spectabat. Hæc de arca, in cuius fabricatione architecti Dei diligentiã & curam cernere licet, quam adhibuit in deligenda materia, in parandis mansiunculis, in

distinguendis contignationis ordinibus, collocanda fine stra & ostio, puidendo uictu, quæ omnia mystica ratione minime caren t, quã hoc modo ex priori Petri epistola explicare licet. Hic Noa cernitur qui mundo quietem affert. Est etiam alter Noa uerus ille & cœlestis Noa, qui mundo ueram quietem à peccato, morte & tyrannide potestatum tenebrarum præstat, cuius arca Ecclesia est, in quam qui ascripti sunt, soli aduersus diluuium tot tentationũ & aduersitatum tuti sunt: Noæ arca certam materiem ex quæ ædificatur habet, neq; Christi arca ex quauis materia fabricatur, sed ex ea de qua illud: Qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Neque deest hic suum bitumen, quæ charitas est qua Ecclesia tabulæ, qui pij sunt, inter se tanquam glutine ac ferramento conglutinatæ fluctus maritimos huius mundi superãt. De quo glutine charitatis hoc est uinculo perfectionis non uno in loco præclarè Apostolus Paulus disserit. Quæ in arca sint uaria domicilia, uaria loca, infima, media, summa, ea in domo patris Dei uarias mansiones & in ecclesia multiplices ordines repræsentant. Arca præterea mystica pariter mansuetas & feras, mundas & immundas animantes recipit, neq; Ecclesia refugit quosuis immundos & efferatos. Nam Christus non uenit ad uocandos iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Qua ex re docemur ut firmi infirmos, qui fiant eos qui tacent, cum mansuetudine in hac arca ut una nobiscum seruentur, toleremus, in eo et per eum Noam, de quo propheta: Et ipse peccata multorum tulit & pro transgressoribus rogauit. Fenestra arcæ nostræ Euãgelium est, cuius ministerio lux immittitur, de qua illud: Ego sum lux uera. ostium autem de quo eadem illa lux: Ego sum ostium. Arca satis ampla fuit, longitudinis, altitudinis et latitudinis iusta spacia occupãs. Sed nec sua amplitudo deest ecclesiæ cœlesti arcæ, de qua propheta: Iubila sterilis quæ nõ paris, quoniam plures liberi, &c. Item, Dilata locum tentorij tui, &c. Quòd autem ad diluuium pertinet, ut hoc duplex officiũ præstitit unum quo impios deleuit, alterũ quo pios in arca seruauit, ita in Ecclesia suas aquas spectare licet q baptismus est, cuius munus partim in differẽdo, partim in conseruando cernitur. Differt enim ac delet, ueterem in nobis & carnalem hominem, saluum uerò reddit nouum & spiritualem, ut his uerbis monet Apostolus: Externus noster homo corrumpitur, internus renouatur in dies singulos. Et Petrus Octo animæ seruatæ fuerunt per aquam, cuius figuræ iam respondens baptismus, nos quoq; saluos reddit, quo non carnis sordes abijciuntur, sed quo fit ut conscientiæ bene respondeant coram Deo. Hunc baptismum indicat propheta: Et effundam super uos aquam mundam, & mũdabimini ab omnibus iniquitatibus uestris, cuius baptismi spiritualis baptismus aspectabilis aquæ sacrum symbolum habetur. Iactatur item Ecclesia suis aquis de quibus psalmus, Saluum me fac Domine, quoniam intraucrũt aquæ usq; ad animam meam. Hos angustiarum fluctus commouet in mari huius seculi, mundus, caro, peccatum, satan, in quibus iactatur arca aecclesia, sed à periculo tuta redditur per eum qui maris & uentorum imperium obtinet. de quo illud: Qualis est hic, cui uenti quoq; & maria obediunt?

IN CAPVT VII.

Dixitq; Dñs.] Iuel per angelos uel per suũ spiritum, uel per Mathusalã auũ qui in ipso diluuij anno millesimo sexcẽtesimquinquagesimosexto mortuus est. Solet enim trifariã Deus cũ suis loqui, uno modo per angelos, altero per prophetas et ministros uerbi sui, tertio per spiritum sanctum, uel apertè in nobis citra uisa loquentẽ, uel obscurius per somnia & uisa.

Ingredere tu.] Ex destinatione igitur & uocatione diuina pẽdet salus, nõ ex nutu et arbitrio humano.

Te enim uidi.] Dei approbantis iudicio nititur probitas, non nostro hic delinquitur ab hypocritis.

Iustum.] Repetitur causa salutis, ut sit nobis exemplo iusticia Noæ. Tẽporis diluuij prauitas designatur, in quibus non nisi unus inuentus sit iustus. Accõmodat figuram illorum temporum Christus ad hæc nouissima aduentus patefactionis euangelij tempora his uerbis: Cum filius hominis uenerit putas quod inueniet fidẽ? Item: Sed sicut erant dies Noæ, ita erit & aduentus filij hominis. Nos legimus hic sub Noa iusto seruatum ipsum mundum. Hinc sapienter sapiens Salomon: Iustus fundamentum mundi. At uerò tenuis umbra cernitur in seruatore Noa & eius iustitia ueritas in iusto illo mundi reparatore & saluatore, de quo Zacharias: Ecce ueniet tibi iustus rex tuus & saluator. in sibyllinis oraculis ipsi Noæ subijcitur mentio oraculariæ de Christo his uerbis:

ἀλλ' ὅτε δὴ μεγάλοιο θεοῦ πάϊς ἀνθρώποισιν
ἔξει σαρκοφόροις θνητοῖς ὁμοιούμενος αὐγῇ.

In generatione hac.] impiorum colluuione.

Septena & septena.] septem masculos & septem fœmellas. plura de mundis quàm immundis recipiuntur in arcam, partim ut sit quod sacrificijs ad gratiarum actionem suppetat, partim ut intelligamus Deum mundis, non immundis delectari. Legi Mosæ infrà faciendæ de delectu purorum & impurorum animantium hic præluditur septenarius huc congruit qui puritati sacratus est. ut probat illud: Vade & lauare septies in Iordane.

Vt seruetur semen.] Causa exponitur generũ receptorum in arcam. Hæc bonitas Dei est, quæ operæ manuum suarum nolit deleri. sic pro Lotho infrà cum perdere uellet Sodomæos sollicitum fuisse Deum legimus, similiter cum primogenita Aegyptiorum interimere decreuisset, Hebræos suos seruauit munitos sanguine agni, & Noam a qua conseruauit. Vtriusq; typus notus est. Itaq; sic diuina æquitate constitutum est ut ij quos probitas separat ab alijs, etiam clade separentur. Quod si accidit, ut pij cum impijs communibus cladibus, morbo, peste, fame, gladio puniantur, debent hi ipsi cogitare in altero seculo fore ut hæc eorum calamitas diuini fauoris benedictione compensetur. firmum enim est illud Apostoli: Dum iudicamur, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

Sed

Sed & de uolatilibus cœli.] *mundis uidelicet.*

Ego pluam.] *non natura. pluuia iræ diuinæ non usitata explicatur in demonstratione* Ego. *Infrà:* Et *fenestræ cœli apertæ sunt.*

Omnem substantiam.] כל יקום *omnem uiuentem naturam. tropo à stando uerbo mutuato. Quæ enim uigent, stant: contrà quæ expirant, concidũt corpore graui ut terrestri, aereo spiritu qui ponderosam fabricam erigat, destituto.*

Fecit ergo Noa.] *Repetitur commendatio obedientiæ Noæ, ut sit nobis exemplo.*

Masculus & fœmina.] *coniuncti ad propagandam sobolem.*

Cumq; tranſissent septẽ dies.] *Hebræus,* לשבעת *ubi articulus* Lamed *loco præpositionis* Post. *Græci,* μετὰ τὰς ἑπτὰ ἡμέρας.

Anno sexcentesimo uitæ Noæ.] LXX *interpretum libri habẽt mendum,* ἐν τῷ ἑνὶ ἑξακοσιοστῷ, *id est anno uno & sexcentesimo.*

Mense secundo.] *Alijs Aprilis est, alijs October. hi anni principia numerant ab æquinoctio autumnali, illi à uerno. alteris Martius primus mensis est, alteris September. Prolixa hic est disputatatio, quam ab alijs tractatam relinquimus. Nostris & quibusdam Hebræis placet Aprilis alter à Martio mense. legi enim in Exodo cap. 12. Mensis iste nobis principium mensiũ primus erit in mensibus anni. Ad hæc putant uerisimile esse eo tempore cœpisse nundum nasci, quo cuncta niresc unt & animantur, cuiusmodi uernũ tempus est, sole arietem ingrediente. Huc quoq; spectantes ueteres & nostri astronomi conuersiones syderum supputant ab hac anni parte incipientes. Sed dicas: Cur igitur legimus* Exodi *uigesimoquarto. Solẽnitatẽ quoq; facies in exitu anni, quando congregaueris omnes fructus tuos de agro. Si igitur finis anni in autumno est, in eodem initium anni erit. Respondent hoc loco respici à Domino laborum culturæq; terræ exitum.*

Rupti sunt omnes fontes.] *legem aquis uerbo Dei positam transgredientes. Explicatur modus parati diluuij. Duo proposita sunt hic nobis ad cognoscendum: unum, abyssum, id est maria, non sua natura cohiberi, quo minus inundent terram. suprà enim indicatur, primò obtectam aquis fuisse terram, cum hæ suo iuri permitterentur. Alterum est, lege uerbi Dei abyssos contineri certis obiectis carceribus, ne inundent & operiant terram. De hac lege suprà:* Congregentur aquæ *in unum locum. & in Psal.* Terminum *cis posuisti quem non præteribunt. De eadem lege etiam Salomon:* Quando circundabat. *Hic igitur cum legitur ruptos abyssi magnæ fontes, intelligimus non legi à Deo impositæ, sed naturæ aquarum obtemperatum. Tantum malum est peccatum, ut elementa mundi positas sibi à Deo leges mutare permittantur ad ulciscenda scelera impiorum, & ad asserendam gloriam opificis sui. Hoc modo mutat terra uim fœcunditatis suæ, cœlum clementem benignamq; lucendi naturam negat, molesq; aquarum intra carcerem suum clausa ad uindictam sceleratorum se aperit. Bestiæ imperium detrectant, & impetu immani hominem cui parere debebant, petunt. Tanto discrimine probitas ab improbitate dirimitur.*

Et cataractæ.] חארבות & *fenestræ. figuratè dicit litera magna ui effusas aquas tanquam apertis cœlis. Tropũ scite Græci expresserũt,* καὶ οἱ καταῤῥάκται *id est, aquæ de præcipiti & eminenti loco magna ui ac molescendentes. Verbũ* καταῤῥήγνυμι *notum.*

Cœli.] *non illius quod fingunt supra firmamentum positum, cristallyni, sed eius in quo nubes sedem suam habẽt. Duplici igitur modo diluuij aquæ paratæ sunt: uno ruptis fontibus abyssi infernè, altero effusis pluuijs de cœlo supernè eius fenestris, hoc est nubib. apertis & patefactis. Aliud igitur abyssus, aliud fenestræ ac cataractæ, aliud pluuiæ. Vndique igitur cingimur aquis, quas solum Dei uerbum cohercet, ne eis absorbeamur.*

Et facta est pluuia.] *sine exemplo. Sunt qui referant hanc pluuiam in coniunctiones planetarum quitum in aqueis signis coierint prouidentia diuina, si id accipitur eo modo quo suprà ea de re luminarium significatio explicata est, tolerabilis sententia hæc uidetur, At quoniam incertum est qualis tum siderum fuerit situs & conformatio, hanc sententiã suis autoribus reliquerimus. ea persequentes quæ hic sacræ literæ habent.*

In articulo diei illius.] בעצם היום, *id est, in illo ipso die captata opportunitate & mandati diuini & tempestatis imminentis. Ad quam occasionem spectãs noster interpres, uertit in articulo. Nam interdum Latinis articulus opportunitas est.*

Ingressus est Noa.] *Petrus octo capita in arcam ingressa seruata, ex litera numerat, tot millibus diluuio absorptis atq; extinctis. quẽ horribilem casum nõ nulli documento esse uolunt, paucos ad beatitudinem & æternam salutem, multos uerò ad infelicitatem & exitium destinari. Sunt rursus qui in historia hac de diluuio non agi neq; de paucitate electorum, neque de multitudine eorum qui à Deo repudiati sint. sed de iudicio diuino quo paucis diluuio liberatis, cæteri omnes aquis demersi sint. quo iudicio fieri potuerit, ut non omnes æterna illa repudiatione perirent, ut temporaria clade interierunt. id testari tot infantes, urgines, & tot qui quid inter dextram suam & sinistram interesset, ignorarent. Neq; insolens esse etiam in saluandis numeratos unà cum impijs communibus calamitatibus quibus is mundus obnoxius est, ut sunt, bellum, pestis, fames, incendia, naufragia, affici. Accedit huc, quòd quæ diluuij tempore contigerunt, umbram eorum quæ in regenerationis lauacro cernuntur, apostoli Petri sententia prætulerunt. ut interitus per aquã ueteris hominis mortem, seruatio noui uitam dicatur adumbrasse. Iam autem aliud esse quippiam umbram alicuius præ se ferre, aliud reipsa id esse quod umbra repræsentatur. Sicut non protinus Chananæi uerè immaledictis & repudiatis ducũtur, quòd ab æterno maledictorum figuram gesserunt, quum in illa gente reperias, qui in benedictis & electis, ut suo loco indicabi-*

tur, habeantur. Sic etiam contrà inter Israelitas semper iræ uasa reperta sunt, quamlibet uniuersi Israelitas ueros in cœlo scriptos adumbrarent. Nam non statim ueri Israelitæ erant, qui ex carne Israelitæ dicebantur, ut ipsa sacra historia docet, & Apostolus Paulus fatetur. Demum octonarius octo in arca seruatorum capitum potius amplum beatorum tandem numerum demonstrarit quàm exiguum. Nam is numerus primus cubus est multitudini & uarietati sacratus.

Et inclusit eum Dominus deforis.] Hebræus: Et clausit Dominus post eum aut circa eum. Thargum ad custodiam uerbi refert. ראגין יחוח בבעדיה עלרחי, id est protexit Dominus eum uerbo suo. Claustra custodiæ & seruationis diuinæ, in bene obserata arca aduersus fluctus diluuij, accipiuntur. Referas hæc ad cœlestem arcam, quibus claustris hanc Deus aduersus fluctus huius mundi, communiat pijs exploratum.

Factumq; est diluuium quadraginta diebus.] Quadragenarius purgationi & afflictioni sacer numerus est in sacris literis. quod indicat hic pluuia quadraginta dierum & noctium qua mundus per diluuium purgatus est. Quò pertinet quod Israelitæ in Aegypto 400 annis uersati sunt. & quadraginta annis in solitudine Arabũ errarunt priusquam uenirent in terram promissam. Denarius numerus celebris plagis Aegyptijs inductus in quatuor quadragenarium constituit uerberam, quibus cæduntur fontes ex lege Mosaica, de qua Deuteronomij capite uigesimoquinto. huc refer quagraginta illos dies quibus Moses se ad capiendam legem præparauit. Neq; etiam octonarius seruatorum in arca capitum ratione caret. Iusticiæ enim is numerus sacer habetur, quæ in arcam receptis tribuitur. Nã octonarius in pariter pares numeros soluitur, hoc est in bis quaterna, ut nihilo minus in numeros æquè pariter pares diuisio ipsa soluatur, ut sunt bis bina. Eadem quoq; ratione cõtexitur, ut indicio sunt bis binabis. Meritò igitur propter æqualem diuisionem iusticiæ is numerus sacratus est. Repetitur hic idem tempus, sed non ociosè. Hic agitur periculum malorum suprà salus Noæ. Hæc repetitio præterea proponitur nobis, ut hoc horrendo interitus mundi exẽplo admoniti Deum metuamus pœnitentiam scelerum meditantes, præsertim nos qui in mundi terminis uiuimus in quibus procul dubiè ut malitia longè maior est quàm primi mundi fuit, ita etiam iudicium mundi grauius fore existimari debet. In hoc enim patefacti Euan elij tẽpore, contemptus Dei omni genere delictorum palàm ostenditur, in illo per ignorationem multa committebantur, ut Dominus noster Christus, horum nostrorum temporum prauitatem animaduertens, ausus sit prædicere: Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio, mundi, usq; ad hoc tempus, neq; fiet.

Et eleuauerunt arcam.] à quadraginta diebus. ὑπερυψώθη exponitur diluuium ut uideri non legi uideatur.

Vehementer enim inundauerunt.] in uerbo ויגברו duo innuuntur: unum aquarum terram operentium moles est: alterum, uirtutis incrementum, qua cuncta diluuiũ fata, arbores, animantia, urbes, & quæ uis præstantia hominum opera, dissiparit.

Omnes montes excelsi.] qui in præparatione terræ aquis tanquam carceres oppositi fuerant, iam prætermisso munere suo cedunt imperio Dei ad puniendos contumaces.

Quindecim cubitis.] Altitudo diluuij super montes. Quindecim ex septenario & octonario constant, qui numeri sacri in scriptura habiti indicant perfectã altitudinẽ aquarũ, quæ ad delenda cuncta satis fuerit.

Consumptaq; est.] Primus diluuij effectus.

Spiraculũ uitæ in terra.] Heb. באפין id est in naribus. Phrasis spirantium. Nares enim uitalis spiritus instrumentum sunt. Suprà: Et inspirauit in nares eius halitum uitalem, ubi נשמת חיים, quæ hic repetita, usurpatu.

Remansit autem.] per fidem. Alter diluuij effectus. Hoc pereunt impij per iniusticiam, pijs per iusticiam seruantur. Hæc contentione illustria redduntur opera iusticiæ & bonitatis Dei, huius quidem in pios, illius in impios. Dicas homini mandatum cultum terræ, & imperium in omnia concessum: at hic legimus cultum illum unà cum dominatu in omnia, sublatum. Terræ cultus pijs commendatur, unà cum imperio in omnia. Itaq; ne his muneribus impij uterentur, diluuio deleti sunt, iure imperij pijs reseruato, quo finito diluuio uterentur, ut intelligerent impij mundum hunc bonis ad amplificandum nomen Dei conditum esse, non sceleratis ad dehonestandum.

Obtinueruntq; aquæ.] tempus quo inualuere aquæ priusquam inciperent decrescere.

IN CAPVT VIII.

Recordatus est auẽt.] fœderis memor de quo suprà: Ponãq; fœdus meũ tecũ. Primus locus cõtinet causam redemptionis, quæ diuini fœderis fides est. Dominus hic ἀνθρωποπαθῶς recordatus dicitur Noæ quasi antea illius oblitus fuisset tam longo tempore eo in tam misero interitus mundi spectaculo relicto. Itaq; duo nobis hic exempla spectanda sunt, alterum patientia Noæ per spem molientis salutem, alterũ fides Dei, qui tempore certo illum liberauerit, fœderi suo stans & promissis, fidelis et uerax. Psal. Fidelis Dominus in omnibus uerbis. Ad hanc spei contra naturam contra præsidia humana, & fidei promissionis diuinæ summã referuntur omnia uictoriæ sanctorum stratagemata, dum cum Noa in diluuio mundi portum, in tenebris lucem, in exilio salutem, in morte uitam meditantur.

Cunctorumq; animantium.] Hic typus in ea liberatiõe ueritas, de qua Apostolus ad Romanos: Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruili interitu in libertatem gloriæ filiorum Dei.

Et adduxit Dominus.] Explicatur modus & ratio finendi diluuij, qui alter locus est.

Spiritum.] uentum. ut Græcis πνεῦμα spiritus et uentus est, ita Hebræis suũ רוח. uentus hic accipitur siccans, qualis Boreas serenator est, qui ab Homero ἀιθρηγενὴς appellatur, et in sacris literis קדים quod

ab ea parte ſpiret, quæ inter ſeptentrionem & orientem extenditur. Ventum excitat Dominus, qui aquas remoueat in loeũ ſuum fontes abyſſi obturet, feneſtras cœli claudat, lucem orbi terrarum reddat. In hoc ſpiritu ut typus ſit, & in ſpiritu Meſſiæ renouatore omnũ ueritas, ſatis notum.

Et imminutæ ſunt aquæ.] רישבו pro quo Chaldæus רבחו id eſt Et quieuerant ac deſederũt. Vis excitati à Domino ſpiritus ordine exponitur. De eadem ui infrà Exodi capite 14.

Et clauſi ſunt fontes abyſſi.] Renouata lege de qua Salomon: Et legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos. Suprà legimus ruptos omnes fontes abyſſi, hic obturatos: ſuprà apertas feneſtras cœli, hic clauſas, nec id mirum. hic ornatur iuſticia pij Noæ, illic punitur iniuſticia impiorum. Contentione locus tractandus eſt, ad cognoſcendas cauſas calamitatis & liberationis. Quod autem hic legitur non omnes fontes abyſſi clauſos, ſuprà uerò omnes apertos, nec id ſine ratione fit. erant enim quidã relinquendi qui in uſum animantium patefacti eſſent.

Reuerſaq; ſunt aquæ de terra.] in locum ſuum, de quo ſuprà in præparatione terræ: Et cõgregentur aquæ in locum ſuum.

Poſt centum quinquaginta dies.] Si September primus anni menſis eſt, hi centum quinquaginta dies cadunt in primum diem Maij. Porrò uigeſimoſeptimo die בסליו, id eſt nouembris, qui tertius menſis eſt ad Septembrem, ceſſarunt pluuiæ. tres igitur dies reſidui extant qui cum XXIX טבת id eſt decambris diebus 32. dies conſtituunt, quos ſi ad 128. dies reliquorum quatuor menſium, Ianuarij uidelicet qui שבט eſt, & februarij qui אדר, martijq; & aprilis adiunxeris, exiſtent centum quinquaginta dies in primum Maij diem incurrentes.

Menſe ſeptimo.] is סיון id eſt maius eſt ſeptimus ad nouembrem quo ceſſarunt pluuiæ.

Decimo enim menſe prima die menſis.] Is אב id eſt Iulius erit, qui decimus eſt ad מרחשבון, id eſt octobrem, quo cœptum eſt plui, neq; אלול id eſt Auguſtus eſſe poterit, ut retrò ſupputes ad nouembrem finitæ pluuiæ mẽſem, alioqui primus anni menſis, quo excicata fuit terra non ſeptember, ſed october foret. Perrò 60. dies à tempore quo montiũ cacumina denudata ſunt, uſq; ad eum diem, quo terra arefacta eſt, labuntur. Tot enim dies quadraginta dies quibus expectaut Noa donec patefierent feneſtræ cœli, & 21. quos in exploranda ſiccitate terræ per corui & colũbæ legationem, detriuit, conficiunt. Si igitur hos ſupputare cæperis à primo Auguſti die, iam in octobrem nõ in תשרי id eſt ſeptembrẽ anni principiũ recidet, & de octobri intelliget ur id quod infrà legitur: Primo menſe, primo die menſis arefactæ ſunt aquæ. Cæterùm ſi à Martio initium anni numerare uoles, uerten dus calculus erit.

Super montes Armeniæ.] Eodem modo Ioſephus ex uetuſtiſſimis hiſtorijs montes אררט interpretatur de altiſſimis Armeniæ iugis, è quibus funduntur Tigris & Euphrates clariſſima orientis flumina. Chaldæus: על טוורי קרדו, id eſt ſuper mões Cordu. Beroſus Chaldæus ut citat Ioſephus meminit montium λοφου Αναχαθ, in Armenia prope quos arca Noæ relicta ſit, et quoſdam bitumen ex ea tollere, quo utantur ad expiationem. Nec Geographi Cordæorum in Armeniæ deſcriptione immemores ſunt. Ptolemæus enim in Armeniæ deſcriptione Paryardis Gordyatorumq; montium meminit. et Quintus Curtius Cordæos appellat, quos paraphraſtes Chaldæus קרר dicit. Itaq; cum tãta ſit cõſenſio autorum, ab his nemo libẽter receſſerit, præſertim cum ueriſimile ſit arcã in eo loco deſediſſe, à quo non procul Noa cœpit habitare.

Cumq; tranſiſſent quadraginta dies.] poſt detecta cacumina montium.

Dimiſit coruum] Emittuntur duo exploratores, qui ſcrutentur habitum terræ, alter coruus eſt, alter columba: ſed nõ par utrorũq; ut docebitur, legatio eſt.

Qui egrediebatur & non reuertebatur.] Hebræus negationẽ caret: Qui egreſſus egrediendo & reuertendo. Hoc eſt ultrò citroq; uolitabat uictum ex cadaueribus quærens. Græci ſimiliter noſtro interpreti, ὃς ἀπῆλθεν ἐξελθὼν καὶ ἐπιστρέφων. Non receptum coruum in arcam, ſed ultrò citroq; uolaſſe, donec ſiccarentur aquæ, typũ quarum rerum repræſentet coruus, non eſt obſcurum. Vo lucris impura eſt & infauſta rapax & furax, funeſto colore, ferali uoce, cadaueribus inhians, et fœdis locis aſſueta. Atqui habet etiam coruus in ſacris literis ſuã laudem. Etenim is Eliam aluiſſe legitur, ita iubente Deo. nec non ei in Canticis dilecti comæ comparantur: Comæ eius nigræ quaſi coruus.

Emiſit quoq; columbam.] poſt ſeptẽ alios dies, quàm emiſerat coruum.

Poſt eum.] מאתיו refertur ad Noã non ad coruũ.

Si iam ceſſaſſent aquæ.] קלו uerbum opponitur moli aquarum, quæ tanquam graue onus grauarint terram.

Intulit in arcam.] Secus de coruo.

Expectatis autem ultra ſeptem dies.] Hic colligunt quidam, quod paulo ſuprà diximus, ſuperiorẽ columbam quoq; poſt ſeptem dies ablegatam. Septenarij ſignificatio ignota non eſt.

Ad ueſperam.] Reparatæ quietis & pacis ſigna ſub ueſperam afferuntur. Sub moto typo exhibet ſe ueſpertinum hoc eſt nouiſſimum patefactionis Euangelij tempus, ueræ pacis indubitatam ſignificationem continens. De qua ueſpera apud prophetas.

Portans ramum oliuæ.] tanquam ſymbolum lætitiæ de renouato mundo. hic typus, ueritas in eo oleo apparet, quo is unctus eſt, qui æternam pacem & gaudium de reparatione omnium apportat. Pſal. Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ. Et Ieſaias: Spiritus Domini ſuper me, eo quòd unxerit me, ut darem oleum gaudij pro luctu.

In ore ſuo.] Typus miniſterij prædicationis gratiæ, quam annunciant columbæ, de quibus Ieſaias: Qui ſunt iſti qui ut nubes uolant, et quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Columba uolucris pudica, fidem coniugij ſeruans,

seruans simplex, & minimè uirulenta, ut Dominus his nobis in exemplum propositis dixerit: Estote simplices sicut columbæ. Item in canticis: oculi tui columbarum. Accedit huc quod columbæ rectè uolãt, representantes apta imagine spiritum sanctum qui ad nos demissus efficit ut eodem tramite euolemus ad superos. Hinc uates canit precabundus: Quis mihi det pennas columbinas ut uolem? Hæc uolucris præ cæteris pedes pennatos habet nobis spiritũ sacrũ refirens, qui à filio Dei Messia missus affectu & amore per pedes denotato ad nos uolat. Demum fidum animal est columba & hominis societate gaudens. Historiæ produnt has internuncias in rebus magnis fuisse, epistolas annexas earum pedibus obsidione Mutinensi in castra consulum D. Bruto mittente.

Quæ non est reuersa.] Iã renouato orbe terrarũ. Tres columbæ hic leguntur. Prima redijt, sed sine signo reparati mundi. Hi prophetæ sunt per quos quidem promissum fuit Euangelium, sed non publice representatũ Ad Rom. 1. segregatus in Euangeliũ quod ante promiserat per prophetas. Altera ministri iam exhibiti Euangelij sunt, præsentis salutis lætum nunciam afferentes. Tertia eius tẽporis erunt legati, quo abolita omni prophetia & doctrina renouatione omnium facta potiri licebit, de quo tempore Apostolus priore ad Corinthios epistola cap. 13.

Primo mense..] Primo mense primum aquæ defederãt, ut appareret terra, sed cum in huius lubrico luto non licebat ingredi, altero igitur mense egressus est Noa cum suis terra iam solida facta.

Mense secundo.] Mense quo ingressus est Noa in arcam eodem transacto integro anno egreditur. Dies discrimen habent Vicesimo enim septimo die egreditur, qui decimo septimo intrauerat Decem igitur diebus tardius exijt quàm ingressus fuit, quas a ij additos dicunt propter lunam quo plenè lunaris & solaris annus ratio congrueret. Alij simpliciter annum solarem Noam in arca & decem dies uersatum intelligunt.

Et ingredimini super terram.] שרצו pro quo Chaldæus וירתירון, id est propagamini. Renouatur benedictio augendæ sobolis.

Aedificauit autem Noa.] Ex sententa Dei per fidem, non ex priuata uoluntate. Supra enim legimus. De animantibus uerè mundis tolle septena & septena. Ad hæc sacerdocij ius quasi per manus ad Noam à maioribus deuenerat, quod continebat docendi sacrificandiq; & gratias agendi publicum munus. Is locus laudis & gratiarum actionis pro beneficio redemptionis sacrificium continet

Domino.] Non lunæ, non soli non dijs alienis.

Mundis.] Vetus igitur deserimen est mundorum & immundorum animantium, non primo per Mosem traditum.

Odoratusq; est Dominus.] Tropum explicat Chaldæus ורעא ית קרבניה, id est Grato animo accepit sacrificia illius. Quod de Abele suprà legitur: Et respexit Dominus ad Abelem & munera eius. hic odorari Dominũ odorem suauitatis legimus.

Odorem suauitatis.] ריח ניחוח, id est odorem quietis, quo pacatus sit Dominus. In odore holocaustorum typus, ueritas in sacrificijs igni accensis de quibus propheta: Cor contritum & humiliatum non despicies Etymum ריח à spiritu ducitur, quod odor pernares ductus, maximè aereus sit & affinis spiritui.

Etdixit Dominus.] Iam placatus.

Nequaquam ultra maledicam terræ.] inducto diluuio cuncta disperdente. Patris affectum indutus se puniendi propositũ mutare uelle, indicat propter consolationem eorum qui liberati fuerant.

Propter hominem.] propter peccata hominum. Itaq; Chaldæus בדיל חובי אנשא Hæc uis peccati est, ut propter id elementa mundi clementiæ legem transgrediantur, tumultuentur maria, cœlum ostendat faciem ferream, terra æneam, agri sterilescant, herbæ emoriantur, intereant animantia cum homine mundi capite & principe. Contraria uis est iusticiæ & innocentiæ.

Sensus enim & cogitatio cordis humani.] Ratio ab infirma pronaq; ad malũ natura. Dicas cur hic pareit humano generi propter propensionem ad malum, qui iam propter peccatum mundum deleuisse legatur. Non est contrarius sibi Dominus, aliud supra aliud hic spectat. Supra porrò uim & naturam peccati tanquam iudex, hic infirmitatem tanquam clemens pater considerat. Ideo Psal. Quoniam ipse cognouit conditionem nostram, recordatus est, quoniam puluis sumus. Item: Non tractat nos pro peccatis.

Non percutiam.] Qui dicam per uatẽ: Nolo mortem peccatoris, sed potius ut redeat in uiam & uiuat.

Omnem animam uiuentem.] Dicit omne uiuens. Non igitur tollitur particularis calamitas hominum & animantium, quæ bellis, fame, peste & diluuio certorum locorum continetur.

Cunctis diebus terræ.] Stante hoc uetere mundo. Excipitur nouus in quo mutationi & uicissitudini temporum nullius erit locus Reparantur hic uices anni, quæ in diluuio confusæ fuerunt.

Sementis & messis.] partitur primò annum in duas partes, deinde in quatuor. in uer æstatem, autumnum, hyemem. Atq; has anni partes in חם קיץ קור חרף notari uolunt, quarũ alteræ duæ à tropicorũ notis, alteræ ab æquinoctiorũ finibus incipiunt eas sole conuersione sua per obliquum Zodiaci orbem quem Latini signiferum uocant, moderante.

IN CAPVT IX.

Benedixitq; Deus Noa.] Renouatur uis gignendi liberos, quorum propagatione tres administrationes cõseruantur, œconomica, ciuilis, & Ecclesiastica. In domestica curatione, mariti in uxorẽ et uxoris mariti in liberos, dñi in seruos rectio spectatur. In ciuili ad ministrationem eorũ qui parẽt, moderatio. In Ecclesiastica autem regni sacri spiritus per sceptrũ euangelij gubernatio locum habet. At nulla ex his moderatio sine pro creatione liberorum consistit.

Crescite & multiplicamini.] Coniuncti coniugij lege, quæ ne diluuio prorsus deleretur, mares & fœmi

næ in arcam recepti sunt. Promiscua libido damnatur propter quam diluuium absorpsit humanum genus. Suprà: Videntes filij Dei filias hominum.

Terror uester ac tremor.] Restituitur imperiũ, sed auctius factum. Supra porrò non legimus in uictum concessa animantia: hic legimus unde is tremor & terror animantium ortus est. itaq; suprà ciualis gubernatio accipitur qua homo imperarit animantibus, hic ea quam domini in seruos gerunt. Sentiunt animantia in homine rationis uim esse, qua cũcta domet, & cui naturali iure omnia subiecta esse debeant: quæ notitia immanissimis etiam bestijs, ut leonibus, ursis, pantheris, lupis, serpentibus, diuina ordinatione terrorem hominis incutit, sed grandiorẽ prout maiore studio homo suam per metũ Dei tuetur dignitatem, quã si amiserit, legimus Deuteronomij 32. Dentes bestiarũ immittam in uos. contraria uis iusticiæ est de qua Leuitici 26. Auferam malas bestias. In eandem sententiam Iesaias capite 11. Exemplum extat in uipera, de qua in Actis. Itaq; iustitia Noæ tot feræ animantes coercitæ in arca pacem seruabant perillam tributã Adamo imperij legem: Dominamini piscibus maris, uolucribus cœli, & bestijs terræ. Est in hostorijs à Damo Apollonium interrogatum, quì fieret ut à paeris elephantes ducerentur, hunc respondisse, id ex eo accidere, quòd Deus in homine ut principe mundi quiddam terrificum posuisset, quo animaduerso cætera animantia terrerentur: simile quiddã principibus indidisse, quo in metu retinerentur subditi. Atq; hic פחד appellari.

Erit uobis in cibum.] Verbo Dei usus carnum omnis generis in cibum conceditur, cum quo iure pugnant ij de quibus Apostolus: Iubentium abstinere à cibis, quos Deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione.

Olera uirentia.] Suprà Genes. primo cap.

Excepto quòd carnem cum sanguine.] Affert aliquot cautiones. prima est de uitanda crudelitate in esu animantium. Heb. Tantum ne carnem cum animæ suæ sanguine comedatis. Ea enim uita quæ sensu & alendi ui continetur, in sanguine consistit, ut infrà in Deuteronomio legitur: כי בדם הוא הנפש id est qa sanguis est anima. Duplex hic affertur sententia. Una prohiberi hoc loco sanguinis esum, neq; bestias in cibum admitti, quæ aut suffocatæ sint, aut quarum sanguis prius non sit absersus. citant huc ea quæ infrà in Deuteronomio traduntur, & quæ in Actis apostolorum repetuntur de suffocatis, à quorum esu gentes abarcentur. Altera, hic nihil uetari aliud quam ne cruda animantia adhuc spirantia deuorentur: nam id immane esse & sæuum. qua crudelitate facile etiam ita efferantur homines, ut ad humanum quoq; sanguinem effundendum impellantur. Quæ quoq; causa fuit, ut Pythagorei in uniuersum abstinerent à bestiarum esu, quibus Mosaicos libros notos fuisse uolunt.

Sanguinem enim animarum uestrarum.] Altera cautio, quæ duas partes complectitur: una est, nõ qua homini ius est uitæ & necis in bestias, ideo his in hominem quoq; fore. Quæ de re infrà in Exodo capite 21. lex extat.

Et de manu hominis.] Altera pars: Permissa qui dẽ uobis animantiũ cædes est: sed ita, ne hac abusi per immanitatẽ inter uos quoq; grassemini. ideo sequitur:

Quicunq; effuderit humanum sanguinem.] Concludit posteriorem partem generali sententia.

In terra.] בארם, id est per hominem. Instituitur hic magistratus ciuilis. Scitè igitur paraphrastes Chaldæus: דישרון דמא דאנשא בסחרין על מבור דיבי דישרון דמיר יתשן id est Qui humanum sanguinem effuderit, cõuictus testib. iudicũ sentẽtia, sanguis illius quoq; effundetur. Excipitur ergo magistratus, cui ius sit interimere hominẽ. sed sontẽ, q nõ hominis, sed Dei uice fungitur. Suprà Dominus diluuio homicidia puniuit, hic per magistratum in illa animaduertit, qui diluuij pœna post hac nõ sit in sceleratos usurus. Ex hoc loco manat ius gentium, & ex eo omnes ciuiles quibus scelera puniantur pœnæ. Si enim magistratui ius est in hominem necis & uitæ, in reliqua quoq; ius erit, in fortunas atq; ope.

Ad imaginem quippe Dei.] Ratio à præstantia hominis. Imaginẽ igitur diuinà læserit, qui hominẽ læserit, horrendo delicto. imaginẽ enim Dei læserit qui dicit apud prophetam: Qui uos tetigerit, pupillã oculi eius tanget. Hæc enim imago ad quam factus est homo, Christus est, ut suprà indicatum. At dicas, uitio originis discessum esse ab imagine hac: bene quidem, sed relicta natura quæ ad repræsentandam illam restituatur per eum de quo Propheta: Scelera nostra ipse tulit. Itẽ: Sic dilexit Deus mundũ, ut filiũ unigenã &c. Quapropter si ultio de effundentibus humanum sanguinem sumitur, perinde est atq; si de ijs petatur qui Deum iniuria affecissent, quòd homo de familia et genere Dei sit, eiusq; cognatione teneatur. Hæc expendant tyranni sanguinarij orbis terrarum. Ex duplici causa magistratus ciuilis dignitas æstimatur: altera efficiens est, altera finis. Efficiens est Deus, cuius institutio precium addit potestati ciuili. Finis cernitur in tuẽdo homine effecto ad imaginem Dei.

Vos autem crescite.] Repetitur benedictio confirmandi causa eorum animos qui ex diluuio euaserunt, quibus interitus humani generis ut recens ob oculos uersabatur, ita terrori erat.

Et ingredimini super terram.] In uerbo שרצו numerosæ sobolis propagatio indicatur. Ideo LXX. πληθύσατε τὴν γῆν.

Ecce ego statuam pactum meum uobiscum.] Confirmat benedictionem & mundi conseruandi spem fœdere, ne ad quasuis nubes & pluuias expauescentes cogitarent propter peccata mundum aquis delendum. Propheta Esaias iuramento hoc fœdus confirmatum dicit capite 54.

Dissipans terram.] uim germinandi cum satis, arboribus, animantibus.

Hoc est signum fœderis.] Adiungit promissioni certum signum tanquam tesseram. Hæc bonitas Dei est non solum operibus suis prouidentis, sed etiam se

fœdere cum eis cõiungentis. Faceſſant igitur hic ocioſi Epicureorum dij.

In generationes ſempiternas.] עולם certum ſpacium dierum terræ hic notat, de quibus ſuprà, Cunctis diebus terræ.

Ponam in nubibus.] Hebræus præteritum habet Poſui, Græci præſens τίθημι. Hi cum Latino interprete ad oraculũ reſpiciũt, in cuius certitudine explicãda ſcriptura præteritis pro præſentib. & futuris utitur. Si præteritũ placet, intelligunt quidã etiam ante diluuiũ fuiſſe arcum, ſed tum demum in ſignum diuini fauoris conſtitutum: ſin futurum, alij non prius in nubibus apparuiſſe arcum qui à diluuio immunem fore mundum portenderet dicunt, quàm hoc cum omnibus animantibus confirmatum eſſet fœdus.

Et recordabor fœderis mei.] Humano more tribuitur Deo, qui admoneatur ſigno ad recordandum, ſed hæc afflictio propter noſtri cõſolationẽ ſuſcipitur.

Eritq; arcus meus in nubibus.] De ortu arcus, eiusq; coloribus diſputationẽ relinquimus ijs qui ueſantur in naturæ obſcuritatibus. Cõfeſſum eſt radium ſolis cauæ nubi immuſſum repulſa acie in ſolem refringi, colorumq; uarietatem mixtura nubium, aeris, ignium fieri. Hinc poeta Latinus, Mille trahens uarios aduerſo ſole colores. Quantum autem ad hoc inſtitutum pertinet, alij ſignificationẽ iridis aliter atq; aliter interpretantur. Sunt quibus uarij colores uarias clades ſignificare uidentur, quibus Dominus in ſcelera humani generis deinceps ſit animaduerſurus, ut ſunt bellorum, famis, peſtis clades. Sunt qui infimo colore qui aqueus ſit, nos admoneri diluuij, quo mundus interierit: altero uerò circulo igneum colorem habente, olim igni mundum periturum ſignificari. Nobis uidetur arcus cœleſtis tot coloribus inſignitus Chriſti typum præferre, qui uarijs donorum ſpiritus ſancti coloribus exornatus, atq; in nubibus & aquis aduerſitatum huius ſeculi apparens, certam nobis redemptionis ſignificationem per fidem inſpectam, exhibeat, qui ſit nimirum illud fœderis Dei aduerſus peccati, mortis et inſani mundi diluuium, ſignum, de quo propheta: Propter hoc dabit Dominus ipſe nobis ſignum. Ecce uirgo concipiet, &c. & tale quidem quod in die reparationis omnium in nubibus ſalutem afferens effulſurum ſit, ut Euangeliſta habet: Tum uidebunt filiũ hominis uenientẽ in nubibus. Cuuſmodi etiam uidit Ezechiel in uiſo: Et à lumbis eius uſque deorſum uidi quaſi ſpeciem ignis ſplendentis, in circuitu uelut aſpectũ arcus cum fuerit in nube in die pluuiæ. Myſtica igitur myſticis & ſpiritualia, ut Apoſtolus dicit, ſpiritualibus ſi cõparata fuerint, intelligemus, quam admonitionem arcus cœleſtis in caua nube ex reſplendente ſole natus continet, eam quoq; ſpiritualem illum arcum Chriſtum Ieſum in nube tribulationum nobis propoſitum habere de minimè abolẽda eccleſia per diluuiũ aduerſitatum. Hanc comparationem tractat Eſaias capite 54. his uerbis: Dixit redemptor tuus Dominus, ſicut in diebus Noæ iſtud mihi eſt, cui iuraui ne inducerem aquas ſuper terram, ſic iuraui ut non iraſcar tibi. Duo ergo ſunt quorum præcipuè nos cõmonefacit iris. Vnum, mundum non amplius diluuio diſſipandum eſſe. quæ ſignificatio inſpecta iride cum gratiarũ actione debet accipi. Alterum eſt contemplatio Chriſti, quem nobis tanquam indubitatum ſignum aduerſus omnes tẽtationes grauiſſimas à Deo propoſitum arcus cœleſtis repræſentat, qui pijs fauoris diuini ſpem faciat, impijs uerò iræ & indignationis metum afferat, quem igneus in iride color declarat. De quo propheta: Thronus eius flammæ ignis.

Porrò Cham ipſe eſt pater Canaan.] Meminit Canaanis ut mox maledicendi.

Plantauit uineam.] primus à diluuio uinearum cultor. Is Ianus à Beroſo dicitur, nomen à יין adeptus. Hunc uolunt in Italiam uenisſe, & ſedem in Ianiculo ſic à Iano Noa nominato occupaſſe. Itaq; hunc locum uita & morte Iani, qui illic ſepultus ſit, celebrem factum, ut Hebron primi Adami ſepultura clara facta eſt. Sit fides penes autores.

Inebriatus eſt.] ſenio & laboribus confectus. De ſanctorum infirmitate & iuni ui locus.

Et nudatus eſt.] ebrietate pudoris & mentis uim auferente. Locus de malis quæ ebrietas affert. Rectè igitur Græcus poeta:

ὃς δ' ἀμφ' ὑπερβάλλῃ πώσιος μέτρον οὐκ ἔτ' ἐπαίνου
τῆς αὐτὸς γλώσσης μαχτερὸς οὐδὲ νόου.

Hæc certo Dei conſilio contigerunt, ut benedictioni ſequenti & oraculis de amplificanda Eccleſia Iſraelitarum & gentiũ materia daretur. Nam nihil eorũ quæ ſuprà narratione explicãtur, fit temere & ſine ratione. Eſt et ſua ebrietas ſanctorum, ſed non à uino, de qua propheta: Idcirco audi hæc paupercula, & ebria non à uino. Hæc crucis & afflictionis ebrietas eſt. Altera culpam, altera laudẽ habet: & ſua quoq; utranq; nuditas ſequitur. Sed altera laudata, altera reprehenſione digna. De laudata Apoſtolus: Quis nos ſeparabit à dilectione Dei, num nuditas, num periculum?

Quod cum uidiſſet Cain.] prauis animi oculis, non ut γνήσιος, ſed degener filius.

Pater Canaan.] repudiati.

Verenda.] ערוה nudationem ſonat, ideo Septuaginta τὸν γύμνωσιν. Tropum Hebræum rectè interpres, cui linguæ uerecundè uerenda per antiphraſim nudatio appellantur, quòd eam corporis partẽ, in qua libido ſæuit, minimè nudam eſſe deceat, quam pudor contegat. Ideo ſuprà Adamus: Et timui quòd nudus eſſem.

Patris ſui.] Ab attributo augetur ſcelus Chami.

Nunciauit.] qui nuditatem patris tegere per uenerationem, non traducere percontemptum debebat. Lex enim naturæ eſt: Patrem honorato. Contra hanc legem Chamus patris ignominiam turpiter prodere ſtuduit, celare neglexit. Huius exemplum ſequuntur, qui uel in parentibus, uel magiſtratibus uel doctoribus ſuis næuum ac labem quamuis temerè traducunt, & qui nuditate Chriſti atq; ſanctorum, quæ in afflictione cernitur, offenduntur, ut ſolent hypocritæ & crucis hoſtes.

Duobus fratribus.] *qui unà patrem contemnerent, non contentus ipse derisisse. Sed nihil efficit. sequitur enim:*

At uerò Sem & Iaphet.] *Venerationis patris in liberis exemplum.*

Operuerunt uerenda.] *Hoc exemplum sequuntur, qui maiorum suorum uitia dissimulant: & si mysticam notam spectes, qui Christi & sanctorum nuditate quæ in afflictionibus cernitur, minimè offenduntur sed eam reuerenter tegunt.*

Maledictus Canaan.] *Cognito crimine ad iudicium se accingit. Chamus maledicitur in sobole, quæ pœna est impiorũ, ut legimus Exodi 20. Quia ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, uisitãs iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.*

Maledictus.] *exemplo Caini & serpẽtis satanæ.*

Seruus seruorum erit.] *Locus de seruitute quam nõ natura, sed peccatum imposuerit. Si typum spectes, subiugatus est Canaan ab Israelitis progenie Semi: sin rem ipsam, impij cum sua tyrannide serui uerè redduntur, & pij domini omnium. Liberi enim sunt, quos filius liberos facit per regium suum spiritum. de quo Apostolus: Vbi spiritus, ibi libertas. Locus consolatione plenus Semi & Iapheti, hoc est sanctorum, ipsum Canaanẽ, id est impios quamlibet ad tempus floreãt, seruos esse. Itaq; ad tempus si ab his uexemur, ab eis ut seruis nostro bono, non malo uexamur.*

Benedictus Dominus Deus Sem.] *Laudantis & gratias Deo agentis sermo est, qui posteros Semi in populum suum sit assumpturus, & oraculis & hæreditate terræ Canaanis ornaturus. In carnali Semo et eius terra, cœlo, regno, sacerdotio, umbra: in cœlesti & spirituali Semo & benedictione cœlestis sacerdotij et regni Christi res ipsa.*

Dilatet Deus Iapheth.] יפתי pro ירכיב *Similiter Septuaginta πλατύναι. Scita paronomasia* יפתי ליפת *Locutio oracularis de amplitudine Ecclesiæ gẽtium, quæ significatur in dilatãdis tabernaculis Iaphethi. Eadem allegoria utitur Esaias: Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende. Verbum Hebræum* פתח *propriè suadere est & blandè allicere, ut ex Exodo, Prouerbijs & Osea atet. quæ significatio si hic recipitur, blandus & uatis Euangelij sermo notatur, quo Iaphetum Deus alloquturus sit.*

Et habitet in tabernaculis Sem.] *coniũctus cum eo una legis Zionis fide. de qua ppheta: Quia de Zione exibit lex. Huc spectat allegoria Apostoli de naturali ollua, & oleastro. Habitare Iaphetum in tabernaculis Semi, est gentes consortes fieri benedictionis spiritualis quæ in Christo cernitur. de qua infrà: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Iaphetus maior natu benedicitur in Semo. partim igitur pares sunt Iaphethus & Semus, partim impares. Pares quidem, quòd uterq; benedictionis euangelij consors est uterq; dĩis Canaanis: dispares aũt, quòd Iaphethus eam qua ornatus est dignitatem, à Semo accipit. Israelitarum enim est adoptio & gloria & testamenta & legis constitutio & cultus & promissiones, quorum sunt patres & ij ex quibus est Christus, qui & ipse cum Apostolis ex Semo est natus. Qui igitur Israelitis spem redeũdi in gratiam cum Deo patrum suorum præcidunt, ipsi uiderint quam spem salutis gentibus tam miserè sub antichristi regno profanatis, confirment: si succo uitali careat natiua olea, quomodo Iaphetus sedem suam tueri queat, si Semi tabernacula dissipata sint. Statim igitur in limine oraculorũ uocationis Israelitaru & gentium ad salutem typi præformantur, ut uerè omnia uaticinia de domo Iacobi, et de consociandis cum ea gentibus, à reliquis prophetis prodita, in hac Noæ sancti patris primordiali prophetia contineantur. Quòd si hos typos deponas, legis in Apostolo: In Christo neque Iudæum, neq; Græcum, neq; barbarũ esse, sed nouam creaturam. In Semo igitur & Iaphetho, multos quos Deus oderit, & in Chamo quos amet, inuenias. ut uerum sit illud Esaiæ: Benedictus populus meus Aegyptus, & opus manuum mearum Assur, & hæreditas mea Israel. Hæc de præmio Semi & Iapheti, qui nuditatem patris Noæ contegere dignati sunt. Sua quoq; spirituali Iapheto & Semo merces reposita est in cœlis, qui eius Noæ nuditate non offenduntur, qui dicit: Beatus est quisquis non fuerit in me offensus.*

Trecentis quinquaginta annis.] *Abrahamus igitur σύγχρονος fuit ipsi Noæ. Nam Abrahamus natus fuit ducentis nonaginta duobus annis post diluuiũ. Vixit igitur cum Noa quinquagintaocto annos.*

IN CAPVT X.

HAe sunt generationes filiorum.] *Narratio de propagatione altera humani generis, qua exponũtur certa initia cõditarũ nationũ & imperiorum orbis terrarũ. Exorditur à Iapheto primogenito Noæ filio: Hunc gentium historiæ Iapetum uocant, qui poetarum fabulis nobilitatus est.*

Gomer.] *Ezechiel capite 38. inter populos Aquilonares numerat, Gomer & Thogarma latera aquilonis. Iosepho autore Galatæ sunt. Sunt qui Comarios populos à Gomer dictos uolunt, qui ad Assyrios & Medos pertinent.*

Magog.] *Similiter ad Aquilonem, remota gens. Ezechiel: Et uenies de loco tuo à lateribus aquilonis. De Scythis accipiunt, ueteris nominis uestigia in historicis & Geographis seruari, ubi nominantur Massagetæ, quasi Magogæ, seu Magagetæ Scythæ.*

Madai.] *Medi sunt. Sacræ literæ Medum Darium agnoscunt.*

Iauan.] *Is Ionibus nomen dedit, unde quoq; mare Ionium nomen habet. Sunt qui de Iano Ianiculi extructore intelligunt, existimantes Græcos & Italiæ, Hispaniæq; gentem à Iauane prognatam. Hebraica hæc nomina & Hebrææ linguæ uetustatem declarant, & Græcorum falsas etymologias redarguunt.*

Thubal.] *Hispanicæ gentis autorẽ hunc uolunt et θοβήλους. Iosephus ἴβηρας esse tradit. At nos ex Ezechiele discimus, aquilonares populos ex Tubale ortos, quales possint esse uel Cimmerij, uel Tartari, uel Po-*

loni, uel Gothi. Hæc enim uerba prophetæ sunt: Ecce ego ad te Gog principem capitis Mosoch & Tubal.

Mosoch.] A quo Cappadoces. quod Iosephus dicit indicare urbem ueterem μάζακα metropolim Cappadociæ, de qua Strabo libro 14. Nos colligimus ex Ezechiele Mosoch regionem Tubali uicinam esse, atque has gentes principi Scythicæ gentis Gogo subijci. Moscouiticæ gẽtis nomẽ nõ ualde à nostro discrepat.

Et Thyras.] Nostri ex Iosepho Thracum autorem statuunt. quidam Tyrum à Thyra conditã dicunt, quò alludit præsens nomen, quæ nobilis mercibus et purpura urbs est, quam Romani libertate ob purpuræ dignitatem donarunt.

Porrò filij Gomer.] primogeniti Iapheti.

Ascanes.] Huius posteros Iosephus cum Hieronymo Rheginos dicit, de quibus uideris apud Strabonem libro tertio & sexto. Iudæi de Germania interpretantur. sed repugnare uidetur Hieremias, qui cũ Ararat, ut interpretantur, Armeniæ gente, Ascanes populum coniungit, qui unà cum Medis, Armenis, & cæteris uicinis populis Babyloniam sit deuastaturus. Sunt qui Asianos intelligunt. Alij Gothos, qui Germani sunt.

Riphat.] Ab hoc conditam Ripheorum gentem uidetur, in qua fabulantur gryphes aurum colligere. Iosephus de Paphlagonibus accipit.

Thogorma.] Huius meminit Ezechiel. Phryges inde initiũ duxisse ferunt. Alijs Tartari sunt. Sed quomodo apud Ezechielem Thogorma mulos mittet, si Tartari sunt, cum frigidior Aquilonis regio mulis careat. Sunt qui Turcas esse uolunt.

Filij autem Iauan.] Relicta Magogi, Madai, Thubalis & Moschi sobole, Iauanis ut celebrioris progeniem recenset, à quo Græci & Itali ingeniorum, artium, imperiorũ laude celebres populi progeniti sunt.

Helisa.] Ab huius posteris Aeolias insulas possessas uolunt, de quibus uideris apud Geographos. Ezechiel insularũ Elisæ meminit. Elidẽ etiã in Peloponneso regionem ab eo nominatã relicta urbe Elis nomine, quæ Straboni etiam Elisia uocata est.

Et Tharsis.] Vnde Cilices, quorũ metropolis Tharsus, Pauli apostoli patria, & literarum ludo olim clara, ut de literarum gloria cum Athenis & Alexandria contenderit, autore Strabone li. 14. Romani hanc propter dignitatem et uetustatẽ, quam conditor Tharsis comprobat, liberam esse uoluerunt. de quo Plinius libro 5. cap. 27.

Cethini.] Iosepho Cyprus est. Hebræi nonnulli de Italia interpretantur, quibus assentitur ex Berosi sententia Chaldæus interpres, Numeri 24. Et uenient naues ex Citthim. Vbi Chaldæus p. כתיים habet רבאי. Sunt qui de Macedonia cũ ora Italiæ interpretantur. Nam præposita M litera ipsi Citthim, fit Maacithim quã Macedoniã appellãt, de qua suo loco. Qui de Cypro interpretãtur, dicunt in ea insula urbẽ nomine Citium esse de nomine Citim nominatam, Zenonis philosophi patriam.

Dodanim.] Sunt qui uocem Dodanim mutatam pro Rodanim putant: qualis error facile potuit contingere similitudine literarum ר & ד. Hi dicunt Rhodum insulam inde appellatã. Itaq; Græci Ῥόδον.

Ab his insulæ diuisæ sunt.] alijs alio duce prouidentia Dei migrantibus. Ante diluuium non memoratur huiusmodi profectio facta. Tum igitur continuerũt se posteri Adami in arctioribus terræ finibus, qui se à diluuio in omnes orbis terrarum partes spargere cœperunt, uarijs constitutis imperijs ac regnis.

In regionibus.] ex cœli alio atq; alio habitu diuersis, unde tanta uictus, corporum, ingeniorum & morum uarietas nascitur. Ad cognoscendã autem tantam uarietatem gentium, adhiberi debet climatũ notitia ex geographia & historiarum cognitione. A Iapheth igitur propagati sunt Medi, Scythæ, Tartari, Poloni, Gothi, Germani, Galli, Hispani, Romani, Græci & Asiæ minoris gentes cum insulis maris mediterranei. fertissimi Europæ, rerumq; gestarum gloria clarissimi populi.

Filij autem Cham.] Describitur genus addicati Chami.

Chus] Aethiopes sunt, in quorum etiam numero scripturæ sacræ testimonio memorantur Madianitæ. Numeri 12. 2 Paralip. 21.

Mizraim.] Aegyptij sunt. Hoc nomen etiã hodie durat. Nam totam Aegyptum hodie Mizir & Mizrì tam Arabes quàm Turcæ appellant.

Et Phut.] à quo occiduæ Africæ partes habitatæ sunt, & eas incolentes populi Phutes appellati. De his uideris apud Ptolemæum.

Chanaan.] cuius terra à Semi posteris occupata est. Benedicuntur Semus & Iaphethus, Canaan maledicitur. sed contrarij euentus sunt, Canaan optimam possidente terram, sed quam non perpetuò obtineat. Promissiones igitur Dei hanc temperationem habent, ut non prius impleantur, quàm & impietas impiorũ expleta sit, & uaria ad confirmandã fidem afflictione pij effecti sint. Hic crucis mysteriũ locum habet. Is Chanaã cõfinia Aegypti & Syriæ qua Palæstinã attingit, habitauit. Vocataq; eius nomine terra Chanaan est. Pòst uerò ut ille electus est ex ea regione, Iudæa & Palæstina dicta est.

Filij aũt Chus.] primogeniti, ut uidetur, Chami.

Saba.] Duplex Saba legitur in hoc capite, alter q filius Chus sit, alter q Iectanis Heberis filij de genere Semi. Duplex item חוילה de qua re infrà. Iosepho Haula à Chus condita Getulia est. Altera Arabiæ ascribitur. At uerò et Chus Arabum principem fuisse legimus in libris Regũ & Paralipomenõ. de quo mox.

Sabatha.] Ab hoc relictam de illius nomine urbem Sabath iuxta Adulicum sinum ad Auxumios uolunt. atq; putãt eam regionem ab Astabarenis Aethiopibus incoli. Hodie dicunt ab incolis deprauato aliquantũ antiquo nomine urbem Seboim appellari. soli huius regionis habitatores Christiani in Africa, ut ferunt, uersantur.

Porrò Chus genuit Nimrod.] Is primus à diluuio tyrannus orbis fatali ratione Nimrodus à rebellando appellatus, quòd primus aduersus fratres tyrannidem

dem exercuerit maledictionis suæ in Chamo patre sibi conscius, atq; inde odio Dei à uera religione Noæ deficiens, alios ab ea abalienare studuerit. Hæc sunt splẽdida initia regnorum mundi, quorum si libidinem, ambitionem, uim spectes, rectorem satanam principem mundi habent: sin ordinationem et rectionem ciuilem, Deum moderatorem tenent, & angelos custodes. ut Daniel: Ipse mutat tempora & ætates, transfert regna atq; constituit.

Ipse cœpit esse.] per uim & tyrannidem, non uoluntate patris Noæ, qui seruare maledictus in Chamo debebat, non dominari. Hunc Nimrodum doctrinam et disciplinas à Noa receptas in idololatriam ut ei diuini honores haberentur, conuertisse tradunt. cuius uxor Sabbathe nomine, nurus Noæ, prima Sibylla fuerit uaticinijs clara.

Potens.] aduersus fratres. Ideo mox legimus: De terra illa egressus erat Assur. Græci γίγας pro גבור. Hi respiciunt ad magnitudinem corporum, qua fretus grassari in cæteros cœperit, & potentiam affectare contempta religione & metu Dei, ut iam docebitur.

Et erat robustus uenator.] ferarum, quarum uenatione effratus, in homines quoque immanitate sua sæuire cœpit. Ideo interpretes tum nostri tum Hebræi uenatorem hominũ fuisse intelligunt, qui ui & fraude auerterit à legibus Dei homines, ut Thargũ Hierosolymitanum his uerbis exponit דחזית צייד בני אנשא בלשון קחן ראמר לחון רחקר בן דנרחי. רשם ראירבקר בדיגרחי דנמרוד.

Coram Domino.] contumaciter neglecto metu Dei. Exprimitur ingenium superborum tyrannorum orbis terrarum.

Ab hoc exiuit prouerbium.] in tyrannos.

Fuit autem principium regni eius.] Primum regnum Babylonicum est. De Babylonis situ, magnitudine, ambitu, murorum altitudine & crassitie, turribus, hortis pensilibus, uideris apud Strabonẽ libro 16. Maledicti Chami filius Nimrodus regnum extruxit, sed quod non perpetuò teneret: subuertendum enim id fuit per Medos & Persas benedicti Iaphethi et Semi sobolem. In hac historia de Babylone duo spectantur, alterum historiæ filum, alterum mystica significatio Babylonis regni Antichristi, quem nobis Nimrodus fortis uenator & superbus tyrannus ab initio statim, cum urbe & turre Babylone plena peturbatione & confusione repræsentat.

Arach.] Edessa urbs Mesopotamiæ putatur, cuius meminit Strabo libro 16.

Achad.] Hæc Nisibis dicitur, quam in Assyrijs numerat idem Strabo.

Calane.] prophetis celebrata urbs, existimatur Seleucia esse extructa à Seleuco Nicanore, proxima Babyloni, inter quam & Niniuen illa medium ferè situm tenet.

De terra illa.] non ferens tyrannidem & contemptum Dei in maledicto Nimrodo.

Assur.] filius benedicti Semi. Locus mysticus de separatione piorum & impiorum. Sic legitur infrà exisse de Vre Chaldæorum Abrahamus, & Israelitæ ex Aegypto, quæ à Chami sobole possessa fuit.

Et ædificauit Niniuen.] Origo uetustissimæ urbis Niniuæ Assiris filij Semi, opus quæ à pulchritudine nomen adepta est, ut Babylon à confusione. Altera igitur Ecclesiam impiorum sub antichristo, altera piorum in gentibus à Christo extruendam, his primis mysteriorum Dei notis significat. Atq; Niniuen benedicti Assiris in Semo opus benedictum indicat Ionas, propheta missus à Domino, qui illam conuerteret ad pœnitentiam.

Ciuitas magna.] Similiter apud Ionam, Et uade in ciuitatem magnam. Historici & geographi Ninum urbem uocant à Nino primo Assyriorum rege conditam, ut Babylonem à Semiramide illius uxore. sed hic legitur ab Assur conditam Niniuem, & apud Danielem Babylonẽ in diuerso loco à Nabuchodonosore.

Ludini.] putantur Lydi esse. At uerò hi potius à Ludo Semi filio conditi uidentur, quàm à Chami sobole. Itaq; nonnulli Africæ regionem arbitrantur esse, atq; etam Mauritaniã: alij urbem in Petrea Arabia.

Ananim.] Paraphrastes מגסמרלטאי, id est, Pẽtapolitanos esse interpretatur, quæ Cyrenaica regio est, Ammonis oraculo famosa. De qua apud Plinium uideris. Alij ab Ananim Mitzraimi filio nomen Anaitis datum uolunt in Aethiopia sub Aegypto degentibus.

Lahuhim.] Libyæ populi. Duplex autem cum sit Libya, superior & inferior, ambæ in occidua Aegypti parte sitæ sunt.

Nephthuim.] Lusitani sunt, si Chaldæo interpreti credimus. alij aliter. Naphtatæ in occidentali Numidiæ parte habitantes nomen præsens declararit.

Phetrasim.] Thargum Hierosolymitanum Pelusiacos uocat, qui in Pelusij ora Nili ostio insigni uersantur. de quo Strabo. Alij arbitrantur Arabiæ Petreæ incolas ab hoc Mitzraimi filio Petrusim appellatos: neq; Arabiam Petream à petris, sed à Petrusim quinto Mitzraimi filio nominatam, qui in ea urbem Petram ædificarit.

Caphturim.] Cappadoces sunt paraphrasti. Iosephus dicit præter nomina illa Naphtuim, Patrusim, Casluim, Caphtorim nihil sciri.

Philistijm.] Hi Palæstinam tenent, maritimã eius oram occupantes.

Canaan.] Soboles maledicti Chanaanis describitur. Sidon ciuitatem sui nominis extruxit in Phœnice nominis sui etiam nunc retinentem. urbis uetustatem comprobat eius conditor. Celebris hæc est multarum artiũ inuentione, arithmeticæ, astronomiæ, uitriariæ. clarissima quoq; semper fuit mercatura & nauigandi industria. Quod studium illis numerandi artem & astrorum cognitionem peperit, ut apud Aegyptios agrorum dimensio geometriã excogitauit, de quo apud Strabonem.

Etheum.] Hæ gentes præter nomina nihil reliquum habent. Extinctæ enim sunt ab Hebræis. Quæ benedictio Semi fuit, & execratio Chanaanis.

Iebusæum.] Is prope Hierosolymam habitauit, à quo primùm Iebus urbs condita, quæ postea et Solyma & Salem & Ierusalem, & tempore Romanorum Aelia, postremò Cods & Codsbarich appellata est. Inter cætera clara est D. nostri Iesu Christi doctrina, morte & excitatione è mortuis, apostolis ex ea cum spiritu sancto & euangelio cœlesti in orbis terrarum fines missis.

Amorræum.] Huius monumenta interciderunt.

Gergesæum.] Videtur is indidisse nomen regioni Gergessenorum. & mari Genesari, quod et Tiberiadis mare appellatur.

Archæum.] Is oppidum condidisse fertur ad radices Libani.

Cineum.] A סיני montem Sinam nobilem lege Mosaica, appellatum nonnulli uolunt.

Aradium.] Aruadium habitasse Aradon insulam Palæstinæ obiectã, unde populos in Syriæ continente illi oppositos Aradios dictos, & aduerso litore urbem eodem nomine appellatam esse tradunt.

Amathæum.] Hinc Hemath, quã alij Antiochiam, alij Epiphianiam dicunt.

A Sidone.] Aquilonaris terminus Chananææ.

Vsq; ad Gazan.] Australis. Is finis à Sidone ad Gazam procurrens maritimam oram continet opulentissimis urbibus exornatam.

Sodomam & Gomorram.] Orientalis limes. Has urbes cœlestis ignis absumpsit. Digna sanè pœna maledicto Chanaane atq; incolarum flagitijs.

Vsq; Lesam.] Hanc putant esse quã Romani appellarunt Cæsaream Philippi in tribu Daniana. Cæterùm ad occidentalem partem Chananææ sitæ sunt Ptolomais, Cæsarea, Apollonia, Ioppe, Azotus.

De Sem quoq; nati sunt.] Numeratur genus benedicti Semi post Chamum, qui inter Iaphetum & Semium interiectus est.

Patre omnium filiorũ Eber.] Vt suprà Chanaanis cum dedecore eius Chamus pater dicitur, ita hic Hebris cum gloria eius Semus pater uocatur, quòd ex hoc Christus seruator nascendus esset. Ex hac narratione igitur discimus, quæ sit genealogia seruatoris Christi, & quàm diligenter ea à Mose descripta sit, cum ab Adamo in Sethum, ab hoc in Noam, à Noa in Semum, ab hoc in Hebrem, ab Hebri in Hebræam gentem promissio de Christo deriuata sit. Quare hæc historia à Mose literis prodita accuratè pensitanda est, quæ nobis & gentium originem et Christi genus à primo homine per gentem Hebræam exponit.

Fratre Iapheth maiore.] Sunt qui Iaphethum natumaiorem colligant hunc in modum. Infrà legitur: Semus erat centum annorum, quando genuit Arphaxadum biennio post diluuium, tam autem suprà scribitur, Noa cum quingentorum esset annorum, genuit Semum, Chamum & Iaphethum maiorem igitur natu centum annos natus fuit cum fieret diluuium, qui Semus esse non potuit, ut quem scriptura centesimum annum non nisi post diluuium attigisse fateatur. maior igitur natu fuerit Iaphethus, minor Semus, minimus Chamus.

Elam.] Persæ. Isaias: Ascende Elam, obside Madai. Elamitæ Cyro rege clari sunt, in quo declarata est benedictio Semo promissa, ut per quem populum Israeliticum liberare dignatus sit Dominus & templum dignitati suæ restituere: nec non eodem illo Christum liberatorem, qui suos ex spirituali Babylone in libertatem asserat, repræsentatum uolunt. de quo Esaias his uerbis: Qui dico Cyro, Pastor meus es, & omnem uoluntatem meam implebis. Item: Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.

Assur.] Assyriæ conditor. Quæ regio Mesopotamiam, Medos, & Armeniam attingit.

Arphaxad.] Ab hoc Chaldæi olim Arphaxadei nominati. Habitauitis in septẽtrionali parte Assyriæ quæ apud Geographos dicitur Arphaxitis, ubi perperam legitur apud Ptolomæum Arachitis, ut docti homines annotant.

Lud.] à quo Lydi ditissimo Cræso rege nobiles.

Aram.] Syria olium orientalis ab eo nominata.

Vs.] Traconitis ad Libanum sita Iosepho putatur. ex qua Iobum nonnulli natũ uolunt. quæ de re infrà. Hæc regio inter Palæstinam et Syriã, quam κοιλοσυρίαν, id est depressam Syriam uocant, iacet.

Gether.] A quo, ut putant, Bactriani.

Mes.] Geographi Messanos ponunt in Arabia deserta.

Saba.] Suprà quoq; in filijs Chusi memoratur Saba, sed cum samech, s leni, hic cũ schin, s crasso. Variæ sentẽtiæ est. Alij ab illo Africæ populos, ab hoc Arabes felices, alij ab altero Arabes, ab altero indiæ gentes, in quib. numerant Hauilã & Ophir. Sunt rursus q commiscent Saba & Hauilam suprà & hic memoratas regiones, quas utroq; loco arabibus ascribunt, monentes posteros Iectanem & Chusum inter se commixtos habitasse. Strabo Sabæ etiam urbis in Meroe insula sitæ meminit, quam sua regina rexerit. Atq; huius mentionem nonnulli fieri putant in libris Regum & apud Matthæum 12. contrà quidam alij non de Sabæ australi in Aegypto sita, sed de ea quæ in Arabia felice posita est, profectam reginam intelligunt, idq; indicare allata munera, aurum, aromata gemmas quibus abũdare Arabia εὐδαίμων dicitur. Magos illos ac sapientes ex hac Arabia quoque profectos, cum donis suis, auro, thure, myrrha, quòd thus Sabæis peculiare sit de quo Hieremias: Quid mihi thus de Saba affertis? Et poeta:

India mittit ebur, solis sua thura Sabæis.

Quod si dicas: Regina illa Sabæ, regina austri dicitur Arabiæ autem felicis Saba ad ortum recedit. Respondent, et hanc ad Iudæam, si conferatur ad austrũ, abscedere. At uerò hac de re infrà in libris Regum monebimus. Si Saba à qua regina austri ad Salomonẽ uenit illa australis Saba est ad Aethopiam pertinens à Chuso Chami filio originem traxit, & cum samech scribitur סבא. At dices, infrà in historia Regum scribi cum schin שבא, illic mutatum ut fit, samech in schin uolunt.

Oph.r.] Huius quoque mentio fit tertio libro Regum capite 9.

Et

Et facta est habitatio eorum.] Is locus nonnullis probat Sabam, Haulam et Ophirem, Arabiæ populos esse, nõ Indiæ. Messam enim unum ex ijs fuisse qui occuparit Arabiã. Vnde quoq; Geographi Messanos in Arabia deserta describũt. Strabo Nabathæos, Chaulatæos, & Agræos inter Arabũ gentes numerat. Manifestũ aũt est Chaulatæos esse eosdẽ qui Habilatæi. Nõ cito huc locũ de Haula cuius infrà fit mentio cap. 25. Habitauit aũt ab Haula usq; Sur quæ respicit Aegyptũ introeuntib. Assyrios. Haula igitur non Indiæ, sed Arabũ natio fuerit. Proinde uerisimile est Chusi et Iectanis familiã cõmixtè inter se habitasse, ut de religs quoq; liberis Chusi et Semi legimus, quõ inter se cõfusas sedes tenuerint. Suprà enim: Et egressus est Assur de terra illa. Itẽ, Egressi sunt simul de Vr Chaldæorũ.

Isti sunt filij Sem.] Suprà serè primum locum tenet Semus in cõmemoratione filiorum Noæ, hic ultimũ Sed mirũ id nõ sit. Suprà dignitas Semi in Christo et populo claro oraculis ex eo nascendo spectatur, hic præsentis seculi status: in quo ferè fit, ut pij postremum locum, impij primum habeant. Cæterùm ex hac narratione patet à Iapheto Europam, à Semo Asiam à Chamo Africam habitatã.

IN CAPVT XI.

ERat autẽm labij unius.] Hebraici ut id declarant Adam, Heua, Peleg, Ianus, Iaphethus, Sidon, Tharsus, & id genus reliqua nomina & cæteræ linguæ, præsertim orientales. itaq; hinc antiquitatem & præstantiam Hebræi sermonis cognoscere licet. Vnde mirum non est à rerum scriptoribus tradi Assyrias literas semper fuisse. in Assyria autem Noam cum suis à diluuio uersatum, ex hac narratione constat, in qua quoq; regione hæc lingua in plures dissipata est. Commendatur autem huius linguæ præstantia partim ab optimarum disciplinarum & artium inuentione, quæ ante diluuiũ à patriarchis inuentæ, et post illud à Noa eiusq; posteris cõseruatæ et locupletatæ sunt, dum ab Assyrijs ad Aegyptios, ab his ad Græcos, à Græcis ad Romanos peruenirẽt. partim uerò & id præcipuè ornant Hebræã linguã sacra oracula quæ per illã expo sita sunt, & sacri ipsi uates atq; clarissimi heroes quos illa lingua floruisse constat, dum ad Messiã benedictũ seruatorẽ mundi natũ ex Hebræa gente peruentũ sit.

De oriente.] Ubi finito diluuio cœperant habitare.

Ararat igitur, hoc est Gordiæi montes Armeniæ maioris, super quos arca delata est, à septentrione locis in quibus primùm consederunt, immunent.

In terra Sennaar.] Ad Euphratem sita, deinde Chaldæorum terra appellata.

Venite.] הבה adhortantis est, agè Græci δεῦτε. Vox Heb. ab הבה decisa, quod est dare, date operam ac consilium, & ut nonnulli דמיגו id est sitis parati.

Lateres.] ut quæ regio lapidosa non esset. Memi nit etiam Strabo coctilis lapidis & bituminis unde extructa sit Babylon. Locus de prima ædificiorum ex coctilibus lapidibus structura.

Et bitumen.] Idem Strabo in Babylonia bitumen multum nasci tradit, eiusq; fontem ex quo illud hauriatur, commemorat.

Nobis.] non Deo, tuendæ nostræ tyrannidi, non conseruandæ pietati.

Ciuitatem.] Babylonem urbem.

Turrim.] Superbam molitionem turris imitatur quoq; rex Babylonis de quo Esaias: In cœlum ascendam. supra astra Dei exaltabo solium meum. Deposito typo occurrit superbia spiritualis Babylonis, de cuius rege Apostolus ad Thess. Et patefiat filius ille perditus, qui est aduersarius, & effertur aduersus omnem qui dicitur Deus aut numen. Cæterùm ædificationem turris à Philone explicatam in libro de Iudaica antiquitate uideris. item apud Herodotum libro primo.

Cuius culmẽ.] De more huiusmodi hyperbolis utitur scriptura sacra ubi munitarũ urbium meminit. Moses infrà: Ciuitates magnæ & munitæ usq; in cœlum.

Et celebremus.] Ambitiosi cõsilij notatio. Duplex cõsiliũ extruẽdæ Babylonis et turris ppositũ habuere.

Antequam diuidamur.] פן נפרץ ne fortè diuidamur. Alterum consilium malè sibi consciorum uaticinium continebat ut ille rectè dixerit ἡ κακία κακὸν ἑαυτῆς μαντεύεται, id est improbitas cõtra se ipsam uaticinatur. Itaq; cum intelligerent hi ex sentẽtia Dei à diluuio immunes se fore, metuerent tamen ne ob tyrannidẽ & insolentiã dispergerentur, ut est mala cõscientia in magnorum malorum quæ immineant metu, hanc sublimẽ turrim & ciuitatẽ ædificare sunt moliti. Huc spectasse poetas docti homines arbitrantur, cum gigantes fuisse fingunt, qui congestis magna mole montibus in cœlum sibi aditum munire tentarint. Cum Nimrodo arcem & turrim quoque suam Antichristus extruit, cum omnem mundi potentiam aduersus Christũ & sanctos eius armat metu exitij quo cum regno suo pereat. Legimus enim in propheta: Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum, aduersus Dominum & aduersus Christum eius. sed is hoc modo prouocatus quid faciẽt sequitur:

Descendit autem.] ad iudicandum fastum impiorum. Phrasim scitè expressit Chaldæus ראיתגלי קדם לאיתחרעא, id est, Et exhibuit se Dominus ad ulciscẽdum. Impij superbo conatu ascendunt: Dominus contrà, qui illorum fastum deijciat iudicis more descendit. Cæterùm quoniam de cœlo omnia præclara in terrã proficiscuntur, Deus in cœlo habitare, & ad nos cum uel impios ad tuendum iusticiam punire tentat, uel nobis beneficia dare uult, de cœlo descendere dicitur.

Vt uideret.] causam cognosceret tanquam iudex. κατὰ ῥητορικὴν ἀνθρωποπάθειαν loquitur scriptura de Deo, q incognita causa de nullo facinore statuat. Qui Dei habitus nobis proponitur ad commendandam diuinam æquitatẽ, qui antè quasi dissimulasset scelera superborum, iam horum quorũ illos nõ pœniteret ultorem se præbeat. Locus plenus consolatione, impiorum tyrannidem & scelera inulta non abire, sed sub unidice Deo tandem puniri. De quo uates: Deus iustus iudex in cuius diuini iudicij altera parte, bona altera mala posita sunt.

Ciuitatem.] Superbè ædificari cœptam ad confirmandam potentiam exemplo Caini, qui ut uim suã tueretur, et luxu uitam ageret, nomenq; suum celebre

redderet,

redderet, primus urbem nomine filij sui Henocham extruxit.

Quam ædificabant.] *suo consilio ad opprimendos iustos, non meo ad defendendam iusticiam.*

Filij Adam.] *ueteris, non filij Dei. Vulgaris scripturæ locutio, qua per contemptum ueteris & primi Adami liberi perstringuntur. Propheta: Aegyptus homo, & non Deus.*

Et dixit.] *Cognitio causæ.*

Ecce unus est populus.] *iisdem legibus & iure concors uiuens.*

Et est unum labium.] *Magna momenta ad magnarum rerum machinationē habens. cum tribus præsidijs, quibus se tueatur homo nudus genitus à Deo, armatus sit, intelligentia, quæres quas sibi utiles fore putat, excogitet: deinde sermone, quo res uel excogitatas à se exprimat, aut alterius consilia sibi orationis beneficio expositа, percipiat: demum manibus, quibus ad conficiendas res quas uel inuenisset ingenij solertia, uel sermone ab alijs didicisset, utatur. singula hæc tria ordine hic explicantur. De duobus prioribus paulo suprà. de manibus sequitur.*

Cœperuntq; hoc facere.] *tantis commoditatibus freti. Simili concordia confisus Antichristus spiritualis Nimrodus cum suis in Psal. dicit: Dirũpamus uincula eorum, & proijciamus iugum ipsorum.*

Nec desistent à cogitationibus suis.] *contumacibus consilijs & perniciosis, cuiusmodi uerbo דמה notantur.*

Descendamus.] *Adornatur cognita causa iudiciũ. In plurali uerbo Descẽdamus cõprehenduntur Deus, Christus, & utriusque spiritus. si adnumeres angelos administros iudicij Dei, & throno Dei, in quo Christus sedet iudex, assistentes, non malè feceris. Sic infrà legimus angelorum ministerio succensam Sodomam & Gomorrhã: & in libris Regũ per angelum Domini, multa millia Assyriorum extincta. Memorabilis hic contentio cernitur. Suprà dicunt impij. Agè faciamus ciuitatem: hic uerò, Agè descendamus. Verum igitur est, quod propheta dicit: Cõsilium impiorum peribit. Consilium uerò Domini manet in æternum.*

Et confundamus ibi linguam eorum.] *Aduersus gloriam meam uana molitam. Iusta talionis pœna. Idem iudicium manet omnes, qui cum Nimrodo superba moliuntur aduersus Deum, qui cum arroganter dicunt, Agè faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen assurgat in cœlum: audient uicissim hoc Domini, Descendamus & confundamus labia eorum. Labia sanè de quibus propheta: Excindet Dominus linguã loquentẽ magna, qualis est eius de quo Daniel: Et sermones cõtra excelsum loquetur, et putabit quòd possit mutare tempora & leges.*

Vt non audiat.] *qui antea inter se & audierant & cognouerant in superbi operis molitione. Adimitur cõmerciũ linguæ ijs q̃ lingua abusi fuerãt. Lingua enim & oratio tributa est homini: ut sua consilia inter se alijs alij declarent ad amplificandũ nomen Dei non ad dehonestandum. Peccatum igitur multas linguas induxit: iusticia unam in orbe aliquando coluit. Par enim esset, unam in terra uigere linguam, ut unum est Dei numẽ, una uera religio. Atqui quæ culpa arrogantium hominum linguarum multitudo nata est, eandem ad iusticiam mundo afferendam Christi beneficio conuersam cernimus in eo die quo linguarum dono euangelij doctores ad demolienda excelsa mundi, & ad extruendum cœleste regnum ornati sunt. Qua in re admirabilem Dei bonitatem uidere licet, qua ea quæ uitiosam originem habent, ut bonũ exitum sortiãtur, efficitur. Cæterùm linguarũ dissimilitudo in ore, palato, lingua intra dentes, exerta in labijs, gutture spectatur: item in tonis, acuto, graui, circunflexo. Hæc tanta linguarum uarietas à doctis hominibus in sexaginta duo genera tribuitur.*

Atq; ita diuisit eos.] פיץ *id est dispersit. Impijs igitur accidit quod timuerunt. Suprà dicunt, Aedificemus ciuitatem, ne fortè dispergamur. Verum igitur est illud: Timor impij ueniet ei.*

Cessauerunt ædificare.] *Repressi iudicis Dei sententia superbos conatus non tolerantis. unde Psal. Et oculos superborum humiliat. Sic suo tempore spiritualis Babylonis extructores confusi consilijs suis ab opere suo desistent, audituri breui illud: Cecidit Babylon. Atq; eodem modo omnia mundi regna cum ad fastigium suum ambitiosè per tyrannidem assurgunt, descendentis Dei iram dum corruant, sentiunt.*

Et idcirco uocatum est nomẽ eius.] *Explicatur nomẽ* בבל. *Sunt qui duas dictiones esse dicunt* באבל *id est, uenit confusio. Referas animum ad spiritualem Babelem quanta ibi appareat confusio sectarum & religionũ, non est obscurum. Is fuit irritus conatus Nimrodi qui à Beroso et Chaldæis Beli prisci pater dicitur. Huius exitus ostendit frustra suis consilijs, niti homines, si præter naturæ præscriptum quicquam temerè moliantur. Tradunt scriptores hoc opus quod diuina ultione ne absolueretur, impeditum fuit, à Nabuchodonosore typo antichristi non obscuro absolutum, cuius admirabilia opera in libro primo contra Appianũ grammaticum Iosephus ex Beroso Chaldæorum historiographo recitat. Huc facit Daniel apud quem Nabuchodonosor sic loquitur: Nónne hæc est Babylon ciuitas magna quam ædificaui ualidis opibus?*

Hæ sunt generationes Sem.] *Exponitur genus Semi usq; ad Abrahamum, ut certa à diluuio temporũ ratio constet, & maiores ex quibus Christus nasci debuit, cognoscantur.*

Biennio post diluuium.] *Biennium hoc obseruãdum fuerit, quod cum reliquis qui sequuntur annis conjunctum nobis quantum temporis spacium ad Abrahamum usq; à diluuio decurrat, indicabit.*

Porrò Arphaxschad triginta quinq;.] *Si quis totam hanc annorum uitæ patrum seriem & eorum supputationem cõferat cũ LXX. magnos in his errores deprehendet.*

Sale.] LXX. *Καϊνᾶν. Hoc nomẽ seruatũ est etiã à Luca: qui fuit Sale, qui fuit Cainã, quod Septuag. uersio tum in orbe fuerit celebris.*

Vixitq;

Vixitq; Arphaxad trecentis tribus annis.] Hebræus, Quadringentis tribus. Similis error apud Septuaginta, ἔτη τριακόσια τριάκοντα.

Vixitq; Phaleg ducentis nouem annis.] Anni igitur uitæ Phalegi omnes fuere ducenti triginta nouem anni sub cuius obitum dicũt accidisse linguarum confusionem. Ad hoc igitur tempus si biennium de quo suprà mẽtio facta est, & eos annos quos quisque uixit priusquam gigneret filios, adiunxeris, nascentur trecenti quadraginta anni, qui usq; ad diluuium à linguarum confusione defluxerunt. Atq; ita decem annos à facta dispersione, Noam uixisse colligemus. de quo nimirum suprà legitur: Vixit autem Noa post diluuium trecentos quinquaginta annos.

Et genuit Abraham.] Inita igitur ratione numerorum qui præcessere, colligimus ducentos nonaginta duos annos à diluuio usq; ad Abrahamum decurrisse: qui subducti à trecentis quadraginta annis, relinquent quadragintaocto annos, quos natus fuit Abrahamus tempore confusionis linguarum. Atque ex eadem supputatione patet, Abrahamũ cum Noa uixisse quinquagintaocto annos, et Semum triginta quinq; post Abrahamum uixisse. Nam ab Abrahami morte, qui uixit cẽtum septuagintaquinq; annos, usque ad diluuium numerantur quadringenti sexagintaseptẽ anni: ab obitu autẽ Semi, quingenti duo: Nec non ex eadem ratione discimus, Semum cum Isaaco uixisse decem et centum annos: cum Iacobo et Esao, quinquaginta. Cæterùm de Abrahamo, an primogenitus fuerit Tharæ, quæstio est, ex quo legitur hic: Thara autem genuit Abrahamum, Nachorẽ & Haranem. Si dicas primogenitum esse, consequetur, Haranem patrem Saræ ad summum octo annos natũ fuisse cum gigneret Saram, ex quo Abrahamus non plusquàm decem annos ætate superauit Saram uxorem suam. Sic enim infrà legitur: Aut centenarius gignet ne, aut nonagenaria Sara pariet? Hæc ratio mouet nonnullos, ut dicant Abrahamum primogenitum non fuisse: & hic non natiuitatis, sed dignitatis ordinem in narratione spectari.

De Vr Chaldæorum.] Iosepho Vr urbis nomen est. Sed quærat fortasse aliquis, quæ res mouerit Theram ut cum familia ab Vre Chaldæorũ profectus, in terrã Cananæã ire contenderit. causa infrà exponetur his uerbis, Egredere de terra tua. Ergo motus oraculo Thera, & spe promissionum ductus, secutus est filium Abrahamum, proposito ueniendi usque in Cananæam. Sicut hic legitur, Vt proficiscerentur in Cananæã. Huc spectans Stephanus in concione ad Iudæos facta, sic narrat: Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahamo cum esset in Mesopotamia, priusquam moreretur in Harane, et dixit ad illum, Exi de terra tua. Itaq; apparet à Stephano in Mesopotamia Vrem Chaldæorum comprehensum, quòd Babylon Tigri & Euphrate fluminibus concluſa esset, & uno rege gubernaretur.

Milcha.] ex cuius genere Rebecca & Lia fuerunt.

Iesche.] Hanc putant quidam Saram esse: alij aliter.

Et mortuus est in Haran.] sexaginta annis posteaquàm egressus est Abramus ex Harane. Nam Abramus septuagintaquinque annorum erat cum egrederetur ex Harane, & Thara septuaginta annorum cum ei nasceretur Abrahamus. Hos annos si coniunxeris, constabunt centum quadragintaquinq; anni, quos natus erat Thara cum Haranem proficisceretur Abramus: & his annis de summa annorum uitæ Tharæ subtractis, remanebunt sexaginta anni quibus in Harane uixit Thara post profectionem Abrahami. Sic interpretes exponunt hunc locum, atq; nodum de annis 60. quos nonnulli interci di in ipso Abrahamo putãt, hoc modo qui indicatus est, soluunt. Sed dicas, Stephanum in Actis narrare Abrahamũ, nõ priusquàm mortuus esset pater Thara, profectum ex Charane in Cananæam. Quomodo hic respondeatur, non occurrit: nisi uelis dicere, Stephanum ut alijs occupatum, tempus accuratius non obseruasse.

In Haran.] Mesopotamiæ ciuitas est. Hanc historici Carras uocant, nobiles clade Romani exercitus. Vt poeta:

Assyrius Latio maculauit sanguine Carras.

Hic substitit Thara cum familia sua in Charane, neq; ultrà profectus est, quòd Abrahami posteris Cananæa promissa esset in hæreditatem.

IN CAPVT XII.

Dixit Dominus.] Vocatio Abrahami, in qua stratagemata militaria sanctorũ adumbrantur, in quibus cuncta ijs deserenda sunt, qui ex hoc mundo ad regnum Dei uocantur, non sine grauissima carnis, mundi, & principis mundi lucta.

Ad Abram.] tanquam futurum patrem omniũ credentium.

Egredere de terra tua.] Alij de Charane, alij de Vre Chaldæorum accipiunt. qui sunt posterioris sententiæ, hi dicunt quantum ad ordinem rei gestæ pertinet, hoc oraculum expositum ad Abrahamum cum adhuc esset in Vre Chaldæorum: Et egressi sunt de Vre Chaldæorum. Adducunt pro argumento, quòd legatur suprà: Et egressi sunt de Vre Chaldæorũ, ut irẽt in Cananæã. Nõnulli dicunt bis uocatum fuisse. anid uerisimile sit, alijs iudicandum reliquero.

De domo patris tui.] Locus de abnegatione sui, quæ ijs suscipienda sit, qui Deum secuturi sint, his deserẽda omnia, patriam, parentes, liberos, uxores, opes. Huc spectans Propheta psalm. 45. sic canit: Audi puella, uide ut aurem præbeas, & populũ tuũ domumq; patris obliuiscare, & concupiscet rex decorem tuum. Et ante omnia idololatria deserenda, et amplexandus unius Dei ex uerbo eius cultus. qui cũ non uigeret apud Nimrodum, apud quem uixerat Thara cum familia sua, idololatriæ obnoxius, ut ex Iosua patet, et Abrahamus ad ueram religionem esset transferendus, monetur is oraculo ut egrediatur ex Vre Chaldæorum. Monent historici apud Babylonios

lonios ignẽ, p Deo habitũ, turrimq; Babylonis ignis cultui fuisse cõsecratam: ut in Aegypto obelisci fuere dedicati Soli. Ab hoc cultu apparet nomen loco inditum, ut sit is appellatus Vr Chaldæorum. Nã אור lucẽ sonat & ignem apud Hebræos. Vt hic Abrahamus ex Vre Babyloniorum euocatur seuera admonitione, ita ex spiritualis Babylonis Vre euocantur seriò ij de quib. ex uerbis Hieremiæ Ioannes: Exite de illa, populus meus: nè participes sitis delictorũ eius.

Et ueni.] fide præeunte. Ad Hebræos: Per fidem appellatus Abrahamus obedijt, ut exiret in locum quem acæpturus erat in hæreditatem. Nam fide erat uincenda robusti Nimrodi tyrannis & idololatria, uincendus patriæ amor, superandum tædium exilij, & pericula in aliena terra superanda.

In terram.] Cananæam, suprà enim: Vt irent in terram Cananæam.

Quam monstrauero tibi.] Non ergo currentis est, neq; uolentis salus: sed uocantis, miserentis, et patefacientis Dei.

Faciamq; te in magnam gentem.] Promissio numerosæ sobolis. Typus in mystico Israele, res in semine promissionis spirituali cernitur.

Et benedicam tibi.] aucta sobole, & assignata terra affluente omni rerum copia, cum regno, sacerdotio, & ueræ religionis oraculis. Hac dignitate caruerunt cætera regna mundi. in qua benedictione umbra: in cœlesti ac spirituali, res & ueritas. Memorabilis locus de mysterio crucis, non prius benedictione ornatum patrem Abrahamum, quàm per uariam afflictionem esset iactatus: ut intelligamus, in morte uitam, in inferno cœlum, in egestate diuitias, in ignominia gloriam nobis quærendam esse. Is pater sequẽdus filijs est, de quo Propheta: Respicite ad petram excisionis uestræ, respicite ad Abrahamũ patrẽ uestrũ. Suprà legimus, filios hominũ extruere urbes et turres: hic de Abrahamo uiro Dei, quo omnia relinquat, meditatione crucis demissus humilisq; factus.

Et magnificabo nomen tuum.] celebre futurum primò propter fidei iusticiam, qua ornaris: deinde propter sobolem numerosam, ex te propagandam: tum propter regnum religione, meisq; oraculis inclytum futurum, in quo de posteris tuis ex te natis hæc celebris uox iactabitur: En populus sapiens & prudens, gens inclyta. Demum & id præcipuè propter seruatorem Christum tibi promittendum. Hic legimus sanctorum nomen amplificari. contrà de nomine impiorum: Nomen impiorum putrescet. ראגדלה est amplũ et splendidũ reddere. Chaldæus ראברי שמא. Suprà dicuntur filij hominis cõparare studijs suis nomen celebre: hic uir Dei nõ suo, sed diuino consilio. Abrahami claro nomine illustratur nomen & splendor Dei: impiorum nomine obscuratur, qui suam gloriã quærũt, Dei contemnunt. Suprà sublimia cogitantes deijciuntur: hic Abrahamus humilia cogitans, effertur & amplificatur.

Erisq; benedictus.] Hebræus, ריהיברכה, Et eris benedictio. Imperatiuus loco futuri, et denominatio pro re denominatã. Græci igitur similiter nostro, ἔσῃ εὐλογημένος. Alij in hunc modum: Et eris benedictio. hoc est, alij ex te fortunabuntur. Hinc apud Lucã legi: Salus domui huic facta est, eo quòd & ipse sit filius Abrahami. futurum etiam ut populus ex te genitus & auctus, etiam alijs suas opes sit communicaturus. Exemplo est Aegyptus, Niniuitæ, Persarum rex Cyrus, Naeman Syrus: sed maximè exemplo sunt omnes gentes orbis terrarum, quæ benedictione spirituali per Christum ex Abrahamo natum locupletantur. De qua benedictione infrà: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Hinc nata Apostolo similitudo oliuæ & oleastri.

Benedicam.] augebo beneficijs meis.

Benedicentibus tibi.] eos quite beneficijs ornant. Ideo Dominus: Quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Locus insignis de promissione fauoris diuini, in eos qui Dei filios amore & beneuolentia prosequuntur. Sic Dominus memor huius promissionis, obstetricibus in Aegypto ædificauit domos. Sic meretrix Rachaba cum familia, sic Sareptana uidua seruata.

Et maledicam maledicentibus.] Ex collatione contrariorum consequitur, si benedicentibus benedicatur, maledicentib. maledici. Exemplo Aegyptij, Amalechitæ, Chananæi, Assyrij, Babylonij. Ideo Propheta: Qui tetigerit uos, tãget pupillã oculi mei. Præclarus locus de prouidentia Dei in suos, quæ sola fide capitur, perfidia negatur.

Atq; inte.] in Christo ex te nascendo. Infrà enim: Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Semen autem hoc, interprete Apostolo, Christus est.

Benedicentur.] benedictione iusticiæ et uitæ æternæ post maledictionem peccati & mortis per cõmunionem benedictionis capitis Christi.

Omnes cognationes terræ.] Notatur semen spirituale Abrahami renatum spiritu fidei. Locus illustris de amplitudine Ecclesiæ, ex quo omnes prophetæ oracula sua deprompserunt. Ideo suprà in benedictione Iapheti: Dilatabit Deus Iaphetum, & habitabit in tabernaculis Semi.

Egressus est igitur Abram.] credens promittenti Deo. Exemplum obedientiæ fidei insigne in Abrahamo. Si quæras, ánne oraculo euocatus sit Abrahamus ex Vre Chaldæorum, an per sanctum aliquem hominẽ, ut Semũ, aut alium: in Actis legimus Deum apparuisse Abrahamo, ut ueri simile sit illum uiso admonitum ut egrederetur.

Et cum eo Loth.] cuius obsequij memor Dominus, eum infrà ex Sodomæ & Gomorrhæ incendio liberauit. Nos legimus quòd Dominus dicat: Et omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, propter nomen meum.

Septuagintaquinq; annorum erat.] Is numerus obseruandus est.

Sarai.] שרי hic scribitur, infrà sine Iodo. Et Abraham caret hic ה. legitur enim Abram, non Abraham. De ratione suo loco.

Vniuer-

Vniuersam̃q; substãtiam.] quæ ei satis ampla fuit. Non igitur opes sanctis hominibus prohibẽtur, sed animus ad opes affixus. Legimus enim illud: Melior est sapientia coniuncta cum diuitijs. Has opes Abrahamus in pecoribus positas tenebat, quibus Mesopotamia propter ubertatẽ pascuorum abundabat, ob Tigrin & Euphratẽ flumina, inter quæ sita erat.

Et animas.] ילדי בית de uernaculis & operis intelligit domi natis, aut alicunde comparatis. Phrasi hebrææ linguæ animæ pro hominibus. Chaldæus de ijs accipit, quos Abrahamus sanctus uir doctrina uerbi Dei imbuerit נפשא רעבידו לאיר יתא בחרן.

Fecerant.] עשו pro קנו id est, comparauerant. ut Latini, facere rem, pro parare & quærere. Similiter Græci ἐποίησαντο. Cæterùm memoratur hic Abrahamus, cum uxore, familia, et uniuersis suis facultatibus, domo, agris, cognatis patria, relictis ad nutũ & arbitriũ Dei, in Chananæã ad maledictos in Chamo profectũ, quo eius fides & obedientia fidei illustrior, & ad imitandũ nobis utilior redderetur.

Sichem.] Non fuit tum sic appellatus is locus. Moses igitur nomine quod pòst indendum erat, eum locum nuncupat: quod etiam in alijs usuuenit. Sicut suprà de terra Chus & Assur Geneſis secundo capite legimus, ipse circumit omnem terram Chus.

Vsq; ad conuallem.] Varia interpretatio est. alijs אלון id est quercus est, ut Græcis q habẽt δρῦς similiter nõ nullis Hebræis, alijs בירשר ut Chaldæo.

Illustrem.] מוריה alijs nomen loci est, alijs proprium uiri Chananæi, alijs Mamre, qui infrà legitur cum Abrahamo confœderatus, nostro illustre, ducta uoce à ראה quod est uidere. Græci ὑψηλὸν, id est excelsum, omnibus conspicuũ. Noster interpres & Græci idem ferè respexisse uidentur. Omnino proprium nomen loci apparet esse, in quo Abrahamus primò substiterit.

Chananæus.] maledictus in Chamo, quem eam terram ui occupasse dicunt, habitante in ea Semo, appellato, ut uolũt, Melchisedeco. Ab incola amplificatur miseria exilij.

Apparuit autem Dominus.] tam afflicto, peregrino, & destituto omni humano præsidio, ad consolandum, et cõfirmandam fidem, renouata promissione. insignem enim hanc laudem sibi uendicat Dominus, quòd uocatur adiutor in articulo temporũ difficilium. Vt canit Dauid, Deus præsidio est oppressis in temporibus aduersis.

Semini tuo.] benedicendo in Semo.

Terram hanc.] oraculis regni & sacerdotij celebrem futuram.

Altare.] in quo hostias gratiarum actionis offerret. Veritas in altari Christo, in quo gratitudinis sacrificia offeruntur. de quibus propheta: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Et hostiæ, de quibus Apostolus: Vt præbeatis corpora uestra hostiã Deo uiuẽtem. Exemplum constantiæ & fortitudinis fidei in Abrahamo, qui ausus sit inter idolorum cultores uerum Dei cultum palàm instituere, & institutũ persequi. Quæ religionis ueræ professio causa uidetur fuisse cur toties locũ inter tã infestas gẽtes mutarit.

Dño.] non Vri, non soli, nõ lunæ, nõ dijs alienis.

Ab occidente.] ים per metonymiam, mare pro occasu, quòd mare mediterraneũ Cananæã ab occidente alluat. Similiter Chaldæus ימא מערבא. Græci seruarunt θάλασσαν.

Nomen eius.] בשם יהוה in nomine Domini, qui filius est Messias, in quo solo pater inuocatur & adoratur, nõ in angelis, nõ in lege, nõ in operibus legis, non in ulla creatura. Cæterùm de nomine loco rum quæ hic memorantur, Bethel, Hai, infrà in loco sua meminerimus.

Ad meridiem.] חנגבה Hebræis meridies ab ariditate ita appellata, quòd ea plaga propter caloris uim arida & deserta sit. נגב enim exiccare est, ut habet illud בי ארץ חנגב נתתני, id est, quoniã terram aridã dedisti mihi. Ideo Græci hic: εἰς τὴν ἔρημον. Deserta enim imminent terræ Chananææ ab austro, mare ab occidente. Hæc tertia in terra Chananæa migratio est. Apparet Hebronem fuisse locum hunc quæ ad meridiem sita est.

Facta est autem fames.] Noua tentatio ad exercendã fidẽ et spem Abrahami, afflictione patientiã, patientia probationẽ, probatiõe spem pariente. Nõ satis erat Abrahamũ reliquisse patriã, nisi etiã peregrinus in aliena terra fame afflictaretur. Hæc sunt stratagemata sancti patris omnib. credentib. in exemplũ proposiți. Hic quantum interfit inter mundi iudiciũ & fidei intelligitur. Mũdus præsentia spectans, Dei fauorẽ à præsentib. opib. & bonorũ affluentia metitur: fides in præsentia nihil nisi exilia, rerũ inopiã, infectationes hostiũ sæuas, mortẽ intuẽs futura bona per patientiam spe præsumit.

Vt ingrederetur Aegyptũ.] ad maledicti Chami posteros infestos semini Semi. quæ alia tẽtatio est.

Quòd pulchra sis.] Hæbræus utitur duobus uerbis יפת מראה. Græci felices compositione habent εὐπροσωπος. Pulchra legitur hic fuisse Sara, quæ sexaginta annos excesserat. Suprà enim dicitur egressum Abrahamũ ex Harane natũ 75 annos. Sara igitur quæ decennio minor natu erat, habuit hunc 65 annos. Itaq; sanctorũ neq; uitam, neq; ualetudinem, neq; formã imminuit studiũ pietatis, sed eas dotes cõseruat, ut ipsa pietas promissiones præsentis & futuræ uitæ continet. Accedit huc integritas corporum, quæ maior tum fuit q̃ posteris temporibus cœperit esse. Nam maioribus qui multos annos integra ætate fuerãt usi, propiores uixerũt. Legitur hic Sara speciosa fuisse. Hæc quam nobis Saram adumbret, Apostolus ad Galatas explicat, quæ in Cãticis canticorũ hanc uocem de se iactat: Nigra sum, sed formosa.

Aegyptij.] quos Ezechiel propheta redarguit his uerbis: Fluxus equorum fluxus eorum.

Interficiẽt me.] Alia tẽtatio de periculo uitæ. sed qd faceret aliud maledicta Chami maledicti soboles.

Quòd soror mea sis.] Dissimulat uxoris nomẽ.

Commodum sanè & prudens consilium, præsentiq; necessitati accommodatũ, sed quod careret fraude decipiendi & mendacio. Infrà enim legitur capite 20. Alias autem & uerè soror mea est, filia patris mei, & nõ filia matris meæ. Itaq; hoc consilium Abrahami, fuit hominis consilium qui nollet tentare Dominum tempore tam difficili & periculoso, quiq; nosset fide promissionum Dei deliberationẽ de fugiendis periculis non prohiberi, diffidentiam de ope diuina prohiberi. In hac igitur cõsultatiõe periculũ mortis honesta dissimulatione uitare uoluit uxore permissa curæ diuinæ, per quam considerat fore, ut etiã eius pudicitia ab impotenti regis libidine defendere tur. Accessit igitur ad tẽtationem famis, etiã uitæ & pudicitiæ, honestæ uxoris tentatio: sed qui promiserat se benedicturũ benedicentibus, & maledicturũ maledicentibus Abrahamo, in ipsa afflictione Abrahamo quem liberaret affuit.

Pharaoni.] cõmune nomẽ regũ apud Aegyptios

Abraham uerò bene usi sunt.] Heb. ולאברם היטיב id est beneficijs Abrahamum affecit. Noster interpres Græcos sequitur εὖ ἐχρήσαντο. Succedit consilium suum Abrahamo sub prouidentia diuina. Suprà enim: Vt bene sit mihi propter te. Tradit Iosephus, clarum fuisse tum Abrahamũ astronomiæ & arithmeticæ cognitione, quas artes ut tradidisset Aegyptijs, in magna gratia & honore eum habitũ. Berosus scribit, post diluuium decima generatione apud Chaldæos floruisse quendam uirum iustum, & cœlestium rerum peritum: ubi Abrahamum significari putant. Atq; hoc ipsum est, quòd rerum scriptores Babylonias & Assyrias literas uetustissimas fuisse perhibent. Hinc igitur patet, philosophiam apud barbaros primùm floruisse, ut id Assyrij, Chaldæi, Aegyptij, Indorũ gymnosophistæ, Gallorũ Druides, Sarmatarum Allobij, Persarum Magi, & præcipuè Ebræi indicant: apud quos quanta rerum cognitio floruerit, declarat Abrahamus, Moses, Salomon, & qui in illa gente sapientes homines uixerunt, à quibus ut in Græciam manarit philosophia, testantur eius magistri, Pythagoras, Thales, Plato, & alij. Eupolemus tradit in libro de Iudææ regibus, Mosem primum grammaticam tradidisse Iudæis, & Phœnices accepisse à Iudæis, Græcos autem à Phœnicibus.

Flagellauit autem Dominus.] ne Sara eius concubitu pollueretur. Victoriæ fidei in tentatione exemplum. Afficitur Pharao clade, Saram in uxorem ducturus, ad liberandos utroq;. Vnde psal. Non permisit hominem nocere eis, & corripuit propter eos reges. Plagis quæ hic leguntur, præluditur ijs quibus sequentibus temporibus Aegyptij cum rege suo afficiendi erant. Nec non quòd toti posteritati ferendum erat, in patre credentium auspicari Deus uoluit. Affligi oportuit uniuersam familiam Abrahami in Aegypto, priusquam Chananæam in hæreditatem reciperet. Cui præiens pater Abrahamus, non antè uel pedem latam partem in promissa terra adeptus est, q̃ prior in Aegypto exiliũ expertus fuisset. Remoue uelũ mysticæ historiæ. quæ Aegyptus sanctis prius subeũda sit cum uarijs tentationib. ffe & fide superandis, q̃ supernã hæreditatẽ adeant, obscurũ non est. Quò pertinet, Descendit, uerbũ suprà memoratũ: arcana uidelicet significatione non carere in Aegyptũ descendi, & in terrã promissam ascẽdi. Nec מצרים uox à mysterio crucis abludit, in quæ afflictio notatur et angustia. Cæterum qualis clades fuerit, qua Pharao & eius domus affecta est, hic non explicatur. Arbitrantur nonnulli talem fuisse, quali Abimelechus infrà legitur propter eandẽ Sarã punitus. Si quis hic miretur, cur tam grauiter sit castigatus Pharao ob Sarã postulatã in matrimoniũ quam ignorarit uxorẽ esse Abrahami, is sciat primò nõ rectè factũ à Pharaone, quòd Sarã nõ cõsulto Abrahamo, uel eo inuito uoluerit ducere uxorẽ: deinde per ignorantiam delictum illud nõ fuisse purgatum, qui prius quàm Sarã duceret uxorẽ diligentius de statu illius inquirere debuerat. Deus igitur qui cognitã teneret libidinẽ Pharaonis, iusto iudicio illũ puniuit, ignorantia eius cũ petulantia coniuncta nõ cõmotus.

Quid nam est quod dixisti mihi.] Expostulatio regis grauis, quæ & à persona regis & hostis Abrahami, & ab ipsa clade amplificatur.

Et præcepit Pharao.] Exitus tentationis Abrahami, liberatio est, quæ magnos & uberes fructus attulit. Vnus, cõfirmatio fidei Abrahami fuit: alter, amplificatio nominis Dei: tertius, notitia Dei, qua cœpit ornari, rex cũ familia sua per ea quæ egit Dominus cũ Abrahamo. Quartus cernitur in exẽplo nobis utili & commodo. IN CAPVT XIII.

ET ascendit Abraham.] liberatus beneficio Dei quasi ex inferis emergit.

Et Abrahã erat dies ualde.] Locus de diuitijs quæ in sanctis cõmendatur, partim ab autore & muneratore Deo. de quo legimus in Genesi: Vidit Deus cũcta quæ fecerat, & erãt ualde bona. partim à fine, qui in usu cernitur beneficẽtiæ, præeunte sapientia fidei. de qua Salomon: Melior est sapientia cõiuncta cũ diuitijs, quæ nimirũ in benefaciendi instrumẽtis numerãtur. ut Dominus alicubi dicit: Facite uobis amicos de mãmona iniquitatis. Si dicas, uendẽda esse omnia, & danda pauperibus, igitur diuitias nõ congruere sanctis: uerba Christi interpretatur Dauid his uerbis: Diuitiæ si affluxerint, nolite apponere cor. Liberũ igitur ab auaritia animũ si habes, uendidisti omnia, omnia etiã possidens: sin minus, nihil uendidisti, etiãsi omnia uendas. Duce ergo sapiẽtia fidei si utare, diuitiæ bona multa attulerint: sin uerò ea carueris, uerũ erit illud, πολλῶν τὰ χρήματα ἄτιτα ἀνθρώποις πανώφ.

In possessione auri ac argenti.] Dicitur Abrahamus, qui suprà fame impulsus in Aegyptũ descenderat, hic opib. amplissimis ornatus ascendere. Hæc est prouidentia Dei quæ pro sanctis in Aegypto & inter impios in Chamo repudiatos geritur. Sic infrà cum auro & argento & cæteris preciosis rebus posteritas Abrahamu ex Aegypto egressa legitur.

Ad Auſtralem plagam.] *Id eſt ad locũ qui erat auſtralis regioni ad quam ibat: de quo ſuprà.* Perrexitq; Abrahamus *uadẽs & proficiſcens ad meridiẽ. Arcani notã in auſtro, ſeptentrione, oriente & occaſu. perpendant ex ſacris literis ſancti homines.*

Et inuocauit ibi nomen.] בשם יהוה *id eſt in nomine Dñi. Sed quod eſt illud nomen in quo Deus inuocatur ad præſtandã opem, et in quo celebrãtur eius beneficia? Nomen eſt de quo Petrus: Non eſt aliud nomen ſub ſole in quo oporteat, &c. Hoc nomen ſalutare promiſſum maioribus & ſibi, agnouit Abrahamus in cultu Dei & inuocatione.*

Sed & Loth, qui erat.) *Narratiuncula, in qua cauſæ diſceſſus Lothi ab Abrahamo exponuntur.*

Erat quippe ſubſtantia.) *Cauſſa diſceſſus.*

Vnde & rixa facta eſt.) *Altera. Origo diſcordiæ, & ueteris hominis natura perpendenda fuerit.*

Eo aũt tẽpore Chananæus, &.] *Tertia hoſtes ſobolis Semi cõtinet, q uos nõ licuit fines pro arbitrio occupare. ſunt q arbitrãtur Pheræeũ fuiſſe unũ ex liberis Chanaanis ſuprà memoratis ſed binominẽ*

Ne quæſo ſit iurgium.) *Prudens Abrahami ut peregrini in Cananæa, & Cananæis ſuſpecti conſilium, qui intelligeret cõcordia paruas res creſcere, & diſcordia maximas dilabi.*

Fratres enim ſumus.] *Ratio à cognatione. nam ratio à periculo præceßit: Chananæus & Pherezæus habitabant in terra. Nouerat ſanctus uir, niſi medicina ab initio ſtatim adhibeatur, fratrum & cognatorũ diſſidia in grauiſſimas iras abire. ut etiã alicubi Græcus poeta monet:*

ἀλλὰ τὶς ὀργὴ πάμπολυς ἐπέλθοι,
ὅταν φίλοι φίλοισι συμβάλωσ' ἔριν.

Ecce uniuerſa terra coram te.] *Hebræus interrogat: An non omnis terra? Exemplum moderationis in Abrahamo, qui ſenior cum eſſet, & ad eum pertineret promißio Cananææ, iuniori tamen Lotho in tempore & loco de iure ſuo cedit. Hæc eſt ſanctorum & ſenum prudentia. Quòd ſi hypotheſin ad theſim reuocaris, præclara ſententia naſcetur, prudentis uidelicet eſſe, in tempore imperitis, ad tuendam concordiam, præſertim inter hoſtes, cedere. Locus de charitate, quæ ut ſit gubernatrix tranquillitatis, & uniuerſæ legis rectrix, ex hoc Abrahami exemplo cognoſcitur. Atq; in ea ueræ æquitatis uis cernitur, quæ ſummo iuri, hoc eſt uitioſæ interpretationi iuris opponitur.*

Sicut paradiſus Dñi.] *Quæ præclara cẽſentur nomine Dei appellari uolũt: ut, mons Dei, uox Dei, hortus Dei. Sed etiã ideo ſic nominãtur, quòd Dei cura gubernãtur. Sũt qui freti hoc loco putant paradiſum in his locis conſitũ fuiſſe, ut ubi primus Adamus peccauit, ibi alter peccatum expiaſſe cognoſcatur.*

Antequam ſubuerteret.] *incendio cœleſti. Strabo non in Deum, ſed in loci ipſius naturam eius incendij cauſam refert, qui tradit terræ motibus ignium; eruptionibus, & aquarum ἀσφαλτωδῶν ſcaturiginibus urbes has abſorptas, et lacum qui dicitur ἀσφαλτίτης, extitiſſe. Quemadmodum etiam cæteri geographi & hiſtorici in ſacra hiſtoria hallucinantur.*

Et ſicut Aegyptus.] *quam uberè reddebat Nilus. Locus de fertilitate Aegypti, quæ etiã reliquis hiſtorijs nobilitata eſt, ut celebre multarũ gentiũ horreũ Aegyptios omnia mẽſe ſerere ſcriptores teſtantur.*

Elegitq; Loth.] *ductus amœnitate loci: ſed qui delectus ei calamitatẽ attulerit. Captus enim infrà ab Aßyrijs unà cum Sodomitis legitur.*

In terra Chanaan.] *Iſi bi promiſſa.*

Homines autem Sodomitæ.] *Ezechiel enumerat peccata Sodomorum: Ecce hæc erat iniquitas Sodom ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & ſecuritas pacis erat ei, & filiabus eius, & manum pauperis & egeni non apprehendit. Propheta luxus et ſuperbiæ cauſas reijcit in opes & res tranquillas, quas cauſas paulo ſuprà Moſes quoq; retulit: Quæ uniuerſa irrigabatur ſicut paradiſus, & ſicut Aegyptus. Atqui in cauſis his penſitandis conſideranda erit calamitas conditionis peccato obnoxiæ, qua optimis quibuſq; cœli & terræ dotib. ad luxũ, niſi in timore Dei uerſemur, abutimur. Separãdæ ſunt res bene à Deo cõditæ ab affectib. & de utriſq; rectè diſſeretur, ſi cœli & terræ munera in bonis rebus ducemus: uitia quibus illis abutimur, in malis numerabimus. Huc ſpectãtes ij qui præclaras cõſtitutas reſp. deſcribunt, agros cõmendant qui uictũ ſuppeditant temperatũ, neq; αὐχμώδη ὄρη, neq; τυφοβόλα: id eſt neq; illiberalẽ ac parcũ, neq; cum luxu cõiunctum. Hi expendũt quæ mala rebuſp. nimiæ copiæ afferãt & quæ bona temperãtia. Verè ergo Græcus Poeta:*

τὸν ἢ σώφρονας θεοὶ φιλῶσι.

Peſsimi erant.] *Vbi ergo iuſticia Dei habebit locum, qui peßimis optimum agrum quem incolant tribuit: & ſuos, exules in certis ſedibus uagari permittit? iuſticia dei in eo appareat, quòd ſceleratos meneribus & beneficijs, ſi abutuntur, perdit, & ſuos uarijs calamitatibus probatos diuites reddit. Exemplo his Sodomitæ, & Abrahamus ipſe cum ſuis poſteris. Quòd ſi id in præſenti ſæpe mundo non contingit, in altero continget, in quo Deus æquitatem ſuam in probos, & ſeueritatem in improbos ſua bonitate in hoc ſeculo abuſos declarat.*

Coram Domino.] *ſine metu iudicij diuini. Contumacia reprehenditur.*

Dixitq; Dñs ad Abrahã.] *ut iam diſceſſiſſet Lothus. Repetitur promißio Chananææ ad Abrahamũ, cuius Lothus nõ erat ſcribẽdus hæres. Duo hic promittũtur: unũ terra eſt, alterũ ſoboles numeroſa.*

Ad Aquilonem.] *ubi Sidon & Libanus.*

Et meridies.] *ubi deſerta Arabum.*

Ad Orientem.] *Euphratem.*

Et Occidentem.] *mare mediterraneum.*

Mamre.] *Amorræus fuit. ut infrà: In conualle Mambræ Amorræi.*

Quæ eſt in Hebron.] *urbs uetuſtiſſima Iudææ, ut ciuina Hieroſolymis. Binominis fuit hæc urbs: alterum nomen uetuſtius* קרית ארבע *ut legimus in Ioſua.*

Nomen Hebron antea uocabatur Ciriatharbe. alterum recentius, Hebron, quæ ciuitas profugorum & Leuitarum fuit.

IN CAPVT XIIII.

FActum est autem in illo tempore.] Narratur bellũ ortũ inter reges Assyriorum & Sodomitarum, notato tempore & loco. Constitutis igitur regnis per sparsas iam in orbe terrarum à diluuio nationes bella primùm iure gentium exorta sunt. quæ si libidine animi suscipiuntur, hac parte principem mundi satanam, primum in mundo homicidam autorem habent.

Amraphel.] Hebræis nonnullis Nimrodus est. utcunq; res habet, rex Babel fuit.

Sennaar.] Hæc Babylonis terra est. Suprà: Fuit autem principiũ regni eius Babel in terra Sennaar.

Rex Ponti.] Heb. אלסר non Ponti habet.

Elam.] Elamitæ sunt Persarum populi.

Rex gentium.] Sunt qui putant גוים nomen regionis esse uicinæ regnis hic commemoratis. Vox ea primùm hic usurpatur.

Contra Bara.] Quatuor reges armantur aduersus quinq; regulos Sodomorum.

Segor.] צער, Duplex igitur nomen est huius urbis, alterum צער alterum Bela.

In uallem syluestrem.] agris bene cultam. quod est שדים. sunt interpretes qui שדים non a שדה quod agrum cultum notat, ducunt: sed à שיד id est cinere, calce ac bitumine: quòd hæc uallis bitumine, ut mox legetur, abundarit.

Vbi nunc est mare salis.] in quod frugifera uallis conuersa incendio cœlesti fuit. More linguæ Hebrææ ים pro mari, lacu ac palude sumi, notum est.

Duodecim eñ annis.] Exponuntur causæ belli, quæ duæ sunt: altera prauitas, & uita omni libidine & luxu perdita. quæ paulo suprà exposita est, Homines auçm Sodom. &c. Altera, defectio est quæ hic explicatur, Sodomitarum. Hanc obseruant reges terræ, qui suas cupiditates sequuntur: illam Deus, qui bella excitat, quibus puniat impios, ad conseruandam iusticiam. quod etiam poeta intellexit,

ζοὺς ὃς ἀνθρώπων τρισσὰς πολέμοιο τέτυκται.

Tres enim communes orbis terrarũ clades sunt, quibus Deus in malorum scelera animaduertit, bellum, fames, pestilentia.

Seruierant.] tributum pendentes.

Et percusserunt Rephaim.] Græci γίγαντας Chaldæus גבריא, id est, potentes. interpretes alij רפאים appellatos putant, quòd præ pauore animus ijs concidat ac moriatur, qui illorum uastam corporis molẽ cõspexerint. Nam ea uox etiã בתים, id est mortuos interdum significat, ut in Iobo רפאים יחוללו alij potètes homines רפאים dictos uolũt, quasi euersatores patriæ. Nam quid significet רפא, satis manifestum.

Astaroth.] ciuitas in tribu Manassæ, olim Oggi regis regia.

Et Zuzim.] Græci, καὶ ἔθνη ἰσχυρά, Et gentes fortes. Similiter Chaldæus: וית תקיפיא. Sunt qui putant eosdem esse qui זומזמים, de quibus infrà Moses meminit.

Et Emim.] Edomitæ occuparunt ea loca postea, sic ut uolunt à terrore quem incuterent appellati, אימה enim uox nota. Apud Græcum poetam Vlysses sibi cor cõcidisse dicit, Polyphemi gigãtis portentosa corporis uastitate conspecta.

ἠμὲν δὴ αὐτε κατεπλάγθη φίλον ἦτορ,
δείσαντων φθόγγου τε βαρυῦ, αὐτόρ τε πέλωρον.

In Sabe.] Similiter Septuaginta, ἐν σαυη, pro loci proprio nomine. Nonnullis campus.

Et Chorræos.] חרי patre לרטן ortus. ab hoc Horræi, qui à posteris Esai de monte Seir profligati sunt.

Pharan.] Huius deserti meminit infrà in Numeris Moses.

Ad fontem Mispat.] Interpretes quidam tradunt locũ eum appellatũ עין משפט, id est fontẽ iudicij, propter controuersiam de aquis quæ posteà ibi accidit, de qua infrà Numeri 20.

Cades.] de qua in eodem loco.

Amelechitarũ.] Nomina hic usurpãtur, quæ tẽpore Mosæ usurpata fuerũt, nõ quo hæc gesta sunt, quo Amelechitarum nondum nomen ullum fuit.

In Asa Sonthamar.] חצצון תמר ciuitas quæ in Paralipomenis appellatur עין גדי. Essenis tributa oppidum secundum ab Hierosolymis fertilitate palmetorumq; nemoribus, nunc alterum bustum. Plinius libro quinto cap. 16.

Vallis autem Syluestris) שדים.

Habebat puteos multos.) Rectè uertit Hebraicam anadiplosin באר באר. De his puteis apud Strabonem uideris. Cum adhuc Sodoma floreret, uallis hæc solum puteos habebat plenos bituminis: posteaq; uerò illa subuersa fuit, uallis lacus effecta est, quæ à Græcis dicitur ἡ θαλάττης, paulo suprà mare salsum appellatur. De quo lacu rerum scriptores mira referunt. Ab hoc nullius animantis corpus recipi ferunt, tauros camelosq; in eo fluitare. Hinc fama est in eo lacu nihil mergi.

Nec nõ & Loth.] Narratiũcula capti Lothi, quæ causa militaris expeditionis Abrahamũ exponitur.

Filij fratris sui.] Haranis.

Qui habitabat in Sodomis.] bonos cum malis mixtos unà plecti, bello nemini parcente. Hinc àpoetis Mars stultus & iniustus fingitur, & Mineruæ, id est sapientiæ diuinæ inuisus. ut uates ille,

ἄφρονα τοῦτον ἀγέντες, ὃς ἴστιν οἶδε θέμιστας.

Abraham Hebræo.) Interpreti עברי gentile nomen est ab Hebre deriuatum Græci τῷ περάτην, id est transuadanti. Hos sequuntur qui Abrahamum Hebræũ ab Euphratis transitu appellatum dicunt.

Amorræi.) Paulo suprà etiam Amorræos percussos legitur.

Hi enim pepigerant fœdus.) Locus de uetustate fœderum. Leguntur hic Amorræi fœdere coniuncti fuisse cum Abrahamo, qui ex Cananæa

næa excindendi erant. Mystica ratio non est in Christo obscura, in quo neque Cananæus, neq; Amorræus, neque Græcus, neque Iudæus est, sed noua creatura.

Quod cum uidisset Abraham.) Alter locus, qui expeditionem Abrahami aduersus reges susceptam, & eorum uictoriam continet. Noua tentatio, quæ ab hostibus sancto patri oboritur, ne eius fidei exercendæ ulla materia deesset. Præluditur hic bellis quæ posteris Abrahami non sine typis rerum futurarum sustinenda erant ab Assyrijs, Babylonijs, et cæterarum gentium regibus.

Captum Loth.) Causa expeditionis. Locus memorabilis, & sanctis causam esse belli gerendi, sed quod fide geratur, & in uetere populo figura rerum futurarum non caruerit.

Fratrem suum.) Fratrē uocat, qui filius fratris erat: sicut Saram sororem suprà uocauit, quæ filia Haranis fratris Abrahami erat, habens Theram auum, quem Abrahamus patrem. itaque cum aui patres nepotibus æquo iure sint atque parentes qui genuerunt, Abrahamus hic Lothum fratrem suum agnoscit, & patrem eius Theram.

Expeditos.) חניכיו, id est, imbutos & initiatos disciplina & moribus suis ad omnem uitæ usum. Huiusmodi sonat חנך quod est initiare ac consecrare. Hoc modo חניכה tribuitur uasis sacris, & ipsis aris in sacrum usum consecratis.

Trecentos decem & octo.) Ex tam exiguo exercitu laus uictoriæ Abrahami amplificatur, qui paucis armatus, tam potentes hostes fuderit: sed hæc omnia facta, quo maior Dei potentia appareret. Ad amplificandam uictoriam facit, quòd exul potentissimos reges, qui iam fortissimas gentes, Edomitas, Amelechitas, Ismaelitas, Madianitas, postremò etiam quinq; reges uicerant, deuicit.

Vsq; in Dan.) qui terminus Cananææ septentrionalis fuit.

Et diuisis socijs.) ut in iam palantes, & à uictoria securos irrueret, qui sciret securitatem insidijs opportunam esse.

Nocte.) apta insidijs. Nec sanctus uir militaris disciplinæ artes neglexit, quod cum fide eius non pugnabat, quæ res ad uictoriam commodas non aspernatur, ne uideantur pij tentare Deum.

Percussitq; eos.) Exemplum insignis uictoriæ Abrahami, in qua prælusum uictorijs quas eius posteri de gentibus erant reportaturi. Non diu potiti sunt uictoria reges. qui paulo antè uicerant, iam ab inermi Abrahamo uicti sunt. Hæ sunt uices iudiciorum Dei. Hinc rectè Mars ἀλλοτρόσαλλος dicitur.

Vsque in Hoba.) Incertum quis locus fuerit. Sunt qui putant eandem cum Dane esse. Quod si ita est, uaria nomina Danis urbis fuerunt, quæ etiam לשם לישׁ à Iosua appellatur. postremò à Philippo tetrarcha Herodis filio in honorem Tiberij Cæsaris Cæsarea Philippi uocata. quæ & Pannea nominata fuit.

Damasci.) Vetustissima urbs ad Libanum sita, metropolis Syriæ.

Et Lot fratrem suum.) propter quem bellum susceperat. Exemplum curæ diuinæ quæ in pios geritur, quos nouit Deus præter omnem expectationem humanam ex maximis periculis cum Lotho liberare, & etiam malis propter eos benefacere. ut hic Sodomis propter Lothum benefecisse legitur. Ex quo cognoscitur, improbos probis debere, quòd eis in hoc mundo benefit à Deo: propter probos, qui fundamentum mundi sint, seruari ad tempus, tantisper nimirū dum non implerint scelerū mensuram.

Quæ est uallis regis.) Chaldæus significat in eo campo stadium regijs equis designatum fuisse, in quo decurrerent.

At uerò Melchisedec.) Locus de Melchisedeco, qui docet quomodo ab eo Abrahamus à parta uictoria benedictus sit. Atque is de sacerdotio & regno Christi mystica præludia continet, quæ Apostolus in Epistola ad Hebræos exponit. Quantum autem ad præsentis narrationis explicationem attinet, in Melchisedeco quatuor expenduntur: nomen, locus, conditio, genus. Nomen quidē, qui sit uocatus מלכי־צדק, quod sonat regem iustum. Locus autem, qui in Salem regnarit, quæ ueteribus interpretibus & paraphrasti est Hierosolyma, qui uertit מלכא דירושלם. Cōditio uerò, qui rex fuerit & sacerdos altissimi. Quod postremò ad genus pertinet, neque quibus parentibus natus sit, neque dierum uitæ eius initium cognoscitur, ut qui sit ignoti patris, ignotæ, ut Apostolus ait, matris, ignoti generis, neq; initium, neque finem uitæ eius historia explicante. Si Christum contemplere, ea in hoc uerè cernuntur, quæ mystica ratione in Melchisedeco spectantur. Quantum enim ad nomen attinet, Christus Melchisedecus uocatur, qui non solum rex iustus sit, sed etiam talis qui alios iustos reddat. ut Iesaias dicit: Seruus meus iustus, in scientia sua iustificabit multos. Si Salē ciuitas spectetur, is rex cœlestis Hierusalem rex est, quæ æterna pace floret: sin conditio, Christus utraque, & regia & sacerdotali, dignitate præstat, qui semel oblato se ipso in hostiam pro peccatis mundi, orat pro transgressoribus, & suis benedicit: hoc est opes regij & sacerdotalis spiritus largitur, necnon & genere Melchisedecus filium Dei refert. Nam Christi genus naturæ ignotum est, neque initium, neq; finem habens, ut meritò canat psal. Tu sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedeci. Non dicit, Secundum ordinem Aaronis, qui nimirum benedictus, qui decimatus sit in Abrahamo à Melchisedeco, cuius genus notum sit, quique initium habeat. Vnde colligit Apostolus sacerdotij legalis imperfectionem, & præstantiam sacerdotij Christi, quod abrogando aliquando sacerdotio Aaronis debuerit succedere. Atque in hunc modum structis enthymematis, argumentatur: Leuiticum sacerdoticum benedictionem accepit à sacerdote Melchisedeco, ergo minus fuit.

Alterum

Alterũ enthymema: Decimatus est Leui in ipso Abrahamo à Melchisedeco, Christi ergo sacerdotium præstãtius est, q sit uerus ille Melchisedecus cui Abrahamus decimas dedit: & Leui qui decimatus est, sacerdotium imperfectius habendũ, atq; ita non satis id ad placandum Deum fuisse existimari debere. Tertium: Si transferri debuit sacerdotium Leui, & succedere sacerdotium Christi, legem quoq; transferri oportuit, & nouam legem quæ in tabulis carneis scriberetur, sanciri, quòd translato sacerdotio, translato regno, & republica, transferri etiam necesse sit leges.

Proferens panem.] quo reficeret iam de pugna et itinere fessum Abrahamũ. Psalmus: Et panem qui cor hominis confirmet. Remoue typũ. Legimus apud Ioan. de pane quem noster Melchisedecus ad suos recreandos affert: Ego sum panis uitæ, qui ex prælio potestatum tenebrarum, fatigatos reficio.

Et uinum.] de quo Dauid: Et uinum quod exhilarat cor hominis. Deposita umbra in Propheta legis: Venite, emite absq; argento uinũ. Cæterũ aduersariorũ errorem, quem de sacrificio corporis & sanguinis Christi ex hoc loco confirmant, nihil attinet refutare, iam pridem abundè satis refutatũ ab alijs. Si sacerdotis est, offerre Deo in sacra cœna aliquid, quæritur iure quid offrant. Dicas, panem & uinum offerre: at hic nõ legitur Melchisedecus obtulisse tãquam sacrificium panem & uinum, sed iussisse proferri uelut ex promptuario panem & uinum, quo reficeretur exercitus Abrahami. Præterea Christus nõ legitur obtulisse panem & uinum, sed distribuisse suis discipulis: neque iussisse ut Ecclesia in posterum offerret, sed in monumentum & memoriam diuideret, non in usum sacrificij offerret. Sed dices, Christũ iussisse ut offeratur eius caro & sanguis. At ad hoc probandum, neq; Melchisedeci exemplum, qui non legitur obtulisse corpus & sanguinem, neq; mandatum Christi quicquam faciet, qui uissit edi panem, & bibi uinum ad memoriam sui corporis & fusi sanguinis pro peccatis mundi, non offerri neq; corpus neq; sanguinem.

Et hic erat sacerdos.] Conditio uitæ exponitur. Apparet ad hunc diuertisse Abrahamum, primò ut sacrificium Deo ex religione gratiarum actionis pro uictoria faceret: deinde, ut ex eo de rebus sacris amplius admoneretur.

Dei altissimi.] non deorum quos Babylonij, Assyrij, Cananæi, Aegyptij, Sodomitæ colebant, quorum religione relicta, is rex Salem iustus Deum supremũ coluit, ut eum Noa & sancti patriarchæ qui ante diluuium uixerunt, coluissent. Vnde uerisimile est, hunc Melchisedecum Semum fuisse filium benedictum Noæ, qui isto tempore adhuc uixit. Et uocatur Deus, cuius sacerdos fuit Melchisedecus, altissimus, qui omnibus quæ cœlo, terra, abysso continentur, dignitate naturæ, sapientiæ & potentiæ præstet, quiq; in omnia suprà & infrà imperiũ teneat, humilia efferens, & sublimia deijciens. Exemplum in præsente historia extat. Typi uincendi aliquando superbi Assyrij, & Babylonis delendæ, hic præformantur. De Assyris superbia in Propheta legimus: Dixit enim, In fortitudine manus meæ feci, & in sapiẽtia mea intellexi. De Babylonis uerò fastu: Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo. Quam superbiam cum non ferat Dominus, qui ipse solus excelsus, neq; superiorem, neq; parem habens, haberi uelit, & debeat, hic legimus, Dei altissimi. Itaq; hæc appellatio omnes deos alienos tollit, & omnem potentiã uanam declarat, quæ se Deo, quem is sacerdos colebat, opponat.

Benedixitq; ei.] celebrãs in Dño eius fidẽ, et res gestas, et ei bene precans: idq; nõ leuiter et uulgari modo, sed sacerdotali munere dei. de quo suo loco.

Qui creauit cœlum & terram.] Breuis descriptio Dei uulgaris prophetis. קרא in Hebræo est: Qui posidet cœlum & terram, iure uidelicet creationis. Eius enim rei quisq; dominus est quam fecit.

Laudem concinnat Abrahamo ex præstantia autoris uictoriæ. Nostro interpreti similiter Græci, ὃς ἐπέστρεψε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Cum possessorem cœli & terræ uocat Deum, significari uult ab eo tanquam à patrefamiliãs omnia gubernari, cœlum, terram, genios cœlestes, homines in terra uersantes, regna, & qui regnis parent homines, necnon tyrannos orbis, & principem mundi qui illos agit, & omnia, Dei imperio subiecta esse.

Et benedictus Deus.] laudatus. Munus sacerdotale in Melchisedeco exponitur, quod est, opera Dei laudare, & Deo ipsi gratias de beneficijs redemptionis agere.

Quo protegente.] nullo præsidio mundi. Victoriæ gloriam tribuit Deo, in cuius pectore sententia illa uigeret, Salus iustorum à Domino: quæ fide usurpatur. Exemplo hic Abrahamus.

Et dedit.] Abrahamus nimirum, ut Apostolus in epistola ad Ebræos indicat.

Decimas.] quòd Melchisedecus Dei sacerdos esset, cui decimæ congruerent. Locus de uetustate decimarum, quas postea Moses lege comprehendit.

Animas.] Græci τὰς ψυχὰς, homines.

Leuo manum.] Iurantis habitus, qualem etiam tribuit suo quem inducit principi Græcus uates: τοῖσι δ' ἀτρεΐδης μεγάλ' ὄμνυτο χεῖρας ἀνασχών. ἰσὸν πάτερ.

Possessorem cœli & terræ.] Fides iurantis notatur, qua cognoscitur dominus cœli & terræ. Pars ergo cultus Dei est iurare per nomen, in quo summus Deo honos tribuitur. Iurarint igitur cum Abrahamo uerè soli pij, impij non item. ut Oseas: Neq; iuraueritis, dicit Dominus. Legitur hic ad Iehoua, non ad ullam creatam naturam manum leuasse.

Ne dicas scilicet, Ego ditaui.] Liberalis animi & fidei in Deum exemplum in Abrahamo patre fidelium, quorum animos quoq; exemplo illius auaritia, ambitione, inuidia, cæterisq; cupiditatibus uacuos esse decet. Cæteri principes ut fines regni sui proferant,

proferant,ut opes accumulent,ut ulciſcendi cupiditatem expleant,bella gerunt: ſanctus Abrahamus bellum hic ſuſcepiſſe legitur, ut Lothum iuſtum à ui regum ad amplificandum Deum cœli & terræ poſſeſſorem uindicaret.

Abraham.) quem Dominus cœli & terræ poſſeſſor ex promiſſo ditet. Vtriq; ergo gloriã dignitatis diuinæ dat Abrahamus:patri Deo, & Chriſto filio in Melchiſedeco repræſentato,cum alterum poſſeſſorem cœli & terræ,alterum ſacerdotem ſummũ ſummi Dei agnoſcit,à quo benedici ſuſtinuerit,& ei decimas dare nõ recuſarit. Chriſtus enim qui eſt hodie et heri,ab initio per fidem adoratus fuit,& glorificatus, qui dicit in Ioanne: Antequã Abrahamus fuit,ego ſum.

IN CAPVT XV.

NOli timere.) de ulla ui hoſtili. Hortatio plena conſolatione,ex locis uoluntatis & facultatis inſtructa. Quid timuerit Abrahamus,de quo Deus ipſum confirmarit,narratio clarè nõ explicat,niſi metũ ei orbitas & ſterilis Saræ uterus attulerit, quem Deus pro ſua bonitate eximere uoluerit:aut quia uerebatur ne tã potẽtes hoſtes quos iam uicerat, acceptã ignominiam ulciſcerentur: opus eũ habuiſſe cõſolatione,qui exul & peregrinus inter Chananæos uiueret,omniũ iniurijs expoſitus

Ego.) nemo alius. Ego, inquam, poſſeſſor cœli & terræ, qui tibi fauens,uelim et poſsim te iuuare. A uoluntate cum facultate coniuncta.

Protector huius.) aduerſus omnes tentationes & periculã. Hanc protectionẽ in peregrinatione,in fame,in uxoris raptu,in prælijs iam ſenſerat. Hæc ſunt pugnantis et uincẽtis fidei ſtratagemata.

Et merces tua.) A præmio. Abrahamus qui domum patris ſui reliquit,& regia munera recuſauit, iam Domino ipſo pro mercede ornatur. Hæc ſunt præmia eorum qui mundum hunc fugiunt,et ſequũtur in regeneratione Chriſtũ, in qua præſentis ſeculi muneribus non deſtituuntur, & futuri benedictionem certò accipiunt,ut apud Lucã his uerbis dicit Dominus: Amen dico uobis, nemo eſt qui reliquerit domum,& parentes,etc.qui non receptarus ſit multo plura in hoc tempore, & in ſeculo futuro uitã æternã. Dicat aliquis:Si Deus eſt præmiũ ſanctorũ, & merces,quo igitur infinitũ pro mercede cedet finito? Quamuis Deus infinitus ſit, diſtribuit tamen ſe in remuneratione,nõ infinito modo ſed tãto quãti quodq; Chriſti membrũ particeps ſit. Portio igitur præmij ad rationem accipientis temperatur, Deo ſe communicante pro menſura donationis capitis Chriſti unicuiq; eius mẽbro. Quod legitur hic, Deum eſſe mercedẽ ſanctorũ,primò colligitur quæ ſit illorũ dignitas. de qua Petrus: Vos eſtis conſortes diuinæ naturæ. deinde ex eo participatu ſanctorũ immortalitas cõprobatur,q; Deus non ſit mortuorũ Deus,ſed uiuẽtiũ. demũ efficitur,quoniã uita æterna merces eſt piorũ, non aliam eſſe uitam æternam illorũ, quàm Deum ipſum in Chriſto.unde illa frequentia de huius ſpiritu: Spiritus uitæ per Ieſum Chriſtum. Item:Spiritus autem uita eſt. Itẽ:Spiritus uiuificat. Cæterùm ut hic ſe Deus ſuorum mercedem uocat,ita alijs locis ſe חלקי id eſt partem & hæreditatem appellat. de quo alias.

Dixitq; Abraham.) Exponit Abrahamus grauem de liberis,quibus carebat,tentationem promiſerat Dominus terram in hæreditatem, & aberant hæredes liberi:promiſerat copioſam ſobolem.Sua autem & uxoris Saræ ætas huiuſmodi erat,ut numero ſa proles non ſperaretur.

Ego uadã abſq; liberis.) Similiter Græci,ἄτεκνος Hebræa uox עקרים à uaſtãdo ducitur, q. d carent liberis, perinde habeant atq; ſi uaſtati ſint & euerſi. Hinc apud Poetam uiduæ domus deſtituta marito & liberis,παιτελὴς δόμος appellatur.

Statimq; uerbum Domini.) Conſolatio Abrahami.

Non erit hic hæres tuus.) qui è ſerua ſeruus natus ſit,cui hæreditas non conueniat. Quod Dominus alicubi interpretatur in Ioanne: Seruus non manet in domo domini in æternum. Et Apoſtolus: Nõ accepiſtis ſpiritum ſeruitutis ad timorem.

Sed qui egreditur de utero tuo.) Remoto typo,ſi intueare ſobolẽ ſpiritualem,legis in Ioãne:Sed filius manet in domo patris.

Eduxitq; eum foràs.) Alij dicunt hæc cõtigiſſe in prophetico uiſo. alij interpretantur hiſtoriam eſſe facti: quod uerius eſſe puto.

Suſpice cœlum.) Repetit ampliſſimæ ſobolis promiſſionem. Hanc ſuprà pulueri terræ,hic cœli ſtellis comparat. Apparet myſterium hic indicari,de quo Apoſtolus ad Corinthios:Seminatur in ignominia,reſurget in gloria. Item: Alia quidem cœleſtium gloria,alia uerò terreſtrium. Item:Stella differt à ſtella in gloria. Et Daniel: Fulgebunt iuſti ſicut ſtellæ. Itaq; cum duplex ſit ſtatus filiorum Abrahami,alter ignominiæ, alter gloriæ,uterq; hac comparatione uidetur ſignificari. Ignominiæ quidem comparatione pulueris, gloriæ uerò collatione ſtellarũ cœli quibus notãtur ſtellæ.de quib. Apoſtolus: Sicut ſtella differt à ſtella claritate, ita ſancti à ſanctis in gloria. Comparantur autem ſancti ſtellis partim ob claritatem quam habent partim ob numerũ. Nam ut ſtellas nemo numerarit ita nec ſacræ ſobolis Abrahami numerum quiſquam inierit,ſicut hic Dominus ad Abrahamum dicit: Suſpice cœlum.

Hic igitur ſub typo carnalis ſobolis,ea quæ ex ſpiritu & promiſſione Abrahami ſoboles eſt, & ea quidẽ numeroſa ꝓmittitur: unde etiã quã ampla electorũ ad uitam & participatum regni cœleſtis eccleſia ſit, facile intelligitur. Huius autem amplitudinem, partim clementiæ diuinæ magnitudo, partim meritorũ mortis Ieſu Chriſti præſtantia, partim ratio quaidem Dominus noſter Ieſus Chriſtus uniuerſæ perfectionis ſpiritualis caput conſtitutus eſt, corpus ſuæ magnitudinis capax requirens, comprobat. Si Dei clementiam ſpectemus,hac ut multi ſeruentur,

uentur, non pauci, declarant sacræ literæ quæ ad seruandum, quàm ad perdẽdum promiorem Deum esse testantur. Etenim is de se apud Mosem his uerbis prædicat: Dominus misericors & clemens, ad iram tardus, ad benignitatem & fidem propensus. Apud Iesaiam uatem fatetur se alienum opus facere, si puniat, nostris uitijs offensus: suũ uerò, si benignè agat. qui etiam dicat apud Ezechielem se mortem & exitium improborum non expetere, sed potius cupere, ut ad se redeuntes uiuant. Eódem ille spectans confitetur in altero Mosæ libro, se in mille ætates clementiam uti crimina & delicta condonantem: in pœna autem irroganda parentum culpam in natos & nepotes ad tertiam & quartam progeniem persequi. Vnde efficitur, quum longius bonitatem suam Deus ad seruandum, quàm ad perdendum iram extendat, hunc non paucos, sed multos conseruare uelle. Porrò si is sua clementia commotus mundum hunc condidit, & in eo hominem ad imaginem suam factum, qui illius princeps esset, collocauit: eiusdem sane suæ bonitatis fuerit, non exiguum hominum beare uelle numerum, sed magnum. Is si fatetur à se omnes in diffidentiam cõcludi, ut omnium misereatur: consequitur sanè, hunc potius elaborare, ut plures per clemẽtiam suam seruentur fide, quàm per inclementiã contumaci perfidia pereant, postquam ei ab æternitate usum est, per iniustitiam iusticiam, per iram gratiam, per mortem uitam declarare, & filium suum unigenam in mundum mittere, qui non iustos, sed iniustos ad ueram iusticiam conuerteret, & mortuis uitam daret. De qua ratione declarandæ clementiæ diuinæ his uerbis Ioannes: In hoc charitas Dei apparuit erga nos, quòd filium suum unigenam misit Deus in mundum ut uiuamus per eum. Hæc breuiter de persona Dei misericordis, ut inde eorum qui seruabuntur multitudo comprobetur, monuimus. Quantum deinde ad mortis Domini nostri Iesu Christi merita attinet, quàm latè hæc pateant, ad augendum beandorum numerum, Apostolus Paulus his uerbis demonstrat: At non ut peccatum, ità et donũ. Nam si unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum per gratiam quæ fuit unius hominis Iesu Christi, in multos exuberauit. Item: Itaq; sicut per unius delictum propagatum est malum in omnes homines, ad condemnationem: ita per unius iustificationem propagatur bonum in omnes homines, ad iustificationem. Ex quib. uerbis intelligimus, non paucos, sed multos ad amplificanda sanguinis Iesu Christi merita salutem nanciscì, & quidem omnes, qui nõ eo modo quo satã à Meßia promisso salutis comparandæ semine conterendus, deliquit, sed quo Adamus promissæ sobolis particeps peccauit, delinquunt. Quàm dißimiliter autem in Deum cõmiserint, serpens satan uelerator & Adamus, sententia diuina in utrumq; lata, & suprà expositа, documento est. De multitudine autem eorum qui non diaboli & Caini, horumq; similium exemplo exitio deputati sunt, sed in Christo culpæ ueniam à Deo patre impetrant, uates Iesaias quoque in hunc modum monet: Et in scientia sua iustificabit seruus meus multos. Sed qua scientia? Scientia fidei meritorum mortis illius. ut apud eundem prophetam legitur: Attritus est propter scelera nostra. Ideo Dominus noster de sanguine suo piaculari sic loquitur: Qui pro multis effunditur. Multi igitur erunt quos sacer agni sanguis ab interitu & morte uindicabit, non pauci. Qui numerosa illa soboles sunt Abrahamo promissa, quam non magis quàm terræ puluerem, arenam maris, stellasq; cœli numeres. Quò pertinet etiam illud ex eodem uate Iesaia: Generationẽ eius qui enarrabit? Vbi דור pro hominibus per successionem propagandis, & in amplam familiã Christi regenerandis, non uulgares interpretes accipiunt. Hæc longè lateq; propagata stirps Ioanni in Apocalypsi sua apparuit, qui agni redempta sanguine centum quadraginta millia ex omni tribu Israelitica uidisse se fatetur. Hi autem numeri, millenarius uidelicet & duodenarius, ut perfectæ numerationi mensioniq; congruant, non est huius instituti eius rei explicatio. Neq; hoc numero contentus Ioannes, post eum uidit etiam turbam magnam quam nemo recenseat, ex omnibus gentibus, populis et linguis tenentem manibus palmas, & amictam stolis albis. Quæ uictrices palmæ, & albæ stolæ ex puriputi sanguinis Christi meritis partæ, declarant Messiæ regnum longè augustißimum esse, ne satan glorietur cum Antichristo filio suo, potentiam suam latius ad perdendum, quàm Christi ad saluandum patêre: id autem contingeret, si multi maledicti maledictum serpentem, pauci autem benedicti ab æterno benedictum Christum regem tandem adorarent. At non paucos hunc regem, cui pater omnem potestatem cœli & terræ dedit, adorare illa apud Dauidem uatem uaticinia confirmant: Adorabunt te omnes familiæ gentium. Item: Adorabunt te omnes habitatores terræ. Id autem accidere sacrosancti sanguinis Meßiæ beneficio atq; merito, is ipse testatur, ubi ait: Ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me. Hæc de meritis, postremò multitudinem eorum qui ad possessionem regni cœlestis destinantur, capitis Iesu Christi, & corporis in electorum eccle sia ratio comprobat. Nam par est caput in quo uniuersa perfectio spiritualis uersatur, amplißimum corpus ex uarijs & multiplicibus membris, quæ pulueris terræ, arenæ maris, stellarumq; cœli numerum æquent, conflatum habere. Nam si perfectio spiritualis tota in Christo uersatur, & eius quoq; ecclesia pro ratione corporis quod πλήρωμα capitis sui appellatur, capax est, concluditur, necessariò nõ ex paucis, sed pluribus, quorum numerum mente minimè complectaris, membris corpus illud ecclesiam coagmentari, quorum quidem singula singulas, uniuersa uerò uniuersas sacri spiritus dotes accipiant. Huc referuntur promissa illa liberalia: In semine tuo benedicentur omnes gẽtes. Dabo tibi gentes hæredi-

reditatẽ. Hoc aũt semẽ Messias est omnis benedictionis uitæ, iusticiæ, sapientiæ, gloriæ caput, in quo omnes familiæ atq; nationes gentiũ beandæ dicuntur. Dicas, beãdos appendi, nõ numerari: & quia pauci electi, multis abiectis repudiatisq;, dignitate & precio præstãt, ideo amplitudinẽ regni Christi nõ numero, sed pondere æstimari. Numerũ etiam ac multitudinem in rationem diuinam uenire, prolixa Abrahamo prõmissio facta, & ex sacris literis loca iam citata docent. Si Salomõ ille ueteris fœderis in Israelitas ex carne, quorũ maximus numerus erat, regnasse legitur: quanto uerius Christus, Salomon noster cœlestis, cuius ille tenuem umbram prætulit, ingentem Israelitarum, qui ex spiritu tales sint, uim & numerum reget atq; moderabitur? In Prouerbijs Salomonijs legimus, in eorum qui imperio parent, copia regis amplitudinem atq; maiestatem cerni. Sic enim ait ברב עם הדרת מלך, nec nostro regi, in cuius femore scriptum est, Rex regum, & dominus dominantium, hac copia eorum qui suo imperio obediẽt, carebit. Ingens Israelitarum exercitus sub signis sacri fœderis militans à Mose describitur. Quorũ aũt Israelitarũ exercitus, Israelitico exercitu repræsentetur, non opus est indicare. In cœlis suũ exercitus, legiones, myriades angelorum describuntur. At si illorum tanta multitudo est, quanta scriptorũ in cœlo hominum, propter quos angeli ipsi eorũ ministri spiritus cõditi sunt, futura erit? At dicat hic aliquis: Si tantus numerus eorum est qui salutem in Christo adipiscentur, quid ergo faciemus huic loco, Multi uocati, pauci electi? Si hunc locum ita accipiendũ putemus, ut omnino anxiè obseruatis literis pauci ad uitã, multi uerò ad mortẽ & exitiũ destinari existimentur, huic interpretationi ex sacris literis de electorum multitudine iam adducta testimonia refragabuntur, propositæ quæstioni ad locorũ in speciem dissentientiũ concordiã componendã, bifariã occurritur. Vno modo, cũ citatus de exiguo electorũ numero per cõparationem explicatur, omnino quidẽ multos esse electos, sed paucos, si cum ijs qui selecti non sint ad uitam quam in Christo obtineant, conferantur. Hæc uulgaris huius sententiæ expositio est. Altero modo occurritur ab ijs qui alienum à magnitudinẽ clementiæ diuinæ, & amplitudine meritorum mortis Christi esse putant, confirmare simpliciter, paucos esse qui tandem seruentur, multos autem qui pereant: longeq; eorum qui satanæ regno comi nentur, numerũ copiosiorẽ esse, quàm eorũ qui Christi imperio comprehenduntur. Non enim concedendum, Dei iram latius quàm clementiã, mortẽ quàm uitam, improbitatem à primo Adamo contractam, probitate & iusticia per alterũ Adamũ allata, latius patêre, lõgiusq; se extendere. Quod ut absurdũ uidetur ad confitendũ, ita in explicanda paucitate electorũ adhibendã certã fidei normã esse, ad quã examinatis libratisq; in speciẽ contrarijs sentẽtijs, sic exiguus eorum qui seruantur numerus statuatur, ut tamen nihil de bonitate diuina, et de beneficiorũ mortis & excitationis è mortuis Iesu Christi præstantia detrahatur. Hoc autem incommodum caueri, si repudiationis & reconciliationis, excæcationis & restitutæ Euangelij lucis temporibus expensis animaduertamus, quos Christus & quod tempus respexerit, cũ dixit, multos uocatos esse, paucos electos: Israelitas ne, an gentes, an utrosq;, & quod tẽpus, reiectionis ne an reconciliationis spectarit. Nã hæc duo tẽpora, reiectionis uidelicet & receptionis in gratiam tẽpora in decretis Dei cõsignari, ex prophetis et noui fœderis scriptura liquidũ est, et suis locis ostendetur. Quod ad personas attinet, quæ in parabola designãtur, primò Christum Israelitas ut naturalem oliuam, deinde gentes spectasse ut oleastrum, parabola illa de nuptijs, in qua paucorum electorum fit mentio, comprobat: tum quidem multos repudiationis temporibus ex Israelitica gente ad sacras sub Euangelij concionibus celebrandas nuptias inuitatos, paucos autem electos qui sese additas per fidem charitate imbutam adiungerent, earumq; participes fierent, ueluti id res ipsa & euentus, optimus oraculorũ Dei interpres, monstrat. Vt autem Israelitæ reijciendi fuerint, paucis ad lucem & splendorem illum Euangelij admißis, declarat Christus his uerbis: Eæ relinquitur domus uestra deserta. At uerò si quis etiam alia testimonia requirat, quibus probetur, sententiam illam, de multitudine uocatorum, & paucitate electorum, ad profanationis & excæcationis Israelitarum tempora referendam esse, non promiscuè ad quæuis, Apostolus ipse Paulus clarè id docet, ubi ex Iesaia uate ex tot ad salutem uocatis Israelitis, exiguas solũ reliquias seruari, his uerbis indicat: Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ & secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt, cæteris excæcatis & repudiatis, ex eiusdem uatis oraculo: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè oculis suis uideant, & auribus suis audiant, et corde suo intelligant, cõuertantur, & sanem eos. Sed quid hoc aliud erat, quàm quod Christus antea dixerat, multos uocatos esse, paucos autem electos, qui oblatam salutem amplexentur, & uineam rectè colant, uniusq; gratiæ & clementiæ diuinæ fiducia nixi, non mercedis studio excitati, legisq; iusticia inflati. Quod uerò ad gentes attinet, ut ad has quoq; sentẽtia illa de paucitate electorum pertineat, indicat id quod in parabola de nuptijs post mentionem Israelitarum facta, ostenditur etiam eos qui ab exitu uiarum inuitati erant ad nuptias, sua habuisse uitia, ob quæ è cõuiuio nuptiali sint eiecti. Nam ut multi ex gentibus ad cœlestes nuptias à sponso Christo per euangelij prædicationem Apostolis de mandatam, uocati sint, pauci uerò nuptiali fidei ueste induti ad illas uenerint, si probi qui apostolorum temporibus euangelio fidẽ habuerũt, cum improbis qui nõ habuerũt, cõferantur. Satis est manifestũ, necnõ ut eædem gentes Apostolorũ legatione exacta, pariter cũ Israelitis profanari cœperint, sacerdotio & regno Messiæ

per Antichristũ spoliati, euentus ipse demonstrat: et Apostolus Paulus in epistola altera quam ad Thessalonicenses scripsit, in hunc modũ confirmat: Et patefactus fuerit homo ille sceleros⁹ filius perditus, q̃ est aduersarius, & effertur aduersus omnem qui dicitur Deus aut numen, adeò ut in templo Dei sedeat, ostentans seipsum esse Deum. Hæc impiationis prophanationisq̃; templi tempora nos gentes tam longo tempore experti sumus sub Mahumeto & meretrice illa purpurata, lupis in nos grassantib de quibus his uerbis præmonuit idem Apostolus in Actis: Ego enim noui hoc quòd ingressuri sint post discessum meũ lupi graues in uos nõ parcentes gregi. Hos lupos hodie & pastorem stultum in templo Dei uersantẽ, Euãgelij luce nobis illucescente in profundis tenebris quas aduersarius Christi ecclesiæ offudit, agnoscere incipimus, quum Christus se denuò ostendit, qui se ad tempus subduxerat, ut tenebrarum & errorum occasione, quæ & quanta lucis cœlestis, doctrinæ & ipsius ueritatis dignitas esset, intelligeretur. Etenim solet Dominus ferire, ut sanet: occidere ut uiuificet: in tenebras orci detrudere, ut in iucundissimam lucem reuocet: tramq̃; ad tempus ostendere, ut reconciliationis gratiam quàm suauis sit, declaret. Hinc illa plena consolationis uox apud Esaiam extat ex ore redemptoris Messiæ edita: In momento breui dereliqui te, ut miseratione magna congregem te. momentanea ira uultum meum tibi paulisper subtraxi, ut æterna misericordia miserear tui. dicit regemptor tuus Dominus. Iam uerò si reiectionis Israelitarum & prophanationis gentium sub Antichristo pauci fuerunt electi qui salutarem euangelij lucem intuerentur, plures uerò quos teterrimæ errorum tenebræ occuparent, num ne ideo consequetur, omnibus temporibus paucos tales fore? Absit. Etenim sunt in decretorum Dei tabulis etiam reconciliationis tempora consignata, in quibus ingens multitudo quæ salutem adipiscatur, continetur, ut antea prophanati templi Dei repudiationisq̃; seculis paucitas eorum qui euangelij splendore fruerentur, comprehensa fuit. Quò spectans Apostolus, sic de hac uicissitudine disserit, prophetarum arcana et mysteria explicans: Si lapsus illorum, diuitiæ sunt mundi: & diminutio illorum, diuitiæ gentiũ, quanto magis plenitudo illorum? Hic & lapsus & plenitudinis Israelitarum meminit. In qua comparatione maiorum & minorum, & paucos Israelitas qui seruantur: & multos, qui temporibus reconciliationis salutem consequantur, commemorat. præterea in eadem collatione indicat, restitutionem Israelitarum maximas opes & diuitias euangelij allaturam gentibus fatetur. Vnde illud ex arcanis uaticinijs prophetarum depromptũ: Non enim uolo uos ignorare fratres, mysterium, ut ne sitis apud uosmetipsos elati animo, quòd excæcatio ex parte Israeli accidit, donec plenitudo gentium aduenerit, & sic totus Israel saluus erit. Sicut scriptum est: Aduenict ex Sion ille qui liberet, & auertet impietatem à Lacob. Vides hic non exiguam, sed ingentem multitudinem sub hunc Messiæ aduentum, quem iam sentimus, qui patefactionis euangelij aduentus est celebris in sacris literis, tum ex Israelitis, tum ex gentibus saluandam, quum antea prioribus temporibus ex parte utrisq; salus affulsisset. Quapropter aliud est, si dicas, paucos esse electos, qui aliquando pareant euangelio: aliud, dicere omnino & simpliciter, esse paucos. Quod ut quale sit intelligatur, considerari debet, sacras literas bifariàm loqui de electis: uno modo, quatenus iam euangelij gratiam recipiunt, & suam æternam in cœlo scriptionem per fidem in filium Dei declarant. Hoc modo omnibus seculis quibus in orbe terrarum, aut deest euangelium, satana regnante: aut si non deest, pauci tamen à Deo excitantur, qui in euangelium consentiant, paucos electos esse dicimus: paucos, inquam, qui ipsi præsens sacram doctrinam amplectantur, mundi curis & studijs occupati. Altero modo accipi electos, quatenus ante conditum mundum tales sunt in conspectu Dei, & in Christo ab æterno destinati ad uitam & possessionem cœlestis hæreditatis, cum etiã nondum sunt in rerum natura, cum nondum credunt euãgelio. Sic loquitur de electis suis Christus, ubi dicit se habere & alias oues quæ non sint de ouili Israelitico, significatis electis ex gentibus, nondum euangelij luce illustratis, in ouile suũ sub se pastore reuocandis. Neq; aliter loquitur Apostolus de illis, cum ait: Nondum enim natis pueris, quum neq; boni quippiam fecissent, neq; mali, ut secundum electionem propositum maneret, non ex operibus, sed ex uocãte dictum est illi: Maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau odio habui. Similiter in epistola ad Ephesios: Quemadmodum elegit nos in ipso, antequam iacerentur fundamenta mundi, ut essemus sancti, & irreprehensibiles. Quæ uerba indicant electionem diuinam cuncta antecedere, mundum, nos ipsos & omnia studia nostra. Hoc modo electione expensa, omnibus temporibus magnus numerus potuit esse electorum, qui Deo noti essent, hominibus ignoti. Sicut hodie ex Iudæis, Turcis, Papistis ex omnibus orbis terrarum gentibus fatemur, non paucos Deum pro electis posse agnoscere, qui à nobis qui externam speciem ac formam intuentur, in reiectis habeantur. de quorum numero, statu, futuráque beatitate ille uerè iudicarit, nos non item. qui suorum prædestinationem in Christo, neque ad mundi huius constitutionem, neque ad ullum seculum, neque ad ætatem, sexum, genus, nationem, neque ad ulla elementa mundi alligat, ut minus sint apud illum electi in filio ad uitam qui nondum sunt in rerum natura, nondum credunt euangelio. Idcirco si quis dicat, maiorem numerum hactenus semper fuisse non electorum abhorrentium à uero cultu Dei, minorem uerò electorum qui eidem illi crederent, Christum fide amplecterentur, & sanctitate uitæ exprimerent, rectè quidem & uerè dixerit, si de priore genere electorum loquatur: sin de

alterò, temerè & imprudenter, in quo nimirum prædestinati Deo cogniti sunt, nobis ignorati. Deũ enim solum nosse, quos in amplissimo illo misericordiæ suæ libro consignarit, qui aliquando ad cognitionem salutis in patefacto eis filio perueniant. & quos in tabulis orci & mortis scripserit, ad salutem nunquã aspiraturos. Hic offert se amplissima materia de alienis seruis cohibendi temeriè iudicãdi libidinẽ, & cogitãdi diligẽter quõ in obscuris locis exponẽdis uel præcedẽtia & sequẽtia pensitemus, uel alicunde ex alijs sacræ scripturæ locis prælucente face fidei, lucẽ aliquam petamus quam in præsentes tenebras illustrandas inferamus, ne Dei mentẽ interpretãdis eius oraculis aliter, quàm habeat, alijs iudicemus. Hactenus de loco qui uidebatur angustũ Christi regnũ cõstituere, Multi uocati, pauci uerò electi. quæ nostra interpretatio, si pijs probabitur, erit unde gratias agamus Domino: sin minus, per me licebit ut meliorẽ afferãt eius loci explicationẽ, quã et ipsi grati et memores recipiemus. Equidẽ hæc nullo cũ pijs contendendi studio, sed simplici amplificandi regnum Christi animo per occasionem adduximus. Neq; etiam dubitamus, hanc in nobis uoluntatem probos homines amplexuros, qui facile quantam hæc nostra explicatio ad diuinam bonitatem & ad merita sanguinis Iesu Christi prædicanda, atq; ad prophetarũ oracula intelligẽda nõ sine summa consolatione nostra utilitatẽ afferat perpendent. Post hunc locũ, alius qui æquè eorum qui seruantur paucitatem cõprobat, adducitur ex euangelista, ubi Dominus ait angustã esse portam & arctam uiam quæ in uitam ducat, multosq; per eam ingredi: amplam autem esse portam uiamq; spaciosam quæ ad exitium ferat, per quam multi ingressi pereant. Si hæc sententia uera est, ut est uera, quam Christus extulerit, qui uerè de se prædicat, Ego sum uia ueritas, & uita: ubi igitur illa electorum qui in uitam ingredientur, copia & abundantia habebit locum? In hac seuera & horrenda ueteri homini sententia explicanda, ut minimè dissentiat ab electorum qui seruentur, multitudine, hæc ponderanda fuerint: primò, quæ illa angusta uia sit, quam pauci aut nulli terant: deindè, quæ ampla, quam multi aut omnes ingrediantur, suo malo & exitio: demum ad quos illa sententia spectet, & pertineat. Angusta porta & uia quæ sit, explicat ipse Dominus ubi ait: Omnia igitur quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Hæc enim est lex et prophetæ. Angustam inquam uiam & portam esse quæ in seruanda lege diuina occupatur, ut etiam ipsa lex uia Dei non uno in loco sacræ scripturæ appellatur. Sic enim apud Mosem: Ostendasq; populo ceremonias, & uiam per quam ingrediantur. & in libro Iudicum: Citò deseruerunt uiam quam ingressi fuerãt maiores. Cõtrà lata uia est, quæ in negligenda lege teritur, cum libidini ueteris hominis, quæ in corrupto et mortali corpore aduersus legem Dei in mente scriptam grassatur, paremus. Sed cur altera uia angusta, altera lata dicatur: & quibus altera angusta sit, altera lata & spaciosa, hic quæri solet. Nã cum duplex homo sit, uetus et nouus, terrenus & cœlestis: & utrique sua soboles sita, lteri terrena & carnalis, alteri cœlestis & spiritualis: quæstio hic est, nimne utriusque hominis soboli eadem uia angusta, utrique eadem porta & uia lata esse pronuncietur. In hac quæstione explicanda perpendendum fuerit, quis ortus, & natura, utriusque hominis sit, quidq; inter utrumque inter sit. Deinde sacræ literæ in spiciendæ, ubi ea tractant quæ ad expositionem huius caussæ pertineant. De natura & dissimilitudine utriusque hominis alio loco meminimus. sacrarũ literarũ testimonia, in præsentia tractabimus, & inter cætera ex Apostolo afferemus quæ huc facere uidebũtur. Nã is quæstionẽ hãc enodat & obscuritatẽ eius per collationẽ primi & secundi Adami illuminat, cum in epistola quam ad Romanos scribit, sic ait: Itaque sicut per unius delictum propagatum est malum in omnes homines, ad condemnationem: ita & per unius iustificationem propagatum bonum in omnes homines, ad iustificationem uitæ. Item: Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunus multi, ita per obedientiam unius, iusti constituuntur multi. Ex his uerbis intelligitur clarè, qui per latam uiam contemptione legis diuinæ tendant ad exitium, quibusq; uia ad uitam ducens angusta sit, quibus non item: ijs nimirum angustam esse qui uitiosa origine ex primo Adamo soboles peccato & morti obuoxia nascuntur: hos omnes ut in uitio sunt, ita in spaciosa illa uia ad interitũ tendere. De quibus etiam uates Dauid hunc in modum disserit: dominus de cœlo prospexit in filios hominũ, ut uideret, esset ne intelligens, & Deum requirens. Omnes desciuerunt, & inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, ne unus quidem. Hæc est illa lata uia, in quam multi seu omnes per uitiatam ueterem naturam peccati & mortis miserrima mancipia uertuntur. Etenim in hac caussa idem ualere has uoces, multi & omnes, satis ex Apostoli uerbis liquet. Hæc quidem de primo Adamo, & eius sobole. De altero uerò Adamo & eius liberis è spiritu sacro renatis ad ueram iusticiam & uitam, quid quæso dicemus? his ne etiam probitatis uiam quæ in seruanda legis studio consumitur, arctam & angustam fatebimur esse, & in hac paucos incedere in noua generatione, quam cœlestis Adamus Christus Iesus suis electis parat, dicemus? Absit. Ait enim Apostolus: Ita per obedientiam unius iusti constituuntur multi. Igitur non pauci sed ingens multitudo erit quæ in Christo Iesu altero Adamo in uia iusticiæ & uitæ sit ambulatura, ut quæ uia ueteri homini & eius stirpi angusta fuit, noui hominis soboli lata sit futura et spaciosa. Dices, Semp in hoc mũdo angustã salutis uiam fuisse, paucosq; hactenus repertos qui in illa iter facerent, si collatio fiat ad eos qui ab ea deflexerunt. Distinguenda, ut suprà, tempora

erunt. Nam ut sua occultationis Euangelij & regni satanæ, filijq; perditi tempora sunt, ita etiam patefactionis Messiæ sua tempora occurrunt, in quibus is dissipare quæ nobis iter arctum, & portam angustam ad salutem faciebāt, prædicitur, ut per uiam et portam sacram, quæ ipse Christus est, expedito itinere ingens multitudo in uitam ingrediatur. sic enim habet oraculum Micheæ: Antecedet dissipator eos: dissipabunt, portamq; transibunt, & per eam exibunt, præeunte eos ipsorum rege & Domino in eorum capite. Quamobrem uerè pronunciamus, ad salutem ducentem uiam et angustam et latam esse: angustam quidem, per ueterem hominē: latā uerò per gratiam, hoc est per nouum & cœlestem hominem, Christum Iesum, qui uiam ad uitam bene muniat, portamq; per quam immensa multitudo in cœlum proficiscatur, per Euangeliū suum aperiat. Micheæ testimonium Iesaiæ uaticinio confirmatur, in quo is uaticinatur, fore ut cœlestis Hierosolyma dextra lævaq; tabernaculorum eius loco dilatato, funibusq; productis, longè & latè propagetur, patefacta in ea ad salutem uia. de qua uia ipsa: Ego sum uia, et ueritas, & uita. Hæc autem uia, hoc ostium quàm amplum sit, ostendit multitudo eorum qui per hanc uiam & ostium ad benedictionem iusticiæ & uitæ pertingunt. De qua uia & ostio illud: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Non dicit paucas gentes, sed omnes, ingente multitudine, quam nūmerus in Messia, saluandorum significata. Itaq; non consequitur, Angusta uia est ueteris Adami proli per deprauatam naturam ad salutem, & pauci, imo nulli, nisi denuò è spiritu sacro nascantur, per eam ingrediuntur: omnino ergo pauci electi qui seruentur, erunt. sed potius sic fuerit concludendum, Ergo ut locus sit gratiæ & clementiæ diuinæ, plures detersis naturæ uitijs seruabuntur, complanata per Christum ad iusticiam & uitam uia. ut uera sit sententia illa: Concluſit Deus omnes sub diffidentiam, ut omnium misereatur. Hæc de angusta uia & porta, per quam multi ad exitium ingrediantur, ut ea amplitudini regni Christi aduersa non sit, neq; ea impediat, quo minus soboles ex promissione & spiritu Abrahami pulueri terræ, & arenæ maris, cœliq; stellis comparetur. Hæc expositio quem ad cognoscendum discrimen primi & secundi Adami, ad imminuendam facultatem naturæ, & ad amplificandam gratiam Dei, ad dignoscenda tempora tenebrarum & lucis, & ad formandum æquū iudicium de æquitate quam Deus in seruando & perdendo tenet, usum afferat, facile est cognitu. Vt occurratur rationi quæ de tot millibus Israelitarū in Arabū solitudine deletorum, paucis, hoc est Calebo & Iosua, ex illis qui ex Aegypto egressi fuerant, conseruatis, affertur, alio loco commodius indicabimus. Non enim hic hanc causſam ex instituto agimus, quæ alia tempora & diligentiam requrit, sed obiter occasione numerosæ sobolis quæ Abrahamo hic promittitur, inuitati illam attiginus, quam doctis & pijs hominibus ad illustrandam gloriam Christi uberius & accuratius tractandā relinquimus. In hac causſa omnino tēpora Antichristi et Christi & huius aduētus spacia & interualla distinguenda fuerint. In præsentia, quantum ad hoc argumentum pertinet, satis erit primò admonuisse, ampliſſimam esse Ecclesiam electorum, ex causſis & testimonijs iam adductis. deinde locos de paucitate beandorum, de angusta porta, & uia ad uitam ducente, non damnantis legis, sed fidei iudicio interpretandos esse, quæ Deum ab immensa clementia, à præstantia meritorum filij, à uoluntate cum facultate seruandi cōiuncta, à potentia et maiestate regia Messiæ, per quam lux tenebris, mendacijs satanæ ueritas, morti uita, iniusticiæ iusticia præstet, prædicandum celebrandumq; esse docet. Denum conuenire ut moderatè de electis & eorum numero iudicemus, non omnes ex libro uitæ delentes qui nobiscum ad præsens Christū non profitentur, sed alienos seruos Domino ad iudicandum permittentes, & de nobis submisse sentientes, illúdque quid uelit, cogitantes: Primi nouissimi, nouissimi primi, & diem habere duodecim horas: Dominóque esse constitutum tempus, in quo is ex Euangelio suo omnibus ratione præditis naturis patefaciendo, de uiuis & mortuis iudicaturus sit, quod iudicium à nobis cum omni æquitate & moderatione expectandum erit, non præpostera censura nostra anteuertendū. De hoc autem iudicio ut moderate uereq; iudicemus, multū proderit nosse aduentus Dñi nostri Iesu Christi rationē, quomodo is in carne primū ad perficiendū crucis statū, deinde in euangelij sui aperiendi spiritu ad sociandas in uno ouili cum Israelitis gentes ueniat, demū ut cum gloria et maiestate ad iudicandū sit uenturus, item cognitum tenere quid inter peccatū quod in filium, et id quod in spiritum sanctū cōmittitur, interſit, quæq; incredulitas in die illo iudicij magno capitis damna turcæ sit ex sententia illa: Sermo meus quem locutus sum, iudicabit eum in extremo die. Item: Cum iudicabit dominus occulta hominū ex euangelio meo p Iesum Christū. De his hactenus ita mōuisse uideri uolumus ut iudiciū sit penes doctos spiritu Christi homines: cui ut omnia pbemus, & qd bonū est teneamus, placet.

Credidit Abraham Deo.] ei ueritatis et bonitatis & potētiæ gloriā tribuens. Veritatis quidē, qui præstaret quæ promisſisset: bonitatis aūt, qui uellet præstare ex liberali gratia: potētiæ uerò, q posſet. Veluti Apostolus his uerbis docet: Verùm ad promissionem Dei non hæsitabat ob incredulitatem, sed robustus factus est fide, tribuens gloriam Deo, certa persuasione cōcepta, quod is qui promiserat, idem potens esſet & præstare.

Reputatū est ei ad iusticiā.] ut q Deo suū honorē designasſet. Nota est enim definitio iusticiæ. Cōtrà igitur iniusti sunt, q sibi ueritatis, cū mēdaces sint (ut psal. dicit: Omnis homo mēdax) q sibi bonitatis cum mali sint (iuxa illud: Omnes inutiles facti sunt, non est

est qui faciat bonũ: qui sibi potentiæ, cum nihil nisi puluis sint terræ, honorem attribuunt. Qui igitur tales sunt, cum sibi gloriam earum rerum arrogant, quas non habent, & Deo derogant qui eas habet, & ei debentur, iniusti sunt, carentes fide. Itaque quoniam hoc loco Apostolus Paulus in iustificationis caussa præcipuè utitur, quo confirmet fide constare iustificationem nostri, & hoc ipso argumento nullum neq; antiquius, neq; celebrius neq; salubrius est: post cæteros nobis quoq; usum est in eo explicando operam aliquã consumere. Id autem quo maiore cum fructu à nobis fiat, hunc ordinẽ in tractanda iustificatione persequi placet. Primò, quid nomine iustificare accipiatur, ostendemus: deinde, quis iustificet: tum per quem tanquam salutis arbitrũ iustificemur: quartò, qua sacri spiritus ui iustificemur: quintò, quæ sit illa iusticia Dei, qua prædi ti iusti appellamur: sextò, qui iustificationis nostri & comparatæ per hanc iusticiæ fructus sint: quisq; & quotuplex fructuum, hoc est benefactorum habeatur usus: postremò, quis iustificationis eorum quos Deus pater per filium Dominum nostrum Iesum Christum iustos efficit, finis sit ac exitus. Hæc inquam ordine explicabimus, quo clarius quid de tota hac causa statuendum sit, cognoscatur. Quantum igitur ad primum, hoc est rationem uerbi Iustificare attinet, non una eius in sacris literis notatio cernitur. Nam interdum iustificare idem ualet, quod declarare aliquem iustum esse, & cum pro iusto celebrare. Hoc modo Deus ex dictis suis apud Dauidem, sancti beneficiis & sermone suo homines apud Matthæum iustificari dicuntur: atq; eodem modo etiam Apostolus ait, non auditores, sed factores legis iustificari: hoc est pro iustis pronunciari. Interdum est aliquem probata eius caussa crimine absoluere. quod & uerè & falso fit: uerè quidem, cum ex iusticiæ & æquitatis præscripto de aliquo iudicatur: falso autem, cum secus accidit. De quo genere iustificationis Salomon in Prouerbijs sic loquitur: Et qui impium iustificat, hoc est sontem absoluit, & qui iustum condemnat, utrumq; æquè detestatur Dominus. Accidit nonnunquam, ut per antiphrasim iustificare sit reprehendere ac damnare: ut uidere licet in illo, Iustificata est sapientia à filijs suis. hoc est, reprehensa est à filijs suis rebellibus, quibus Christus promissus fuerat, qui familiarietr inter peccatores uersans eos detersis uitijs probos & sanctos redderet. Hæc non animaduertentes contumaces liberi, Christũ Iesum diuinam sapientiam & iusticiam in ius uocare, & in eius facta temere inquirere tanquam stultè & improbè faceret, quòd cum improbis degeret, ausi sunt. Denum iustificare est Deum communicata sua iusticia per fidem iustos efficere. Sic in hoc iustificationis negotio qua qui iniusti sunt, iusti reddantur, apud Apostolum sumitur, ubi inquit: Quos uocat, eos iustificat. item: Ex fide iustificat gentes. In hac significatione accipiendum esse uerbum Iustificare in præsenti negocio, ea quæ sequuntur, indicabunt. Quoniam autem Dei est, iustos ex iniustis efficere, is primò hic ut omnium eorum quæ ad iusticiam parandam pertinent, autor occurrit. Nam is ut probi ex improbis euadamus, pro sua clementia nos eligit: & nomina nostra ab æterno in libro uitæ scribit, atq; sic electos in tempore ad pœnitentiam & auscultationem Euangelij uocat, & auscultantibus, hoc est per fidem recipientibus euangelium, condonata culpa iusticiam suam & uitam impartit. De qua gratia principe caussa donatæ iusticiæ illud legitur: Vt iustificati gratia, item: Cuius gratia uos estis saluati. Vnde autem magnitudo clementiæ diuinæ in iustificandis, seruandisq; nobis æstimanda sit, ea dere infrà meminerimus. Hæc in præsentia breuiter de Deo patre iustificãte. Christus aũt cuius tanquã arbitri & mediatoris merito iustificamur, iam considerandus esset, nisi is nobis quoq; pro iusticia nostra proponeretur. Itaq; huius ut arbitri ac pacificatoris et iusticiæ nostræ eo.lẽ loco meminerimus. Quareprius indicare uisum est qua diuinè spiritus ui cœlestis pater nos iustificet, quàm iusticiã ipsam uos Deo recõciliantem exponamus. Sed cum tripartita sacri spiritus uis sit, fides, spes, charitas, perpendendum fuerit, qua ui iustificemur: hoc est, quæ sit illa sancti spiritus facultas qua Deus per Christum iustos faciat. Vt autem hoc planius explicetur, notandum erit iustificari nos aliquo in sacris literis interdũ dicimur tanquã eo quo nobis patefit & communicatur iusticia Dei: interdum tanquam iusticia communicata, qua per nouam & cœlestem genituram iusti efformemur. de hoc modo paulopòst: de priore iam loquemur, cum perpendimus qua ui spiritus Deus nobis suam iusticiam patefaciat, et ea nos ornet, & qua tanquã manu illa à nobis apprehendatur. Is modus iustificandi fidei proprius est, & ei soli inter dona spiritus sancti congruit. Fides enim sacrum illud Dei lumen est, quo nobis iusticia diuina patefit & communicatur. De patefactione legimus illud: Iusticia enim Dei patefit per illud ex fide in fidem. Est enim fides lux in credentium Euangelio animis lucens, qua Deus se & iusticiam suam manifestat. de qua luce apud prophetam: In lumine tuo uidebimus lumen. item Apostolus: Quoniam Deus est qui iussit è tenebris lumen illucescere, qui luxit in cordibus nostris ad illuminationem agnitionis gloriæ in facie Iesu Christi. ad agnitionẽ uidelicet gloriæ iusticiæ, non legis Mosaicæ, sed dei hac fidei luce nobis assignãdæ. De qua assignatione ac communicatione illud: Iusticia uerò Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt. item, Pacificati fide pacem habemus. Qui loci indicant, sine fide iustificationem non constare, neque citra eam ulli mortem meritumq; Christi ad salutem prosore, qua una preciosus Christi sanguis tanquam præsens medicina atq; antidotum animis nostris adhibeatur. Huc pertinet figura illa serpentis ærei in Arabum solitudine erecti, qui ut neminem ueneno quod serpentes asperserant,

prius q̃ intentis oculis aſpectatus eſſet, liberabat: ita niſi animi noſtri ſuum ſerpentem in mundi huius ſolitudine ſublimem cruci affixum fide intueantur, letalis peccati uenenum à ſerpente ſatana humano generi iam inde ab initio affuſum à nobis non depelletur. quapropter poſt delibatam fidei naturam, quinto loco iuſticia ipſa à noxa nos uindicans, & per fidem à nobis percipienda, explicanda erit. Sed antequam rem ipſam aggrediamur explicare, primò generatim quid iuſticia ſit, breuiter et quantum præſens tractatio fert, definitione exponemus. Deinde uniuerſo genere ſuis partibus tributo, quæ ſpecies ac forma iuſticiæ noſtri inſtituti ſit, indicabimus. Iuſticiam eſſe liquet uim tribuendi ſuum cuiq;. Hæc finitio humanis & diuinis literis probata, cum latiſſimè pateat, in Deum & homines congruens, bipartitam iuſticiam eſſe diuinam & humanam comprobat. Humanam eſſe ſacræ literæ tradunt quæ ratione & uoluntate humana, ſine Dei ſpiritu conſtat. Vt cum Deo & hominibus ſuum aſſignare molimur noſtris uiribus freti, ueluti faciunt omnes qui in ueteri natura ſunt, nouæ expertes. Hanc iuſticiam diuinæ literæ legis, operumq; iuſticiam, appellant quòd eam qui ſectãtur naturæ quæ docet cuiq; ſuum aſſignandum eſſe, facultate nituntur, arbitrantes pariter naturam & docendi quæ rectè facias, & præſtandi ea quæ docet uim habere. Qua in re quàm decipiantur huius iuſticiæ ſectatores, ſatis pijs eſt manifeſtum, & ſuis locis liquidum fiet. Diuina autem iuſticia eſt, uel ipſa diuina natura tribuens cuiq; ſuum, uel is qui plenus diuinitate hoc munus præſtat. At uerò Deus pater ſuum cuiq; tribuit, cum primò ſuum honorem ſibi aſſerit, de quo apud prophetã: Gloriã meã alteri non dedere. gloriam uidelicet conditoris conſeruatoris & gubernatoris omnium. Hanc cum ſibi uendicat, & eos qui illam imminuunt punit iuſtus dicitur, ut mox patebit. Deinde diuina iuſticia in eo cernitur, cum quæq; res intra perfectionis ſuæ fines à Deo quos pro ſua uoluntate ei præſcripſit, conſeruatur. Quæ creationis & gubernationis omnium iuſticia eſt. de qua illud: Omnia in numero pondere & menſura diſpoſuiſti. Tertiò hæc iuſticia in exornandis præmio iuſtis, & pœna afficiendis iniuſtis ſpectatur. de qua legimus apud uatem: Quoniam iuſtus eſt Dominus. Sed in quo hæc iuſticia declaratur? Præcedit illic: Oculi Domini pauperem reſpiciunt. & de ſceleratis: Pluet ſuper peccatores laqueos ignis. item alio loco: Iuſtus Dominus in omnibus uijs ſuis. Sed hæc iuſticia qua in re apparet? Sequitur inibi: Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe & improbos diſperdit. Igitur Deus hoc modo iuſticia dicitur, cum ſuis cuiuſq; factis digna pendit. Veluti Apoſtolus his uerbis dicit: Quo patefieret iuſtum iudicium Dei, qui cuiq; pro factis ſuis ſoluet. Vt autem diuina iuſticia primò eſt ipſa diuinitas tribuens & ſibi & cæteris à ſe creatis rebus ſuum, hoc eſt, naturam & perfectionem ſua ſapientia decretam ac deſtinatam: ita etiam Dei iuſticia uocatur is, qui plenus diuinitate in ipſo corporatè habitante, eodem munere fungitur, qui Dominus noſter Ieſus Chriſtus eſt. Is iuſticia Dei appellatur, quòd ipſe ex Dei patris ſui ſententia ſuum cuiq; tribuat, cum ſe pro eius filio habet, & ab alijs uult haberi, per quem omnia creata ſint & creata conſeruentur. Hunc autem honorem Chriſtum ſibi aſcribere, ex ſacris literis patet. Sic enim de ſe apud Ioannem loquitur: Pater meus ad hoc uſq; temporis operatur & ego operor. item de ſuo iudicio: Omne iudicium dedit filio, ut omnes honorent filium ſicut & honorant patrem. item: Qui non honorat filium, non honorat patrem, qui miſit illum. Et ut honorem diuinum ſibi filius aſſignat, ſic etiam ut tanquam uita, ſapientia & ueritas Dei colatur ture requirit eum ait: Ego ſum uia, ueritas, & uita. At ut iuſticia Dei dicitur, cum hæc ſibi aſcribit: ita etiam iuſtus meritò habetur cum ea à patre obtinere ſe fatetur: Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum. item ubi teſtatur iudicium ſuum iuſtum eſſe, quia non ſuam, ſed patris ſui à quo miſſus ſit, uoluntatem ſequatur. ueluti ait apud eundem Ioannem: Iudicium meum iuſtum eſt, quia non quæro uoluntatem meam, ſed uoluntatem eius qui miſit me patris. Itaq; Chriſtus iuſticia etiam ſui patris eſt quòd eius uoluntati plenè ſatisfacit, eiq; in omnibus uſq; ad mortem paret. Sic enim apud Ieſaiam, Meſſias iuſtus appellatur, qui ſua ſponte ex decreto patris pro piaculari uictima ad redimendos electos uoluerit ſe offerre. atq; hoc modo is cum Dei iuſticia dicitur, eius legi & uoluntati obediens, noſtra, quoq; fit iuſticia, cum hanc ſuam obedientiam, per quam patri ſuum honorem tribuit, ei in omnibus obſequẽs, nobis cõmunicat. de qua iuſticia Hieremias in hunc modum: Et uocabitur hoc nomine, de Chriſto loquens יהוה iuſticia noſtra. & poſt Hieremiam Apoſtolus noſter: Qui factus eſt iuſticia nobis à Deo. De hac iuſticia in præſentia fit mentio, cum quæritur quæ ſit illa iuſticia quæ nobis fide ad iuſtificandos nos communicetur. Quomodo uerò Chriſtus noſtra iuſticia fiat declarat idem Apoſtolus, cum ait: Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſticiam. Item: Qui iuſtificat impium, imputatur ei fides ad iuſticiam. Ex quibus uerbis intelligitur, Chriſtum noſtram iuſticiam eſſe per imputationem: hoc eſt, Chriſtum credentibus imputari pro iuſticia. Ne uerò quo melius cognoſcatur hæc imputatio, quidq; ſit Chriſtum nobis pro iuſticia imputari, duæ perſonæ nobis hic conſiderandæ fuerint: altera noſtra eſt, altera Chriſti. In nobis natura peccato, morti iræq; diuinæ obnoxia cernitur, iuſticia, uita, fauore Dei uacua, ueluti nos experimur, & ſententiæ illæ ſacræ indicant: Per unum hominem peccatum in mundum peruaſit, & per peccatũ mors. & de ira Dei, Eramus filij iræ. Hinc efficitur aliena iuſticia, cum noſtra careamus: aliena uita, qui morti addicti ſimus: alieno fauore, qui Dei hoſtes habeamur, nobis opus fore. At quomodo hæc aliena probitas, noſtra aliter fiet,

fiet, quàm per imputationem & gratuitã aſcriptionem? Vt uerè liceat confirmare, iuſticiã quam nõ habemus, nobis imputari pro iuſticia: & culpam quam habemus, pro culpa nõ imputari. Cum hæc perpenduntur, alterum occurrit quod diximus in hac imputatione accuratè ponderandũ eſſe, quæ Chriſti perſona eſt primi hominis, & eius liberorum per uitioſam propagationem genitorum perſonæ oppoſita. Hunc uidelicet Chriſtum filium Dei uiuentis, illam imputandam nobis iuſticiam eſſe, qui iuſtus cum ſit, ſuam nobis iuſticiam, qui iniuſti ſumus: uita cum ſit, ſuam uitam qui mortui ſumus: in gratia & beneuolentia Dei cum ſit, hanc gratiam & beneuolentiam nobis conciliet atque impertiat, diuinæ iuſticiæ inimicis. Etenim ſi iuſticiam ſpectemus, legimus apud prophetam, quòd neq; ſcelus fecerit, neque fraus ac dolus fuerit in ore eius. & hanc probitatem ut nobis conferat, noſtra crimina ferens, idem uates docet his uerbis: Scientia ſui iuſtus, ipſe ſeruus meus iuſtos reddet multos, eorumq; peccata feret. Sin uerò uitam conſideres, is ipſe in hunc modum de ſe prædicat, Ego ſum uita. item: In ipſo uita erat. Sim fauorem diuinum, quo is ut naturalis filius apud patrem ualet, hoc de illo extat teſtimonium: Is eſt filius meus dilectus, cui ego faueo. & ut hanc beneuolentiam, qui natura hoſtes eramus, nobis comparet ac conciliet ſanguine ſuo, declarat Apoſtolus, ubi dicit: Nam cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius. Quocirca hic nullum humanum meritum, nulla iuſticia legis & operum, nulla facultas naturæ, ſed una & ea gratuita imputatio alienæ iuſticiæ, quæ Chriſtus eſt, locum habet in iuſtificandis nobis, & in reparanda amiſſa integritate, atq; innocentia. At fortaſſe preuencletur hic aliquis, ánne Chriſtus ita per imputationem nobis iuſticiæ ſit, ut nulla eius uis per ſpiritum ſanctum ſeſe in nobis iuſtificandis proferat, quæ in hac imputatione ad innouandos nos, contineatur. Facile huic quæſtioni reſpondebunt pij ſi huius iuſticiæ imputatæ ambitum ſide menſi fuerint. Trifariam Chriſtus per imputationem noſtra iuſticia dicitur. Vno modo, ratione meriti & ſatisfactionis, quæ in obedientia cernitur. de qua illud extat: Ita per obedientiam unius iuſti conſtituentur multi. Altero modo, ratione impetratæ remiſſionis peccatorum, cum pater reſpiciens filium, nobis remittit peccata, de hac parte his uerbis Apoſtolus: Per quem habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum iuxta diuitias gratiæ ſuæ. Item in Actis: Per hunc nobis remiſsio peccatorum annunciatur, et ab ommibus à quibus non potuiſtis per legem Moſæ iuſtificari, per hunc omnis qui credit, iuſtificatur. Vbi iuſtificationem cum remiſſione peccatorum coniungit. Atq; hæc priore parte, hoc eſt merito obedientiæ Chriſti conſtat. Nam unius Chriſti merito, ſatisfactione & obedientia uſque ad mortem peccatorum remiſsio comparata eſt, mors cum inferni porta euerſa, ſeuerumq; aduerſus nos legis accuſantis & damnantis ius deletum atque abrogatum. Vt his uerbis idem Apoſtolus ad Coloſſenſes docet: Condonans nobis delicta, deleto quod aduerſus nos erat chirographo, quod erat contrarium nobis per decreta, & illud ſuſtulit è medio. Sed quomodo & qua ratione ſuſtulit? per obedientiam uſque ad crucem, & eam mortis, ſuſtulit: ſubiungitur enim illic: Affixum cruci. Hæc iuſticia ſatisfaciens pro peccato, & concilians remiſsis delictis beneuolentiam diuinam, iuſticia appellatur, quæ primum in iuſtificatione noſtri locum tenet. Hæc enim in grauiſſimis noſtræ infirmitatis & imperfectionis ſeuero legis iudicio opponitur, in qua abſolutæ iuſticiæ Chriſti aſcriptio, de qua ſuo loco meminerimus, continetur. Tertio modo iuſticia noſtra nominatur Chriſtus ea ratione qua ipſe caput uniuerſæ perfectionis ſpiritualis, in quo Deus omnes ſapientiæ, uitæ, iuſticiæ ſuæ theſauros reponat, agnoſcitur, ex quo in nos tanq̃ in membra corporis eius quod eſt Eccleſia iuſticiæ & uitæ in noſtri iuſtificatione donum proficiſcatur. De qua donatione illud: De plenitudine eius omnes accepimus. Sed quid accepimus? ſapientiam, iuſticiam, uitam accepimus. Sic conſideratum Chriſtum, qui & ſatisfaciat pro nobis Deo de peccato, & qui ſe nobis merito atque beneficio ſatisfactionis, ut caput membris, ut ſponſus ſponſæ inſerat ſuæ iuſticiæ, & uitæ cõmunicatione per fidẽ noſtrã iuſtitiã eſſe, ex ſacris literis manifeſtum eſt. Quid enim prodeſſet nobis meritum & obedientia Chriſti, niſi ſpiritus ſanctus nobis daretur, cuius ui Chriſtum, iuſticiam amplecteremur? & quorſum remiſsio peccatorũ utilis eſſet, ſi hanc nobis fieri fide non agnoſceremus? qua cum carent impij, tantũ abeſt, ut eis meritũ ſanguinis Ieſu Chriſti ſalutare ſit, ut etiã eis per rebellionẽ et cõtumacẽ per fidiã exitiũ afferat atq; interitũ. Quamobrem fide Chriſti iuſtificamur, ut condonatis nobis peccatis, in nouitate uitæ ambulemus, ueterem per ſacrum ſpiritum hominem exuentes, quem nobis in iuſtificatione noſtri dari, declarat Apoſtolus his uerbis: Sed ſecundum miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos opulentè per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum, ut qui iuſtificati illius gratia. Quapropter Chriſtus Ieſus primò à merito & ſatisfactione, deinde à remiſsione peccatorum nobis ſanguine eius comparata, demum à ſpiritu ſuo ſancto, noſtra iuſticia quam fides in iuſtificando apprehendat, habetur. Accedit huc noui fœderis ratio, quod Chriſtus nobiſcum in iuſtificatione noſtri init. Hoc autem nouum fœdus, fœdus eſt ſpiritus ſacri. de cuius miniſterio in hunc modũ Apoſtolus ad Corinthios: Qui & idoneos fecit nos miniſtros noui teſtamenti, non literæ, ſed ſpiritus. Vnde efficitur miniſterium Euangelij Dei bonitate ordinatum, ut per id in iuſtificatione noſtri ad patefactionem iuſticiæ Dei, non litera, ſed ſpiritus diſpenſetur. ueluti legimus in Epiſtola ad Romanos

Non enim me pudet Euangelij Iesu Christi, potētia siquidē est Dei ad salutē omni credenti, Iudæo primùm simul et Græco. iustitia enim Dei per illud patefit ex fide in fidem. Vbi Apostolus tria tribuit Euangelio. unum est esse id uirtutem Dei. sed per quā uim, per sacri sanè spiritus uim, quæ sub illius prædicationem in animis electorum excitatur alterum est, euangeliū sine fide nemini prodesse. dicit enim, Omni credenti. tertiū, per idem illud fide iusticiam Dei patefieri. Itaq; Euangelij ministerium eò refertur, ut per id spirttus sanctus in corda nostra fundatur, per quem iusticia Dei, quæ Christus est fide patefiat, & recipiatur ad nos iustificandos. Quocirca duo in Christo cernuntur quæ ad iustificationem nostri necessaria sint: alterum, mors est: alterum, excitatio ex mortuis, & euectio ad amplitudinem regni paterni. Morte eius expiari mundi paccata oportuit. Vt est apud prophetam: Attritus est propter scelera nostra. Per excitationē uerò ex mortuis spiritum sanctum tribuere eidem bonitati Dei placuit, per quem & Euangelio crederetur, & amissa iusticia uitio primi Adami restitueretur. Vtranq; hanc partem Apostolus his uerbis expreßit: Qui traditus est propter peccata nostra, & suscitatus est propter iustificationem nostri. In morte igitur eius spectatur satisfactio pro peccato, in resurrectione donum spiritus sancti, quo nostri iustificatio ad uitam conficiatur. In morte Christus peccatum factus, mundi peccata in se, quasi ipse ea fecisset, transtulit quæ expiaret. In excitatione è mortuis suam ipse iusticiam cum uita impertiut, qui illi improbitatem nostram cum morte imposueramus. Hæc est communicatio qua sponsus & sponsa, caput & corpus, omnia inter se communia habent, peccatum & iusticiam, imbecillitatem & robur, aduersas res & prosperas, mortem & uitam, ignominiam & gloriam, dum deteriora sponsæ in se sponsus recipit, & meliora quæ habet illi donat ex arctißima necessitudine qua matrimonij iure Christus & Ecclesia in unam carnem, ossa, naturā coalescunt, id Christo ipso secundo Adamo fatente cum ait: Hoc os ex ossibus meis, hæc caro ex carne mea. in hac communionis quæ inter Christum et nos intercedit, fide ad iustificādos nos et ad consolandos animos nostros in omni afflictione aduersus peccatum, mortem, inferorum portas maxima momenta continere fatebimur ij qui in hac lucta et palaestra uersati sumus. Dices Si Christus etiam nostra iusticia est, quatenus iusticiæ uitæq; spiritus ab eo in nos influit, iam non solum per imputationem erit nostra iusticia, sed etiam per donum spiritus sancti, qui donatur nobis, non imputatur. Huic quæstioni in hunc modum respondemus. Hanc donationem etiam in imputatione contineri, quatenus is spiritus non natura, non lege, nō operibus legis nō humano conatu et studijs, sed ex imputato nobis Christo pro iusticia, & eius merito in nos proficiscitur. Atqui hic quærat aliquis, quod nam sit illud donum iusticiæ, quod ex capite Christo in nos dimanat, & per fidem nobis conceditur? De hoc dono sic loquitur Apostolus: Etenim si per unius delictum mors regnauit per unum, multo magis ij qui exuperantiam gratiæ & doni iusticiæ accipiunt, per uitam regnabunt autore uno Iesu Christo. Quibus uerbis Paulus declarat, Adami secundi merito ac beneficio multos iusticiæ & uitæ donum sumere, ut Adami primi culpa noxam & mortem eius posteri contraxissent. Hoc autem donum quid aliud fuerit, quàm spiritus sancti donum, qui pariter iusticiam & uitam ijs qui eo præditi sunt, afferat. Vitam quidem, ut de quo legatur: Spiritus est qui uiuificat: item: Nam lex spiritus uitæ per Iesum Christum liberum me reddidit à iure peccati & mortis. Duo hic fatetur Apostulus, spiritum sanctum esse legem non Mosaicam in tabulis saxeis scriptam cuius ministerium literæ, non spiritus: mortis non uitæ sit ministeriū: sed esse legem in tabulis carneis exaratam uerè uiuificantem morte absterſa. Alterum est hac lege, hoc est ipso spiritu sancto liberos nos reddi à peccati & mortis iure, hoc est testimonium in cordibus nostris tanquam arrabonem ferre noxam ad nos damnandos nullum ius habere, quod omne sponsa sanguine innocentis agni tincta absterserit. Ex quibus uerbis intelligimus nisi donetur nobis spiritus sanctus merito sanguinis Iesu Christi, peccati & mortis iugum à nostris cernuibus non deponi. Hinc illud: Vbi spiritus, ibi libertas. Is igitur idem spiritus ut iustos nos, formet indicat illud: Iusticia & pax & gaudium in spiritu sancto item: Iustificati per spiritu sanctum. item: Qui mortuus est, iustificatus est à peccato, tribuo nimirum spiritu per quem sentiamus et remitti nobis peccatū, & id ne in nobis amplius regnet mortificari: constat siquidem, ut Apostoli uerbis utamur, affectum carnis, mortem esse: affectum spiritus, uitam & pacem. Neque etiam mirum est, in iustificatione nostri spiritum sanctum nobis donari, pariter sanctitatem, iusticiam & uitam credentibus afferentem. Nam eiusdem esse iustificare & uiuificare, Apostolus ad Galatas hunc in modum docet: Etenim si data fuißet lex quæ posset uiuificare, uerè ex lege esset iusticia. At uiuificans lex est spiritus Christi, de qua paulò suprà meminimus. Quamobrem in imputatione, qua Christus Dominus noster credentibus aſcribitur ac imputatur pro iusticia, pariter & meritum sanguinis eius, & spiritus sacer ui meritorum nobis donatus includitur. Atq; ita Christum tum à merito, tum à satisfactione & impetrata remißione peccatorū, & à dono spiritus iusticiæ, nostrā iusticiā fatebimur esse. Atq; hoc si facimus in iustificatione nostri, totum Christum ad salutem nobis propositum, non unam aliquam eius partem considerabimus. Hinc illud eiusdem Apostoli: Ac de peccato condemnauit peccatum, ut iustificatio legis impleretur in nobis qui non secundum carnem, sed secundum spiritum uersamur. Vbi Apostolus duo osten-

dit-

dit. Vnum est, iustificationem esse quam lex requirat. Sed quæ est illa iustificatio à lege mandata, & non præstita? Hæc est, ut primò Christum agnoscamus nostram iusticiam esse à satisfactione, qui legi pro nobis satisfecerit: deinde, qui condonatione peccatorum impetrata, spiritum sanctum donet, ex cuius, non carnis præscripto uiuamus. Sic enim dicit Apostolus: Qui secundum spiritum uersamur, non secundum carnem. Alterum uerò est quod Apostolus citato iam loco indicat, non lege, non ulla ui naturæ, sed solo spiritu Iesu Christi perfici iustificationē in nobis, quā lex postulat. Nā sic ait: Etenim quod lex præstare non poterat ea parte qua imbecillis erat per carnē, hoc Deus proprio filio. etc. Cæterùm tra ctata iusticia Dei, quam Christū tum à satisfactione pro peccato & remissione peccatorum, tum à dono iusticiæ nos nouos homines regenerantis, indicauimus esse, hic percūctantur pij homines, cū tres præcipuæ spiritus adoptionis uirtutes sint, fides, spes, charitas: quæ illarum mereatur donum hoc iusticiæ renouantis nos ad imaginem Dei, nominari. Quæstio non admodum difficilis explicatu esse uidetur ijs qui unctione duce utuntur. Id donum sanctificans nos, & purificans, in fide, spe & charitate cerni. De fide enim legitur: Nihilq; discreuit inter nos & illos, cum fide purificauerit corda illorum. Nam ut in luce ignis calor purificans & absumens uitia inest, ita in luce fidei uis caloris diuini inest, ucteris naturæ labem purgans, ut noua aduersus omnem iniuriam tuta & sarta tecta appareat. unde fit ut regenerā s filios Dei uis fidei tribuatur. de qua apud Ioannem: Quot quot autem receperunt eum, dedit eis potestatē filios Dei fieri, uidelicet his q credidissent in nomē ipsius. De spe autē: Et omnis qui habet hāc spem, purificat se, sicut et ille purus est. De charitate uerò quā uim habeat in regenerandis nobis ad nouam uitā & cœlestē, mox patebit. Atqui discrimen hic non mediocre uidere licet. Nam quā uim in renouandis nobis spes & charitas obtinent, eam à fide habent, in cuius uiuifica luce charitas tanquam calor in igni continetur. Præterea fides nobis Christum totum quantus & à merito & à munere hoc regenerantis iusticiæ nobis salutaris est, patefacit & adiungit igneam ac flammeam charitatem, qua uoluntatem Dei incipiamus pro primitijs spiritus præstare, legi obtemperantes, accendens. Ergo iure si originem spectemus fidei, hoc donum iusticiæ obediendi Deo ascribitur. Sin uerò proximam uim ac facultatem diuini spiritus, per quam legem exequamur, charitatem nomen illud inchoatæ probitatis & iusticiæ sibi uendicare, partim definitio iusticiæ, obedientiæ, partim charitatis uis & natura, partim uniuersæ legis finis cōprobat. Definitur nempe iusticia conformatrix uoluntatis nostræ ad diuinam, facultas qua cuiq; suum tribuitur: at id facit charitas, fide gubernata. Hac siquidem Deus supra omnia amatur, qui honos ei soli debetur. & homines secundum Deum nobis pares dignitate tanquam alteri nos, cætera uerò minus quàm nos, ut inferiora nobis, diliguntur. Præterea iusticiæ munus est, ea facere quæ lex iubet fieri. at lex Deum toto corde amari, numen eius sanctè coli, parentes in honore haberi: adulteria, furta, falsa testimonia, prauas ac uitiosas cupiditates caueri iubet. Sed hæc omnia charitas præstat. Equidem hæc uitia contraria amori Dei & fratrum minimè tolerat. Vt in hunc modum monet Apostolus: Nam qui diligit, legem implet. Siquidem illa, Non mœchaberis, non falsa testimonia dices, ne concupiscito, & si quod aliud præceptum fuerit, in hoc sermone comprehenditur: Diligito ut alterum te proximum tuum. item: Nulli quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis. Similiter Ioannes ex sententia Christi dicit, charitate seruari mandata Dei. Antea enim dixerat cœlestis doctor Christus: Qui habet præcepta mea, & seruat ea, is est qui diligit me, per charitatem uidelicet, illam sacri spiritus uim, quam fides regenerationis fons, à capite Christo in nobis ad implendam legem suscitat. De qua ui implendæ legis Dominus ipse charitatis autor ex ore Ioannis sic loquitur: Et hæc est charitas, ut ambulemus secundum præceptum eius. Itaque charitatem iusticiæ, obedientiæ et conformantis animos nostros ad diuinam uoluntatem, nomen obtinere liquet. Etenim ut charitate ex terrenis cœlestes, ex ueteribus noui, ex carnalibus spirituales homines nascamur, Ioānes satis clarè docet, ubi ait: Omnis qui diligit ex Deo natus est. Dicit eos qui charitatis spiritu ornati sunt, ex Deo præluente fide nasci. At uerò neq; mirum sit, tantum illi tribui in sacris literis, tantamq; eius uirtutem pios homines, qui ea prædti sunt, & experiri, & prædicare. Porrò hæc non creatæ alicuius facultatis, sed diuinæ, imò Dei ipsius nomen habet. Veluti Ioannes fatetur, cum inquit: Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet. Hæc præstantia uerba sunt charitatem præclarè commendantia, quæ non solum Deum charitatem appellari indicant, quia nos diligit, sed etiam quia per eum ut charitatem ipse à nobis diligatur. Nam is quoniam à nobis requirit amorem, quo magis ametur quàm nos ipsi, amorem sanè requisiuerit, quē natura ipsa maior sit, longeq; eius uires & facultatem superet. Qualis certè amor non natiuus, hoc est à uetere natura ortus, sed diuinus fuerit. Hoc est, talis amor fuerit, qui cognoscēdi Deum ex quo nascitur, lumini respondeat. Lumen autem sanctorum quo Deus cognoscitur, non est naturale lumen, sed lumen de lumine Dei, in nostris animis lucens. de quo illud: In lumine tuo uidebimus lumen. Quemadmodum enim nemo solem uiderit, nisi per solem, hoc est eius radios in nostros oculos immissos: ita solem iusticiæ Christum nemini licebit intueri, nisi per Christum lucem de se prædicantem: Ego sum lux uera. Idem iudicium de sacro amore Dei

est, hoc nempe eodem & Deum amare, & amari. His positis, primò efficitur, charitatẽ qua Deum supra omnia animus, nequaquã aliquam naturã creatam, sed diuinam, hoc est sacri spiritus uim esse ac facultatem, creaturæ finibus minime comprehensam. deinde colligitur, excellentẽ huius dignitatem & usum esse, quòd qui in illa manent, in Deo ex ipso nati maneant. tertiò concluditur charitatis spiritum, nouum illum spiritum esse per prophetas à Deo promissum, quem fide ad præstandam legem percipiamus. de quo apud Apostolum: Vt promissionem spiritus acciperemus per fidem. Sed cuius spiritus promissionem? Spiritus sanè charitatis promissionem, cuius apud Ezeclielem hæc oracularis extat mentio: Et dabo eis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio uestri. In quem autem id usum fiat, illic hoc modo explicatur: Efficiam ut in præceptis meis ambuletis. sed in quibus præceptis? In præceptis sanè de amando Deo, & hominibus uiuis Dei simulacris, quæ Moses tradiderat, & per legem eius præstari non poterant. Quocirca charitatis spiritus nobis liberali Dei gratia promittitur, & sola fide ad efficiendam legem percipitur. Ad hunc spiritũ nouum qui amoris puri, quo Deum & eos quos is charos habet, amplectimur, spiritus est, Dominus spectans sic apud Ioannem loquitur: Præceptum nouum do uobis, ut diligatis uos mutuò, sicut dilexi uos, ut & uos diligatis mutuo. Præceptum autem nouum uocat, non quia antea præceptum non esset, diligendum à nobis Deum, & homines ut alteros nos: sed nouum appellat propter nouam legem, quæ spiritus & uitæ lex est, quam ipse ut nouus & cœlestis homo in tabulis non saxeis, sed carneis scriberet. Hæc autem charitatis diffusæ in cordibus nostris lex est. Postremò colligitur, Deum à nobis iustificatis fide, amari per Deum, per spiritum nimirum charitatis, à Christo capite in nostra pectora fusum, qui Deus est iusticiam & uitam tribuens. Quare charitas hic non pro benefactis, sed pro ui spiritus qua eduntur prælucente fide benefacta, accipitur. De qua usurpatione charitatis illud apud Apostolum: Sed fides per charitatem agens. item apud Ioannem: Qui autem seruat sermonem eius, uerè in eo charitas Dei perfecta est: charitas inquam, uis illa obediendi uoluntati Dei, & bene merendi de altero. Similiter accipitur charitas apud Apostolum, ubi eam sic describit: Charitas patiens est, benigna est, nõ inuidet. In quo loco nihil apertius est quàm charitatem non pro rectè factis, sed pro facultate rectè faciendi sumi. Quæ diuini spiritus facultas promissa per prophetas, in Christo præstatur. Hactenus de implendæ legis, nosq; regenerandi uirtute, quæ in charitate continetur. Ad hanc accedit eiusdem charitatis uis, quæ in coniungendis inter se membris ipsius corporis, quod ecclesia est, cum capite Christo & Deo patre cernitur. Etenim charitas uinculũ illud est quo corpus Ecclesia coagmentatur & compingitur cum capite Christo. De qua ui Apostolus in Epistola ad Ephesios his uerbis: Sed ueritatem sectantes, in charitate adolescamus in illum per omnia, qui est caput uenipe Christus: in quo totum corpus si coagmentetur & compingatur, per omnem commissuram sub ministrationis iuxta actum in mensura uniuscuiusque partis incrementum corporis facit in ædificationem sui ipsius per charitatem. Ex his uerbis, quanta præstantia charitatis sit, intelligitur charitate coalescere nos in caput Christum, charitate corpus, quod est Ecclesia, quasi nexu & uinculo in sui ipsius ædificationem coagmentari & compingi. Eódem pertinet, quòd idem Apostolus charitatem uinculum perfectionis uocat, ut quæ nos cum Deo patre per Christum arctissimè coniungat, & eius perfectionem, uitam, iusticiam, bonitatem, sapientiam, gloriam membris eius connectens, unum ex illo & nobis efficiat. De quo uno Dominus huius sacræ coniunctionis conciliator sic loquitur: Vt sint unum, quemadmodum & nos unum sumus. Hæc uerba declarant, perfectionem iusticiæ præstandi legem Dei, ad quam aliquando sub spe peruenimus, in charitate comprehendi. Atque hanc perfectionem & absolutionem demonstrat quoque finis legis, qui charitas est. In amore enim Dei & proximi totam legem uersari, Dominus fatetur, cum ait: In his duobus mandatis tota lex & prophetæ pendent. quod expendens Apostolus, legis cõsummationem, dilectionem esse dicit. & ad Timotheum confirmat legis finem esse charitatem. Quem finem ut aliquando assequeremur, Christus mortuus est, & excitatus ex mortuis, spiritum sanctum in corda nostra fundit, ut charitatem uitio primorum parentum amissam tanquam ultimum illud meritorum mortis suæ, hoc est summam integritatem & absolutionem nostri recuperemus. Hæc ex sacris literis de iusticiæ dono, à Christo capite in iustificatione nostri nobis indito, meminimus. Iquis ueterum theologorum testimonium etiam requirat, quæ præter cæteros doctores Augustinus de hac diuina iusticia tradit, huc afferre usum est, de nostris scripturæ sacræ interpretibus postea quid ipsi sentiant, uiderimus. Augustinus de charitate loquens in hunc modum, in illa iusticiam exequendi legem non humanam, sed diuinã, non ex lege, sed ex spiritu fidei natam collocat. Iusticia namq; est, inquit, Deum ex toto corde amare, illiq; adhærere tota uoluntate, qui sit summum bonum. item alio loco: Et hæc est perfecta iusticia, qua potius potiora, & minus minora diligimus. Vbi Augustinus uult charitatem iusticiam esse, non ex lege, sed ex plenitudine Christi in nos profectam, qua unumquodq; pro sua dignitate amemus: Deum supra omnia, hominem autem ut proximum diuinitati, pari amore quo nos diligimus, & infra hominem quamq; rem, prout propius aut longius

gus ab hominis perfectione abest, diligentes. Hoc autem facere non legis, non iusticiæ legis, sed spiritus sancti, hoc est diuinæ iusticiæ, quæ charitas est, munus fuerit, quo cuiq; suum tribuitur: ut contraria facere, iniusticiæ, ut suprà demõstratum est, fuerit. Iusticiæ, inquam, munus est, non ex ea parte qua Christus nostra iusticia ratione meriti & satisfactionis piacularis habetur, sed qua is per donatum spiritum charitatis, nos ornamentis suæ iusticiæ ornat atq; decorat, ad præstandam uoluntatem Dei. Hæc iusticia suæ patefactionis auctus & incrementa habet, quibus hic crescens in altero seculo perficiatur ad eum splendorem, cuius iusticiæ huius autor meminit: Iusti ut sol fulgebunt. Horum incrementorum Apoc. 22 Ioannes mentionem facit: Qui iustus est, iustificetur adhuc. id est, augeatur in eo iusticia subinde facta maiore accessione ad auctus luminis fidei, ex qua hæc, non ex aliqua naturæ facultate oritur, alitur, Rom. 1 & augetur, ut est apud Apostolum: Iusticia Dei patefit ex fide in fidem. Sicut etiam in sanctitate Ioannes profitere sanctos dicit: Et sanctus sanctificetur adhuc, decrescẽte uidelicet ueteris hominis labe, et noui hominis puritate accrescente per auctus sacri in nobis spiritus: cuius suæ sunt in sanctis primitiæ & decimæ in Mosaicis primitijs & decimis adum Rom. 8 bratæ. De primitijs in hunc modum Apostolus: Sed & ipsi qui primitias spiritus habemus. De decimis Mat. 5 uerò Dominus: Eritis igitur uos perfecti, quemadmodum pater uester cœlestis perfectus est. Hæc igitur donata nobis iusticia, ille bonus thesaurus est cordis, de quo Dominus, qui eum in animis nostris per fi- Mat. 12 dem reponit, loquitur: Bonus homo ex bono thesauro cordis profert bonum: ex bono nempe thesauro sapientiæ & iusticiæ, non humanæ humanis uirtutibus Ephes. 4 comparatæ, sed diuinæ. de qua illud: Verum unicuiq; nostrũm data est gratia iuxta mensuram donationis Christi. sed quæ gratia datur? creatæ sapientiæ, creatæ uitæ, creatæ iusticiæ, qualis est le- 1. Cor. 2 gis & morum iusticia gratia ac donum? Nullo modo, sed donum sapientiæ, de qua illud: Spiritualis homo omnia dijudicat etiam profunditates Dei, donũ iusticiæ communicatæ de plena mensura spiritus Rom. 5 Christi. de qua iusticia idem Apostolus: Sed accommodetis uos arma iusticiæ. item: Sic & gratia regnaret per iusticiam atq; uitam æternam, per Iesum Christum, per iusticiam uidelicet in nobis agentem, & uersantem, & animos nostros ad nouam uitam Gen. 6 renouantem. Qua ornati, audiunt illam laudẽ: Noa uir erat iustus & integer. item: Oculi Domini su- Psalm. 17 per iustos. item: Iustus ut palma florebit, hoc uidelicet dono iusticiæ præditus. Hæc iusticia si inest in nobis, sumus arbor bona, quæ bonos fructus affert: ut mala sumus, illa carentes, Sic enim Dominus: Ex fructu arbor cognoscitur. Sicut igitur nisi inest in arbore bonos fructus ferendi generosa uis, bona non dicetur: ita nisi uersetur in nobis Christus per spiritum suum fidei per amorem agentis, neq; iusti, neq; uiui dicemur, sed mortui & iniusti. Stat enim illud: Si quis spiritum Christi non habet, is non est eius. Si autem huius non est, nec iustificatus est in morte & peccato manens: contrà uerò necesse est consequi Christi spiritu præditos in uita esse, & iusticia. De his hactenus. iam superest ut quibusdã quæstionibus quæ in iustificationis causa mouentur, occurramus. quarum una est, Anne iusticia hæc obedientiæ, quã charitatem uocamus, in iustificatione nostri comprehendatur. Altera, An hæc iusticia, Dei iusticia sit, ac fidei, an legis. Tertia, Si in charitate inchoata iusticia præstandi legem ponitur, án ne liceat hanc Dei iudicio aduersus peccatum & mortem opponere. Quarta, Si charitas perfectio legis est, quid faciendum sit loco illi apud Apostolum: Christus perfectio est legis omni credenti. Quantum ad primam quæstionem attinet, iusticiam parendi legi diuinæ per charitatem in iustificatione nostri comprehendi, breuiter ea quæ diximus retexentes, sic probabimus: Cum ad iustificandos nos fides necessaria sit, percunctari licet, an quouis ne genere fidei iustificemur, an secus? Si quouis, efficietur etiam dæmones sua fide iustificari, qui dicuntur credere, & Christum uiuentis Dei filium confiteri, & eum iudicem formidare, dicẽtes: Tu fili Dei uiuentis uenisti ante tempus ad nos iudicandos? Sin uerò non quæuis fides ad iustificandum ualet, quæritur hic quódnã genus ualeat & recipiatur, quodq; respuatur. Dicas, cum bipartitum genus sit fidei, alterum uiuæ, alterum mortuæ: uiuam fidem hic spectari, non mortuam. si ita, quæ igitur fides uiua censebitur, & quæ mortua? Dicas eã uiuã iudicari, quæ in comitatu suo charitatẽ habeat: mortuã, quæ non habeat. bene quidem & rectè respondes. Nullam enim fidem aliam sacræ literæ commendant, quàm eam quæ cum facultate amandi Dei & proximi coniuncta sit. legimus siquidem illud: Nam in Christo Iesu neq; circumcisio quicquam ualet, neq; præputium, sed fides per charitatem agens. Hoc posito atq; admisso, sequitur in iustificatione nostri ut fidem, ita charitatem quoq; suo modo comprehendi, qua fides iustificans non magis careat, quàm solaris lux calore cuncta in terra animante caret. Vt enim Deus ferat in iustificandis impijs eam fidem, per quam non solum ipse non diligatur, sed etiam odio habeatur, qualis est dæmonũ & execratorũ hominũ fides, qui Christũ filiũ Dei esse credunt, & de eius aduersus peccatũ iudicio tremũt. Huc spectãs Dñs cum fide qua peccatorũ remissio percipitur, charitatẽ qua alterum amplectimur, his uerbis in precatione sua nobis trãdita coniungit: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Vbi ostendit, non quidem nobis remitti peccata, quia fratrem diligimus: sed neminem credere uerè sibi condonata esse delicta, qui non alterum quoq; amore prosequatur, atq; ita omnem fidem iustificantem amorem Dei et proximi naturæ secum coniunctum habere. itaq; lau-

datæ sunt uirgines illæ à diligentia & industria, quæ in tempore oleum emerunt, ex quo lucernas ardentes pararent. Oleum autem hoc spiritus Messiæ est. Lucerna uerò, fidei lux, charitate flammea & ignea ardens. Hoc item fidei charitate flagrantis genus, aurum illud igni exploratum est, & uestitus nostram nuditatẽ, ne turpiter appareat, tegens. De quo Ioannes: Suadeo tibi emere à me aurum ignitum ut locuples fias, & uestimentis albis induaris, ut nõ appareat dedecus nuditatis tuæ. In iustificatione igitur nostri Christus cõsideratur, q̃ in nobis spiret, & uiuat, nimirũ per spiritũ suum à nobis indutus. De quo indumento Apostolus: Christum induistis. Atqui hoc quomodo accipiendum sit, plenius infrà, cum de ijs quæ in arbitrio salutis Christo Iesu spectantur, disseremus. Sed percunctéris hic, si in iustificatione impij, Deus eius fidei rationem habet, quæ cum charitate copulata sit, quónam modo charitatis rationem habeat, eó ne quo fidei? Nequaquã. fide enim dicimur, & ea sola, iustificari, quatenus per eam Dei iusticia nobis patefit, & communicatur. Talis autem uis non cernitur in charitate, cuius non sit Christum patefacere, & eum cũ merito, satisfactione, & donis eius impartiri. sed manifestatiũ iam ad uiuendum sanctè amore complecti. Igitur aliter charitas in iustificatione nostri, aliter fides perpenditur: sed ut charitas perpendenda sit, facilis est eius rei explicatus, si illa definiatur ex Apostoli uerbis, spiritus sancti uis ex fide non ficta nata, qua nostra non quærentes, Deum supra omnia diligimus, & alteri benefacere, non nostri, sed Dei et Christi nomine elaboramus. Hæc finitio accuratè diligenterq; animo pertractata, ostendit charitatẽ ut donum diuinæ iusticiæ à Christo merito sanguinis eius per fidem nobis in iustificatione assignari. de quo suprà satis multa. Atqui obijciat hic aliquis, quod ad alteram quæstionem attinet, charitatem legis iusticiam esse, non Dei, & fidei. Qui meritorum mortis & resurrectionis Iesu Christi beneficium atq; uim perpendunt, hi in fidei atq; Dei iusticia spiritum charitatis, non in legis iusticia ponent atque numerabunt: siquidem legis iusticia est, ac humana, quæ naturæ facultate, non fide paratur, qualis iusticia, hoc donum charitatis non est. Equidem in naturæ potestate situm nõ est, amare Deum supra omnia, et alterum ut nos ipsos: sed spiritus sancti id munus fuerit, per fidem huius amoris cœlestem ignem suscitantis, quo pectora nostra purgentur de morte ad uitam translata. Quod non est humanæ iusticiæ munus, sed diuinæ. Iusticia enim humana, si ortum eius spectes, à lumine naturæ nascitur, non Dei: sin uim, animos hæc suis prauis affectibus relinquit, bonos non inserit, nimirum quæ minimè efficiat, ut fidamus Deo, atq; ab eo solo pendeamus, amoriq; eius parentes, liberos, opes, & hanc ipsam uitam posthabeamus. Hæc autem cum charitas, sacrũ diuinæ iusticiæ donum, præstet, ea diuina, non humana, fidei ex qua nascitur & regitur, nõ legis, non operum iusticia fuerit. Diuinam autem iusticiæ uim quæ in charitate cernitur, declarat eius perfectio, qua patris cœlestis præstantiam ac perfectionem imitantur. Hac enim præditi, nõ quærunt quæ sua sunt, non irritantur, non cogitant malum, oderunt iniusticiam, amant iusticiam & ueritatem, omnia sufferunt, omnia sperant: nec his contenti, diligunt inimicos suos, bene precantur deuouentibus se, benefaciunt ijs qui se odio persequuntur, orant pro ijs qui se lædunt, et hostiliter insectantur, ut sint filij patris sui qui in cœlis est, quem norunt solem suum finere exoriri super bonos & malos, & pluuiam mittere super iustos et iniustos. At hæc facere, humanæne iusticiæ est, an diuinæ? Si humanæ, cur hæc igitur docet inimicis malè faciendum esse, & amicis benè? cur hæc iactat uulgarem illam sententiam, Iucundum est hostes ulcisci? Cur Christus monet opus esse regeneratione, ut filij Dei gignamur, eius naturam, ingenium, & perfectionem in diligendo imitantes, & exprimentes? Cur charitatis spiritus in peculiaribus promissis Dei est? cur absolutio, perfectio & finis legis, à qua longè maximè abest, humana legisq; iusticia appellatur? Sin diuina, charitas igitur donum iusticiæ diuinæ fuerit, quæ nobis fide exhibeatur, non lege, non ulla facultate naturæ. Quòd si quis hic quærat, An aliquis certò sciat se hoc munus iusticiæ habere, eius hominis quæstio hæc ac percunctatio est, qui dubitat se spiritum Christi habere, quem si quis non hæsitat se tenere, idem is certò etiam senserit, à se & Deum & proximum amari, pro modo spiritus fidei quem de plenitudine ac copia Messiæ acæpit. Qui uerò non sentit à se Deum diligi, & proximum, is nec per fidem Deum patrem appellarit. Vt est apud Ioãnem: Qui non diligit, non nouit Deũ, quoniam Deus charitas est, nec Christum redemptorem suum agnouerit, nec condonata sibi peccata crediderit. In hac enim luce fidei eum uersari non posse qui fratrem non diligit, declarat idem Ioannes, ubi ait: Qui dicit se in luce esse, & odit fratrem suum, in tenebris est: etiam nunc in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ occæcauerunt oculos eius. Has autem tenebras non fert lumen fidei, quo credimus à patre nobis placato per sanguinem filij condonata esse peccata: sed eas dispellit, ut Deum pro patre agnitum amemus, & quos præcepit ille secundum se amandos esse, concupiscentia mundi relicta. quæ ut cum charitate patris pugnet, idem Ioannes ostendit: Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo: in quo autem amor patris non inest, in eo nec lumen, quod fidei lumen est, inerit. Hæc de hac altera quæstione breuiter, qua quæsitum, An charitas sit illud iusticiæ obediendi Deo donum. Vnde tertia quæstio nascitur, hanc formam habens: Si in charitate ea iusticia ponitur, qua proximè secundum fidem, legi Dei incipi-

cipimus parêre, & ea hic imperfecta sit, an ne hanc Dei iudicio aduersus peccatum liceat opponere? Si licet, cur ergo cum hanc carnem inimicam Dei circumferimus, peccatum ita in nobis grassari sentimus, ut continenter & sine intermissione oremus, ad thronum clementiæ diuinæ mentis nostræ oculos leuantes: Remitte nobis debita nostra. Si hæc inchoata iusticia satisfacit iudicio Dei, cur is ipse perfectam à nobis requirit, cur ut ad absolutionem contendamus, subinde nos nostram nobis ignauiam, inertiam, fidei & amoris tenuitatem obijciens, cohortatur? Grauis hæc quæstio est, in negocio hoc iustificationis, & digna quæ accuratè & magna cum cura tractetur. Etenim hic non leuis, sed maximi momenti res, salus nimirum & uita æterna, agitur. Nos in præsentia, quantum per gratiam Christi licebit, propositum grauissimæ quæstionis nodum hoc modo dissoluemus. In iustificatione monuimus fidē cerni et iusticiam: fidem quidē, quæ nobis iusticiam patefaciat, & exhibeat: iusticiam autem, quæ nobis patefacta exhibeatur. atque cum ostendimus hanc Christum esse, partim à satisfactione pro peccato, partim ab ea ratione qua nobis membris suis ut caput donum iusticiæ, quo uetere natura exuta, noui & cœlestes homines nascamur, impertiat, ea equidem parte qua agnoscitur is satisfecisse pro peccato tanquam piacularis uictima & nobis suam absolutam iusticiam ascribit, eum solum Dei iudicio aduersus culpam, mortem, & damnatorium legis accusantis damnantisq; chirographum opponimus. Atque in hac iustificationis parte, neque antecedentis quæ nulla sit, neque consequentis quæ à Christo ad regenerandos nos conceditur, quatenus inchoata & imperfecta est, rationem habemus: sed uno merito sanguinis filij, eiusq; iusticia absoluta omnibusq; numeris perfecta nitimur, qui insons pro sontibus, iustus pro iniustis mortuus nobis patrem cœlestem reconciliarit, impetrata remissione peccatorum. Qui igitur dicunt nos iustificari uno merito satisfactione et obedientia Christi sine respectu iusticiæ in nobis inhærentis, hi in iustificatione nostri Christum quatenus à satisfactione pro culpa, nostra iusticia est, considerant. Nam intelligunt hac parte contra peccatum, mortem, infernum, & contra authorem peccati & mortis Satanam in pugna ac lucta condemnantis nos legis solum se consistere posse. Porrò cum lex Dei requirat plenam obedientiam his uerbis præceptam, Ama Dominum Deum tuum toto corde tuo, & alterum ut teipsum: & illam obedientiam in nobis non reperit, damnandi nos sanè rebellionis ius haberet, nisi satisfactionis precium quos nos redimeremur, & perfecta absolutaq; iustitia, quam ut nostram seuero legis iudicio obijceremus, occurreret. Hoc precium, hæc iustitia absoluta, Christus est. Quod precium, quam iusticiam ut nostram, communionis iure quod inter sponsum Christum & nos sponsam, inter caput Christum & nos membra corporis illius intercedit, Deo opponere licet, cum lex nos nostræ imperfectionis accusare tentat. Hic igitur in iustificatione nostri ea pars occurrit, in qua nobis Christus à satisfactione, & qua caput ecclesiæ est plenum diuinitate, nostra iusticia per fidem agnoscitur. propter cuius plenam obedientiam, quam ipse patri exhibuit, neque in carne uitiositas, neque imperfectio nostra in præsenti seculo ad mortem nobis imputatur. Reliqua enim labes ueteris hominis Christi morte expiata est, quo minus nobis à peccati iure liberis, per fidem, noceat. & imperfectionem nostram Christus in se recipit, & suam perfectam omniq; ex parte absolutam iusticiam nobis tanquam nostram ascribit, dum & illa rudis nostra iusticia olim perficiatur: cuius absolutionem spe nunquam pudefacienda præsumimus per agnitionē longè arctissimæ coniunctionis qua nobis Christus copulatur, propter quā persuasum habemus, nostram infirmitatem & imperfectionem, atq; in uetere & terreno homine ad delinquendum hærentem propensionem, Christum in se reijcere: contrà uerò hunc suum robur, perfectam iusticiam, uitam, gloriam nobis assignare. Nam delicta nostra in Christo, in quem deriuantur, omnia possunt, agunt, dum illum imbecillitati, morti, execrationi subijciant: contrà autem Christi iusticia nobis quæ ipsa habet, hoc est uitam deleta morte, lucem abstersis tenebris, gloriam sublata ignominia, declarat atq; ostendit. In hac iusticiæ satisfacientis pro culpa, eiusq; perfectionis & nostræ miseriæ agnitione per fidē, uictoria contra tentationē nostræ infirmitatis et imperfectionis cuius nos lex reprehēdit & damnat, collocata est. de qua uictoria Ioānes: Hæc est uictoria quæ uincit mundū, fides uestra. In hac iustificationis parte hoc utrumq; uerum est, iusticiam quā non habemus, nobis imputari, quæ Christus est, cum sua absoluta iusticia: et peccatum quod habemus, non imputari. De hoc enim legimus: Beati quorū remissa sunt peccata, hoc est non imputata & ascripta. Item: Beati quorum tecta sunt peccata. sed quo operculo? Christo operculo, qui arcam, ecclesiam suam tegit iusticiæ & uitæ operculo, ut arcam in deserto Arabiæ extructam בפרת hoc est operculum suum propitiatorium texit, atq; operuit. Iusticiam uerò quam non habemus per naturam, legē & facta legis liberali gratia nobis imputari per fidem, comprobat illud: Ei qui non operatur, credenti uerò in illum qui iustificat impium, fides ad iusticiam imputatur. Hactenus de ea parte qua per fidem Christum nostram iusticiam à merito atisfactione & remissione peccatorum agnoscimus, quam Dei iudicio contra legis accusationem et condemnationem obijciamus, meminimus. Hanc partem præcipuè tractant hi qui iustificationem definiunt nostri in gratiam Dei receptionem per fidem meriti et obedientiæ Iesu Christi. At uerò cum Christus nō possit nostra iustitia à merito agnosci sine spiritu sancto, neq; meritum eius alijs prosit quàm ijs q

fide

fide illuc apprehenderint, & hæc non solum meritum, satisfactionem, et obedientiam Christi, sed hunc etiam ea parte qua nostra iusticia est, à muneribus & donis uitæ & iusticiæ communicatis, nos in iustificatione nostri, non partem Christi, sed hunc totum quatenus ex omni parte nostra iusticia est, tractare elaboramus. Nam hæc de reparatione amissæ probitatis & uitæ doctrina ita colligata est cum fide, qua certiores reddimur de beneuolentia Dei patris nobis Iesu Christi sanguine reconciliati, ut nusquã ab ea nisi ea ratione quæ suprà explicata est, separetur. Qua de re Apostolus in hunc modum monet: Nulla igitur nunc est condẽnatio his qui insiti sunt Christo Iesu, qui non secundum carnem uersantur, sed iuxta spiritũ. Ecce cum absolutione à noxa, quæ est remissio peccatorum, coniungit facultatem uiuendi ex spiritu, depositio studio carnis. Atq; id ipsum est quod hic docetur, eos qui iustificantur, in ipsa sui iustificatione accipere spiritum sanctum, quo se diuinæ uoluntati incipiant conformare: ut qui fide iustificantur, sentiant sibi condonari delicta sanguine filij, & eius merito spiritum dari, quo noui ad nouã iusticiam & uitam in ipsis uigentem homines nascantur. Vt igitur Apostolus Paulus in iustificatione nostri, cum ait, Quos iustificat, eos glorificabit, cõprehendit omnia quæ ad reconciliandos nos Deo patri, & ad renouationem nostri aptam assequendæ gloriæ pertinent, ut sunt fides, iusticia, Christus, & donum iusticiæ à Christo exhibitum, quo regenerem, ad implendam iustificationem quam lex requirit: ita etiã nos omnia in hac causa quæ in recuperatione iusticiæ & innocentiæ continentur, complecti uoluimus. Hæc autem cum traduntur non noua, sed confessa omnibus & ueteribus & nostris sacrarum literarum professoribus, qui quidem uerè et rectè docuerunt, traduntur: nisi fortassis quædam distinctius dicuntur à nobis quàm uulgo dicuntur in hoc iustificationis negocio, sed in re ipsa abesse dissensionem, nequaquam dubitamus. Etenim omnes impiorum iustificationi hæc comprehendi monent, Christum iusticiam nostram, remissionem peccatorum morte illius nobis partam, spiritum sanctum ui imputatæ et ascriptæ iusticiæ Christi nobis donatũ, quo freti & peccatorum gratiam nobis fieri per fidem credamus, & renouationem nostri, Deum & proximum puro amore diligendo meditemur. Dicas, Concedunt quidẽ hæc in iustificatione cõtineri, neq; charitatẽ qua Deus et credentes inter se amãt excludi: sed ita, ut fide, non alia quauis re iustificari nos statuamus. Quomodo accipiẽdum sit, nos fide, et ea sola iustificari, ea de re suprà sacrarum literarum sententia exposita est, quæ interpretatio ut recepta et probata sit, intelligẽt omnes qui de ijs quæ attulimus, uerè iudicare non recusabunt. Sed dices, charitatem quidem in iustificatione non excludi, sed neminem illam pro iusticia habere. pro iustitia quidem satisfaciente, & meriti non habent. Non enim amore quo amamus Deum redempti sumus, sed amore eius, de quo uates: Peccata nostra ipse portauit. Item: Sic dilexit Deus mundum, &c. Neq; etiam charitas reconciliatrix illa iusticia est, qua primò reconciliamur Deo, qui cum adhuc essemus hostes, Deo reconciliati simus, placato illo per sanguinem filij, sed pro iusticia obedientiæ merito sanguinis Iesu nata, qua conformentur animi credentium diuinæ uoluntati, charitatem habendam illi conferedunt. Hinc nostri homines sapienter charitatem cum fide necessariò coniunctam dicunt rei coniunctione, non meriti. Fidem enim in Christi morte piacularem iusticiam pro peccato solũ spectare, non in charitate qua nos diligimus Deum & alterum, non in ullis diuini spiritus donis. Hoc modo in iustificationis causa iusticia Dei explicata, graues controuersiæ componuntur, dum alij merito Christi iustificari nos sine respectu alterius rei, alij in nobis iusticiã uersari uolunt. quã diuinam naturam atq; uim esse contendum. Vtriq; rectè sentire intelligentur si perpendatur quæ sit illa iusticia quam fide ad iustificandos nos amplectimur. Nam si in Christo nostra iusticia eam partem spectemus, qua meruit morte sua reconciliationem nostri cum Deo patre, in ea parte, & ea sola nulla alia in re iusticiam meriti & satisfactionis pro peccato reponemus. Sin uerò Christum nostram iusticiam consideremus, quatenus nobis in iustificatione nostri suum spiritum impertit, quo ad nouam iusticiam & uitam innouemur, planè iusticiam quæ nõ humana, sed diuina uis sit, qualis est spiritus sanctus, nobis cõmunicaricõfirmabimus. Alteri igitur q̃ meritũ spectant, Christũ quatenus est piaculãris iusticia, et recõcilians nobis Deũ, considerant: alteri uerò qui donatum spiritum merito & beneficio mortis & resurrectionis Christi perpendunt, Christum iusticiam esse intelligunt, quatenus nos reconciliatos patri regenerat, et nouos homines fingit atq; format. Itaq; si quid contra aduersarios operũ iusticiã extollentes aduersus gratiam diuinam, agẽdum sit, ea parte Christus præcipuè tractandus fuerit, quã à merito & impetrata delictorũ remissione nostra iusticia habetur, ut his postremis temporibus à nostris theologis factitatum est, quibus contra hypocritas gratiam Dei & meritũ sanguinis Iesu Christi imminuentes, maximè fuit pugnandum. Sin uerò cum Epicureis fidem inanem ostentantibus agendũ erit, Christum quatenus nostra tristicia est ãdono & munere spiritus iusticiæ & uitæ per pœnitentiam nouam uitam molientis & ueterem abolentis in iustificationis causa diligenter docendus fuerit, hoc est & ea fides docenda atq; subinde inculcanda quæ per charitatem agit. Hoc ueteres Theologi sedulo egisse uidentur, quorum temporibus nondum tot hipocritarũ merita Christi labefactantiũ sectæ per filium perditũ satanæ artibus excogitatæ fuerunt. His explicatis percunctetur hic aliquis quæ quarta erat quæstio, si ita iustificamur, ut nos ipsi quoq; legem tandem impleamus, quid ergo faciemus Apostolo ubi dicit: Christus est perfectio legis omni credenti,

denti. ergo is ipse credi debet pro nobis impleſſe legem: quæ impletio ac perfunctio noſtra fiat imputatione per fidem, non impletione ac expreſſione qua ipſi quoque eam impleamus, & exprimamus. Huius quæſtionis nodus in ſacris literis in hunc modum diſſoluitur. Bifariam Chriſtus Dominus noſter proponitur nobis implere legem. uno modo, dum obediens patri in omnibus, iuſtus pro iniuſtis meritur, ad abroganda damnatorum ius quo nos lex inobedientiæ & rebellionis damnat. In qua ſatisfactionis pro delictis ratione, obedientia, legisq; impletio, quæ in Chriſto cernitur, noſtra fit per fidem, neceſſitudinis iure, quo caput cum corpore eccleſia, & membris eius, conſociatur noſtra inobedientia in illum reiecta: quam expiata, ne nobis exitio ſit, illius morte, perſuaſum habemus. Altero modo implet legem Chriſtus Dominus noſter, cum ut caput uniuerſæ perfectionis ſpiritualis nobis membris ſuis ſpiritum donat, quo nos quoq; incipiamus legem implere, ei parentes. De hoc perfungendi lege per ſpiritum ſanctum munere, idem Apoſtolus: Vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum uerſamur. Igitur à Chriſto nobis ſpiritus datur, cuius ui ea præſtemus, quæ lex præcipit, quod eſt iuſtificationem, ad renouationem noſtri, quam lex requirit, implere. De eodem præſtãdæ legis modo Prophetæ loquũtur, cum Deũ fatentur ſpiritum Meſſiæ in noſtra corda miſſurum, quo afflati eius legẽ et præcepta præſtemus. qua de
Deut. 30 re ſupra meminimus. De ea etiã præſtãdæ legis ratione ante prædixerat Moſes: Circuncidet Dominus Deus cor tuum, & cor ſeminis tui. ſed quæ eſt illa circumciſio cordis? Circumciſio eſt, quæ ſpiritu ſacro Chriſti fit, ad exequendam legem de amando Deo ex toto corde per charitatem. Sicut illic in Moſe ſequitur: Vt diligas Dominum Deum tuum. Hinc Apoſtolus: Qui diligit, implet legem. Habetis enim in ſe ſpiritũ charitatis, qui quæ lex mandat, ſua ſponte et ſumma cum animi alacritate ac propenſione præſtat. Vt igitur non una ratione impletur lex, ita non uno modo dicimur perfecti. Nã primò fidei ſpiritu præditi perfecti dicuntur, propter Chriſtum, qui eorum perfectio, hoc eſt abſoluta ſapientia, iuſticia, uita, ſanctitas habeatur, quæ abſolutio eis per imputationem gratuitam aſcribitur. Deinde perfecti uocantur propter ſpem, qua perfectio illa & abſoluta integritas præſumitur, & expectatur, quam tam certò ſint nacturi, quàm ſi iam haberent. Demum perfecti dicuntur pij, in eo quòd Deus inchoatam illam obedientiæ iuſticiam tanti facit, ut ſicut peccatorum, quæ reliqua ſunt in uetere homine, non recordatur amplius, ita imperfectionem hanc nunquam tanquam capitale crimen obijciat. Stat enim illud: Linum fumans non extinguet, & arundinem quaſſatam non perfringet. Equidem is piorum perſonam primò amanter propter fidem in Chriſtum amplectitur: deinde peccatorum remiſſione facta, primitias ſpiritus ſui his ſeculis conuenientes ita magnificit, ut has in Chriſto, peccatum, mortem, & omnes aduerſarias tenebrarum poteſtates uincere uelit. Nam in his non menſuram & quãtitatem, ſed præſtantiam capitis Ieſu, ex quo is modus primitiarum ſpiritus uitæ & iuſticiæ ueræ manat, ponderat: cuius inchoatæ uitæ, ſapientiæ, iuſticiæ minima portio potior ſit ad ſeruandum, quàm omni a peccata mundi ad perdendum. Huius enim pars ac modus, quamlibet paruus & exiguus, iuſticiæ Chriſti pars ac modus eſt, cui nulla contraria, neq; peccati, neq; mortis, neq; portarum inferni ius reſiſtere queat: idq; propter Chriſtum, ex quo tanquam omnium bonorum perenni fonte hoc iuſticiæ diuinum munus dimanat. Atqui hæc non ita accipiẽda ſunt, ut nobis in hac imperfectione inſiſtendũ eſſe putemus: ſed hanc agnoſcere debemus, & petere ut Deus pro miſericordia ſua hæc ſui ſpiritus dona ac munera per auctus ſuos ad perfectionẽ perducat: interim cum propheta Dauide propter uitiã quam etiam iuſtificati gerimus naturam perpetuo nobis orantibus: Miſerere noſtri Deus: item Remitte nobis debita noſtra. Hæc de iuſticia quam ſacræ literæ nobis fide patefieri, & communicari dicunt, & nos in noſtris cordibus perſentimus, monuimus: deinceps qui fructus ſint iuſtificationis noſtri, & iuſticiæ per fidem nobis communicatæ, explicandum eſſe uidetur, ne quid in hac ſemel ſuſceptã uia & ratione ex toto cauſarum ambitu tractandæ iuſtificationis deſideretur. Fructus autem iuſtificationis iam expoſitæ benefacta ſunt ac bona opera, quæ ex fide per charitatem agente proficiſcuntur. Dicimus quæ à fide proficiſcũtur. nam ut bipartitum animorum lumen eſt, alterum naturale & creatum, alterum ſpirituale & non creatum: ut item bipartita iuſticia eſt, humana & diuina: ita duo genera ſunt benefactorum, alterum eorum quæ præfulgente lumine naturæ per iuſticiam humanã eduntur, alterũ eorum quæ prælata fidei face per iuſticiam diuinam præſtantur. Alteræ actiones ciuiliter & ex more, alteræ ex fidei iuſticia bonæ iudicantur: alteræ charitatem humanam, quæ creaturã eſt uanitati ſubiecta: alteræ diuinã, quæ uis ipſa eſt Dei habitantis in nobis (de qua illud, Charitas ex Deo eſt) declarant. Atq; ut à cauſſis diſſimiliter bona ſunt opera, ex more & fide facta: ita etiam eorum uſus non idem, ſed diſſimilis habetur. Siquidem facta quæ ciuiliter bona ſunt, præſtant ut hi qui ea faciunt ab exitio quod maleficia creant liberi ſint, ad præſentem uitam tuendam. Vt eſt apud Apoſtolũ: Moſes ſcribit de iuſticia quæ ex lege eſt, quod qui fecerit ea, per illa uiuet. Etenim magiſtratus à Deo inſtitutus eſt, qui ſceleratos ſupplicio afficiat, & inſontes ſeruet, ut idem Apoſtolus ſapienter & copioſe ad Romanos diſſerit. Deinde bonis quæ in hoc ſeculo cernuntur, operã iuſticiæ legis ornantur, ac munerantur, ut ſunt liberi, opes, amici, ualetudo, dignitas. Nam hæc eſt diurna merces quæ laborantibus datur, & precium quod ancillæ Agaris filius

De benefactis.

Ismael tulit. Talem mercedem omnes ferunt qui iu-
sticiæ quæ ex lege est, hoc est quæ uiribus humanis
tenetur, opera faciunt. Imò Deus, quæ est bonitas
eius, etiam eos fortuitis bonis ornat, qui zelo quodã
hominum de falsa religione decreta superstitiosius
persequuntur, ut opes sacerdotum & monachorum
in regno aduersarij documento sunt. Benefacta au-
tem ex iusticia fidei edita primò hunc usum habẽt,
quòd in nobis diuinã uim esse ostendunt, cum ad imi
tationem Dei benemereri de omnibus, & nocere ne
mini studemus. Atq; hæc efficit ut honestis actioni-
bus præmia tum præsentis, tum futuri seculi promit
tantur. Vt est apud Apostolum: At pietas ad omnia
utilis est, ut quæ promissiones habeat uitæ præsentis
& futuræ. Christus Dominus noster quæ præmia fu
turæ gloriæ rectè se gerentibus per charitatem de-
stinata sint, his uerbis indicat: Venite benedicti pa-
tris mei, possidete regnum paratum uobis ab exor-
dio mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi edere: siti
ui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegi-
stis me. Ex hac præstantia præmiorum intelligitur
excellens bonorum operum usus. sed quam excellen
tiam ex dignitate gratiæ promissionis diuinæ, &
spiritus sancti illa efficientis ducant, ne quis in alio
quàm in Domino glorietur. Accedunt ad hanc utili-
tatem etiam alia quæ actiones laudatæ afferunt cõ
moda. Etenim primò de nobis testimoniũ dant, nos
Dei, non mundi huius spiritu ferri. De quo usu Domi
nus noster: Bonus homo ex bono thesauro cordis ex
promit bona. item: E fructu arbor cognoscitur. Hoc
modo Iacobum ex factis iustificari nos fateri dicũt,
cum ait Abrahamum non ex fide solum, sed etiam
ex factis iustificatum fuisse. Vbi uerbum iustificare
non iustos facere significat, sed iustos iam factos de-
clarare. Nam Abrahamus multo antea fide iustifi-
catus fuit, quàm iussus esset filium immolare: om-
nemq; etiam de Christo, fauore Dei, deq; numerosa
sobole promissionem iam acceperat. Animaduertit
quicũq; hanc epistolam scripsit, suo tempore à mul-
tis fidem charitatis expertem, hoc est mortuam &
fictam simulatamq; fidem, ut nostris quoq; fit tem-
poribus, ostentari: quos ut sui erroris reprehẽderet,
& uanæ ostentationis redargueret, officia pietatis
tantopere requisiuit, in quibus non secus cordis pro
bitas ac iusticia appareret, atq; in ipsis bonis fructi
bus fœcundæ & generosæ arboris indoles apparet
atq; ostenditur. Hinc fit, ut interdum iusticia nobis
à Christi spiritu afflata pro benefactis, quæ ex illa
1. Ioan. 2 oriuntur, accipiatur. Vt est apud Ioannem: Scitote q,
omnis qui facit iusticiam, ex ipso natus est. Vbi iusti
cia pro ipsis factis ex iusticia Dei in nobis uersante
editis sumitur. Tanta enim est inter hæc coniunctio
& naturalis colligatio, ut neq; iusticia Dei in cordi
bus nostris spirans, benefactis quæ proferat, careat:
neq; benefacta sine iusticia, ex qua proficiscantur, con
sistant. Vt autem bona opera de animorum nostro-
rum probitate testificantur, ita etiam de Deo in no
bis per Christum habitante ad amplificandum no-
men eius testimonium reddunt. De quo usu Domi- Matt.5
nus ipse in hunc modum apud Matthæum: Sic luceat
lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona
opera, glorificentq; patrem uestrum qui est in cœlo.
Atq; is est præcipuus usus bonorum operum, amplifi
catio uidelicet nominis diuini, quæ ultimum illud et
extremum est quod Deus in operum suorum crea-
tione et sapientissima gubernatione spectat. Hũc u-
sum conuellunt scelera eorum qui se falso cultores
Christi profitentur. Vt frequens est hac de re apud
prophetas & apostolos querela. Quæ si unquam
locum habuit, his extremis temporibus locum maxi
me habet, quibus passim Euãgelium Christi ore per-
sonamus, uita Sardana palos & Epicureos exprimi
mus. Vt libido, luxus, ambitio, auaritia, ebrietas, re-
bellio, sanguinariæ manus, linguæ petulantes, extin
ctus mutuus amor, & fides, argumento sunt. Vt me-
ritò Dominus hæc nostra tempora fatidico spiritu
respiciens, charitas ut in orbe terrarum refrigescat,
prædixerit fore. Demum benefacta in eo quoq; u-
sui sunt, quòd nostram uocationem et electionem cõ
firmant. de qua utilitate Petrus: Quapropter fra-
tres potius operam date ut uocationem & electio-
nem uestram firmam efficiatis. Nam qui sanctè &
innocenter uiuunt, rectèq; faciunt, subinde admo-
nentur diuini spiritus quo aguntur, cuiusq; ope san-
ctè rectèq; se gerũt. Porrò ut sciũt pij si quid cir-
stinctum fidei faciunt, malè se facere: ita si quid be-
ne ab eis fit, id ita benefieri sentiunt, si spiritu Dei
quo ducuntur, fiat, qui unus docet illos quid Deo ut
agant, placeat, aut displiceat. Qui spiritus unus ele
ctionis scriptionisq; nominum nostrorum in libro ui
tæ confirmator est. Quod inter cætera eius præcla
rum munus est, obsignare uidelicet pectora nostræ
de constanti Dei erga nos beneuolentia & designa
ta in cœlo nostra nunquam labefactanda hæredita
te. De quo excellenti numero Apostolus ad Ephesios
in hunc modum: In quo etiam posteaquam credidi-
stis, obsignati estis spiritu promissionis sancto, qui est
arrabo hæreditatis nostræ. At is confirmator spiri-
tus in sanctis actionib. apparet atq; elucet, ut ipsæ
causæ in effectis rebus apparent atque repræsen-
tantur. Quo magis conueniet solicitos nos esse de
honestiore uita studijsq; pietatis, ut per quæ Dei spi
ritus in nobis degens se palàm declaret, nobisq; &
alijs significationem det nostræ & uocationis ad iu
sticiam, & destinationis ad cœlestis hæreditatis pos
sessionem. Cæterum benefactorum duo sunt genera.
Vnum, eorum quæ in firma confessione gloriæ Dei
& filij eius Domini nostri Iesu Christi cernuntur: al
terum, eorum quæ ad benemerendum de fratribus
eduntur. De priore legimus illud: Corde creditur
ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem. De posterio
re autem Dominus in hunc modum, ut etiam suprà
meminimus: Esuriui, & dedistis mihi edere, & c.
Vtriusq; generis benefacta eum usum qui expositus
est habent: Vtrisq; sua merces & præmium promit
titur, & olim assignabitur. De qua mercede illud:

Gaudete

Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlis. item: Vnusquisq; mercedem accipiet iuxta laborem suum. Sed qualis est hæc merces? nũ creatum aliquod bonũ, quod in hoc aspectabili mundo locum habet? Nullo modo: sed bonum mercedis et præmij loco hæredibus cœlestis regni cedet, quod omnia quæ creaturarum ambitu comprehensa sunt bona superat. de quo ipse remunerator ad Abrahamũ: Ego ero merces tua. O præstans & laudata merces ac præmium his uerbis apud uatem Iesaiam celebratum: Ea quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, præparauit Dominus diligentibus se. sed quid parat diligentibus se? se parat fruendum, in quo et uita et hæreditas et regnum electorũ positum est. At dicet hic fortasse aliquis: Si merces constituitur benefactis, meritorũ igitur aliqua ducetur ratio, quibus mereri cœlestis regni præmia dicamur, quod merces & meritum in earum rerum numero uideatur contineri, quæ ita inter se conferuntur, ut neutrum sine altero consistat. Vt merita nulla sunt sanctorum hominum, ita eorum nulla fit mentio in sacris literis. His autem nullum concedi locum, partim id eorum ratio, partim benefactorum origo indicat. Porrò meritorum ratio est, ut quæ eorum nomen tueantur, sic fiant, ut ad ea facienda nemo obligetur. Quis enim de eo censeatur quicquam mereri, si in eum quæ debet, conferat beneficia? Porrò meritum debiti officij rationem excludit, non debiti includit. Iam autem lege diuina ea officia quæ quisq; alteri possit præstare, ut præstemus, tenemur. Hinc illud: Sic et uos cũ feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite: Serui inutiles sumus. quod debuimus facere, fecimus. Non commemoro hic, inter meritum & factorum mercedem, æqualitatem cerni, ut merces laborum merito respondeat. At talis æqualitas nulla inter benefacta quæ hac carne induti his seculis inclusi sancti præstant, & mercedem eis in cœlo decretam spectatur. Stat enim illud: Non est iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet. Etenim gerunt etiam sanctissimi homines carnem secum cõcupiscentia ac uitiosis affectibus depraua tam, per quam subinde sollicitantur ad precandum, Remitte nobis debita nostra: item, Ne intres, Domine, in iudicium cum seruo tuo. gerunt item interiorem hominem, hoc est, mentem diuino Messiæ sui spiritu tinctam ac imbutam, per hanc illud uerum esse sentiunt, Delectat me homo. secundum internum hominem, per illam congruere in nos hoc agnoscimus: Si dixerimus, Peccatum non habemus, nos ipsi fallimus, et ueritas in nobis nõ est. Hæc in illa lucta carnis & spiritus, infirmitatis nostræ et miseriæ, quã corpus peccato & morti obnoxium importat pẽsitatio, nos impellere debet, ut omni meritorum nostrorũ cogitatione deposita, & de mente nostra excussa, in unã clementiã et misericordiam Dei & in merita Christi oculos nostros conuertamus. In hæc defigens mentem sanctus uir Dauid precatur Deum, ut secum pro sua clementia & bonitate agat, non pro meritis suorum factorum, in hũc modũ adornans precationẽ: Miserere mei Deus pro magna clementia tua. Vt merita in remuneratione qua Deus suorum facta remunerat, nulla spectari ipsa meritorum ratio comprobat: ita etiam benefacta meriti nomen ac appellationem non ferre, ipsorum origo demonstrat. Oriuntur enim hæc à gratia electionis diuinæ, per quam gratuitò nobis spiritus adoptionis autor bonorum operum tribuitur. De qua gratia his uerbis apud Apostolum ad Ephesios: Nam ipsius sumus opus conditi in Iesu Christo ad bona opera, quæ præparauit Deus, ut in eis ambularemus. Si igitur beneficio diuinæ præparationis uim accipimus, per quam sanctè cogitemus et faciamus, quomodo quæso actiones, quæ Dei dona sunt, dicemus futuræ uitæ præmia mereri? si gratia diuina hic locum habet, non igitur meritum humanum: si meritum, gratiam maximo contemptu bonitatis diuinæ & meritorum sanguinis Iesu Christi euerteris. Hæc perpendens Apostolus, sic ait: Quod si per gratiam, non iam ex operibus, alioqui gratia iam non esset gratia: sin ex operibus, iam non est gratia, alioquin opus iam non esset opus. Accedunt ad deijcendum meritorum fastum promissa Dei, per quæ benefactis præmia destinantur: siquidem ubi nulla alia est obligatio quàm promissionis & pacti, gratiæ solum, non meriti erit locus. Quocirca ubi merces sacris in literis nominatur, accipienda illa non fuerit ut conferatur cum merito: sed ut ualeat idem quod præmium quo Deus sua in nobis munera gratuitò remuneratur. A qua gratia omnino excidendum fuerit illi, qui Christi meritorum oblitus, sua arrogãter iactet, cui non præmiũ, sed pœna debebitur. Hæc summatim & breuiter de bonis operibus, fructibus iustificationis, & eorum origine, generibus, usu. Vltimò in hoc iustificationis negocio finis occurrit, qui est nostri ad splendorem regni cœlestis translatio ad amplificandum nomen Dei patris in filio eius Domino nostro Iesu Christo. De quo fine Apostolus: Quos iustificat, eos & glorificabit. Continet autem glorificatio nostri, partim animorum nostrorum renouationem ad fulgorem eius cognitionis. de qua illud: Tunc uerò cognoscam quemadmodum & cognitus sum. Item: Quoniam uidebimus eum sicuti est. partim corporum nostrorum ex mortuis ad immortalem uitam excitationem, in qua cœlestis hominis Iesu Christi imaginem geramus, ut antè terreni speciem gesseramus. Atq; is est optimus & perfectissimus status, ad quem peruenamus. His expositis, superest ut iustificationis definitionẽ, quæ eius naturam atq; uim explicet, adhibeamus. Hanc esse gratuitam imputationem iusticiæ qua nos Deus in filios adoptatos per fidem à spiritu sancto sub Euangelij administrationem excitatam, remissis sanguinis Iesu Christi beneficio peccatis, iustos reddit ad cœlestis regnum hæreditatem possidendam. In hac definitione nullum caussarum genus prætermittitur. Materia ad salutẽ destinati homines sunt, quos Deus ad formandos iusticia sua tractat, qui hac in parte

Finis iustificationis.

Iustificationis definitio.

efficiens causa existimatur. de qua illud: Deus est qui iustificat, quis est ille qui condemnet? Forma ipsa diuina iusticia est, qua iusti et probi formamur. Hæc Christus Iesus est, qui partim à condonatione peccatorum, partim à renouatione & instauratione ad integritatem, uitio primi Adami amissam, iusticia nostra habetur. eo ut nouo et cœlesti Adamo à nobis induto, de quo Apostolus: Christum induistis. Induistis inquam tanquam formam, hoc est iusticiã sapientiã et uitã Dei. Huius iusticiæ quanta pulchritudo sit, cõtraria uitiorũ quib. uetus natura ex uetere Adamo profecta deturpatur, fœditas declarat, quæ aliter non potuerit elui, quàm puro puto sanguine Christi Iesu Domini nostri. Qui speciosa illa iusticia est. de qua Vates: Speciosus forma præ filijs hominũ. Quibus uerbis forma illa ac species iusticiæ, sapientiæ, uitæ, gloriæ diuinæ exponitur. de qua idem Vates in eodem psalm. in hunc modum: Propter fidem, mansuetudinem & iusticiam, & c. Et hæc iusticia longè pulcherrima Christus Dominus noster sponsam suam quoque peccati, calamitatum, mortis turpitudine absersa, suæ iusticiæ, uitæ, & gloriæ communicatione formosam reddit, cum hæc per abnegationem sui, omnibus relictis, Euangelio uitæ & gratiæ diuinæ aurem præbet, ut idem propheta indicat, illic subiungens: Audi filia, uide ut aurem adhibeas, & populum patriamq; obliuiscare. Atque per hanc abnegationem efficitur, ut sponsa de iusticiæ sponsi sui participatu loquens in Cantico sic se commendet: Nigra sum, sed formosa. nigra quidem, à ueteris naturæ uitio & calamitatibus quas fero: formosa autem, per donatam mihi speciem iusticiæ, uitæ, gloriæ sponsi mei, quem agnosco iusticiam, sanctitatem, uitam, sapientiam, & gloriam meã esse. Hæc de forma iusticiæ, quæ suprà explicata est, & hic breuiter perstricta. Finis demum qui Deo in iustificatione nostri propositus est, eorum quos ipse sua iusticia exornat, glorificatio est, & ad eum splendorem transformatio, quem filius eius Dominus noster Iesus Christus in regno maiestatis suæ habet, cui sit gloria in æternum. Amen.

De gratia Dei.

Ex hac quæ iam exposita est, iustificationis ratione, colligere licet, sola gratia & clementia diuina nostri iustificationem confici. De qua his uerbis Tit. 3 Apostolus: Bonitas & erga homines amor apparuit seruatoris nostri Dei, non operibus quæ sunt in iusticia, quæ faciebamus nos sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. item: Vt iustificati illius gratia hæredes efficeremur iuxta spem uitæ æternæ. Quare in causa parandæ salutis humana consilia, conatus, studia, merita, nullam uim atq; momentum habent, ut quæ liberalis beneuolentia Dei, quã ante condita secula erga suos, quos semel consignauit, in cœlo gerit, anteuertat. Vt Ioannes fatetur, ubi ait: Ioan. 4 In hoc est charitas Dei, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos: amore uidelicet illo, quem electio declarat, omnia antecedens. de qua illud: Quemadmodum elegit nos, antequàm iacerentur fundamenta mundi. Visum est porrò diuinæ sapientiæ ab æterno rempub. aliquam cœlestem, & eam longè amplissimam, tanquam corpus ex multis ciuibus ueluti mẽbris conflatam, describere, cui suum caput uelati ducem præficeret, qui nos ciues legibus spiritus sui regeret atque gubernaret. Atque ita Deus pater ante fundatum mundum, & factam eius molitionem, de perfectione sua & bonitate explicanda fundendaq; rationem iniit, quomodo uidelicet huius recipiendæ suum caput, suum corpus, sua item membra & partes essent: caput quidem, in quo uniuersa perfectio diuinitatis uersaretur: corpus, in quod diuinæ dotes dimanarent: membra uerò, in quæ à capite per corpus, seruata apta illorum colligatione & nexu, eadem illa perfectio deflueret. Caput, Christus Iesus filius Dei uiui: corpus, respublica illa cœlestis, hoc est ecclesia electorum est: membra, ipsi huius reipublicæ ciues, in cœlo scripti ac designati hæredes. De capite legimus illud: Et eum dedit caput super omnia ipsi ecclesiæ. De corpore autem: Quæ est corpus illius, complementum eius qui omnia in omnibus implet. Hoc ipsum est æternum Dei decretum de Christo capite, corpore ecclesia, huiusq; membris, in quibus suis temporibus magnitudinem gratiæ suæ & bonitatis declararet. Huius aũt præstantia & amplitudo primò à persona Dei æstimatur, cuius maiestas ad seruandum hominem tam abiectæ sortis à peccato factum, dignetur sese demittere. Quam Dei plenã benignitate demißionem admiratus Vates, sic canit: Quid est homo quòd memor es eius? item: Ipse cognouit figmentum nostrum, quòd puluis sumus. Deinde à rebus ipsis aduersis, à quibus liberamur, hanc gratiam metimur, ut sunt peccatum, uariæ, quibus afficimur, calamitates, & mors ipsa, atq; crudeles hostes, mundus, princepsq; mundi satan, cum ministris suis impijs tum dæmonibus, tum hominibus, nihil aliud quàm interitum, quem pijs afferant, spirantibus. præterea à redemptionis precio eadem illa clementia augetur, quo Deus pater mundum iam perditum reparare, sibiq; reconciliare uoluerit, In quo amore Deus pater qui cæteræ uicisset, mundum & potestates mundi, etiam se uicit, suum unigenam pro mundo tradens. De hoc precio longè preciosißimo apud Ioannem: In hoc apparuit charitas Dei, quòd filium suum unigenam misit in mũdum, ut uiuamus per eum. In hoc autem precio quæ ad prædicandam Dei immensam misericordiam expendantur, facile occurrent ijs qui sensu aliquo illius tanguntur, cum nempe considerant, ut hoc precium unigena Dei filius sit, ut innocens, ut patri simillimus sit, omnibus modis & numeris diuinitatis expletus: qui cum esset sapientia, iusticia, potẽtia illius: propter nos stultitia, quos sapientes: propter nos peccatum, quos iustos: propter nos infirmitas, quos firmos: propter nos seruus, quos liberos: propter nos maledictum, quos benedictos redderet, factus sit. O preciũ supra omnia precia,

cia, cui nullum par preciũ cogitatione comprehẽdi poßit. Contra hanc amplitudinem diuinæ gratiæ & clementiæ, aduersarij primò commiꝰtunt ac peccant, cum eam qualitatem quandam animis nostris infusam inertem & ociosam fingunt: & eos damnant qui gratiam partim pro fauore ac beneuolentia, qua nos Deus in filio suo gratuitò amplectitur, interpretantur: partim spiritum sacrum, cum donis suis in cordibus nostris diffusum, gratiæ uerbo accipiunt, per quem nos de placato nobis Deo citra ullam hæsitationem certiores reddamur. Etenim de hoc suo habitu infuso, quo nos iustificari dicunt, per cunctari licet, creaturã ne sit, an uis aliqua diuina. si creatura est, quomodo is hominem iustum reddet, qui omnes, quas facit Deus creaturas, nobilitate naturæ superat? Nam homo diuinitatem proximè ut ad eius imaginẽ effictus, attingit, nulla meliore inter eum & Deum natura interiecta, ut id suprà in eo loco quo sabbatum à Deo consecratum legitur, comprobatum est. Iam autem ita natura comparatum est, ut nihil ab eo ad meliorem statum adducatur quod præstantia naturæ inferius sit atque deterius. Præterea iustificanti fidei tribuitur, quòd nos regeneret, nouos homines formet, animos nostros purget: mundum, mortẽ, et peccatũ uincat. at talem uim nulla creatura habuerit. Sin uerò diuina uis est habitus ille quẽ uos fingitis, quærimus ex uobis, an spiritus Christi hæc uis sit per quã credamus, de Deo bene speremus, eumq; diligamus. si ita, igitur gratia, aut erit misericordia diuina. (de qua illud: Gratia iustificati estis, gratia seruati estis) aut spiritus ipse sanctus cum muneribus suis. De quibus hoc: Vnicuiq; data est gratia iuxta donationẽ Christi. Deinde in hoc gratiæ negocio erratur, cũ diris deuouentur, qui statuunt ita uitiatã nostrã naturã esse, ut omnia eius opera, uitia sint ac peccata: neque quicquã bene uelle & facere quenquã, priusquã sola gratia & clementia Dei, accepto spiritu fidei, iustificetur. Quàm falso enim, qui sic sacris literis & eius rei conscientia adducti sentiunt, condemnentur, pro bat illud: Natura filij iræ eramus. Iræ autem Dei obnoxius nemo est, in quo agẽdi bene uis cũ rectè factis coniuncta non desideratur. Deinde si quid fit, ita peccatum est ac uitium, si sine fide fiat, efficietur sanè, ante confectam iustificationem, quæ fide per charitatem in pijs agente constat, omnia quæ fiunt, uitiosa & praua esse. Hanc sententiam ad commendandam clementiam diuinam comprobans Vates, fatetur se à conceptu & partu labefactum esse, in hunc modum de naturæ fœditate conquerens: Psal. 51 In uitio conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. At qui sic à conceptu & partu deprauatus est, quæ benefacta ante cœptam nouam è spiritu sacro genituram ab eo edentur? Huc spectãs idem propheta, deformatæ naturæ per ipsam peccati labem sibi conscius, dicit Deum de cœlo humanum genus contemplatum, & non inuentum ab eo ne unum quidem qui probus esset à uetere natura, sed

Aduersariorum error de gratia.

ad unum omnes ex primo Adamo uitium contraxisse. De quo statim à primordijs mundi diuinus spiritus cum humano genere expostulauit, obijciens propensionem qua illud ad malum, non ad bonum, inclinaret & propendêret. Christus Dominus nostr dicit duas arbores esse, bonam & malam: nos autem ante inchoatam regenerationem ex eius spiritu, malam arborem esse, quæ bonos fructus minimè ferat. sed malos: à genitura antẽ cœlesti nos tandem bonam arborem bonos fructus producentem effici. Ex epistola ad Hebræos discimus, & id quisq; in se experitur, neminẽ sine fide posse placere Deo: ergo priusquam fide iustificamur, nos & omnia in nobis Deo displicuerint: non displicitura sanè, si ante illius exortam lucem quicquam à nobis bene fieret. Accedit huc, quòd nouus & cœlestis homo Christus dicit, natum ex carne, carnem esse, atque carnalia, non spiritualia: terrena, non cœlestia sapere: natum uerò è spiritu, spiritum esse, cœlestia cogitantem. Igitur rectè iudicarint qui nostras omnes cogitationes, uoluntates, studia, opera contaminata esse ante donatum nobis spiritum Christi affirmant, sine quo nihil néue sanctè cogitari, néue benefieri queat: eos uerò falso iudicare, qui secus iudicant: imminuíque ab eis gratiam Dei, cum ea ueteri naturæ tribuunt, quæ non habet: & adimunt nouæ, quæ sola habet, contrà quàm Apostolus facit, qui Dei clementiam deprædicans, sic ait: Nam si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo, &c. Item: Conclusit Deus omnes sub incredulitatem, ut omnium misereatur. Si igitur hostes cum simus, reconciliamur Deo: si rebelles cum simus & perfidi, misericordiam illius nanciscimur, ut ante factam delictorum gratiam omnia in nobis incredulitate, cõtemptu & despectione Dei, omnia labe & uitio deturpata sint: necesse est, quo locus diuinæ clementiæ declarandæ relinquatur, cuius ostendendæ Deus per sanguinem filij materiam non sit habiturus, si in nostra natura uetere reperiat bonitatem & probitatem, quam piaculari sanguine innocentis agni opus non sit expiari, nosq; opera facere possumus de nostra facultate, quæ Dei gratiam de congruo, ut uocant, mereantur. Quod confirmare, non hominis sit, sed bestiæ illius quæ gerit capita blasphemiæ nominibus inscripta, & os draconis habet, ex quo loquitur conuicia, et ut Daniel dicit, sermones aduersus excelsum. Tertiò hanc gratiam extenuant, qui originis uitio liberum arbitrium non ita extinctum confirmant, quin in eo accipiendæ sua ui aut reijciendæ gratiæ diuinæ & agendi cum spiritu Christi uires remanserint. Ab his qui ita sentiunt, quærere licet, si liberæ uoluntatis residuæ manserunt uires, quid Apostolo faciendum sit, ubi dicit, ante haustum libertatis spiritum, nos tanquam mancipia & seruos uenundatos sub peccatum, eius sæuissima tyrannide opprimi. Quæ sententia si uera est, ut est uera, quam diuinus spiritus extulerit, & conscientia ipsa sæuo peccati imperio uexata comprobet: quæ

Genes. 6

Mat. 12

Ioan. 3

Rom. 5. 11

igitur libera uis in tanta seruitute nobis inerit, per quam è uinculis et neruo uoxæ nos exoluamus? Nũ tenebris unquam ius erit consociandi se cum luce? iniusticiæ potestas erit amplexandi quam auersatur iusticiã? Morti uis admittendæ uitæ, à qua prorsus dissidet atq; abhorret, inerit? Si Christus Iesus, ueræ libertatis author in nobis ut uelimus rectè facere, & quod uolumus ut perficiatur, efficit, quæ igitur in nobis ante immissam in corda nostra cœlestem fidei lucem, uoluntas erit, per quam liberum nobis sit oblatam beneuolentiam Dei amplecti? is fatetur neminẽ ad se uenturũ, quem pater spiritu suo blandè & suauiter non traxerit. Huius igitur tractioni dederis, quòd propositam Euangelij lucem admittis, non naturæ & uoluntatis tuæ uiribus & facultati. Si is omnia ea quæ ad salutem parandam pertinent disponit, quid ergo nostra uoluntas aliud fecerit, quàm uiuentem in se Christum ferre, & eius motus tolerare, ut animata corpora animorum motum, agentemq; eorum uim tolerant? Hæc sentiens Apostolus, rationi & ueteris hominis arbitrio mortuus, ausus est dicere: Non ego iam uiuo, sed Christus in me. Item alio loco: Gratia Dei sum, id quod sum: & gratia eius quæ profecta est in me non fuit inanis. Obijcias, eundem etiam dicere, Sed gratiosius quàm illi omnes laborauí: ideo una cum Deo elaboramus. Apostolus ipse uerba hæc corrigens, sub
Gal. 2 iungit: Non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mihi adest. Is perpendit uim regenerationis cœlestis, hac noui ueteris naturæ uires aboleri, & nouas indi, idè Apostolus dicit, per animalem hominem nõ percipi ea quæ Dei sunt, neque posse percipi: igitur nec per uolũtatem animalis & ueteris hominis ea quæ Deo placuerint, amplectemur. Deo autẽ ut filio suo Christo fide adhæreamus, et hãc lucem in animos admittamus, placet. at hanc si ueteris hominis cogitatione non capimus, nec eiusdem uoluntate quam àduersarij statuunt, suscipiemus: sed noua mente, noua uolũtate, quæ par sit tantis muneribus admittendis, o-
Rom. 9 pus erit. Nos legimus alicubi, non esse neq; currẽtis, neq; uolentis salutis adeptionem: igitur non est uolentis hominis, sua uetere uoluntate, ut salutem adipiscatur, sed uolẽtis noua, quam regeneratio è spiritu Messiæ fingit. Is de uera facultate & agnoscendi et amplexandi cum animi quadam propensione regnũ
Ioan. 3 Dei, sic loquitur: Amen dico uobis, nisi quis natus fuerit è supernis, non potest uidere regnum Dei. In infernis autem sunt, ratio, & eius perspicacia cum luce intelligentiæ naturalis, & uoluntas quam ratio regit. Ergo opus ad hanc liberam facultatem con
2. Cor. 3 stituendam spiritu Dei fuerit. de quo Apostolus: Vbi spiritus Domini, ibi libertas: hoc est, liberè expetendi ea quæ Deo probentur, & respuendi contraria, uoluntas. Si natura ante hũc spiritum quicquam suis uiribus posset, in comparanda salute sapientes huius seculi & legis studiosi homines facilius iusticiã Dei consequerentur, quàm imprudentes, & specie illa histrionica simulatæ iusticiæ, quam lex creat, caren-

tes. At cõtrà usuuenire uidemus ex sententia Seruatoris, qui dicit: Publicani & meretrices præcedent uos in regno cœlesti. His uerbis Seruatoris nostri eõ moti, meritò quærimus hic, si naturæ ueteris uires ad salutem aliquid ualent, unde salus latroni illi adlatus Christi in cruce pendenti confecta sit, naturæne, an præuenientis gratiæ Dei uirtute? Non sanè naturæ ui fretus, ad salutem aspirauit. Nam hanc per legem latrocinium seuerè condemnantem, ne cogitare quidem licuit: & si per naturam salutem petere licuisset, æquè etiam per illam Christum amplexus fuisset. de qua re suo loco diligẽtius monebimus. Per gratiam igitur Dei anteuertentem omnes uicioſæ naturæ motus, & oculos latronis in uulnera piacularis agni conuertentem, è quibus medicinam peteret, salutem noua fidei luce affulgente, precari illi concessum fuit: Memento mei cum ueneris in regnũ tuum. Dices, sine gratia quidem Dei præcurrente salutem neminem petere & moliri natiuis uiribus, sed moliri adiutum gratia. Qui sic docent, hi partim ex nobis, partim à Christo, salutem pendère iudicant. quàm autem grauiter errent, ex eo patet, quòd totius salutis Christum autorem non faciunt, partem salutis sibi, partem Christo acceptam ferentes. Fundamentum unum, quo salus nostra nitatur, sacræ literæ ponunt Christum Iesum Dominum nostrum. at hoc fundamentum conuellunt, qui salutis partem molestiarum uirtum sustentari uolunt. Apostolus Paulus iustificationem fide constare dicit. At hæc non naturæ uires, non ullam creatam facultatem ponderat, sed in unum Christum tanquam solidum fundamentum quo fulciatur, se conuertit. Itaq; qui in iustificatione suæ quoq; rationis, sui luminis naturalis, sapientiæ, industriæ uires metiuntur, hi in eam reprehensionem incurrunt, qua Paulus illos reprehendit, acriterq; refutat, qui etiam ex lege iustificationem effici affirmabant, gratiam cum lege, uires humanas cũ diuinis, horrenda perturbatione confundentes. Vt fecit ille Pharisæus, in hũc modum gratias agẽs Deo: Gratias ago tibi, quòd nõ sim sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Quid is hypocrita et simulatæ iusticiæ ostentator aliud faciebat sic orãs, quàm quod confitebatur, partim sibi hanc suam iusticiã assignãdam, partim Deo? At cum faceret istud, Domini, qui uenerat in mundum non ad probos ad se uocandos, sed propter improbos quibus probitatem ad eos seruandos daret, hæc uox in illum iacta est: Dico uobis, descendit hic (de publicano loquẽs) iustificatus in domum suam magis quã ille. Dicit publicanum iustificatum domum redijsse, qui ad unam clementiam Dei se applicans dixisset, suis uiribus diffisus: Propitius esto mihi peccatori. Itaq; qui secus faciunt, non solum in merita Christi, sed etiã in creationis beneficium iniurij sunt. Nam qui creati sumus, cum nihil essemus, quæ ergo collatio nostrarum actionum erit ad ipsum creatorem Deum, ut dicamus nos quicquam ab eo mereri posse, & non

Mat. 21

Luc. 23

omnia

omnia gratuitò ab ipso obtinere, præsertim cum ea quæ nos facimus, Deus in nobis et per nos tanquam instrumenta sua faciat. Quid enim tu hypocrita habes quod non accepisti? Gratiam igitur diuinam qui eleuant atque oppugnant sua merita extollentes, creaturam se Dei, & hunc creatorem suum esse negant. Postremò circa tractationem gratiæ & clementiæ diuinæ ab ijs error committitur, qui illam cum electione & promissionibus ita generalem faciunt, ut per eam non debeat dici, alios ab æterno ad uitam, alios ad exitium esse designatos, sed gratiam electionis diuinæ ab habitu humanæ uoluntatis pendere. Hos enim inter electos numerant, qui iam sua uoluntate libera Euangelio credunt: repudiatos autem, qui non credunt. Atque hi sic sentientes, tum electionem, tum repudiationem ex eorũ qui fidē Euangelio habēt, aut non habēt, qualitate metiuntur. Horũ tripartitus error reprehenditur. Vnus est, quòd liberum arbitrium statuentes, in nobis positum esse uolunt, credere Euangelio: quodq; nos fidē habemus illi, id nõ merum donũ gratiæ diuinæ esse, sed naturæ facultatem ad id quoq; aliquod momentum afferre, secus q̃ sacræ literæ tradunt, & uera fide præditi experiuntur. Qua de re iam monuimus. Alter error est, q̃ gratiam electionis ad fidem alligant, eamq; non omnia quæ ad salutem pertinēt, præcedere monēt, cum dicunt alios ideo electos esse, quia Euangelio credunt, & bene uiuunt: alios uerò reiectos, quia non credunt. cum contrà ad misericordiæ Dei magnitudinem prædicandam statuendum sit, alios Christo habere fidem, quia electi sunt: alios non item, quòd Rom. 8 in illorum numero non sunt. Est enim illud firmum: Quos prædestinauit hos uocat: quos uocat, eos iustificat. Ex quo testimonio consequitur, non destinari nos & eligi ad gloriã regni Dei, quia credimus Euangelio: sed quia electi ac destinati sumus ad salutem anteconditum mundum, nos fide filij Euange- Act. 13 lium amplecti. Quò pertinet etiam illud: Crediderunt quotquot ordinati erãt ad uitam. Quæ uerba indicant, ex gratia prædestinationis diuinæ oriri fidem: non contrà, illam ex fide existere. Eodē modo affinis huic errori hallucinatio refutatur, qua confirmatur, generalem & communem esse omniũ electionem Dei. Ex tanto siquidem numero naturarũ ratione præditarum alias ad interitum, alias ad salutem destinatas æterno Dei decreto, apostolus Pau- Rom. 9 lus his uerbis declarat. Tulit multa animi lenitate uasa iræ apparata ad interitum, ut notas faceret diuitias gloriæ suæ erga uasa misericordiæ quæ præparauerat ad gloriam. At quo tempore hæc præparatio facta est, an certo aliquo tempore post mundũ conditum? Nullo modo. Equidem de hac præpara- Mat. 25 tione Dominus ipse sic loquitur: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratũ, uobis ab exordio mundi. Dicit benedictos esse quibus prædestinationis gratia mundum ipsum, prædestinatos, fidem, benefactã antecedente, paratum sit regnum Dei: & alios quosdam maledictos esse, ante iacta fundamenta mundi, qui fide & benefaciendi facultate destituti, tãdem pereant sua uitiosa uoluntate qua seruari nolint. Sic enim de his idem Dominus: Discedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Dicit maledictos esse, quibus deputatus sit ignis æternus, quorum repudiatio omnia, naturam, perfidiam, malefacta, exitium ipsorum præcurrat. Itaque nec electio, nec repudiatio communis omnium erit: sed certi aliqui in libro uitæ, aliqui in tabulis exitij & mortis scripti erunt. horum repudiationem æternam perfidia, malefactis, interitu: illorum electionem, fide, amore Dei, benefactis, præmio salutis & gloriæ comitantibus. Stat enim illud: Quemadmodum elegit nos in ipso, Ephes 1 antequam iacerentur fundamenta mundi, ut essemus sancti. Sanctitas igitur non præcedit electionem, sed eorum est qui in Christo nõ tum primò eum credũt, sed ante fundatam hanc fabricam mundi ad hæreditatem cœlestem selecti sunt. idem efficitur de repudiatis. Nam contrariorum eadem ratio est ac consideratio. His in hunc modum confirmatis, concluditur, electionem & promissiones salutis non ita generales esse, ut earum omnes sint participes: sed ad eos pertinere, quos pater cœlestis Christo Iesu filio suo dedit in quo seruentur, quemadmodum etiã Christus ipse pro talibus solum se orare apud Ioannem dicit: Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro Ioan. 17 his quos dedisti mihi, per scriptionẽ eorum in libro uitæ, qui in tempore ad Euangelium meum auscultandum uocentur, & uocati iustificentur, sumpto ex mea copia & affluentia spiritu adoptionis ad comparãdã salutẽ ueræ iusticiæ et uitæ. Neq; igitur quia antequam credimus Euangelio, ob electionem chari sumus Deo, ideo Christo opus nõ habemus. Nam non extra Christũ ab æternitate chari sumus illi, sed in Christo patefaciendo. Legimus enim nos à patre filio datos, in quo seruemur. Legimus in Christo nos electos, in quo sanctitatem assequamur. Quocirca ea in re declaratur præstantia amoris erga nos Dei, quòd ab eo amamur priusquam intelligimus nos amari: sed ita tamen amemur, ut suo tempore non ignoremus in filio & nos electos, & in imposterum semper diligendos. Christus enim Iesus iam inde à principio rerum conditarum prouisus à patre est, à quo ut capite in suos tanquã in corpus et membra dimanaret uita, et in alienos exitium. Vt qui sit ille lapis ex monte cœlesti, sine manibus, hoc est sine humano consilio, opera, industria excisus, in quem perfidi ipso contempto ad ruendum impingerent, & credentes præeunte electionis gratia eodem illo recepto per fidem consisterent, à peccato ad iusticiam, à morte ad uitam, à profundis inferorum tenebris ad cœlestem lucem translati. Atq; hoc beneficium salutis ijs qui huic seruatori inserti sunt, intelligunt sibi non sua ipsorum uoluntate, consilio, opera nuper paratum, sed mente diuina semper in Christo decretum, quod in illo & per illum tanquã

unicum

unicum iusticiæ et uitæ arbitrum patefieret et exhi beretur. Hæc de secundo errore, in quo uersantur qui prædestinationis gratiam ad fidem & bona opera astringunt, eamq; cum promissionibus ita communẽ faciunt, ut ad ipsam omnes suis uiribus se accõmodare conformareq; posse confirment: interq; electos reiectosq; discrimen, non à decreto & constitutione Dei immutabili, sed ab illorum uoluntate & studijs petendum esse. Si uerò quis sentiat electionem posteriorem esse fide, quatenus non prius intelligimus nos esse ex numero electorum, quàm fidem habeamus Euangelio: & promissiones diuinas sic generales esse, ut tamen solum credentibus sint salutares, non credentibus perniciosæ, ueluti arbitror multos bonos & pios homines sic sentire cum ijs sanè non admodum in hac causa contenderim, modò electionem diuinam antecedere omnia quæ ad salutem nostram pertinent, & doctrinam ad ea utilem esse, quæ hic exponentur, concedant: fateantúrque neminem suæ uoluntatis ui, sed solũ Dei spiritu ex antegressa prædestinatione in nos dimanante, euangelio credere. Tertius error est ex prioribus duobus natus, quem designant ij qui tradunt in hac uita de benenolentia diuina, et de æterna salute certiores nos nõ fieri. Hæc deceptio inde oritur, quòd putant à nostra libera uoluntate salutem pendêre, per quam liberum eis sit obiatam euangelij gratiã uel recipere per fidẽ, uel reijcere per rebellionem. Itaque sic statuentes, abhorrent fateri, ab electione Dei infallibili & ineuitabili uoluntatem nostram moueri, ut credamus euangelio: & credentes accepto spiritu adoptionis, ita de salute nostra certiores fieri, ut sentiamus nos gaudio scriptionis nominum nostrorum in cœlo affectos, perire non posse. De quo gaudio, quod habere debeant filij Dei, his uerbis meminit ipse liber uitæ: Gaudete quòd nomina uestra scripta sunt in cœlo. Itaq; qui huius falsæ doctrinæ semina in agro ecclesiæ spargũt, neq; prædestinationis immutabile decretum, neq; de illa contra Apostolorum doctrinam fidei certitudinem admittunt, neq; arrabonis spiritus de futura hæreditate firmum testimonium, neq; spem quæ nunquam pudefaciat, neq; promissionis diuinæ de salute æterna constantiam pensi habent: sed omnia contra fidei naturam, & magna fœderis sacri cum electis per sanguinem filij inuti, iniuria, salutisq; nostræ iactura in dubio super arenam ædificati relinquunt. Longè secus autem compositi comparatiq; sunt, qui aliter sentiunt, tum sacrarum literarum autoritate, tũ conscientiæ suæ usu adducti. Hi ex electionis doctrina iam exposita, has utilitates & fructus capiunt, ad celebrandam admirabilem sapientiam, bonitatem, & clementiam Dei. Primò intelligunt intra diuinæ prouidentiæ alas absconditi, nihil temere, casu, atq; fortuitò, sed ineluctabili Dei, cui nulla potestas, nulla uis resistat, proposito fieri. Hutus curæ rerum omnium ortus, progressus atque obitus regi: hac uitæ nostræ dies, rerũq; prosperarũ & aduersarum numerari casus: hac satanæ et antichristi atque orbis terrarum tyrannorum imperio terminos, quos non transgrediantur, designari: in summa, cuncta in cœlo, terra, abyssis, certis Dei decretis, quib. neque addi, neque detrahi quicquam possit, teneri: cuius diuinæ curæ & prouidentiæ per hanc uniuersitatem rerum sparsæ cognitio, quantam in rebus secundis moderatè ferendis, & aduersis fortiter tolerandis constantiam pariat, norunt & experiuntur qui huius doctrinæ luce illuminati sunt. Aduersariorum qui ab illa dissentiunt, eámque aspernãtur, multos reperias: qui negata hac Dei cura, sua uoluntate, consilijs, prudentia subnixi, in omnem libidinem lapsi dicunt, ut propheta eos reprehendit: Non est Deus, qui uidelicet iustos curæ habeat, & iniustos ad perdendos eos obseruet. Hæc de priore utilitate. Altera utilitas in cognitione eius uiæ ac rationis uersatur, qua Deus in perficienda suorum salute, et in expediendo impiorum interitu utitur. Quam uiã Rom. his uerbis ab Apostolo exponi diximus: Porrò quos prædestinauerat, eosdem & uocauit: & quos uocauit, eos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & glorificauit. Hæc uerba uiam ostendunt, ex qua, quomodo uniuersa salus perficiatur, intelligimus: siue eam partem quæ iustificatio est, siue eam quæ in glorificatione cernitur, spectemus. De utraque autem quoniam suprà meminimus, hic breuiter ea quæ Deum saluti perficiendæ adhibere Apostolus docet, perstringemus, quæ quinq; numerantur, præscientia, prædestinatio, uocatio, iustificatio, glorificatio. De præscientia legitur illud: Quos præscierat, eosdem, &c. reliqua quatuor ex sese apta tanquam sacræ cathenæ annuli iam memorata sunt. Est autẽ præscientia in proposito argumento, prænotio Dei, qua is alios ante condita secula in beatorum numerum ascriptos, felices, & glorioſos: alios in mortis & inferni libro consignatos, infelices & ignominioſos fore prænouit. prædestinatio uerò, qua is idem certos aliquot, ad salutem, & fœlicitatem, quam in filio Christo Iesu Domino nostro consequantur, prædestinat. Vocatio, ipse accinctus atque aggressio est, qua patefacit Deus Euangelium, missis in eius ministerium spiritu doctis legatis. Hanc, qua interiores ad obediendum Euangelio aures percellantur, iustificatio sequitur, per quam spiritus adoptionis in electis excitatur, qui testimonium det, placatum nobis esse Deum patrem per sanguinem piacularem filij, condonatis delictis: & idem iam reconciliato Deo puri amoris Dei, & hominum restitutione nos renouet ad gerendam imaginem noui & cœlestis hominis Christi Iesu, qui antea ueteris & terreni in peccatum uenundati formam gesseramus. Hanc iustificationem, absoluto crucis cursu, glorificatio, altera salutis pars, consequitur: qui ultimus quidem salutis nostræ gradus est, si euentus spectetur: sin præscientia Dei, primus. Ex hac conficiendæ salutis electorum uia ut repudiati ab electis ac scriptis in libro uitæ Christo Iesu, differant, facile liquet. Sed ut res

Luc. 10

res planius intelligatur, ad prædicandam amplitudinem clementiæ diuinæ, quæ erga uasa apparata ad gloriam declaratur, alteros cum alteris hunc in modum licebit conferre. Alteris parata est gloria cœlestis regni ab exordio mundi, alteris exitiũ cum summa ignominia coniunctum. alteri inde Euangelio credunt, et pœnitentiam agunt, quia ex ouibus pastoris Christi sunt. de quibus pastor ipse: Oues meæ uocem meam audiunt. Alteri præterea sanctè cogitare & facere rectè omnia student quæ cognouerint placere Christo, & contraria fugiunt, secus compositi affectiq; sunt impij, qui referentes patrem suum diabolum, semper mali sunt. ut exemplo est Cainus, & omnib. seculis Cainorũ progenies, quæ ex illo, ut Ioãnis uerbis utamur, malo est. & de diabolo autore peccati: Ab initio diabolus peccat. Itaq; repudiati ad interitũ ante cõdita secula sibi destinatũ proni præcipitesq; ruunt, permissi nimirũ libidini suæ, cui non relicti electi filij Dei ad cœlestia, meliore ut sreti. nituntur, atq; gubernati adoptionis spiritu plenis gradibus ad possidendam supernam hæreditatem tendunt. & eo spiritu per æternam maledictionem spoliati, hanc hæreditatem execrati nunquam obtinebunt. Nam hi ut filij Dei & hæredes eius non sunt, neq; unquam erunt: ita nec ullo etiam tempore eum spiritum accipient. de quo Apostolus: In quo etiam postea quam credidistis, obsignati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrabo promissionis nostræ in redemptionem acquisitæ possessionis, in laudem gloriæ ipsius. Neq; uerò temere fit, quòd tam dissimiliter electi & repudiati pij & impij comparati sunt: sed id ut ita fieret, ante cõstitutum hunc mundũ Deo placuit. Nam ad hunc celebrandum omnia quæ cœlo, terra, inferis, cõtinentur, ordinata sunt, ut sapiens Salomon alicubi testatur: Vniuersa propter semetipsum fecit Dominus, impium quoq; ad diem malum. Prouerb. 16. Qua in re sapientia Dei cum summa bonitate coniuncta maximè elucet, per quam mors inuenta est, quæ uitam ostenderet: infernus, qui cœlum aperiret: repudiatorũ miser status, qui electorũ gloriam declararet: imò etiam sub decretis Dei occultis culpa ipsa in mundũ peruasit, ut huius occasione amplitudo clementiæ diuinæ appareret. ut id Apostolus in Epistola ad Romanos clarè indicat. Neq; igitur est cur quidã dicant Deũ quia bonus sit, semper bonum uelle: proinde neminẽ ab eo morti et exitio destinari, quod in malis sit. Qui hoc modo reluctantur, diuinã iustitiã pro sua temeritate in iudicium uocãtes, non perpendũt quid ipsis in Epistola ad Romanos Apostolus respõdeat, neq; considerant ea quæ nobis mala apparent cum accidũt, in decretis prouidentiæ diuinæ suã boni rationẽ, ut suis locis demonstrabimus, inuenire propter finem Dei sapientiæ accõmodatum, & saluti scriptorũ in libro uitæ cõmodum. Ex hac cõficiẽdæ salutis uia ab apostolo Paulo tradita, patet prædestinationẽ seu electionẽ diuinã nõ accipi generatim, ut nonnulli uolũt, pro destinatione qua Deus statuat siue cum conditione, siue certò, ac sine cõditione quicquam facere, ut intelligas eos qui prædestinantur ad beatam uitam, cum conditione prædestinari, si obediant, si perseuerent, si probi sint, si perferant crucem: sed prædestinationem esse firmũ certumq; propositũ Dei, quo is citra adiunctionem seu conditionem, sed non citra media, quæ ipse, non nos, disponat, uitam ijs dare statuat, quos ad eam ab æterno destinauit. Non enim dicit Apostolus, nos ideo prædestinari, quia uocamur, quia iustificamur, quia in probitate perseueramus: multo minus quia nos uolumus, currimus, agimus: sed nos uocari, iustificari, perseuerare, glorificari, quòd præscientia Dei infallibili sumus prædestinati ad uocationem, iustificationem, bonas actiones, glorificationẽ, antecedẽte prædestinantis Dei gratia nostri uocationem, iustificationem, fidem, officia, perseuerantiam. De qua antegrediente gratia suprà meminimus: & infrà in Exodo, cum impiorũ induratio tractabitur, diligentius de ea disseremus. Hanc autem gratiam euertunt qui prædestinationem alligant ad nostram uoluntatem, studia, conatũ, perseuerantiam, cum dicunt pro bos, renunciantes mundo, perseuerantes, præordinatos ad uitam esse: & secus se gerentes à destinatione excidere, delericq; ex libro uitæ. Quod cum faciunt, metuuntur prædestinationem diuinam non ex præscientia Dei iminutabili, sed ab humana uoluntate & studijs. In quo suo errore non perpendunt illud: Iu hoc est charitas Dei, non quòd nos dileximus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos. sed qua dilectione? dilectione sanè, quæ cernitur in gratia firmæ electionis, nos ipsos, nostram uoluntatem, fidem, probitatem, perdurationem in bono, antecedente, qua suo tẽpore efficitur, donato spiritu filij, ut credamus Euangelio, ut uelimus, ut agamus, ut negociemur per credita nobis talenta. Dicunt prædestinationem diuinam generalem esse, in qua omnes ratione præditæ naturæ contineantur, & charæ sint Deo. legi enim, Deum uelle omnes saluos fieri, Deum seruatorem esse omnium. Si generalis est, et per eam omnes sunt chari Deo, quid ergo faciemus Apostolo, ubi non omnes selectos ad gloriam, non omnes charos esse Deo dicit, sed alios uasa gratiæ ad uitam, alia uasa iræ ad mortem & interitum apparata affirmat? Dices, loqui Paulum de iam uitiosis qui se parent uasa iræ suis uitijs & rebellione, si ita sentis. ut igitur occurremus eidem Apostolo, ubi ait alios antequam nati sunt, & boni quippiam fecerunt, amari à Deo: alios uerò odio haberi, prius quàm geniti sint, et mali quicquam egerint, qui exemplum de Iacobo & Esao ad eam sententiam probandã ex Genesi affert. Quem locum quàm malè quidam interpretentur et deprauent ad totam Paulinam disputationem de misericordia Dei euertendam, suo loco indicabimus. Dices, Deum respicere futura uitia & crimina. Verum quidem est, Deum non perdere quenquam sine culpa quam cõmiserit, qui iustus iudex sit, et in perdendo sua media, quæ ferant ad interitum, præuisa habeat in decretis suis: nihilominus tamẽ ab æterno

alijs spiritum suum dare, quo ducti sanctè cogitent & uiuant ad comparandam salutem. alijs uerò negare statuit, quo priuati in omnia scelera præcipites ruentes pereãt. Dices, Deum pro sua bonitate suum spiritum omnibus petentibus offerre. bene. sed qui petent? Omnésne? nequaquam. sed ij de quibus Christus: Qui ex Deo sunt, uerbum meum audiunt, hoc est præsciti et prædestinati ad gloriam. Hi enim uocantur, hi iustificantur, hi credunt, hi fide orabunt & petent, hi in bono perseuerabunt. Quæ de re suo loco. itaq; qui sentiunt se credere, precari, uelle se habere spiritum filij, quo iusti formentur, quo Deum patrẽ purè ament & proximum, hi certò sciunt cum summa consolatine hanc fidem, precationem, propensionem ad bonum, ex gratia antecedente prædestinationis diuinæ, non ex natura existere atq; nasci, & satanæ & omnibus eius ministris & soboli abesse. Huc pertinent loci iam sæpe citati: Quos prædestinauit, hos uocat. Crediderunt quot quot ordinati erãt, etc. Oues meæ uocẽ meã audiũt. Quos dedisti mihi, sermonem meum custodierunt, Elegit nos ante iacta fundamenta mundi, ut essemus sancti. Quapropter loci qui ostendunt Deum uelle omnes saluos, eumq; esse omnium seruatorem, ut explicandi sint ad normam fidei, infrà in Exodo & Deuteronomio monstrabimus. Dicunt neminem ab æterno ad interitum designatum, sed omnes ad salutem: idq; ex eo probant, quòd primus Adamus ad uitam beatam, quam in paradiso uiueret, destinatus sit. iam autem hoc dato, omnes etiã eius posteros ex eo gignendos, ad uitam destinatos dicemus, ut in prima aue omnes ex ea propagandas ad uolatum ordinatas confirmamus. Destinatio, qua primus homo ad uitam destinatus cum suis posteris fuit, aliam rationem habet quàm προόρισμος, hoc est præfinitio seu prædestinatio, de qua Apostolus et sacræ literæ, ubi de scriptis in libro uitæ, & electis mentionem faciunt, meminerunt. Nam prædestinatio quæ nostri instituti est, certum propositum seruandi in Christo, utamq; æternam largiendi est, carens adiunctione ac cõditione, quo præparat nos pater per uocationẽ, ut audiamus Euangelium, ut iusti reddamur illi credendo, ut rectè sanctéq; cogitemus, uelimus & agamus. Secus res habet de primo Adamo. Is quidem creatus fuit, ut feliciter in paradiso uiueret: sed hac conditione proposita, si obediret mandato. præterea sic ad uitam cum suis destinatus fuit, ut præsciret tamen Dominus eam illum non seruaturum, sed amissurũ, qui decreuisset quod Paulus refert, fieri: Cõclusit omnes sub incredulitatem, ut omnium misereretur, ut sub diffidentiæ occasione, morte inducta, ad ueram uitam per alterum Adamum aditus patefieret. Hæc conditio non spectatur in ea prædestinatione quæ in nouo fœdere, ubi iustificationis caussa agitur, apertè explicatur. In hac porrò qui sunt, eos prænouit Deus salutem certò nacturos. Quæ salus non in animali uita, ad quam primus homo factus fuit, sed in spirituali: non in delicijs terrenæ paradisi, sed cœlestis: non in bonis fluxis, sed firmis & stabilibus: non in statu bono, quem satan uersutia sua facilè labefactet, sed in eo quem nulla uis euertat, cernitur. Hæc beatitudo præuisa est à Deo, & ad eam quorum nomina in cœlo scripta sunt, destinantur, ad quam per sua media perueniant. A qua eos neq; peccati, neque sæuam mortis ius, neq; portæ inferorum, neque ullæ potestates auellunt, ut probat Apostolus, cum dicit: Nam mihi persuasum habeo quòd neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neq; ulla creatura alia poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. sed quæ res hanc tam firmam dilectionem efficit? prædestinationis gratia eam efficit, omnia nobis aduersa superans & amoliens in Iesu Christo, ut præcepit in Apostolo: Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Quapropter altera destinatio, qua Adamus primus ad uitam & felicitatem naturalem destinatus fuit cõditionem habebat: altera uerò ea caruit, quæ is primus prædestinatorum in Christo ad gloriam cœlestis regni ante acta mundi huius fundamenta destinatus fuit: sed ad quam, amissa uita animali per occasionem peccati, in altero Adamo transferretur. Dices: prædestinationem ad beatam uitam in Christo conditionem suam quoq; habere. legi enim: Qui crediderit, qui præcepta mea seruauerit, qui perseuerarit usq; in finem, saluus erit. Fatemur neminem saluum fore, & gloriam regni Dei adepturum, nisi credat & sanctè se gerens in fide permanserit. sed unde præstatur ut Euangelio fidem habeamus, ut rectè uiuamus ex præscripto fidei, ut perseueremus in sanctitate? Vi prædestinationis certæ et infallibilis, ut ex ijs quæ suprà indicata sunt, liquet, præstatur. Nam quos Deus præsciuerit infallibili sua præscientia regnũ cœlorũ possessuros, ij certò per prædestinationẽ fidem sunt habituri Euangelio, sunt ex huius sententia uitam conformaturi, sunt usque ad extremum actum in probitate fidei & officiorum perduraturi. Nam stat illud: Quos præscierit, uidelicet gloriosos fore, eos prædestinauit conformes fieri imagini filij sui. Imagini scilicet mortis & resurrectionis ad uitam, imagini crucis & gloriæ regni cœlestis, ut tota salus non ex nobis, sed ex præscientia diuina per prædestinationem ad iusticiam in filio donatam, & per iusticiam ad præcognitam salutem & gloriam pertingamus. Hæc est expedita uia & certa ratio expediendæ salutis, in qua bonitas diuina sola amplificatur in filio: & in qua qui uersantur, intelligunt ubi spem suam nulla ui atterendam ac conquassandam ponant. Hanc autem uiam quantum in ipsis est conturbant, hoc fundamentum conuellunt, qui ita liberam uoluntatem statuunt, ut liberum ei sit oblatam salutem sua ui uel accipere, uel reijcere: & nisi prò libera nostra uoluntate eam accipiamus, & acceptam conseruemus, atque in ea perduremus, salutem nos nullam adepturos: ut ægrotus sanitatem nullam

lam nanciscitur, nisi medicinam quam offert medicus recipiat: sed in morbo permansurus, si aspernetur. In argumentatione hac, quæ suo loco accuratius perpendetur, quàm fœdè erretur, pij facilè intelligunt. primò dicunt, nobis liberam uoluntatem esse, quæ sit facultas, qua quis se in utrãq; partem, in bonum & in malum, flectat, ut in hac descriptione liberi arbitrij errent, infrà docebitur. Deinde cum dicunt, salutem nemini constare, nisi quis eam oblatam sumat. Hic iurè percunctamur, qua ui sumere liceat oblatam salutis doctrinam, nostræ ne uoluntatis ui? si ita, idem in hac caussa error committetur, qui suprà refutatus est: & infrà ubi uentum erit ad tractationem liberi arbitrij, copiosius refelletur, aduersariorum argumentis, quantum per Dei gratiam licuerit, infirmatis. sin uerò dicemus, non nostræ uoluntatis, sed diuini spiritus ui salutarem doctrinam accipi, qua trahamur, incitemur, & impellamur ut illam accipiamus: iam iterum consequetur, nequaquam nobis salutem contingere quòd currimus, quòd uolumus, quòd nos ipsi conamur: sed quia pater spiritu filij sui, quem non omnes habent, efficit ut uelimus, curramus, conemur, agamus, negociemur cum traditis nobis donorum eius talentis, quod non nostram, sed Dei: non hominis naturalis, sed Christi cœlestis & spiritualis hominis in nobis uiuentis opus fuerit, agentis quidem & uiuentis in nobis pro patris præscientia & prædestinatione ex ea manante spiritu nos ad nouam uoluntatem, naturam, uitam regenerante. Hæc, qui uerè Christiani sunt, sentiunt & docent, non ponderantes quid ipsi sua uoluntate uelint, studeant, agant: sed quid Christus in ipsis uelit, uiuat, agat. qui dicunt cum Apostolo: Non amplius ego uiuo, sed Christus in me uiuit. Dices, multos tra henti patri per spiritum suum reluctari, & retroactos recedere. exemplo Iudam esse. Inficiamur quod sumis. Iudas nunquam à patre spiritu filij tractus est, ut uerè crederet Euangelio, amaret Christum, eius gratiam uitalem sentiens, qui esset filius perditus, morti destinatus, non uitæ, quam consequeretur cum cæteris apostolis. Nam spiritus Christi, in quorum pectoribus spirat, hi quoniam in regeneratione sunt, ea quæ Dei sunt, amant, expetunt, sequuntur: contraria fugiunt per consortium diuinæ naturæ, quod nulla contraria uis labefecerit. Hæc de his breuiter, hoc est de altera utilitate quam hæc de electione diuina tractatio apportat: quam cerni diximus in cognitione eius uiæ ac rationis, qua Deus in perficienda suorum salute, & in parando impiorum exitio utitur. Atq; hac utilitate animaduersa, facile quoq; licuerit multos obscuros & difficiles sacræ scripturæ locos explicare, & aduersariorum doctrinas refutare. Nam methodus quæ ex Apostolo de intelligenda salute, quo ordine atq; modo efficiatur, exposita est, nos docet quid in uniuersum inter filios Dei & filios satanæ intersit, magna consolatione eorum qui spiritu adoptionis, qui filiorum Dei & electorum proprius est, fruuntur: qui item peccatum in filium expiabile, qui in spiritum sanctũ noxam inexpiabilem committant: quídque peccatum in spiritum sanctum propriè sit, quas causssas & exitum habeat, & in quibus hæreat: utq; tractandæ sententiæ sint quæ electos semper gratos Deo, repudiatos uerò ingratos & odiosos esse indicant: quæ præterea scintillulæ diuinæ lucis in electorum animis semper, ante etiam manifestatum Euangelium, subluceant, nullæ in repudiatis appareant: qualis item sit timor Dei in electis, præcedens Euangelij cognitionem, et spiritum adoptionis: & quomodo dicatur principiũ sapientiæ, & qua ratione tantopere laudetur, ut dicat Apostolus: Nunc scio quòd in quauis gente qui timet ipsum, gratus est illi. Et si electio omnia quæ electis eueniunt præcedit, quomodo hos ad tempus, non amissa gratia prædestinationis profanari, erroribus uexari, Antichristi imperium ferre, elementorum mundi seruitutem experiri contingat. Quod mysterium, & quale, quantum ad causssam electionis attinet, in reiectione Israelitarum & eorum reconciliatione lateat: & ut id patefiat, cognita Paulina quæ iam adducta est, absoluendæ salutis methodo, & quod discrimen sit, hac eadem perpensa inter uetus fœdus & nouum ab ijs qui in fœdus recipiuntur, à confirmatore sanguine, à conditionibus, & legatis bonis: & si in uetere fœdere sua quoque spiritus sacri dona uiguerunt, quid inter ista & illa dona, quæ in nouo ab excitato è mortuis Christo cœperunt tribui, differat: quomodo, si amplitudo regni electorum à fructu mortis & resurrectionis Christi, à uictoria satanæ, & à triumpho de regno eius parto declaratur, intelligendum sit, quòd alicubi legitur, paucos esse electos, multos uocatos: ut hæc sententia interpretanda, & ad quæ tempora referenda, ne pugnare uideatur cum alijs locis scripturæ sacræ, quorum non nulli omnes familias terræ in semine Abrahami, qui Christus Iesus est, beandas esse confirmant: nonnulli electos sub umbra mystici Israelis numero ac multitudine arenas maris & stellas cœli æquare: alij loci multos, non paucos, à Christo iustificandos comprobant. Et si repudiati eorum munerum, quæ mortis & resurrectionis Christi merito scriptis in libro uitæ assignantur, expertes sunt, ut hi per indurationem cordis intereant, quid in his sit induratio ac obfirmatio animi, & unde oriatur, quas causssas & quem finem habeat: & si hœdi maledictique, ex sententia legislatoris, legem nunquam præstabunt, ut agni, quem aspernantur, spiritu carentes, quomodo illa non frustra tradita dici queat, & quem usum lex in illis habeat, quidq; in uniuersum de ui naturæ ueteris, de facultate intelligentiæ naturalis & uoluntatis humanæ, quam lex naturæ regit, statuendum sit, quousque uidelicet hæc uis

progrediatur: quid quibus in rebus tum inueniendis, tum in ijs quæ inuenta sunt, iudicandis possit, quidq; non possit: quid contrà luci quæ de se prædicat, Ego sum lux mundi: & uoluntati, quam illa moderatur, tribuendum in nouo rerum statu sit. Hi & huius generis theologici loci noti nobis erunt, intellecta Paulina de comparanda salute quam tradit, ratione: ignoti uerò & obscuri mansuri, eadem ignorata. Atqui tam imprudentes non sumus, ut in tractandis tam amplis rebus nõ intelligamus adhibendam esse moderationem. Scimus enim aliter cum peritis sacrarum literarum, aliter cum imperitis & rudibus agendum esse. Qua temperatione usus Apostolus alicubi iustificationem nulla admixta de prædestinatione Dei mentione tractat, alibi eandem tradit illa non prætermissa. Alibi enim cum infirmioribus, alibi cum firmioribus qui lacte opus non habent, negocium sibi esse cognoscebat. Neq; eum latebat, nõ prius electionem à nobis sentiri, quàm patefacto Euangelio adoptionis spiritus datus esset. proinde extra Christum de prædestinatione non esse loquendum, quæ in illo & eo solo omnem quã electi sint nacturi salutem perficiat. Atque hoc Apostoli exemplum omnino proponere sibi debent Euangelij ministri, quos prudentes temporum & personarum moderatores esse decet, ut ad eorum quorum cœlesti doctrina mentes formant, captum se accommodent, non temere omnia in uulgus indicent. At uerò ita moderatè de prædestinatione diuina differendum est, ut contraria ei doctrina non doceatur, quæ eos errores teneat, qui suprà sunt refutati. Hactenus de hac commoditate quam prædestinationis & scriptionis nominũ nostrorum in cœlis tractatio affert, monuimus. De quarta deinceps loquemur, quæ in consolandis confirmandisq; animis nostris cernitur. Etenim quæ maior firmiorq; nobis contingat consolatio, quàm si sentiamus eam quæ in nobis est de fauore Dei erga nos fidem, non temere, non ex uiribus nostræ uoluntatis quam extra spiritum Christi liberam falso fingimus, cum serua sit, peccati iuri miserrimè addicta, sed ex proposito Dei immutabili, quod fallere nequeat, cum nostra omnia fallant, existere atq; oriri? Quo proposito patris nostri cœlestis cõsiderato, Dominus noster suos in hunc modũ consolatus est: Verùm tamen in hoc nolite gaudere quòd spiritus nobis subijciuntur. sed gaudete quòd nomina uestra scripta sunt in cœlis. Quod sanè gaudiũ nulla doctrina philosophica, nulla uis intelligentiæ humanæ, nulla creatura neq; aspectabilis neq; inaspectabilis, sed unicus ille spiritus cõsolator parit. de quo Apostolus: Sed accepistis spiritũ adoptionis. per quem clamamus, Abba pater. Ex his locis, qui etiam suprà citati sunt, et suis locis, repetentur licet intelligere duas res inesse ijs qui ad cœlestem iusticiã & uitam regenerantur, quas inesse negant aduersarij. Vna est, certiores illos fieri de salute sua, quòd Apostolus hic dicat nos accipere spiritum. per quem gemitu testemur Deum patrem nostrum esse. Quid autem certius habent liberi, quàm se à parentibus suis amari, quibus arctissimo sanguinis uinculo sunt constricti? At quanto cœlestia terrenis, diuina humanis præstant, tanto maiorem amorem coniunctio quæ Deus pater cum liberis suis copulatur, crearit. Hinc illa de charitate qua Deus in filios suos flagrat, peruulgata apud prophetam extat sententia: Etiamsi Ies. 49
mater obliuiscetur infantis sui, ego tamen non obli- 2. Pet. 1
uiscar tui. Atq; hunc amorem participatus ille diuinæ naturæ, in quo sunt renati è spiritu Christi, declarat. de quo Petrus: Vos estis cõsortes diuinæ naturæ. Altera est, filios Dei in hoc seculo eo fidei & spei procedere, ut se in electorum numero comprehensos esse sentiant, quòd Christus iubeat discipulos suos gaudere se nomina sua in cœlo scriptura tenere: nõ iussurus autem si nullus scriptionis nominum nostrorum in cœlestibus tabulis sensus in hoc seculo extaret. Hinc Apostolus de se. Itaq; ego sic curro, inquit, 2. Cor. 9
ut non incertum. Atq; tam certam salutis noticiam, de qua minimè ambigas, ipsa æternæ uitæ promissio requirit. Num aut credentes promittenti Christo, nõ dubitamus nos uitam æternam iam incipere habere in interiore, qui solus hic renouatur, homine, & plenè in futuro ea fruituros, corporibus nostris quoque ad uitam suscitatis: aut si dubitamus, uel non credimus, uel cum magna imbecillitate credimus tam liberaliter promittenti qui firmiorem fidem requirens, infirmam ad tempus pro sua bonitate in parualis regni sui tolerat, non extinguit. Ex eodem fonte certitudinis fidei de electione nostri, manauit uehemens illa & plena consolationis aduersus contrarias potestates Apostoli insultatio: Quis intentabit crimina Rom. 8
aduersus electos Dei? sentiebat enim sanctus uir constantiam uoluntatis diuinæ in seruandis ijs, quorum nomina semel in cœlo notasset, nulla ui immutari, quo minus quos semel cœpisset amare Deus, pergeret amore prosequi: neq; porrò culpa, cuius tui sanguine filij sit deletum, atq; abrogatum, neq; morte, quam excitatio Christi ex mortuis uicerit: neque potestatibus mortis & inferni, de quibus in cruce triumphum egerit is cui clauem uitæ & mortis habenti omnia infera, terrestria, supera genua flectunt, neque demum infirmitate & obnoxia tot malis uitæ huius mortalis conditione Dei fauorem à suis abalienante, quòd in nostra imbecillitate Deus robur suum perficiat, qui de infirmis hanc sententiam apud prophetam Iesaiam extulit: Linum fu- Ies. 42
mans non extinguam, arundinem quassatam nõ perfringam: per opprobria autem crucis immensa gloriæ pondera electis suis moliatur. Hæc considerans Apostolus, de firmo seruandi nos in filio proposito 2. Cor. 1
Dei, & eius beneficijs sic disserit: Scimus autẽ quòd his qui diligunt Deum, omnia simul sunt adiumento, nimirum his qui ex proposito uocati sunt: ut contrà Satanæ & aduersario Christi, eiusq; membris cuncta sunt perniciosa, etiã Christus ipse cum Euãgelio suo

cum

cum cœlestibus genijs, totoq; sanctorum cœtu, & hac omni uniuersitate rerũ, quæ ab electis stans ad asserendam gloriam opificis sui, contra impios armatur. Certa enim est illa statim ab initio lata sententia de Christo, satanam cum socijs eius per Euãgelium euersuro: Ipsum conteret caput tuum. Hæc de consolatione, quam de electionis et nominum nostrorum in cœlo consignatione doctrina affert, quã euertit contraria de libero arbitrio, de facultate naturali, & uiribus uoluntatis humanæ, è qua pendeat nostra salus, disputatio. Et præcipuè euertunt hanc consolationem, qui affirmant aut omnes pariter ad uitam destinatos, aut ex libro uitæ deleri posse qui in eo scripti sint, aut ex nobis bene agentibus et in bono perseuerantibus electionẽ pendêre. Etenim qui sic sentiunt, incertũ & dubium faciũt propositum Dei, qui quos statuerit seruare, mutato animo, minus seruet, uictus uel peccato nostro, uel potestatibus aduersarijs, cum is peccatũ factus sit, ut peccatum uinceret: & in infernum deiectus sit, ut superatas eius potestates in triumpho palàm ostentaret. Dicunt, uitam perdere posse, qui ad eam sint prædestinati: & ex uitæ libro deleri, qui in eo scripti sint. Horrenda sententia, quæ nobis omnem arrabonem de æterna salute, & cunctam spem de ea subuertat. Hanc autem suam sententiam nouam & mauditam sanis interpretibus, his argumentis confirmant. Legi apud Apostolum, Iudæos propter incredulitatem ex olea amputatos, qui omnes erãt uitæ, non morti destinati, qui nimirum oleæ ad ferendum fructum insiti essent: unde effici, scriptos in libro uitæ, salutem amittere posse, eorum nominibus ex illo deletis. Cum obijciunt Israelitas destinatos uitæ, tanquam infrugiferos ramos ex olea resectos, damus id. Sed quid inde concludent? eos ne ita amputatos, ut nunquam iterum inserantur? si ita concludendum putent, quid ergo facient Apostolo ubi in sua admonitione ad gentes subijcit: Et enim si tu ex naturali exectus es oleastro, & præter naturam insitus es in ueram oleam: quanto magis hi qui naturales sunt, inserentur propriæ oleæ? atq; quod hactenus dixit figuratè & per similitudinem, in eodem loco sine similitudine sic effert: Num ideo impegerunt, ut conciderent? Absit. Sed per lapsum illorum, salus contigit gentib. in hoc, ut eos ad æmulãdum prouocaret. Quòd si lapsus illorum, diuitiæ sunt mundi: & diminutio illorum, diuitiæ gentium: quanto magis plenitudo illorum? Item: Nam si reiectio illorum, est reconciliatio mundi, quæ erit assumptio, nisi uita ex mortuis? His uerbis docet Apostolus, Israelitas reiectos quidem, sed non perpetuò reiectos. fore enim ut in gratiam recipiantur, & cum Deo patrum suorum reconcilientur propter fœdus cum illis initum, cuius per electionem ius non fallat. Sic enim dicit: Secundum Euangelium quidem inimici propter uos, secundum electionem autem dilecti propter patres. Dicit ex electione diligi propter patres, igitur electio firma est efficiens, ut etiã incredulis reijciuntur, non sic reijciantur, quin suo tempore relicta incredulitate cum, Deo redeant in gratiam. Nam sequitur: Et isti nunc incredduli facti sunt, ex eo quòd uos misericordiam estis adepti, ut & ipsi misericordiam consequantur. Quid his uerbis clarius? Israelitas esse repudiatos per diffidentiam, non perpetuò, sed qui olim facta delictorum gratia, Deo reconcilientur, sub occasione reiectionis per rebellionem misericordiæ diuinæ uim sensuri. Concludit enim reuocata hypothesi ad thesim per generalem sententiam plenam significatione clementiæ Dei: Conclusit Deus omnes sub infidelitatem, ut omnium misereretur. Ex his ordine perpendimus primò maximo nostri solatio, electionem diuinam electorum culpa irritam non fieri. Exemplo sunt Israelitæ, quos sua delicta non ita alienant à Deo, ut nunquam cum eo redeant in gratiã. Deinde cognoscimus ex Pauli doctrina, electis ac scriptis in libro uitæ omnia cedere in bonum, infirmitatem naturæ, mortem, & peccatum etiam ipsum. ait enim: Conclusit omnes sub infidelitatem, ut omnibus misericordiam tribuat. Demum discimus electorum suum casum lapsumq; esse & resurrectionem: eos equidem cadere, sed ita ut in lapsu non cõcidant, & atterantur, sed ab eo leuentur. Nam cum cadunt è manu Dei plena bonitatis minimè cadũt, quam ut uates canit labentibus ne excidant, supponit. Itaq; tantum abest ut Israelitarum amputatio ex olea prædestinationem eorum ad uitam incertam reddat, ut eam etiam illa ipsa firmam declaret & stabilẽ. Itaq; hi qui secus sentiunt, ostendũt se non scire quantam ad consolandum uim habeat pendêre à constanti proposito Dei, quod nullo casu immutandum erga nos seruandos in filio gerat, sed omnia nobis per illud in bonum conuerti. Aduersarios in hac causa, qua Israelitarum apud Mosem & prophetas reiectio et reconciliatio agitur, mysterij, cuius Apostolus meminit, rationem perpensam habere oportebat: Mysterium uobis dico, excæcatio ex parte Israelitis accidit, donec plenitudo gentium ad uenerit, & sic totus Israel saluus erit. in quo mysterio quæ ad cognoscendam stabilem destinationem ad uitam sine ulla conditione contineantur, non est huius instituti ea dere admonere, quæ commodius alio loco exponetur. Pergunt obijcere apostolum Paulum nobis, qui satis monstret electos perire, & inter reprobos ac reiectaneos numerari posse, quod dicat: Corpus meum domo, et in seruitutem redigo, ne quo modo fiat, ut cum prædicarim, ipse reprobus efficiar. Hæc autem dixisse illum electum ac destinatum ad uitam, electi igitur reprobi fieri possunt omni Dei clementia destituti. Si simpliciter Apostolus his uerbis significauit se reprobũ fieri posse in eorũ numerũ relatũ qui condẽnati noxæ tandem miserèperent, cur igitur cõtra electos nulla crimina intẽtari dicit? cur his omnia bono cedere, cur eos glorificãdos, nõ ignominia afficiendos, reijciẽdosq; affirmat? Cur Christus eos neminẽ de manu sua raptu-

ros dicit? raperentur autem de manu eius & patris, si uel peccatum, uel mors, uel ullæ potestates peccati & mortis semel electos ab æterno, reprobos reddere possent. Contra tot & tam aperta testimonia scripturæ sacræ, quibus Christo capiti insiti, contra omnes satanæ impetus fulciuntur, locum iam recitatum citant. Sed quid quæso Apostolus loco illo indicat? electósne, reprobos fieri posse, & nomina eorum qui in tabulis cœlestis uitæ consignati sunt, antiquari & induci? Absit. Apostolus enim spiritu Dei, qui ueritatis spiritus est, ubiq; sibi consentaneus in docēdo, cū regeretur, dissentanea quæ inter se essent, nusquam docere statuit, neque aliud alio loco sentire uideri uoluit. Quapropter hæc eius sententia fuerit, præmium regni cœlestis neminem adepturum, nisi in stadio crucis ad uictoriā adspirans, firmum cursum teneat, et in lucta aduersus mundum, & principem mundi satanam, aduersus carnem & eius cupiditates, strenuum pugilem & luctatorem agat: quod nisi faciat, reprobum, non electum ac hæredem habendum. at quūm hæc docet Paulus, non simpliciter & sine adiunctione significat electos reprobos fieri posse: sed cum adiunctione seu conditione, si Euangelio fidem non habeant, si ad illud uitam suam non componant, renunciantes mundo. Quod cū monet, nihil aliud monet, quàm quòd Romanos monet in methodo salutis parādæ, quæ suprà adducta est, electos non posse glorificari, nisi sint uocati & iustificati, nisi per certa media, hoc est per fidem, iusticiam, honestas actiones, luctam contra mundum ad usurpanda præmia æternæ uitæ tendant. Hoc indicare Apostolus uoluit, argumentatione ex fictione utens, qualis est illa in eadem ad Corinthios epistola: Si linguis angelorum loquar, charitatem autem non habeam. item: Si habeam omnem fidem, adeò ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. item ad Galatas: Si angelus de cœlo aliud Euangelium, &c. Huius ratiocinationis uim non animaduertentes, seruæ, non liberæ uoluntatis defensores, contra constans & ineuitabile præscientiæ et prædestinationis diuinæ propositum, id quod cum conditione dicitur, simpliciter & omnino dictum interpretantur. Qua in hallucinatione quam captionem admittant, satis ijs qui mediocriter differendi artem callent, est manifestum. Omnino in hac causa faciunt, quod solēt ij facere qui apud Germanos dicuntur, die roßhinder den uuagen spannen. Siquidem ab antegrediente prædestinationis diuinæ in Christo Iesu gratia salutis nostræ fontem petere cum deberent, ipsi contrà ad riuos digitos intendentes, ab officijs & studijs nostris retroacti, procedunt ad electionem, dum docent eos esse electos & ordinatos ad uitam, qui rectè se gerunt & officiose, qui in bono perseuerant: desinere autem esse electos, & deleri ex libro uitæ, si contrà faciāt. Quod cum statuunt, fundamentum suum ponunt super arenam, non super petram, in qua æterna Dei patris nos ab æterno in filio ad salutem nobis patefaciendo, diligentis uoluntas fide agnoscitur. Qua in re ostendunt se ab ampla bonitatis diuinæ uia ad angustam, & eam dubiam, deflectere, & alios deducere, sicut ipsi uerè dicunt se pios homines uelle à lato itinere in angustum iter reuocare. Atque id cum moliuntur, non sacrarum literarum sensu & & tenore, sed iudicio rationis humanæ cæciferuntur cæcorum duces. Dicunt Iudam reiectum fuisse, atq; ad necem damnatum, quāuis primò electus esset & scriptus in libro uitæ. Hoc cum docēt, sacris literis & omnibus pijs interpretibus aduersantur. De interpretib. ueteribus et nostris in præsentia nihil loquar: qui quid sentiant de prædestinatis & repudiatis ab æterno, quid item de satana & eius maledicta sobole, quid de Caino, de Iuda et alijs, satis notum est. Sacras literas tractabimus. Hæ Iudam non electum ad salutem, & ad participatum gloriæ regni cœlestis, sed hominem perditum, & ad supplicium perpetuum damnatum fatentur. Sic enim de eo legimus apud Ioannem: Non de omnibus uobis loquor, ego scio quos elegerim. Scio inquam quos elegerim, ut mundi sint, ut faciāt quæ ego moneo facienda, ut tandem beatitatem consequantur. Inter hos electos Iudas non est, neq; unquā fuit, qui in me capite ut membrum locum nullum habet. Nam non est ex meis, quem sanctitate mea donem & uita. Dicunt sacras literas fateri eum electum fuisse. Legi enim: Nónne ego duodecim uos elegi? Arguti homines non considerant rationes ex ambiguis ductas captiosas fallacesq; esse et nullum ad probandum momentum habere. Electio autem ambiguæ significationis uox est modò æternam illam ad salutem in Christo consequendam, destinationem, modò designationem ad apostolatum notans. Hac postrema significatione sumi in illo, Nónne ego duodecim uos elegi, omnium interpretum ueterum & nostrorum consensu res ipsa comprobat. Sic enim legimus in Actis: Quia cooptatus erat in numerum nostrum, & sortitus erat partem ministerij huius. Item apud uatem: Et episcopatum eius accipiet alter. At inter electos hoc modo etiam reprobi & diris deuoti homines numerari possunt, qui carentes fide, muneri suo minimè respōdeant. Hæc cum dicuntur ex sententia sacrarum literarum, aiunt nos cauillari, atq; suā sententiā, si Deo placet, à Christo confirmari dicunt: Ex omnibus quos dedisti mihi, pater, non perdidi quenquam, nisi filium perditum. Hæc uerba suaues homines putant à se facere. At ita confirmantes suam causam, quid respondebunt illi: Oues meæ uocem meā audiūt, et ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam de manu mea. Expēdamus hæc uerba. Quæ quæso sunt hæ oues? nūm promiscuè omnes naturæ rationis consortes? Absit.

Non

Nõ enim omnes audiunt uocẽ Christi pastoris boni. Sed hi sunt oues Christi. De quibus illud: Crediderũt quotquot ordinati erant ad uitam. Hi uocati ex præ destinationis gratia sequuntur agnum: hi semel uerè iustificati non pereunt, hos in cœlo scriptos nemo rapit de manu patris & filij. Hi sunt quos liberos prædestinatio firma & immutabilis in Christo Iesu reddit, ut in eos neq; peccati, neq; mortis ius quicquam posit. Et cum itaque habet, Iudas inter has oues nunquam locum habuit, neq; ulli hœdi repudiati in eis numerabuntur, qui nimirum cum parente suo serpente satana pastorem hunc ab initio odio habent, neq; eum nisi per hypocrisim & simulationẽ exemplo Iudæ sequuntur. Quapropter quod obijciunt de Iuda, eum etiam Christo à patre datũ, atq; ita electum & destinatum ad uitam fuisse, idem hic respondendum fuerit quod de electione responsum est, dationem quoq; non uno modo accipi. Quosdam porrò dari Christo à patre qui ei ministrent, et munere aliquo fungantur: inter hos reperiri qui malè administrantes munus suum, pereant, nemo negarit, ut exemplo est tum Israelitarum in uetere fœdere, tum gentium in nouo ecclesiæ. quosdam uerò dari à patre filio, quibus spiritum suum largiatur, ut credant, ut rectè se gerant, & uitam æternam habeant, sic accipitur, ubi ait: Manifestaui nomen hominibus. quos dedisti mihi de mũdo, tui erant, et mihi eos dedisti. Nõ pro mũdo rogo, sed pro hijs quos dedisti mihi, quia tui sunt. Hos eo amore ante conditum mundum diligi dicit Christus, quo ipse dilectus sit. Et dilexisti eos sicut me dilexisti, pater. quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum: uideant gloriã meã quã dedisti mihi, quia dilexisti me ante conditũ mundũ. Quã spem ut habeamus, Deus pater in cordibus suorum arrabonem spiritum deponit, qui certò testetur nostra nomina ita in tabulis cœlestis uitæ & gloriæ consignata, ut nũquam ex eis eradantur. Alioqui cur Dominus iubere nos gaudere præ omnibus donis, nostra nomina scripta esse in cœlo, si hæc ex illo deleri possent? cur daret suum sacrum spiritum tanquam fidele pignus futuræ hæreditatis, si hæc è manibus nostris ulla ui queat eripi? cur è spiritu filij renasceremur filij Dei, ad participatum diuinæ naturæ, si peccati ius tantum ualeret, ut ij qui electi sunt in Christo ad uitam, reiectanei fieri & ex cœlo expungi possent? Vbi habebit locum promissio uitæ æternæ, si cassa hæc unquam fiat? Quæ si infallibilis est & uerax, hanc sanè nulla contraria potestas irritam fecerit. Si filij siue naturales, siue adoptiui, siue ulla meritorum & officiorum ratione hæredes designantur, quorum alteri nascuntur hæredes, alteri liberali gratia in participatum hæreditatis cooptantur: quanto magis qui à Deo patre ab æterno hæredes scribuntur, nullo meritorum et officiorum respectu, sed liberali gratia hæredes designantur? Si Deus proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quî fieri posset, ut non cum eodem omnia, fidem, iusticiam, bonas actiones, patientiam rerum aduersarum, perseuerantiam, facultatẽ precandi, et huiusmodi omnia quæ nobis adcernendam cœlestem hæreditatem iter muniunt, nobis largiretur & donaret? Huc figendi sunt oculi piorum, hac ancora nostra nauis in mari huius mundi tot et tantis tẽpestatib. agitata, retinenda est, nõ animus ad destinationem, ad uitam cum conditione et adiunctione, quæ dubia sit & incerta, omnes de salute fidei neruos incidẽs, et spẽ infringens, intendendus. Sed dicunt ex libro uitæ eos qui in eo scripti sunt, deleri posse, idq; apparere ex Exodo & Apocalypsi. Hos locos infrà, cum ad eorum tractationem uentum erit, explanabimus, atque ostendemus, longè aliud illis significari quàm ijs apparet significari, qui perperam eos ad suum institutum detorquent. Pergamus igitur ad ultimam utilitatem quã affert methodus Paulina explicandam: quæ in eo spectatur, quòd animaduersa electione diuina, docemur quomodo depressa omni operum & meritorũ humanorum fiducia, liberalem & gratuitam Dei patris gratiam in Christo in omnibus & supra omnia in salutis causa extollamus: nostram rationem, uolũtatem, uires deijciamus, agnito illo: Nõ est neq; uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. Cũ enim in Iesu Christo charos fuisse nos Deo agnoscimus, priusquam mundus fundaretur, & priusquam geniti essemus, imò cum adhuc per peccatum hostes & inimici essemus: quem quæso in hunc modum cõsiderato proposito Dei æterno, uires, consilia, humanaq; studia locum inuenient? Quocirca Paulus ut acriter operum & legis iusticiam naturæ uitentatam infirmaret, & eam quæ fide qua filium unicum, nostram iusticiam & sanctitatem esse confitemur, constat, confirmaret, sic aduersus Iudæos lege scripta tumidos, & contra gentes naturali lege inflatas, de electione loquitur: Cum neq; boni quicquã Rom. 9
fecissent, neq; mali, ut ex electione Dei propositum maneret, non ex operibus, sed ex uocante Deo dictum est illi: Maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacobum dilexi, Esaum uerò odio habui. Quæ Apostoli sententia sacris literis confirmata, & fide sanctorum hominum comprobata, omnem naturæ uim atq; conatum, opera & merita, tum ea quæ de congruo, tum quæ de condigno uanissimis uerbis appellant, in comparanda ea iusticia quæ Deo aduersus peccati & mortis sæuum ius satisfaciat, imminuit atq; labefactat, & unam illam anteuertentem omnem nostram cogitationem atq; consilia amanter trahentis patris misericordiam commendat, cui in patefacto filio per fidem omnem salutem quam in nobis spiritu suo perficiat, ascribamus, nobis præter peccatum et labem à uetere natura, nihil tribuamus. Atque ita diuinæ gratiæ fuerit, nullum nostrum neque consilium, neque meritum, segregatio nostri per electionem ad Euangelij auscultationem. Gratiæ opus legatio Apostolorũ ipsumq; Euangelij ministeriũ cum ipsis sacris symbolis, quæ

Ioan. 17

Rom. 8

nos

nos admoneant in professione sanctæ uitæ earum rerum quas Euangelium docet, & Christus ut necessarias ad salutẽ benignè nobis donat, ac largitur. Gratuita item donatio spiritus sancti, quo noui homines effingamur, uetere abolescente. Gratiæ præterea assignantur, officia fidei ac studia, quæ in nobis & per nos instrumenta diuinæ uirtutis spiritus filij edit. Demum meræ gratiæ clementiæq; opus erit, assignatio gloriæ cœlestis regni, nullis mercenarijs operibus debiti, sed liberaliter sanctè se gerentibus promissi, beneficiis dignitatem suam ex promissis Dei, & à spiritu Christi in nobis agente, non ex nobis ducentibus. Hæc autem omnia electioni diuinæ ad cõmendandam magnitudinem clementiæ & misericordiæ Dei accepta referenda esse, satis constat. Si enim nostri uocationem ad Euangelium quod audiamus nostra salute, spectemus, occurrit illud: Quos prædestinauerat, eos & uocauit. Sin Euangelium, legimus de hoc: Quod antea promiserat in prophetis. Eiusdẽ gratiæ electionis opus esse ministros Euangelij, declarat Hieremias, Ioannes baptista, apostolus Paulus, & alij illorum exemplo selecti ad docendam cœlestem doctrinam, quos ab utero selectos ad administranda salutaria Dei oracula, sacræ literæ produnt. Si fidem spectemus, in Actis Apostolus dicit: Crediderunt quotquot ordinati erant in uitam. Sin sanctitatem & renouationem nostri per restitutam charitatem fidei luce, offert se illud: Quemadmodum elegit nos in ipso, ut essemus sancti & irreprehensibiles coram illo. Sin benefacta & bonas actiones, quas iusticia fidei in comitatu suo habet, ut hæ electionis diuinæ opus sint, idem Apostolus docet: Nam ipsius opus sumus conditi in Iesu Christo ad opera bona, quæ præparauit Deus ut in eis ambularemus. Quòd uero tandem ad præmia cœlestis hæreditatis attinet, ut hæc æterno Dei proposito mundum ipsum, nos, nostram fidem, regenerationem, benefacta antecedente scriptis in libro uitæ præparata sint, indicat Christus, cœlestis hæreditatis assignator, his uerbis: Venite benedicti patris, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Ergo rectè statuitur, perpensa prædestinationis ui & beneficio, salutis nostræ originem ab illa, nõ à nobis petendam esse, eamq; omnem clementiæ Dei tribuendam ut ab initio cœpimus confirmare in hoc de gratia diuina argumento. Quapropter non parum errant, qui putãt liberalis quidem gratiæ Dei esse, præmia proponere: quæ nisi proponerentur, nemo uellet & curreret: nostræ autem uoluntatis esse, ad præmia cursu & lucta contendere. atq; in hunc modum exponendum esse locum Apostoli: Nõ neq; currentis, neque uolentis, sed miserentis Dei. Quæ uerba ut in eum modum interpretentur, liberi arbitrij defensio eos impellit. Quæ serua libertas efficit, ut humana ratio sic in exponendis sacris literis temerè atq; pro libidine ludat, ausa tenebras in lucem inferre, contra omne naturæ & communis sensus iudicium: quo monemur, lucem tenebris illustrandis, non has lu-

ci obscurandæ adhibendas esse. Quid autem aliud est tota hominis ratio & intelligentia, si conferatur cum luce oraculorum Dei, quàm mera caligo et tenebræ? itaq; potius, ut iam cõprobatum est, omnia beneuolentiæ diuinæ opera, quæ in salute nostra perficienda eduntur, censenda fuerint, præmia currentibus proponere: et his propositis, uelle, currere, luctari, ut omnia illi assignentur, qui in nobis renatis ad nouam uoluntatem, ad nouam facultatem currendi & agendi, uiuit, spirat, agit? Qui est Christus Dominus noster, nouus & cœlestis Adamus. Sed dices: Si sic res se habet, ex homine truncum & stipitẽ facies, dum eum omni agendi ui spolias. erras, mi frater. Non enim quia ad summam clementiæ diuinæ destinantis nobis salutem ab æterno, & præparantis res necessarias ac opportunas ad illam adipiscendam referuntur: ideo cõsequitur fidei nostræ ἀργὸν λόγον, id est ignauam inertemq; rationem esse. Nã ut in prima molitione rerum primus homo halitum uitalem & animantia cætera quæq; suam animam suosq; sensus à Deo quibus reganter, acceperunt: ita in noua hac omnium constitutione, quam nouus & cœlestis homo Christus Iesus parat, ij qui ex ueteribus noui, ex terrenis cœlestes homines generantur, nouo spiritu, quem regeneratio indit, aguntur. Is autem spiritus iners uis non est, truncos, stipites & saxa reddens ex hominibus: sed ignea uis & efficax facultas fuerit, qua filij Dei incitati non minus sua sponte, suis muneribus funguntur, quàm animantia animali ui agitata, progrediendi, sentiendi, gignendiq; officia præstant, & homines nondum ad supernam hanc iusticiam, uitam atq; lucem geniti rationis atq; naturalis intelligentiæ functiones in inuiendis tractandisq; artibus, in domestica atq; ciuili uita degenda liberè exequuntur. O felices qui hoc spiritu, qui summum perfectionis gradum quo humanum genus in Christo perficiatur, continet, regũtur. Is enim spiritus, diuinus ille & uitalis halitus est, quo qui afflantur, ueram uitam & cœlestem habent. Sentiunt autem se hoc spiritu duci, hoc cœlesti flatu animari, quibus Christus placet, antichristus displicet: quibus mundus is lubricus cum sua sapientia, sua iusticia & sanctitate, cum suis delicijs & luxu sordet, regnum cœlorum cum suæ sapientiæ, iusticiæ, et uitæ donis suauiter flagrat & olet: qui cæcæ rationis, ad res diuinas, tenebras in quib. uersati sunt, aspernantur, lucem amabilem oraculorũ Dei amplectuntur, fructusq; lucis quos spiritus is qui lucis spiritus est, commendat, proferunt: & contrarios quos spiritus, qui in mundo per ambitionem, auariciam, fastum, æmulationes, odia, luxum, funestas libidines, ebrietates, cædes, falsam religionem regnat, producit, auersantur. At qui hoc modo per nouam genituram comparati sunt, trunci non erunt & stipites, sed uiuæ arbores quæ ad flumen cœlestis paradisi consitæ, uberes fructus ferunt. De his uates Dauid: Similis erit arbori ad aquas plantatæ suo tempore ferenti fructus. Vbi de iustis loquitur non sua ratione, con-

filijs,

De Euangelio.

filijs, uoluntate, sed spiritu Dei, qui Messiæ spiritus est & halitus, gubernatis.

Ex eadem iustificationis, quæ suprà explicata est, tractatione efficitur, Dei ad iustificandos impios clementiam, nulla alia, quàm Euangelij doctrina nobis patefieri. Equidem hæc una & de peccatorũ impetranda uenia, et de liberali iusticiæ dono cõciones cõtinet, quas nulla alia doctrina siue humana philosophorũ, siue diuina à Mose tradita cõplectitur. Altera enim ex rationis humanæ lumine, q, ea quæ Dei sunt, non percipit, oritur. Altera uerò etsi à Deo edita est, quæ eius uoluntatem de rebus expetendis fugiendisq; ostendat: tamen quia neque quomodo, & per quem placetur nobis ira diuina, declarat, neq; uim obediendi Deo exhibet, sed potius culpam auget & exitium affert, Euangelij nomen minimè obtinebit. Nam in Euangelio Christus mundi seruator proponitur, cuius spiritu præditos liceat sentire peccata sibi esse remissa, & intellige re unde obtemperandi Deo uim accipiant. Continet enim hoc, legem illam in cordibus non saxeis, sed mollibus scribendam, per quam cognoscamus eum condonatis delictis nobis facultatem seruando rum præceptorum donari. De qua lege apud Hieremiam: Legem meam in eorum pectore scribam, qui eorum delictis ignouero, & eorum peccatum non recordabor amplius. Item: Et eum mei timorem in eorũ animos immittã, ut à me nõ recedant. Duo hic memorantur, quæ Euangelij dispensattone ad perficiendam iustificationem continentur: condonatio peccatorum merito sanguinis Iesu Christi, & donata facultas spiritus sancti uerè colendi Deum. Eadem apud Iesaiam prophetam functio Euangelij indicatur, ubi Christum inducit loquentem & confitentem se missum à Deo patre ad בשר, id est ad lætum nuncium, quod est euangelion, afferendum afflictis, ad medendum corde fractis, ad edicendam captiuis libertatem, uinctis solutionem carceris, ad edicendum fauorabilem Domini annum, ut uocentur arbores iusticiæ. His uerbis & origo Euangelij & usus eius præclarus ostenditur. Origo quidem, cum dicit illud à Christo filio Dei in mundum misso promulgatum. Sic enim dicit: Misit me ad læta annuncianda. Vsus autem & uis declaratur, cum dicit sub illius denunciationem mente fractos sanari, captiuos seruili peccati iure in libertatem (de qua Apostolus: Vbi spiritus, ibi libertas) asseri, uinctis carcerem mortis & inferni solui, atq; cœlum aperiri, noxa ac culpa oppressos fauorabilem remissionis delictorum annum adipisci, lugentes gaudio restitutæ gloriæ absterso ignominiæ crucis puluere affici, iniustos iusticia ornari. Hunc usum Euangelij cõsiderans Apostolus, id Dei uirtutem appellat, sub cuius ministerium, deleto peccato ad iusticiam, uicta morte ad uitam, superata ira Dei & condemnatorio legis chirographo antiquato, ad gratiam ui iustificationis transferamur. Hinc efficitur, ut huius administratio, uitæ, lucis, gratiæ: legis uerò Mosaicæ dispensatio ac ministerium iræ & mortis ministerium nominetur. ueluti Apostolus his uerbis indicat: Sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti, non literæ, sed spiritus. Nam litera occidit, spiritus autem uiuificat. item: Quod si administratio mortis in literis, deformata saxis fuit in gloria, &c. Ex hac collatione facile quid inter uetus & nouum fœdus ab hæredibus, & ab ijs cum quibus hæc fœdera sanciuntur, à mediatoribus, ab arbitro sanguine, ab hæreditate et donis spiritus intersit, intelligere licebit. In uetere hæredes pueri à seruis nihil differentes continentur. de quibus in hunc modum Apostolus: Dico autem quandiu hæres puer est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium, & sub tutoribus & actoribus est usque ad tempus quod pater præscripserit. In nouo autem non pueri, sed grandiores natu liberi locum habent adoptionis, liberorum ius adepti. De quo Paulus his uerbis: At ubi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filiũ factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Hinc fit, ut in altero fœdere spiritus timoris seruilis legi pædagogo tutoriq; congruens, in altero spiritus adoptionis regnare dicatur. De quo duplici spiritu per contentionem hunc in modum idem Apostolus: Non accepistis spiritum timoris ad seruitutem, sed spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. item: Quoniam estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda nostra clamantem, Abba pater. Atque is spiritus, adoptionis spiritus est, testimonium nobis dans nos non seruos, pædagogia legis constrictos, sed filios Dei esse, libertatis Euangelij spiritu præditos, et eo Deum patrem nostrum appellantes. Qua appellatione nihil suauius & amabilius, cum in uetere fœdere Deus Dominus ferè appellatus sit per seruilem legis spiritum, qui publicè tum in puerili ætate uigebat. Si mediatores spectes, quantum differat uetus fœdus à nouo, Moses & Christus indicans. Moses in Deuteronomio sic de se dicit: Sequester fui inter nos & Dominum in tempore illo, ut annunciarem uobis uerba eius. & de eo Apostolus: Quid igitur lex? propter transgressiones addita fuit, donec ueniret semen cui promissum fuerat, ordinata per angelos in manu intercessoris. Noui autem Testamenti Christus Iesus arbiter est, & sequester, quod ipse per suam, non alienum sanguinem cõsecrauit. Vt ipse ait: Hic est calix noui Testamenti in meo sanguine. Alter mediator quàm durus & asper mediator sit, lex ipsa ab illo promulgata, & in saxo incisa declarat, cuius administratio in condemnatione & litera occidente uersatur. Declarãt item Israelitæ qui Mosæ legislatoris uultum non ferrent. Alter uerò quàm suauis sit arbiter, hoc eius uerba indicant: Onus meum leue, & iugum meum suaue. De quo in Cantico canticorum sponsa ecclesia: Sub umbra illius quem desideraueram sedi, &

di, & fructus eius dulces gutturi meo. Hunc arbitrum fœderis, non in saxo, sed in mollium pectorum cera consignati, commendat nobis amabile filij nomen quod obtinet. de quo Apostolus hoc modo: Deus olim multifariã multisq; modis loquutus patribus per prophetas, extremis diebus hisce loquutus est nobis per filium, quem constituit hæredem omnium, per quem in nouo fœdere Deus pater gratuitam peccatorũ remissionem sine seruatæ legis stipulatione proponit. De qua illud: Per quem habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum iuxta diuitias gratiæ suæ. non dicit, Propter seruatam legem. Ideo apud Hieremiã legimus: Sed hoc erit fœdus quod feriam cum domo Israel: post illos dies, dicit Dominus, omnes cognoscent me à minimo usq; ad maximum, qui iniquitatis illorum gratiam sim facturus, & peccati illorum non memor futurus amplius. contrà uerò in uetere fœdere conditio seruandæ legis requirebatur. ut id responsio Israelitarum ad uerba legis à Mose recitata facta comprobat: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus. Quapropter in uetere Testamento legis & operum iusticia uulgò cernebatur, in nouo fidei iusticia spectatur: in altero Moses legislator formidatur: in altero Christus Euangelij doctor amatur, in quo nobis gratia & misericordia Dei gratuita sine lege & operum merito offertur, atq; peccatorum uenia in paradiso ante legem à Mose traditam promissa communicatur cum donis ueræ iusticiæ, uitæ, sapientiæ & gloriæ. Hinc illud: Lex per Mosem data est, gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est. Quod præterea ad arbitrum sanguinem attinet, in altero fœdere uaccæ sanguis confirmator adhibebatur. de quo Moses in hunc modũ in Exod. Ille uerò sumptũ sanguinẽ respersit in populũ, dicens: Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus super cunctis sermonib. his. Alterũ aũt fœdus cœlestis agni, hoc est filij Dei uiuẽtis sanguis corroborat & ratum efficit. Demum ut ab hæreditate duo fœdera inter se differant sic patet. in altero hæreditas terræ Chananææ, & benedictio roris, pluuiæ, frugũ, sobolis, ualetudinis corporũ; et dotes spiritus sancti puerili ætati consentaneæ spectãtur: in altero hæreditas cœlestis cum omni benedictione spirituali adultiori ætati accommodatæ cernuntur. Hinc alteri fœderi uelamen, litera, umbra: alteri retectus uultus Christi, spiritus, lux tribuuntur. Et Christus qui in uetere uelatus, & sub umbris Mosaicis tectus fuit, in nouo submoto uelamine reuelatus apparet. Sic enim legimus: Quoniã Deus est qui iussit è tenebris lucẽ illucescere, qui lucet in cordibus nostris ad illuminationem cognitionis gloriæ in facie Iesu Christi. Et quæ in eodẽ illo uetere testamẽto de uictoria peccati, mortis, inferni, de cõdonatione peccatorũ publica, de restituenda iusticia et uita promissa sunt, & spe præsumpta, in nouo ea fide usurpantur. de qua Apostolus: Cæterùm antequam uenisset fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidẽ quæ erat patefacienda. Vbi fides accipitur partim pro eo cultu Dei quo liceat Deum citrà obseruationẽ elementorũ mundi, quæ in ceremonijs uersantur, colere: partim pro clariore lumine, quo nobis manifestè Dei de peccato, ignominia crucis, regno cœlorũ consilia & mysteria manifestantur, quorũ publica cognitio ut in patefactionis Euãgelij tẽpora incidat, mox indicabitur. Nec aliter spiritus apud Ioannem usurpatur, ubi ait: Nõ enim erat spiritus sanctus, quia Iesus nondũ erat glorificatus. Vbi spiritus per cõparationẽ sumptus nõ fidem ijs adimit qui legis Mosaicæ tẽpore uixerunt, elementis mundi subiecti: sed tales uulgo spirasse declaratur, qualis puerili ætati in legis pædagogia & tutoria potestate cõpetebat. Itaq; apud Ioãnem gratiã pro gratia nos accẽpisse legimus: gratiã uidelicet noui fœderis pro ueteris, nouã gloriã, nouã hæreditatẽ, nouum sacerdotiũ, regnũ, nouũ templũ, nouas uictimas, & noua omnia pro ueteribus. Gratiã item excellentioris fidei & præstantiorũ donorũ spiritus sancti pro gratia fidei & munerũ spiritus quæ in uetere populo uiguerunt. Vnde sapienter dicitur Dei iusticiã, sapientiã, gloriã, uitã, in ueteri Testamento uelata fuisse, et in nouo reuelata. Quæ nouatio præstat, ut in nouo fœdere contrà quàm in uetere accidit, nec gentis, nec sexus, nec ætatis habeatur ratio. In hoc enim, neq; Græcus, neq; Barbarus, neq; mas, neq; fœmina, neque iuuenis, neq; senex est, sed noua creatura in Christo Iesu nouo & cœlesti homine, cuius regnũ ab omni earũ rerũ quæ in hoc aspectabili mundo cernuntur, obseruatione liberum est. Huc pertinet quòd Dominus noster Iesus Christus dicit Ioan. 4
Ioan. 4 fore tempus in quo Deũ ad nullũ neq; tempus neq; locum affixi spiritu & ueritate sumus culturi. Vbi spiritus pro ea facultate sumitur, qua sine loci, temporũ, personarũ, & cæterarũ externarũ rerum respectu atq; notatione liberè Deũ fide & puro amore liceat colere. qui sanè cultus quoniã lege non præ
Ioan. 1 statur, dicit Ioannes: Lex per Mosen data est, gratia & ueritas per Iesum Christũ exorta est. Ostendebat enim lex Mosaica in tabulis lapideis insculpta quid faciendũ aut prætermittendũ esset: sed uim præstandi res mandatas non exhibebat, quam lex spiritus à Christo in tabulis pectorũ nostrorũ carneis exarandа exhibet atq; subministrat. Quæ uis si absit, uerè dicitur lex interimere, qua nimirũ peccatũ cognoscatur, nõ caueatur. Itaq; quæ hæc minãdo quæ fieri conueniat, imperat, ea noui fœderis lex quæ spiritus et uitæ lex est, credendo per fidẽ impetrat atq; efficit. Hæc noua lex spiritus ipse sacer est uiuificãs, ut Decalogus Mosaicus litera occidens. De qua collatione Apostolus his uerbis: Vos estis epistola Christi ministrata per nos nõ atramento, sed spiritu Dei uiui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordib. carnalibus, in quibus nõ litera legis minans, terrens, damnans, interimens scribitur, sed spiritus cõsolator et sanator inspiratur, cuius bonũ & salutare munus in medicando & saluando cernitur, ut literæ legis officium

ficium in mandando, præcipiendo & in damnando noxæ eos qui quæ præceperit, illa non seruarint. Qua propter Deus per literam legis Mosaicæ dicit: Fac quod iubeo: & nisi id feceris, peribis. Lex autem fidei dicit Deo, Da quod iubes. Et id quod precando petit, impetrat. Itaque apud prophetas legimus, nouum fœdus abolito uetere sanciendum fuisse, quod non uiolare tur, ut uetus uiolatum fuit. Sic enim ait Hierem: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus uestris in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt: sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel: post dies illos, dicit Dominus, legem meam in uiscera eorum indam, & in corde eorum scribam. Sed quam legem? legem cognitionis remissionis peccatorum per sanguinem filij factæ. Sic enim ait: Omnes enim cognoscent me. Sed quid cognoscent? Sequitur inibi: Quia propiciabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memor ero amplius. Hæc igitur lex noui fœderis, est ipse spiritus sanctus, spiritus uitæ & gratiæ: de qua suprà ex Apostolo meminimus. hinc fit, ut mirum non sit, alterum Testamentum uetus, alterum nouum uocari. Etenim in altero uetus natura tractatur, dum circumciditur, sanguine pecudum aspergitur, ueteris mundi benedictione fruitur, lege regitur, quæ gratiam antecedit, & unà cum homine nascitur. Nam lex Decalogi doctrina est in ipsa creatione humanis mentibus insita, quæ post contractam à primis parentibus culpam extincta non est, ut maneret aliqua Dei cognitio, & iudicium huius aduersus peccatum. In altero autem fœdere noua natura ac homo in nouo & cœlesti homine Messia tractatur, dum is circumciditur cordis circumcisione: sanguine cœlestis agni conspergitur ad purgandam conscientiam: alterius mundi benedictione, quæ supracœlestis benedictio est, fruitur: lege non Mosaica, sed spiritus uitæ lege, quæ Messiæ benedicti lex est, Mosaicæ legi, ut umbræ lux, ut morti uita, ut literæ spiritus succedit, gubernatur. Hoc administrationis ueteris & noui Testamenti discrimen indicat, quantum manifestatio Christi, quæ in nouo fit, differat ab ea quæ in ueteri facta est, ad donorum fidei, iustitiæ, sapientiæ differentiam. Quò referenda sunt quæ leguntur Lucæ ultimo de prophetarum oraculis, quomodo hæc non prius discipulis suis Christus cœperit aperire, quàm è mortuis ad uitam excitatus fuisset, sub id tempus misso spiritu sancto, per prophetas promisso, qui abdita Dei consilia de redimendo humano genere per Messiam illis exponeret dato spiritu qui ueram sapientiam, ueram iustitiam cum uita afferret. Huc spectans Apostolus sic ad Romanos scribit: Ei autem qui potens est uos confirmare secundū Euangelium meum, & præconium Iesu Christi, iuxta patefactionem mysterij temporibus æternis taciti, manifestati uerò nunc, & per scripturas propheticas iuxta delegationem æterni Dei in obedientiam fidei in omnes gentes patefacti. Quibus uerbis Apostolus ostendit, publicam spiritus adoptionis doctoris mysteriorum Dei dispensationum in tempora noui fœderis per sanguinem Iesu Christi confirmati, referendam esse: & eam non cuiusuis doctrinæ, sed Euangelij tantum postremis temporibus palàm manifestandi, ministerio perfici. Deinde colligitur, testimonia quæ De Christo in uetere & nouo Testamento dantur, non parem claritatem habere. Dominus noster dicit apud Ioannem, Mosen de se scribere: Si crederetis Mosæ, inquit, crederetis forsitan & mihi. de me enim ille scripsit. Scripsit autem is de Christo, partim editis de eo oraculis. (Vt est illud de sobole sacrosancta nō ex uirili semine, sed spiritu sancto concipienda, & ex uirgine puro partu nascenda: Ipsum conteret caput tuum. De quo semine item alio loco: In semine tuo benedicentur omnes gentes. & de eadem sobole ex ore Iacobi: Non auferetur septrum de Iuda, donec uenerit Silo. et si quæ sunt alia oracula.) Partim uerò sub ceremonijs de eodē Christo locutus est ille. Quid enim Mosaicæ cæremoniæ sunt aliud, quàm tectæ mutæq; de Christi morte & resurrectione, huiusq; salutarib. donis conciones? Sic petra, & ex hac expressæ aquæ: sic manna in solitudine Arabum depluta: sic aræ, uictimæ, sales, olea, lumina, panes, sacerdotium, regnum de Christo præmonebant & testificabantur. In prophetis qui inter Mosem & apostolos noui fœderis legatos, interiecti testes erant, partim obscura, partim clariora quàm Mosæ sunt, testimonia inueniuntur. Vt uidere licet in Iesaia, et alijs sacris uatibus. Porrò quæ planius magisq; perspicuè pro ratione ueteris Testamenti possint nobis Christum explicare, quàm ea quæ Iesaias capite 7. 9. 11. 53. & 61. de illo testimonia affert? In quibus origo, conceptus, natiuitas, infirmitas carnis, quam ferret ad mundi culpam luendam, mors, eiusq; usus et ex mortuis ad uitam & gloriam regni cœlestis excitatio, eiusq; diuinitas & munera ita signatè exponuntur, ut non legi, sed uideri audiriq; sentiantur. Quæ autem obscuriora sunt, apud Mosen et apud prophetas de Christo testimonia, ea noui Testamenti scripturæ umbrarum inuolucris explicatis, apertissima reddunt, submoto uelamine, de quo Apostolus: Nam usq; ad diem hodiernum idem uelamen in electione ueteris Testamenti manet: nec tollitur uelum quod per Christum aboletur. Aboletur autem hoc uelamen, partim cum peccatum cordibus nostris oppansum deletur, quod in causa est, ne cœlestis illa lux in nos ad aperiendam salutem admittatur: partim cum tenebræ rationis humanæ, immissa per spiritum sacrum luce, quæ de se dicit, Ego sum lux mundi auferuntur. Hoc autem quoniam fit sub prædicationem Euangelij, meritò huius doctrina lucis, ueritatis, uitæ doctrina dicitur, per quam apertè Apostoli scisso uelo templi, de Christo Iesu Domino nostro iam mortuo ad expiandam culpam, et excitato ex mortuis ad reparandam uitam & iustitiam, effuso de cœlo uitæ, lucis at iustitiæ spiritu testificātur, et inde testes quoq; appellantur. ut de his in Act. legimus: Vos eritis testes

Rom. 16

Ioan. 5

Gen. 3

Gen. 49

Exod. 16

2. Cor. 3

Ioan. 8

Act. 1

Hierosolymis,nõ qui lẽ tales qualis Moses uelato uultu testis fuit,quẽ literæ & mortis ministrum fatemur: nõ quales prophetæ testes fuerũt,qui cõciones de uenturo olim Meßia mũdi seruatore,eiusq; Euãgelio uulgãdo cũ munerib.spiritus sacri habuerũt:sed testes eritis iã exhibiti Meßiæ,qui uestra testimonia ita reddatis,ut cũ eis mysteriorũ Dei noticia,spiritus cũ donis sapientiæ,iusticiæ,uitæ,gloriæ administretur,sicut legimus noui fœderis ministros mysteriorũ Dei & spiritus dispensatores ac ministros esse. Nã de his sic Apo
2. Cor. 3 stolus ait:Qui & idoneos fecit nos ministros noui Testamẽti nõ literæ,sed spiritus.itẽ:Sic nos æstimet homo,ut
2. Cor. 3 ministros Christi & dispensatores mysteriorũ Dei. Dicit mimstros Christi et spiritus esse. Quare quæ uirtus Euãgelij prædicationi tribuitur,sic accipiẽda erit ut non obliuiscamur eorũ quæ Paulus de hoc ministerio alio loco admonet:Quis igitur est Paulus?quis Apollo?nisi ministri p quos credidistis,ut cuiq; Dñs dedit. Ego plantaui,Apollo rigauit.Deus uerò dat incremẽtũ.Itaq; neq; qui plantat,est aliquid,neq; qui rigat,sed qui dat incrementum Deus. Ex his uerbis primò discimus,duplex esse Euãgelij uerbũ quod percipitur:alterũ exterius,in has corporatas aures incurrẽs:alterũ interius,qua interiores mentis aures percelluntur. duplicem üem ad partitionem hominis duplicis,uerbi Dei auscultationem.Verbum externum cum ipso sono dilabitur,internũ firmum est & sibi constans,ut quod sit ipse Christus Iesus,æternum Dei uerbum in eorum animis qui credunt,spirans & mentes mouens,ut ueritati fidem habeant,& eam sermone,uita,& omnibus pietatis studijs atq; officijs declarent.Deinde intelligitur,non aliter apostolos noui fœderis & spiritus Christi administros esse,quàm id Apostolus ipse interpretatur,cum ait se serere,Apollinem irrigare,& Deum fata augere. Ministrorum igitur fuerit,publicè regni cœlestis Euangelium docere,sacrarum rerum sacra symbola exhibere,potestatem clauium in pertinaces grauiter exercere ad Ecclesiasticam disciplinam in ciuitate Dei conseruandam:Christi uerò & huius unius tanquã summi sacerdotis munus censetur,spiritum sanctum impartiri,qui & Euangelij doctores ad rectè docendũ,& auditores ad audiendam sacram doctrinam cũ aliquo fructu præparet:impartiri aũt spiritũ suum cũ uelit,& quãdo & quibus uelit:uelle uerò cõmuni lege illũ tribuere publicè sparso in orbẽ terrarũ per ministros suos Euangelio regni cœlestis.de qua lege illud:Prædicate Euãgeliũ omni creaturæ,quicũq; credi
Rom. 10 derit,&c. item: Quomodo autem inuocabũt eum cui non crediunt?quomodo autem credent,de quo non audiuerunt?quomodo autem prædicabunt,nisi missi fuerint? Hac sorite concluditur dignitas administrationis Euãgelij,ex cuius auscultatione cõmuni lege adoptionis spiritus ad iustificandos nos necessarius,in eorum animis quos Deus pater extimularit,atq; instinxerit,
1. Cor. 12 excitetur.Huc pertinet diuina illa institutio qua Deus in ecclesia sua apostolos,prophetas,doctores,ordinauit:quos si sustuleris,ut id satis detestabilis illius desolationis,qui antichristus est,in loco sancto uersantis tẽpora comprobant,lucem,iusticiam,uitam,fidem sustuleris.Hinc Apostolus:Ergo fides ex auditu est,auditus autem per uerbum Dei.In quo loco si exteriorem auditionem spectemus,Ex uocula consecutionis ordinem notat,quo ipsas res minus præstantes præstantiora sequũtur ac comitãtur. Sin uerò interiorem auscultationem quam mens habet,& uerbum illud Dei uiuum consideres,Ex præpositio causam efficientem indicat, quæ ipse uerbi Dei æterni spiritus est,nulla creatura, nulla res externa.Quæ interior auditio excitata per uim impellentis patris,nisi adest,exterior nihil profuerit:præsente uerò illa,exterior id præstiterit,quod menti sensus præstant,qui animorum nuncij dicũtur. Hæc siue originem,siue naturam,uim,usum Euangelij spectemus,indicant, quam dignitatem illud habeat,& quanta ueneratione ueri eius ministri colendi sint, quorum munere nullum sub cœlo maius sit atque augustius. Itaque monemur hic,quanta cura,diligentia, circumspectione deligendi sint, qui administratione Euangelij fungantur, ne quibusuis illa mandetur,sed talibus quales paßim sacræ literæ describunt,in quorum pectore non mundi huius spiritus ambitionem,auariciam,superbiam,contemptũ donorum Dei,odia regnet,sed spiritus ille cœlestis uersetur,de quo ipsius dispensator Christus his uerbis meminit:Nõ estis uos loquentes,sed spiritus patris mei quẽ est in cœlo.Hinc Christus suos legatos nõ prius ad prædicãdũ Euãgeliũ in terrarũ orbem emisit, q̃ sacrũ soluẽdi, cõdonãdi,ligãdiq; peccata spiritũ accepissent.Is aũt spiritus quales reddat, declarãt fructus eius quos Apostolus ad Gal.recẽset,et præter illos dicẽdi uis illa sapiẽtiæ diuinæ sale condita, episcopos exornat, quæ imperitos docere,ignauos exhortari,lugẽtesq; cõsolari, et aduersarios ueritatis, erroris sui reprehẽdere ac cõuincere possint, usurpatis seueris castigãdi scelera clauib.quarũ potestate rebelles & cõtumaces, qui ad meliorẽ frugẽ redire nolint,è ciuitate Dei eijciantur, et cæteri peccatores reprehensionẽ nõ aspernãtes respiscãt ad amplificãda beneficia seruatoris nostri Iesu Christi.Hæc de Euangelio, cuius doctrina ab æterno Deo prouisa est ad iustificationem electorum conficiendã. Ex huius explicatione facilè intelligitur,quàm contraria sit ei doctrina quam pastor ille stultus in terrarũ orbẽ inuexit, quẽ Zacharias propheta in hunc modũ describit:Eæ ego excitabo pastorẽ in terra,qui dispersa nõ cõgregabit,perdita nõ quæret, & contrita nõ sanabit. Etenim is uecors pastor dogmata quibus humanã iusticiam euersa diuina constituat,excogitat, cũ hypocritarũ merita pro meritis Christi,quibus unis Euangeliũ fidendũ esse monet, elementa mũdi,hoc est lustrales aquas, purgantẽ ignẽ.sal, olea,ferias,sacrificia,suffita,aras,templa idolis aureis,argenteis,plumbeis lapideis,ligneis repleta,ciborumq;,temporum,et uestiũ delectum pro ueris rebus & cœlestibus colendæ esse præscribit.Hoc autẽ cum studet facere, tenebras submota luce contrà quàm præcepit Euangelium,reducit: & non perpensis his Apostoli uerbis, Hæc sunt umbra rerũ futurarũ,corpus aũt Christi:tẽpora & le-

Zachar.

ges Euãgelij fœdißimo errore mutat, ut oraculũ hoc
Dan.7 Dan. impleat: Verba cõtra supremũ loquitur, sanctos altißimi conteret, & tempora legemq; mutare cogitabit, temporibus nempe seruandi Euangelij per tempora contrariæ doctrinæ commutatis. Porrò in corpore illo, cuius ex Paulo fecimus mentionem, inueniuntur regenerantes ad ueram iusticiam & uitam
Zac.13 aquæ ex uitali fonte Christo scaturientes. de quibus Propheta: In die illa erit fons patens domui Iacob & habitantibus Hierosolymæ in ablutionem improbi. At hunc fontem quantum in ipso est, is uesanus ucrius lupus, quàm pastor cum Philistæis suis obturat. Inuenitur & ignis diuinus ueteris hominis expurgator & instaurator noui. de quo illud: Baptizabit uos spiritu & igni. Is ignis sacrosancti Christi igneus spiritus est, quo solo electi ad puritatem quam Deus habet, siue mortui, siue uiui fuerint, repurgantur, nullo materiato, quem aduersarius quæstus gratia confinxit, uerum ignem per doctrinas suas Euangelio aduersas extinxit. Inuenitur præterea sal quo Euangelij
Colos.4 sermo conditur. de quo Apostolus: Sit sermo uester con-
Matt.5 ditus sale. & Dominus noster uerus ille & cœlestis sal: Vos estis sal terræ. cui contrarius est cassus ille & infatuatus sal, quo Antichristi ipsius pseudo prophetæ condiuntur: Qui sal ille est, in quem Lothi uxor retrò spectans, contemptis cœlestibus quæ ante se erant
Gen.19 bonis, conuersa fuit. Reperitur & oleum in hoc eodẽ corpore quod Christi est: non fœtens & putridum, quo sacerdotium illud rasum & habitu ignoto ipsi Chri-
Ioan.2 sto uestitum unctum est: sed sacrum & cœleste diuinitatis oleum, de quo Ioannes: Vnctio docebit uos omnia. Hanc autem unctionem quæ Euangelij dispensatione continetur, Antichristus per errores suos tollit. Idem iudicium de cæteris, ut est regale sacerdotium, sacrificia, templum uiuis lapidibus extructum, lucer-
Ies.49 næ perennem lucem ex eo luminari mittentes. de quo propheta: Dedi te in lucem gentiũ. Hanc uerò lucẽ Antichristus à nobis auellens, palpabiles illas Aegypti tenebras nostris oculis offundit. in quibus iam multis seculis Ecclesia se uersari conqueritur, & hoc tempore eas paulatim exorta Euangelij luce depelli uehementer gaudet. Pane, cuius fit mentio apud Ioannem, Ego sum panis uitæ, aduersariorum contraria doctrina priuare nos molitur, inducta miserrima fame, de qua Amos propheta: Futurum est, dicit Dominus, ut immittam famem in terram, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed famem audiendi uerbum Domini, uerbum sanè Euangelij Satanæ dolo & malis artibus per filium eius perditum interceptum. Is cum pane cœlesti per errorum ministros nos spoliat, panem suum terre
Gen.3 strem, quo per diuinam execrationem cum serpente uescitur, nobis ad comedendum exhibet. de quo ex sententia Dei apud Mosem: Et puluerem terræ comedes. Sacrificium Christus diuinum ex sacris literis nobis ostenditur, quod semel oblatum mundi peccata sustulerit: hostes Euangelij sacrificium nouum excogitarunt, & excogitatum etiamnum contra ueritatem tuentur, quo ipsi Christum cum libet pro peccatis tum uiuorũ, tum mortuorum offerunt. Hæc ut facerent, eos sui non amor Dei, non charitas & studiũ salutis Ecclesiæ, sed auaricia incitaut qua impulsi sub specie aemulationc ueræ religionis, ad hanc tantam potentiam, opes, amplitudinem peruenerunt, ut etiam principibus, regẽbus, & Cæsaribus formidabiles sint. Tantũ potuit efficere ficticiũ illud sacrificium, dæmonũ ludibrio ad dementandas humanas mentes inuentũ. Non cõmemoro alia bona quæ in Christo cernuntur, & Euangelij administratione patefiunt, atq; communicantur, quibus per Antichristi dogmata tenebrarum & errorum plena, spoliamur. Confirmat is uota contra libertatẽ Christianam, quibus tot sectæ continentur, quot ferè hominum capita sunt, cum unum sit piorum hominũ uotum in baptismo aduersum carnem, mundum & principem mundi Satanã nuncupatum: una solum sacra secta, quæ in unius Euangelij Christi libera ab omni elementorũ mundi respectu professione spectatur. Excogitat sacramentorũ numerum ignoratum Christo & eius Apostolis, uera ratione sacrorum signorum obliterata. Taceo hic quomodo prohibitis matrimonijs institutis à Deo, à Christo confirmatis, à sanctis hominibus usitatis, cœlibatum omni genere libidinum & stuprorũ non nominandorũ infamẽ probarit, & ut se suos à magistratus ciuilis iure uindicet, secus q̃ Euangelium ipsum præcipit, Date cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei. satis est manifestũ. Qua in re indicat bestiã se illã immanẽ esse quæ omnẽ diuinã ordinationem & institutionem uastet: Domesticam quidẽ, uetitis connubijs: ciuilẽ, dũ se supra hãc efferẽs, sacrificulos suos ab illa liberos reddit: ecclesiasticã autem, cum ecclesiã Euangelij legibus priuat, & eam sua tyrannide opprimere studet. Atq; hoc agẽs, meritò dicitur supra omne Dei numen se efferre. potestate in infera, terrestria et supera sibi insolẽter uendicata. Hãc declarare ipse uoluit per coronã illã triplicẽ auro & gemmis splendidẽ & magnificè exornatam. Hanc Christi et Antichristi, & utriusq; doctrinæ collationem adiungere libuit, quo facilius & planius intelligeretur, quæ Euangelij & eius administrationis sit dignitas, cum summa salute humani generis coniuncta: & hac animaduersa, maiore studio, diligentia, fide, sacrosanctũ Euangeliũ his postremis temporib. ex profundis quas aduersarius electis offudit tenebris in lucẽ cœptũ reuocari, amplectemur, sanctitate & innocentia uitæ per honestas actiones, studio bene merẽdi de omnib. nocendi nemini, exprimeremus ore palàm, & cõstanter contrarijs doctrinis reformidatis prædicaremus, quo ira Dei deuitata, in ea ciuitate quã claritas æterni Euangelij illuminat, & cuius lucerna agnus est, locum inueniamus. Quod ut fiat, præstet Dominus noster Iesus Christus, cui sit gloria & honor in æternum. Amen.

Hactenus de Euangelij doctrina, & eius administratione, quæ nostri iustificationem perficit, docuimus: deinceps fidem, quam Apostolus ex auscultatione Euangelij oriri indicat, tractabimus. At id quo melius fiat, partiri fidei genus usum est. Vt bipartita intelligendi uis est, natiua & diuina, ita in sacris De fide.

literis sua & pijs & impijs fides tribuitur. Hos natura duce, ea quæ in sacris literis de Deo & filio eius, Christo Iesu Domino nostro traduntur, uera esse credere: illos uerò Dei spiritu afflatos, fidem habere oraculis diuinis: alterâ fidem naturali intelligentia, alterâ Dei luce in animis sanctorum hominum radiante formari. Hanc solum filijs Dei concedi, illam omnibus ratione præditis naturis communem esse. Alteram fidem creaturam uanitati obnoxiam, alteram diuini spiritus uim esse, à uanitate liberam. Porrò philosophi & sapientes huius mundi homines lumine naturali illuminati, per ea quæ facta sunt, æternam Dei potentiam & diuinitatem intelligere dicuntur, non item pro dignitate amplificare, gloria eius in brutorum animantium & mortalis hominis similitudinem conuersa. Quare quàm infirmi & debiles sint radij huius lucis, facilè intelligitur. Hinc fit ut hæc lux tenebræ uocentur. Sic enim Dominus de illa loquitur: Nam si lumen quod in uobis est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ? proinde tantum abest ut impij hoc fidei genere meliores reddantur, ut etiam illius face prælucente deteriores euadant, dum per eam odium Dei nõ auRom.7 fertur, sed irritatur. In hoc enim genere lucis peccatũ per legem occasione accepta, reuiuiscit et augescit, in deq; occidit, & exitium intentat: ut exemplo sunt dæmones, qui credere dicuntur, & contremiscere, metu horrendi iudicij Dei perculsi. Qui maiestatis diuinæ in Messia benedicto conscientia tacti, eum per hanc fidem filium Dei quamuis confiteantur, non tamen per eandem illum suum seruatorem à quo seruentur confitentur & agnoscunt, qui dicant: Quid nobis tecum est fili Dei? Exẽplo item sunt in uniuersum omnes qui in sacrum delinquunt spiritũ, quorũ crimen ex cognita ueritate per hanc fidem oritur uenia carens. Quapropter hæc fides q̃iners sit ad renouandos animos, declarant hi qui ore profitentur Christũ, factis negant. quos ebrietas, libido, auaricia, ambitio, fastus, inimicitia, inuidia, amor rerum terrestriũ, contemptus cœlestiũ, fidem inanẽ & mortuam habere testantur. Hanc fidem quam Dominus temporariã uocat, habent ij qui apud Matthæũ his uerbis notantur: At qui in saxetũ semen iactum exceperat, hic est qui uerbum meum audit, ac protinus cum gaudio accipit illud, ueram radicem in sese non habet, & temporarius est. Cernitur etiam idẽ fidei genus in his quorũ mentio apud Ioannẽ fit: CumIoan.2 aũt essent Hierosolymis in festo Paschæ, multi crediderunt in nomen eius, uidentes signa eius quæ edebat: ipse autem Iesus se eis non credebat. Huiusmodi fides ex auscultatione Euangelij præeunte luce naturalis intelligentiæ nascitur, per quã mentes eorũ qui eam tenẽt, saxetum illud sunt, in quod semen uerbi Dei iactũ, quia non multum terræ reperit, protinus ut cœperit subnascsci, exaresc it, dum profunditas agri quæ satis sit ad fouendum semen, & pluuia cum rore cœlestis spiritus abest. Contraria diuinæ fidei qua iustificamur natura est. Huius enim lumen de luce admirabili Dei lumẽ est per spiritum sanctũ Messiæ in animos credentium Euangelio immissa, in quam Petrus nos ex tenebris humanæ rationis translatos dicit: Nam ut in hoc aspectabili mundo per solarem lucem, solem ipsum uidemus: ita per fidei lucem, quæ Dei lux est, Deum quantum Psal.4per præsentem uitam licet, contemplamur. Stat enim illud suprà quoq; citatum: In lumine tuo uidebimus lumen: lumen uidelicet gratiæ, sapientiæ, iusticiæ & gloriæ Dei in facie Iesu Christi, submoto uelo Mosaico, resplendentis. Hinc quoq; quanta uis sit fidei ueram iusticiam afferentis, satis est manifestum. Huic tribuitur & regeneret, & pectora nostra purificet, ius peccati deleat, peccatorum remissionem ostendat, & ostensam apprehendat, mortẽ allata uita auferat, portas inferni patefacto cœlo frangat, mundũ superet atq; potestatem eius euertat: cœlum nobis aperiat, & iusticiã eius nobis impertiat. Quæ uirtus documento est fidem non creaturam, sed diuinam facultatem esse ex copia et affluentia spiritus Christi nobis donatam. Summatim, fides hæc iustificans omnes thesauros iusticiæ, uitæ, sapiẽtiæ, fortitudinis Domini nostri Iesu Christi patefacit, & eos animis nostris inscrit. Nam credentes accipere spiritum, in quo omnes hi thesauri continentur, declarat illud: Hoc autem dixit de spiritu quẽ credentes Ioan.7erant acceptur i, spiritum uidelicet ueritatis & sapiẽtiæ, arcana Mosæ & prophetarum aperiẽtem, & spiritum nouum illum charitatis, de quo suprà meminimus ex Mose, prophetis, & Euãgelio. Præterea fidem omnia impetrare quæ per eam petierint credentes, comprobat ipse Dominus his uerbis: Omnia quæcunq; Ioan.15petieritis in deprecatione, credentes accipietis. Quæ longè excellentissima uis fidei est. Itaq; hæc præstat, ut ueram religionem ac Dei cultum cognoscamus & sequamur, atq; contrarium fugiamus, quem aduersarius ille Christi docet & amplectitur: hac uiuæ fidei luce orbatus, quam cum serpente satana sua uana iusticia, sapientia, gloria, quam in mundo hoc quærit, inflatus aspernatur: et eos qui illam recipiunt, & profitentur, igni, ueneno, aquis, laqueo, gladio, inimicè petit, atq; crudeliter insectatur. Itaq; cum tantum discrimen sit inter ueram & falsam, inter uiuam & mortuã fidem, diligenter prouidendum fuerit, ne falsa fide pro uera uenditata, decipiamur, ut semper multi omnibus seculis decepti sunt, & etiamnum decipiuntur. Veram autem fidem, & non simulatam, quisque se habere intelliget, si studeat uno uerbo Dei, nullo alio, regi & gubernari, quo solo nititur & utitur fides electorum, si sibi Deum patrem in filio remissis peccatis conciliatũ agnoscat, si se spiritu Christi gubernari aduersus cupiditates & libidinem carnis: si odio uitiorum et amore Dei & fratrũ affici se sentiat: si sæpe mundi huius fastidio præseuiscq; uitæ tædio captus, & futuræ desiderio inflãmatus ingemiscens, cupiat cum Apostolo Rom.7corporatum hoc tabernaculum ex terræ limo effictum fragile, infirmum, & solubile dissolui, quò possit sine uexatione malarũ cupiditatũ, quæ perpetuò in carne hac aduersus spiritum cœlestem pugnant, liberè cum Christo nouo & cœlesti homine uersari. Similis precatio cernitur in Helia, qui fatigatus huius mundi consuetudine, precatus Dominũ legitur, ut animam

mam suam tolleret ex hoc corpore tanq̃ ex carcere, & eam in eũ statũ trãsferret in quo uiueret in Christo & cum Christo uera sanctorũ uita. Hi qui sic cõparati sunt ac cõpositi, fidem iustificantẽ se habere certò persuadere possunt, quæ nobis Christũ uitam, sapientiam, iusticiam Dei intimè adiũgat, inq; eius cõsortium ponat. de quo illud ad Corinthios: Fidelis Deus per quem uocati estis in consortium filij ipsius Iesu Christi Domini nostri. Hanc fidem celebrant sacræ literæ, cum affirmant sine ea neminem probari Ioan. 5 Deo posse, iustos ex fide uiuere, fidem ad iusticiã imputari, fide peccatorum ueniam percipi, & reliqua dona Dei quæ suprà memorata sunt, nobis communicari, quorum cõtraria in ea fide spectantur quam hypocritæ & Epicurei inani ostẽtatione suo exitio profitentur. Hanc qui habẽt, audiẽt hanc olim uocẽ, Nõ quisquis dixerit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui fecerit uoluntatẽ patris mei. Non noui uos, discedite à me qui facitis scelus. Contrà uerò per alteram his uerbis electi appellabuntur: Venite benedicti patris mei, possidete regnũ paratum uobis ab exordio mundi. Hinc fit, ut alterã fidem, sacræ literæ mortuam & fictam, alteram uiuam & ueram appellent. Quapropter ut pictus in tabula aliqua homo non homo, sed imago hominis dicitur: ita fides quã impij habent, ἀκαταχρήστως fides dicitur, fidei nomẽ solum tuente, fide illa qua filij Dei ad uitam æternam regenerantur. Huius uuæ et ueræ fidei præstantia ab ortu, natura, usu & excellentibus uirtutibus quæ ex ea proficiscuntur, æstimatur. De ortu eius, natura & usu meminimus: de uirtutibus quæ oriuntur ex fide, breuiter iam dicemus. Tres præcipuæ spiritus sancti uirtutes recẽsentur in sacris literis, fides, spes charitas. ut ex fide alteræ duæ nascantur, nõ est obscurũ. Nam si spem cõsideres, ut hæc à fide pẽdeat, eius definitio ostẽdit, quã è sacris literis facultatem diuini spiritus esse cognoscimus, qua afflati patefactã & inchoatam nobis salutem in medijs afflictionũ tenebris perfectũ iri speramus. In hac descriptione spe ea quæ cõtinentur omnia fidei ut fundamento incũbunt. primò legimus patefieri salutẽ per fidem, quæ spe præsumatur olim absoluenda. à fide igitur spes oritur, & ea ut fundamento nititur. Nemo enim speret se quicq̃ assecuturum quod quale sit quod speret, non intelligat. Quò Heb. 11 spectãs Apostolus ad Hebræos scribit fidem esse ὑπόστασιν hoc est firmamentũ & basim rerũ sperandarũ, quod spes futurarũ rerũ fide ut fulcro innitatur, quo subuerso spes locũ in quo cõsistat non reperiat. Eódem pertinet illud ad Eph. 3 Per quem habemus aditũ cum fiducia quæ est per fidẽ illius. Quibus uerbis docet, spem una Christi iusticia niti, sed quæ fide comprehendatur ac teneatur. Secũdò firmus in spe animus cernitur, qui de Dei promissis quantũuis sæpe graues tẽtationes à carne, mundo et principe mũdi satana incidãt, minimè dubitet. At hæc in sperando cõstantia à fidei lumine pendet, quod nisi præluceret, neq; nos quicq̃ sperare essemus, neq; perseuerantẽ mentẽ in sperãdo tueremur. Nã quòd fortiter promissam à Domino salutẽ expectamus, fides ipsa efficit. qua una agnoscimus Deũ tam bonũ, qui uelit nos seruare: tã potentem, qui possit: & tã sapientem, qui certas seruãdi suos rationes teneat. Hinc fidei tanq̃ fundamẽto salutis in omnib. tentationib. siue quæ in sperãdo, siue quæ in amando Deo & diligendis proximis occurrũt, uictoria datur. Etenim imperfectionẽ quæ in nobis est reliquã, & in carne ad peccãdũ procliuitatẽ, imminentem mortem, fides, et ea solam Christũ, peccati et mortis uictorẽ reijcere nouit, qui suam perfectionẽ nostrã, & nostrã imperfectionem suam esse intelligat: qui nimirũ sit peccatũ & execratio factus, ut nostrũ peccatũ & execrationem à nobis auelleret suoipsius sãguine expiatã. Itaq; quæ consolatio in spe est, qua sperantiũ animi in medijs afflictionib. in expectanda et tãdem possidenda beatitudine afficiuntur, ea fidei quoq; debetur, cuius luce præfulgente afflictio patientiã, patientia probationem, probatio spem quæ nõ pudefaciat parit. Qui præstans spei fructus est, sed ex radice fidei editus. Dicimus præfulgente fidei luce patientiã in rebus aduersis nasci et exerceri. Nã nisi crucem intelligamus per fidei lumen à Deo patre nobis immitti, cui placeat nos affligi ut probemur, et probati certò promissam salutẽ speremus. nobis præstandã, patientia quæ quidẽ Deo cõmendetur, nullũ habitura sit locũ. Hæc breuiter de spe ut à fide proficiscatur, et ea fulciatur ad cõmendandã fidei excellentiã diximus. De charitate ut hæc quoq; à fide oriatur, alatur et in ea Charitas. consistat, nõ secus atq; arboris truncus cum ramis et fructib. in radice consistit atq; hæret, suprà indicatũ est, et paulo pòst denuò indicabitur. Ex his quæ exposita sunt, quantũ aduersarij in tractanda Christianæ religionis fide errẽt atq; hallucinentur, satis liquet, siue ortũ, siue naturã, siue usum eius spectemus. si ortum cõsideres, in eo explicando hallucinantur, dũ nihil de spiritu adoptionis quem ignorant, admonent, quis uidelicet & qualis sit is spiritus, quid differat à timore ac metu quem lex incutit, in quæ tẽpora eius publica donatio incidat, utq; ex eo fides nascatur. Et cum hæc sub administratione Euãgelij in nobis excitetur, nõ docẽt quid sit Euãgeliũ, et qualis doctrina sit, quæq; eius uis & usus, quidq; inter legem et illud intersit: & nõ solũ non exponũt naturã atq; uim Euangelij, sed etiã contraria illi dogmata quib. ipsi suã falsam fidem & mortuã alligant, ueluti paulo suprà monstratũ est, fabricantur. unde necesse est effici, ut ignorata doctrina Euãgelij, & cõfirmata cõtraria, ignoretur quoq; fidei uerè iustificantis origo cũ eius uirtute qua nobis iusticia, uita, salus cõparatur. Præterea cũ Christus dicat neminem uenire ad se, hoc est neminem sibi fidere, nisi quem pater traxerit, nihil de hac diuina tractione & impulsione, qualis ea sit, & quomodo per illam, ut credamus Euangelio, à patre moueamur ac trahamur, tradunt. Neq; quid sit illud, Qui ex Deo sunt, uerba mea audiũt: neq; qui ex Deo sint, qui nõ item, anteq̃ auscultent Euãgelio Christi,

Christi explicant. Ortu autẽ fidei ignorato, neq; natura eius nota erit ijs qui anathema faciunt eos qui uerè & sanctè de religione iudicant. Primò enim nõ intelligũt quid propriè fides sit, deinde quã hæc uim habeat & usum. Hanc uidelicet non esse qualitatem quandã infusam à Deo inertẽ & ociosam, sed lumen Dei de Dei lumine in nobis lucẽs & patrẽ cœlestẽ in filio nobis recõciliatũ ostendẽs, eiusq; uitæ et iusticiæ thesauros impertiẽs. de qua ui suprà ex sacris literis meminimus. Atq; hanc uim ut ipsi quam nesciunt, non docent, ita etiã errore sibi & alijs pernicioso erant, cum eos qui fatentur fide, & ea sola, nos iustificari, id est per eam solam sentiri patrem propter Christũ iusticiam & uitam nostrã, nobis remittere peccata, & uim renouantem nos ad uitam æternam donare, anathema esse. Quid autem hoc errore exitialius fuerit? Hunc tamen tam contumaciter confirmant, ut eos diris deuouere audeant, qui secus ex sacris literis statuunt. si alius est quàm Christus Iesus, in quo & per quem Deus condonet nobis peccata, & spiritum largiatur, quo iusti & sancti reddamur, quid ergo faciemus illi: Non est aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos saluos fieri. Item, In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum. Quòd si ita res habet, nec aliam dabunt ad uersarij uim diuini spiritus, quàm fidem qua nobis Christus Iesus cum remissione delictorum & donis uitæ & iusticiæ patefiat & communicetur. Hinc illa frequentia: Ei qui credit in eum qui iustificat impium, imputatur sua fides ad iusticiam. item: Credidit Abrahamus Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. En hic legimus imputatione Christi Iesu quem fide apprehendimus, Abrahamum iustificatum. Cur ergo uos dicitis, Si quis dixerit homines iustificari sola imputatione iusticiæ Christi, anathema sit? At dicitis, uos de ijs loqui qui excludunt gratiam & charitatẽ. Quærere hic licet quid uos intelligatis per gratiam: num fauorẽ quo Deus nos amplectitur? at hunc tantum abest ut excludamus, ut affirmemus etiam eum ipsum fidem antecedere, sine quo hæc consistere nequeat. Nam fauore ac beneuolentia Dei & credimus nos credere Euangelio, & per Christum condonatis delictis illum eundem nobis ut patrem fauere. Neque cum docemus sola nos fide iustificari, aliud uolumus quàm solam fidem eam esse sacri spiritus facultatem, qua nobis omnia quæ ad salutem pertinent, patefiant & tribuantur: nullum opus, nulla merita alia, quàm Iesu Christi, quibus salus constet atq; comparetur, fidem spectare, & nobis proponere. sin uerò uos gratiam aliud quiddam esse ponitis quàm beneuolentiam Dei, & sacri spiritus dona, hanc uestram gratiam eodem iure nos refellimus, quo uos eam temerè asseritis. De charitate qua nos Deum diligimus & fratres, idem iudicium: & de ea ut in iustificatione contineatur, suprà docuimus. Præterea si considere misericordiæ diuinæ per filiũ nobis declaratæ ad iustificandos nos satis non est, percunctamur, Quid igitur seuero iudicio Dei aduersus peccatum sit ponendum: num lex & eius opera? At de his legimus: Nam quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxij. sin iusticiam aliquam, de hac quærimus, an humana hæc sit iusticia ac legis, an diuina. si humana siue legis, quid ergo faciemus illi, Lege nemo iustificatur apud Deum? item: Nam si per legem est iusticia, Christus frustra mortuus est. Idem Apostolus legem, iram concitare, & eius ministerium cõdemnationis ministerium esse probat. quomodo igitur iusticiam ex illa proficiscentem diuinæ iræ obijcere licebit? sin uerò diuina iustitia, iusticia illa est quæ Deo satisfaciat, ea sanè nulla alia erit, quàm fidei, hoc est quæ nobis fide patefiat & communicetur. de qua illud: Iusticia Dei per illud patefit & fide in fidem. item, Iusticia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt. Dicunt nos errare, cum docemus fide certiores nos de beneuolentia diuina reddi. Hoc cum faciunt, præcipuam fidei uim euertunt & labefactant. Si enim sic se res habet, quid ergo faciemus promissioni diuinæ de uita æterna? Si fides hac nititur, eadem sanè nec de fauore Dei, qui promissione continetur, dubitarit. Nos legimus illud, Fides tua te saluum fecit. sed quæ fides, quæso? dubitans ne ac hæsitans fides? Nullo modo. Hæc enim ubiq; in sacris literis tanquam promissa Dei in dubium uocans reprehenditur. Sicut legimus discipulos his uerbis reprehensos à Domino: Quid cogitatis inter uos ipsos ô parum fidentes, quòd panes non sumpseritis? Nec non Apostolus in exemplo Abrahami docet, fidem omnis dubitationis expertem esse debere. Fides igitur qua certò agnoscitur Deus nobis in filio bene cupere & uelle tanquam pater, iustificans fides fuerit. atq; hanc testimonium nobis dare constans & firmum de beneuolentia Dei erga nos, probat illud: Idem spiritus testatur cum spiritu nostro quòd simus filij Dei. item: Quoniam autem estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda nostra clamantẽ Abba pater. At hoc amore blando quid firmius, quod testimonium illo certius? Per hunc dicit Ioannes nos confidentiam habere apud Deum, ut quicquid postulemus ab eo, impetremus. Nam παῤῥησία & πληροφορία, est illa firma, certa & constans confidentia, accedendi ad clementiæ diuinæ solium, & ibi Deum de ope quam nobis ferat, inuocandi, eamq; impetrandi sine ulla hæsitatione. de quo Apostolus in epistola ad Hebræos his uerbis: Accedamus cum uero corde, in certitudine fidei teneamus confessionem spei non uacillantem: fidelis enim qui promisit. item: Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam. Si per fidem iustificantem ambigimus de gratia ac clementia Dei, quam is erga nos gerat, cur ergo pectora nostra spiritu sancto tanquã arrabone obsignari dicuntur? de quo Apostolus: Obsignati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrabo hæreditatis nostræ. Aut ergo certi reddimur de fauore diuino per fidem iustificantem, aut inutilis est illa obsignatio quam sacræ literæ nobis monstrant, & in se habere filij Dei experiũtur, gaudẽtes

Act. 4

Rom. 4

Gal. 4

Rom. 4

nomine

nomina ſua ſcripta eſſe in cœlo, quæ nulla uis neq; pec cati, neq; mortis, neq; portarum inferni de libro uitæ deleat. itaq; ut hoc gaudium inane non eſt, & ſacrarum literarum teſtimonium uerum, & hominum falſum: ita aduerſarius ſuo fulmine perditur, quo eos qui rectè ſentiunt, perdere ſtudet. Qui ut mendacē faciat Deum, declarat Ioannes his uerbis: Qui autem non credit Deo, mendacem facit eum qui non credit teſtimonio quod teſtificatus eſt Deus de filio ſuo: & hoc eſt teſtimonium, quòd uitam æternam nobis dedit Deus, et hæc uita in filio eius eſt. Quid autem aliud eſt non credere, quàm dubitare de uita in filio nobis tributa, ut aduerſarij per ſuam fidem iuſtificantem, hoc eſt per inertem & inanem fidem dubitant hæſitantq;. Hanc autem eorum fidem inanem eſſe, probat id, quòd dicunt fidem iuſtificantem remanere etiam in ijs qui ſceleribus & delictis ſe polluerint, & etiam mortuam fidem ueram fidem eſſe. Quo errore quid quæſo fœdius & turpius cogitaueris? Is error contra communem etiam naturæ ſenſum pugnat. Quis enim mortuum canem, uerum canem: ſimulacrum leonis, uerum leonem: cadauer bouis, uerum bouem eſſe diceret? Si fides iuſtificās in ijs eſſe poteſt qui ſecundum carnem ambulant, nō ſecundum ſpiritum, quid ergo faciemus his ſententijs? Fide purificantur corda, fide regeneramur noui homines, fide naſcimur filij Dei? At de his qui ſic nati ſunt ex Deo, in hunc modum ſpiritus apud Ioannem loquitur: Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non committit, nec poteſt peccare quòd ex Deo natus eſt. An filij Dei cenſentur, qui carnis cupiditatibus feruntur, non ſpiritu? ſi ita, falſum erit illud: Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. At fidem qui habent, Deo placent, ut in qua uita, iuſticia, ſalus conſiſtat. Neq; uerò loci qui ab aduerſarijs afferuntur ad infirmandā hanc doctrinam de fide, qua certò ſentiamus nobis fauere Deum, aliquid ualent. Dicunt legi apud Eccleſiaſtē: Neſcit homo amore ne an odio dignus ſit, ut aliter habeat Hebræa litera, ijs qui Hebraicè norunt, notū eſt. Qui locus alio loco explicatus eſt ex Hebræa et Chaldæa literæ ſententia tum à nobis tum ab alijs. Obijciunt item illam Pauli admonitionem qua admonet, cum tremore & metu noſtram ſalutem agendam eſſe. Qualis is ſit tremor & metus, utq; contra ſecuritatē carnis & ueteris hominis ſit adhibendus, non contra conſtantem de beneuolentia Dei erga nos fidem. idem Apoſtolus indicat, cum ait: Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterū ad timorem, ſed ſpiritum adoptionis per quem clamamus Abba pater. Item Ioannes: Timor non eſt in charitate. Quocirca ut indicatum eſt, cum hoſtes Euangelij originem fidei eius luce priuati tradere neque uolunt per contumaciam, neq; poſſunt per cæcitatem, ut etiam uim & naturam uerè iuſtificantis fidei ignorent neceſſe eſt. ſed fides quam prædicant, non alia erit quàm ea quæ dæmonibus aſſignatur, qui dicuntur credere, & credendo miſerè perire. Hæc de fide, eiusq; generibus, natura, uſu, & de erroribus qui in tractatione iuſtificantis fidei ab aduerſarijs committuntur. At cum uera fides ſe tota in Chriſtū conuertat mundi ſeruatorē, per quem Deus nobis omnem ſalutem perficiat: de Chriſto ut arbitrū ac ſequeſtrē ſe præſtet, deinceps monebitur.

Quo melius autē in cauſſa iuſtificationis intelligatur quomodo Chriſtus Ieſus Dominus noſter inter nos et patrem arbitrū ſe gerat, hæ arbitri ac ſequeſtris cōditiones in Chriſto penſitandæ fuerint. Primò duas ut minimū perſonas eſſe oportere, inter quas is ſe arbitrum interponat: altera Deus eſt, qui placatur: altera homo, cui Deus placatur. In quo homine reliqua rerū uniuerſitas continetur. Hæc enim ut ſanguine Chriſti pacificetur homine pacificato, declarat Apoſtolus his uerbis: Viſum eſt patri uniuerſam plenitudinem in illo habitare, & per eum reconciliare cūcta erga ſe pacificatis per ſanguinem crucis eius per eundē ſiue quæ in terra ſunt, ſiue quæ in cœlo. Altera conditio eſt, ut Chriſtus ſequeſtrem ſe præbeat, oportere eum & hominem & Deum eſſe: hominem quidem, qui mortē ſua peccatum expiet, & excitatus ex mortuis uiam ad ſpiritum ſanctum nobis per reſurrectionem gloriſam donandum muniat: Deum uerò, qui peccatum, mortem, mundum & principem mundi uincat, iuſtosq; ex iniuſtis, uiuos ex mortuis, cœleſtes ex terrenis homines efficiat: quæ diuinæ naturæ munera ſunt. Vnde in ſacris literis is homo plenus diuinitate, ueri Dei nomen, ut mox indicabitur, obtinet. Ex hac arbitrij lege intelligitur cur Chriſto à patre iudicandi ius ſit datum. Etenim quōd homo eſt, nouit is iudex infirmiorum habere rationem, qui humano genēri in omnibus, citra tamen noxam, ſimiliter ſit tentatus. is de ſe ait: Poteſtatem pater dedit ei iudicium facere quia filius hominis eſt. Quatenus autem Deus eſt, quia errare, qui patris ſapientia ſit, non poteſt, iudicandi poteſtatem meritò ſibi uendicat, & ea in ſacris literis paſſim ei tribuitur. De hoc iudice in hunc modum Hieremias: En futurum eſt ut ego ſuſcitem Dauidi ſtirpem iuſtam, qui rex regnet & ſapiat, & ius æquumq; faciat in terra. Accedit huc redemptoris et uleteris appellatio, quam Chriſtus ſalutis noſtræ arbiter cum habeat, iurè iudex omnium conſtituitur. Tertia conditio eſt, ut arbiter Chriſtus unus ſit, quemadmodum etiam Deus unus eſt. de quo ſic Apoſtolus ad Timotheū: Vnus enim Deus, unus etiam ſequeſter Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Nam cum is arbiter caput erat futurus Eccleſiæ corporis ſui quam reconciliaret Deo, unus ut eſſet neceſſe fuit. Porrò nō conueniebat multa capita uni corpori iungi, ut non decebat multa corpora cum uno capite copulari. Præterea ut altera conditio habet, hunc reconciliatorē Deū eſſe oportuit, in quo diuinitas omnis uerſaretur. At tales non multi poterant eſſe, ſed unus ſolus: Si des enim multos tales, aut non in ſingulis diuinitas plenè erit: aut ſi erit, cum unus ſatisfaciat, reliqui ſuperflui fuerint. Ex his legibus iam delibatis, quarta ſequitur, ut Chriſtus mediatoris munere fungatur, requiri, ut in ſe recipiat peccata eorū quos patri ſit reconciliaturus, quo diuinæ iuſticiæ ſatisfiat. Equidem Deus quamuis clemēs ſit, ita tamē clemens eſt, ut ſuæ iuſticiæ nihil de

De arbitri officio.

Coloſ. 1

Rom. 4

Rom. 8

Ioan. 5

1. Tim. 2

cedat. cuius legi ut sat fieri oporteat, Christus Domi-
Mat. 5 nus noster legis perfector apud Matthæũ indicat. Ideo
Ies. 53 apud Iesaiam legitur: Attritus est propter scelera no-
stra. Discimus ergo hinc, in expiando peccato Deum
summã suam & clementiã & iusticiam declarare uo-
luisse. Clementiam quidẽ in eo ostendit, quòd nullã no
strorum meritorũ rationem habens, unigenam filium
suum pro mundo tradidit. de qua illud: in eo apparuit
charitas Dei, etc. Iusticia autem summa declarata est,
quòd insontem pro sontibus piacularem uictimã fieri
statuit, qui suæ iusticiæ seueroq; iudicio de peccato sa-
tisfaceret. Ex hac conditione quinta manat, arbitrum
Christum, legem nos culpæ condemnantem pro nobis
implere, & eius capitali iudicio satisfacere. Hanc au
tem implet, primò cum ea quæ lex ut fiant requirit, fa
cit, perfectè ei obediens: deinde cum damnatoriũ ius,
quod lex in nos rebelles dicit, in se recipit: demũ cum
spiritũ suum nobis largitur, per quẽ eam quoq; in inte
riore homine exequi in hoc seculo incipiamus, dum fa
cta excitatione è mortuis in utroq; perficiatur. De quo
spiritu perfectore legis, apud pphetas in uetere fœde
re promissa extant, quæ in nouo præstari cœperunt.
Gal. 4 Sic enim Apostolus ad Galatas dicit: At ubi uenit ple-
nitudo temporis, misit Deus filium suum, factũ ex mu
liere legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, re-
dimeret, ad ius filiorum accipiendum. Quoniã autem
estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda nostra
clamantem, Abba pater. Itaque sicut Christus arbiter
peccata nostra fert quæ sanguine suo luat: ita spiritum
sanctum præbet, cuius ui legẽ studeamus præstare. Lex
præcipit, ut Deum supra omnia, & fratres ui nos ip-
sos amemus. quod nostris uiribus præstari cum nõ pos-
sit, diuina ope, hoc est spiritu amoris sacro opus est no
bis, per quem Deum ex præscripto legis diligamus.
Hac quinta conditione posita, nascitur sexta, qua re-
quiritur, ut is qui sequester sit futurus, gratus sit illi cui
alterum elaborat reconciliare. Quis enim ferat pro
arbitro cum quem ipse auersetur, & in oculis ferre re
cusет? itaq; Christum talem esse oportuit mediatorem
qui placeret Deo, hoc est filium unigenam, in quem
Mat. 7 hoc patris testimonium de cœlo editum conuenuret:
Hic est filius meus dilectus cui fauco, ipsum audite.
Quæ conditio indicat Christum ut uacaret omni cul-
pa necesse fuisse, ut hac sua innocentia probatus Deo,
nobis quoque expiata culpa innocentiam repararet.
Ies. 53 De qua probitate Christi uates: Eo quòd scelus non fe-
cerit, neq; dolus fuerit in ore eius. & de dono iusticiæ
nobis assignando idem uates: Scientia sui iustificabit
Rom. 5 seruus meus multos. Huc spectans Apostolus, sapiẽter
primum Adamũ, typum secundi esse dicit. Nam sicut
uno peccato & proprio primus homo omnes uitio-
sos reddidit, qui ex ipso nati sunt, aliena iniusticia po
steros per propagationem eorũ iniustos efficiente: sic
Christus secundus homo una sua iusticia omnes eos iu-
stos facit, quos spiritu suo regenerat. His arbitri legib.
consideratis, tria ordine efficiuntur: unum est, in iusti
ficatione nostri humanam naturam à diuina in Christo
separandã nõ esse, sed utramq; debere ponderari: par
tim, quòd sanguinis Iesu Christi merito spiritus sacer,
qui nos renouet ad animorum & corporum integri-
tatem, nobis donetur: (Hinc illud de sanguine Christi: 1. Ioan. 1
Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato) par-
tim, quòd quicquid est munerum spiritualium, ex
Christo homine ad nos dimanet, ut cui pater dederit
spiritum citra modum tanquam capiri uniuersæ per-
fectionis spiritualis, ex quo singula corporis illius mẽ
bra, suam perfectionem acciperent, atque ex eo omni
bus diuinitatis numeris expleto, peteremus eas sapien
tiæ, iusticiæ, uitæ gloriæ dotes, quæ ad optimum conse
quendum tuendumq; statum necessariæ forent. Alte
rum est, ex his conditionibus mediatoris duplicem sta
tum Christi aperiri, quem ad seruandum humanũ ge
nus illum tenere oportuerit, crucis & gloriæ. crucis
quidẽ, in quo cum esset in forma Dei, se ipse deiceret:
atq; serui specie sumpta, mortalis homo appareret, fa
ctus peccatum & execratio, ut peccatum & execra 2. Cor. 5
tionem tolleret. de quo illud: Qui nõ nouit peccatum,
factus est per nobis peccatum. item: Christus nos rede
mit ab execratione legis, dũ pro nobis factus est pia-
cularis hostia, quæ mirabili uictoriæ genere mortem
per mortem, peccatum per peccatum, opprobriũ cru
cis per opprobrium uinceret atq; deleret. Qua in re
cernitur quàm contraria primi & secundi Adami sit
ratio. alter enim uoluptate uictus et illecebris car nis,
se & posteros suos lætali culpa obstrinxit, alter inter
nos & Deum arbitrum se interponens, per acerbita-
tem crucis mortiferam culpã deleuit, u tali iusticia re
stituta. alter in contemnenda lege Dei, insolentem se
gessit: alter ut commodum se reconciliatorem osten-
deret in obediendo patri demisse se habuit, factus ob- Phil. 2
temperans usq; ad mortem, & quidem mortem crucis.
Alter autem status gloriæ est, in quo excitationem è
mortuis, & euectionem in cœlum, gloriosam sedem
ad dextram Dei nactus est, Dominus omnium quæ cœ
lo & terra continentur, factus sicut ipse de se prædi-
cat, iam è mortis nexu atq; uinculis exemptus. Mihi
data est omnis potestas cœli & terræ. In priore igitur
statu Christus uerus Dei filius tempore plenitudinis
in carne infirmitati subiecta ad lustrandã noxã mun-
di, uenit: in altero caro eius assumpta in gloriam pa-
tris plena diuinitatis declaratur, in qua spiritum uic-
trem noxæ, mortis & portarum inferni nobis daret,
hoc mediatoris officio functus. In priore statu forma
Dei, in forma serui demititur, & infra omnia deijci-
tur. In altero forma serui in forma Dei extollitur supra
omnem altitudinem, æqualẽ honorem, potestatem, no
men, gloriã & maiestatem Deo patri adepta. De qui
bus formis Apostolus in hunc modum: Qui cum esset
in forma Dei, non rapinæ habuit suam cum Deo æqua
litatem: sed se ipsum euacuq; ad nihilũ redegit, ut sum-
pta seruili forma, factus sit hominum similis: & figura
repertus ut homo, seipse adeò deiecit, ut obediens fuerit
usq; ad mortem crucis. In his deiectionis & elationis
admirandis formis Dominus Christus sequestris præ-
stantissimũ usum præstitit, dũ nos deiectos secũ effert
ad gloriã suã æternã, absterso omni crucis ignominia,

quam

Rom. 8 quam nobis labes atq; fœditas uitioſæ naturæ aſperſe
rat. Firmũ enim eſt illud Apoſtoli: Siquidem ſimul cum
eo patimur, ut unà cũ illo glorioſi reddamur. In prio
re item ſtatu Chriſtus arbiter ex carne & oſſibus no-
ſtris natus eſt in uitam infirmitati & morti obnoxiã:
in altero in diuinã & immortalẽ uitam renatus, nos
Eph. 5 quoq; ex oſſibus & carne ſua regenitos, in diuinã &
æternam transfert. Sic enim in Epiſtola ad Epheſios
ſcriptum legimus: Qui membra ſumus corporis eius,
Ioan. 8 ex carne eius & oſſibus eius. In priore præterea ſtatu
Chriſtus uenit, non ut ſibi adminiſtraretur, neq; ut ip-
ſe quenquam iudicaret, ſed ut ipſe alijs miniſtraret, et
ab alijs iudicaretur. In altero ut nos ex ſeruis dominos
omnium faciat, nõ amplius ſeruit & miniſtrat: ſed rex
cœli & terræ creatus in omnia infera, terreſtria, ſu-
Apocal. 1 pera regnat, uiuorũ & mortuorũ iudex & rex deſti-
natus. qui de ſe ita prædicat apud Ioannem: Ego ſum
Apocal. 19 primus & nouiſſimus, qui uiuo, et fui mortuus, & ha-
beo claues inferni & mortis. item: Et habet in ueſtimẽ
to & in femore ſuo nomẽ ſcriptũ, Rex regum, & do
minus dominantiũ. Tertiũ eſt quod ex his legibus iam
memoratis & duplici Ieſu Chriſti ſtatu cõcluditur, in
iuſtificatione noſtri utrũq; & mortẽ & reſurrectionẽ
Chriſti tractandã eſſe: mortẽ quidẽ, qua expiarit cul-
pam: reſurrectionẽ autem, cuius ui ſpiritũ ſacrum no-
bis donet, quo iuſtificatio noſtri abſoluatur. In morte,
noſtra peccata in ſe ad expianda ea tranſtulit, etq;
quæ nos à uetere Adamo habemus, tribuimus, pecca-
tũ, mortẽ, infernũ: in reſurrectiõe uerò ipſe ſuã nobis
cõmunicat iuſticiã, ſapientiã uitam, gloriam. Atq; hoc
ipſum eſt quod Ioannes dicit: Omnis ſpiritus qui cõfite
tur Ieſum Chriſtũ in carne ueniſſe, ex Deo eſt. Nã is
hæc cõfitetur, quæ Dei ſpiritus cõfitenda dictat, primò
Ieſum Chriſtũ, hoc eſt filiũ Dei, unctiũ plenitudine ſacri
ſpiritus: alterũ hũc Ieſum Chriſtũ uerũ hominẽ eſſe na
tũ ex uirgine: tertiũ ſic natũ mortuũ pro peccatis mũ
di expiandis, et excitatũ è mortuis ad uitã hominibus
peccato mortuis dandam. Hæc aũt qui corde credit, iu
ſtius eſt: & qui ea cõfitetur ore, palàm ſe declarat con
tra mundum ſe ex Deo natum eſſe. Vtraq; hæc iuſticia
& ſatisfaciẽs pro culpa quæ in cruce ſpectatur, & re
nouatrix noſtri ad amiſſam probitatẽ quã reſurrectio
nis ius exhibet, in cauſſa iuſtificationis noſtri fuerit
conſideranda, ne dum alterutrã ſolum perpendimus,
Chriſtũ aut mortuum neglecta eius excitatione è mor
tuis, aut uiuentẽ obliti beneficiorum mortis eius cola-
Rom. 4 mus. Hoc aũt qui faciunt, Apoſtoli uerba nõ ponderãt,
ubi dicit: Mortuus eſt propter peccata noſtra, & exci
tatus eſt propter iuſtificationẽ noſtri. Nam reſurre-
1. Cor. 6 ctionis ui miſſus eſt de ſublimi ſpiritus ſanctus, qua no-
bis iuſticiã Chriſtũ adiũgeret, et uitã afferret. Siquidẽ
quemadmodũ primus Adamus habitu naturali ad uitã
terrenã animatus fuit: ita ſecũdus ſpiritũ uiuificantẽ
accepit, per quẽ ipſe nos mẽbra corporis, quod eſt Ec
cleſia, halitu atq; afflatu ſpirituali ad uitã cœleſtẽ ani
maret atq; uiuificaret. Quo aũt diſcrimine Chriſtus no
ſtra iuſticia à morte piacularis et à ſpiritu renouãs et
regenerans nos dicatur, ea de re ſuprà meminimus.

Ex his intelligimus, quæ ſit diuini ſpiritus dignitas, et Spiritus
quãta erga humanũ genus bonitatis Dei præſtantia. Dei.
Spiritus ſacri dignitatẽ partim natura eius, partim uis
ac uſus declarat. Si natura ſpectetur, is Deus ipſe eſt,
nõ ut nõnulli falſo putarũt, creatura aliqua. Legimus,
enim de illo: Spiritus eſt Deus. Diuinã aũt eius naturã Ioan. 4
comprobat etiam mundus ipſe ab illo creatus. Nam ſic
docet uates: Domini uerbo cœli facti ſunt, & ciuſdem Pſ. 32
oris ſpiritu omnis exercitus corũ. Itaq; de hoc ſpiritu
Moſes ſtatim in libro de origine mũdi meminit: Spiri Gen. 1
tus Domini ferebatur ſuper aquas. Diuinitate ſpiritus
Dei cõſiderata, facile quoq; eius uim & uſum quẽ no-
bis affert, licebit cognoſcere. Huius aũt uis partim in
creatione rerũ & earũ gubernatione, de qua iam mo
nuimus: partim in muncre docendæ ueritatis, partim
in renouatione ac inſtauratione omnium cernitur. Vt
aũt omne docẽdæ ueritatis munus in illo contineatur,
prophetæ, apoſtoli & omnes ſancti homines declarãt,
qui hoc diuino & cœleſti halitu afflati, ſacra oracula
nobis expoſuerũt. de quib. in hunc modũ Petrus: Sed il 2. Petri. 1
lud prius noueritis, q, omnis prophetica ſcriptura non
ſit priuatæ interpretationis. Non enim uoluntate homi
nis allata eſt olim prophetia, ſed à ſpiritu ſancto impulſi
locuti ſunt ſancti Dei homines. Quare hũc ſpiritũ Do
minus ipſe ueritatis ſpiritũ uocat, qui unus omnẽ ueri
tatem aperiat: Cum aũt uenerit ille quẽ eſt ſpiritus ue
ritatis, ducet uos in omnẽ ueritatem. Huius doctoris ue Ioan. 16
ritatis uim in ſe expertus Meſſias noſter benedictus
apud Ieſaiã fatetur ſe hoc ideo deunctũ, ut à Deo miſ
ſus omnia quæ ad ſalutẽ hominũ tum docendã tum pa
rãdã pertineãt, oſtendat. Ex quo ſanè docẽdi munere
diuina quoq; eius natura monſtratur, quẽ nimirũ nihil
fallat, nihil fugiat, ſed omnia luſtret, atq; penetret. de
quo Apoſtolus: Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profun 1. Cor. 2
da Dei. Atq; ut is ſpiritus, ueritatis doctor eſt, ita eidẽ
iudicandi quoq; poteſtas tribuitur. ut eſt apud Euange
liſtam: Cum uenerit ille, arguet mundum de peccato. Ioan. 16
Hinc Chriſtus ipſe hoc unctus iudicis poteſtatẽ ſibi uen
dicat. Vt eſt apud uatem Ieſaiã: Requieſcet ſuper eum
ſpiritus Domini. Sed in quem uſum? ſequitur inibi: Iudi
cabit pauperes terræ. & de iudicio impiorũ ibidem:
Spiritu oris ſui interficiet impiũ. Et quoniã plenitudo
& abundantia ſpiritus inest in Chriſto, dicit is ſpiritũ
de ſuo accipere, & annunciare etiã alijs, dum de Chri
ſti copia in mẽbra corporis illius, donũ ſpiritus ſancti
proficiſcitur, quo electi prædi ti & ipſi docere uerita
tem, & ſeuerè iudicare alios, eorumq; ſcelera repre
hendere & caſtigare poſſint. Quò pertinet illud: Cum
ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis
& uos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tri
bus Iſrael. Is enim ſpiritus ſacerdotalis regiæ & iudi
ciariæ poteſtatis ſpiritus eſt, quo qui in Chriſto ſacer-
dotes ſummo, rege & iudice uncti ſunt, ſacerdotes, re-
ges & iudices appellantur, ut eſt apud Petrũ: Vos eſtis
genus electũ, regale ſacerdotiũ. Atqui ut ſpiritus Dei
celebris eſt docendæ ueritatis & iudicandi muncre:
ita etiam à renouandi ui prædicatur, qua cuncta quæ
in hoc mũdo cõprehenduntur, renouet, homine uni uer

sitatis capite renouato. De hac ui homo ipse nouus in
Ioan. 3 staurator omniũ Christus Iesus Dominus noster: Nisi
quis natus fuerit è spiritu & aqua, non uidebit regnũ
Dei. spiritu inquam, de quo Ezechiel: Et spiritum no
uum ponam in medio uestri. similiter de aquis: Effun-
dam super uos aquam mundam, & mundabimini ab
omnibus iniquitatibus uestris. O quàm præstans hæc
diuini spiritus uis est, per quam ex uteribus homines
noui, ex terrenis cœlestes, qui Deum ipsum & re-
gnum eius uideant, efficiuntur. O quàm excellens est
hæc purgantium aquarum uirtus, quæ deletis uitijs,
iusticiam afferant, morte extincta uitam. fluunt enim
hæ ex fonte illo uiuo, de quo Zacharias: Eo tempore
erit generi Dauidis fons apertus ad abluenda pecca-
ta. Is autem fons Messias noster in omnibus & supra
omnia laudatus est, has spiritus sancti restauratoris ui
Ioan. 7 tales aquas fundens. de quib. illud: Ex uentre eius fluẽt
aquæ uiuæ. Hæc sacri spiritus amplitudo, dignitas &
usus, documento est quantam utilitatem humano gene-
ri arbitri Christi mors & resurrectio apportet.
Per suam is mortem expiato peccato hunc spiritum no
bis conciliauit, per resurrectionis uerò uim illum eun-
dem nobis inspirauit, cuius inspirationis exemplum
Ioan. 20 apud Ioannem his uerbis exponitur: Et flauit in eos, et
dixit eis: Accipite spiritũ sanctũ. Neq; etiam hunc a-
lia ratione uel alio tẽpore tanto modo publicè dari o-
portuit, ut est apud eundem Ioannẽ: Nondũ enim erat
spiritus sanctus, quia Iesus nondũ erat glorificatus. At
uerò mirũ nõ est, nihil neq; in cœlo, neq; in terra præ
ter Christi spiritum esse, quo nos ad uitam & iusticiã
perficiamur. Etenim primò nulla res ab eo quod uel
paris uel inferioris notæ sit, ad perfectionem suam ac
absolutionem perducitur. deinde solus spiritus Dei in
hac rerum uniuersitate homine præstantior est, in-
ter quem & Deum nullum melius interiectum sit o-
pus, ut id creatio eius comprobat. Siquidem hunc ad
Gen. 1. 2 imaginem Dei condiuum ex libro de origine mundi di
scimus: & eo fabricato, opificem mundi à fabricando
quod is optimũ quod faceret opus feciſſet, requieuisse
cognoscimus. Declarat item hominis præstantiã uerbũ
Ioan. 1 ipsum Dei Christus Iesus, quod nõ genũ aliquem, sed
carnem, hoc est hominem continemẽ in se omnũ natu
rarum perfectiones, factũ legimus, et cõstanter idem
credimus. Demõstrant demũ eius excellentiã angeli
ipsi ac genij cœlestes, quos Deus hominibus nõ contra
homines illis seruiri uoluit. Quare sanctos homines in
thronis suis ad Deum tanq̃ mundi iudices sacræ literæ
sessuros testantur, nõ item genios. quos assistere Deo,
Ad Heb. 1 non sedere scimus. Quò pertinet illud Apostoli: An ne
1. Cor. 6 scitis quòd sancti mundũ iudicabunt? Item: An nescitis
quod angelos iudicabimus? Atq; hæc dignitas & præ
stantia hominis ex Christo homine filio Dei uiuentis
æstimatur, qui imago est illa Dei ad quam homo pri-
mus effictus est, & ad quam eundem posteri illius post
amissam iusticiam per regenerationem è spiritu reno-
uantur. Igitur cum ita se res habeat, nullam uidelicet
creatam naturam homine esse excellentiorem, et eum
Dei spiritus solum præstantia naturæ superet: conse-
quitur, humanũ genus uno illo Christi spiritu ad sum-
mam perfectionem quam adipiscatur, adduci posse. at-
que id ipsum est quod diximus, maximam dignitatem
in hoc spiritu spectari, & utilitatem quam nemo men
te cõprehendat, in morte & resurrectione Christi o-
stendi, per quã is ipse spiritus nobis sit partus qui hãc
instaurationẽ efficiat: atq; eam cũ uniuersa creatura
crebris & uehementib. gemitib. expectet, quæ à serui
li interitu cui obnoxia est, non aliter uindicari se pos-
se speret, quàm integritati suæ restituto homine, argu
mento est non leui, omnium conditarum rerum inco-
lumitatem ab hominis salute & incolumitate pendẽ-
re, ad quam unam peruenire posßit per arbitrũ Iesum
Christum. Is Deus uerus ex Deo genitus, & homo ue
rus ex homine, inter homines natus, cum solus leges et
conditiones mediatoris & sequestris habeat, per quas
inter humanum genus & Deum se interponat, quan
tum aduersarij in hac causſa, in qua de arbitro qui sa
lutem conficiat, agitur, errent, satis est manifestũ. Nã
alij ex angelis unum aliquem, alij ex hominum cœtu
opinione aliqua uirtutis & sanctitatis clarũ deligunt,
qui intercessoris ad Deũ munere fungatur. Quod cum
faciunt, quid aliud student facere, quàm ut Christum
Iesum reconciliatorem reijciant, & suam præstantem
conditionem quam in illo adepti sunt, obscurent? Nam
qui ad genios cœlestes tanquam ad tutelares Deos ac
patronos in rebus aduersis confugiunt, non animaduer
tunt hos sibi datos quos administros spiritus agnoscãt,
non ut intercessores & patronos suos colant, si quidẽ
de his sic admonet Apostolus: Nonne omnes sunt ad-
ministratorij spiritus qui in ministerium emittuntur
propter eos qui hæredes erunt salutis? Neq; angeli ho
norem qui patronis debetur sibi dari ferunt, quo unũ
filium Dei quem adorant ornandum fatentur, non i-
gnorantes has uoces: Ego sum uia, ueritas, & uita:
nemo uenit ad patrem nisi per me. item: Quicquid
petieritis nomine meo à patre, dabit uobis. item: Ve-
nite ad me omnes qui laboratis, ego uos reficiam. non
dicit, Venite ad angelos patronos, & intercessores. à
quibus ut intercessoris leges abhorreant, ex ijs quæ
suprà de arbitri conditionibus exposita sunt, patet.
Ioannes dicit aduocatum nos habere Iesum Christum
apud patrem, cuius patrocinium in afflictionibus quæ
ramus: non dicit nos habere genios quorum opem im-
ploremus, aut quos precemur ut ipsi nobis apud
Deum suis precibus fauorem & gratiam concilient.
Hoc munus intercedendi Christi esse, sacerdotale eius
munus quo fungitur, declarat. de quo ad Hebræos
his uerbis Apostolus: Non enim habemus pontificem,
qui non posßit affici sensu infirmitatum nostrarum,
sed tentatum per omnia iuxta similitudinem absque
peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum
gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam
inueniamus, ad opportunum auxilium. Non dicit
habere nos pontificem aliquem ex angelis, ad quem
confugiamus, sed Iesum Christum, qui tam bonus sit,
ut uelit nos iuuare: & tam potens, ut posßit: ut au-
tem uelit iuuare & opem ferre laborantibus nobis, hu
mana

Angeli non mediatores.

Heb. 1

Ioan. 14
Ioan. 15
Ioan. 4

Heb. 4

mana in eo natura similiter nostræ tẽtata, ipsum hortatur hortatur etiã necessitudo multo arctissima, quæ inter illũ ut sponsum, & nos ut sponsam, inter eum ut caput, & nos ut corpus & membra intercedit: hortatur mors pro nobis obita. Eundem autem posse nobis opitulari, regale sacerdotium indicat, quod clarissimis triumphis de hostibus partis sibi comparauit, ut eo apud patrem fungens, nos eius nomen inuocantes, ab omnibus malis liberaret. Hæ opportunitates omnes ad iuuandum cum in Christo Iesu Domino nostro cernuntur, nullæ uerò in genijs par est: ut his relictis, totos nos Christo ad huius unius in cunctis necessitatibus præsidia profugientes, dedamus, atque consecremus. Hoc etiam ut faciamus fidei nostræ professio, baptismus, in quo illi nomen tanquam capiti nostro dedimus, nos inuitat. Non aliter errant qui homines pro patronis & aduocatis ad Deum sibi deligendos esse putant. Primò autem hi in eo errant, quòd id nullo neq; sacrarum literarum testimonio, neque exemplo piorum hominum freti faciunt. Equidem diuinæ literæ nusquam docent alios aduocatos petendos esse, quàm eum qui his uerbis à Deo patre probatur: Is est filius meus dilectus, cui faueo, ipsum audite. Exemplum autem nullum occurrere, quod quidem sacra scriptura contineatur, eorum qui unquam præter Messiam alium patronũ coluerint, clarius est quàm ut probari debeat: & qui id contumaciter uerum esse negant, uaniores sunt, quàm quos argumentis refellere conueniat, ut quos ipsa ueritas & sua ipsorum conscientia satis constanter refellat, & errores hos conuincat. deinde cũ alios aduocatos quærũt, partim in Christũ, partim in ipsos sanctos homines, quos pro patronis ad Deũ colũt, turpiter cõmittunt. In Christũ quidẽ, ut in quo tanquã uno uno uniuersæ salutis arbitro spe et fide nõ acquiescãt, cõtrà q̃ ipse ut faciamus à nobis requirit, qui totũ cor nostrũ, ut fidus maritus sibi uendicat, & aliò deflectere istud, qui impatiens socij sit & riualis, non permittat. Scimus enim ut is se אל קנא apud Mosem nominet. In sanctos aũt homines quos sibi patronos petũt, in eo delinquunt, quod eis ea tribuũt, quæ mĩnimè sibi tribui patiãtur. Patroni siquidẽ et aduocati honorem cum soli Christo competere intelligunt, sumere sibi omnibus modis recusant. Sciunt enim qui in corpore Ecclesia communem nobiscum membrorum rationem teneant, & commune caput uenerentur, fratrum nomina in se congruere, aduocatorum nõ item. Norunt, siue natura, siue gratia redemptionis spectetur, omnia paria se nobiscum habere, & solum Christum tanquam caput uniuersæ diuinitatis pro sequestre & mediatore propter leges suprà expositas colendum. Quæ leges ut soli Christo Domino nostro conueniant, iam comprobatum est.

An homines mediatores.

Mat. 3

De arbitro & mediatore Christo hæc breuiter summatimq; perstrinximus, cuius beneficio & salutari patrocinio quoniam condonatis nobis delictis iusti reddimur, de iustitia deinceps quædam exponemus: sed ita, ut quæ allaturi sumus, ex ijs quæ explicata sunt, effici atq; concludi intelligãtur. Atqui cum bi fariàm Christus nostra iustitia esse accipiatur: uno modo, quatenus expiat peccata, & his expiatis patrem nobis reconciliat, & suam iustitiam & obedientiam nobis ascribit: altero modo, quatenus nobis innocentiam, quæ primi Adami crimine amissa est, reparat, qua animi nostri per regenerationẽ è spiritu eius ad diuinam uoluntatem conformantur: de hac iustitiæ ratione in præsentia loquemur, de illa satisfaciente & reconciliante iustitia, mentio prætermittetur, quòd ea in eo loco quo arbitri leges explicatæ sunt, satis commodè tractata esse uideatur. At uerò quia suprà demonstrauimus, Christi spiritum prælucente face fidei nos regenerantem ac renouantem ad obedientiam legi diuinæ charitatis spiritum esse, cuius promissio in uetere fœdere facta, in nouo fide percipiatur, ex ea demonstratione colligitur, ut fidem, ita etiam charitatem bifariàm diuidi, in humanam & diuinam. Humana erit, qua naturæ instinctu homines inter se amant, & Deum tanquam rerum omnium genitorem et administratorem, sed non pro dignitate colunt. Nulla enim gens est tam fera, quæ non etiam si ignoret qualem Deum habere debeat, tamen habendum colendumq; sciat. In hoc genere charitatis omnes societatis atq; communitatis humanæ gradus continentur. Etenim siue nationis, gentis, linguæ, siue ciuitatis qua inter se ciues copulantur, coniunctio, siue arctior colligatio propinquorum, in qua parentes, coniugium, liberos, unamq; familiam cernere licet, spectetur, omnis huiusmodi communio in charitate hac humana quam natura humano generi inseruit, concluditur. Ex hac cuncta etiam iura, quorum tria sunt genera, naturæ, gentium, ciuile, proficiscuntur. Naturæ enim ius, quod non opinio sed natura inseuit, religionem, pietatem, fidem, ciuilem ueritatem docet, sine quibus homines ipsi neq; nomen suũ, neq; ullã partẽ cõiunctionis uitæ, quæ charitate naturali nititur, tuebuntur: gentiũ uerò iura quo omnes homines utuntur, pacis & belli, libertatis & seruitutis, præmiorũ & suppliciorũ, rerũq; contrahendarũ ratio cõprehenditur, cuius usus per amorem hunc quo natura ad consuetudinẽ uitæ homines inter se cõiunxit, quàm latè pateat, palàm est. Itaq; hoc charitatis genus uniuersalẽ illam iusticiam quæ in meritis & ciuilibus officijs ostenditur, cõtinet, qua homines inter se ad conseruandã societatẽ priuatim & publicè utuntur. Præter hanc naturæ terminis definitã concluſamq; charitatẽ licet etiã uidere fictã quandã & simulatã charitatẽ extra fines rectæ rationis in multis egressam. Hãc hypocritæ, & ij qui falsam sub specie ueræ religionẽ persequũtur, habent, qui corpora sua affligentes, & opes ad alienũ Deo cultũ instituendum profundentes, diligere Deũ et homines prætento quodã pietatis colore præ se ferunt. Siquidẽ quæ agũt, non uero amore Dei & hominũ, sed sui studio agunt, partim ut præmia uitæ mereãtur, gratia diuina diffisi: partim ut ab hominib. opinionẽ aliquã probitatis et iusticiæ sibi colligãt. Horũ charitas ut à cẽsore ueræ charitatis Christo Dño nostro reprehendatur apud Matthæũ, satis est clarũ: Attẽdite ne eleemosynã præstetis

De iustitia

coram hominibus. item apud Apostolum: Et si in alimoniam omnes facultates meas insumam, & si corpus meum tradam ad comburendum, charitatem autē (illam uidelicet diuinam) non habeam, nihil utilitatis capio. Hanc fictam & inanem charitatem non ex fidei iustificantis impios luce, sed ex tenebris humanæ rationis per superstitionē natam, exemplis declarare non est necesse, quam Baalis sacerdotes corpora sua sub amoris Dei & hominum prætextu lacerantes declarant. Declarant item eam nostra & superiora Antichristi tempora, in quibus tot sectæ ad excrucianda corpora & animos excogitatæ, omnes quandam Dei charitatem, sed fictam, talemq; qualem Apostolus describit, præ se ferre est indubitatum. Qui hanc insolēter ostentant, his placitis ex hominum præceptis atq; doctrinis desumptis, utuntur uano studio, mundi elementa persequentes: Ne tetigeris, neue gustaueris, né ue attrectaueris. quæ ut inanem pietatis speciem habent, ita cum hac ipso usu pereunt. Altera charitas diuina est, qua qui præditi sunt, Deum eius ipsius studio ita diligunt, ut omnia gloriæ eius, parentes, coniuges, liberos, amicos, opes, & suam etiam uitam posthabeāt. Neq; hæc charitas suis gradibus caret. Vnus est, quo Deum super omnia amamus: alter, quo fratres necessitudine spiritus Christi nobis coniunctos amplecti mur: tertius, quo de alienis quoq; benemereri studemus, quos nondum fidei professio nobis copulauit, imò qua charitate etiam reliquas homini subiectas naturas beneuolentia prosequimur. Veluti illud Salomonis in Prouerbijs probat: Curam etiam habet iustus iumentorum suorum, secus quàm iniusti comparati sunt: affectiones autem impiorum crudeles. Vbi sapiens rex amorem in iusticia numerat, contrariam affectionem in iniusticia. Postremus gradus est, quo etiam inimicis benefacere elaboramus, exemplo patris nostri cœlestis, qui solem suum etiam iniustis lucere sinit: et exemplo Christi Domini nostri, qui pro hostibus suis mori sustinuit: & in cruce pendens, pro eis orare non recusauit. De quo genere beneficij apud uatem Iesaiam: Et pro sontibus rogauit. Is amoris gradus perfectissimus ille gradus est, quo proximè diuinam perfectionē imitamur. De qua imitatione Dominus noster huius charitatis author: Orate pro ijs qui lædunt & insectā tur uos, ut sitis filij patris uestri qui est in cœlo, qui solem suum oriri faciat in malos iuxtà ac bonos, & iustos iniustosq; cōpluat. Nā si eos amatis qui uos amāt, quam mercedem habituri estis? An non uel publicani idem faciunt? Et si uestros duntaxat fratres complecti mini, quid eximium facitis? nónne uel publicani similiter faciunt? Eritis igitur perfecti uos, quemadmodum pater uester, qui in cœlis est, perfectus est. Ex his intelligimus nos, quid & quantū inter humanā et diuinam charitatem interfit: alteram, creaturam ex rationis lumine ortam: alteram, diuinæ naturæ facultatem, de fidei luce in nobis accensam: alteram uitio originis depravatam, alteram omni uitio carere. In altera igitur rectè dicitur, ciuilis iusticia & moralis consistere, quæ mūdo probetur: in altera Dei iusticia quæ Deo placeat, uersari, ut quæ participatione diuinæ iusticiæ, quæ Deus ipse est, in nos proficiscatur. Nam cōsortio iusticiæ Dei nos iustos fieri in Christo per charitatis huius diuinæ spiritum, ut consortio sapiētiæ Dei sapientes, & cōsortio uitæ Dei per Christū uiuentes reddimur, cōsortiū illud ac participatus, de quo mox dicemus, diuinæ naturæ, de quo Petrus meminit, Vos estis cōsortes diuinæ naturæ, satis declarat. Hac de re ueterū theologorū sententiā cum sacræ literæ satis apertæ sint, nihil attinet citare. Augustinus quid de hac cōmunicatione sentiat, constat. Neq; igitur mirū est, per humanam charitatem, natura relicta sibi uitia nō deleri, in animis rebellionē aduersus Deū, contemptū rerum cœlestium, & desideriū terrestrium remanere, in carne motus esse cum spiritu perpetuò pugnantes, contraria autē euenire in diuina charitate: cuius quæ uis sit in regenerandis nobis ad eam iusticiam, de qua Apostolus his uerbis, Renouamini spiritu mentis uestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iusticia & sanctitate ueritatis: suprà demonstratum est. Vbi Paulus satis manifestè indicat, nos eam quam primus Adamus amisit, iusticiam quæ in nobis, non extra nos, uersetur, accipere. Quomodo enim, ut Augustini uerbis utamur, renouari diceremur, si hoc non reciperemus de secundo Adamo, quod primus amisit? Amisit autem is illam obediendi Deo iusticiam, & iniusticiam rebellionis induit, qua excusso Dei amore, sui flagrare cœpit. igitur in secundo Adamo deleta iniusticia, iustitiam obtemperandi Deo per amorem, qui hac lege præcipitur, Ama Dominum Deum tuū super omnia, et alterum ut teipsum, beneficio iustificationis recuperamus. Hunc autem amorem alio loco probauimus esse eum amorem et charitatem, de qua apud Ioannem: Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet. Vt aliud nō sit, Deum sui amorem præcipere, quàm ut suum spiritum qui in nobis habitet, habeamus: quo nos renouante, uitam & iusticiam habeamus: non renouante, mortem & iniusticiam. Vt indicat illud: Proinde, fratres, debitores sumus non carni ut secundum carnem uiuamus. Nam si secundum carnem uixeritis, morientini: sin spiritu corporis actiones mortificaueritis, uuetis. Si quis dicat charitatem, qua Deum amamus, non esse diuinam uim, cum fructus & donum spiritus ab Apostolo illa dicatur, utrumque de charitate confirmatur, hanc & donum et diuinæ naturæ, hoc est spiritus sancti in nobis spirantis uim esse, non aliquam creatam naturam. Donum quidem, quatenus Dei munere gratuitò de plenitudine capitis Christi spiritum sanctum accipimus, cuius ui ad amandum accendimur: diuinæ autem naturæ uim, quatenus is amoris spiritus in nobis agit, nos mouet, nos renouat, reparat atq; perficit. Sed obijcies, Deum auctus & incrementa non habere, charitatem qua Deū diligimus habere. Auctus quidē habet spiritus charitatis, si motus quo is per gradus mouet & impellit, & ipsa natura mota hos motus & impulsiones sentit, et ab eis afficitur, spectetur: sin natura mouētis spiritus cōsideratur, auctus abesse.

Coloss. 2

Diuina charitas.

Matt. 5

2. Petri

Tom. 6. lio 43

Epist.

Rom.

Immutabili enim natura ſpiritus diuinus cum ſit, in agendo, impellendo, patefaciendo, mutationem auctus et incrementa oſtendit, nõ quibus ipſe ſubiectus ſit, ſed quã mutationẽ cũ incrementis natura quæ mouetur, & perficitur ſentiat. Sic apud Ieſaiam ſeptem ſpiritus legũtur eſſe, ſpiritus metus diuini, ſapiẽtiæ, prudẽtiæ, cõſilij, fortitudinis, ſcientiæ, et quietis, nõ quidẽ quod ſacri Dei Spiritus natura in tot partes dirimatur, qui ſimpliciſſimus & nullis membris concretus & coagmentatus ſit. ſed hæc partitio in motu, actione & patefaciendi uario munere cernitur. Aliter enim mouet cũ metus, aliter cũ ſapientiæ, aliter cũ prudentiæ, aliter cũ cõſilij, aliter cũ fortitudinis, aliter cũ ſciẽtiæ ſpiritus appellatur, à diuerſis muneribus quæ in ſubiecta natura obeũtur, uaria nomina et attributa ſortitus. At uerò ſi quis hic percũctetur, cur diuina hæc charitas renouatrix noſtri in hoc ſeculo non perficiatur, eius rei facile licebit rationem reddere, ſi tenue fidei lumen, quod nobis, dum hoc fragile corpus circumferimus, prælucet, perpenſum fuerit. Si ad huius imperfectam lucem charitas in nobis accenditur, nemo mirabitur eam, in nobis dum in hoc mundo uiuimus, minimè abſoluti. Equidem remiſſius aut intenſius diligitur Deus, prout huius lumen clarius aut obſcurius in nobis luxerit, ut in terra calor creſcit aut decreſcit pro ſolaris lucis accęſſu & receſſu. Aliam enim caloris uim in æſtiua, aliã in brumali reciprocatione ſentimus. Qua propter ut in lubricis & fluxis his ſeculis degentes, Deum ex parte cognoſcimus per ſpeculum in ænigmate, ita etiam ex parte & imperfectè eundem amamus. & in altero ſeculo ut perfectè Deum quemadmodum cogniti ſumus, cognoſcemus: ita etiam perfectè eum ut amati ſumus, amabimus, abolenda ea quæ ex parte eſt cognitione, cum ea quæ perfecta eſt accęſſerit. Sic enim Apoſtolus ait: At cum uenerit quod perfectum eſt, tunc quod ex parte eſt, abolebitur. Proinde nos fidei lumine in hoc ſeculo prælucente, gaudemus nobis condonata eſſe delicta, & eum probitatis modum donari quem hic capiamus, atq; tendentes ad abſolutionem, plenam iuſticiam nobis ceſſuram ſperamus. Iuſticiam inquam, de qua illud: Sed cœlos nouos, & terram nouam iuxta promiſſionem illius expectamus, in quibus iuſticia inhabitat. Iuſticia uidelicet reſtitutæ integritatis & innocentiæ, quam reparata hæc diuina charitas, finis & perfectio uniuerſæ legis conficiet. Hæc cum cernuntur in charitate, in hac præterea quæ ſuprà laudata ſunt, etiam amplitudo & diuturnitas laudantur. Diuturnitas quidem, quod deſinente fide & ſpe, charitas ipſa maneat. Velut iam indicatum eſt, & idem apoſtolus Paulus his uerbis oſtendit: Charitas nunquam excidet, ſiue prophetiæ abolebuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia delebitur. Manebit inquam, ut perfectio & integritas omnis uitij & labis expers, & tanquam ultimum ac extremum illud tum legis, tum Euangelij & omnium operum Chriſti. Amplitudo autem charitatis in eo declaratur, quòd hæc quàm longè lateq; Deus, quàm latè Chriſtus Dominus, huiuſq; corpus Eccleſia cum ſuis membris, q̃ latè item uniuerſitas hæc extenditur, ſeſe effundit. Nihil enim eſt quod intelligẽtia capiatur, quod nõ amore ſancti homines ampleẽtãtur, exemplo patris ſui qui omnia opera ſua amat et diligit, cũ nihil uideat à ſe conditũ quod bonũ nõ ſit. Siquidẽ animad uertere is cũcta quæ facit bona eſſe, legitur. Huius boni atẽ imitans charitas omnia diligit & amore proſequitur. Quare non mediocriter hæc ut diuturnitate, ſic etiã diffundendi ſe facultate in benemerẽdo à fide differt. Hæc enim ſui explicatio ac diffuſio in fide non ſpectatur, quæ ſe intra anguſtos fines cõtinet, dũ quiſq; pro ſe Euangelio credit ad ſalutem, eius ad alios ut niſi per charitatem minimè pertingente. Proinde Paulus hæc conſiderans, dicit fidem, niſi charitate tincta ſit, nullam utilitatem afferre. Etenim ſi hominum & angelorum linguis loquar, neq; charitate ſim præditus, ſum æs ſine fructu reſonans, aut cymbalum in uanum tinniens: & ſi tantum in diuinando peritiæ habeam, ut omnia arcana ſcientiamq; omnem teneam, & ſi adeò omni ſim fide ornatus, ut uel montes transferam, & tamen charitate caream, nihil ſum. Nam per unam charitatem fides linguarum beneficio bene utitur, per unam charitatem bene diuinamus, & arcana ſacrarum literarum ex uſu eccleſiæ ad amplificandum nomen Dei explicamus. At in hac comparatione quæ charitas cum fide comparatur, intelligimus Apoſtolum connexione uti & fictione, non ſimplici enunciatione, qua affirmet ueram fidem charitate carere poſſe. Qualis etiam eſt illa connexio: Etiam ſi nos, aut angelus cœleſtis, aliud Euangelium prædicauerit, præter id quod prædicauimus uobis, anathema eſto. Vbi non affirmat genios cœleſtes poſſe diuerſum ab eo quod ipſe docuit, docere: ſed cum adiunctione loquẽs, dicit, Si angelus diuerſum prædicauerit, &c. Sapiẽter igitur ſolet fides arboris radici, ſpes trunco, charitas ramis longè ſe cum fructu diffundentibus conferri. Nam ut nemo laudet in arbore radicem & ſcapum, ſi ramis fructibus grauidis & bene fœtis careat: ſic fidem nemo commendet, quæ ſe per charitatem ad hominum uſum non proferat. Et rurſus ut in eo laudatur arboris radix, quòd niſi hæc integra ſit, neque ſcapus, neque rami conſiſtent: ita niſi fides in animis noſtris uigeat, ſpes & charitas ſe minimè tuebuntur. quæ fidei excellens laus eſt. Quocirca quamuis in futuro ſeculo ceſſaturum ſit remiſſum fidei lumen, ei tamen lux ſuccedet, qua charitas illa perfecta, quam hic ſpe præſumimus excitabitur, & excitata conſeruabitur. Lux inquam cognitionis abſolutæ, qua Deum ut cogniti ſumus, cognoſcemus. De qua apud Ioannem: Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quod futuri ſumus. Scimus autem, ſi apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam uidebimus eum ſicuti eſt. Quare ut in hoc mundo imperfecta charitas, imperfecta luce conſtat: ita olim clara nobis face accenſa, quæ aliqua ratione fidei reſpondeat, perfecta charitas in nobis exiſtet, quam hic ſpe nunquam pudefacienda cum noſtri immutatione ad ſplendorem Chriſti Ieſu, Domini noſtri, expectamus. Ex his quæ

2. Pet. 3

iam indicata sunt, colligitur, triplicem, qua sancti ornantur, iusticiam in Christo cerni. Vnam, reconciliationis nostri cum Deo per sanguinem Iesu: alteram inchoatam, qua iam recepti in gratiam remissis peccatis renouamur ad imaginem filij. Tertiam perfectam, quam in futura uita consequemur. Hæc de dono iusticiæ renouantis uos per fidem à Christo nobis communicatæ hactenus. Reliquum est, ut errores, quos aduersarij in tractatione charitatis designant, breuiter perstringamus, quo planius, quanta præstantia sit ueræ charitatis, cognoscatur. Aduersarij ut in exponenda fide iusticiæ impium, ita etiam in explicanda charitate laborant & errant. Nam si originem charitatis spectes, nihil ipsi de capite Christo docent, ut ex huius affluentia & plenitudine adoptionis spiritum accipiamus, quo afflati et Euangelio fidem habeamus, et Deum per charitatem supra omnia, et fratres ut alteros nos amemus. Non tradunt item ut charitatis spiritus per prophetas promissus sit, quem sola fide promissionis diuinæ nullo nostro, sed unius Christi merito capiamus. Atq; ut in origine charitatis exponenda hallucinantur, ita etiam naturam & uim charitatis diuinæ non declarant, cum eam quandam qualitatem infusam & creatam esse tradunt. Quod cum faciunt, indicant se talem charitatem docere, quæ nullam neq; renouandi, neq; uiuificandi eos quos afflauerit, uim habeat. Nam suprà demonstratum est, nullam facultatem in rerum natura esse, qua Deum uerè colamus, quàm spiritum Christi Domini nostri. At huius uis non est qualitas aliqua inspirata, aut creata natura, sed spirans in nobis spiritus sanctus, & uiua facultas ac uirtus, carnis affectus mortificãs, uitia expurgans, probitatem reparans, confidentiã diuini iudicij metu caremẽ restituens. de quo Ioãnes: Perfecta charitas eijcit timorẽ, quẽ aduersarij cũ iusticãte fide cõiungunt. Dicũt enim per fidem nos certiores non fieri de Dei erga nos fauore. Præterea hoc modo tractantes charitatem, non ostendunt quomodo unum nos cum Deo in filio & per filium iusticiæ, uitæ, sapientiæ diuinæ participes efficiamur. de quo uno Dominus his uerbis: Vt sint unum, quemadmodum & nos unum sumus. Hæc cõsociatio nõ ulla creata qualitate cõstat, sed charitate illa de qua apud Ioannem fit mentio: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet. Hoc copulandi nos cum Deo & corporis ecclesiæ membra cum capite Christo uinculum quoniam suprà expositum est, non est necesse eius explicationem retexere. Hanc autem diuinæ charitatis uim ignorare se probãt, cum liberi arbitrij quod fingunt, cum uerius sit seruum quàm liberum, reliquias quasdam asserunt superesse, per quas illud adiutum gratia Dei legi satisfacere possit. Et cum multi illorum concupiscentiam & eius primos et incitatos motus in peccato capitali non numerant, neque etiam seriò tradunt in nobis per spiritum regeneratorem nouam uoluntatem, nouas uires & motus formari, uetere uolunate, & uiribus deletis, ut inertem fidem statuunt: ita etiam charitatem inanem & languentem, per quam neq; Deus ut oporteat, neq; fratres ex Dei sententia diligantur, ab eis statui, non est obscurũ. Fidem autem inanem ab eis doceri, suprà est probatum, quam quoq; ut ociosa & ignaua charitas consequatur, oportet. Huius autem inertiam illorum uita, mores, studia, Euangelij & legis diuinæ cõtemptio testantur. Ex qua contemptione manifesta illa carnis opera, adulterium, stuprum, immunditiã, lasciuia, simulacrorum cultus, ueneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, contentiones, seditiones, sectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ tolerat eorum uana charitas, Satanæ dolo conficta: uera autem charitatis spiritus, qui legem Dei implet, illa detestatur, & ea opera commendat atq; edit, quæ idem Apostolus ad Galatas recẽset: charitas, alacritas, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperãtia. Etenim is sacer charitatis halitus atq; afflatus, quem sacræ literæ tantopere prædicant, non ex quauis luce mentis oritur, non quouis animi iudicio regitur, & augetur, sed uno uerbo Dei & eius fide guber-
natur, & incrementa sua auctusq; accipit. Sed dices: multa fiũt per charitatem, quæ præeunte uerbo Dei non fiunt. Veluti Apostolus ait se quædam per charitatem monere, de quibus præceptum Domini non habeat. Multa etiam à nobis indies fiunt rectæ charitatis impulsu, de quibus sententia Dei literis tradita aut spiritu patefacta non extat. Duplex genus sententiarum Dei est: Vnum finitarum, alterum infinitarum: finitæ personarum & rerum attributis inuoluuntur, infinitæ ab illis liberæ sunt: quales habeneur quas sacra scriptura de rebus expetendis fugiendisq; generatim in ipso Decalogo tradit. Si loqueris, Igitur de finitis sententijs, non semper hæ extant apertè literis consignatæ, quas sequamur. Vt exemplo est Apostolus ubi ait: De uirginibus autem præceptum Domini nõ habeo, consilium autem do, & c. Sin uerò de infinitis & generalibus sententijs Dei loqueris, his charitas quæ in singulis personis cum attributorum ipsarum rerum animaduersione tractandis regatur per fidem, nõ carebit. Vt sunt communes illæ sententiæ, quibus admonemur omnia nobis agenda esse quæ intellexerimus ita alteri pfore, ut inde amplificetur nomẽ Dei, non dehonestetur. Dico, ut inde amplificetur nomen Dei. siquidem omnium actionum nostrarum, quæ fide per charitatem fiunt, finis honor ipse Dei esse debet, ad quem omnes nostras cogitationes, consilia, studia ita referre decet, ut potius omnia nostra, fortunas gloriam, uitam, parentes, liberos, propinquos, periclitari sinamus, quàm uel minimum de honore Dei detrahi patiamur. Imò accidunt interdum tempora, ut suadente fide, cum agitur amplificatio nominis diuini, ad alterum perdendum potius parati simus, quàm ad seruandum. Vt testantur diræ quas sancti homines impulsi spiritu Dei impijs imprecantur. Sic enim uates: Replе uultus eorum dedecore, ut tuum requiratur nomẽ Domine. Turpiter conturbentur, fœdiq; pereant perpetuò, ut intelligatur nomen tuum יהוה & absolutè esse supremum in orbe terrarum. Et Elisæus ut male dixerit pueris se illudentibus, ex Regum historia patet.

Errores de charitate aduersariorum.

Ioan. 19

Gal. 1

1. Cor.

Psal. 83

tet. Qua in re quantum tribuendum sit fidei, clarè liquet, quæ una totam charitatem nixa uerbo Dei moderetur. Quapropter in eo quoq; errant aduersarij, cum dicunt iustificantem fidem charitate quasi forma quadam ornari, atq; ab ea uim suam ducere, cum contrarium uerum sit. Nam omnem uim suam charitas ex fidei lumine accipit: quod nisi in animis nostris luceat, charitas nullum sit inuentura locum. Quis enim Deũ supra omnia, & fratrem ut alterum se diligat, nisi in animo lux splendeat, quæ ut amandus sit Deus, monstret, & amoris uires subministret. Cum Dominus rogaret duodecim, num & ipsi, quemadmodum multi se essent, à se discedere uellent, respondit Petrus: Ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes: nos credimus et cognouimus, quòd tu es Christus filius Dei uiui. His uerbis Petrus docet, quòd amore Christo adhæserint, cognitionẽ caussam fuisse, quòd cognouissent Christũ filium Dei uiuentis esse. Hinc Apostolus charitatẽ ex corde puro & fide non ficta nasci dicit. Omnis igitur ueræ atq; diuinæ charitatis uigor in fidei luce uitali, ut calor in igni continetur. Itaq; Ioannes ait, eos qui fratres diligunt, in lumine manere. In quo lumine? In fidei sanè lumine, quod nequaquam humanæ rationis lumen est, sed Dei ad uitam & iusticiam in filijs Dei fulgens. At dices, epistolam quæ nomine Iacobi circunfertur, confirmare fidem sine operibus mortuam esse, igitur potius fidem uitam suam à charitate quæ eduntur bona opera, accipere, quam contrà. inquit enim: Nam quemadmodum corpus absq; spiritu mortuum est, ita & fides absq; factis mortua est. Hac similitudine Iacobus nihil aliud docet, quàm sicut corpus quod non spirat, animans non est, sed cadauer: ita fidẽ non spirantem, non agentem in nobis, non esse fidem, sed fidei inanem speciem ac simulacrum. Itaq; intelligimus fidem se uiuam declarare per charitatem, non ex ea uitã accipere. Nam sicut non consequitur, quia Deus per mundũ hunc & eius partes sese agendo diffundit, atq; explicat, animi per corpora opera sua cõficiunt, ideo mundum Dei, & animorum corpora esse uitales & animantes formæ: sic minimè efficitur, charitate fidem formari, quia hæc diligendo palàm sese profert, & actiones suas declarat. Hactenus de charitate, & de erroribus qui in eius explicatione ab aduersarijs committuntur.

Diuinitas electorũ.

Ex hoc spiritus Christi, quo iustificatio nostri conficitur, participatu, concludere licet, diuinitatẽ quæ in Christo ut capite habitat, eam quoq; in corpore Ecclesia & eius membris iure communionis quod inter caput & corpus, inter sponsum & sponsam intercedit, habitare. Quò referuntur illa crebrò in sacris literis memorata: Et habitabo in eis. item de spiritu Dei: Et spiritus Dei habitat in uobis. & de Christo: Vt inhabitet Christus per fidẽ in cordibus uestris. Item: Viuo tamen iam non ego, sed uiuit in me Christus. Atq; is est semen illud immortale ex quo per sacrum eius spiritũ ad diuinæ naturæ consortium renascimur, de quo, ut suprà quoq; meminimus, Petrus: Vos estis consortes diuinæ naturæ. & de semine idem Apostolus: Ex puro corde uos inuicem diligite impense, renati non ex semine mortali, sed immortali, per sermonẽ uiuẽtis Dei & manentis in æternũ. Vbi Petrus tria indicat. Vnũ est, nos ex uerbo Dei diuino semine, quod Christus est, renasci. Alterum, ad eandem nouam & cœlestem geniturã adhiberi spiritum seminis: ut etiam in genituræ illa animali, nisi insit in semine aquoso spiritus ille æreus, inutile illud ad gignendũ ut habeatur, palàm est. Ad hanc aqueam & spiritualẽ seminis diuini uim, ex qua cœlestis genitura constat, respiciens Dominus sic ait: Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu. De eodẽ cœlestis seminis spiritu Petrus in loco iam citato sic inquit: Qui animas uestras purificastis, obediendo ueritati per spiritum. Tertium est, sic renatos diligere inter se. dicit enim: Ex puro corde uos inuicem diligite impense renatis. Hinc primò cõsequitur, in renatis spiritum sanctum, cuius participes sint, cerni: deinde eos qui renascuntur, neq; ex creata aliqua natura, neq; ex nihilo, sed ex Deo, hoc est ex spiritu Iesu Christi, uerbi Dei uiuentis, renasci: ut uerè qui sic renati sunt, dicãtur non creati, sed geniti: non facti è nihilo, sed dij ex Deo & filij ex Deo patre nati. Demum efficitur, ad iustificationem nostri ut spiritus Christi necessarius est, ita etiam, sapientiam, uitam, iusticiam Christi, quæ Dei iusticia est, in iustificatis uersari. Atq; hanc communicationem comprobat etiam parabola illa à Domino de uite & palmitibus allata, & eius de carnis suæ in uiscera noui hominis transmissæ esu: de uno itẽ apud Ioannem quod sancti cum Deo patre fiant, facta mentio. Idẽ confirmat gratissima Apostoli admonitio, quã ad maritos in epistola ad Ephesios habet: qua cum docet ecclesiam ex ossibus & carne Christi cõflari, quid aliud docet quàm illam cum sponso ac marito suo uictoriam peccati & mortis, iusticiam, uitam, sapientiã, glõriam, & omnes diuinitatis diuitias communes habere? in præsenti quidem seculò per fidem imperfectè & inchoatè, sed quæ in futuro perfectè sub spe non fallente sit adeptura. At uerò diuersa ratione diuinitas in Christo habitat, & in eius membris: in illo plenitudinem perfectionis spiritualis cernere licet, in his modum ad mensurã donationis illius. sic enim Apostolus ait: Vnicuiq; nostrũm data est gratia iuxta mensuram donationis Christi. de Christo uerò apud Ioannem: Non enim huic dat ad mensuram Deus spiritum. Præterea Christus ut naturalis filius Dei, à puro puto conceptu & partu spiritum sanctum natura tenet, nos qui à conceptu & partu impuri sumus, spiritum Dei per adoptionis gratiam accipimus, à natura uetere eius uacui. Demũ ratione uerbi discrimẽ est. Christus Iesus uerbũ illud æternum patris est, quo omnia sapienter cõdita sunt, & condita administrantur. secus sancti habent. Ad hoc mysteriũ de diuinitate habitante in filio Dei Christo Iesu Domino nostro, & in Ecclesia corpore illius adumbrandum, usum est Deo Mosæ mandare, ut arcã propitiatorio tectam fabricaret, supra quam ipse inter Cherubos habitans, oracula ac responsa suis ederet. per arcam autem ipsa ecclesia in qua lex uitæ reposita est, de qua apud Hieremiam: Scribã in cordibus eorũ legẽ meam, legẽ inquam spiritus & uitæ, de qua Apostolus ad Rom. meminit: Nã lex spiritus uitæ per

Exod. 25
2. Cor. 3
Eph. 3
& Gal. 2

2. Petri 1
1. Pet. 1

Ioan. 15

Ephes. 5

Ephes. 4

Christũ Iesum liberũ me reddidit, &c. per propitiatoriũ uerò Christus cœleste placamentũ iræ diuinæ, & per Cherubos in uniuersum oraculorũ Dei administri legati q alati & cõuersi in propitiatoriũ expeditum atq; promptũ officiũ præ se ferũt, significabantur. In tra hos Cherubos diuinitas recõciliatori Christo insidens arcæ, ecclesiæ quoq; cõmunicatur. legimus enim:
Ioan. 1 De plenitudine eius omnes acepimus. Quò respiciens
1. Cor. 3 Apostolus sic ait: Vos Christi, Christus uerò Dei. uos in
Colos. 2 quã Christi tanquã mẽbra eius perfectionis quã ille ipse planè & citra modũ habet, consortes: Christus uerò Dei tanquã naturalis filius & caput uniuersæ perfectionis spiritualis plenitudine deitatis in eo corporatè, hoc est uerè, nõ per umbrã, ut in tabernaculo Mosaico & Salomonio tẽplo habitante. Hinc etiã accidit, ut
Ps. 11 & Christus & corpus eius Ecclesia, diuinitatis templũ appelletur. De Christo legimus apud uatẽ: Dñs in templo sancto suo oculis suis aspicit. Nam Christus est illud cœleste חיכל in quo diuinitas uersans omnia moderatur & regit. Itaq; de hoc tẽplo Ioãnes: Templum illius est & agnus. De Ecclesia aũt: Et uos estis tẽplũ Dei, eadẽ deitate in illa uersante quæ in Christo uersatur, cuius ipsa Ecclesia, quam spiritu suo impleat, sit
Ioan. 1 complementũ. Placuit porrò patri cœlesti uerbũ suum æternũ hominẽ fieri, in quo diuinitas quanta à sapientia, bonitate, potẽtia, iusticia est, habitaret, et eadẽ uoluntate ei placuit, ut is homo plenus diuinitate tanquã caput corpus haberet, in quod èt eius mẽbra eadẽ illa diuinitas pro captu cuiusq; flueret atq; dimanaret. Vnde fit, ut ex hac capitis & corporis diuina cõstitutione, utrũq; diuinitatis nomina, sed certa cũ differentia
Ies. 7 obtineat. De capite Christo legimus apud Iesaiã: Et uocabitur nomẽ eius עמנו אל. & apud Hieremiã sacrosanctũ illud deitatis nomẽ, יהוה ei tribuitur: Vocabitur aũt hoc nomine יהוה iusticia nostra. Cuiusmodi aũt sit nomẽ propriũ Meßiæ, רחשירח, quod conscie pronunciatur Iesus, ea de re suo loco commodius meminerimus. Quibus nominibus declaratur Christus Iesus filius Dei uiuentis, uereq; Deus pari cum patre ma
Ephes. 5 iestate esse. Et quoniã Ecclesia, ut ex sacris literis indicatum, os de ossibus, & caro de carne Christi est, ut diuinitatis quæ in Christo cernitur, particeps est, ita quoq; nomine diuino ornatur. Etenim sic de Hierosoly
Ezech. 48 ma cœlesti apud Ezechielem legimus: רשם חעיר
Apoc. 14 מירם יהוה שמח. Similiter in Apocal. Ioannis legi
Apoc. 22 mus, supra montem Sionem stare agnũ, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, qui omnes habeãt nomen agni, & nomẽ patris eius scriptũ in frontib. suis. Hoc nomẽ sanctorũ, diuinitatem cuius participes sint,
Exod. 28 declarat. Quod arcanũ uoluit Dei sapientia per laminam aureã nomine diuino insignitã & gestatã in frõte summi sacerdotis indicari, deitatẽ nempe plenè in Christo residere, et per cõmunionẽ qualis inter caput & corpus est, in electis quoque inesse. de quibus idem
Apoc. 3 Ioãnes his uerbis: Qui uicerit, scribã super eum nomen Dei. Huius aũt nominis scriptionẽ in cordibus nostris inenarrabili consolatione nostri testatur spiritus, de
Rom. 8 quo Apostolus: Idem spiritus testatur unà cum spiritu nostro quòd simus filij Dei, eiusdẽ uidelicet diuinæ naturæ, eiusdẽ felicitatis ac beatitudinis, eiusdẽ hæreditatis quã Christus in Deo habet, cõsortes, ut est apud eũdem Apostolũ: Filij igitur & hæredes, cohæredes aũt Christi, cui sit gloria & honor in æternum. Amen.

Hæc de diuinitate sanctorũ quam cõmunicatio spiritus sapientiæ, iusticiæ, & uitæ Dei per fidẽ in iustificationem nostri filijs Dei tũgit, breuiter perstrinximus: reliquũ igitur est ut ex eadẽ quæ explicata est iustificationis ratione errores qui de benefactis tradũtur, refellamus. Primò aũt in assignandis bonarũ actionũ quibus cœlestis regni hæreditas promittitur, causis erratur. Nam qui bona opera ponderãt ex libera uoluntate quã ratio regit, in eo hallucinãtur, quòd eã causam afferunt, quæ pro causa minimè sit habenda. Mens enim nostra per se nec cogitare, nec uelle, nec efficere quicquã earũ rerũ potest, quæ ad regnum Dei pertinent. Quippe si cogitationẽ consideres, occurrit illud: Nemo nouit filium nisi pater, nec patrẽ quisquã nouit nisi filius, & cuicunq; uoluerit filius patefacere. Item
Apostolus in eandẽ sententiã: Sic & ea quæ sunt Dei nemo nouit nisi spiritus Dei. sin uerò uoluntatem spectes, legimus hoc: Nam Deus est is qui agit in uobis ut uelitis. Sin demum uim efficiendi quoddã ex sententia Dei, dicit Dominus ipse Christus: Sine me nihil potestis facere. item: Sicut palmes nõ potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in uite, sic nec uos nisi in me mãseritis. In Christo igitur causa bonarum actionum quas Deus remuneretur regni sui præmijs, non in mentis nostræ naturali facultate fuerit quærẽda. Causa aũt quæ in ipsõ Christo uestigatur, spiritus fidei est per charitatem in regeneratis ad nouã iusticiã & uitã agens. Nã extra hunc spiritũ nulla facta edi quæ Deo probẽtur, satis ex uetere natura licet intelligere. Hanc siquidem ita uitiatã esse originis uitio scimus, & in cõmuni uita experimur, ut nihil neq; sapiat, neq; cupiat ex sententia legis & uolũtatis diuinæ. Capitis enim omnes nondũ regenitos ex spiritu Christi cõdemnat hæc lex: Ama Dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo, et alterũ ut teipsum. Vt aũt natura malè affecta est, ita etiã actiones quæ ab illa fiunt, ut malæ sint & uitiosæ necesse est. Firma enim est illa sentẽtia Domini de arboribus: Ex bonis bonũ, ex malis uitiosum fructum ferri. Itaq; ut nos bona arbor efficeremur, iustificatio diuina cura ac ratione in Christo adhibetur, in qua regeneratio comprehensa nos nouos abolito uetere, cœlestes exuto terreno reddit homines, ut tales effecti ea opera præstemus, quæ in nobis cœlestis patris cœlestem spiritum uersari ostendant. Errorẽ hunc de caussis benefactorũ, discriminis legis & Euãgelij, iusticiæ factorũ et
fidei, iusticiæ diuinæ et humanæ ignorãtia peperit, dũ pẽsitatũ nõ est legẽ in iubẽdo quid facias, aut omittas facere, nõ itẽ in præstãda faciendi ui uersari: Euãgelij uerò doctrinã nõ in præcipiẽdo quid facias, sed ut credas ei qui culpam non præstitæ legis remittat, & ad exequendam legem facultatem liberaliter donet. Is Christus Iesus est legis perfectio, & iusticia omni credenti, Mosaicæ legis finis. Itaq; qui uerè & rectè iudicant, legẽ mãdare quæ agas, fidem uerò exhibere uim quæ lex mandat, faciẽdi affirmãt, dũ Christũ exhibet, & ex

De bonis factis

Mat. 11

1. Cor. 2 Philip. 2

Mat. 12

& ex plenitudine et copia eius spiritũ charitatis: quo afflati, nostra sponte amemus Deum, & alterum ei benefaciendo, contrarijs uitijs deuitatis. In quibus deorum alienorum cultus, parentum contemptus, furta, adulteria, falsa testimonia cõtinentur, amori Dei & proximi aduersa. Ex hoc errore secundus nascitur, quo tenẽtur qui partim bona esse quædam opera, quæ uiam ad iustificationem præparent, partim quæ iusticiam ipsam afferant, esse dicunt. hi iusticiam ex factis comparari uolunt, iustosq; ex eis effici contendunt. Quorum præposteram doctrinam tum sacræ literæ, tum natura etiam ipsa refellit. Sacræ enim literæ docent, neminem prius bene agere posse, quàm sit bonus per regenerationem factus. Veluti Dominus eleganti similitudine his uerbis ostendit: Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem uitiosam, & fructum eius uitiosum. Vitiosa autem arbor sumus, tantisper dum ueteris hominis ratione, consilio, uoluntate regi non desinimus: bona autem, si spiritu sacro, qui noui & cœlestis hominis spiritus est, agimur, almur, augemurq;: qui in iustificatione nobis donatus liberali bonitate Dei, illa diuinæ iusticiæ in nobis uersantis facultas est, per quam sanctè & cogitare & rectè uiuere possumus. Natura ut errorem hunc alterum ex priore ortum refutet, ex eo patet, quòd hac comparatum sit, omnem rerum effectarum præstantiam ex causis proficisci: quarum perfectionem quam habent, nemo contrà ex illis pendère ac perfici dixerit. Quis enim Deum statuat ex sapienter fabricato mundo sapientem fieri? Quis solem à calore in terra excitato calescere? aquam ab humore quem uicinis affundit locis, humescere fateatur? Quis Lysippos, Praxiteles, Apelles, Diuersos, ab operibus magna arte ab ipsis elaboratis artifices factos pronunciet? Quàm perperam igitur aduersarij locum epistolæ Iacobi nomine circumlatæ interpretentur, ubi exemplis Abrahami & Raabæ usus, sic ait, Videtis igitur quòd ex factis iustificetur homo, & non ex fide tantum, peritis sacrarum literarum satis perspicuum est, & id suprà monstratum. Nam si quis illius epistolæ uerba expendit, intelliget eum uelle fide pios iustos reddi, hoc est reconciliari cum Deo, accepto spiritu sancto, & hoc modo iustos factos operibus iustificari, hoc est palàm probari iustos. Nam dicit Abrahamum ut credidisset, amicum Dei factũ. deinde subijcit eum factis suæ iusticiæ significationem dedisse, quam qui mortuam fidem habent, cum non dent, frustra se fide iustificatos gloriari. Similiter Raabam epistola ad Hebræos fide se seruasse, ne interiret cum reliquis, affirmat. Quocirca in fide ut radice iustificatio hæret, quam benefactis declaremus, quod est Abrahamum & Raabam factis iustificatos fuisse. At uerò nonhac causa epistolã illam citamus, eiusq; locos de iustificatione explicamus, ut quis existimet à nobis eam pro apostolica haberi: sed citamus, ut aduersarij intelligant, ne quidem illud quod ipsi tanti faciunt, scriptum ab ipsis, sed à uera quæ adducta est, sententia facere. Tertiò erratur in generibus rectè factorum & præmiorum confundendis. Siquidem multi neq; quæ actiones ex more & ciuiliter bonæ sint, quæq; his præmia cedant, neque quæ actiones pro honestis Deo probentur, & ab eo dignæ habeantur, quas regni sui præmijs ornet, animaduertunt. In hunc autem errorem inducuntur, quod rationis ad res diuinas hallucinantis iudicium secuti, omnia quæ illi consentanea uideantur, pro benefactis quæ Deus commendet, & remuneret, ducenda esse existimant. Quod cum faciunt, non perpendunt rectè facta ex uerbo Dei, quod fide capitur, non ex humanæ rationis censura ponderanda esse. Stat enim hæc sententia firmiter: Quicquid præcipio uobis, curatote ut id faciatis, neq; quicquã addatis, uel detrahatis, non quicquid ratio iusserit aut præceperit. Hæc enim in animalis hominis ambitu concluditur, de quo in hunc modum Apostolus: Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitiæ siquidẽ illi sunt, nec potest cognoscere. Sed cur diuina non potest cognoscere? Sequitur in ibi eius rei ratio: Quòd spiritualiter dijudicantur. Hac autem spiritualiter dijudicandi facultate animalis homo caret, qua unus nouus homo ex spiritu Messiæ & ex uentre eius fluentibus aquis renatus, præditus est, ut possit inter terrenum hominem & cœlestem, inter utriusq; facta et præmia, inter lumen rationis natiuum & lucem Dei, inter iusticiam humanam ac legis, & diuinam ex fide ortam, et inter signa ac symbola et ipsas res sacras symbolis mysticis repræsentatas, dijudicare. Quæ iudicandi uerè de rebus diuinis ui destituti aduersarij, in alium etiam errorem, ut ultiorum uberrimus est prouentus, in tractatione huius causæ incidunt, cum bonæ actiones ab eis pro meritis habentur, quarum alijs de congruo, ut ipsi loquuntur, alijs de condigno præmium debeatur. Qui error quoniam suprà refutatus est, non est necesse denuò eius meminisse. Qui merita finem suorum factorum statuunt, gratiæ diuinæ, cuius ui sola rectè faciamus, amplificandæ cura nulla ducuntur, dum in mercedem quam adipiscantur, non in diuinam bonitatem quam celebrent in bene agendo, oculos conuertunt. Itaq; ut in origine bonorum operum perpendenda, ita in fine etiam metiendo turpiter labuntur. Hic iure percunctamur, sanctine homines Dei filij sint, necne? Dices, filios esse, id testante spiritu, quo Deum patrem appellant. iam autem si filij sunt, hæredes ex spiritu filij nascuntur, non meritis fiunt. At uerò non negamus eum quoq; erraturum, qui diceret bonas actiones nullum alium quàm de diuina in nobis fidei iustitia significationis dandæ usum habere. Quis enim fructus laudandos esse putaret, si præter testimonium quod ferunt de arboribus, nullam aliam uel ad uescendum, uel ad medicandum utilitatem communi animantium uitæ afferrent? Quem autem in uniuersum benefacta habeant usum, ea de re suprà mentio facta est. Demum errorem in hoc tractando negocio multo fœdissimum superstitio parit, qua bona opera æstimantur, quæ nec naturæ, nec spiritus diuini iudicio probonis habentur, ut sunt opera quæ in radendo, unguendo, uesticndo, in ædificandis tẽplis, & aris erigendis, idolis,

1. Cor. 2

idolis, in suffiendo, in aspergendis aquis & cineribus, in conceptis ad certum numerum precibus, & eis ad diuos tanquam patronos & arbitros factis, in uouendis item nouis & uarijs uitæ institutis quorum nullum Euangelica doctrina nec præcipit, nec consulit: in cauendis coniugijs, in deligendis certis cibis, quorum delectum religionis ergô susceptum spiritus Christi libertas respuit, et id genus alia, quæ per superstitionẽ religionis specie aduersarius ille Euangelij satanæ in stinctu comminiscitur. Qui ex simulatione conflata illa bestia est, quam Ioannes in sua Apocalypsi ex Daniele & alijs prophetis describit, & his ultimis temporibus per clementiam Dei patefieri non obscurè incipit. Neq; is hostis ueritatis supra omne Dei numen superbè se efferens, contemnus est huiusmodi erroribus: sed etiam, quæ est arrogantia eius, præmia cœlestia cultoribus suis, & genua ante statuam suam auream flectentibus promittit: & eos qui contraria faciunt, deductos in carcerẽ, uirgis cæsos, reste suspẽsos, insutos in culeum, ad ignem tortos perdere studet, & quantum ipso est, æterno supplicio addicit ac deuouet, iure sibi in omnia supera & infera uendicato. Atque is unus uera iustificandi ratione extincta, falsam hanc inuexit, omnibus in templo Dei, in quo inso lenter sedet, miserè profanatis, sed ad certum tempus ea profanatione durante, cuius spacia in sacris literis definita, ut ex Daniele & Ioannis Apocalypsi cognoscere licet, traduntur. Atqui hæc mendaciorum & ueritatis, tenebrarum & lucis uicissitudo à Deo prouisa est, ut electi Dei profunditate errorum satanæ, quam in filio perdito & eius ministris manifestat, cognita, quæ & quanea exortæ Euangelij lucis gratia & suauitas esset & quanta Iesus Christus post triumphum de potestatibus tenebrarum actum potentia floreret, intelligerent.

De restitutæ salutis amplitudine.

Perpensa salute quæ nobis in nostri iustificatione per seruatorem nostrum Iesum Christum conficitur, demum concludimus hanc longè maiorem & illustriorem restitui, quàm amissa per primum Adamum fuerit. Nam in hoc animalis uita perdita est & terrestris, in illo spiritualis & cœlestis reparatur. Primus enim homo ex terra terrenus, ut halitu animali uiueret, factus est. Secundus de cœlo cœlestis, à patre Deo genitus, qui uiuifico spiritu omnia uiuificaret. Alter amisit quidem statum integrum, sed qui facile labefieri posset: alter statum qua nulla ui euertatur, instaurat, generata sobole non terrena ex semine mortali, sed cœlesti ex semine, immortali nulli labi, nulliq; uitio obnoxia, cum primus ille filios terrenos & carnales, tenebris & morti subiectos gignat. Ex quo etiam Eua, mater uiuentium, fragili mortalique uita deprompta est, cum contrà ex altero illo Adamo cœlesti, Eua cœlestis, hoc est mater uiuentium, uita æterna, quam nulla labes inficiat, desumpta intelligatur. Amissum præterea est per primum hominem imperium in terrenas opes, per secundum in cœlestia & terrestria potestas restituitur. De qua potestate, quam mortis & potestatum tenebrarum uictoria nactus est restitutor ipse: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra, potestas uidelicet regia & sacerdotalis, per diuinam è sacro spiritu unctionem confecta. Amissus item est paradisus per primum hominem arbore uitæ, cuius fructus uitam animalem sustentaret, consitus, & fluminibus suis irriguus, luceque hac aspectabili cœli illustratus, qua frui citra corporis terreni mortem potuisset, si culpa se magis satanæ, quàm Deo fidem habens, non obstrinxisset. A secundo autem homine reparatus est paradisus, & in eum aditus patefactus, de quo eius cultor ad latronem: Hodie mecum eris in paradiso, in paradiso inquam arbore uitali consito. de qua Ioannes: Vincenti dabo edere de arbore uitæ, quæ est in medio paradisi. Arborem autem hanc uitæ exponit Iesaias, ubi ait: Et egredietur surculus, &c. Huius uiuificum esum apud Ioannem arbor ipsa explicat his uerbis: Caro mea uerè cibus est. Qui edit carnem meam, is in me manet, & ego in illo. Nec desunt sua flumina quibus cœlestis is hortus irrigetur. de quibus illud: Et ostendit mihi flumen aquæ uitæ splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei & agni. Hic fluuius aquas continet non quæ sitim mox redituram sedent, sed eas quas qui semel biberit, amplius nulla sit siti afficiendus. de quibus is alter Adamus apud eundem Ioannem: Qui ex aqua quam ego ei dedero, biberit, is nunquam sitiet, sed fiet in eo fons aquæ scaturientis in uitam æternam. Cernas etiam lucem in hoc diuino horto, non illam corporatam in hoc crassos & tenebricosos ueteris ac terreni hominis oculos incurrentem, qua à primo homine nata soboles per mortem spoliatur: sed lucem splendoris ipsius diuinitatis, qua secundi hominis liberi cœlesti genitura renati ad uitam æternam fruantur. de qua illud: Charitas Dei illuminat eum, & lucerna eius est agnus. Agnus inquam, qui de se prædicat: Ego sum lux mundi. Demum igitur in altero Adamo cognitio Dei quæ conditioni eius, qui fragilis de fragili, de terra terrenus conditus erat, congruebat, amissa est: ab altero autem Adamo ut uera luce, mysteriorum quæ sub occasione peccati, mortis, & inferni patefacienda erant, cognitio tributa. De qua apud Apostolum: Iuxta patefactionem mysterij temporibus æternis taciti, manifestati uerò nunc. Quæ Apostoli uerba indicant, imprudenter à nonnullis in quæstionẽ uocari quẽnã statũ primus homo habiturus fuisset, si innocentiã & probitatẽ nõ perdidisset. Hi enim nõ perpendũt Deum per peccatũ iustitiam suam, per iram gratiam, per mortem uitam, per infernum cœlos, per dedecus crucis, splendorem regni sui in Christo patefacere uoluisse. De quo æterno & immutabili consilio apud Lucam his uerbis fit mentio: Et sic oportebat Christum pati, & excitari è mortuis, & intrare in gloriam suam. & de illius membris: Siquidem unà cum illo patimur, ut unà cum eo glorioſi reddamur. Nam hac uictoriæ & triumphi gloria liberator & redemptor noster Christus potiri non potuisset, nisi morte defunctus hostes suos uicisset.

Rom. 15

Luc. 2

Rom. 8

Ex

Ex patris igitur sui æterna & immutabili sententia probrosam crucẽ subire uoluit, ut hoc modo & sibi et sponsæ suæ ecclesiæ ad maiestatẽ paterni regni uiam expediret atq; sterneret. Vt autem mors eius ad expianda delicta mundi, à Deo præfinita sit, declarat illud: Et equidẽ filius hominis, ut decretum est, uadit. Luc. 22
item: Quoniam adhuc quod scriptum est oportet perfici in me. Quomodo uerò is ipse uolens & sua sponte mortem susceperit, ad seruandum humanum genus, Esa. 53 ostendit spiritus eius apud prophetam: Vt agnus ante tonsorem suum obmutescit, sic ille non aperuit os suum. Qua in re admirabilem sapientiam Dei cum summa bonitate copulatam considerare licet, quòd in hac filij sui morte & nostri redemptio, & illius supra omnia exaltatio quæsita fuit. Nam is sine culpa cum deijci non posset, & sua careret, aliena quam sanaret, deiectus est ut sic depressus infra omnia, supra omnia extolleretur, adeptus nomen cui cuncta in cœlo & supera genua flecterent: nec non hoc modo elatus, corpori suo Ecclesiæ, & eius membris iure coniugalis societatis gloriam firmam & nulla ui conuellendam præpararet. Itaque ex hac conficiendæ salutis per iustificationem nostri ratione apud Deum ante conditum mundum deliberata, palàm fit omnia quæ electis & scriptis in libro uitæ accidunt, eis in bonum accidere in Christo Iesu, qui peccati & culpæ expers factus est peccatum, ut iusticiam nobis peccatoribus meliore nota quàm perdita fuisset, restitueret: factus est mortalis, ut uitam non terrenam, sed cœlestem redderet: iram patris in se transtulit, ut fauorem eius nobis nulla aduersarum potestatum ui intercipiendum conciliaret: in infernum deturbatus est, ut nos ex infimis ad summa, hoc est ad gloriam & maiestatem regni sui eueheret atq; extolleret. Quod cum præstat, fit ut quem hactenus in fluxis mundi huius elementis uarium & instabilem motum sensimus, in illa restitutione ad integritatem omnia firma & stabilia simus habituri, ingemiscente etiam uniuersa rerum natura ad hanc filiorum Dei in Christo seruatore liberationem, ut & ipsa quoq; ab interitu quem in uetere illa mundi huius molitione sentit, asseratur. Nouit enim hæc uniuersitas homine restaurato, qui omnium rerum perfectionem suo ambitu complectitur, etiam se restitutum iri. De qua reparatione his uerbis Apostolus: Ea enim est creaturarum expectatio, ut filiorum Dei patefactionem præstoletur. Nam & creatura uanitati subiecta est non uolens, sed propter eum qui subiecit eam sub spe, fore ut ipsa quoque ab interitus seruitute in libertatem gloriæ filiorum uindicetur. ô præstantem & inenarrabilem salutem, quam humano generi & reliquæ rerum naturæ Christus Iesus Dominus noster sanguine suo comparauit: & contrà ô magnam & horrendam ingratitudinem, qua mundus tanta beneficia, quæ nemo mente comprehendat, non solum non recordatur, sed etiam aspernatur, & multi pedibus conculcant. Fundat de sublimi spiritum suum Christus Iesus in corda nostra, per quem hæc sua merita ac benefacta fide agnoscamus, & ea aduersus omnes aduersarios ueritatis constanter confitcamur, uitæ probitate & sanctitate præstantiam illorum declaremus: admonẽdo hortandoq; sedulò alios inuitemus, ut hunc benedictum Messiam redemptorem nostrum à contracta culpa statim promissum, à patribus sollicitè expectatum, uarijs umbris & figuris in Mosaica lege adumbratum, à prophetis prædictum, ab angelis, qui eius maiestatem quoq; cupierant contemplari, desideratum, & in tempore præscripto cum uarijs signis & miraculis, qui læta tristibus nunciaret, ægrotis medicaretur, captuis libertatem ediceret, terrarum orbi repræsentatum, sanctè ut mundi seruatorem colant, & ut cœli & terræ imperatorem adorent. Cui sit gloria & honor in æternum, Amen.

At ille ait.] Abrahamus signum, petit quo admoneatur et doceatur, quomodo cessura sit terra in hæreditatem semini suo. Admonetur autem, hanc non prius possessuros posteros illius, quàm aliquanto tempore in Aegypto afflicti fuerint. Afflictionis igitur Israelitarum signum ostendit in sectis animantium terrestrium partibus, inter eas igneo fumo transeunte, magnarum cladium symbolo, redemptionem ac in libertatem assertionem significante turture & columba.

Triennem.] בשלשת. Chaldæus, תלתא. nos tuitulos. Alij ut noster, LXX. τριετεῖ ἰουσαν. Similiter Iosephus: Vacca iugo assueta, cum capris arieti subiectis, seruitutis aptum symbolum diligitur.

Diuisit ea.] Interpretes morem fuisse tradunt, ut qui inirent fœdus, animal dissecarent in duas partes, inter quas transirent. Hieremiæ trigesimoquarto: Vitulum quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter eas.

Aues autem non diuisit.] ijs liberationis notam præferentibus. Suprà porrò in legatis restitutæ salutis columbæ numerantur.

Descenderuntq; uolucres.] immundæ, rapaces, carnuoræ. Aegyptij & Pharao notantur.

Super cadauera.] Israelitæ significantur, qui in Aegypto cadaueris instar sine habendi, uerbo Dei, lege, oraculis, hæreditate carentes. Remoto typo, Aegyptiacæ seruitutis, quam calamitatem miseræ conditionis, regnante Satana & Antichristo in mundo, scripti in libro uitæ substineant, antequã gloriam regni Dei contemplentur, satis notum ijs qui hoc iugũ experti sunt, & etiamnum experiuntur.

Et abigebat eas.] Hoc signo indicabatur futurum semen Abrahami absumendum non esse in seruitute, quod nimirum seruaret spes promissæ salutis ipsi Abrahamo.

Cumq; sol occumberet.] Afflictionis tempora notantur, in quæ Iosepho mortuo inciderunt. Nam ut in luce hilaritas, ita in tenebris tristicia ac calamitas indicatur. Iob: Post tenebras spera lucem. Sic poeta dolores nigros appellat, μελαινάων ἔρμ' ὀδυνάων. Ad hæc tẽpora seruitutis Aegyptiæ portẽdenda furni fumantis significatio quoq; pertinet. De quo in hunc

modũ in Deuteronomio: Et eduxit uos de fornace ferrea. Quæ ergo hic signa cernuntur, cum ijsdem postra lex ministra iræ diuinæ in monte Sina tradita est. Sic enim in Exodo legitur: Et mons Sina fumabat totus, eo quòd descendebat super eum Dominus in igne: & ascendit fumus eius sicut fumus fornacis. cap. 19.

Quod peregrinum.] Explicatur significatio tenebricosi horroris & dissecti sacrificij.

In terra non sua.] Aegypto. Ab ijs qui digni erant ut ad seruitutem in Chamo damnarentur, Israelitæ prædicuntur seruitute premẽdi, qui in Semo benedicti ad libertatem erant destinati.

Quadringentis annis.] Hi non à tempore introitus in Aegyptum, sed ab eo ex quo Isaacus natus est, numerantur. Itaq; hos quadringentos annos conficiũt sexaginta illi anni quos natus erat Isaacus cum gigneret Iacobum: & centum triginta anni, quos Iacobus habebat, cum ingrederetur in Aegyptum: reliquiq; ducenti decem anni, quos in Aegypto filij Israel uixerunt. Sed cur in Exodo supputantur quadringenti triginta anni? Illic fit supputatio ab eo tempore, quo ex Vre Chaldæorum egressus Abrahamus uenit in Chananæam: hic uerò quo Isaacus natus est.

Ego iudicabo.] infictis decem cladibus, & rege Pharaone unà cum Aegyptijs submerso in mari rubro. Locus plenus cõsolatione: Hostes Dei perituros suo tempore, sanctis conseruatis & liberatis. Certa igitur sunt tempora afflictionis & liberationis constituta in consilijs Dei, filijs Abrahami, quæ nos docent patiẽtiam, & in probatione spem confirmant, quæ non pudefaciat. Hac narratione locorum & temporum notis insignita, admonemur maiorum res gestas & promissiones Dei ad eos factas, literarum monimentis ad posteros consignatas fuisse, & uulgò prædicatas, è quibus ista Moses in hanc historiam retulerit. Nam omnibus istis oblitione obliteratis, Moses si ea literis prodere instituisset, apud gentem sanè natura rebellem & contumacem, fidem habiturus non fuisset. Cæterùm quòd generatione quarta redituri prædicuntur, idem hic generatio est quod apud latinos ætas, quæ successio patrum in filios est & nepotes. Quatuor ergo hæ ætates sic numerantur. Iudas descendit in Aegyptum. Huius filius fuit Perez, nepos Hesron pronepos Ram, abnepos Haminadabus. Item, Leui descendit in Aegyptum. huius filius Cahath nepos Harrã, pronepos Aaran, abnepos Elhasar, sub quibus abnepotibus Israelitæ egressi sunt ex Aegypto. Aliud igitur seculum est, aliud ætas ac generatio. hæc successio maiorum in libros, illud spacium certorum annorum uocatum apud latinos.

Cum magna substantia.] direptis Aegijptijs. Afliguntur igitur sancti, sed ad tempus, ut cum fœnore liberationis gratiam ac beneficia maiora sentiant, momentanea leuitate afflictionis nostræ æternum gloriæ pondus nobis pariente.

Tu aũt ibis ad patres tuos.] ϖεφφασις suauissima mortis. Non hic Abrahamus mori dicitur, sed congregari cum patribus.

In pace.] non oppressus seruitute, ut semen tuum.

In senectute bona.] Promissio longioris ætatis quam pietas habet.

Nec dum enim impletæ sunt iniquitates Amorræorum.] Hæc est iusticia diuina, quæ non perdit impios, priusquam implerint mensurã iniquitatis. Sic hoc tempore expectamus interitum Antichristi, quem uidemus modum scelerum implere. Vt igitur sua momenta sunt redemptionis piorum, ita etiam interitus impiorum sunt. Quam ob rem non perperam finxit ille cœli portas custodiri horis, qui intellexerit cuncta suis momentis & articulis à diuina sapientia dispensari:

αὐτόμαται ἦ ϖύλαι μύνον ἐρανῦ ἂς ἔχον ὧραι
τῆς ἐπιτέτραπται μέγας ἐρανὸς ὅλυμπός τε.

Non exiguus locus exercendæ patientiæ hic extat, cum cogitamus per Dei lentitudinem impios ferri, ut tandem percant, dum pœnitentiam, ad quam toties inuitantur, meditari nolunt. Ideo Salomon impios ad diem malum conditos dicit. Exemplo sunt Caini diluuio absorpti, exemplo Sodomitæ igni cœlesti absumpti, exemplo Amorræi tandem deleti & extirpati, expleto annorum numero hic assignato.

In die illo pepigit fœdus.] In feriendis fœderibus sacrificia adhiberi solita sunt iam uetusto more. Sic etiam post Græcum uatem Latinus: Cæsa iungebant fœdera porca. Exempla suppeditant historiæ. Cæterùm in uerbo כרת respici uolunt interpretes animantium sectorum partes. Est enim כרת succidere ac discerpere. In fœderibus autem sanciendis, ut indicatum, hostia in partes tribui solita est, inter quas qui fœdus iubant, transirent, parte incendio, parte conuiuio destinata.

IN CAPVT XVI.

IGitur Sarai uxor Abraham.] Noua tentatio de ratione suscipiendorum liberorum.

Non genuerat.] certis de causis. de quibus infrà.

Sed habens ancillam.] non liberam, sed alieni iuris. Depositio mysticæ historiæ uelo, quid ancilla Hagar adumbret, ex ea epistola quam Paulus scripsit ad Galatas, intelliges. Duplex est status liberorũ Abrahami: alter lege continetur, alter gratia, utercq; suis mysticis lineis hoc loco adumbratur. Qui lege cõtinetur, eos liberos habet, qui sui iuris non sunt, sed alieni: neq; partem ullam in hæreditate obtinent, sed cum Ismaele domo expulsi, foràs bonis suis ornantur. Hoc ipsum est natum esse ex Hagare ancilla ad seruitutẽ, quæ in iure peccati & mortis in iugo externi cultus legis cernitur. Qui autem status in gratia & promissione consistit, is liberos educat natos ex Sara domina, uerè liberos à potestate peccati & mortis, & à legis pædagogia. Alterum statum Apostolus testamentum à Sina monte generans ad seruitutem, alterum à Hierosolyma quæ libera est, & omnium credentium genitrix testamentum uocat.

Ancillam Aegyptiam.] de genere Chami ad seruitutem damnati.

Nomine Hagar.] A peregrinãdo nomen ductũ. aptum

aptum nomen eius quæ legi subditos filios ad seruitutem gignit.

Dixit marito suo.] in cuius corpus ius haberet ex lege coniugij. Tentationi de suscipiendis liberis occurrit ratione, qua occultum consilium de adumbrando mysterio iam memorato, monstrabat: quale factũ in exemplum & legem trahi non debet.

Ecce conclusit me.] uterum meum. Agnoscit penes Dominum positam claudendi & aperiendi uteri uim: & párere liberos, Dei munus esse, non naturæ.

Ingredere.] Verbo hoc pudicè cõcubitũ designat.

Ad ancillã meã.] quæ cum mei iuris sit, nõ sui, etiã liberi ex ea nati meæ potestatis erunt. ideo sequitur:

Si fortè saltem ex illa.] qui de me ferè octogenaria nullam sobolem speres. Ne igitur irrita fiat promissio Domini, permitto ancillam tibi. Sara spectabat promissionem diuinam, quæ Abrahamo facta fuerat: & quia ignorabat ex se nascendam sobolem, cui nondum uerbum Dominus fecerat, & natura liberos nullos pollicebatur, præclara uoluntas in sancta muliere, utio caruit.

Suscipiam liberos.] à Domino promissos. Hebræus, אבנה ædificer. Ab ædificio translatio ad liberos sumpta, qui parentum ædificium ac structura sint. Infrà in Exodo legimus: Benedixit Deus obstetricibus, & ædificarunt sibi domos. quod quidam de aucta familia & liberis interpretantur.

Cumq; ille acquiesceret deprecanti.] non libidini, qua carebat.

In uxorem.] non quæ dominæ ius obtineret, ut infrà Abrahamus: Ecce ancilla tua in manu tua.

Qui ingressus est ad eam.) obtẽperans uxori, sub ductu arcani consilij Dei de adumbrãdo duplici testamẽto, duplici conditione filiorũ Abrahami. Itaq; quod hic fecit Abrahamus de Dei consilio, qui uir iustus esset, fecit, nõ temerè de suo. Sicut etiã idẽ is signũ postulasse legitur, ex quo intelligeret, fore ut sobole augeretur. Quæ postulatio, quia fide regebatur, in Abrahamo culpa caruit, in alijs non caritura fide carentibus. Proinde facta sanctorũ uirorũ in exempla referri nõ debent, quæ quis imitetur: sed fides imitanda, quæ docet quid semper quod Deo placeat, agendum sit.

At illa concepisse se uidens.) Prius concepit ancilla, quàm libera: & prius nascitur Ismael ex serua, quàm Isaacus ex libera. Remoue typum, uetus homo nouum, lex gratiam, testamentum quod litera continetur, præcedit testamentum spiritu confirmandum. Cæterùm in uidendi uerbo significatur sensus benedictionis diuinæ coniunctus cum insolentia & superbia.

Despexit dominam suam.) Serua contemnit liberam. Fastus quem legis cultus affert, notus in Pharisæis est, & ijs qui legis iusticiam sequuntur. Septuaginta, ἀτιμάσθη, sequentes Hebræum נקלה, id est uilipensa est ac uiluit.

Iniquè agis contra me.) Expostulat cum marito de fastu ancillæ, qui debuerit ut dominus illum deprimere. Hebræus, Iniuria mea ac offensio super te. Septuaginta, ἐνδικεῖται ἐν σοί: Iniuria afficior à te.

Despectui me habet.] qui iram concitat. Seruilis ingenij natura nobis hic spectãda proponitur, quòd res prosperas moderatè ferre nequeat. Exemplo Hagar ancilla est, quæ Saræ dominæ & Abrahami bonitate, atq; domini benedictione abusa, Saram dominam pro domina amplius non agnoscit, sed eam despicit, et ut sterilem contemnit.

Iudicet Dominus.] iudicet superbiam & fastũ ancillæ à te non emendatum.

Vtere ea ut libet.] quæ domina sis, illa serua. Exẽplum moderationis in marito Abrahamo, dum ius increpanti uxori lenius respondente. Locus item præclarus ostenditur de dominatu Saræ liberæ in Hagarẽ seruam. Remoue uelum, & stat ipse Christi regnum in omnes recognosce.

Affligente igitur eam.] siue uerbis, siue minis, siue impositis seruilibus operibus, quæ dominæ ius sibi cœperat usurpare, quod Hagarem ualde mordebat.

Angelus Domini.] humana specie apparens. Etiam eum qui lege gubernatur populum, Domino curæ esse ne pereat. Itaq; legimus in Apostolo: Cæterùm antequam uenisset fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidẽ quæ erat patefacienda. Omnia igitur geruntur ratione diuina: concubitus, conceptus, contemptus, afflictio, fuga in desertum, apparitio angeli, reditus.

In solitudine.] Solitudo hæc Sur inter Iudæam & Aegyptũ sita est. Itaq; uerisimile est, Hagarem in Aegyptum cogitasse, quæ eius patria erat. Conuenit mysticæ rationi solitudo, in cuiusmodi posita ad montem Sinam lex tradita est ad seruitutem generans.

Vnde uenis.] Non est ignorantis interrogatio, sed castigantis & reuocantis.

Reuertere ad dominam.] Reuocatur Hagar ad dominam cui seruiat. Reuocata hypothesi ad thesim, nascitur locus de quo his uerbis Apostolus: Vnusquisq; in ea uocatione qua uocatus est, maneat. Seruus uocatus es, ne sit tibi curæ.

Et humiliare.) non ueudicato tibi dominæ iure. Quæ dixerat, A' Sara domina mea fugio, iubetur ab angelo ad Sarã, quã dominã agnoscere, redire. Hæc est pædagogia legis, hoc est disciplina seuerior, quæ retinẽda est, dum Isaacus libera soboles nascatur ex libera. Ideo Apostolus: Lex pædagogus usq; ad Christũ.

Multiplicabo.) Anadiplosis Hebraica certitudinem oraculi indicat. Benedicitur & Hagari ancillæ. eius rei non abest arcana ratio. Omnes enim prius Hagaris seruæ liberi secundum carnem nati sumus, quàm filij Saræ ex spiritu promissionis renascimur.

Ismael, eo quòd audierit.) Etymologia ex facto.

Ferus homo.) in deserto nimirũ Arabũ cum posteris suis habitaturus. Ad hæc q ex serua natus erat, non ex libera, mentem quoq; feram tenuit, quæ seruili ingenio congruebat, quod, ut poeta canit, dimidia uirtute & mente spoliatur:

ἥμισυ γὰρ τῆς ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
ἀνέρος, ὅστ' ἂν μιν κατὰ δῆλον ἡμαρ ἕλησιν.

Non mirum igitur, aliam mentem ac sensum esse ijs qui

qui lege, aliam qui Euãgelio regũtur. in alteris enim animalis, in alteris spiritualis uiget homo: alteri degenere, seruili & contumaci, alteri liberali ingenio placatoq; spiritu feruntur. De utroque spiritu Apostolus
Rom. 8 his uerbis: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. Arabia post illam felicem duplex est: altera Petrea, altera deserta. Vtraque indomita gente incolitur. Hinc Saraceni & Agarani exorti gens Machumeti cultu sublegali famosa, quæ uicinis populis & toti Africæ sæuum imperium intentauit. Hebræus habet פרא onager, cuius feritas translationi locum dedit. Similiter nostro interpreti LXX. ἄνθρωπος ἔσται ἄγριος οὗτος.

Manus eius contra omnes.] ne Isaaco quidem fratri parcens. Apostolus: Sed quemadmodum is qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui natus erat secundum spiritum, ita & nunc.

Et manus omnium contra eum.] Gens enim uaga, & agricultura carens, rapto uiuit: atq; ita accidit, ut inuadens uicinos excursionibus, ab his contrà ui quoq; repellatur. Ex ea gente traduntur fuisse abactores armentorum Iobi. Gentes quas illi limitibus contingunt extra Euphratem sunt Chaldæi, unde Abrahamus est egressus: ad montes Trachonos fuerant Amelechitæ & Moabitæ, posteritas Lothi: ad montes Seir, Idumæi, posteri Esai. Intra hæc deserta continuerunt se Ismaelitæ, nõ domos habentes, ad ætatem usq; Heraclij Imperatoris. sub hoc se insuderant Syriæ, Aegypto & Aphricæ, duce Machumeta pseudoprophe ta. Ab Ismaele igitur Hagaris filio Arabes Hagareni nati sunt, qui se Saracenos à Sara dici maluerunt. Ismaelitis superioribus & nostris temporibus præstita nonnullis apparet quæ Ismaeli hic promittuntur, & id nõ sine mystica ratione. Videtur enim diuinæ sapientiæ placuisse in Ismaelitis typum eorum qui sub lege sunt tantisper durare, dum Euangelium his postremis temporibus cursum suum absoluat. Et ut Israelitæ ex Sara nati post promulgatam Euãgelij legem, & post Apostolorum legationem satanæ artibus interceptã, in Antichristi quoq; tyrannidem inciderunt: ita etiam Ismaelitæ ex Agare ancilla geniti, sed sub nomine Saracenorum superbientes, eadem illa tyrannide oppressi sunt, secum uarias gentes in eam trahentes. His autem extremis temporibus sub uictoriam Euangelij futurum, ut reconciliatis Israelitis cum Deo maiorum suorum, Ismaelitæ quoq; sint excusso seruitutis iugo ad eã libertatẽ uenturi, quæ in domo Abrahami in libera sobole uiget, ueluti ij qui sub lege sunt, omnibus seculis concludunur in fidem sub Messia patefaciendam. Et hoc tectè significari Abrahami infrà precibus: Vtinam uiuat Ismael.

E regione uniuersorum fratrum.] Filios Ceturæ interpretantur, qui omnes Ismaelitarum nomine censi sunt.

Qui uidisti me.] non priora ac faciem. Tangitur ministerium legis, in quo non facies, sed tergum ac posteriora Christi Domini uidẽtur. Exodi trigesimotertio his uerbis de Mose legimus: Videbis posteriora mea, faciem autem meã non uidebis. Facies Domini in nouo Testamento spectanda offertur, in uetere tergũ. Varia est interpretatio huius loci, sed interpretis satis commoda apparet.

Propterea appellauit puteum illum.] ut ad posteros diuinæ liberationis perpetuum extaret monumentum.

Puteum uiuentis & uidentis me.] Deus & uiuens & uidens uocatur: uiuens quidem, qui possit consolari & uitam dare: uidens, qui afflictos uideat, hos respiciat & adiuuet tempore rerum aduersarum.

Et octogintasex annorum.] Septuaginta enim quinq; annorum erat, cum egrederetur ex Harane, à quibus decem anni, quibus habitauit in Chananæa, priusquam grauida ex ea fieret Hagar, defluxere. Ad hos annus quo editus Ismael est, additus, præsentem numerum conficit.

IN CAPVT XVII.

POstquam uerò nonaginta & nouem annorum.] iam Ismaele tredecim annos habente. Is annorũ numerus expensus constantiam in Abrahamo declarat in expectanda sobole quæ promissam hæreditatem adiret: ut & nos discamus, si Dominus differt præstationem promissionis, id eum facere nostræ fidei per patientiam probandæ causa. Cæterùm quid hoc tredecim annorum spacio fecerit Abrahamus, Moses non explicat. Nouam igitur narrationem, prætermissis tredecim annorum rebus gestis, texere incipit.

Ego.] non alius, ego solus, & unus. ἐμφατικῶς.

Deus omnipotens.] qui præstare possim contra etiam naturæ spem ac sensum quæ promisero. A facultate præmunitur spes Abrahami de prole ex sterili Sara suscipienda. שדי uerbum eum notat qui sibi satis sit & se contentus, qui rerum omnium copia abundet. idem quod Græcis αὐτάρκης. Veteres dicebant duobus nominibus mundum sustentari: alterum יהוה est, alterum שדי. Eum igitur nobis fauere fide agnoscimus, cuius nutu omnia consistant, quique omnium rerum copia affluat. Præclara nomina, in quibus omnia fidei & spei confirmandæ momenta posita sint. Sunt qui שדי pro תקיף, id est forti ac potenti interpretantur, citantes locum ex Iobo: בקרל שדי.

Ambula coram me.] Ambulare coram Deo, est ex præscripto uerbi eius per fidem uiuere. Conditiones fœderis explicantur. Chaldæus tropum in ambulandi uerbo per פלח exprimit, Cole me. Ego possim te iuuare, modò colas me fide & sanctitate uitæ, ut sequitur:

Esto perfectus.] Quæras hic qualẽ perfectionẽ & integritatem quam habeat Abrahamus, requirat Deus in fœdere hoc, cum stet illud: Si quis dixerit se peccatum nõ habere, mendax est. Bipartita perfectio est. altera absoluta, uitio omni carens, hæc in Christo cernitur, & nobis per fidem satisfactionis pro culpa beneficio ascribitur. altera est, quæ pro primitijs spiritus præsenti seculo congruit, quam spiritus charitatis prælucente fide Dei & proximi amore præstare elaboret:

ret. Hæc integritas ex fide nata, in hoc seculo Deo probatur in suis sub spe absolutæ integritatis ad quam in futuro perueniant.

Ponamq; fœdus meum.) de terra Cananæa tradenda semini tuo in hæreditatem. Hæc mystica hæreditas est, ueritas in cœlesti hæreditate & semine ex spiritu renato. Duplex autem cum sit fœdus ac testamentum, alterum uetus, alterum nouũ, in utroq; quinque spectantur: unum, testator est: alterum, hæreditas quæ legatur testamento: tertium, ij qui scribuntur hæredes: quartum, mors interueniẽs, qua confirmatur hæreditas: quintum locum conditiones tenent, quas ij seruent qui designantur hæredes. De singulis suo loco. Cæterum pactum est duorum uel pluriũ in idem placitum consensus, ut iurisperiti definiũt. Dei cũ Abrahamo fœdus siue pactum est unum de quatuor generibus contractuum quæ innominata uocant, quod non pu rum, sed cum adiũctione siue cõditione fit: Faciam hoc si tu illud feceris: Ero Deus tuus, multiplicabo semen tuum, si circumcideris te, semenq; uum, & integer fueris coram me.

Inter me.] testatorem.

Et te.] hæredem.

Cecidit Abraham pronus in faciem.] Hæc sum missio fuit agnoscentis maiestatem diuinam, & fragilitatem humanæ sortis. Quales animos respicit Dei bonitas. Iesaias: Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, ac trementem ad sermones meos? Neq; id mirum fuerit. Nam Deus quem respexerit? Superiorémne se? At talis nusquam extat. aut parem? At neq; is usquã apparet. Eos igitur amanter amplectitur, qui se sub potentia & maiestate eius submittunt, superbè autem se efferentes auersatur, in quos illud iactatur: Oculos superborum deiecit. Qualis hic non fuisse Abrahamus legitur.

Ego sum.] Iudelicet Deus tuus tibi fauens. Consolantis uox est & erigentis prostratum. Locutio præsentiam Dei fauentis indicat. Suprà: Ego protector tuus. & in Iesaia: Ego autem sum Deus tuus. Hac una uoce fides nititur qua agnoscimus Deum nobis fauere ut patrem, & omnia nobis qui credimus ei, posse ut Deum creatorem cœli & terræ tribuere. Ideo paulo suprà: Ego Deus omnipotens.

Erisq; pater.] per fidei spiritum. Ideo Apostolus, Vt sit pater omnium credentium.

Multarum gentium.] Dominus in Matthæo: Dico uobis, quòd multi ab Oriente & Occidente uenturi sunt, & accumbent cum Abrahamo & Isaaco & Iacobo in regno cœlorum.

Sed appellaberis Abraham.] A nomine mutato confirmatio, quo nimirum admonitus Abrahamus, agnosceret fore ut gentium pater esset futurus. Nomen immutatum compositum esse uolunt ex אברם & המון, fueratq; dicendum Abrambamon. desiderantur quædam literæ. Aptum nomen patri futuro omnium credentium, quod à fide diruente excelsa & multitudine credentium illi congruebat. Sunt qui hinc ortam consuetudinem putant imponendi nomina in circumcisione. id etiam in Christo seruatum.

Et gentes ex te.) Si carnem spectes, Idumæi, Ismaelitæ, Israelitæ: sin spiritum, credentes totius orbis terrarum.

Et reges.) Ismael duodecim duces habuit, de quibus infrà capite uigesimoquinto: Esaus undecim, Iacob duodecim, si carnem spectes: sin spiritum, ex Abrahamo natus est rex regum Christus Iesus, cui datũ est regnum cœli & terræ.

Et statuam pactum meum.) Tam crebra repetitio ineundi fœderis non est ociosa, sed ualet ad confirmandam Abrahami fidem.

Et inter semen tuum.) Cum carnali semine mysticum fœdus de Chananæa, cum spirituali spirituale de hæreditate cœlesti. De qua in epistola Petri & apostoli ad Hebræos & Ephesios.

Fœdere sempiterno.) In fœdere illo ueritas, de quo Hieremias trigesimoprimo, ad Heb. nono. Vbi ueritas noui fœderis non opponitur ueteri ut mendacio, sed ut umbræ & figuræ.

Vt sim tibi Deus.) in externo fœdere circumcisionis per mysticam benedictionem, in interiore per spirituale. Conferẽda sunt spiritualia cum spiritualibus, & mystica cũ mysticis: hoc est mysticũ fœdus cum mystica hæreditate, mystica circũcisio cum mystico semine, & spirituale fœdus ac nouũ cum hæreditate spirituali, & circũcisio cordis cũ semine quod uerè soboles Abraham habetur, cõparanda est. Quod cũ fiet, quæ hic sententia diuini spiritus sit, intelligitur. Quod est apud Apostolũ spiritualia spiritualiter dijudicãda esse

Daboq; tibi & semini tuo.) secundum carnem.

Terram peregrinationis tuæ.) quæ mystica hæreditas est.

Tu autem custodies pactum meum.) circumcisionis, de qua mox, qua est conditio seruanda.

Hoc est pactum meum.) Id est signũ ac σφραγὶς pacti mei, id est promissionis terræ Cananææ. infrà enim: Et erit in signum fœderis.

Circumcidetur ex uobis.] Si mystica spectes, circumcisiõ carnis & literæ hic mãdatur: sin spiritualia, circũcisio cordis adũbratur, quæ spiritu constat, nõ litera: in qua nisi sint liberi promissionis, nõ cernũt supernam & cœlestẽ hæreditatẽ. De hac infrà Moses: Circũcidet Dominus Deus tuus cor tuũ, & cor seminis tui, ut diligas dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo. Quæ circũcisio noui fœderis, non ueteris circũcisio est. Et hæc uera circũcisio habetur, nõ illa carnis. Vt his uerbis docet Apostolus: Et circumcisio cordis, circumcisio est quæ spiritu constat, non litera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo. Præputij igitur carnis amputatio duplex munus habebat: altero memoriam promissæ hæreditatis excitabat: altero adumbrabat circũcisionem spiritualem cordis, & eius admonebat in qua uersarentur pro captu puerilis ætatis ante repræsentatum Messiam: eo aũt exhibito pro modo spiritus adoptionis, qui in nouissimis temporibus à prophetis in mundo publicè fundendus prædicitur. Nam cum ueteri fœderi literã, uelũ, umbrã tribuimus, & nouo spiri

tum,faciẽ,ueritatẽ expreſſam:uetus fœdus non priuamus ſpiritus ſacri dotibus, quod tot ſanctis uiribus clarum fuit,ſed publicè dotes in illo uiguiſſe quales puerili ætati conueniebant. Qua de re ſuprà.

Omne maſculinũ.]Remoue typũ.in fœdere circũciſionis cordis maſculus circunciditur. de quo Apoſtolus: Donec perueniamus in unitatem fidei & agnitionis filij Dei in uirum perfectũ.At uerò in hoc uiro perfecto neq; uir,neq; mulier cernitur, ſed noua creatura. Notantur in mare omnia quæ in uetere natura præſtantißima habentur,uires natiuæ,ſapientia,iuſticia,prudentia carnis, hæc omnia circuncidenda eſſe, ut naſcatur noua ſoboles.Cæterùm in maſculo mulier, ut corpus in capite comprehenditur.

Carnẽ præputij ueſtri.] Id membrũ circũcidi iubetur,in quo præcipuè prurit fœda cõcupiſcẽtia.Itaq; in circũciſione præputij primò indicabatur omnes ex uetere Adamo natos,uitioſam originẽ habere,quæ egeret repurgatiõe ac quaſi abſciſione uitiorũ.Deinde ad reparandã amiſſam integritatẽ, opus fore cœleſti ſemine,quod eſſet ab omnib.uitijs liberũ.de quo illud: In ſemine tuo benedicẽtur omnes gentes. in quo altera illa & diuina circũciſione circũciſi uerã puritatẽ cõſequerentur. In huius rei typũ ac figurã infrà legimus apud Ioſuã eos qui iam tranſiuerãt Iordanẽ in promiſſam terram,ſecunda circunciſione fuiſſe circunciſos.de qua myſtica ſignificatione ſuo loco . Cur igitur iuſſus ſit Abrahamus ſuorum præputia amputare ac circunſcribere, ratio eius rei non eſt obſcura doctis ſpiritu Chriſti.Eſt etiam hic conſiderandũ, ut præputiũ genitalis membri, cordis præputiũ nobis referat, & quid cordis præputiũ ſit,& quæ eo ſignificentur.Quod alio loco plenius declarabimus.In reliqua ſcriptura nõ ſolum præputij genitalis membri,ſed etiam linguæ et aurium circunciſionis fit mentio, quæ omnis circunciſio cordis circunciſione tanq; fonte cõprehenditur.Huius enim præputio amputato, reliqua omnia, manus, pedes,lingua, aures,oculi,ſuum officiũ faciunt.

Vt ſit in ſignũ fœderis.] promiſſionis Cananææ. Si interior circũciſio ſpectatur,hæc ſignaculũ eſt promiſſionis de hæreditate de qua Apoſtolus: In quo & credẽtes obſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto,qui eſt arrabo hæreditatis noſtræ,qui quidẽ ſpiritus circũcidit corda noſtra, & circũciſa obſignat ſpe poſſidendæ hæreditatis cœleſtis.circũcidit inq; ea circunciſione,de qua illud: Circũciſi eſtis circunciſione non manufacta. Qualis igitur circunciſio carnis σφραγὶς fuit Abrahamo de terra Chananæa hæreditate myſtica,talis eſt σφραγὶς ſpiritus electis de hæreditate cœleſti.

Infans.) In nouo fœdere infantia celebris eſt, de qua Dominus in Matthæo:Gratias ago tibi Domine pater,domine cœli & terræ,q; abſconderis hæc à ſapientibus, & reuelaris ea paruulis. Item Apoſtolus : Sitis pueri non ſenſu,ſed malitia.

Octo dierum.] Is numerus plenus renouationis ſpiritualis numerus exiſtimatur, quæ in circunciſione quam ſpiritus ſacer Meßiæ efficit, cernitur. At uerò de hoc numero aliàs.

Vernaculus.)Septuaginta ὀκτωήμερος vbs.Hebræi,qui cõiunctis uerbis carent,peri phraſi utũtur ילוד בית.

Empticius.) Similis periphraſis in בית בת בסף In myſticum fœdus etiam gentes adſumuntur,ſi circunciſionem adhibeant : in altero fœdere non ſit reſpectus neq; Iudæi,neq; Græci, neq; maſculi, neq; fœminæ, modò circunciſionem præputij cordis admittant,quæ ſpiritu ſit fidei filij Dei Ieſu Chriſti.

Delebitur anima illius.]uita præſentis ſeculi ſpoliandius.ſi alterum fœdus ſpectes,incircunciſus corde per fidem filij, æterna uita ſpoliatur. Vt Dominus in Ioanne : Qui non credit , iam iudicatus eſt. Nequaq; igitur hoc in loco hærendum nobis eſt in litera,ſed auocandus animus à myſtica ſignificatione ad ueritatem rerum adumbratarum. Atque quiſq; in hac noui fœderis diſpenſatione exploret ſe, num in ſemine Abrahami ꝓmißionis numeretur, num circũciſum præputium cordis à prauis affectibus gerat,num in certa ſpe ſit poſſidendæ cœleſtiũ bonorum hæreditatis per ſpiritum ſanguinis Ieſu Chriſti conciliatoris noui fœderis. hæc ſi quis ſecum reputet , cum fructu legerit ea quæ hic ſcribuntur,& intelliget quid illud Apoſtolꝰ moneat:Nam quæcunq; præſcripta ſunt, in noſtram doctrinã præſcripta ſunt,ut per conſolationẽ ſcripturarum ſpem habeamus. Cæterùm nomine בן איש pro quo noſter interpres animam uertit, homo accipitur, qui niſi circũcidatur,ante tempus uel gladio, uel morbo alio quocunque fatali caſu ſit periturus.Alterius ſeculi iudicium relinquitur ſententiæ Dei, quam qui uerè iudicant,externis rebus minimè alligant.

Sarai.)Princeps mea שרי.

Sed Sara.) Princeps ac domina generali nomine. omnium gentium uidelicet mater ac domina per ſpiritum uidelicet illum promißionis:In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.

Cuiq; benedicturus ſum.) Ad Saram refertur.

Eritq; in nationes.) Explicatur benedictio, atq; felicitas.

Et riſit.)Riſus erat non diffidentis,ſed lætantis ac admirantis nuncium de promißione, quam admiratione ſterilis natura & ætate Saræ uterus fecerat,ut ſequitur.

Num centenario naſcetur filius.)ex Sara ſterili.Contrà de Cethura infrà:Abraham uerò aliam duxit uxorem nomine Cethuram,quæ peperit ei Zamram. νενεωμένον igitur corpus Abrahami, cuius fit mentio Apoſtolo in epiſtola ad Romanos,referendum nonnulli putant eſſe ad Saram,non ad cæteras.

Et Sara nonagenaria.] deſtituta liquore menſtruo, una materia qua animatur corporatuq; fœtus in utero. Infrà:Et deſierant Saræ muliebria.

Vtinam Iſmael uiuat.] Mihi ſeni natus ex ancilla & à me & Sara adoptatus. Viuere pro proſperè habere,& ſobole augeri,ut mox patebit.

Sara uxor tua.] non ancilla. Diſertè tandem ex Sara ſobolem naſcendam promittit. Huc uſq; tentatio de ſobole promißionis pergit.

Pariet tibi filium.]qui ſit hæres futurus, non ancillæ filius.

Iſaac,

Isaac.] Etymum ab Abrahami risu & lætitia sumptũ. Huc spectans propheta dicit: Gaude sterilis, quæ non paris, quoniam plures, &c. Sara enim Ecclesiæ typum gessit, quæ liberos non secundum carnem, sed spiritum gignit. ut idem propheta: Vniuersos filios tuos doctos à Domino.

Et constituam pactum meum.] de possidenda Chananæa, quæ ex libera natæ proli cedet, nõ ex serua. Depone typum.

Super Ismael quoq;.] quamuis ex ancilla natus sit. Mystica ratio nõ est obscura. Notũ est illud: Qui fecerit ea, uiuet ex eis. contẽplere legis obseruatores in toto orbe terrarũ. quantã in hoc seculo benedictionem uitæ præsentis, opũ, gloriæ habeant, satis notum.

Duodecim duces.] De quibus infrà capite uigesimoquinto.

In gentem magnam.] & cæteris formidolosam.

Et Ismael filius tredecim annos.] Quæ ætas capax sit doctrinæ legis. Cur etiã seruæ filius, nõ liberæ, & cur tredecim annos natus circuncidatur, doceat ipsa unctio. Nos legimus in Epistola ad Galatas: Dico autem quandu hæres puer est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est usq; ad tempus quod pater præscripserit. Vbi duplex status eorum qui Dei sunt, explicatur. Alter spiritu timoris legalis, alter spiritu adoptionis Euangelij continetur. In altero Ismaelis seruæ filij, in altero liberæ Saræ soboles censetur, ut subdit Apostolus: Sic & nos cum essemus pueri, sub elementis mundi eramus in seruitutem adacti: at ubi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum factum ex muliere, factũ legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus.

IN CAPVT XVIII.

Apparuit autem ei Dominus.] per angelos in specie trium uirorum, de quibus paulo posteà. Mox enim legitur: Veneruntq; duo angeli Sodomã. Veteres dixerũt fuisse hos tres genios, Michaelem, Gabrielem & Raphaelem. Duo hic nobis significantur: unum, eos qui peregrinos de uia lassos famẽque & siti affectos hospitio accipiunt ad eos reficiendos, Dominum ipsum & angelos accipere: alterum, Dominum loqui, cum angeli homines q; à Deo missi loquuntur, quòd hi non suam causam, sed Dei agunt. Ideo legitur hic: Apparuit autem ei Dominus. & infrà: Dixit autem Dominus, Num occultabo? Cæterum Thargum Hierosolymitanum interpretatur hos tres angelos missos, quorum quisq; suum negocium ageret: primus quidem Abrahamo sobolem ex Sara nascendam denunciaret, alter Lothum liberaret, tertius Sodomam & Gomorram euerteret. Sic enim usum Deo, ut singuli angeli singula negocia expediant, non unus aliquis plura. Hæc porrò sunt eius uerba: תלתא מלביא אשתלחו לות אביגר אברהם ותלתהון אשתלחין לתלת מיליז ארום ליה אפשר לחד מנהון מלאכי מרומא דאשתלח מיריח יתיר מן מיליא חדא מלאכא קדמנא אשתלח לבשרא לאביגי אברהם ודא שרת ילדה ליצחק מלאכא תנינא אשתלח לשזבא ית לוט מבר חמכתא מלאכא תליתא אשתלח למחמך לסדום ועמורה.

In ipso feruore diei.] Temporis notatio apta ad beneficium hospitalitatis amplificandum.

Occurrit eis.] Hospitalitatis exemplum, cuius studio Abrahamus insciens angelos excipit hospitio, Ad Hebræos tredecimo: imò Dominũ ipsum, ut is in Matthæo fatetur, Esuriui, & dedistis mihi bibere. Nec uates ille Græcus ignorauit, quàm grata sit Deo hospitalitas. qui Deum ξένιον, id est hospitalem dicit: & hospites ab eo mitti, quos clementer tractemus, monet:

πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
ξεῖνοί τε πτωχοί τε.

Et alio loco de Deo qui sit hospitalis & fautor hospitum,

ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε
ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ἀπηδεῖ.

Et adorauit.) וישתחו ארצה, id est, submisse ac pronus eos salutauit. Quo uerbo reuerentia quæ prono ad terram capite exhibetur notatur, quæ etiam hominibus & angelis tribuitur propter Dominum cuius legati sunt, & in eis uersatur.

Et dixit, Domine.] cum tres essent, unũ ut appareret, propiorem, quo annuente, & duo sequerentur, alloquitur, qui homines eos putans, nihil neq; de Deo, neq; de angelis cogitabat. Epistola ad Hebræos, & ea quæ sequuntur, comprobant אדני non esse proprium Dei nomen, sed Dei, angelorum & hominum commune. Trinitatis mysterium, quod tamen primùm non cognosceret hic Abrahamus, ex hoc loco nostri colligũt, uno nomine Dei sancta triade significata. Huius sententiæ tum ueteres fuere theologi, tum posteriores, qui tres angelos in humana specie, quam primũ solum agnouerit Abrahamus repræsentatos uolunt, qui nobis sacram trinitatem quadam figura exhiberent. Qua in re Hebræi interpretes his uerbis absurdè Christianos hic exagitant: תרעים ריח אבדר בי חשם אנשים חרא אחר רחרא שלשה ולא יתפרדר.

Si inueni gratiam.) Prompti & liberalis hominis uerba, ultrò occurrentis & tam blandis uerbis inuitantis peregrinos. Hæc erat peritia & diuina colendæ amicitiæ erga hospites ars, quæ hospitalitas uocatur.

Pauxillum aquæ.) Explicantur hospitalitatis munera erga fessos de uia hospites, quos agnouerat homines. Notatur hic uetus mos quo peregrinis & hospitibus pedes lauari soliti sunt.

Et requiescite sub hac arbore.] Septuaginta, ἀναπαύεσθε, id est refocillamini. Hebræa uox sistentari ac inniti sonat. Vnde tropus mutuatus. Legitur sub arbore iussos refocillari. Qualis arbor fuerit, non exponitur. Sunt qui terebinthũ fuisse tradunt, & eam usq; ad Constantini tempora durasse, Hieronymus dicit. Hunc locum non ornabant tapeta, non aurea & argentea pocula, sed Dei et angelorum præsentia, hospitis Abrahami liberalitas & benignitas, per quã sancti in terra uersantes homines uiua Dei simulacra efficiuntur.

Vt confortetur cor uestrum.] Qui usus est panis. Hinc סעד uerbum frequenter coniungitur cum לחם. Psal. לחם לבב אנשים יסעד.

Tria sata.) סאים. Septuaginta, τρία μέτρα. De hoc mensuræ genere infrà in lege fit mentio.

Et coxit illum.) עשה in loco est parare, coquere & instruere, ut Lat. nis suum faceret.

Tulit quoq; butyrum.] Descriptio frugalis conuiuij lacte, butyro, uitulo, placentis, pane instructi. Vini nulla habetur mentio. Quæras quomodo si angeli fuerant, ederint. Attemperarunt se legati Dei citrà mendacium, quorum animus à fallendo abesset ad usum eius, cum quo negocium diuinum gerendum erat. De hac specie uideris apud Tobiam.

Ipse uerò stabat.] Honoris gratia tanquam minister astabat. Moderationis hospitalis exemplum in sancto uiro. Abrahamus iam tot annos in orbe terrarum peregrinatus, ipse in se expertus fuerat, quantum usum afferret, & quàm necessaria esset hospitalitas, nec non maiorum exemplis & institutione, illius præstantiam notam tenebat.

Cumq; comedissent.] Referendū ad superiora, Ipsis comedentibus astabat.

Tempore isto uita comite.) בעת חיה, id est anno uertente, uiuentibus adhuc nobis ac superstitibus. Similiter Chaldæus בעידן דאתרן סריבין. Alij aliter & in hunc modū, Reuertar iuxta tempus uitæ: id est, post tantum spacium quantum satis est ut uiuens infans ex utero in lucem exponendus sit.

Et habebit filium Sara uxor tua.) Promissio clara de sobole, quam citat etiam Apostolus ad Romanos. Promittitur mas, non fœmina, quæ generi nomen nullum det, sed à mare accipiat dignitatem generis ac familiæ. Referenda hæc ad Messiam promissū semen, à quo sponsa ecclesia sua dignitate ornatur.

Erant autem ambo senes.] Amborum defectam ætatē his de causis narrat: Vna est, ut amplificet mira culū potētiæ diuinæ, quæ uocet ea quæ nō sunt, ut sint, dum ex emortuo Saræ utero prolem edit, non naturæ, sed spiritus sui uirtute. Altera, ut declaret rationem liberorum, qui uerè sint liberi Abrahami, eos uidelicet filios esse Abrahami ueros qui ex promissionis fide nati sint, non ex natura carnis, ut Apostolus his uerbis dicit: Non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui sunt filij promissionis, recensentur in semen. Et Ioannis primo: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, uidelicet ijs q̄ credidissent in nomen ipsius, qui nō ex sanguinib. neq; ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Tertia, ut exaugeatur amplitudo fidei Abrahami, & eius natura quæ sit, explicetur. Hanc non naturæ præsidio, sed potentia diuina niti. de qua idem Apostolus: Qui præter spem sub spe credidit, se fore patrem multarum gentium. Hæc cum dicuntur, ita accipienda sunt, ut nihilominus Isaacus naturalis filius Abrahami fuerit, conceptus ex semine Abrahami, & in utero Saræ more infantium nutritus & genitus. Promissio hic spectatur, quæ quia Saræ uterum, qui clausus fuerat, aperuit, Isaacus ex promissione, nō ex carne proles dicitur, ad adumbrandam sobolem cœlestem. de qua propheta: Ecce uirgo concipiet. & ad figurandos filios Dei non ex semine mortali uiri, sed immortali Dei nascendos. De hac collatione his uerbis Apostolus in Epistola ad Galatas: Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filij sumus: sed quemadmodum tunc is qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui natus erat secundum spiritum ita, & nunc. Postrema causa est, ut typo certo ac figura ea sterilis repræsentetur in sterili Sara, de qua Esaias: Iubila sterilis quæ non paris, quoniā plures liberi sunt desertæ quàm eius quæ habebat maritum.

Prouectæq; ætatis.) באים בימים. Similiter Latini, Progressi ætate.

Et desierant fieri muliebria.] Similiter Græci, τὰ γυναικεῖα. Significātur menstrua, quæ pati Sara desierit. At hæc si adsint fœminis, ad cōceptum aptæ habentur: sin secus, ineptæ & steriles.

Quæ risit.] Is contemplantis senium & repetendam uenerem cui desueuerat, risus erat. Quod excellens in Sara continentiæ exemplum fuit.

Quare risit Sara.] Hic reprehenditur in Sara risus, qui suprà in Abrahamo reprehensus non fuit. In hoc risum expressérat admiratio & lætitia: in illa admiratio, coniuncta cum subdubitatione, sed quæ non esset malitiæ sed infirmitatis muliebris. Legitur, Zachariam quòd non credidisset angelo, ad certum tempus mutum reddiū: sed Saræ nihil tale contigisse ostenditur, Domino imbecillitatis in sancta muliere habente rationem.

Nunquid Deo quicquam est difficile.) in Hebræo uerbo פלא significatur admirandum & occultum. Paraphrastes alteram significationem reddens, sic ait היתכסא מן קדם יחות מתא בא, id est: Numquicquam celetur Dominum. Quoniam res admirandæ, occultæ ferè esse solent, & difficiles ad efficiendum, noster interpres difficile uertit. & Græci, μὴ ἀδυνατεῖ παρὰ τῷ θεῷ ῥῆμα. id est, est ne res ulla quā Dominus nō possit efficere? Reprehēditur hæsitatio in Sara à potentia diuina, qua indicata ab angelo, excitatur hæc in spem fœcūditatis. Itaq; quod sustinetur sæpe in aliquid assensio, hoc fit aut propter mentis imbecillitatem, quæ peculiaris est mulieribus: aut propter rerum obscuritatem in natura latentem: aut quia id quod proponitur, naturæ dissentaneum uidetur: aut quòd uitiatus animus ueritati infestus est, tenebras magis amās quàm lucem: aut propter æqualia rationum pondera ac momenta. Quæ pars impedierit Saram, ut non statim assenserit angelo, satis manifestum

Negauit Sara dicens, Nō risi.) Cur negauit? uoluit'ne Dominum fallere? primò non agnouit Dominū loquentem, sed homines hospites: deinde timor ex pudore natus extorsit negationem in sancta muliere, nō fallendi animus.

Direxerunt oculos contra Sodomam.) Infrà Veneruntq; duo angeli Sodomam. Dicunt nonnulli, ad

annunciandum lætum de nascenda prole promissionis nuncium tres apparuisse, ad significandum in opere gignẽdorum liberorum ex spiritu promissionis sacrã trinitatem præcipuè uersari, patrem filium & spiritum sanctum. Patrem quidem, qui gignat: filium per quem gignamur: Spiritũ uerò, qui tanquam ui utriusque, patris et filij, generationem spiritualem absoluat. Huc pertinere formulam baptizandi, qua baptismus sacrum regenerationis symbolum adhibetur: Baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. In eo autem opere, quo impij puniendi sint, filium maximè cui pater dederit omne iudicium, et spiritum qui nutatur ut redarguat mundum de peccato & de iustitia, & de iudicio occupari. Quæ de fausto & infausto numero hic afferunt, prætermitto.

Cõtra Sodomam.] quam perderent. Duplex igitur angelorum ministerium est: alterũ, seruare pios: alterum, punire ac delere impios. Est igitur שיעת ferè cum obseruatione intueri ut noceas ac lædas, uelut hic: Angeli conuertunt oculos ad Sodomam: & Dominus Aegypti infrà exercitum quem deleat, & in Psalm. impios quos scelerum condemnet, inspicere legitur. Sunt igitur Dei oculi in sceleratos acres & seueri, in pios autem lenes & clementes.

Num celare potero Abraham.] Qui per Amos prophetam denunciat: Non faciet Dominus quicquà, nisi patefecerit arcana seruis suis. Locus de consortio, quod Domino cum sanctis suis intercedit, quæ est horum magna dignitas, admitti uidelicet eos in colloquiũ Dei, ex quo abscondita illius consilia discant. Vnde sanctos deos dici collegit Dominus in Ioanne: Nónne scriptum est in lege uestra: Ego dixi, Dij estis. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, &c.

Cum futurus sit in gentem magnam.) Ratio patefactionis, in Abrahamo benedicẽtur omnes nationes terræ, ergo par est ut cognoscat, qui in eo benedicendi sint, qui non item, ne aberret in intelligenda promissione hac noua tentatione implicatus.

Scio enim quod præcepturus sit.) Altera ratio à studio propagandi cultus Dei.

Vt custodiant uiam.] legem & oracula mea.

Et faciant iudicium.) omnia ritè & ordine ad normam fidei & charitatis.

Et iusticiam.) Dei per fidem, Deo & proximo per charitatem, quæ proximo debentur, tribuentes. De fide suprà: Credidit Abraham Deo, & imputatũ est ei ad iusticiam. De charitate autem Paulus: Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis. Cuius charitatis iam exemplum in hospites peregrinos Abrahamus ediderat.

Vt adducat Dominus.) הביא adducendi uerbum pro perficiendi ac præstandi. Locus de conditionibus pacti, Dominum præstare ea quæ promiserit, si nos in conditionibus quæ fidem per charitatem agentem cõtinent, maneamus. Itaq; suprà: Ambula coram me, & sis integer. At quomodo id intelligendum sit, suprà ea de re admonitum.

Propter Abraham.] על in Abrahamũ, super dom̃ & familiam Abrahami. In liberis enim parentes uiuunt tanquam superstites ac redituri. unde celebre est illud בל תמעביר בן צריק באיל אבי בת.

Dixitq; Dominus ad Abraham.] Iam paratur iudicium in Sodomitas conscio Abrahamo. Rea Sodoma est, accusator scelerum clamor, iudex Deus, deprecator Abrahamus.

Clamor Sodom.] clamor iniuria oppressorum à Sodomitis. Sicut suprà clamor occisi Abelis à Cano in cœlum penetrasse dicitur. Hæc autem fuere scelera Sodomitarum, ut ea enumerat propheta Ezechiel: Superbia, ocium, contemptus pauperum, & quod maximum scelus fuit, uita pœnitentia omni uacans. Clamore igitur Sodomorum, notantur generaliter omnia crimina cum quibus coniuncta est contumacia in delictis manendi, deposita cura ad meliorem frugem redeundi. Sic apud Iesaiam: Expectauit iustiã, et ecce clamor. Hoc est, impunè nemine eos in uiam reuocante nemine puniente delinquunt, unus clamor reliquus est: hoc est, querela publica, omnia deplorata esse & desperata. Talis clamor non fuit Nineuitarum, quorum pectora ad pœnitentiam pertinacia non fuerunt, sed ad eam prona sub concionatore Iona, Sodomitis Lothum doctorem & cœlestis doctrinæ ministerium respuentibus. Hinc comparatio illa apud Iesaiam uatem mutuata est: Agnitto multus respondebit eis, & peccata sua quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.

Aggrauatum est.] tanquam graue pondus. Hoc modo impietas in Zacharia propheta plumbo grauissimo & impurissimo metallo comparatur. Iusticia igitur agilis, ignea, uitalis cœlestisq; uis fuerit suos cultores in cœlos usq; transferens: iniusticia contrà ac improbitas, iners, terreum & mortiferum, ad inferos usq; deprimens, pondus habetur.

Descendam, & uidebo.] κατ' ἀνθρωποπάθειαν descendere dicitur Dñs ad cognoscendam causam. Quibus uerbis æquitas & iusticia eius indicatur, qui indictæ causa damnare nolit. Descensus Domini, patefactio iudicij diuini est. ideo Chaldæus אתגלי. Hac anthropopathia admonentur iudices sui officij & muneris.

Vtrum clamorem.] Non ignorantis Dei quæ patrarent impij Sodomitæ. Sed suam nobis æquitatem declarantis locutio est, ut qui etiam lata lege caueat, ne quis incognita causa nõ convictus testib. cõdemnetur.

Opere compleuerint.] Vt si pro fama sceleratí fuerunt, eos funditus deleam ac conficiam: sin minus, sciam qũo illis parcam. Similiter Chaldæus: ראירין חבסכלותחון דעלת לקדמי עבדו אעביד עבחון גמרא אם לא תיבין אם תיי בין לא אתפרע.

Abrahã uerò adhuc sciebat.] orans ac intercedens. Itaq; Chaldæus בשתבש בצלותם יי.

Nunquid perdes iustum cum impio.] Interrogatio ad explorandam mensuram diuinæ æquitatis. Videtur sanctus uir de Lotho sollicitus fuisse, quem antea liberauerat ab hostibus captum: & intelligebat probum esse, qui præclarè senturet de Deo.

Si fuerint quinquaginta iusti.] Quorum probi-

tas potior apud te sit ad misereſcendum quàm improbitas impiorum ad iraſcendum, ne simul probos cum improbis perdas: cum alterum proprium tuum opus sit, alterum alienũ, ut apud prophetam legitur: Vt faciat opus suum, alienum opus ab eo. Instituitur deprecandi gratia disputatio ab Abrahamo, ánne propter iustos par sit iniustis parcere, aut pariter iustos cum iniustis perdere.

Propter quinquaginta iustos.) propter quos mundum hunc condidisti, & eundem propter eos conseruas. Ad hæc iusti in amicitiæ tuæ fœdere sunt quod propter impios non uiolaris. Suprà: Eroq; Deus eorum ideo sequitur:

Absit à te.] Non est redarguentis ac uocantis Deum in iudiciũ, sed solliciti hominis de salute humani generis sermo. Cæterùm à quinquagenario incipit remissionis & placationis numero, de quo infrà in lege.

Non est tuum.) Geminatio חלילה uehementis zeli ac studij est. Quam uehementiam exauget interrogatione.

Qui iudicas omnem terram.] Hebræus interrogat: Num iudex uniuersæ terræ non faciet iudicium? hoc est, æquitate non utetur?

Num iudex.) moderator ac gubernator, uindex scelerum, & probitatis remunerator.

Non faciet iudicium.] seruans æquitatem, ut iustos liberet, cum impios plectit, neq; pari ira in utrosque sæuiat. Vniuersale impiorum iudicium Sodomorum iudicio putant præfiguratum. Græcus igitur ille Theologus, primum angelum patris, alteros duos Sodomorum euersores filij & spiritus figuram prætulisse dicit: ὁ ἀβραὰμ τρεῖς ἀγγέλους εἶδεν, εἰς τύπον τῆς τριάδος· ἕνα ὁ λὼτ, εἰς τάξιν υἱᾶ καὶ πνεύματος.

Dimittam uniuersum propter eos.] Præclarus locus, impijs propter iustos parci: & eos quòd uiuunt, beneficio iustorum uiuere. Sic propter Iosephum seruata Aegyptus, sic Babylonij magnis beneficijs affecti à Deo propter Danielem. Quo maior est impiorum, qui beneficij tanti immemores sunt, impietas, qui iustis non solum gratiam non reddunt, sed etiam eos atrociter persequuntur. Is est clamor qui cœlos ipsos ad thronum iusticiæ Dei penetrat ad sollicitandam uindictam diuinam.

Cum sim puluis & cinis.] contrà tu Deus cœli & terræ potens gubernator. Hæc sui demissio apta deprecatori est, quam propriè fides efficit in sanctis, Deo omnem potentiæ gloriam tribuens, nobis infirmitatem. Hac igitur confessione dignus habitus est Abrahamus, quem Dominus familiariter admitteret ad colloquium. Contrà impius compositus est, quem carnale robur ita inflat, ut iactet superbè, Non mouebor: immemor sententiæ diuinæ, Puluis es, et in pulucrem terræ conuertêris.

Obsecro, Domine, ne iraſcaris.] Vox solliciti ac subuerentis ne modum in inquirendo transeat, neque quinquaginta ut antea, sed decem proponit.

Quid si inuenti ibi fuerint decem.] Hic subsistit Abrahamus, neq; ultrà deprecando pergit. De causis huius rei nemo temerè sit sollicitus. Denarius qualis numerus sit, notum. Disputatio præsens est, an ne æquitatis diuinæ sit, parcere impijs propter iustos, aut pariter utroſq; perdere liceat: quæ disputatio sic uidetur esse explicanda. Primò, si impietatis impiorum mensura impleta non sit, impijs parci propter iustos, qui nisi essent, in mundo nulli spirarent impij. Hoc modo ante diluuiũ scelera Caini familia tolerata fuit: post diluuium Sodomitæ, Amorræi, & nostris his proximis seculis hostes Christi nondum eorum uitiositatis mensura expleta. Secundò, impleta uerò scelerum mensura, impijs non parci propter iustos, exemplo impij qui diluuio interierunt. exemplo Sodomitæ, Amorræi, Samaria, cui propter septem millia, qui genua sua Israel nõ flexerant, Deus ultor tandem nõ pepercit. Exemplo itẽ Israel, cuius Dominus propter reliquias sanctorum, exilium & tam miseram calamitatem non remisit: neq; Antichristi regno placabilis erit fauore sanctorum, ubi eius improbitas ad summum fastigium peruenerit. Tertiò in interitu impiorũ pios liberari, exemplo sunt octo hominũ capita diluuio redempta, exemplo Lothus ab incendio Sodomorum conseruatus: & exemplo sunt quocunq; seculo punitis impijs pij ab interitu uindicantur uindice manu Dei. & hoc tempore sancti suam liberationem expectant, uastato regno aduersarij. Demum nec tamen minus iustus Deus manet, si sæpe impij in hoc seculo priusquam cumularint scelera ad plenum, bene habeant, pijs miserè uexatis, eisq; fame, peste, gladio sublatis, quibus quod hoc seculo ademptum est, in altero resarcietur, ut patet ex illo Domini: Beati qui persequutionem propter iusticiam patiuntur, quoniã illorum est regnum cœlorum. Dicas: Dominus uoluit parcere Sodomitis propter iustos, tametsi impleſſent iam mensuram scelerum. Responsio: Dominus cum diceret ad Abrahamum, se uelle propter iustos parcere Sodomitis, uersabatur tum in cognoscenda causa, nec dum sententiam dixerat. ueluti legimus, Descendam & uidebo. Sermo item Domini cum conditione ac adiunctione, non simpliciter elatus fuit.

Abijt Dominus.) Chaldæus יאסת לך יקרא דיי Amota est Domini gloria patefacientis uidelicet se Abrahamo.

IN CAPVT XIX.

VEneruntq; duo angeli.) impleta iam iniquitatis mensura Sodomorum.

Vespere.] qui sub meridiem quieuerant apud Abrahamum. Itaque qui sub clarissimam lucem uersati apud Abrahamum fuerant, ad indicandum ex eo semen nascendum mundo lucem allaturum, ijdem ad Sodomitas diuertunt inclinante iam sole sub uesperam eos perdituri, tenebris afflictionum, luce salutis & consolationis sublata.

In foribus.] Abrahamus suprà in ostio tabernaculi remotus à frequentia hominũ, qui peregrinus erat, sedet, Lothus in porta ciuitatis impiæ Sodomorum, unde

ſedere legitur. Alter igitur à contagio malorum remotior, alter uicinior fuit. Ciuitates enim quas primus Cainus extruere cœpit, ſi rectio ac gubernatio, & uera religionis cura deſit, quid aliud ſunt, quã auaritiæ, ambitionis, luxus, & libidinum omnis generis officinæ, ut rectè appellarit ille tales ciuitates lupanaria. Aut pro foribus ciuitatis ſedit ſub ueſperam ad excipiendos peregrinos hoſpites. Sequitur enim:

Declinate domum pueri ueſtri.] Hoſpitalitatis in Lotho exemplum ad imitationem auunculi Abrahami, quod uariè commendatur, partim à perſonis quæ hoſpitio exceptæ ſunt nempe ab angelis: ſic quoque Dominum ipſum hoſpitem accipimus, cum peregrinos accipimus, qui dicit: Amen dico uobis, quatenus feciſtis uni de his fratribus minimis, mihi feciſtis. Partim ab imitatione bonitatis diuinæ, quæ egentes, laſſos & miſeros maximè fouet. Partim à promiſſione excellẽtis præmij, de quo Dominus in Matthæo: Eſurui, & dediſtis mihi edere. uenite benedicti, & c. Demum à relata in hoc ſeculo gratia. Vidua enim illa cum benignè Eliſæum hoſpitem tractaſſet, reſuſcitati filij mercedem tulit, eodem beneficio Martha Lazaro utæ reſtituto affecta eſt, ut Dominum ipſum hoſpitali beneficio ornaſſet. Demum hoſpitalitas quã tam laudem mereatur & mercedem, inhoſpitalitatis damnatio indicat, quæ his uerbis exponitur: Diſcedite à me maledicti in ignem æternũ. peregrinus fuerã & nõ collegiſtis me. Laudatur igitur hic Lothus ab hoſpitalitate qua ſeruatus eſt: damnantur Sodomitæ ob inhoſpitalitatem, qua miſerè perierunt.

Conuiuium.] משתה à compotando dicitur, ut Græcis ſuum συμπόσιον.

Viri ciuitatis.] Violatæ hoſpitalitatis exemplum, cuius criminis grauitas ex contrarijs locis æſtimanda.

A puero uſq; ad ſenem.) Significatur pariter totam ciuitatem ſceleratam fuiſſe, pariter domeſtica maritorum & uxorum, parentum & liberorum, ciuili magiſtratus & ſubditorum, Eccleſiaſtica uerorũ prophetarum adminiſtratione proculcata.

Vt cognoſcamus eos.) Notatio concubitus. Is enim honeſto cognoſcẽdi uerbo declaratur. Infrà: Quæ necdum cognouerant uirum. Ad tam portentoſam libidinem perduxit illos contempus Dei & luxus, quẽ in illis effrenata cœli & terræ clementia abuſa cupiditas crearat. Nam ſuprà legimus agrum Sodomorũ & Gomorrhæ paradiſo Domini amœnitate & fertilitate comparatum fuiſſe.

Egreſſus ad eos Loth.) ad tuendum ius hoſpitalitatis iure gentium ſacrum.

Nolite quæſo fratres mei.] Blanda hæc appellatio fratrum, magnam uim debebat habere ad conciliandum, niſi deplorati fuiſſent. Salomon dicit: Reſponſio mollis frangit iram, at Sodomitarum rabiem huiuſmodi blanditiæ accendebat magis. Adeò impij nullis neq; cladibus, neq; beneficijs Dei meliores redduntur. paucis antè annis liberati fuerant ab Abrahamo è manibus regum ſuprà memoratorum, & ſanctum ſacerdotem & iuſtum regem Salem Melchiſedecum uicinum habebant, & Lothi ciuis conciones proculdubiè multos annos audiuerant: ſed tantum abfuit ut ſint probiores redditi, ut etiam obliti omnis humanitatis, hoſpitalitatis ius erga hoſpites angelos uiolare auſi ſint, quos ſuprà Abrahamus benignè tractaſſe legitur. Tanto interuallo ſeparantur piorum & impiorum, hoc eſt Caini & Sethina, Abrahami & Sodomorum Eccleſiæ, religione, ſtudijs, pietate, exitu.

Habeo duas filias.] Studio tuendorum hoſpitum ſtupri periculo exponit filias ſuas, in quam cladem cõiecit illum uitæ conſuetudo cum impijs. Peccató autem ut liberetur propoſitum Lothi, non eſt magnopere elaborandum. Animus in defendendo hoſpitalitatis iure integer erat, quem ſpectans Dominus, iuſtum Lothum è tentatione eripuit. Cum quæritur hic, an Lotus deliquerit, nonnulli ita quæſtioni occurrendum eſſe putant: Si hoc animo expoſuit libidini ciuium ſuas filias, ut putaret minus delictum maioris uitandi gratia committendum eſſe, culpa liberari non poteſt. Firmum eſt enim illud Apoſtoli: Non ſunt facienda mala, ut eueniant bona: neque uulgaris illa ſententia, qua dicitur, minus malum deligendum, ut declinetur maius, uelut niſi in fortuitis bonis & malis, ubi opes & uita aguntur: non in animi bonis aut malis, ubi probitatis negocium geritur. Sin uerò Lothus expoſuit filias ſuas libidini ciuium hac fide, ut non dubitaret Deum & hoſpites & filias ſuas periculo liberaturum, ſancti uiri animus probandus fuerit: ſed factum poſteris pro exemplo non uſurpandum, niſi idem caſus, idem animus et eadem fides contingant. Facta enim ſanctorum hominum non ſunt imitanda citra uerbum Dei, & fidem illorum.

Qui ingreſsi ſunt ſub umbram.] Ratio ab hoſpitalitatis iure, quod natura docet uiolandum non eſſe. Exemplis locus illuſtrandus eſt.

Ingreſſus eſt ut aduena.) Hoc loco duo docemur. unum eſt, iuſtos uiros in coarguendis impijs operam ſuam ponere. Huiuſmodi enim eſt iudicare in ſacris literis, ius dicere, conſeruare probes, redarguere, damnare improbos. Alterum, impios ſanctorum hominum caſtigationem non ferre, ſed eam ui & impetu repellere, ut hic Sodomitæ faciunt: quod ualde excruciauit iuſti Lothi animum, ut Petrus monet his uerbis: Is enim oculis & auribus iuſtus, cum habitaret inter illos, qui quotidie animam iuſtam illorum factis excruciabat. Intueare noſtram Sodomam & Gomorrham, diuerſa non comperies.

Vnus ille.) Hæc ſanctorum ſors eſt, ut uni in hoc mundo ac deſtituti omni humano præſidio, contra mundum ſeſe opponãt. Exempla in Noa, Lotho, Elia & Chriſto ipſo capite ſanctorum. de quo Pſalm. Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum, aduerſus Dominum & aduerſum Chriſtum eius.

Vt peregrinus.] dignitate ciuili nulla ornatus in ciuitate Sodoma. Quod etiam apud poetam de decoris loco habetur,

ὡσέ τιν' ἄτιμητον μετανάστη.

Te ergo ipsum.] *Furor impiorum in admonentem recta, ne quid deesset mensuræ scelerum. Quòd peregrinus se opponebat tantis Sodomitarum flagitijs bono ipsorum superbiam interpretabantur, & factionem. Sic excipitur adhortatio iustorum in hoc mundo ab impijs.*

Et ecce miserunt manus suas.] *Significatur cura Dei pro iustis, de qua Petrus: Nouit Dominus pios è tentatione eripere, iniustos autem in diem iudicij puniendos seruare. Interpres Ecce de suo assuit, ad ostendendum improuisum auxilium.*

Percusserunt cæcitate.] *qua interirent. Hoc est præmium impiorum. Duplex autem cæcitas hic spectatur: altera animi, altera corporis. Animus ueri iudicio cæcus ferebatur, securus de Dei iudicio aduersus scelera. Corporis oculi quæ fierent Lotho, non uidebant. qualis cæcitas & in ijs apparuit qui Heliſæum quærebant ad exitium. At inter cæcitatem Syrorum & Sodomorum hoc interfuit, quòd hi in cæcitate sua perierũt, illi emẽdati seruati sunt. Hieb.* סנורים *quod Germanis Starblindikeit.*

Habes hic quemplam.] *Simile diuinæ beneuolentiæ exemplum in Noæ familia cernitur.*

Delebimus enim locum.] *Iudicium exponitur.*

A' minimo usq; ad maximum.] *Talionis est. Suprà enim, à puero usq; ad senem.*

Eo quòd increuerit clamor.] *Ratio iudicij.*

Coram Domino.] *ultore ac iusto iudice scelerum, qui etsi non statim punit criminosos, tandem tamen punit, & uindictam perficit. quod etiam Poeta Græcus intellexit:*

ἔπεϱ γαϱ́ τε λιὰ αὼτὶν ὀλύμπιος ὲπὶ τέλεσσεν,
ἐπ τε ὸψὲ τελεῖ σώτε μεγάλῳ ἀπέτισσεν.

Qui misit nos.] *angelorum ministerium in delendis impijs cerni. Admonentur igitur hic impij, ut Deum metuant, qui tam potentes ministros iræ suæ in sceleratos intentandæ habeat: & pij docentur, ut in officio pietatis maneant memores & grati erga Deum, qui uelit suos per angelos cunctorum suorum operũ inspectores cum Lotho ex periculis liberare.*

Egressus ergo Loth.] *credens minis.*

Et uisus est eis quasi ludens loqui.] *Notatur ingenium mundo non abdicatorum, hos neq; benefacientem Dominum glorificare, neque minis exterrentem pertimescere. Quæ est securitas eorum quibus mundus placet. Horum cogitationes declarat uates: Nõ uidet nos.*

Vrgebant angeli.] *Iam imminenti fatali & ineluctabili iudicio Dei. Si referas ad nouissima tempora, simile studium cernitur in liberandis sanctis ex Sodomis regni Antichristi. de quibus Ioannes in Apoc.*

Neq; tu pariter pereas.] *A' periculo.*

Dissimulãte illo.] התמהמה, *id est moram faciente, quam nexuisse uidetur: uel quia differri pœnã uoluit, quam omnino auertere non posset. Hac in re charitatem erga ciues suos declarare uoluit: ut suprà legitur Abrahamũ dolentẽ uices Sodomorũ moratũ in deprecando exitio eorum: uel ueteris hominis indoles notatur, qui præsentem mundum ægre deserit. Gratiæ ergo & uirtutis diuinæ, non uoluntatis humanæ opus est, imminente iudicio Dei è mundo hoc exire per fidem propense eo relicto.*

Apprehenderunt manum eius.] החזיקו *non est leuiter, sed fortiter apprehendere. Qua ui opus erat sub articulum fatalis excidij.*

Eo quòd parceret Dominus illi.) *Bonitatis diuinæ, non priuati meriti erat liberatio. Sic his nouissimis temporibus, misericordiæ Dei opus erit. si qui, & hi pauci, ex tanta orbis terrarum ruina iam sub iudicio Euangelij imminenti superstites remanebunt, ne uniuersa caro intereat.*

Noli respicere post tergum.) *Abnegationis sui locus, in effugiendo iudicio Sodomorum cuncta terrestria abneganda, & spectanda cœlestia. Hinc illud Domini: Nemo qui manu sua admota aratro, respexerit à tergo, aptus est regno cœlorum.*

Nec stes in omni circa regione.] *Notantur ima mundi loca, id est terrena esse deserenda.*

Sed in monte.] *Significatur spe reposita in cœlestia salutem parari. Huc pertinet illud Christi: Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.*

Quæso Domine mi.) *Vnum alloquitur, cum duo essent. alij de Deo, alij de altero angelo, alij de principe angelo interpretantur. Cum quatuor mandasset Deus: unum, ut uitam seruaret, relicta urbe: alterum, ne retrò respiceret: tertium, ne usquam in toto campo consisteret: quartò, ut uitam in monte conseruaret: hoc ultimum ne faciat, precatur. In qua oratione primò gratias agens pro acceptis beneficijs, beneuolentiam sibi conciliat: deinde commemorat necessitatem: tertiò exponit quæ sibi tribui uelit.*

En inuenit seruus tuus gratiam.) *Renuit montana, & decliuia expetit. Ab impetrata semel gratia hortatio hæc instruitur.*

Et magnificasti misericordiam tuam.) *Hebræus, Et declarasti magnam bonitatem tuam, qua affecisti me.* חסר *notum uerbum est.*

Parua.] *non tot impijs possessa.*

Suscepi preces tuas.] *Hebr. Suscepi faciẽ tuam, pro exaudiui te. Qui enim nobis fauent, aduertunt faciem: contrà qui odio habent, auertunt, nos auersantes: quò spectat phrasis Hebraica. Apud Latinos etiã dicitur, Ferre in oculis. Explicatur usus precationis, qua Dei uoluntas de conscendendo monte uicta sit. Qua in uictoria per fidem precationis, Deus significat se & uelle sic uinci, & sibi piorum precationem, qua uincatur, gratam esse. Atq; ita sæpe à Deo mandari aliquid ut fiat intelligimus, non ut omnino simpliciter, absoluteq; fiat quod mandarit, sed cum additione, nisi ij quib. mandatũ datur, ad orandum se parent, fide cũ Deo congredientes, qua & quæ sit Dei bonitas experiantur, & omnia non humanis utribus, sed Dei ui cõficiantur. Quod cũ fit, propriè nos mutari, non Dei uoluntas, dicimur. Sed hac de re aliàs.*

Vt non subuertam urbem.) *Legimus in Deut. quatuor urbes deletas sulphure & igne, Sodomam, Gomor-*

Gomorrham, Adma et Zebaim. Quærat aliquis, cur hæc cũ reliquis igni extincta nõ legatur, dicas oratione Lothi liberatã, sed cur etiã Abrahami et Lothi oratione, aliæ quatuor liberatæ non sint? In cæteris nulla signa pœnitentiæ cernebantur, in hac paruà urbe, ut apparet, cernebantur. Quocirca quantũ precationes piorum hominum & pœnitentia ualeant ad placandum Deũ, & quàm horrenda ira Dei in contumaces & rebelles stringatur, hic spectare licet. Vt igitur Niniuitæ post intentatam ultionẽ seruati sunt, ita etiam hic Zoarẽ seruatã intelligimus, diuina sententia sese attẽperante ad orationẽ Lothi & ciuũ pœnitentiã.

Igitur Dominus pluit.] Exponitur modus ac ratio iudicij Sodomorum.

Sulphur & ignem.] Quæ pœna est impiorum. Hinc illud: Pluit super impios laqueos ignis & sulphuris: conterá idem iustis panẽ & mãnam pluere dicitur.

A Domino.] Messias innuitur. Similis loquutio in Psalm. Dixit Dominus Domino meo, &c. Hebræi à Domino interpretantur à seipso, quod genus loquẽdi habere dicunt טחרת חלשרן, id est elegantiam. Citant similem formulam loquendi, Tollite uobiscum de seruis domini uestri: ubi de se loquens Dauid, non dixit de seruis meis.

De cœlo.] proximo nobis aere, de quo per aquas sulphur & ignem populos iudicat. Iob 36. Per hæc enim iudicat populos. Duo igitur præcipuè elementa sunt, quibus impios Dominus perdit, aqua & ignis. Aquarum diluuio Cain progenies absorpta fuit, igni Sodomitæ. Par enim est, ut ijs elementis impij puniantur, quibus ipsi abusi, in omnia scelera prolabuntur. Omnis autem rerum generandarum genitalis uis, copia & ubertas, aquis & igni continetur. Horrenda lues peccatorum est, qua numerum elementa mũdi excitata, mundictam in impios moliuntur, ad asserendam gloriam creatoris sui.

Et cuncta terræ uirentia.] Vnà cum impijs ex terra orta pereclitantur, quibus abusi illi ad luxum et libidinem fuerant. Exemplum hoc tam horrendæ cladis in omnem posteritatem memorabile proponitur, qua urbes, homines, mares, fœminæ, adulti & infantes, pecora, agri, cœlesti igni absumpta leguntur. Tragicus casus est, omnem luctum & lamentationẽ superans, ut nirum non sit à Petro & Christo ipso hoc miserabile exitium impijs tanquam speculum proponi, in quo diuinam iram in contumaciter sceleratos accensam contemplentur: & pij orent ne cum impijs pereant, sed cum Lotho in pietatis studio conseruati ex Sodomæ incendio liberentur.

Respiciensq; uxor post se.] Relatio nobis Lothũ refert in מאחריו, post illum. Non recto spectare debebat sed porro: uetetem hominem ad seruandam animam perdere conueniebat, non seruare. Itaq; Dominus: Memores estote uxoris Loth, quicunq; quæsierit animam suam seruare, perdet eam: & quicunq; perdiderit illam, uitam illi parabit. Quod cum neglexit uxor Lothi in iudicio Sodomæ pœnam sensit, de qua sequitur:

Versa est in statuam salis.] Quæ sal illud spiritus sacri, quo putredo cupiditatum carnis absumitur contemperat. Natura salis ignea est, adurens, repurgãs, dissoluens, extenuans, corpora à putrescendo uindicans. Talis est sal abnegationis nostri, qui fœderis & sacrificiorum Dei sal dicitur, de quo in Leuitico: Non auferes sal fœderis tui de sacrificio tuo. Hunc salem qui spernunt, cum uxore Lothi in statuam salis insatuati conuertuntur, ut pijs exitet monimentum quo admoneantur mundum à tergo relinquendum esse, & cœlestia prospectanda ad fugiendam iram Dei, cum uenerit ad iudicandos impios. De sale insatuato Dominus admonet in Luca his uerbis: Bonus est sal: si uerò sal insatuatus fuerit, per quod condietur? neque in terram, neque in sterquilinium utilis est, foràs proijciunt illum. Annotãt interpretes, imò cum sulphure et igni sale quoq; pluisse Dominum: citantq; ex Deuteronomio hæc uerba: Sulphure & sale exurentibus uniuersam terram eius, ut seminari non possit, germen nullum edẽte herba, sicut in loco quo subuersa fuit Sodoma & Gomorra, Adma et Zeboim. Tradunt enim rerum scriptores locum omnem in quo sal nascitur, sterilem esse, neq; gignere.

Vbi steterat prius cum Domino.] in locum quo deduxerat Abrahamus angelo: Sodomam uersus eunte: de quo in superiore capite.

Cum Domino.] deprecãs pro iustis. Itaq; Chal. דמ שמ יש תמן בצלו קדם יי.

intuitus est Sodomam.] in sanctorum conspectu impij intereunt. Fuit Sodoma ciuitas magna, quã Strabo sua ætate sub Augusti imperio in ruinis septuaginta stadiorum, siue octo millium paulo minus passuum ambitum tenuisse dicit, fides sit penes authorem.

Viditq; ascendentem fauillam.) uaporem ac fumum ex depluto sulphure & igni efflatum. Euersionis ex efflatu ignis factæ, meminêre etiam Geographi, ut Strabo libro 16.

Recordatus est Abrahæ.] Locus de ui deprecationis. atque hic clarum fit, supra pro Lotho orasse Abrahamum.

Et mansit in monte.] ut in eo liberaretur, quẽad modum prædixerat angelus. Sed in monte saluum te fac. Itaq; contrarius est exitus piorum & impiorum. Hi pereunt tandem cum per delicias, luxum, & omnia scelera utam transegerint. Illi uarijs modis tentati liberantur, neq; unus uideatur tam dissimilis utrorumq; exitus. In alteris enim timorem Dei & fidem, in alteris contemptum & periudiam: in alteris opera fidei, ut sunt prædicatio nominis Dei, reprehensio scelerum in impijs, defensio pauperum, abstinentia cum uero usu clementiæ cœli & terræ coniuncta: in alteris uerò infectatio uerbi Dei, & eorum qui illud colunt, tuitio scelerum, oppressio pauperum, otium & luxus, cũ abusu præstantissimorũ donorũ Dei cernũtur. Atq; ita in impijs Sodomitis impiorũ omnium seculorum ingenium depingitur, in quibus peccata peccatis accumulata peccatorum præcedentium pœna fiunt, ut Apostolus in ea epistola quam ad Roma-

nos scripsit indicat. Et maximè Sodomitæ eos nobis repræsentarunt, qui nouissimis his temporibus perfricta fronte sese pro tuendis delictis suis opponere aduersus Deum audent, contempto Euangelio Christi, quod condemnant in pijs, ut uitam et doctrinam suam plenam errore & tenebris defendant. Quò respiciens Dominus, Sodomorum exitium & Lothi liberationem ad hæc nouissima tempora patefactionis Euangelij retulit, cum his uerbis dicit in Luca: Consimiliter etiam sicut accidit in diebus Lothi, edebant, bibebant, emebant, uendebant, plantabant, ædificabant: cæterùm quo die exijt Loth è Sodomis, pluit igni & sulphure è cœlo, & omnes perdidit, secundum hæc erit dies, quo dies hominis reuelatur.

Dixitq; maior ad minorem.] Locus de concubitu filiarum cum Lotho patre. In quo incæstu figurari legẽ et eius uim interpretes tradunt, aliud intendenti bus filiabus, aliud Deo tam turpi facinore adumbrante. Lothus igitur, ut monent, legis typum prætulit: filiæ grauidæ factæ, populi legalis: nati ex his Moab & Ammon, sobolem studij legalis: uinum, ipsum humanum in perficienda iustitia conatum spiritu Dei destitutum. Itaq; lex tametsi bona est & sancta, expers tamen spiritus Christi, & inebriata uino humanæ sapientiæ & facultatis grauidas filias suas, hoc est sui studiosos efficit, gignens populum non Dei, superbum uidelicet populum & arrogantem, ut Iesaias de Moabo dicit: Audiuimus superbiam Moab: superbus est ualde. Tales sunt hypocritæ opera legis & sapientiæ humanæ iactantes citra spiritum Dei. Hæc ueterum sententia est. Si conferas Sodomorum exitium & liberationem Lothi cum his postremis seculis, ut confert Dominus Christus, neque ebrietatis, neque ex filiabus genitorum filiorum mysticam rationem obscuram fore arbitror. Dominus meminit in Matthæo ex prophetarum oraculari sententia dierum afflictionis, qui abbreuiandi sint propter electos, ne uniuersa caro intereat. Sed unde hæ paucæ reliquiæ quæ remanebunt ex tanta ruina nascentur? ex ebrietate sanè magnarum calamitatum, de qua propheta: Audi hæc paupercula & ebria non à uino. Sed qualem populum gignet hæc ex Lotho ebrio Christi typum præ se ferente, cuius afflictio est ecclesiæ suæ afflictio, qui in hac sua sponsa etiamnum suas afflictiones patitur? populum sanè gignet qui uocabitur Moab, id est à patre. de quo propheta: Et dicitur eis filij Dei uiuentis. Iesaias: Vocabitur pater futuri seculi, gignet item filiũ qui nominabitur בן עמי, id est filius populi mei. de quo illud: Et dicam non populo meo, Populus meus es tu. Cæterùm ut suprà Noa à diluuio aquarum inebriatus uino legitur, ita hic Lothus ab incendio Sodomorum.

Et nullus uirorum remansit.] Argumentum ab extincto uirili semine.

In terra.] Sodomorum.

Iuxta morem uniuersæ terræ.] institutũ à Deo iam creato primò Adamo & Heua: Crescite & multiplicamini. Deliberatio filiarum de concubendo cum patre Lotho, cuius concubitus causæ quas illæ prætexuêre, hic referuntur, aliud his, aliud Deo in adumbrando magno mysterio spectante. Non leguntur hic filiæ libidinem prætendere, sed necessitatem generis propagandi. Itaq; is earum concubitus cum patre æstimandus fuerit ex ipsarum animo & occulto Dei consilio, non ex ipso facto, causis eius non expensis. Idem de sancto Lotho iudicium. Veteres Hebræorum interpretes dicunt patefactum filiabus Lothi ex eo nascendum esse Messiam promissum primo Adamo. Hæ igitur spe incitatas illas uoluisse sobolem ex patre Lotho suscitare. Constat enim Dauidem ex Ruth Moabitide, & Roboam filium Salomonis ex Naemane Ammonitide, & Regem Messiam ex posteris eius genitum.

Nocte illa.] Mystica noctis ratio non prætereunda, quæ nota est sanctis.

IN CAPVT XX.

PRofectus inde.) Non temerè, sed certo Dei consilio, ut noua tentatione fides eius de promissione filij ex Sara nascendi in eo qui contra spem spe uicturus omnia erat exerceretur. Nihil enim minus futurum uidebatur, quàm ut ex Sara iam ab Abimelecho rapta, Isaacus nasceretur. Causas non explicat narratio, cur cum uiginti annos habitasset in campo Mambræ, profectus sit in Gerarim. fieri potest, ne tres illi hospites mortui sint, & mali hæredes successerint, qui Abrahamum non ferrent, aut uicinæ Sodomæ incendio commotus aliò migrarit. Omnino hanc peregrinationem fide ab Abrahamo non sine uerbo Dei susceptam esse credere par est. Is enim, ut epistola ad Hebræos ostendit, omnia fide egit, qui fide reliquerit patriam, fide uenerit in Chananæam, fide peregrinatus sit, secum uxorem & familiam in exilio circunducens.

In terram australem.] in qua deserta Sur & Cades erant.

Soror mea est.) Hæc erat soror Abrahami, ut Lothus frater. ueluti suprà legimus, Fratres enim fuisse cum Haranis filia esset fratris Abrahami, ut suprà expositum.

Misit ergo Abimelech.) Exponitur raptus Saræ. Idem accidit suprà Abrahamo à Pharaone cap. 12.

Venit autem Deus.) Prouidentiæ Dei pro liberanda Sara exemplum. Luctanti fidei suæ præsidia parauit Dominus, quæ magna est sanctorum consolatio. omnino enim præstanda erant quæ de tribuenda sobole promiserat.

Per somnum noctu.] commodo ad admonendũ tempore, sensibus à munere suo uacantibus.

En morieris.] Accusatio & iudiciũ Abimelechi.

Habet enim uirum.) Causa accusationis & intentatæ mortis. Locus de grauitate criminis adulterij, de quo capitali supplicio afficiendo infrà lex à Mose promulgata legitur. At hodie adulteri non solum grauius non puniuntur, sed etiam honoribus ornantur magistratum gerentes, ut fere laudi, non uitio detur, adulterum esse.

Abi-

Abimelech uerò.] *Defensio Abimelechi ex locis inficiationis & purgantium. primò negat attactam, deinde non uxorem, sed sororem ablatam.*

Num gentem ignorantem.) *Assuit de suo, ignorantem, sequutus Septuag. qui habent ἀγνοεῖν. solum iustam Hebræus habet. Gentem nominat, quòd regia clades in populum subiectũ redundet. Et ferè quod de linquunt principes, populus luit. Nota est illa uatis latini uox, Quicquid delirant reges, plectũtur Achiui.*

Nonne ipse dixit mihi.] *Ex testimonio Abrahami & Saræ.*

In simplicitate cordis.) *Animum & facta improbitatis crimine liberat, ab animo exorsus, in quo fons probitatis cernitur.*

Et mundicia manuum.) *A factis, quæ in manibus agendi instrumentis notantur.*

Dixitq; ad eum Deus.] *Si tam innocentem pronunciat Deus Abimelechum, cur suprà igitur morti illum addixit, En morieris? Num non prænouit Deus integritatem Abimelechi? Humano more igitur hic cum Abimelecho in cognoscẽda hac causa agit Deus, ut sua æquitas declaretur: & quomodo Abrahamus periculo liberatus sit, intelligatur. Neq; suprà omnino damnatus fuit Abimelechus, sed cum adiunctione, hoc est certa posita causa, nisi afferret quo se defenderet, & ablatam uxorem redderet. Atq; ita admonitionis uerbum fuit, En morieris: quo prædicebat futurũ, nisi sibi cauere abstinendo à culpa, se periculum mortis aditurum. ut infrà: Si autem nolueris reddere, &c. Quæ diuina æquitas est, qua in suis expurgationem criminis non repudiat, & eos admonendo saluos cupit, qui non uult mortem eius qui peccauerit, sed potius ut resipiscat, & uiuat. In Abimelecho discimus uerum esse illud Petri: Reipsa comperio quòd non sit personarum respectus apud Deum: sed in quauis gente, qui timet ipsum, & operatur iustitiam, is acceptus est illi. Sic Nabuchodonosor, Naeman Syrus, regina Sabæa, Cyrus, quamlibet præputiati essent, grati Deo fuerunt. Semina doctrinæ patriarcharum tum uiguisse apparet. Viuebat enim tum Semus uicinus Abimelecho.*

Et custodiui te.] *prohibens ne uim sanctæ muliri afferres, coercita tua libidine per cladem, de qua infrà: Concluserat enim Dominus.*

Redde uiro uxorem.) *Victoriæ fidei Abrahami in tentatione illustre exemplum, qui promissis illis, Maledicam maledicentibus tibi: item, Et habebit filium Sara tua, credere, seruatus est.*

Et orabit pro te.] *iniuriæ immemor. Specimen cœlestis & noui hominis, pro inimicis orare, & eis remittere omnem noxam, qui solus nouit hanc precandi formulam à Christo nouo Adamo præscriptam: Remitte nobis debita nostra, ut & nos, &c.*

Quia prophetа est.] *Locus de officio Prophetarum. Commendatur hic precatio & orandi munus ab ipso autore Deo, qui illud uigere apud sanctos uult, et spiritum suum dat, cuius impulsu oremus, partim nostra, partim aliorum, partim Dei gratia: nostra quidem, ut quæ nobis opus sunt, orando impetremus: aliorum autem, eadem ratione: Dei uerò, ut huic suum honorem & cultum tribuamus. Nam qui precatur Deũ, bonum, sapientem & potentem eum agnoscit. Quæ per fidem Deo dare, est ei summum honorem dare.*

Quid fecisti nobis.] *Querela ac satis seuera expostulatio Abimelechi ad Abrahamum.*

Quid uidisti ut hęc faceres.] *Apparet ad prophetæ munus respicere Abimelechum: Scio te esse prophetam Dei, dic igitur an uiso aliquo admonitus diuino sis ut diceres Saram sororem tuam esse, non uxorem. Dicuntur enim prophetæ uidere: & uidentes uocantur, quòd uidcant Dei uoluntatem, uisis animis eorum illustratis. Quæ uisa & uoluntatem Dei quoniam sacri prophetæ alijs exponunt, נבי אים appellatos eos uolunt, uoce ducta à נרב quod est eloqui ac enarrare: ut intelligamus præcipuum esse munus prophetarum, mentem Dei explicare, uerbum eius docere, consolari afflictos, sceleratos criminis redarguere.*

Respondit Abraham.] *Purgatio Abrahami.*

Forsitã nõ est timor Dei.) *Purgat se à necessitate. In mentem, ut apparet, ei uenit scelerum Sodomæ nuper deletæ. Timor reuerentia Dei est ac pietas qua Deus colitur. itaq; LXX θεοσέβειαν pro timore præclarè uertunt, ut intelligas φοβᾶσθαι θεὸν nihil aliud esse quàm θεοσεβῆν. Cæterùm cum Abrahamus hic dicit, se meruisse ne uxoris causa occideretur, intelligimus etiam sanctissimos uiros affectibus ueteris hominis ut sunt metus, amor, ira, indignatio, non carere, quibus impulsi interdum committere possunt, quibus homines se esse declarant, non angelos. Id autem cum fit, bono ipsorum fit, et eorum quibus cum uersantur. Suo enim metu cum infirmus esset Abrahamus sub spe ad prædicationem roboris & potentiæ diuinæ à Domino, qui infirmis lubẽs adsit, firmior redditus est. Abimelechus autem tentatione illa Abrahami Deum secum colloquentem nactus, ad meliorem uitam per hanc metus Abrahami occasionem reuocatus est. Adeò uerum est quod Apostolus dicit, Omnia cedere in bonum iis qui ex proposito Dei uocati sint ad uitam.*

Filia patris mei.] *Nam nepotes & pronepotes quoq; in liberis numerantur.*

Non matris meæ.] *fratre Harane aliam tenente matrem, quàm Abrahamo. Sunt qui putant Iessam, de qua suprà fit mentio, non fuisse Saram, sed hanc priuignam fuisse Haranis: quo mortuo, Sara in Theræ domum translata, ibiq; educata, uocata sit Tharæ filia. Hæc sententia si uera est, disputationi nullus locus erit de Abrahamo, an potuerit fratris filiam ducere uxorem.*

Postquam aũt eduxit me Deus.] *Ad uerbum: Cum autem errare me facerent dij: ubi plurale uerbum cum multitudinis numero אלהים conuungitur. quod rarius usu uenit. Nostri trinitatem hinc colligunt. nonnulli de angelis sanctorum ministris interpretantur, alij aliter. in uerbo ירעו error peregrinationis, quo iactatus sit Abrahamus, accipitur. Is hic suo exem-*

exemplo nos docet, nobis aliâ patriam, aliud regnũ, aliam hæreditatem quærendam esse quàm terrenam. Is enim quamuis esset hæres totius Cananææ constitutus, tamen non possidens ne unius quidem pedis uestigium in illa, perpetuò in ea errat cũ suis, nusquã uno loco hærens. Qua ex re didicit ipse primò in promissa Cananæa typũ & umbram hæreditatis cerni, in superna cœlestis regni hæreditate rem & ueritatem. Deinde nos discimus ut Chananæa non est possessa à posteris Abrahami, nisi confecto exilio certorum annorum: ita nec uobis hæreditatem cœlestem cessuram priusquam cum sanctis patribus nostrum in hoc mundo exilium perfecerimus. Itaq; omina nobis terrena contemnenda esse, & hac uita, hoc mundo nobis utendum ut nocturno hospitio.

Tulit ergo Abimelech.] Is est fructus patientiæ in tentatione, per quam muneribus Abrahamus ornatur ab eo, quem dissimulato uxoris nomine in periculum adduxerat. Qui suprà uxorem tulerat, iam de suo largitur munera. Hæ sunt mirabiles uices, quas Deus singulari cura, qua suos fouet, dispensat. Per hunc igitur qui nouit suos è malis eripere, omnia uertuntur sanctis in bonum. Rectè igitur Salomon dicit inimicos etiã illi pacari, cuius moribus delectatur Deus. contrarius hic exitus castigationis Abimelechi fuit quàm Sodomæ. Hæc castigata à Lotho, non solum ad meliorem frugem non redijt, sed deterior etiam facta est dum periret: contrà Abimelechus reprehensus, statim ad se redijt, Deo obtemperans.

Terra coram uobis.] Melius compositus est Abimelechus, quàm Pharao, qui suprà dixisse legitur: Ecce uxorem tuam, tolle, & uade.

Mille argenteos.] Paraphrastes סלע יץ דבסף.

Hoc erit tibi in uelamen.] Alij ad argenteos, alij ad Abrahamum referunt. Hunc fore uelamen oculorum Saræ, id est defensurum ac probaturum re, ut accidit, exposita pudicitia uxoris suæ omnibus. In oculis pudor residet, quò locutio spectat: et pudicæ de more uelantur.

Fratri tuo.) quem tu ita appellasti.

Et quocunq; perrexeris, memento te deprehẽsam.) Pro uno uerbo רגבחת quod sonat, Et reprehensa est, Mosæ uerba nonnulli interpretantur esse. Et reprehensa est, ab Abimelecho uidelicet, q̃ se pro soro re, cum uxor esset, uenditasset: & inposterum ut cauereret dissimulare uxoris nomen, sed ingenuè id fateretur, admonitam.

Orãte aũt Abrahamo.] qui esset propheta Dei, de cuius munere paulo suprà: Et precabitur pro te qui Propheta sit. Hæc igitur de uxore Sara tentatio uariũ usum attulit. Nam ex ea sub prouidentia Dei, lætum sortita exitum, Abrahami & Saræ fides confirmata est. Deinde Abimelechus uim diuinam pro Abrahamo laborantem expertus, non mediocres cognitionis Dei opes nactus est. Demũ locus charitatis ab utroq; exercendæ patefactus, dum Abrahamus pro Abimelecho Deũ precatur, et is illũ cum muneribus dimittit.

Sanauit Deus Abimelech.) quem propter Abrahamum percussérat. Psal. Corripuit pro eis reges. Nouo explicat scriptura quo morbo laborarit.

Concluserat Deus omnem uuluam.] Talionis pœna. Vuluam alienam uitiare qui uoluit, suas concludi ne párerent uidit.

Propter Saram uxorem.) cui promiserat Deus quòd non ex Abimelecho, sed ex Abrahamo hoc ipso anno habitura esset filium. Ideo sequitur.

IN CAPVT XXI.

VIsitauit autem Dominus.) Iam erepto ex graui tentatione Abrahamo. Vim uerbi פקד rectè Chaldæus expressit דכיר, id est recordatus est, præstans uidelicet quæ promisisset. Cura & prouidentia diuina in eo uerbo significatur. Tres loci hic tractantur: Vnus, de genito Isaaco: alter de electa ancilla: tertius, de fœdere Abimelechi & Abrahami.

Concepit & peperit.] ui promissionis.

Vocauitq; Isaac.) ut iusserat Dominus: Vocabitq; nomen eius Isaac.

Cũ centũ esset annorũ.) & Sara nonaginta. Hæ temporis notatio facit ad ueritatẽ promissionis diuinæ, & ad fidem Abrahami & Saræ amplificandam.

Risum fecit mihi Deus.) Chaldæus pro risu uertit חדוא. Gaudio me affecit Deus: omnis qui audiuerit, gratulabitur mihi. LXX ut noster, γέλωτα μοὶ ἐποίησε λύγιος. In postrema tamen parte uersus pro צחק habẽt συγχαρῆται, cõgratulationis uerbũ. Nec irridẽdi uerbũ quibusdam displicet, quo significet se laudandam alijs exponi, quæ iam uetula & anus prolem genuerit.

Qui auditurus crederet.) Hebræi sentẽtia: Quis unq̃ dixisset Abrahamo Sarã liberos esse lactaturã, nonagenariã scilicet cẽtenario? Eadẽ admiratio subit animos eorũ qui sterilẽ illã pariturã audiũt liberos promissionis, de qua propheta Iesaias: Gaude sterilis, quæ non paris. De quo gaudio ut admirabile, sit et uix credibile illud ex eodẽ propheta citat Apostolus: Quis credet auditui nostro, hoc est Euãgelio læto nuncio de generãdis liberis Dei, è spiritu nouo ex ecclesia tãdiu sterili habita in mundo. Intueamur præsentia secula. Sed admiranda gratulatio præcipuè de ea sobole excitatur, de qua infrà: In semine tuo benedicentur omnes gẽtes. Hoc aũt semen Messias benedictus est.

Creuit ergo puer & ablactatus est.) Sunt et sui auctus ac incrementa ætatis, sua item ablactatio filijs promissionis, quos cœlestis Sara, quæ sanctorum Ecclesia est, parit. Porrò si incrementa spectes, legimus in Apostolo: Donec perueniamus omnes in mensuram ætatis plenæ adultæ Christi. Sin lactis alimoniam, nec hæc deest. ut idem: Lactis potu uos alui. Cernitur itẽ sua ablactatio, sed nouæ & spirituali soboli congruens, de qua Propheta: Quem nam intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, & auulsos ab uberibus. Cuius auditus participes nõ sunt, qui adhuc lacte aluntur, solidũ cibum nõ ferentes. de quibus Apostolus: Lactis potu uos alui, non cibo: nondum enim poteratis.

Fecitq; Abraham grãde conuiuium.] Suæ familiæ, quam satis amplam habuit, ad id Lothum, Semũ, Abime-

Abimelechum si quis dicat inuitatos, uerisimile fortasse dixerit, sed quæ ex hac narratione pro certis affirmari nequeant. Omnino probabile est celebre fuisse conuiuium, & ad declarandam lætitiam, lautum factum. Quod si quis quærat, cur nõ potius iam nato Isaaco aut circunciso conuiuium Abrahamus celebrarit, rationem eius rei curiosius exquirere extra sacræ historiæ fidem, cõsultum esse minimè uidetur. Iniam edito infante & matre Sara infirmitas, et in circunciſione dolor cernebatur, in ablactato autẽ robur. Hoc igitur ablactati pueri tẽpus fortasse satis appositũ ad hilaritatem significandam per conuiuiũ usum est Abrahamo. Locus is admonet, primò etiã à sanctis cõuiua agitata: deinde tristiciã inuisam esse Deo, illo præsertim tempore quo beneficia illius celebranda sint, & gratiæ agendæ. Nam mœsticia affecti animi neq; ad prædicandas laudes Dei, neq; ad gratias agendas apti sunt. Hinc illud Mosæ: Epulamini coram Deo uestro. Et in sacrificijs libatio ex uino, qua exhilararẽtur mœsta pectora, solita fuit adhiberi. Dicas cor contritũ & mœrens ꝓbari Deo, ut est apud uatẽ: Cor cõtritũ nõ despicies. oblectatur quidẽ Deus suorũ depressis & lugẽtibus animis: sed quatenus eorũ luctus uiam ad læticiã & hilaritatẽ præparat. scriptũ est enim: Beati lugentes, quoniã hi consolationẽ accipiẽt. Hilaritate autem quam oleum læticiæ Messiæ affert. per se delectatur. Hic ablactato Isaaco celebratur festiuũ & hilare conuiuiũ. Quãto hilarius cõuiuiũ paratur cœlesti familiæ Abrahami in regno Dei ablactato Messia, hoc est cruciis eius cursu peracto, de quo ipse apud euangelistam: Dico uobis, nõ bibã posthac ex hoc fructu uitis usq; in diẽ illũ, cum bibam uobiscũ nouũ in regno patris mei.

Ludentem.] Attexit de suo interpres, imitatus Septuagina cum Isaac filio, ad absoluẽdam sententiam. מצחק, id est derisorẽ fuisse Ismaelẽ cõqueritur Sara, qua Isaacũ deluserit ac derisерit. Apostolus mysticã rationem explicat in Epistola ad Galatas: Nos autem fratres secundũ Isaac, promissionis filij sumus. Sed quẽadmodum tunc is qui secundũ carnem natus erat, persequebatur eum qui natus erat secundũ spiritũ, ita & nunc. Apparet ex ipsa narratione contentionem inter Isaacum & Ismaelem subnatam fuisse de hæreditate, uter ipsorũ hæreditate paterna quã adiret dignior esset: ibiq; Ismaelẽ prærogatiua primogenituræ fretũ, præse Isaacũ contẽptui habuisse quæ sententia cõfirmatur uerbis Saræ, cum dicit Abrahamo: Eijce ancillã istam & filium eius: nõ enim erit hæres ancillæ filius, &c. Duplex igitur genus filiorũ adumbratur: alterũ, eorum qui legem perficere tentant, naturæ facultate, non spiritu promissionis fidei Iesu Christi freti. Tales sunt q sua iusticia, sua sanctimonia inflati. deridẽt oes qui hoc instituto nõ sunt: & quia corde impuro sunt, legi diuinæ nequaquam satisfacitẽtes, quæ cor mundũ, amorẽ nimirũ quo Deũ supra omnia et alterũ ut nos diligamus, requirit, sub lege sunt, id est sub dãnatione legis serui, & cum Ismaele ex Hagare ancilla peccati & mortis mancipia. Alterũ aũt genus eorũ habetur, qui suo præsidio & omni humana ope diffisi, intelligunt se per uim naturæ præstare legẽ nõ posse, quòd sub peccatũ ad ius mortis uenundatos se sciũt, atq; ita uno Christo nituntur per fidem, qui ipsorum iusticia, salus & redemptio sit, hi à iure, id est dãnatione legis liberi cũ sint, & sub gratia per Christi fidẽ continẽtur, liberæ cũ Isaaco filij reputantur: et hæredes scripti in domo manent, Ismaele derisore expulso, ut sequitur.

Eijce ancillam & filium.] Muliebris impotentiæ in speciem uerbum, sed propheticè quãuis ab insciẽte dictum, quo ad res magnas significandas usa est prouidentia Dei, cum uidelicet populũ, qui legis seruili & degenere spiritu regitur, hæreditatem cœlestis regni non cernere. Contemptus in pronomine זאת ostenditur, quæ non dignata sit suo nomine appellare Hagarem. Cæterùm in imperatiuo uerbo Eijce, non significatur imperium quo Sara uoluerit imperare Abrahamo, sed potius reuerentia eius in illũ quæ noluerit ancillã eijcere, illo nõ cõsulto et appellato. Sancta igitur prudens mulier, quæ cum se subditã uiro intelligeret ciuili imperio, suum dominatũ in ancillam superbam & in arrogantem eius prolem declarare uoluit, non neglecto eo iure quod semel præscripserat Dominus: Tibiq; ipse imperabit.

Cum filio meo Isaac.) ut ex libera, non ancilla nato. igitur Apostolus: Itaq;, fratres, nõ sumus ancillæ filij, sed liberæ.

Durè accepit hoc Abraham.] humana quadã erga filiũ affectione tactus. Sãcti enim uiri qui quoniã sine nati nõ sunt, tenerũ quiddam atq; molle quod suis motib. moueatur, cum cæteris hominib. seniũt. Quid enim interest, motu animi sublato, nõ dico inter pecudem et hominẽ, sed inter hominẽ et saxũ & truncũ et quiduis generis eiusdem? Hebraismũ rectè interpres: Acerba igitur uisa fuit hæc res Abrahamo qui nondum neq; ꝓphetiã hanc neq; mysticã rationẽ intelligeret, ut multa etiam uiros prophetas ad tẽpus latent, quæ deinde spiritu monitore doceantur, ut sequitur:

Omnia quæ dixerit tibi.] ex mea sententia.

Sara.] domina ancillæ. Stat diuina sententia à Sara.

Audi uocem eius.] non ancillæ Hagaris.

Quia in Isaac.] nõ in Ismaele. Ratio obediẽdi Saræ

Vocabitur tibi semen.] Isaacus soboles tua erit, quæ hæreditatem cernat, non Ismael. Vocandi uerbum pro erit ac constituetur. Citat locum hunc Apostolus in Epistola ad Romanos.

Sed & filium ancillæ.) Consolatur Abrahamum.

Siquidem semen tuum est.) Ratio benedictionis. Ex eodem patre Abrahamo & Ismael & Isaacus nascuntur. Mysticam rationem explicat Apostolus in epistola ad Galatas. pensitato duplici in Ecclesia statu, altero, quem in puerili ætate sub tutoria legis potestate: altero, quem sub spiritu Euangelij exempto iure tutorio tenet, res clara erit.

Surrexit igitur.) Exemplum obedientiæ in Abrahamo, Dei uerbo non suæ perturbationi obtẽperanꝛ.

Scapulæ eius.) ancillæ Hagaris.

Et dimisit eum.] *Itaq; nõ redituru in domũ Abrahami.* Huiusmodi sonat רישלחהר. *Quanta molestia & quàm grauiter Abrahamus dimiserit filium Ismaelem, cum panibus & aquæ lagena, facilè licet intelligere ex amore quo Ismaelem filium ut primogenitum prosequutus est. Sed in sancto uiro uerbum Dei & fides quam illi habuit, hos omnes in uetere homine affectus uicit. Quæ uictoria nobis ad imitandum in sacra hac narratione proponitur. Itaq; non fuit inhumanitatis, quòd sic dimisit ancillam: sed obedientiæ diuinæ, in qua una uerum humanitatis & clementiæ ius cernitur. Expenduntur hic ad commendandam obedientiam Abrahami, exterminatio filij & imbecillis ancillæ è domo in desertum, in quo omnium rerum penuria erat, in quo ferè grassabantur, homines humanitatis cultu uacui uiuebant. Quid igitur aliud supererat sancto uiro, quàm precatio & spes sub fide promissionis: Faciam & ancillæ filium in gentem magnam? Bifariàm hic tentatus est Abrahamus. prima tentatio fidei est, qua cum hac promissione luctabatur: Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam. altera charitatis erat, num deserendus esset tam duriter filius Ismael cum matre Hagare. At utraq; tentatione uicta, uerbo Dei potius obtemperasse legitur, quàm naturali affectioni.*

Errabat in solitudine.] *Qui legis & gratiæ uim tenent, intelligunt hunc mysticum errorem in solitudine.*

Beersebа.] *Vsurpatur nomen fontis κατὰ πρόληψιν, id est per anticipationem, quod postea inditũ fuit. Septuaginta etymo exposito, τὸ φρέαρ τοῦ ὅρκου.*

Cumq; consumpta esset aqua in utre.] *Consumitur aqua Ismaeli, contrà autem nõ deficit ijs de quibus Domunus in Ioanne: Quisquis autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitierit in æternum. Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons salientis aquæ in uitam æternam. At tales non sunt Hagaris, sed liberæ filij.*

Abiecit puerum.] *desperans de eius salute.*

Non uidebo morientem puerum.] *de itinere fessum, & siti miserè confectum. Suprà enim: Errabat in solitudine. Tragicus is casus fuit uidisse filium priuatum patre, hæreditate, & in deserto errantem temere, carentẽ uictu, & quod maximè miserabile fuit, illum sub quendam fruticem abiectum relinquere morti destinatum.*

Leuauit uocem suã.] *deprecans pro salute pueri.*

Et fleuit.) *Hagar flet. Contrà supra de Sara: Risum excitauit mihi Deus. Tu accommodes ad res adumbratas.*

Exaudiuit autem Deus.] *Locus præclarus, tum maximè adesse Dominum, cum omne humanum præsidium deest. Multa hic Dominum ut exaudiret puerum, monere potuerunt, pueri nati ex Abrahamo miseries, ancillæ pro conditione uitæ & sexu imbecillis & errabundæ in deserto fletus & preces, rerum ad uictum necessariarum penuria, & præcipiè ipsa promissio: Sed & ancillæ filium faciam in gentem magnam. Deniq; ut cognoscceretur ratio pædagogiæ legalis hic adumbratæ, in qua lex suos misere excruciatos lassidudine, siti, fame, ad Christum dirigit, qui hac uoce, quæ Euangelij uox est, Noli timere, illos ipsos cõsoletur, è quo fons aquarum uitæ scaturit, quibus siti affecti animi refocillentur. Quocirca Apostolus: Itaque lex pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide iustificaremur. Finis igitur electionis in desertum, & afflictionis per sitim, famem, errores, non erat ut perderetur ancilla cum Ismaele, sed ut cõsolationem tam miserè afflicti ac perturbati tandem acciperent. Sic Deus non occidit ut occidat, sed ut uiuificet: non uulnerat ut uulneret, sed ut uulnera sanet: & in infernum detrudit, ut in inferno enecet, sed ut in cœlum efferat. Contrario modo compositus est satan.*

Quid agis Agar.] *Non est ignorantis interrogatio, sed captantis occasionem ad consolandum.*

Et tene manum illius.] *Iam labãtis præ siti et lassitudine. apprehendere igitur manu, est curam gerere, gubernare, regere, consolari.*

Aperuitq; oculos eius.] *Quæ antea uicinum fontem ab Abrahamo effossum uidere non potuit, iam uidet Deo per angelum indicante. Vbi & bonitas Dei sollicitti pro salute suorum commendatur, & angelorum, quos Deus mittit ad expediendam salutem, promptum ministerium agnoscitur. Bipartitus est oculus, alter corporalis, alter spiritualis: in utroq; tria considerantur, lux, apertio, & res quæ sub aspectum cadunt. Legimus hic apertos fuisse oculos Hagaris, ut uideret fontem: non deerat lux solis per quam uideretur fons: neq; aberat fons qui posset conspici, erat enim uicinus: sed clausi oculi erant præ cõturbatione ac stupore animi, ut fontem propinquum non uideret. idem usuuenire solet animi oculis, hi nisi lux quæ Christus est luceat, & res præsto sint salutares: atq; spiritus sacer adsit, qui aperiat aciem mentis ad uidendam salutem in tenebris nobis offusis manemus. Exemplo hic Hagar est, & omnes quibus dum sunt cum Hagare oppressi calamitatibus per spiritum cœlestem fons aquas uitales fundens non fuerit monstratus.*

Et fuit Deus cum eo.] *per benedictionem aptam ad adumbrandã benedictionem, qua puerilis ætas quæ legis subdita est pædagogiæ, ornatur. Paraphrastes, ubi Deus ponitur, commoda paraphrasi interpretatur uerbum Dei. ut significet Deum per uerbum suum consolari, benefacere, adesse suis. Hoc autem uerbum Christus est, quo Deus omnia efficit.*

Et moratus est in solitudine.] *Arabum. Locus notatur aptus Ismaeli ex ancilla nato. Euoluendus typus.*

Iuuenis sagittarius.) רבה קשת, *id est peritus sagittandi. Genus uitæ explicatur congruens solitudini, ferarum uenationi opportunæ. Arabes arcubus uti & esse bellicosos, literis proditum est.*

Et accepit illi mater.] *In cuius iure filius erat, qui à patre Abrahamo dimissus atq; ablegatus fuerat.*

Cæterum

Cæterùm solitudo Pharan uicina erat Gerari & Bersabæ, nec remota à tribu Iudæa, atq; ita non longè à domo Abrahami, & à Cananæa exulem egit. Mysterium explicat Apostolus. Nam Hagar, mons est in Arabia. confinis autem est ei quæ nunc uocatur Hierusalem.

De terra Aegypti.) de sua gente & stirpe. Vt Abrahamus de sua gente Isaaco infrà uxorem procurasse legitur.

Dixit Abimelech.] Tertius locus de fœdere Abimelechi & Abrahami.

Deus tecum est.) qui in aliena terra tam clementer te fouet, qui hostes reges in manus tuas dedit, qui fame te liberauit, qui Saræ toties tentatà pudicitiam uindicauit, qui prole contra spem naturæ te auxit, qui te peregrinum tot opibus ornauit.

Iura ergo.] Prophanus rex fœdere iungi cum Abrahamo postulat, cum incircuncisus esset. Præluditur uocationi gentium inserendarum in fœdus Abrahami. ut cognoscatur in Isaaco nõ carnale semen, nõ externam circuncisionem, sed spiritualem spectari.

Ne noceas mihi.] qui possis nocere. præcessit enim: Deus tecũ est. Maximè porrò timemus nobis ab ijs qui nos lædere possunt. Formula iuramenti Heb. ita habet: Si mẽtieris, ac malo dolo mecũ egeris. Hæc iurisiurandi forma cõditionẽ proponit, consequutione non expressa. Alicubi tamen generatim effertur: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat. שקר mentiri, pro malo dolo agere & iniurijs afficere.

Iuxta misericordiam.) Ab æquo.

Aduena.) à personæ conditione.

Ego iurabo.) Exẽplũ iurisiurãdi in sancto uiro.

Et increpauit Abimelech.) ipsum Abimelechum Abrahamus, occasione sumpta ab eo quod dixit Abimelechus: Ne noceas mihi.

Propter puteum quem ui abstulerant serui eius.) per inuidiam ut apparet, qui aduenæ Abrahamo res secundas & beneuolentiam regis sui Abimelechi, ut fit, inuidebant.

Nescio quis fecerit.) Purgatio Abimelechi ab ignorantia.

Vt sint mihi in testimoniũ.) Septem agni sumuntur in testimonium & iusiurandum. quod septenario fieri indicat uox Hebræa שבע quæ & iuramentum & septem significat. Septenarius autem numerus quietis numerus est, iuramentis, quibus omnis controuersia componitur, & pax sancitur, congruit. de qua re uideris apud Apostolum in Epistola ad Hebræos. Puteus igitur iste puteus Seba propter iuramentũ & septem agnas appellatus uidetur. Ciuiliter egit Abrahamus cum Abimelecho, quod ipse regi non prior iusiurandum detulerit, qui nosset quanto in honore præsertim à peregrinis haberi deberent reges & principes uiri. Bonus quoq; uir Abimelechus rex fuisse uidetur, qui tam humaniter egerit cum Abrahamo, ut appareat non temerè illum uocatũ אבימלך quod sonat patrẽ regẽ, qui patriæ seruator habitus esset, ut ipsum nomen admoneat reges quales esse debeant.

Quoniam ego fodi puteum istum.] Fons aquarum uitæ æternæ aperitur per fidem gentibus per patrem credentium Abrahamum. quas aquas prophetæ explicant, & Christus apud Ioannem.

Idcirco uocatus est ille locus.) Exponitur etymum Beersebæ.

Pro puteo iuramenti.] Hebræus, apud Beersabẽ. Non caret mystica nota, fœdus apud fontem ab Abrahamo effossum initum esse. Aquæ enim fœderis sancti spiritus & legis Sionis significantur, quibus gentes cum Abrahamo iunguntur. de quibus propheta: Quia de Sion exibit lex, & fluent ad eum omnes gentes. Et fons adumbratur de quo propheta: Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.

Plantauit nemus.) אשל arbores omnis generis notat. Vir sanctus & domesticam & ecclesiasticam curam gessit, dum arbores in usum alendæ familiæ & pecorum conserit, & aram extruit ad quam Dei laudes celebret & eius nomen inuocet.

Dei æterni.) עולם & mundum & seculum significat. Indicat igitur Moses ab Abrahamo prædicatum Deum, in cuius potestate mundus & omnia quæ mundo continentur, eorumq; potestas, uis & omnia secula & tempora consistant.

IN CAPVT XXII.

TEntauit Deus.) explorãs noua afflictione Abrahami fidem, quod est à Deo tentari. Insignis tẽtatio hic describitur. Nõ satis erat, quòd ex domo parentum eductus in terra aliena uarijs erroribus circumduceretur, Saræ pudicitia toties tentaretur, Ismael primogenitus in solitudine erraret, nisi accideret noua, eaq; maxima & sine exemplo tentatio. Iubetur filium mactare & eum unigenam, cum alios ex Saræ non haberet: ad hæc talem, quem promiserat Dominus hæredem fore & numerosæ sobolis parentem. quæ sanè promissio cum pugnaret cum immolando filio, non poterat non uocari in dubiũ ueritas diuina, nisi qua erat peritia fidei & exercitatione, cognouisset quomodo hac in palæstra ac lucta se gerere deberet. Voluit igitur Abrahamus animo quæ primò pollicitus fuerat Deus de augenda ex Isaaco sobole, persuasus illũ qui uerax esset, ijs quæ semel promisisset, staturũ: & reliqua eum exitum habitura, quæ & promissionem semel factam stabilirent, & suam fidem toties probatam noua acceßione roboris corroborarent. His auctibus & incrementis grandescit fides sanctorum.

Adsum.] Prompti animi uox.

Tolle filium tuum.] non alienum. Tragica commiseratione & terrore omnia plena hic sunt. Magis cõmouent nostra quàm aliena, ut magis dilecta. cum propè nonagenariæ Saræ promissio prolis habenda fœta sit, & ea iam centũ uiginti quinq; annos nata, mortua narretur, fide historiæ alij Isaacum ad sacrificium postulatũ uiginti annos, alij uigintiquinq;, ut Iosephus: alij triginta sex, ut nonnulli Hebræi natum fuisse tradunt: alij quindecim.

Vnigenitum.) ex te centenario et ex Sara sterili, atq; ita uicè, cũ plures deessent, amatũ, ut sequitur:

Quem

Quem diligis.[*ut tuum & unigenam, & tanto miraculo tibi natum.*

Et uade in terram uisionis.]מוריה, *id est Moria. interpres noster deriuat uocē à* ראה, *quod est cernere. Quò spectantes Græc.* γῆν ὑψηλὴν, *id est terrā editam uertunt, quæ longè uideri posset. Chaldæus:* מרלחנא, *id est in terram cultus Dei tui.* מוריה *idem quod metus ac religio est, quòd in eo loco posteri Abrahami Deum culturi essent, extructo templo. Vt legimus in Paralipomenis: Et ædificauit Salomon templum in monte Moria. In eo igitur loco parata est uictima, in quo Christus filius unigena charus patri pro peccatis mundi extremis temporibus immolari & benedictio in omnes gentes dimanare debuit. De qua propheta: De Sion exibit lex, & uerbum Domini de Hierusalem. Veteres interpretes in eo consentiunt, locum hunc Abrahamo monstratum, in quo Adamus, Abel, Sethus, Noa, Deo sacrificarint: & eum appellatum Moriam, etiam posteris temporibus, ut suis annotabitur locis. Atq; hoc monte Hierosolyma sacra urbs insignis fuit. Non parum sapienter alij hunc montem à metu quo Deus ibi cultus sit, alij ab* מוראה, *hoc est doctrina salutari quæ ex eo Israeli is & gentibus diuulganda erat, appellatum Moriam uolunt.* יראה *enim docere est. Hinc* מוריה *uox ducta legem & doctrinam significans.*

Super unum montiū.]*Quia Moria est non ualde editus mons, area Aranæ nobilis.*

Ligna.]*è luco quem in Beersceba conseuerat.*

In holocaustum.]*totus cremandus igni. de quo infrà:* Ipse uerò portauit in manibus ignem.

Igitur Abraham de nocte.]*Obedientiæ fidei in Abrahamo exemplū. nihil cunctatus, Dei mandatum bene manè exequitur. Non disceptat secum de uerbo Domini, causam præcepti non exquirit, naturæ legem contrariam minimè causatur, qui putaret Deum supra naturam esse: neq; plorasse de filio, neq; murmurasse legitur. Tanta abnegationis sui uirtus in sancto uiro eluxit, quæ nobis ad imitandum proposita est: sed ita, ut eam præeunte uerbo Dei, nō nostro consilio & perniciosa superstitione exprimamus. Multi exemplū Abrahami in immolandis liberis sequi tentarunt, ut testatur cultus Moloch: sed quia uerbo Dei duce caruerunt, praua per execrabilem superstitionem fuit imitatio. Nam in imitatione non persona & facta ipsa pensitanda sunt, sed uerbum Dei et fides personæ, qua impulsus quis quippiā fecerit. Profanarū gentiū exēpla de immolatis liberis ex historijs & poetis prætereo.*

Die autem tertio.]*ex quo exijt de Beersaba. Etiam hæc procrastinatio dolorem auxit, pueri morte tamdiu obuersante ob oculos. Ad exercendam igitur fidem Abrahami in secandis lignis & eis imponendis asino, in cingendo asino & adornandis operis tracta mora ualuit. Die tertio legitur hic Abrahamus uidisse locum de quo dixerat ei Deus, qui spiritualis cognitionis dies est, qua apertis oculis uidit ea quæ diuina erant, apertis inquam oculis ab agno Messia qui hic ab ariete adumbratus, ad Moriam crucifixus, tertio die resurrexit.*

Postquam adorauerimus.)*sacrificio peracto. Quod dicit, se cum puero reuersurum, id diuino instinctu factum fuit, quòd eo placuit significare quid futurum esset, etiam non animaduertente Abrahamo.*

Ignem.]*Quia holocaustum parandum erat.*

Super Isaac filium suum.]*Horrendum spectaculum & luctuosum. Tragica sunt quæ in hac historia narrantur.*

Cumq; duo pergerent.]*amotis arbitris. quæ solitudo acerbitate non caruit. Nemo aderat qui consolaretur patrē: filius nesciebat se occidendū, aderat pater qui filiū diligeret: aderat filius qui diligeretur, & parentem diligeret. quo igitur animo uterque fuerit, tu expende.*

Pater mi.]*Blanda hæc appellatio ut pupugerit animum sancti patris, satis perspectum ijs quibus chari liberi in periculo sunt.*

Cumq; alligasset Isaac.]*obediētiæ filij. De Christo cœlesti Isaaco legimus in propheta: Non aperuit os suum. Et is de sua uoluntaria oblatione: Ego animam meam pono pro ouibus meis.*

Et ecce angelus Domini.]*Alter locus de lætotentationis exitu, quem Abrahamus sortitus est spe cōtra spem, confidens fore ut promissio quam semel acceperat de Isaaco, impleretur: Et cōstituam pactū meum illi in fœdus sempiternū, & semini eius post eum: neq; hac spe, cū Dei promissio irrita fieri nequiret, falsus, ut mox liquebit, fuit. Diximus spe cōtra spem credidisse Deo. Nā promissio erat: In Isaaco uocabitur semen tuū. quā aut irritā fore ratio humana cōcludebat: aut si rata foret promissio diuina, non fore ut mandatum hoc impleretur. Quid ergo hic cogitasse Abrahamum putabimus? Ratione humana posthabita, oculos mentis per fidem in Deum coniecit, qui non falleret, & pro potentia præstare promissum posset. Ex morte igitur filij uitam filij sperauit, cogitās Deum immolatū filiū uitæ restituturum, qui mundum hunc ex nihilo creasset, & uocaret ea quæ non sunt ut sint, qualem potentiā nuper in emortuo Saræ uxoris utero declarasset. In hac igitur lucta tria didicit: unum, naturam & rationem humanam ea quæ Dei sunt capere non posse, ut apostolus dicit, animalē hominem ea quæ ad Deum pertinent, minimè comprehendere: alterum, fide, quæ lux de Dei luce in sanctorum animis accensa sit, omnia penetrari & uinci posse: tertium, etiam mortuis Deum uitam dare posse, & daturum. qui est non postremus fidei sanctorum articulus, quem hic proculdubiè persuasum habuit Abrahamus. Huc pertinet quod Apostolus in Epistola ad Hebræos de Abrahamo dicit: Per fidem obtulit Abraham Isaac cum tentaretur, & unigenam obtulit in quo promissiones acceperat, ad quem dictum fuerat: In Isaac uocabitur tibi semen, cum illud secum perpendisset Deum uel à mortuis excitare posse, unde illum etiā resurrectionis typo reduxit. Hæc igitur uictoria Abrahami & Isaaci, omnium sanctorum est uictoria, qua mortem & potestatē mortis uincunt per fidem.*

Abraham, Abraham.]*Duplicatio nominis festinantis angeli est.*

Non

Non extendas manum tuam.] Duo hic docemur. unum est, tentationis Abrahami fructus, qui promissioni diuinæ credens, filium integrum qui iam morti destinatus fuerat recepit, cũ fideret Deo in summo discrimine, qui fallere nõ posset. Alterũ, typus resurrectionis est Christi Iesu qui filius unigena patris Dei factus uictima, cũ morte absorberi nõ posset, uitæ redditus, regnũ suũ longè lateq; propagauit, ut hic Isaacus morti deputatus, indeq; patri Abrahamo saluus restitutus, promissi generis amplitudinem auxit.

Non cognoui.) Testimonium meum diuini dante ipsa obedientia ידע igitur experiri est, & ipso usu accre cognoscere. Perinde est ac si diceret: Tu declaras fide & obedientia, uerè me à te coli. Humano igitur more accommodato ad captum nostrum, loquitur in hac narratione spiritus diuinus, ut & in alijs multis locis.

Quòd timeas.] colas me fide mihi obtemperans: qui opes, uxorem, liberos & uitam tuam uoluptati meo posthabeas. Exponitur hic fructus tẽtationis sanctorũ, qui bipartitus est: unus, auctus fidei & ueneration is Dei: alter significatio fidei & charitatis, quam fides non minus secum coniunctam habet, quàm lux calorem, quã significationẽ de nobis tentati per abnegationem nostri damus. Aliter igitur satanas nos tentat, aliter Deus. Is quidẽ ut augeat nostrã fidem, & experiatur quomodo diligatur à nobis, ueluti legimus in Deuteronomio: Quia tentat nos Dominus Deus uester, ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non. Ille uerò tentat ut peccato implicet ac perdat in nobis timorem & fidem Dei, & calamitatem calamitatibus accumulet, ut semel impulsi toti corruamus, ut meritò appelletur apud Iobum Satan לריחם ab addendo, qui cladem cladibus ad perdendum addat. De quo Apostolus: Ne fortè tentauerit nos is qui tentat. Hoc modo Deus neminem tentat.

Arietem.] Quid hic oportet disputare, ánne repertus sit ibi aries, uel allatus alicunde per angelum, uel creatus à Deo, uel qui creatus cum esset sex o die, conseruatus sit ad hoc sacrificium? Nos hic legimus arietem pro Isaaco suppositũ. Is est lætus exitus tentationis eorum qui Deo credunt, tum etiam cum omnia contraria semel factæ promissioni apparent quibus in morte uitam, in tenebris lucem sperantibus euenium. quæ minimè in tentatione expectabantur. De quo etiam uates ille Tragicus:

πολλὰ δ' ἀέλπτως λεφάνησι θεὸς,
καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη.
τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρεν θεός.

Inter uepres hærentem.] Sed quæ est illa perplexio uepretũ? Esaias eam explicat: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et idem de cornibus: Ideo dispartiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia. In cornib. regia potestas notatur. Psal. Cornu eius exaltabitur in gloria. Item Apocalypsis: Et in medio seniorum agnus stans tanquam occisus habens cornua septem & oculos septem, qui sunt septem spiritus missi in omnem terram. His regij spiritus cornibus per uepres huius mundi, peccati, mortis, potestatis tenebrarum eluctatur noster aries.

Dominus uidebit.] Prouisurus de hoc loco suis exhibito agno uitæ ad lustrãda peccata mũdi, de quo propheta, Sicut ouis ad occisionẽ ducetur. & Ioannes: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Vnde usq; hodie dicitur.] Iactari uulgo, Dominum apparere populo suo placatum in monte Moria. Si legalem expiationem spectes, Hierosolyma electa fuit, in qua Deus se propitiari suis placatione pædagogiæ puerilis declaret: sin eam lustrationem, quæ in nouo fœdere cernitur, & adultiori ætati conuenit, legimus de Christo quomodo Hierosolymæ immolari deberit, ad salutem parandam orbi terrarum. de quæ propheta: De Zion exibit lex. Lex uidelicet Euangelij, quod est hic sicut & hodie dicitur: in monte uidelicet Zion qui Moria est, Dominum apparere, uelut Septuaginta, ὤφθη, apparuit. Futura enim Hebræis modò præsentibus, sed quæ morem siue consuetudinem innuant, modò pro præteritis usurpantur.

Per memetipsum iurauí.] Per se iurat, qua maiorem testem ignoret, ut ad Hebræos scribit Apostolus. Primò igitur nos intelligimus, hic per Deum, non per angelos, sanctos cœlum, terram, aut per ullam creaturam iurandum esse, quòd Deus solum ueritas sit, quæ mentiri nequeat: deinde certam fore Abrahami & sanctæ sobolis eius salutem, quam nimirum Deus confirmet iureiurando, cuius fides fallere non possit, & cuius potentia præstare queat quæ promiserit. Hebræi igitur dicunt hic: דרתיא חשבוע חגרולה חמיערת לער Et hoc solenne iuramentum solet interponi, cum Christi seruatoris negocium agitur, ut hoc loco agitur, cũ dicitur, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Itaq; uates in Psal. Iurauit Dominus, Tu es sacerdos in æternum benedictione spiritus sacri seruans tuos electos quorũ multitudo hic arenæ maris & stellis cœli comparatur. item iurauit Dominus Dauid ueritatem, se per Messiã uidelicet ex Lade nascendum seruaturũ mundũ misere collapsum.

Quia feciſti iſtam rem.] præeunte fide. Locus de dignitate fructuum obedientiæ fidei. Sunt qui יען deducunt ab ענה, id est, respondit, hac sententia. Facinus istud tuum præclarum respondebit, hoc est testabitur, in quo loco sis apud me.

Vnigenito.) Septuaginta, ἀγαπητοῦ pro ὁμογενῶς. Quod est apud Græcos non insolens.

Benedicam tibi.] ornabo te meis opibus, quæ pro ueteris & noui fœderis discrimine uariè accipiuntur.

Possidebit semen tuũ.] Promissio uictoriæ aduersus hostes. In ueteri fœdere aduersus Aegyptios, Chananæos, Syros, Palæstinos, Amalechitas, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, sub ducib. Mose, Iosua, iudicibus, regibus, in nouo aduersus peccatum, mortem, infernũ potestates tenebrarũ uictoria cernitur sub duce Messia.

Portas.] potentiam hostium. Portas olim rerum tractandarũ authoritas et iudicia occupabãt. Huc spectat illud Christi, Et portæ inferorum non præualebunt aduersus ecclesiam meam.

Et benedicentur.] ויתברכו, id est, benedicent se in semine tuo omnes gentes, hoc est fatebũtur se nõ sua ui, iusticia, uita, sed aliena, hoc est Christi ui, iusticia & uita benedici: hoc est, augeri, & locupletari. Qua confessione se ex uetere genitura quam ex primo Adamo habent, maledictioni peccati & mortis obnoxios esse, agnoscent, & ex noua noui Adami benedictionem iusticiæ & uitæ nanciscí, solam omnis expediendæ salutis dignitatem tribuentes ei, de quo sequitur.

In semine tuo.] Christo Iesu ex te nascendo, Adamo illo à conceptu è spiritu sancto, & partu ex uirgine cœlesti. Sed quàm latè pateat benedictio per hoc semen mundo præstanda, ex eo quod sequitur liquet.

Omnes gentes.) Locus de amplitudine sobolis Abrahamo promissæ, & in eius semine Christo benedicendæ. Ex hoc uaticinio tanquam ex perenni fonte omnes prophetæ oracula sua de Messia & uocatione gentium ad salutem, hauserunt. Proinde hoc oraculũ de beandis gentibus accuratè est expendendum, in quo quæ & qualis sit benedictio, & quot eius partes sint, & quis ille sit, per quem nobis constet ea benedictio, et quis eius usus cernatur, considerandũ fuerit. Benedictio non terrena erit, sed spiritualis et cœlestis. Benedictio in quam iusticiæ, uitæ æternæ & eorum bonorum, quæ in cœlis continentur: benedictio uidelicet condonatorum delictorum, & tributæ iusticiæ per fidem, quam peccato primi Adami amiseramus. Benedictio item benefactorũ, quæ iusti iam redditi per spiritum huius sacro sancti seminis, in hac peregrinatione & exilio cum Abrahamo obedientes Deo edunt, ad nomen eius amplificandũ, & ad possidendũ regnum cœlorum, qui est finis huius benedictionis & seminis, in quo benedicimur. Itaq; cum hic legimus, in semine promisso nos benedici, tria confitemur: unum est, nos ex primo homine maledictioni obnoxios esse: alterum, omnia diuinæ misericordiæ debere tribui, quæ ad salutem parandam pertinent. Vbi enim promissio est, gratia, nõ meritum locum inuenerit. Tertium, nullum nomen esse, neq; in cœlo inter angelos, neq; in terra inter homines, quàm Christum Iesum, in quo possumus benedici, id est iusticiæ & uitæ opibus augeri. Hic corruunt legis, operum legis, naturæ & omnium humanorum meritorum nomina, & uires, & unum promissum Abrahamo semen manet, in quo abolita iniusticia iusticiam, deleta morte uitam, euerso inferno apertos cœlos inueniamus. In hac igitur promissione, uniuersa doctrina Euãgelij de donatione spiritus, de cõstituẽda ecclesia, de resurrectione ex mortuis, de remissione peccatorũ cõtinetur. Quod si quis quærat quãdo promissio hæc de benedictione qua omnes gẽtes in Messia benedicendæ sint, impleta sit, in primone aduentu quo in carne repræsentatus & è mortuis excitatus ad uitam, terrarũ orbi per Apostolos innotuit, hoc dici nõ potest, tum enim quibus gentibus patefactus sit, & functis Apostolis suo munere, ut filius ille perditus in templo Dei sedere cœperit, superiora secula satis clarè indicãt. Itaq; quomodo & quãdo futurũ sit, ut hoc oraculum cum alijs uaticinijs ante alterum aduentum Christi impleatur facta restitutione in sacris literis promissa, suo tempore patefaciet Dominus in hoc semine hic promisso benedicendis.

Quia obedijsti uoci meæ.] Repetit causam præstandæ promissionis. Duo hic ad discendum nobis proposita sunt: unum, quod fidem, charitatem iusticiam obedientiæ ex fide natam, afflictionem, abnegationem nostri præcedat promissio fauoris ac gratiæ diuinæ, cui omnis salutis gloria sit tribuenda: alterũ, non præstari promissa munera sine fide promissionis, sine tentatione per afflictionẽ, sine obedientia ex fide nata sanctisq; studijs fidem per dilectionem Dei agentem in nobis se declarantibus. Suprà enim cum adhuc tentatus non esset Abrahamus, legimus: Egredere de terra tua, faciam te in magnam gentem, & benedicam tibi, atq; in te benedicentur uniuersæ familiæ terræ. Sed non prius huic promissa benedictio præstatur, quàm credat sanctus pater promittenti, quàm affligatur uariè tentatus, quàm sibi mortuus ex tentatione eluctetur, quàm suam fidem testetur benefactis, is est cursus quẽ in absoluendis sanctis suis tenet Deus. Princeps tigitur salutis comparandæ ratio promissioni diuinæ, alitera fidei, tertia charitati ex fide natæ mortificanti carnem, quarta operibus, quæ de fide & dilectione Dei dent significationem, tribuitur. De promissionis gratia legimus: Non est uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. De fide supra: Credidit Abrahamus Deo, et reputatũ est ei ad iusticiam. De mortificatione carnis, hoc est de amoris sui, patriæ, parentum, liberorum per amorem Dei abnegatione hic: Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti unigenæ tuo propter me. De obedientia uerò fide, per dilectionem agentis: Nũc cognoui quod times Deum. Sed dicas, sua igitur dignitas erit cruci & operibus fidei & amori Dei per fidem accenso. ita sanè, sua dignitas promittenti Deo, sua fidei, sua charitati, sua cruci, sua obedientiæ, sua bonis actionibus debetur: sed ita, ut in Christo promisso salutis semine omnia hæc perfici cognoscamus, per quẽ omnis promissio confirmatur & impletur, per cuius spiritum credimus, & amamus Deum & alterum, cuius spiritu sustinemus afflictionem, cuius spiritu opera edimus quæ respiciat Deus ad remunerandum, ut firma sit hæc promissio: Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Cæterùm sunt qui שבר pro עקב, uertunt hac sententia: Merces certa tibi reddetur quòd obedijsti uerbo meo. Merces hæc nõ ex debito & operũ merito, sed ex liberali promissionis diuinæ in semine Messia gratia & ex dignitate spiritus sacri in sanctis agentis, æstimatur.

Beersabe.) qui est terminus australis terræ sanctæ. Ciuitas postea Simeonis & Iudæ tribui adsignata.

Melcha quoq;.) filia Haranis fratris Abrahami, soror Lothi. Huius genus recensetur propter Rebeccam Isaaco desponsandam.

Hus primogenitum.) Hoc nomine appellata est terra Vs, in qua Iobum natum Syrum fuisse, non Idumæum, de genere Esai, uolunt. Vnde in historia eius narratur

narratur, uicinos Chaldæos agros illius depopulatos, & domum uastasse, abactis pecoribus. Quare probabile esse dicunt Iobum potentem & diuitem fuisse uirum, qui partem Mesopotamiæ uicinæ Chaldææ occuparit.

Et Buz fratrem.] Hinc apparet Elihu, qui tam acriter disputauit contra Iobum, Buzitem dictum.

Patrem Syrorum.) ארם Syria Hebræis. Sunt qui bus ארם Armenia est, & שור אשור Syria, ut Assyria. ארם etiam suprà capite decimo fit mentio inter filios Semi.

Concubina uerò illius.] Concubinæ erant non illegitimæ uxores & stupro deputatæ, sed quæ subiectæ essent dominæ uxori. quarum filij non adibant hæreditatem, nec sacerdotij & primogenituræ dignitate ornabantur: sed certis muneribus contenti, hæreditatem ex domina natis liberis relinquebant. Exemplo Hagar est cum Ismaele, & Cethura cum eius liberis.

IN CAPVT XXIII.

VIxit autem Sara.) Describitur mors & sepultura Saræ, & moderatio Abrahami peregrini qua aduersus exteros usus est.

Centum uigintiseptem annis.) Itaq; uixit Sara trigintasex annos post genitum filium Isaacum, quem nonagenaria peperit. Anni uitæ Saræ matris liberorum promissionis recensentur, qui nec Euæ, nec uxorum cæterorum patrum memorati sunt. Hoc igitur sepulturæ Saræ anno Isaacus fuit natus trigintaseptem annos.

Et mortua est in ciuitate Arbeæ.] קריית ארבע nomen ciuitatis est profugorum & Leuitarum in tribu Iudæ. Qui simplicissimè se putant sentire, ab Arba nobili quondam inter Enakim uiro nomine Arba nomen duxisse tradunt, de quo infrà in Iosua capite decimoquarto.

Quæ est Hebron.] Hoc nomen sortita est posterioribus seculis ab Hebrone Calebi filio.

Venitq; Abraham ut plangeret Saram.] Pietatis in uxorem mortuam exemplum, quod naturalis affectio ad imitandũ proponit, sed ad fidei regulam, de qua Apostolus: Cæterùm nolo ignorare fratres de his qui obdormierunt, ne doleatis quemadmodum & cæteri non habentes spem. Affectum hunc commouebat sancto uiro memoria sanctæ uxoris, quæ fidem coniugalẽ tot annos inter infestas gentes in tanto & tam diuturno exilio seruasset. Hoc exemplũ admonet nos, in summis uiris & heroibus placere Deo tales animi motus, quales hic in Abrahamo cernuntur.

Locutus est ad filios Heth.) Ab Hethæis Chami improbi posteri terram petit, quæ sibi et semini suo cessura erat in hæreditatẽ: sed ne ante tempus uidere tur uarè suo agere uelle, moderatè egit cum Hethæis, qui nosset illud: Scito quòd peregrinum futurum sit semen tuum, in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligẽt quadringentis annis. Tempori igitur se accommodans sanctus uir, perpendit illud Apostoli: In hoc incumbatis ut quieti sitis.

Aduena sum.] A persona sua. Aduenarum & peregrinorum natura miseremur, præsertim si tales sint qui indigni habeantur quibus aduersa accidant.

Date mihi locum.] Qui fide & spe possidebat Dominum cœli & terræ, in terra non tantũ spacij habebat, in quo suos mortuos sepeliret. hæc est sanctorũ sors in hoc mundo peregrinantium.

Vt sepeliam mortuum meum.] A persona eius pro qua fit oratio. Mortuis natura docet honorẽ dandum sepulturæ. Quod etiam gentilis poeta indicauit: τὸ γὰρ γόρασ ἐστὶ θανόντων. In terra sepeliuntur mortui ex sententia illa, Puluis es, & in puluerem reuertêris: ad Deum uerò spiritus redit à quo haustus est, ut est apud Ecclesiastem. Hanc sententiam natura ipsa in multorum animis declarat, de qua his uerbis tragicus poeta:

ὅταν δ' ἕναστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίνετο,
εἰν ταῦθ' ἁπλῶς πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν.

Princeps Dei.] Honoris appellatio, qui propheta esset, & muneribus Dei peculiariter ornatus, & amplam suam familiam sanctè gubernaret, & doctorem doctrinæ cœlestis præstaret: quem auditũ libenter & magno cum fructu à uicinis gentibus, ueri simile est.

Adorauit.] demisso capite honorem exhibens. Igitur adoratio hæc erat grati & reuerentis principes uiros eius loci, significatio: quæ solet dari uel inclinatione capitis, uel prostrato corpore in terram, uel incuruatione genuum.

Si placet animæ uestræ.] נפש ut latinis animus pro uoluntate.

Intercedite.] μεταλαμβάνω פגע occurrere, prorogare & intercedere.

Speluncam duplicẽ.] Sic appellatà ferunt, quòd antrum intra antrum esset.

Pecunia digna.] כסף מלא pecunia plena quæ satisfaceret. Septuaginta similiter nostro: ἀργυρίου τοῦ ἀξίου. Locus de uetustate usus pecuniæ. Qui res ciuiles tractant, duplex genus κτητικῆς, id est rationis parandarũ opum tradunt: unum, quod natura constat, uersans in ijs diuitijs comparandis quas natura ad uictum & cultum uitæ procreauit, cuiusmodi sunt opes quæ ex agricultura, pecuaria, uenatione, piscatuq; percipiuntur. Alterum genus instituto & arte hominum inuentum est, quæ χρηματιστικὴ, id est ratio quærendæ tractandæq; pecuniæ dicitur. Atque hæc quidem bipartita est: altera necessaria ad uictum, qua pecunia ipsa res contrahuntur, cuius usum commerciorum iam aucto humano genere à diluuio necessitas inuexit: altera non est necessaria, qua pecuniæ pecunijs permutantur. altera liberalior est, & naturæ magis cõsentanea, qua hic Abrahamus usus legitur in emẽdo agro: altera illiberalior, quæ à natura lõgius discedit, auaritiæ inexplebilis instrumentũ, lucri et quæstus gratia exercita, quã artẽ numularij et argẽtarij, quos Græci κολλυβιστὰς et ἀργυραμοιβοὺς appellãt, persequũtur, et ipsi fœneratores carcinomata terræ in dẽlicijs habent. Sunt autores, qui tradunt à Iano, quem

Noam dicunt, æs primò in pecuniæ usum signatum: hic autem legimus argenteos siclos tum in usu fuisse. qui locus indicat uetustatem signati argenti. Sunt qui Lydios primos aureos nũmos cudisse tradunt. Romani serusi traduntur percussisse aurũ, sexcentesimo nimirum quadragesimoseptimo anno Vrbis conditæ. Itaq; quod Græcis et Romanis nouum fuit, Aegyptijs, Chaldæis & Hebræis non nouum, sed antiquum fuit.

Cunctis audientibus.) Emptio agri publicè agebatur. ad cauendam apud posteros, quæ existeret, controuersiam. Fides in sancto uiro hanc ciuilem cautionem propter hominum uoluntates instabiles minimè contempsit.

Qui ingrediebantur portas.) Periphrasis ciuitũ. & meniuit portarum, ut in quibus iudicia & causæ tractarentur.

Nequaquam ita fiet, domine mi.] Blanda respõsio, ex amore & reuerentia sancti uiri nata. Notus est locus apud eos qui amoris originem explicant, amari modestos, & eos qui in excellenti sunt uirtutis opinione, quiq; clari sunt aut apud omnes, uel apud optimos, uel apud eos quos ipsi admirantur. Populus ad seruitutem damnatus in Chamo parente, agnoscit & ueneratur Deum in Abrahamo. Depositio igitur typo mysticæ adumbrationis, multos in Chanaane reperias benedictos, & in Semo maledictos.

Dabo pecuniam pro agro.) Exemplum liberalis animi. Maluit sanctus uir emere agrum, quàm gratis accipere, spectans illud Domini: Melius est dare beneficium, quàm accipere.

Quadringentos siclos argenti.] Iosephus libro tertio Antiquitatum Iudaicarũ monet siclum Hebræorum numisma quatuor drachmas atticas habere, quæ ferè dimidium aureum ualent.

Appendit pecuniam.] Olim igitur appendi, non numerari solita est pecunia: quod indicant uoces, סקל & ישקל.

Probatæ monetæ publicæ.) Phrasim Habræã re ctè עבר לסוחרים transeuntis mercatori. Similiter Septuag. quos noster sequitur, ᾧ γνήσιον ἐστὶν ἐμπορίου. Locus de uelustate mercaturæ, quæ pars χρηματιστικῆς est quæ λιανὴ ac μεταβλητικὴ dicitur Atq; uersatur partim in ναυπλοΐᾳ qua maritimæ merces exercẽtur: partim in φορτηγίᾳ, qua terrestres merces exportantur & importantur uellaturæ munere: partim in ναυαγάσᾳ quæ stataria mercatura est.

Confirmatusq; est ager.) emptionis legitimæ iure. Similiter Heb. יקם pro יתקיים, noto tropo.

Atq; ita sepeliunt.] Saræ non prius cessit pars in Chananæa quàm mortua fuit. Depone typum, quem explicat Apostolus in epistola ad Romanos: Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus quòd & uiuemus cum illo. Quam enim hæreditatem præferat Chananæa, & quo precio uera illa hæreditas empta cedat, sanctis non est obscurum: satis indicasse, ad exercendã diligentiam lectoris.

Confirmatus est ager.] Repetitio Hebraica.

IN CAPVT XXIIII.

ERat autem Abrahã.] Loci præcipui hi sunt, Vnus: de cura patris Abrahami in procuranda uxore filio Isaaco: alter, de delectu coniugis: tertius, de fide sancti uiri erga Dei prouidentiam de paranda uxore: quartus, de prouidentia ipsa diuina per ministerium angelorum in coniugijs sanciendis apparente: quintus, de fide seria: sextus, de muneribus sponsalib. quibus noua sponsa ornata fiat. de singulis ordine.

Senex.) ex pronuisso Dei. de quo suprà: Tu autem abis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona. Cæterùm Abrahamus cum Sara moreretur, annum centesimum tricesimumseptimum agebat, qui decem annos maior illa natu erat.

Et Dominus in cunctis.] ætate longa, liberis, opibus. ut suprà: Erat autem diues ualde in possessione auri & argenti.

Benedixerat ei.] ut promiserat ei: Benedicam tibi, erisq; benedictus.

Dixit ad seruum.] Qui, ut apparet, Damascenus Eleezer fuit. In familia cum tripartita societas, ut suprà indicatum, cernatur, una maris & fœminæ, quam Dominus ad procreandos liberos instituit: altera parentũ & liberorũ: tertia inter dominos & operas ac seruos intercedens. huius usus spectatur in earum rerum administratione, quæ ad tuendam rem familiarem & ad conseruandos liberos pertinent, Deo non solum prospiciente quomodo coniugali coniunctione liberi procreentur, uerumetiam ut nati liberi operarum seruitio conseruentur. Seruilis igitur conditio etsi culpa primi Adami nata est, non natura, eam tamen Deus pro sua cura, ut solet omnia, in bonum conuertit. Abrahamus qui benedictus uxore, liberis & seruis legitur fuisse, deinceps etiam ut sponsi Isaaci & sponsæ Rebeccæ matrimonio à Deo fortunatus sit, narrabitur.

Seniorem.] atq; ita prudentiorem, proindeq; aptum ad id muneris. Senilis enim ætatis prudentia est: ut florentis uires ac robur. Mor. ua iam Sara matrefamiliâs de familia gubernanda per seniorem seruum prudentem & rerum usu peritum curam gerit.

Qui præerat omnibus.) Notatur fides serui.

Pone manum tuam subter femur meum.] Morem hunc fuisse seruis iurantibus, interpretes annotant, eo ritu in potestate ac dominorum iure se declarantibus. Ex femore item liberi prodeunt, qui iure generationis sub potestate ac imperio parentum fatentur se teneri. Eadem quoque herilis imperij confessio indicatur in genuum incuruatione. Quò Græcis uates alludere uidetur cum ait in genibus Dei situm esse, siquid fiat & accidat. Vbi significat eius imperio omnia parêre ac obedire. Nostri sanctè tradunt femur iurijurando sacratum propter Christum ciuitatem ex femore Abrahami omnia subijciẽda essent. ut Christus ipse de se fatetur: Mihi data est potestas cœli & terræ. Itaq; propter hunc iussum seruum ponere manum sub femur domini sui Abrahami, quòd Christus esset in lumbis eius, ex futuro matrimonio

Isaaci

Isaaci & Rebeccæ nascendus, ut præcesſit: In semine tuo benedicentur omnes gentes.

Per Dominum cœli & terræ.] Per eum iurare iubet seruum cuius prouidētia uxor bona datur. Hinc illud in Prouerbijs: Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem uxor prudens. In contrahendis igitur matrimonijs non forma, non generis nobilitas, non opes spectandæ, non adhibenda uafra consilia, quibus, neglecto consilio Dei, uxorem tibi concilies: sed hic uoluntas diuina spectanda, ut preceris ea tibi contingat, quæ Christo placeat et cordi sit, qui qualem duxerit ex sententia patris, iterum atque iterum tibi cogitandum erit.

Filio meo.] qui excesserit iam trigintaseptem annos, quæ ætas iudicio etiam eorum, qui, qua ætate matrimonia contrahi debeant, docent, apta erat coniugio.

De filiabus Chananæorum.] quos damnatos ad seruitutem, sciret exterminandos. Hoc facto præitur legi, quam infrà Moses sanxit de uitandis à posteris Abrahami profanarum gentium connubijs. Præclarus locus est de delectu habendo in contrahendis matrimonijs: quem cum suprà filij Dei negligerent, nubentes in familiam Caimam, diluuio puniti sunt. Locus is admonet, non licere liberis præter uoluntatem parentum matrimonia contrahere. Exemplum hoc postea lege à Mose comprehensum est.

Sed ad terram & cognationem meam.) generis benedicti Semi. Haran ciuitas notatur, ubi consederat Nachor frater Abrahami, cum uxore sua egressus ex Vre Chaldæorum. Qua de re uideris suprà capite 11.

Caue ne quando reducas.] Cognouerat enim qui magnus propheta esset, Chananæam amicitiæ diuinæ & oraculorū sacrorum sedem fore, & terram Assyriorum & Chaldæorum prophanationi destinatam, in quam nō essent transferendi Israelitæ sine significatione iræ diuinæ.

Dominus Deus cœli.) Ordo hic obseruandus, quem fides Abrahami in argumentando seruauit. Proposuerat Abrahamus, non reducendum filium Isaacum. Dominum etiam absenti Isaaco prouisurum de coniuge ex familia sua. Argumentum primò ducit à potētia & facultate, qui Dominus sit cœli et terræ: deinde à bonitate, qui liberasset semel ab Vre Chaldæorum, & transtulerit in terram omnibus bene dictionis dotibus exornandam. Tertiò à uarijs experimentis bonitatis illius per familiaria colloquia. Denum proponit iusiurandum, quo confirmarit suam erga se beneuolentiam de posidenda Chananæa. Proinde ne sollicitus sit seruus de reducendo filio, admonet, cui uelit & posit Dominus etiam absenti prospicere de uxore, quæ est conclusio, quam ex argumentatione efficit.

Ipse mittet angelum suum coram te.) Sanctorum paranymphi sunt in contrahendis coniugijs angeli. Locus præclarus, cura singulari Dei, piorum matrimonia angelorum ministerio geri. Quo magis piè & anctè matrimonia & sanciri, & sancita geri ac haberi debent, quæ omnis societatis domesticæ, ciuilis & Ecclesiasticæ fons sint & origo, & quibus omnia humana & diuina iura continentur, & conseruentur. Quorum dignitas ab autore Deo, & auctu generis humani, & eius conseruatione ad Ecclesiam Christi constituendam æstimatur, ut uidere licet in matrimonio Isaaci cum Rebecca contracto, quod nobis dedit prophetas, iudices, reges, sacerdotes, & Christum ipsum cum apostolis.

Perrexit in Mesopotamiam.) Heb. אלארם נחרים. Dualis numeri est, נחרים. Septuag. μεσοποταμίαν. Inter Euphratem enim & Tygrim, Aram posita est.

Cumq; camelos feciſſet accumbere.] super genua. quò alludit uerbum יברך. Nota est enim uox ברכים.

Domine Deus.) Oratio serui ad Dominum. Locus de pietate & fide serui in dominum suum, contra uulgarem illam seruentiam: Quot serui, tot hostes.

Domini mei Abraham.] A fauore Dei in Abrahamum.

Occurre obsecro.) Chaldæus pro חסרה habet זבן, id est para ac expedi omnia, quæ nomine Abrahami mihi gerenda sunt. Septuaginta σύνδρομον. Seruus duo agnoscit in hac oratione. Vnum est, Deum fauere Abrahamo: alterum, eiusdem nutu ac arbitrio omnia fieri. Quam cognitionem hauserat ex domestica disciplina, qua eum dominus suus Abrahamus imbuerat.

Et fac misericordiam.) pro חסר. Chaldæus, טיבן, bonitatem tuam erga eum declara, beneficijs affice, qui hactenus nunquam illi defueris.

Ecce ego sto.) Orans proponit signa, quibus intelligat quæ sit futura coniunx Isaaci. Charitatis & officiorum dilectionis signa præstolatur, qualia etiam spectantur in desponsatione Ecclesiæ cum Christo uero illo Isaaco, de quibus Matth. 22. & 25. Quædam igitur signa petuntur improbè, quædam probè: probè quidem, quæ uoluntatis diuinæ agnoscendæ gratia ad commendandam eius bonitatem & fidem, petuntur: improbè autem postulantur, quæ tētandi Dei gratia postulantur. Qualia signa fuerint quæ reprehendit Dominus in hypocritis Pharisæis: Generatio peruersa quærit signa.

Et illa respondeat.] te prouidente.

Quam præparasti.) חכחת probandi uerbum est: Ea sit quam tu approbaris in sponsam Isaaco. Nostro interpreti similiter Chaldæus זבני גת. Et Sep. ἑτοίμασας. Probandi uerbum huc congruit, quod charitatis studia unica signa ac tesseræ sunt probandi nos sponsæ Christo, ut ipse alicubi apud Ioannem: In hoc cognoscēt omnes quòd discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter uos mutuam.

Et ecce Rebecca.] fidei Abrahami satis fit, qui suprà dixerat: Mittet angelum suum ante te. Si humanum iudiciū spectes, casus uideri poterat egressam Rebeccam, antequam loquendi finem faceret seruus:

sin consilium Dei, diuinæ prouidentiæ opus fuit, quò perficerentur quæ Abrahamus considerauit fore, & orarat seruus. Locus de ui fidei & orationis, & de cura diuina quam gerit erga suos fide & precatione instructos, in qua spiritus Dei gemitibus orãs inenarrabilibus, impetrat quæ petit, & suo tempore impetrat, ab orationibus eorum neq; absentibus angelis unà & precantibus, & quæ precantur, obtinentibus. Quod cum intelligeret Abrahamus, dixit: Mittet angelum.

Puella decora nimis.] Laus à pulchritudine. De sponsa Christi Salomõ in Canticis: Quò abijt dilectus tuus? ô pulcherrima mulierum.

Et incognita uiro.] A uirginitate, quæ spectatur & in Rebecca altera, de qua Apostolus: Adiunxi enim uos uni uiro, ut uirginẽ castã exhiberetis Christo.

Ad bibendum præbe.] Incipit de puella periculum facere, & experimentum capere, de quo suprà rogauerat: Igitur puella cui dixero, Inclina hydriam tuam.

Celeriterq; deposuit hydriam.) Cõmendatio à charitatis & hospitalitatis officio. Accedebat ad hãc laudẽ, quòd legitur non domi educata in luxu & otio fuisse, sed instituta ad honesta rei domesticæ opera.

Ille autem contemplabatur eam.] משתאה obstupuit, metalepsi à desolatione sumpta. Chaldæus חש יבח מסתכל. Moram in contemplanda puella fecit, ut solent admirabundi & stupore correpti. Stuporem huius proculdubiè euentus ac exitus orationis et admiratio prouidentiæ diuinæ afferebat. Quo stupore correptus poterat uim sententiæ Salomonis posteà literis proditæ intelligere בית רחץ נחלת אברת רמיח רח איש משבלת. Apparet ad hanc humanitatem assuefactam illam familiam propter promissum fauorem Dei in illam statim à diluuio: Benedictus Dominus Deus Semi. Quod legitur hic, Celeriterq; deposuit, promptitudo ad benemerendum laudatur. Nota est illa sententia: Qui citò dat, bis dat.

Inaures aureas.] Profert munera sponsalia. נזם nõ solum aurium ornamentum est, sed etiam faciei, hoc est frontis. Nam dicunt interpretes esse ornatũ חאף. Vocatur apud nostrates guldin porten. Nam infrà legitur non auribus, sed facici accommodasse sexuũ נזם. Heb. uocis צביד uestigia in lingua Germanica ostenditur, geschmeid. Hæc ornamenta usurpata à sanctis olim, ornatum commendant, luxum ad ostentationem paratum damnant. Ostenditur hic magna fiducia serui confidentis indicijs, de quibus conuenerat Dominũ.

Siclos duos.] Hebræus dimidium siclum habet, non duos.

Et armillas totidem.) Duas armillas habet Hebræus aureorum decem pondere. similiter Septuaginta, δέκα χρυσῶν ὁλκὴ αὐτῶν. Ornamenta aurium & manuum affert. Si referas ad sponsam ecclesiam, ornamenta aurium sunt, de quibus sponsus ipse: Qui ex Deo sunt, audiunt uerbum meum: manuum uerò, quibus quæ auditu percepta sunt per fidem, opere & officijs charitatis perficiuntur. Nec mirum, dimidium solum siclum fuisse pondus inauris, decem uerò armillarum. Breuis enim ratio est fidei, amplum uerò officiorũ charitatis. Atqui serui qui apportant munera, Apostoli sunt dispensatores donorum patris. Decem autem aureorum pondus, notat Decalogi per fidem studium. Nec caret mystica ratione missum seruum, qui ambiat Rebeccam, priusquàm ipsa quicquã cognosceret de contrahendo connubio. Legimus enim apud Apostolum: Non est currentis, neq; uolentis, sed uocantis & miserentis Dei, præuenientis omnem conatum sponsæ filij sui per gratiam electionis. de qua illud: Quemadmodum elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamenta mundi.

Ad manendum.) ללין ad pernoctandum. Vespere diuertit ad Rebeccam. Hoc est nouissimum desponsationis Ecclesiæ per Euangelium cum Christo sponso tempus, de quo propheta: Et erit in die illo, ait Dominus, & uocabit me uir meus. Item: Et sponsabo te mihi in sempiternum.

Et fœni plurimi.) מספוא alijs camelorũ est pabulũ, alijs בלל id est uniuersũ genus pabuli iumẽtorũ.

Et inclinauit se homo.) suppliciter uenerãs. Adoratio hæc per fidem Dei largitoris omnium bonorum, beneficia agnoscentis erat, ueluti sequitur.

Benedictus.] Gratiarum actio in uerbo ברוך ostenditur.

Et ueritatem suam.] ואמתו et fidem suam, seu ueritatem. Coniungit bonitatem cum fide. altera promittuntur bona & salutaria: altero quod promissum est præstatur. alterum חסד est, alterum אמת. Hæc Deo tribuere, est ei summum pietatis cultum qui fide peragitur, tribuere. In quo tanquam sacra ancora nostra salus nititur & firmatur. Vnde fit ut toties cum bonitate diuina fides in sacris literis copuletur. Quid enim non obtinent pij, cum agnoscunt Deum salutem quam pro sua benignitate, & liberali clementia promiserit, fide qui minimè fallat certò præstaturum.

Benedicte Domini.) ornate muneribus Dei. Respexit Laban ad inaures, armillas, & camelos ipsos.

Præparaui.] מבית repurgandi uerbum. μεταλήψις sumpta ab eo quòd quæ repurgata sunt, ostendunt se, ac apparent.

Ac destrauit camelos.) Phrasi linguæ Hebrææ pro soluit camelos, discinxit, ac clitellas deposuit:

Non comedam.) Diligentis fidei in seruo exemplum. Rectè igitur Poeta: ὡς ἠδὺ λάλους λεαίνειν χρυσὸς λαθεῖν.

Seruus, inquit, Abrahami sum.] Breue exordiũ & ad captandã beneuolentiam aptum, dum se Abrahami celebris & inclyti uiri, & cum his ad quos loquebatur, necessitudine coniuncti, seruum se profitetur.

Et Dominus benedixit.) Res affert ad ambiendam sponsam cõmodas, opes soceri futuri, & beneuolentiam Dei in eum commemorans.

Et dedit eis boues & oues.] Genus benedictionis explicat, numeratis partibus per distributionem amplificandi gratia.

Deditq; illi omnia.] ut unigenæ & charissimo.

Et ad-

Et adiurauit.] Narrat mandata Domini.

Et de cognatione mea.) Declarat amorem Abrahami in suos, quod ad conciliandos animos pertinuit.

Dominus in cuius conspectu ambulo.] quẽ colo & ueneror. ideo Chald. דרפלח יתקדמוהי. Ab irreuocabili consilio & uoluntate Dei, cui placeat ut filius Isaacus uxorem ducat ex familia patris sui. Firmum sanè id argumentum fuit, ad mouendos Rebeccæ cognatos & parentes, ut legimus infrà: Itaque responderunt Laban & Bethuel: A Domino egressus est sermo.

Innocens eris à maledictione tua.] Seruus mutat uerbum Domini. Suprà iuramenti, hic execrationis fit mentio. Quod seruili personæ congruebat, cuius sit iram Domini formidare & cognoscere, neglectum iuramentum in maledictionem uerti. Hæc est obnoxia seruorum sors, de qua etiam gentilis uates:

φεῦ φεῦ, τὸ δοῦλον ὡς ἅπανταχῇ γένος
πρὸς πλὴν ἐλάσσω μοῖραν ὥρισεν θεός.

Si direxi stiuiam meam.] μετωνυμικῶς, negociũ meum hoc itinere susceptum.

Et uirgo] עלם LXX. παρθένος. Locus clarus quo עלם de uirgine & incorrupta dicitur. Etymum uerbi ab abscondendo ducitur. De more enim uirgines domi maiore cura retinentur.

Apparuit Rebecca.] Prudenter seruus signa commemorat, quibus fidem faciat rem non humano, sed diuino geri consilio. Quod argumentum maximam uim habere cognouerat apud familiam charam Deo.

Suspendi itaq; inaures.] Suprà prius ornasse puellam legitur, quàm interrogasset eam, quo genere nata esset. Mutat igitur hic ordinem in narrando. Sunt qui putant prius Rebeccam indicasse, quo de genere esset, quàm exposita munera: neque מיקדים רמיחוה, id est ordinem rerum gestarum in sacra historia seruari.

Quamobrẽ si facitis misericordiã.] Cõcludit narrationem breui conclusione, quæ seruo et causæ quam agebat nõ humana industria, sed Dei prouidentia congruebat. Alia igitur ratio est orationis, in qua fidei simplex filum textitur, alia in qua eloquentiæ humanæ nerui ad persuadendum intenduntur: in hac præsidia humana quæruntur, in illa Dei.

Et ueritatem.) Interpreti ubiq; misericordia pro beneficio, & ueritas pro fide placet: ut hæc duo Deo tribuuntur, benignitas & fides, ita ea etiam pijs adsignantur, qui ad expressionem diuinæ naturæ inter se quoque bonitate & fide, non malignitate, uersutia, dolo & fuco utantur, sed eam quam præ se ferunt bonitatem, re & bona fide præstent. Notabilis locus de moderatione seruili quam adhibuit in ambienda Rebecca, qui primò cognatos & parentes, in quorum potestate esset puella, appellarit. Vnde addiscimus, matrimonia tum rata fore, si accesserit maiorum consensio.

Vt uadam ad dextram, siue ad sinistram. Phrasis Hebraica, pro qua Latini, Vt abeam quò me iter ferat.

Respondérunt; Laban.) Victi simplici illa narratione serui Abrahami, in cuius ore non humana, sed prouidentiæ diuinæ suadela sedebat, respondent sequentibus uerbis.

A Domino.] non temerè ac humano consilio.

Egressus est sermo.] דבר pro πρᾶγμα, ut Sept. מהגמא ut Chaldæus. Rem hanc ut Rebecca nubat Isaaco filio Abrahami, à Deo decretam esse ac ortã.

Non possum extra placitum eius.) Hebræus effert: Non possumus aduersus te loqui néue malum, né ue bonum. Significant sententiæ ac uoluntati diuinæ se non posse repugnare. Si hypothesis, hoc est causa attributis personarum Labanis & parentum circunscripta reuocetur ad θέσιν, hoc est ad consultationem, præclara hæc sententia nascetur: Voluntati Dei temerè non esse reluctandum, & eos non dirimendos quos copula coniugali Deus coniunxerit. Ideo sequitur:

Et Rebecca coram te est.) Indicat locus, etsi in parentum potestate posita sunt liberorum matrimonia, eos tamen debere scire se in Dei iure esse, cui tanquam summo magistratui in curandis matrimonijs pareant.

Sicut locutus est Dominus.) Suprà: Dominus in cuius conspectu ambulo, mittet angelũ suum ante te.

Prolatisq; uasis argenteis.) Addit ad armillas & ad inaures, aureas alia ornamenta sponsalia. Exemplum de uetustate munerum, quibus noua sponsa & cognati eius ornabantur, ne quis hunc morem nouum esse putet. Sancti igitur qui coram Deo fide agunt, apud homines ex charitatis usu sese uarie ad consuetudinem morum ciuilium attemperant. Exemplo Abrahamus hic est.

Initoq; conuiuio.] tanquam sacro confirmandæ amicitiæ symbolo. Veteres igitur latini accubationem epularem scitè, quia uitæ coniunctionem haberet, conuiuium appellarunt.

Responderuntq; mater eius & frater.] Cur pater hic reticetur? Verisimile est fratri à patre iam se ne datum negocium ut suo nomine omnia perageret.

Saltem decem dies.] Hebræus ad uerbũ, per dies, uel saltem decem. Nonnulli interpretes intelligunt nomine ימים annũ, citatq; illud: ימים יחיה גאלתסר: id est peracto anno liber erat. Addunt, dari solitos ex more 12. menses sponsæ, quibus pararet se nuptijs: ijdem nomine decem, decem menses accipiuntur, ut sit hæc sententia: Remaneat apud nos annum integrum, aut ut minimum decem menses. Astipulatur Chaldæus interpres: עירן בעידן אר עסרא ירחין.

Quia Dominus dixerit.) Ratio ab officio suo & successu. Peracto negocio meo par est ut abeam.

Vocemus puellam.) Non prius despondent Isaaco Rebeccam, quàm cognoscant de uoluntate eius. Quod exemplum nos admonet, non licere ut liberi in matrimonia docentur, uel inscientes, uel inuiti. Vt enim certa est hæc sententia ex masculi et fœmine in unam carnem creatione, Quos Deus coniunxit,

iunxit, homo non separet: ita uerum est, coniunctos nõ fore quos Deus amore coniugali non coniunxerit.

Quæ ait, Vadam.) Relinquit domum, parentes, fratres, propinquos, ut uiuat cum sponso suo. Hæc est uis uocationis diuinæ & legis coniugalis ab initio editæ. Quamobrem relinquet homo patrẽ et matrem, & adhærebit uxori suæ. Si spectes sponsam Ecclesiã, legis in Canticis: Surrexi ut aperirem dilecto meo.

Et nutricem eius.) tanquam morum magistram & cõsolatricẽ, qui uetus mos Græcis & Latinis fuit. Itaq; hæc Delbora nutrix argumẽto est pueris educãdis nutrices deligendas esse pias, sobrias et siccas, prudentes, mundas, & elegantes: non impias, non uinolentas & ebriosas, non uesanas, non immundas & sordidas. Nam in nutricum mores pueri abeunt, pijs pios, sobrijs sobrios, prudentes prudentibus, elegantibus elegantes pueros formantibus, ut contraria uitia contrariæ nutrices puerili ætati in omnem habitum sequaci aspergunt.

Soror nostra es.) de familia benedicta in Semo.

Crescas in multa millia.] Formulam benedictionis usurpant, qua Dominus suprà in benedicendo Abrahamo usus fuit.

Quæ ducit ad puteum.) situm in deserto Sur inter Barad & Cades.

Cuius nomen est uiuentis & uidentis me.] Ad quem antea angelus Hagari apparuerat, cum à Sara ciecta esset. de qua suprà capite decimosexto.

In terra australi.] propinqua puteo illi, ut suprà capite uigesimo: Profectus inde Abrahamus in terrã australem, habitauit inter Cades & Sur, & peregrinatus est in Gerar, ubi etiã erat Beersabe, unde à patre Abrahamo ad immolãdũ fuerat Isaacus adductus.

Et egressus fuerat ad meditandum.] Vt de more sub uesperam sapientes uiri deambulant meditandi uel orandi gratia. Vtrumq; sonat לשוח. Ideo Chaldæus, לצלאה ad orandum. Verisimile est, eum fuisse in precatione, qua primò precaretur ut contingeret illa quæ sibi à Deo prouisa esset: deinde, ut suum matrimonium sibi commodum & Deo gloriosum redderetur: demum, ut liberis in ædificationem familiæ & in Ecclesiæ corporis Messiæ extructionem augeretur ad implendum promissum illud: Et ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, eritq; in nationes, & reges populorum orientur ex eo. Sunt qui לשוח uertunt, ברלכת בין שיחים, id est ut ambularet inter fruteta, quorum umbra & uiror grata sunt inambulantibus.

Inclinata iam die.] לפנות ערב. Hebraismus, cũ faciem aduerteret uespera: pro quo Latini, Cum uespera appeteret.

Descendit de camelo.] Reuerentiæ & honoris gratia. κατὰ μείωσιν igitur interpres תפרל quod est decidit, descendit, uertit.

Operuit se.] Verecundiæ ac pudoris in noua sponsa uelamen illud & futuræ erga maritum obedientiæ significationem habuit. Notum est quod Apostolus de muliebri uelamine meminit.

Qui introduxit eam in tabernaculũ Saræ.) seorsum paratim magnorum & principum uirorum mulieribus uiuentibus, ut ueterem γυναικῶνα usum fuisse ex hoc loco intelligas.

Et dilexit eam.] ut suam uxorem. Si accommodes ad sponsam Ecclesiam, & sponsum Christum, uerum illum Isaacũ, legimus in Canticis, Dilectus meus mihi, & ego illi.

Vt dolorem qui ex morte matris eius.] cuius obitum tres annos luxerat. Triginta enim septem annos natus erat, cum illa è uiuis excederet: quadragenarius autem, iam Rebecca uxore ducta. Hæc est uicissitudo rerum omnium sub sole, ut dolorem lætitia excipiat: & contrà, ut Salomon alicubi, Omnia tempus habent. Est tempus plãgendi, & tempus saltandi.

IN CAPVT XXV.

ABraham uerò aliam duxit uxorem.) non ex libidine animi, sed certo Dei consilio, ut impleretur illud: Erisq; pater multarum gentium.

Cethuram.) Hanc alij Hagarem, alij aliam fuisse uolunt, freti loco qui sequitur: Filijs autem concubinarum dedit munera: igitur non unam solum habuit concubinam, sed ut minimum duas. Ad hæc Hagar à morte Saræ cum uetula esset, satis inepta ad gignendum fuisse uidetur.

Quæ peperit ei.) Commemoratio filiorum Cethuræ. Hi Arabũ populos propagarunt. Sed miretur hic aliquis postquam Apostolus fatetur Abrahamum fuisse emortuo corpore, cum ex eo nascendus esset Isaacus, quî potuerit is post quadraginta quàm natus fuisset Isaacus annos ex cõcubina Cethura tot liberos, quos hic numerãtur, tollere. Senis Abrahami corpus nõ ita effœtum fuit quin posset generare liberos, præsertim illo tempore, quo corpora à maiorum uigore nõ procul degenerarant. Accedit huc bonitas Dei, qua corpus Abrahami ad augendã sobolem conseruatũ fuit, ita more diuino dies accumulãte, et ualetudinem tuente, innouanteq;, ut indicant illa: Timor Domini apponet dies. Item, Renouabitur ut aquila iuuentus tua. Exemplo etiam est Moses, quem centum uiginti annorum, neq; oculis caligasse, neq; dentibus imminutum legimus. Vt autem Apostoli locus exponendus uideatur, alio loco monuimus.

Et Madian.] Unde Madianitæ maris rubri accolæ nominati sunt, è quibus Moses uxorem suam duxit, qui in Genesi infrà cum Ismaelitis coniunguntur.

Saba.) Suprà quoq; decimo capite inter nepotes Semi numeratur Saba. Sabæi populi Arabiæ fœlicis inde nomen acceperunt. Cæterùm de duplici Saba aliàs ex geographis.

Deditq; Abraham cuncta.) qui filius dominæ et liberæ esset.

Filijs autem concubinarum.) qui non liberæ ac dominæ, sed concubinarũ liberi, atq; ita inepti essent qui hæreditatem adirent. Mysticam rationem qui intelligunt ex Apostolo, cur concubinas permiserit Dominus maioribus Israelitarum, hi iudicare facile possunt, nùnne quia patribus tempore ueteris Testamen-

ti Dominus concubinas ex quibus liberi, qui ecclesiæ statum, qui sub seruili legis conditione peragitur, ad umbrarent, nascerentur, concessit, ideo efficiatur sanctis nouis fœderis tempore idem ius esse.

Largitus est munera.] Inter uxores igitur liberas & matres familiâs & inter uxores concubinas seruas, & inter utrarũq; liberos quid interfit, hic licet cognoscere. Alteræ dominæ erant & liberæ, alteræ ancillæ, dominarũ imperio subiectæ: alterarũ liberi hæredes scribebantur omnium facultatum, alterarũ certis muneribus ornati ex domo amandabantur. Mysticam adumbrationem declarat Apostolus in epistola ad Galatas, & Dominus in parabola de operarijs.

Dum adhuc uiueret.) Prudentis patris familiâs exemplum, qui ne discordia inter posteros in diuidenda hæreditate ab obitu suo oriretur, dum uiueret, res suas composuit.

Ad terram Orientalem.) Qualis est situs Arabiæ fœlicis.

Fuerunt autem dies uitæ Abraham.) Abrahamus igitur centum annos fuit peregrinus in Chananæa. Nam suprà legitur, illum septuaginta quinque annorum fuisse, cum egrederetur de Harane. Atque idem post obitum Saræ uxoris uixit quadraginta octo annos, ut quæ uixerit centum uiginti septem annos.

Et deficiens mortuus est.] Sine longiore & maiore dolore, cuius uires iam per ætatem defectæ essent. Quod indicat גרע. ideo sequitur:

In senectute bona.) ex promissione illa: Sepultus in senectute bona.

Et satur.] In laude sancti uiri id ponitur, qui lubens excesserit ex hoc seculo cupiens cum Apostolo melioris uitæ spe accensus dissolui, et esse cum Christo, ut confecto cursu tam grauium tentationum, alteram uitam ab omni labe liberam consequeretur. Est autem Christus æternus heri & hodie per spem & fidem sanctorum ad nulla secula & mundi elementa affixus.

Et congregatus est ad populum suum.) legitima sepultura ornatus, quod laudem habet: contrà dedecori fuerit, illa destitui, ut apud prophetam Iesaiam minatur Deus regi Babylonis: Non eris consors sepulturæ. Impletur id quod suprà legitur: Et ibis ad patres tuos in pace. Quibus uerbis significatur sanctos cum moriuntur, non mori, sed ad suos ex hoc seculo migrare, ad quos non dicerentur migrare, nisi uiuerent, ut Deus uiuit: qui illorũ Deus nõ diceretur nisi uiueret, qui uiuentium Deus sit, non mortuorũ. Itaq; hæc phrasis ac locutio indicat & animos sanctorum immortales esse, & corpora tandem ex mortuis ad uitam excitanda. Quæ magna est nostra consolatio, pro ratione ueteris Testamenti, quod literæ Testamentum est. Omnia occultius dicuntur hic, quæ in administratione noui clarius & apertius dicuntur.

Et sepelierunt eum Isaac ac Ismael.] Vt qui uicini essent inter se & ambo filij Abrahami legitimè nati.

Et benedixit Deus Isaac.) Repetit in filio benedictionem quam promiserat patri. Quæ est constans & firma Dei fides erga patrem Abrahamum, cuius etiam mortui in filio gerit curam, ut impleatur promissa benedictio.

Hæ sunt generationes Ismaelis.) Nec ancillæ Hagaris filij Ismaelis progenies reticetur, ut qui filius Abrahami esset & circuncisus, & à Deo certa promissione ornatus. De mystico consilio suprà ex Apostolo.

Et hæc nomina filiorũ Ismael.) Hos omnem ab Euphrate Mesopotamiæ flumine terram usq; ad mare rubrum Arabum populis dantes nomina tenuisse, author est Iosephus.

Nabaioth.] à quo Nabathæi. Sed cum triplex sit Arabia, Petrea, deserta, & fœlix, Petrea Aegypto uicina usq; confinis, Geographis Nabathæa dicitur. Strabo Nabathæos cum Idumæis coniungit.

Cedar.] Horum Arabum in reliqua scriptura frequens fit mentio, in Psalmis, Hieremia, Iesaia & Ezechiele.

Duma.] Huius meminit Iesaias: Duma ad me clamat ex Seir.

Et Massa.] Meminit & Iesaias Massa loco iam citato, sed quod uertãt interpretes onus. Ex his trib. uerbis coniunctis משמע דומה משא celebre apud ueteres natũ est prouerbiũ, quo multa audienda, facienda et ferẽda significãt, ad hæc tria nomina alludẽtes.

Duodecim principes.] Vt duodecim principes nepotum liberæ Saræ constituuntur, ita etiam posterorum ancillæ Saræ. Ratio mystica sanctis non est obscura.

Habitauit autem ab Hauilath.] regione Arabiæ sic appellata ab Heuilath nepote Noæ. Is locus indicat, ut explicari debeat id quod suprà capite secundo legitur: Nomen uni Phison, qui circuit omnem terram Heulah.

Vsq; Sur.] Solitudo est inter Cades & Barad, ad mare rubrum usq; pertingens & confinia Aegypti, in quo est Sina mons. Geographi meminerunt Nabatheorum, Chauilatheorum & Agræorum inter Arabum populos.

Obijt.] Heb. נפל cecidit. pro quo Chaldæus, שרא, habitauit. Sunt qui defectum ita farciunt, Cecidit sors eius.

Coram cunctis fratribus suis.) qui sunt filij Cethuræ. Sunt qui נפל in partem deteriorem interpretãtur in hunc modũ: Et in fratres suos irruit, quos subiugaret. Spectãt hi ad illud quod suprà capite decimo sexto dicitur de Ismaele: Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes. Qui autem pro נפל habitat uertunt, respiciunt ad illud in eodem loco, רעל פני כל אחיו ישכון. Nam נפל est uerbum quod de hæreditate diuina ratione sortis adeunda, usurpatur, ut infrà in Iosua manifestum est. Non deest ratio cur prius Ismael tot liberis, regno ac ditione amplissima auctus sit, quàm Isaacus, qui tum erat peregrinus in Chananæa. Consilium eius rei aperit benedictionis spiritua-

ritualis & carnalis, ueteris & noui, terreni & cœlestis hominis, status item legalis, & eius qui in statu gratiæ cernitur, cõparatio, satis sit delibasse.

De Mesopotamia.) Hebræus, מפדן ארם. interpretes interpretantur campestrem Syriam, quibus פדר est שרח Ismaelitarum lingua.

Deprecatus(que) est Isaac.) Tentatio Isaaci de sterilitate Rebeccæ quam uiginti annos habuit priusquam inciperet párere. Tentationis causa fuit promißio de sobole magna, quã uidebat tardius impleri. Quæ mora etiam proculdubiè Abrahamum patrem sollicitũ habuit, qui tum uiuebat, cum hæc precaretur filius Isaacus. Grauis tentationis exempla sunt, in quibus fides proponitur cum promißione diuina luctari. Ideo legitur hic uerbum ריעתר, quod non est leuiter, sed uehementer orare, ac deprecando urgere, ut quidam uertit חפצר בהפיללה. Ex huiusmodi igitur fidei ßtra tagematis discimus crucis usum, & ad inuocationem nominis Dei uiam muniri, inuocatione sub cognitione bonæ uoluntatis Dei, qua nobis afflictiones immittantur, patientiam exerceri, hac fidem probari, ex probata autem fide spem certam quæ nõ pudefaciat effulgere. quæ efficit ut etiam in media afflictione gaudium non desit. Hinc Apostolus afflictionem, patientiam, spem, gaudium & precationem assiduam coniungit, cum ad Romanos ait: Spe gaudentes, in afflictione patientes, precationi instantes. Exemplo hic est Isaacus & reliqui sancti patres.

Eo quòd esset sterilis.) contrà quàm ferret promißio. Causa orationis.

Qui exaudiuit eum.] stans promißis. Victoriæ fidei in tẽtatione per orationem exemplum. Hæc est exercitationis sanctorum schola. Nihil in historia patrum, de temporum, uestium, ciborum & locorum delectu, sed de promißione diuina, de fide, de uarijs tentationibus, de oratione & uictoria multiplici, quã fides parit, legitur, dum hæc hærens in oblata promißione, de Dei neq; fide, neq; potentia diffidit.

Et concepit.) Deo uterum aperiente, nõ natura, ut cognosceretur Dei fidem non fallere, & eos uerè Abrahami filios esse, qui promißione, non carne gignerentur.

Et collidebantur.] Hebræus quiddam sonantius habet, ריהר רצצר, Et se contundebant ac collidebant. quo uerbo infestum dißidium initio statim inter Esaum & Iacobum in materno utero cœpisse gliscere significatur. Qua colluctatione diuinus spiritus duo hominum genera indicat: alterum, carnem: alterum, spiritum: alterum, mundum hunc cum iusticia sua, sapientia, honoribus, diuitijs sequi: alterum, cœlum & iusticiã eius, quam fides in Euangelium parit, spectare. Quæ duo genera cum maximè aduersa inter se sint, mirũ esse nõ debet, Esaum & Iacobum gemellos in utero tantopere inter se colliso(s) fuisse, quos diuina sapientia tantorum dißidiorum mystica præludia agitare uoluerit. Inspicias omnia secula, huius pugnæ exempla non deerunt. Hoc modo Cainus cum Abele, Caina progenies cum Sethina familia, Chami cum Semo & Iapheth(o), Cananæi Aegyptijsq; cũ Israelitis, et in ipso Israelitico populo principes cũ prophetis, Saulus cũ Dauide: & tẽpore Apostolorũ Phariſæi doctores(q;) legis, cum Christo & apostolis pernicialia odia exercuerunt: & nostro seculo Machumetani et Antichristus ille Babylonius notus, eos qui Christi Euangeliũ amplectũtur, inimicè persequũtur. Qui cũ omnes uerã religionẽ iactent, & se Dei populum gloriantur, legimus in uno Rebeccæ utero Esaum & Iacobũ conceptos ac editos, sed non sine dolore maximo & cruciatu, ut nec Ecclesia miserè uexata absq; summo dolore, tam dißidentiũ gemellorum partum edit, alteris legis iusticiam & ea quæ sunt huius mundi, alteris Euangelium & ea quæ sunt Dei, cõsectantibus.

Vt consuleret Dominum.) quid nam portenderet tanta et tam periculosa fœtus collisio. Sed quò iuit ut inueniret Dominum? Interpretes Rebeccam ad patrum aliquem sanctum et spiritu oraculorum Dei clarum profectam dicunt: atq; alij de Semo, alij de Heb(e)re, alij de Abrahamo accipiunt. Nam hos patres tum uixisse constat. Cum Semo enim Isaacus, ut suprà indicatum, decem & centum annos uixit. Numerantur enim à diluuio ad natiuitatem Isaaci trecenti nonagintaduo: ad obitum uerò Semi, quingentiduo anni. ab ab his si subduxeris trecẽtos nonagintaduos annos, remanebunt decem & cẽtum anni, quibus Isaacus cum Semo uixit. Quod autem ad Abrahamum attinet, cũ hoc Isaacus septuagintaquinq; annos uitã degit. Abrahamus igitur mortuus non est, priusquam gemelli Esaus & Iacobus, quindecim annos nati essent. De Hebere supputatio constat ex capite 11.

Duæ gentes sunt in utero.) diuersæ ingenio, cultu, uita, benedictione. Sed quo Dei consilio id factum est? Tripartita causa huius consilij refertur in sacris literis: una, ut Dei gratia aduersus omnem operũ humanorum & meritorum spem extollatur, ut intelligant pij omne salutis præsidium in una gratia & misericordia Dei in Christo declaranda consistere, quod Deus Esaum priusquam quicquã mali commisisset reiecerit, & Iacobum amplexus sit antequam bonum ullum feciſſet, ueluti Apostolus in hanc sententiam in Epistola ad Romanos disserit: Nõdum enim natis pueris, cum neq; boni quippiam feciſſent, neq; mali, ut secundũ electionem Dei propositũ maneret, non ex operibus, sed ex uocante dictum est illi: Maior seruiet minori. Sicut scriptum est, Iacobum dilexi, Esau uerò odio habui. quem locum ille ex Malachia propheta attexuit, testimonio ex Genesi ablato. Vt nonnulli aliò hunc locum detorqueant, quàm Apostoli sententia ferat, suo loco demonstrabitur. Altera causa cernitur in declaratione potentiæ diuinæ, cum Deus eum qui maior est, hoc est in mũdo iusticiæ, sapientiæ & potentiæ opinione præstantior habetur, subuertit, & minorem mundo contemptum ad gloriam extollit, suã potentiam terrarum orbi declarans se eum esse qui uocet ea quæ non sunt, & quæ sunt, in nihilum redigat, ne coram ipso glorietur ulla caro. De hac causa idem Apostolus ex Exodo citato testimonio: In hoc ipsum

ipsum exaltaui te, ut ostendam potentiam meam, & annuncietur nomen meum in tota terra. Tertia causa est, ut gratiam Dei & salutem ad nulla mundi elementa affixa esse, intelligeremus: sed liberam à loco, tempore, persona ferri. Postremò hoc diſsidio Iacobi & Esai adumbratam pugnam quæ inter spiritum & carnem intercedit, Esao carnalem, terreum & ueterem hominem, Iacobo nouum & cœlestem repræsentante. Quem sicut uetus homo præcedit, ita Esaum hic primogenitum legimus. Sic enim diuina ratione comparatum est, ut deteriora priora tempore sint. Quare Apostolus: Primus homo factus ex terra, terrenus, in animam uiuentem: secundus de cœlo, cœlestis, in spiritum uiuificantem. Item: Seminatur mortale, & metitur immortale. Item: Prius quod animale, deinde spirituale. Huc pertinet quoq; ueteris & noui mundi, ueteris & nouæ Hierosolymæ, ueteris & noui fœderis, legis & gratiæ distinctio.

Populusq; populum superabit.) Si filum historiæ de Esao & Iacobo sequare, Idumæi à posteris Iacobi subiugati fuerunt, regi Dauidi tributarij facti: sin remoto mysticæ historiæ typo rem ipsam consideres, aduersus filiorum mundi potentiam & hypocritarum studia, uictoria nota est:

Seruiet.] priuatus primogenitura.

Minori.] Iacobo ad dignitatem regni & sacerdotij translato, ut uerum sit illud: Primi nouissimi. Item: Quæ erant imbecillia in mundo delegit Deus, ut pudefaceret ea quæ sunt robusta: & quæ ignobilia erant in mundo contempta q; elegit Deus, & ea quæ non erant, ut ea quæ sunt, obliteraret.

Rufus erat.] Quod erat signum firmi & bene affecti partus. Omnia primò editus præstantia habuit Esaus, corporis firmitatem, primogenituram, & in hac decus regni ac sacerdotij, ut non frustra עשו appellatus sit, quasi bene factus et elaboratus partus. Depono uelum mysticum. In hoc mundo omnia prius meliora obtinent impij, quàm pij: robur, opes, dignitates, regnum.

Hispidus.] Quæ animosi hominis nota erat.

Protinus alter egrediens.) Posteriorem locum habet Iacobus, consilium spiritus notum. Sed non perpetuò deterora tenebunt sancti. Sequitur enim:

Plantam fratris.) Ad hunc locum spectans Oseas his uerbis de Iacobo dixit: In utero supplantauit fratrem suum. Postrema igitur pars ipsa planta apprehensa à Iacobo significat pios nõ prius regnaturos in Christo, quàm nouissimo tempore sub finem mundi, destructo regno aduersarij in corpore impiorum. Inde fit ut scriptura extremo tempore sub mundi finem Esaum excindendum prædicet. Ideo Abdias prophetat: Et in monte Sion erit saluatio, & erit domus Iacobi ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esai stipula, Et non erunt reliquiæ domus Esau. Locus plenus consolatione, impios non perpetuò florentes fore, sed aliquando regni sui finem habituros: & pios qui iacent, dominaturos. Item, fore ut tandem uetere homine abolito nouus existat, qui regno Dei potiatur, quo sanguis & caro terreni & animalis hominis non potiatur, nec potiri potest. De quo uideris apud Apostolum.

Et idcirco appellauit eum Iacob.) Etymum à planta Esai apprehensa. Atq; commune nomen est sanctorum, peccatum, mundum, mortem et tenebrarum potestates supplantantium.

Sexagenarius erat Isaac.] Viginti igitur annos expectauit, dum augeretur liberis, qui quadragenarius Rebeccam duxisset.

Et fuit gnarus uenandi.] Ad quod genus uitæ congruebat corporis habitus. de quo suprà. Hoc modo uenator fuit Nimrodus, uenator Ismael. Quod in laude non ponitur.

Et homo agricola.) agrestis, qui uenandi studio detineretur.

Iacob autem uir simplex.) Confert utrumq; cum altero, à studijs & uitæ genere, per contentionem. Alter ut agrestis & ferus uenator, inter feras quas per insidias & dolos conficeret, uersabatur. Alter integer, quieta studia in tabernaculis habitans colebat. Accommodanda hæc ad duo hominum genera, de quibus paulo suprà meminimus. Paraphrastes addit eum in scholis dedisse operam doctrinis אורלם בא בית מדרש.

Isaac amabat Esau.) minimè obseruans consilij diuini de Esau: Maior seruiet minori. Augebat igitur dignitatem Esai, quòd à patre amaretur & magnifieret. In quare aliter pater, aliter Deus qui Esaum auersabatur, affectus erat.

Eo quòd de uenationibus.] et proculdubiè quòd primogenitus esset.

Et Rebecca diligebat.] obseruans sententiæ diuinæ: Maior seruiet minori, quam cognouerat ex Domino. Ad hæc Iacobus ut tranquillior, magis, ut uidetur, matris ingenio placuit.

Coxit autem Iacob.] non temerè, ut quod diuinæ rationis opus erat

Lassus.] Lassus dicitur Esaus factus ex uenandi studio. Contrà habet Iacobus, qui eum sequebatur, qui de se dicit: Iugum meum commodum est, & onus meum leue.

De coctione hac rufa.] Oblectatur rubro pulmẽto Esaus, qui capiatur ijs quæ caro & sanguis expetunt, in qua carne & sanguine peccatum instar cocci ni rubens continetur. de quo Vates: Si fuerint peccata uestra ut coccinum, instar niuis dealbabuntur: & si fuerint rubra ut uermiculus, uelut lana erunt. Contrà Iacobus primogenitura eius afficitur, de quo illud: Caput autem eius & capilli eius erant candidi sicut lana alba. Rubor igitur ueteri homini ex sanguine nato, albor ac candor nouo tribuitur. Quorum alter Esao, qui à rubea pulte Edomus uocatus est, alter Iacobo adumbratur.

Vende mihi primogenita.] Hebræus loquitur de iure primogenituræ, quam in uoce מכרה indicat. Hic aperit se ratio coctarum lentium sub proui-

dentia diuina, ut impleretur illud: Maior seruiet minori. Excusatur igitur Iacobus, cuius hoc facimus non fraude ac dolo malo, sed consilio Dei regeretur, cui non minus rectè obtemperare potuit, quàm Israelitæ cum spoliarent Aegyptum. Animus igitur in sancto homine spectandus est, non opus ipsum. Cæterùm primogenituræ quæ laus fuerit ac prærogatiua, infrà explicabitur in Mose. Dignitas eius in Christo Domino nostro eluceſcit, qui primogenitus ex mortuis & uniuersæ creaturæ regnum & sacerdotium æternum iure obtinet. Hæc igitur primogenitura ut ipsi Iacobo, id est pijs, grata est, & preciosa, in qua sola regnant, & aduersus potestatem peccati, mortis & inferorũ triumphant, ita impijs sordet, ut Apostolus uerè dicit: Animalis homo nõ percipit ea quæ spiritus Dei sunt: stulticiæ siquidem illa sunt. Ideo hic Esaus legitur contempsisse primogenituram in Christo laudatam, qui uendiderit eam uilissima pulte. Itaq; Thargum Hierosolymitanum ait hic ab Esao hæreditatem, quæ cedet pijs in futuro mundo, contemptam, & negatam excitationem in uitam mortuorum. Dicit enim: ראפס חולקה בעלמא דאתי וכפר בתחיית מתיא.

IN CAPVT XXVI.

ORta autem fame.] Tentatio famis: hanc augebat magnitudo familiæ, & peregrinatio in terra aliena.

In diebus Abraham.) Suprà capite duodecimo patri Abrahamo sucœdit filius non solum hæres bonorum, sed etiam malorum omnium particeps, quibus partim ipse ad fidei perfectionem exerceretur, partim exemplo posteris esset, ut pari patientia ad confirmandum animum suas calamitates toleraret: persuasi sanctorum uniuersam uitam nihil aliud quàm perpetuam in uarijs afflictionibus militiam esse, ut Iob alicubi: Militia est uita hominis super terram, militia inquam aduersus famem, pestes, bella, peccatum, mortem & potestates peccati & mortis.

Ad Abimelech.] regiæ dignitatis commune nomen erat. ut apud Aegyptios Pharao, & apud Romanos Cæsar.

Apparuitq; ei Dominus.) Ad consolandum & adiuuandum in tentatione famis. Exemplum præsentiæ Dei in rebus afflictis. In rebus igitur secundis res aduersas, & in aduersis secundas, hoc est præsentem affore Deum uerbo suo, & ope, meditari pios decet. Quæ meditatio suis experimentis nixa, carnis securitatem deprimit, & fiduciam in Deum attollit, atq; confirmat. Hinc illud: Bonum est mihi, quòd humiliasti me Domine. Dauid enim intelligebat Deum humilia qui summus sit respicere, excelsa aspernari, qui nec parem, nec superiorem ferat. Hic crucis usus se ostendit, quæ diuina ratione occasione peccati in mundum importata est, ut per eam nos deiecti & nostram infirmitatem agnoscceremus, & Deum in omnibus & super omnia amplificaremus. Hoc ipsum mysterium crucis est mundo absconditum.

Ne descendas in Aegyptum.) Exemplo patris quem suprà legimus in Aegyptum descendisse leuandæ famis gratia.

Quam dixero tibi.) Sanctis ex sententia uerbi Dei dispensari terras ad habitandum. Locus de prouidentia diuina & abnegatione sui, per quam sancti ex consilio Dei, non suo pendeant.

Eroq; tecum.] Consolatio à præsentia Dei. præclara promissio & necessaria pijs, quam hi solum fide arripiunt & uincunt, dum credunt promittenti salutem Deo, qui uerax sit & potens præstare quæ promisit. Ideo Ioannes: Hæc est uictoria quæ uincit mundum, fides uestra. Sed in quo & per quem uincit? per eum qui in cordibus nostris dicit: Ero tecum. qui mundum et omnia quæ in eo sunt creationis iure subiecta tenet. In hoc uerbo, Ero tecum, Messias comprehenditur, qui brachium, robur, & potentia Dei patris est. Atq; uerbum hoc אהיה salutare illud uerbũ Dei est, de quo infrà ad Mosem in Exodo Dominus meminit. Atq; in hoc uerbo promissio salutis indicata omnes humanos conatus, consilia, merita, opem, præsidia tollit, & unam fidem qua nobis omnis in Christo salus cõmunicetur, & conficiatur, requirit.

Et benedicam tibi.] Repetit ad Isaacum benedictionis promissionem antea patri denunciatam.

Complens iuramentum.] De quo suprà capite uigesimosecundo.

Spopondi.] per memetipsum. Interpres spopondi, pro iuraui.

Benedicentur.) iam maledictæ in uetere Adamo.

In semine tuo.] nouo & cœlesti Adamo Christo.

Eo quòd obedierit Abraham.] non parcens unigenæ filio. de quare suprà capite uigesimosecundo. filio Isaaco benedicit Dominus propter patris Abrahami fidem. Verum igitur est, quod infra Exod. uigesimo legitur: Et faciens bene in mille ætates ijs qui diligunt me: sed ita, si filij patrem refrant innocentia, ut feciſſe legitur Isaacus.

Et custodierit præcepta.] משמרת uniuersum genus est legum. De more enim sacra lingua totum genus proponit, quod in partes suas tribuat.

Et mandata mea.) חקות etiam naturæ legem omnium cordibus impressam complectuntur.

Et ceremonias.) חקה ut interpretes uolunt, sunt ferè leges non inscriptæ animis & naturales, in quas omnes gentes consentiunt, sed ex arbitrio legislatoris, quarum ipse rationem teneat positæ: quales fuere ceremoniæ, quæ rerum futurarum umbram prætulerunt apud Hebræos. De hac legis parte Apostolus: Nam lex umbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.

Legesq;.) תורה lex à docendo sic adpellata, ut משמרת à custodiendo, quòd conueniat doctrinam Dei fide & factis exprimi ac conseruari.

Seruauerit.] præeunte fide per charitatem agente, ex cuius dignitate benefactis omnis sua æstimatio ac precium constat.

Mansit itaq; Isaac in Geraris.) ut præceperat Dominus, Ne descendas in Aegyptum.

Soror mea est.) quæ esset de familia & cognatione sua.

ne sua. Nulla tentatio ab uxore.

Timuerat enim confiteri.] quòd cogitaret gentem illam uero Dei cultu destitutam, infestamq; sibi esse, & posteris suis inimicam futuram. Timor is non fuit diffidentis diuino erga se præsidio, sed infirmitatis in qua Dei robur perficeretur, qui ut promiserat se cum Isaaco futurum, ita præstare quod pollicitus fuerat, noluit sine lucta ac tentatione imbecillis naturæ. in qua pugna cum uersaretur Isaacus, respectãs ad promissionem, Erogq; tecum, tandem uicit. Pulchrum spectaculum exhibetur luctantis & uincentis fidei, dum hoc modo per infirmitatem robur, per annonæ caritatem abundantia rei frumentariæ, per uarias calamitates res prosperæ eueniunt sub spe & fide omnia permittente Deo. Verè igitur dicit Apostolus: Scimus autem quòd his qui diligunt Deum omnia simul adiumento sint in bonum, ijs qui ex proposito Dei uocati sunt.

Propter illius pulchritudinem.) De qua suprà: Puella decora ualde.

Cumq; pertransissent dies plurimi.) Expostulatio Abimelechi cum Isaaco. Talis suprà quoq; habita legitur cum Abrahamo de Sara.

Vidit enim iocantem.] Scita paronomasia in יצחק מצחק.

Cur mentitus es?) Durius uertit quàm Hebræus habet, Cur dixisti, Soror mea est?

Grande peccatum.] Grande de suo addidit interpres amplificandi gratia. Agnoscit Abimelechus iudicem delictorum esse Deum. Quod fuit in conscientia legis diuinæ erga Isaacum prouidentiæ opus.

Præcepitq; omni populo.) Vincit tandem spes Isaaci, qui se & Rebeccam uxorem suam credidisset tutelæ Dei. Igitur sensit uerum esse illud: Erogq; tecũ. Locus de usu tentationis. Beati qui similia cum Isaaco experiuntur in stratagemate militiæ Christianæ. Nõ mirum igitur fuerit, si sæpe fœda stupra in sororibus, filiabus & uxoribus contemplentur familiæ, cum neque se, neque suos præsidio Dei tegendos per fidem permittunt, oratione & spe uacui, & ad omnia periculà securi.

Qui tetigerit hominis huius.) Plenus consolatione locus de cura Dei quam gerit erga sanctorum coniugia, ut ea inter impios etiam pura conseruet. qui locus exemplo Abrahami & Isaaci confirmatur.

Seminauit autem Isaac.) Victoriæ fidei in tentatione difficultatis annonæ exemplum. Itaq; qui suprà promiserat, Et benedicam tibi: iam promissa stans, fidem suam liberat, ut sequitur.

Et inuenit in ipso anno centuplũ.] In tentationibus igitur sanctorum patrum duplex cernitur usus: primus, quo ipsorum fidem uaria afflictione corroboratam cognoscimus. Secundus, quo exemplum nobis præbetur, ex quo intelligamus nobis similiter in omni calamitate Deum affuturum, cum idem sit Dominus, idem Christus, idem spiritus, eadem conditio omnium sanctorum. Hoc modo beneficentia diuina à personis & temporibus ad totum genus sanctorum translata, consolationem nobis, de qua iam meminimus, parit.

Et inuenit.] Domino dante incrementa, serente & plantante Isaaco itaq; inuenit prouidente Deo, non casu, non temerè. quod innuit Hebraicum uerbũ. ut est apud Salomonẽ in Prouerbijs: Qui inuenit uxorem, bonum inuenit, & beneuolentiam Domini inuenit.

Et ibat proficiens.] Locutio Hebraica וילרך הלוך auctus & opum incrementa ac accessionem factam declarat.

Ob hoc inuidentes ei.] Locus de inuidia Philistæorum aduersus auctas opes Isaaci. In qua gente statim ab initio capitaliũ odiorum semina spargi cœperunt. Nullam enim gentem magis infestam senserunt posteri Isaaci, quàm Palæstinos. Remoto typo legimus in Psal. Dirumpamus uincula eorum.

Omnes puteos quos foderant.] de quibus suprà capite uigesimoprimo.

Illo tempore obstruxerant.) Deponas uelum mystica historiæ, & intelliges qui Palæstini nobis iam multis seculis fontes uiuis Euangelij aquis scaturiẽtes, & Abrahami fide fossos obstruant, cœnoq; humanarum doctrinarum opplerint, cisternis paratis. de quibus Hieremias: Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non ualent aquas. qui inquam tales sint Palæstini, non est obscurum.

Quoniã potentior nobis factus est.) Causa inuidiæ, aliena bona. Non malè ergo ille: Inuidus alterius rebus macrescit opimis.

Itaq; tria in tractãda inuidia expẽdi solent: primò, quales sint qui inuidiæ patent: alterum, res ex quibus inuidia excitatur: tertiò, ut compositi sint qui inuidiæ flagrant. Similes potentia, gloria, sapientia, diuitijs solẽt inuidiæ exponi ac opportuni esse. ut hic ipsi Isaaco Abimelechum inuidisse legitur, cum quo opibus contenderet. Et Saulum Dauidi, ut æmulo regni: & Christo Pharisæos, cuius sapientiam & existimationem in uulgo crescere, & suã decrescere, ægre ferebant. Res uerò quæ in inuidiã cadunt, sunt sapientia, gloria, opes, dignitas, quæ dotes cum amari, non odio haberi deberent, meritò iniustissima res habita est inuidia. ut ille:

φθόνος διάπυρος δι' ἀδικώτατος θεός,
διανοῖς τε χαίρει, δι' ἀγαθοῖς ἀλγύνεται.

Profectus inde.] cedens inuidiæ & odijs improborum. Quod fuit in sancto patre moderationis nobis utile ad imitandum exemplum.

Pro quo non contenderunt.] uincente omnia per spem & fidem Isaaco.

Dilatauit nos Dominus.) Locus memorabilis, ex contentione & inimicitia nobis aduersantium, res nostras crescere & propagari. præcessit enim de duobus puteis, quorum alter ab inimicitijs Satnas, alter à controuersia Essecus nominatus est.

Dominus.] non industria nostra. Gloriam auctarum opum Deo tribuit, quod erat unius fidei opus iam per tentationem confirmatæ.

Beersabee.] *uicinum locum habitatũ antea à patre Abrahamo, in quo solitus fuerat quoq; is celebrare nomen Domini, extructa ara, suprà capite uigesimoprimo.*

Ego.] *non alius. Hac una uoce fides piorum nititur ad uitandos deos alienos.*

Deus.] *adiutor & assertor.*

Abraham patris.] *quem te fide & innocentiâ referre decet.*

Noli timere.] *Ab exemplo hortatio: Vt patrem tuum adiui in omnibus aduersitatibus, ita etiam te iuuabo.*

Quia ego.] *qui possim te liberare. à facultate.*

Tecum sum.) *qui cupio te ex malis uindicare. à uoluntate. Quæ duæ res firmam reddũt promissionis fidem, de qua sequitur.*

Propter seruum meum Abraham. [*patrem credentium, ad quem primò delatæ essent promissiones de possidenda Chananæa, & numerosa sobole.*

Itaq; ædificauit ibi altare.] *hostias gratiarum actionis oblaturus de beneficio redemptionis.*

Quare uenistis ad me?] *Libera, sed æqua cum Pælestinis expostulatio.*

Quẽ odistis.] *nullo suo merito, qui uos diligeret.*

Expulistis.] *Quem Deus ferret suis ornatum beneficijs.*

Vidimus.] *ex uita & benefactis, ex rebus non humano consilio, sed cura diuina tibi prospere affluẽtibus. Vincit inuidiam in aduersarijs nimis aucta prosperitas Isaaci. Nimia enim felicitas præcipua sanandæ inuidiæ medicina esse fertur. Scitè ergo inuidiam quidã fumo comparant. ut enim fumus excitata flamma statim opprimitur: ita inuidia initio quidem quamuis uehementer flagret, mox tamen amplificatis illis quibus inuidebatur, instar fumi euanescit. Mysticus locus est, quo significatur futurum, ut tandem aduersarij Euangelij destituti omni spe ac successu persequendi sanctos, à uano conatu desistant, puteis quos pater Abrahamus fodit, cœlesti Isaaco relictis, qui hac uictoria sub spe per patientiam potitur. de qua illud: In patientia possidebitis animas uestras. Vbi canetur illud: Nunc dilatauit nos Dominus, creuimus in terrã.*

Tecum esse Dominũ.] *Similiter suprà de Abrahamo confitentur: Deus tecũ est in omnibus quæ agis. Magnus tentationis fructus, quem nec qui hostes fuerant celare possint.*

Sit iuramentum inter nos.] אלה *execratio nota metalepsi pro iuramento. Quæ enim res execrabilis magis quàm mendacem testem Deum, qui ipsa ueritas sit, peierando reddere?*

Vt non facias nobis quicquam mali.] *quem scirent potentem factum. Præclarum opus curæ diuinæ pro sanctis, quæ illis ex hostibus amicos reddat. Huc spectans Salomon hanc sententiam extulit: Cui fauet Dominus, inimicos ei placatos reddit. Qui porrò timuerat, ut peregrinus, potentem Philistæorum gentẽ: iam conuersa fortuna timetur, & terrori fit ei qui terruerant. Interpres formulam iurisiurandi Hebraicam Latinè expressit.*

Auctum benedictione Domini.) *Ratio contrahẽdi fœderis exponitur, à qua cœperat. Vidimus te cum esse Dominum. si referas hæc ad reconciliationis omnium tempora, iuramenti Isaaci cum Palæstinis reuiti iam reparatis fontibus, consilium constabit. Nos in Esaia legimus. In die illa radix Iesse, quæ stat in signum populorum, ipsum gentes requirent.*

Attigimus.) *Hebræorum tropo, pro læsimus. Ideò Chaldæus,* אגרימנן.

Abundantiam.] שבעה *septem aut iuramentum notat. puteus iuramenti appellatus est propter fœdus iureiurando confirmatum.*

Esaus autem quadragenarius.) *centenario iam Isaaco. Prius ducit uxorẽ Esaus quàm Iacobus, de quo sequens historia prolixè texitur. igitur hæc quæ hic leguntur, ad sequentia cohærent.*

Duxit uxorem.) *non ex sententia parentum, & contra exemplum Isaaci, qui ex familia sua in Semo benedicta duxit uxorem. Sed dignus fuit Esaus, qui primogenituræ diuendito uere seruus factus esset, ut in seruilem Chananæorum familiam nuberet.*

Quæ ambæ offendebant animum.) *Quæ de genere Chanaanis esset maledicti in Chamo. In uerbo* מרה *etiam notatur rebellio, ut intelligatur eas rebellasse imperio soceri. Ideo Chaldæus:* ורחמת בסרבן בר בתואל בר נחור אחי דרבקה. *Excipium felicem & prosperũ rerum statũ infelicis filij Esai nuptiæ, ne abesset afflictio sancto patri Isaaco: & disceret in benedictione terrena, quæ firma non esset, cœlestẽ expectare.*

IN CAPVT XXVII.

Svme arma tua.] Arma Esai ut Ismaelis leguntur fuisse, arcus, pharetræ, sagittæ, q cũ Nimrod robu[illegible] uenatorẽ ageret, et cum Ismaele in solitudine Arabum ditionem nactus esset. Hæc arma nontribuuntur Iacobo in tabernaculis uersanti pacatè & quietè. Nec tamen deest Iacobo illi cœlesti suus arcus cum pharetra & sagittis, de quibus uates: Sagittæ tuæ acutæ, sub te populi cadent. Item Ioãnes: Et qui sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei corona, sed qualis is arcus sit, explicat Esaias capite undecimo.

Benedicat tibi anima mea.] *Benedicere in loco bene precari est. Hic cognoscimus decretũ illud Dei, Maior seruiet minori, Rebeccæ & Iacobo notum fuisse, non item Isaaco.*

Antequam moriar.] *Exemplum patris sequitur, de quo suprà legimus, ut ante mortem cuncta quæ ad hæreditatem pertinerent, disposuerit. Simile exemplũ infrà in Iacobo spectatur. quod ad locum communem domesticæ prudentiæ pertinet.*

Quod cum audisset Rebecca.) *pro Iacobi benedictione sollicita, quæ admonebatur nimirum oraculo illo: Et maior seruiet minori.*

Et ille abijsset in agrum.] *cuius amans esset. Suprà: Esaus uir peritus uenandi & agrestis. Esaus igitur feras persequẽs, primogenituræ ius perdidit, quod retinuit Iacobus domi se continens. Vtriq; sua studia certum*

certum exitum parauit, qui à numine Dei prouisus fuerat. In quo ordine primum locum præscientia diuina tenet, alterum prædefinitio ad certam functionem ac studia, tertium ipsa functio ac studia, ultimum exitus. Præscientia sua prænouerat Esaum benedictione caruturum, & hanc naturam Iacobum. præfinitione certa media destinata sunt, quibus uterq; ad præuisum exitū perueniret. In altero enim licebat cernere contemptum primogenituræ, gemus uitæ ferum ac agreste, neglectionem parentum in connubijs contrahendis, odiū in fratrē, quæ certa uia ad interitū fuit. In altero contraria omnia. At quāuis nondū natis pueris, quum neq; boni quippiam neq; mali fecissent, alter ad imperium deputatus, alter ad seruitutē damnatus esset, tamen neq; seruitutem antea sensit Esaus, quàm malè compositū animū prauis studijs declarasset: neque Iacobus dominatum obtinuit, quàm posteris suis fide & obedientia se qualis esset indicasset. Ad hunc locum illustrandum commodè afferemur quæ Apostolus capite octauo in epistola ad Romanos disserit de præscientia & prædefinitione diuina. At dicat hic aliquis, nihil temerè de Esao iudicandū esse, sed eum Dei iudicio permittendū cum gente Idumæa ab eo propagata. Adumbrari enim hic ueteris & terreni hominis cum sua sapientia, iusticia & potentia in Esao eiusq; posteris, et in Iacobo atq; Iacobæis nouæ & cœlestis sobolis statum: nihil uerò de Esai & Idumæorum æterna illa repudiatione pronūciari, præsertim cū in Deuteronomio legamus iure ciuitatis Israeliticæ nō omnino Idumæos priuandos esse. Hanc aūt Mosaicā legem amoris & beneuolentiæ diuinæ in istam gentem significationē quandā præ se ferre uideri. Itaq; quod ad odiū pertinet quo Deus Esaū anteq̄ natus esset, prosequutus traditur, id accipi de odio quo tēporali benedictione Deus illū destituit, nō de eo quo etiā æterna illa benedictione scriptis in libro uitæ destinata priuarit. Idem iudicandū esse de Aegyptijs, Chananæis, Assyrijs & alijs gentibus, in quibus semper, si figura & umbra reducatur, electi reperti sint, ut in Israelitis repudiati. Cum ijs qui sic sentiunt, nemo fortasse magnopere dissenserit, modò hac sua sententia Paulinam disputationem non euertant, in qua exemplo Esai & Iacobi Apostolus usus cōfirmat gratiam electionis in electis & repudiationem in repudiatis & ab æterno ad interitum destinatis omnem eorum uoluntatem, conatum, studia antecedere. Qua de re infrà in Exodo fusius post illa quæ suprà explicata sunt, meminerimus.

Coram Domino.] qui sciret primogenito debere benedictionis ius, hoc est ius regni & sacerdotij.

Nunc ergo fili mi.] Consiliū sollicitæ matris pro Iacobo exponitur. Adumbratur ecclesiæ cœlestis Rebeccæ studiū pro filijs promissionis quomodo his primogenituræ ius cēcilliet: de quo illud: Sed accessistis ad conciones primogenitorum qui scripti sunt in cœlo.

Duos hœdos.] Esaus uenator feras studet afferre. Iacob tabernaculorum habitator hœdos affert.

Nosti quòd Esau frater.) Obijcit Iacobus signa contraria. Quæ disputatio non dubitantis de sententia Dei, Maior seruiet minori: sed nondum intelligentis qua ratione, quibusq; modis illa impleretur, erat.

In me sit, ait, ista maledictio.] Confutatio obiectionis plena fidei, qua mater significauit, se neq; de diuino decreto dubitare, neq; uiam qua promissa benedictio expediretur, ignorare.

De uestibus Esau ualde bonis.] Uestitu elegantiori Esai Iacobus ornatur. Deposito uelo intelligemus eos qui legis sapientiam, iusticiam, & huius seculi potentiam iactant, suo precioso uestitu priuandos esse, et eo induendos qui de Euangelij gratia gloriantur. Verum igitur illud: Quisquis autem nō habet, etiam illud auferetur ab eo quod habet.

Et colli nuda.] חלקת læuorem ac glabrum colli.

Hœdorum pellibus.] Hæ pelles cuius hœdi pelles & agni significent, quaq; ueste induti primogenituræ, hoc est sacerdotij & regni ius nanciscamur, non est obscurum. Nam notū est illud, Christum induistis: & de iure sacerdotij & regni per hunc uestitum nobis comparato: Vos estis regale sacerdotium.

Ego sum primogenitus Esau.] Mentitus ne est Iacobus qui dixerit se Esaum esse, cum Iacobus esset, et malo dolo ne egit Rebecca mater cum filiū minorē ut maiori præriperet arte benedictionem, subornauit? Hæc mali doli crimine caruit, ille mendacij. Nam Rebecca quod fecit, Dei consilio fecit, freta oraculo illo: Maior seruiet minori. Iacobus qui matri prouidentiæ diuinæ gerenti causam, obtemperauit, à culpa quoque liber fuit, & uerè se pro Esao uenditare potuit, qui sciret quantum ad primogenituræ ius pertinebat, se Esaum esse, cui dominij dignitatem destinasset Deus, & eam emptionis iure sibi dudum uendicasset. Itaq; non omnis simulatio fuerit uitiosa, sed ea quæ à Deo auellit ad patrem mendacij. de quo ueritas ipsa: Diabolus mendax est, & pater mendacij. Atq; hanc ueritatē simulatione quoq; usam legimus, cum se hortulanum & peregrinum simularet. Itaq; ut Iacobus se Esaum uocauit primo genituræ ipsius iure & munere, sic Dominus Ioannem Baptistā Heliam appellauit. Sed nec Isaacus peccauit Esaū benedicere uolens, qui communem primogenituræ legem sequeretur: quam uiolare non sustinuit, nondum de peculiari Dei in Iacobum fauore certior factus. Quemadmodum etiam Abrahamus culpa caruit, cum primò Ismaelem cum Agare matre dimittere renueret. Vterq; igitur uoluntatis Dei ad tempus ignarus fuit: Abrahamus de amandando à se filio Ismaele. Isaacus etiam mente hac in re caligans de benedicendo Iacobo pro Esao. Vterq; autem statim ut cognouit animū Domini, propense secutus est quod is mandauit: Abrahamus in dimittendis omnibus quæ possederat liberæ Saræ filio: Isaacus in retinendo ipsi Iacobo primogenituræ iure, quod per sanctum dolum acceperat, quamlibet repugnaret diuino consilio Esaus. At uerò hæc non ideo afferimus, ut uelimus sanctos patres anxiè omni culpa liberare. Stat enim illud: Non est iustus q faciat bene, & non peccet. item: Qui dicit se peccatum non habere, mendax est.

Voluntas Dei fuit.] *Diluit suspicionem à prouidentia diuina, cum dicit non temerè tam subitò cibum paratum, sed à Deo obiectum: neq; à quouis quem qui uis colunt, Deo, sed quem Isaacus coleret, uerè uidelicet & fide: hoc est, cultu quem uerbum eius præscriberet, non humana ratio dictaret. quam cum aliæ gentes sequuntur in colendo Deo, uerè hunc colere non dicuntur, sed falso.*

Vt tangam te.) *Nec dum exempta suspicio est, quam auxerat uox Iacobi. Quod igitur ante subolue rat Iacobo, iã euenit: Si attrectauerit me pater meus.*

Et non cognouit eum.] *Ita prouidente Domino, ut Isaacus respiceret magis manus quàm uocem. Vox igitur Iacobo sua fraudi non fuit, & manus Esai adiuuerunt. Idem de uestitu iudicium, qui Esaum non adiuuit, Iacobum adiuuit. Alia nanq; persona Esai, alia Iacobi, alius animus: alia studia Esai, alia Iacobi erãt.*

Et benedixit eum.) *confirmato ei iure primogenituræ.*

Tu es filius meus Esau.] *Instat interrogando, sed frustra, laborante cura diuina pro Iacobo.*

Affer mihi.] *Præcessere hæc benedictionem.*

Da mihi osculum.] *Locus de uetustate osculorũ beneuolentiæ & pacis symbolo, qui mos in posteros dimanauit. Apostolus: Salutate inuicem osculo sancto.*

Cui benedixit.] *uberem & fœcundum fecit.*

Det tibi Deus de rore cœli.) *Quatuor hic res cognoscimus: una formulã, quæ fuerit apud patres bene precandi: altera naturam confessionis fidei de beneficentia diuina, continet, qua agnoscitur omnes cœli & terræ dotes bonitatis Dei munus esse, non humani meriti & industriæ. Tertiò admonemur, animo uoluendam esse spiritualem benedictionem sub mystica, quæ cœlesti Iacobo sit destinata. Demum utranq; benedictionem ad Iacobum, hoc est ad sanctos propriè pertinere, ut ad dominos omnium, non ad impios.*

De rore cœli.) *Rorem cœli coniungit cum ubertate & pinguedine terræ, quod hæc ex præparatione aquarum in opere creationis mundi facta, quæ pluuias & cœli rorem continet, ubertatem suam hauriat.*

Et seruiant tibi populi.) *qui te afflixerint. quod tempore Dauidis quantũ ad historiam attinet, accidit.*

Et adorent te tribus.] *Remoto uelo legimus in propheta: Et fluent ad eum omnes gentes. Regnum notatur comprehensum iure primogenituræ. Atq; ex Iacobo Christus nasci debuit rex, quẽ omnes terræ nationes colerent, cui cœlestia & terrestria genua flecterent, ut Christus de se fatetur: Mihi omnis potestas data est cœli & terræ.*

Fratrum tuorum.) *Nonnulli interpretantur de filijs concubinarum, quas habuerit Isaacus, quod scriptura nusquam meminit.*

Qui maledixerit tibi.] *Præclara promissio finiendã aliquãdo sanctorum mala. Quæ res pios in officio patientiæ retinet. Hæc imprecatio oraculi loco est, nata ex illa promissione ad patrem Abrahamum delata: Benedicam benedicentibus te, & maledicam maledicentibus. Ex hoc loco tria discimus: primò, sanctos ad tempus imprecationi impiorum obnoxios esse: deinde, hos aliquando liberandos: demum, maledictionem omnem recasuram in capita impiorum.*

Sit ille maledictus.] *Perpendant hanc imprecationem impij persecutores Iacobi sub hac corruenti tyranni orbis terrarum cum superba Babylonia meretrice & capite maledictorum dracone Satana. in quem hæc sententia suprà pronunciata legitur: Maledictus es.*

Et qui benedixerit tibi.] *Ex contrariorum comparatione benedictio ducta. Quò pertinuerit illud Christi: Amen dico uobis, quatenus feciſtis uni de his fratribus minimis, mihi feciſtis.*

Vix Isaac sermonem impleuerat.] *Accelerat Esaus ad nanciscendam precationem fatidam, sed frustra, præueniente omnem humanam industriam ineluctabili gratia Dei, quæ erga sanctos geritur, ut intelligamus quid illud sit: Non est neq; uolẽtis, neq; currentis, sed miserentis Dei.*

Vt benedicat mihi anima tua.] *quemadmodum promisisti. Affer ut comedã, & benedicat tibi anima mea. pro quo Latini, Vt bene tibi precer.*

Quis es tu.) *Sera percunctatio.*

Qui respondit, Ego sum filius tuus primogenitus.) *Primogenituram falso ostentat quam uendiderat, quæq; diuino consilio Iacobo destinata fuerat.*

Expauit Isaac stupore uehementi.] *ut ignarus consilij Dei stantis à Iacobo contra Esaum.*

Et erit benedictus.] *Cõfirmatur ius primogenituræ ipsi Iacobo, ut uincat sententia semel lata: Maior seruiet minori. Locus memorabilis de constanti & firmo proposito Dei quod is in seruandis suis tenet, quod neque industria & labor Esai, neq; uoluntas patris, qui sollicitus erat pro Esao, neq; dignitas carnalis qua præcellebat maior natu, neq; lex cõmunis quæ stabat à primogenito, impedire potuerit, quo minus minor natu quamlibet contemptus iaceret & omnia inferiora haberet, benedictionẽ obtineret, & ea tribueretur maiori. Hoc Dei consilium expendant sapientes, pomtemesq; huius mundi, ut discant infirmis cedere, quos Deus diligit, ut in eis gloriam potentiæ suæ & sapientiæ declaret. De qua re supra.*

Irrugijt clamore magno.] *Eiulatus is nimis serus erat, et superuacaneus, qualis est uirginũ, de quib. apud Matthæũ. Hoc est omnium eorum, qui donis Dei per contemptum dum adsunt, abutuntur, & per eiulatum eadem, cum iam iusto Dei iudicio auferuntur, frustra reposcunt. Hæc sors, is exitus est filiorum huius mundi.*

Benedic etiam & mihi.] *quemadmodum promisisti.*

Venit germanus huius fraudulenter.] *Reiscit pater factam benedictionem in dolum Iacobi, quæ cõtigisset diuina ratione & consilio. ideo Chaldæus pro בתרמה interpretatur בחכמא.*

Iustè uocatum est.] *Ab etymo grauat dolum & fraudem in fratre Iacobo.*

Primogenita mea.] *ius primogenituræ, sed quod*

tu illi uendideris. Surripuit benedictionē meā.] sed quæ tua nunquam fuerit, sed Iacobi, de quo alicubi: Iacob dilexi, Esau uerò odio habui.

Nunquid non reseruasti.] Requirunt & filij mundi huius benedictionem, quam adipiscantur, sed ita, ut eam neq; perpetuò, sed precariò & non suo iure, neq; tanquam domini, sed tanquam serui retineant, ut sequitur:

Dominum tuum constitui illum.) Ex iure primogenituræ. Locus mysticus de regno Christi & sanctorum. Huic regno omnem sapientiam, iusticiam, potentiam carnis & huius mundi, subiectam esse debere, & aliquando ei subijciendam.

Frumento & uino stabiliui eum.) סמכתיו aptum naturæ uini & panis uerbum, quibus nimirum uires nostræ reficiantur atq; confirmentur.

Num unam inquit benedictionē habes?] quo minus etiam mihi bona preceris, qui æquè filius tuus sim atq; Iacobus. Ab æquo hortatio. Hic insistit, neq; cessat, dum quæ cupit, impetret.

Cumq; eiulatu magno fleret.] Omnia hîc sunt πάθητικὰ, appellatio blandior patris: eiulatus cum fletu mixtus, aptus ad commouendum.

In pinguedine terræ.) Fruitur tandem & sua benedictione Esaus, sed tanquam seruus Iacobi. Adeo igitur primo genituræ nunquam redire neq; fletu neq; eiulatu potuit. Atq; idipsum est, quod Apostolus ad Hebræos dicit, nō reperisse Esaum pœnitentiæ locum quamuis cum lachrymis quæsiuisset eum. Sunt qui putant Esaum hic benedictione à patre non ornatum, sed ea priuatum potius per imprecationem. Ita q; præsentem locum hunc in modum interpretantur: Tua sedes à terræ pinguetudine & à supero cœli rore aberit: Si in hunc modum exponendus est locus præsens, quid ergo faciemus illis in Epistola ad Hebræos uerbis, Per fidem de futuris benedixit Isaacus filio Iacobō & Esaō? Præterea unde in monte Seir uictus Esao suppeditatus est, si eius sedes terræ ubertate, qua suos & pecora, quorum magnam uim habuisse legitur, aleret, caruit? In Numeris legitur, Idumæis agros et uineas bene cultas fuisse. Et apud Malachiam minatur Dominus se Esao suos montes desertos, possessionem uastam, terramq; draconibus infestam redditurum, ex quo uaticinio intelligimus montibus Idumæis cultum pinguedine terræ & rore cœlestis carentem nequaquam defuisse. Accedit huc quod infrà legitur, utrosq; Esaum & Iacobum, ualde diuites fuisse. At unde diuitiæ & tantæ opes affluxerūt? ex benedictione sanè qua hic legitur ab Isaaco patre oraculari benedictione Esaus fortunatus. præterea in benedictione Iacobi eadem uerba משמני & מטל ponuntur, quid ergo caussæ est cur illa aliter hic quàm illic exponi debeant? præsertim cum pater filium pro suo in eum amore, ablata et benedictione, sine qua uiuere nō posset, diris persequi minimè uoluerit, quem nec Deus dotibus cœli & terræ spoliare statuerit, ut res ipsa & exitus docuerūto est. Dicas, etiā alijs in locis משמני idem ualere quod sine pinguedine. sic enim legi Psalmo cēteſimo nono ורבשדי נחש בישמני id est, Et caro mea emarcescit à pinguedine: hoc est, defectu pinguedinis. fatemur ibi à uel ab Hebræorum etiam sententia significare sine aut absq;: at uerò propterea non consequitur, idem etiam hoc in loco ualere. Nam quod in Psalmo suprà citato defectum significat, in caussa est adiunctum נחש uerbum, quod cum tabescere notat, pinguedinem non tolerat, quæ tabi contraria est. Hic uerò nihil in litera ponitur, cur A uel Ab non potius uim aientis quàm negantis habeat. Etenim narratio indicat neq; patrem qui filio bene cuperet, neq; Deum uoluisse benedictione cœli & terræ Esaum spoliare. Nam is solet etiam eos quorum studijs non faueat, muneribus uitæ, opum, potentiæ, gloriæ, ornare. Cuius bonitatem his uerbis Dominus noster celebrat: Qui solem suum exoriri iubet super malos & bonos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos. At quid hoc aliud est quàm Deum pro sua naturali benignitate pariter probis & improbis, pinguedinem terræ & rorem cœlestem impertiri? Si omnia secula consideres, semper huius mundi filios sapientia carnis, opibus, existimatione, gloria rebusq; prosperis floruisse comperies. Nostra tempora & superiora antichristi non commemoro. Quam benedictionem cum intuerentur sancti homines, parum interdum abfuit quin ea de re cum Deo expostularent, ut cernere licet in Iobo, & Dauide. Dicas, Si etiam suam benedictionem Esaus à patre Isaaco nactus est, quid ergo Iacobus præ illo consecutus est, & cur Esaus ob præreptam sibi benedictionem doluit? Quòd doluisse legitur, non ex eo id euenisse credimus, quòd destituendus esset cœlesti rore & terræ pinguedine: sed quòd intelligeret se fratris imperio subiectum fore, priuatum regno & sacerdotio: & quòd hac benedictione, quam à patre accepisset, tanquam seruus esset usurus. Sic enim hic legimus: Dominum tuum illum constitui. Ex qua sententia cognoscebat quàm suauem rem imperium & dominandi ius amisisset, & in duram seruitutis conditionem incidisset, in eam semel lata hac sententia: Et fratri tuo seruies. Hinc patet, quid præ Esao in benedictione Iacobus acceperit. Duo autem erant quibus Iacobus Esaum superabat: excellentior cœli & terræ benedictio. Hac enim quantum non solum Arabibus Idumæis terra sacra, sed etiam reliquis terris antecelluerit, infrà ex Deuteronomio liquet. Alterum est sacerdotium & regnum, cuius amplitudo & splendor quantus fuerit, infrà ex libris Regum patet.

Vines in gladio.] Qui in aspera Arabum regione erat habitaturus, uenationis studiosus. Similia suprà de Ismaele legimus: Vt dup. ex soboles est, altera carnalis, altera spiritualis, ita dissimilia utriusq; studia. Altera bellorū, cædis, contentionū amans: altera pacis & tranquillitatis, referens ingeniū doctoris & magistri sui, qui de se dicit: Discite à me quòd mitis sim & humilis corde. Altera soboles in Esao, altera in Iacobo repræsentatur. Adumbratur item duplex ille homo, terrenus & uetus, cœlestis & nouus homo

debere imperare per spiritum Messiæ, illum obtemperare imperio cui reluctatur, ut est apud Apostolum, & nos experimur: caro contra spiritum expetit ac concupiscit.

Et fratri tuo seruies.) Quod tempore Dauidis accidit. Suprà: Dominum illum tuum constitui. Hic declaratur magnum prophetam fuisse Isaacum.

Tempusq; ueniet, cum excutias & soluas iugum eius.] regnum ac imperium eius. Translatio à iugo boum sumpta. Interpres noster Græcos sequitur, qui pro פרקדת & תריד uertunt λαβεῖν καὶ ἐπιλύσεις. Hebræi pro תריד uertunt תרדה id est, dominaberis. Sed quæras hic, quando excusserint iugum Idumæi Israelitarum. Nos legimus libro Regum quarto: In diebus eius defecit Edom à Iuda, & creauit sibi regem. Tempore uidelicet quo cœpit regnare Ioramus filius Iosaphati Hierosolymis, & imperiũ obtineret in Samaria Ioramus filius Achabi. Itaque cum Iudæi Babylonem captiui ducerentur, legimus Idumæos his uerbis insultasse illis, ut declararent infestum suum ingenium in Iacobum, quod à patre Esao acceperant: Exinanite, exinanite. De qua insultatione antea uaticinatus fuerat Dauid, his uerbis: Memor esto Domine filiorum Edom in die Hierusalem, qui dicunt, Exinanite exinanite usq; ad fundamentum in ea. Chaldæus exponit rationem defectionis, quum ait: ריחי בר רעברין בגרחי על פתגמי אורייתא רתערי ברוח בעל צוארך Et fiet cum commiserint filij eius in legem, tunc iugum eius solues de collo tuo. Hoc autem accidit temporibus regum decem tribuum & Iudææ, in utraq; gente ex Iacobo nata, omnibus in deterius prolabentibus. At uerò non ita excussit iugum Edom, quin principatus restitutus sit ipsi Iacobo. Soluta enim captiuitate Babylonica, regnum ille recuperauit, & sub finem mundi soluta captiuitate spiritualis Babylonis sanctis regnum restituetur, Idumæis satis notis illis subiectis.

Oderat uerò] Profert se tandem ingenium Esai, quod antea latuit, ut aliquando appareret illa in utero fratrum collisio facta, de qua suprà: Sed colli-
debantur in utero eius paruuli.

Pro benedictione.] Causa odij exponitur. propter benedictionem non temerè, sed Dei consilio delatam, & à parente confirmatam, & à se diuenditam, Esaus odio persequa fratrem, quem, ut alterũ se diligere debebat, incipit. Intueare omnium seculorum mundi huius filios, ut hi infesti sint cum Esao ipsi Iacobo, id est filijs regni cœlestis, palàm est. Hodie cur odit aduersarius cum ministris suis filios Dei? nõ sanè propter scelera, quibus ipsi scatent, cum sancti haberi uelint: non propter errores & ignorantiam ueritatis, in qua ipsi pereunt, qui doctores se ueræ religionis ostentant: sed propter benedictionem Dei, propter inquam benedictionem Euangelij, hac in re Cainum & Esaum referentes, infesti sunt illis. Sed nihil efficient. firma est enim hæc Dei sententia: Maior seruiet minori.

Et occidam.] Exprimitur satanæ in Esao ingenium, de quo Dominus in Ioanne: Ille homicida erat ab initio.

Nunciata hæc sunt Rebeccæ.] Suprà legitur, spectasse Esaum ad cædem, quæ hic nunciata dicitur Rebeccæ, dum eam certa significatione declarasset. Locus de prouidentia Dei, quam is pro suis gerit, dum sæua hypocritarum consilia aduersus pios inita patefiunt, à quibus hi sibi in tempore caueant. Inspicias præsentia secula. Verum igitur est illud: Consilium impiorum dissipat.

Minatur ut occidat.] Narratiuncula consilij initi ab Esao. Hebr. מתנחם לך, consolatur se de te, ut occidat te. Chaldæus, מבריך לך, insidiatur tibi. Noster Græcos sequitur, qui habent, ἀπειλᾶ. Sed quæ fuit illa consolatio? Putauit Esaus hac una ratione se posse primogenituræ ius recuperare, si fratrem occidisset. Stultæ spei exemplum. Is enim sperauit se consecuturum amissam dignitatem occiso fratre contra ius naturæ, quam illo uiuo diuenditam retinere neglexit. Consolationem in ira inesse dicit hic scriptura, quod nec Græcus poeta ignorauit, qui dulcorem melle iram facit, propter ulciscendi, quæ ira continetur, spem:

ὅστε τοὐλὺν γλυκίων μέλιτος κατάλειβομένοιο.

Nunc ergo fili mi audi uocem meam.] Consilium Rebeccæ, locos utilium & honesti continens.

Et consurgens fuge.] Prudens sanè consilium. Sapientis enim est, ad tempus cedere malorum furori. Exempla in Dauide, prophetis & in Christo ipso sanctorum capite extant. Profana non commemoro.

Dies paucos.) Sunt qui ימים amnum reddant, citantes similem locum suprà quoque citatum ימים תהיה גאלתו.

Donec requiescat furor.] Ratio consilij de fuga. Sapiens mulier non ignorauit iram tempore sanari. Non leuis ira in uoce חמת indicatur, sed uehemens à calore cordis ferueſcente exorta. Ideo noster, furor, & Septuaginta θυμὸς, quæ perturbatio animi est rationi prorsus aduersa.

Et cesset indignatio eius.] Repetitio Hebraica. אף à naribus ad iram transsumitur, quæ è naribus efflatur toto uultu apparens.

Cur utroq; orbabor filio?) altero interfecto, altero fugitiuo exemplo Caini facto, uel capitali supplicio affecto, aut mutua cæde utroque sublato, ut ira quæ consilia omnia uincit, multorum malorum causa est. ut ille:

ὡς δεινὸν ἔχθρα. Item:

θυμὸς δὲ λῃστὴς τῶν ἐμῶν βουλευμάτων,
ὁ πατρὶ μεγίστων αἴτιος λαπτῆρι βροτῶν.

Tædet me uitæ meæ propter filias Heth.] de quibus Esaus duxerat uxorem, contra Dei & parentum uoluntatem. Aliam prudens mulier fugæ rationem prætexit, eamq; honestam: quam & maritus Isaacus amplexus est. Timebant enim sancti parentes religioni liberorum ne corrumperetur: & quia ex Iacobo nascendos liberos futuros intelligebãt, dominos Chana-

Chananæorum, ferebant indignè ingenuitatem eorum imminui seruilis conditionis matrimonijs. Hanc sententiam etiam uates tragicus intellexit, ubi monet nihil precioſius esse liberis, quàm eos à patre forti bonoq; natos, uxores ducere à probis & bonis: neque laudandos qui amore uicti, cum improbis commercium habeant:

ὃν ἐγὼ τῶδε πατρὶ μᾶλλον γέρας,
ἢ πατρὸς ἐσθλὸν μᾶγαθῆ πεφυκέναι.
γαμεῖτ' ἀπ' ἐσθλῶν, ὅστε νικηθεὶς πόθῳ
μαυεῖς ἐποίνωσον, οὐκ ἐπαινέσω.

IN CAPVT XXVIIII.

DE genere Chanaan.) *maledicto in Chamo. Isaacus iam senex Iacobo matrimonium procurare studet, ex quo sciret non ex Esao prodituram Messiam prodituram, in qua benirentur omnes nationes terræ. Eo igitur pro semine, & pro ijs qui ex eo saluandi erant, Isaacus eximius propheta sollicitus fuit.*

Et accipe tibi inde uxorem.) *meo exemplo.*

Deus autem omnipotens.) *Prospera precatur filio profecturo peregrè. A' facultate diuina consolatur filium Iacobum, Deum affluentem omnibus bonis, ei affuturum.*

Et det tibi benedictiones Abrahæ.) *De quibus supra: Et faciam te in gentem magnam, & in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Ex te nascantur tam numerosæ gentes, & semen tam laudatum Christus Iesus.*

Quam dedit Deus Abrahæ.) *per promissionem.*

Iuit ad Ismaelem.) *Quos similitudo conditionis, uitæ, studiorum inter se coniunxerat. Vterque enim uenator erat, uterque gladio utam in desertis exercebat, uterque iure primogenituræ priuatus, fratribus non perinde æquus erat. Hactenus de uario discrimine Iacobi & Esai, in quo filiorum huius seculi & regni cœlorum dissimilitudo notatur. Atque ea quinque rebus cernitur, gratia, ingenio studijs, benedictione, exitu usu. Quod ad gratiam attinet, legimus de Iacobo, Iacobum dilexi: de Esao uerò, Esaum odio habui. Hinc quoq; ingeniorũ & studiorũ discrimen nascitur, filijs Dei cum Iacobo rerum cœlestium, filijs huius seculi cum Esao ad terrestrium rerum amorem propendentibus, benedictione sic distinguuntur. Vtraque terrena & spirituali Iacobus ornatur, quam suo iure ut dominus omnium possideat. Esaus solum terrena donatur, quam precariò ut seruus teneat. Neque exitus similis est, altero pereunte cum sapientia, iusticia, & potentia sua: altero salutem adipiscente. Quod uerò ad usum pertinet, alter paratur à Deo, in quo iudicium suum, alter uerò in quo opes misericordiæ & gratiæ declaret.*

Igitur egressus Iacob.] *Solus et ignotus, relictis parentibus, domo, amicis. Hæc erant tentationis initia, quibus præpararetur ad colloquium Dei, & ad res præclaras gerendas. de quibus mox. Itaque hac historia nobis proponitur abnegationis nostri usus, per quem apti reddamur ad consortium diuinæ naturæ.*

De Beersabee.) *ubi habitabat Isaacus pater, ut etiam antea ibi auus Abrahamus habitauerat. Describitur peregrinatio Iacobi.*

Tulit de lapidibus.] *Saxis pro puluino, super quæ lassus & præuentus tenebris recumberet, utitur. Sed quem lapis ille repræsentarit, Psalmus explicat: Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Lapis is Messias est Dominus noster, super quem fatigati ex molesto à peccato imposito itinere, ut refocillentur, recumbunt. de quibus lapis ipse: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego uos refocillabo.*

Viditq; in somnis scalam.) *Præclarum uisum et admirandum, continens omnem salutis administrationem. In hac scala quatuor res cernuntur: prima, altitudo est, quæ à terra pertingit in cœlum usq;: altera, angeli sunt, in ea descendẽtes et ascendentes. Tertiò occurrit Dominus, summũ scalægradũ splendore suo occupans: quartò Iacobus ad radicem scalæ super lapidem requiescens. Altitudo scalæ gradibus suis distincta spacia & interualla patefactionis gloriæ, bonitatis, potentiæ, sapientiæ, & iusticiæ diuinæ continet, de quibus Apostolus: De fide in fidem. Item uates: De uirtute in uirtutem. Angeli uerò sunt consiliorum sapientiæ Dei & uniuersæ salutis nobis afferendæ ministri spiritus. De quibus idem Apostolus ad Hebræos: Nónne omnes sunt administratorij spiritus? per quos Deus summum scalæ gradum tenens, nobis salutis arcana super lapidem Christum recumbentibus aperit, inter quos angelos, id est legatos Dei, Apostoli, prophetæ, doctores quoque numerantur, qui ut Apostolus dicit, dispensatores sunt mysteriorum regni cœlorum. Iacobus uerò super lapidem requiescens est, cui ministri angeli descendentes & ascendentes seruiant. Non enim ad omnes legatione cœlestes hi legati funguntur, sed ad eos & propter eos, qui cœlestium bonorum scripti sunt hæredes. Vt idem Apostolus his uerbis dicit: Qui in ministerium emittuntur, propter eos qui hæredes erunt salutis.*

Stantem super terrã.) *per quã qui in terra uersantur homines depositio terreno homine, & inducto nouo, in cœlum per gradus cœlestis scalæ conscendunt. de quo conscensu Apostolus: Superna quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. Non igitur offenditur seruator Deus nostra misera conditione, peccato & morti obnoxia, quo minus per scalam è cœlo in terram usque demissam nobis iter in cœlum patefaciat. Qui dicit de se: Non ueni ad uocandos iustos, sed improbos ad pœnitentiam.*

Et cacumen illius tangens cœlum.] *De quo gloria Dei per gradus fidei in hac scala distinctos patefit. Porrò quicquid diuinum est ac præclarum*

de hoc ſcalæ Iacobi faſtigio ad nos proficiſcitur. Hinc illud: Omnis donatio bona & omne donum perfectum è ſupernis eſt, deſcendens à patre luminum.

Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes.] *Miniſterij ſacri phraſis eſt ac officij. hic typus fuit eius quod Chriſtus ait: Poſthac uidebitis cœlum apertum, & angelos Dei aſcendentes ac deſcendentes ſuper filium hominis.*

Et Dominum innixum ſcalæ.] *Summum in ea faſtigium tenentem. Chaldæus: Gloria Domini ſtabat ſuper eam. Gloria uidelicet potentiæ, iuſticiæ, & ſapientiæ Dei per legatos eius manifeſtanda pijs, ut ſequitur.*

Dicentem ſibi.] *in ſomno per angelorum miniſterium.*

Ego ſum.] *Oratio conſolatoria ad Iacobum: Verba hæc ſuauiter colloquentis Dei ſunt, quæ fidem requirunt in ſanctis, & in impijs perfidiam deteſtantur.*

Dominus.) *per quem omnia ſunt & ſubſiſtunt. Tale innuit naturæ & eſſentiæ nomen* יהוה *Dei proprium.*

Deus.] *fortis aſſertor piorum, & iudex impiorum. quod ſonat* אלהים *uerbum à fortitudine ductum. Confirmat ſpem & fidem Iacobo, iam omni humano præſidio deſtituto, à potentia ſua. Nam facultatis locos continent nomina illa.*

Abraham patris tui.] *ad quem primò delatæ ſunt promiſſiones: quæ quoniam irritæ fieri nequeũt, in te & poſteris tuis implebuntur, ut ſequitur.*

Terram in qua dormis.] *è qua in cœlum ſcala protenditur. Quod indicat oraculis & uerbo meo in clytam eam futuram.*

Et ſemini tuo.] *In ſemine ſpirituali ueritas, in carnali typus, umbra uelum. Sancti igitur ſciant depoſito uelo myſticæ hæreditatis, hanc promiſſionem ad ſe quoque pertinere, qui ſunt ſpirituales Iacobæi, quibus ſuperna hæreditas hic ſub typo Cananææ promittitur & deſtinatur. Sunt enim dijudicanda corporata corporatè, & ſpiritualia ſpiritualiter: qui longè maximus eſt uſus lectionis uerteris Teſtamenti.*

Sicut puluis terræ.) *numeroſum inſtar puluueris terræ. Hoc modo Chaldæus id in quo fit comparatio, explicat, cum aſſunt* סגיאין.

Dilataberis ad Orientem.] פרצת *propriè rumpere eſt ac frangere. inde tranſumitur modò ad raborari, modò ad creſcere & propagari, quod ui ſoleat fieri perruptio, & quæ nimis creſcunt, & dilatantur, cum angustis finibus contineri nequeant, eis diſſipatis, in latiora ſpacia erumpunt.*

Et benedicentur.] *benedictione iuſticiæ, & uitæ iam maledictæ maledictione peccati & mortis.*

In te.] *Quid hoc ſit, explicat cum dicit, In ſemine tuo, quod Chriſtus eſt.*

Cunctæ tribus terræ.] *Promiſſio de amplitudine Eccleſiæ gentium in Chriſto beandæ ſpei gratia apponitur.*

Ero cuſtos tuus.] *aduerſus mundũ & principem mundi ſatanã, atq; eius impios miniſtros, ne eorũ aduerſus pios odia & inſidiæ tibi noceant. De quo odio ſuprà Deus præmonuit, ſtatim à damnato ſerpente.*

En adero tibi.] *uerbo & ſpiritu conſolatorio.*

Verè Dominus eſt.] *gloria patefactionis gratiæ & præſidij diuini.*

In loco iſto.) *Dei colloquentis gloria & eius genijs inſigni.*

Et ego neſciebam.) *ante hanc exortam mihi in tenebris lucem. Patefactione eius, qui in capite ſcalæ ſedet, diſci opus redemptionis & ſalutis carni ignoratum, ut alicubi Eſaias: Orietur in tenebris lux tua.*

Pauensq;.) *Admirationis pauor erat, non deſperationis.*

Quàm terribilis eſt.] *in quo appareret maieſtas & gloria Dei ſtipata angelis, terribilis ueteri homini, nouo amabilis.*

Locus iſte.] *Deſcribit myſticum locum, in quo ſuper lapidem recubauerat. Interpretes de monte Moria interpretantur, ubi erat templum à Salomone ædificandum. ideo ſequitur:*

Non eſt hic aliud niſi domus Dei.] *Lapidem ſignificat, de quo infrà: Et lapis iſte ex quo cippum erexi, uocabitur domus Dei. Is Chriſtus eſt. Templũ ac domus ſacri ſpiritus. De quo Apoſtolus: In quo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter.*

Et porta cœli.] *Chriſtus porrò de ſe in Ioanne: Ego ſum oſtium.*

Et erexit in titulum.] *In cippum erectus lapis, qui certum monumentum ac ſignum foret promiſſæ ſalutis. Remoto myſtico uelo. Chriſtus occurret. Signũ illud Ionæ prophetæ, in cuius morte & reſurrectione, certa ſignificatio oſtenditur noſtræ liberationis. Signum item Achaz regi tributum idem lapis erat, qui conceptus è ſpiritu ſancto, & natus ex Maria uirgine, atq; in crucem exaltatus, triumphalis ſtatua factus eſt, mortem, peccatum, & tenebrarum poteſtates deuictas declarans. Idẽ inde Chriſtus calculus candidus uocatur à Ioanne in ſua Apocalypſi carens macula peccati, & ſignatus nomine nouo quod nemo intelligat, niſi qui id cum Iacobo edoctus de cœlo ſit.*

Fundens oleum.] *De noſtri lapidis unctione legimus in Pſalmis: Oleo ſancto unxi eum.*

Deſuper.] *caput lapidis fuiſſe perfuſum oleo. De Chriſto legimus ſub typo Aaronis, Pſalmo 132. Sicut unguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Vbi ſignificatur oleum ſpiritus ſancti de Chriſto ut capite in reliquum corpus, quod eſt ſanctorum Eccleſia, dimanare, ut eſt apud Ioannem: De plenitudine eius omnes accepimus.*

Vouit autem uotum.) *Tria uouiſſe dicitur hic Iacobus: primò, ſe Dominum pro Deo culturum: ſecundò, lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, pro domo Dei habiturum: demum de omnibus bonis quæ largitus ſit Dominus, decimas ſe daturum. Vnde tres*

errores colligimus eorum qui in aduersarij regno uota faciunt. primus est, quòd Deo uota sua non nuncupant, sed dijs alienis: alter, quòd Christum lapidem pro domo Dei non uenerantur, sed mortuas operum suorum statuas adorant. Demum quòd ea uota nuncupant, quæ neq; ad amplificandum nomen Dei, neq; ad commodandum proximo quicquam ualent: sed potius ei fraudi sunt, dum ipsi non decimas uouent, quas in usum templi Dei pendant, sed potius eas ab alijs oblatas turpiter consumant.

Si fuerit Deus mecum.] ut promisit: En adero tibi. Non est dubitantis sermo de præsidio diuino, sed declarantis gratitudinem.

Et custodierit me.] ut pollicitus est: Et conseruabo te. Repetit uerba promissionis diuinæ, in cuius fide intelligeret consistere sanctorum salutem.

Per quam ego ambulo.] solus & ignotus, destitutus omni humana ope.

Et dederit mihi panem.] ad uictum necessaria, quod est לחם Hæbreis.

Et uestimentum.) Exemplum moderationis in sancto patre, res solum necessarias ad uictum petente, ad eam precandi modestiam impellente eum spiritu Messiæ benedicti, in cuius orandi formula quam nobis commendat, non splendidæ opes ad luxum cõparatæ. sed panis quotidianus quem à patre cœlesti petamus, continetur: Da nobis panem quotidianum. In quo pane & panis supernaturalis, uerbum Dei quo interior homo ad uitam cœlestem in omnia momenta nutriatur et augeatur, & panis terrenus quo is foris, quem in hac peregrinatione circunferimus, homo alatur. Huc respiciens Apostolus in epistola ad Timotheum his uerbis hortatur: Nihil intulimus, in mundum uidelicet, nec efferre quicquam possumus, sed habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. His uerbis Apostolus duo exprimit alimenta, & uestitum, quæ Iacobus in orando expressit.

Reuersusq; fuero.) comite & duce Domino, qui fidem dedit se me reducturum: Et reducam te ad terram hanc.

Erit mihi Dominus in Deum.] quem unicè colam fide ex uerbo eius.

Et lapis iste uocabitur, domus Dei.) Lapis quidem mysticus, mystica domus: lapis uerò uerus, uera domus, in qua uerè colitur Deus. Vt igitur locus in uere fœdere mereretur appellationẽ domus Dei, primò requirebitur, ut esset præsentia oraculorum numinis Dei illustris. Deinde ut imaginẽ eius præ se ferret quæ uerè domus ac templum Dei esset futura habitata spiritu diuino. Errarunt igitur decem tribus, quæ imitatione Iacobi Bethelẽ elegerunt in qua Deũ colerent. Nam his ut Iacobo non apparuit Deus, qui Hierosolymam selegerat, in qua coleretur. Non aliter hallucinantur qui in regno antichristi templa extruunt, & ab exemplo Iacobi illa Dei domum appellant. primò enim non Deo illa fabricantur, sed dijs alienis. Deinde eadem carent uerbo Dei, cum Antichristi doctrina plena idololatria in eis regnet. Demum contra naturam noui fœderis, quod spiritus non literæ, quod rerum cœlestium non terrestrium fœdus est, ex typis concludunt corporalia, qui spiritualia concludere debebant. Ita enim argumentari oportebat. Iacobus lapidem erexit in titulum, qui domus Dei uocaretur: ergo & à nobis in Christo ut uiuo & spirituali templo Deum patrem coli conueniet. Cæterùm ad lapidem hunc, ut coluerit Iacobus Dominum, infrà capite trigesimoquinto planum fit his uerbis: Libans super eum libamina, &c. At uerò de Bethele controuersia est. alij hunc locũ tribus Ephraimensis esse uolunt, qui & Bethauen posteris temporibus sit nominatus: alij Moriã montem, ut suprà annotatum. In quo Abrahamus Isaacum iussus est immolare, atq; hunc delectũ ab ipso Iacobo, in quo adoraret Deum, partim quòd ob memoriam Abrahami sacer esset, partim ut significaret ibi olim à Salomone ædificandum templum in quo Deus coleretur. atque hunc locum etiam Luzam appellatum.

Cunctorumq; quæ dederis mihi.) Tria hic expendenda proponit scriptura: Vnum, omnia quæ præclara & præstantia in nobis sunt, Dei munera esse. Alterum, de suis honorari Deum muneribus, non nostris, ne quis glorietur. Demum quæ uouentur, talia debere esse, quæ pauperibus & ministris uerbi Dei deseruiant, quales fuere decimæ à Iacobo hic nuncupatæ, & quas lex deinde præscripsit. Quis autem typus in denario decimarum perfecto numero, declaretur, perpendant pij.

IN CAPVT XXIX.

Profectus est ergo Iacob.) Iacobus certior iam factus de Dei erga se beneuolentia, pedes leuasse ut hilaris & expeditus ad iter dicitur, רישא יעקב רגליו. Sic Dauid cum Dei colloquio post grauia pericula à Saulo intentata, refocillatus esset, dixit: Dilatasti gressus meos subter me, & non sunt infirmata uestigia mea.

Venit in terram orientalem.] Ad Haranem Mesopotamiæ urbem quæ ab ortu solis Chananæã respicit. Narratio earum rerum, quæ contigerunt profecto iam in terram cognatorum, in qua cum commorantur pastores, greges, putei, pascua, discimus hæc opera non temerè fieri ac fortuitò, sed sapientiæ diuinæ opera esse, quæ ad occasionẽ magnarũ rerũ patefactionis deseruiant, quibus in ipsa historia.

Et uidit puteum in agro.] Non ociosa demonstratio in חגה quæ indicet præter expectationẽ oblatum puteum Iacobo, apud quem futurarum nuptiarum indicia auspicata essent futura.

Et os eius grandi lapide claudebatur.] Ad tuendam aquarum puritatem.

Fratres.) Exordiũ colloquij ab amica apellatiõe.

Laban filium Nachor.) De auunculo percuncta tur primo fratre Rebeccæ, quem filium Nachoris, qui nepos esset, uocat. De eo quærit ad quem missus à parentibus fuerat, de cuius filiabus uxorem

ducceret. Suprà enim: Sed uade in Mesopotamiam Syriæ, & accipe inde uxorem de filiabus Labanis auunculi tui.

Sanus' ne est?] שלום Hebræis pax, ualetudo bona, incolumitas est & prosperitas.

Et ecce Rachel.) Quæ suprà de Rebecca exposita fuêre, hîc quoq; congruunt.

Cum grege suo.] Vt Esaus uenator ad Ismaelem uenatorem se contulit, ut in eius familiam nuberet, ita Iacobus pastor ad pastorem Labanem se adiunxit ex cuius familia duceret uxorem. Rectè ergo Græcus Poeta:

ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.

Donec.] pro quo Hebræus עד אשר.

Nam gregem ipsa pascebat.] Commendatio uitæ pastoritiæ ab exẽplo Rachelis. Ornat fœminas colus: ornauit Rachelem etiam ouium grex, quæ erat deposito typo futura altrix & educatrix ouium cum marito Iacobo, qui de se dicit: Ego sum pastor bonus. Et ad ouium curam nomen Rachelis facit, oues denotans. Nota enim est uox רחל.

Amauit lapidem quo puteus claudebatur.] Oues Rachelis non prius potu reficiuntur, quàm à Iacobo amoto lapide puteus aperiatur: cuius uelum si subduxeris, offerent se aquæ, quas cœlestis Iacobus Christus suis ouibus oneroso peccati lapide dimoto propinat. de quibus apud Ioannem. Lapis amouetur qui adumbrabat lapidem, de quo propheta: Auferam à uobis cor lapideum, quod impedit ne hauriri queant aquæ fontis, de quibus Iesaias: Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.

Fleuit.) præ gaudio. Nec mirum fletum ex gaudio exprimi, cum interdum etiam mors gaudium uehemens consequatur: ueluti literis proditum est ab historicis, mulieres quasdam cum filios suos, quorum mors esset nunciata, derepentè saluos aspexissent, exanimatas fuisse.

Et iudicauit ei.) Sunt qui putant ὕστερον πρότερον hic cerni, quòd Iacobus prius indicarit quis esset, quàm oscula dedisset Racheli.

Occurrit obuiam.) Exemplum hospitalitatis, curæ diuinæ pro Iacobo sollicitæ opus. Suprà porrò: Adero tibi.

Auditis autem causis itineris.) Narrauit, ut Hebræus habet, omnia negocia sua Labani, expositis proculdubiè causis profectionis susceptæ, odio uidelicet fratris Esai de præcepta à se benedictione, & ut manlassent parentes sibi de familia Labanis ducendam esse uxorem, non de Hethæis. Adhæc non reticuit quæ sibi accidissent in itinere, ad declarandam Dei erga se beneuolentiam. Nam hæc omnia ad demerendum animum auunculi & ad comparandam uxorem commoda fore non ignorauit.

Os meum es, & caro mea.] Periphrasis propinquitatis Hebraica. Ab æquo colligit, quod iure necessitudinis continetur, sibi cum Iacobo benignè agendum, & cum domi suæ amanter fouendum, qui & peregrinus & propinquus esset.

Nunc quia frater meus es.) Duo expenduntur hic: Officiosus & liberalis in Iacobo animus, qui nulla mercedis spe adductus operam suam locarit auunculo. Alterum est Dei pro Iacobo cura, qui Labanis mentem excitarit ad cogitandum de præmio, ac mercede quam redderet Iacobo, ut tandem per occasionem uxor ei contingeret, quam diuina prouidentia destinasset. Vnde addiscimus, nostra in amicos studia liberalia & prompta esse debere, & eorum remunerationem Dei curæ mandandam.

Gratis seruies mihi.] Iacobo ergo prius seruiendum fuit, quàm sponsa sua potiretur: neq; primò ea, quam præ cæteris cupiebat, fruitur, sed deformior pro Rachele per dolum subditur. Cuius historiæ arcana si quis ad Christum, & ad sponsam Ecclesiam tot laboribus sponso suo priusquàm ea potiatur, constantem, retulerit, non aberrabit.

Habebat uerò duas filias.) Non sine notatione rerũ abditarum duæ filiæ sorores narrantur, ut neq; duo Abrahami & Isaaci filij, sine occultarum rerum significatione, narrati sunt.

Sed Lea lippis orat oculis.) Hebræus debiles oculos habet. Similiter Septuaginta, ἀδρανεῖς. Chald. pulchri placent. sed is ad contentionem non spectat. Debiles huc conueniunt, quod Hebræum uerbum pro priè notat. Qui deformitatem hic in Lea notari dicunt, ipsam contentionem, qua Lea cum Rachele confertur, expendunt. Remoto typo, occurrit duplex Ecclesiæ status: alter, in tetra crucis specie, quæ in Lea maiore natu debili oculis & deformi apparet: alter, in gloria, quæ in Rachele minore & speciosa adumbratur, cernitur. De priore Salomon his uerbis: Nolite me considerare quòd fusca sum, quia decoloravit me sol. De altero idem: Surge, propera amica mea, formosa mea, & ueni. Item: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, ut quæ exprompta sit ex pulchro, de quo propheta: Speciosus forma præ filijs hominum.

Quam diligens Iacob.] ut pulchram & prouidentia diuina primò ad puteum tanquam futuram sponsam post promissam in itinere benedictionem oblatam. Quod utrumq; amorem Rachelis in ipso Iacobo excitare potuit. Nam quod ad pulchritudinem attinet, quam hæc natura sua animos nostros capiat, nisi cæci ea de re dubitarint, et quàm fœminas exornet, ut uiros robur, uates Græcus docet:

μορφὰ βλαυτέρησι πέλει λιχλὸν ἀνδράσι δ' ὀλκάς.

Proinde rectè quidam cum interrogaretur, cur quæ pulchra sunt, amarentur, respondit τυφλῶν ἐρώτημα, id est cæci interrogationem esse. Quod uerò ad curam diuinã attinet, qua primò oblata fuit Rachel, quantum hæc ualeat in piorum animis, satis fides ipsa agnoscit & testatur.

Septem annis.) Deponendum uelũ septenarij. In Genesi legimus septimũ diẽ quieti destinatũ. Hi sunt illi pauci dies, de quib. mater meminerat: Et habitabit cum

cum eo paucos dies. Exemplũ castitatis in Iacobo in signe hic cernitur, qui iam, ut supputant, octuaginta quatuor annos natus erat, cum primò acciperet uxorem. Quos facile supputaueris, si septem annos, qui ab eo tempore, quo dixit Iacobus, Da mihi uxorem meam, usq; ad natum Ioſephum fluxerunt, à centum triginta annis ſubduxeris, quos habebat Iacobus, cum interrogaretur à Pharaone, quot annos natus eſſet. Item ſi triginta, quos Ioſephus natus erat cum à Pharaone Aegypto præficeretur, & ſeptem copioſæ annonæ cum duobus quibus fame laborabatur, quorum infrà capite quadrageſimooctauo fit mentio, ab eadem illa centum triginta annorum ſumma ſubtraxeris, remanebunt octuaginta quatuor anni, quos habuit Iacobus cum Rachelem ſibi matrimonio iungi peteret. Ita uteres interprete; colligunt.

Præ amoris.] Reducto uelo occurret cœleſtis Iacobus Meßias, qui quanto ſuæ Rachelis eccleſiæ amore ardeat, declarat pro illa obita calamitatum et mortis ſeruatus. Nec etiam ſuum amorẽ celat ſponſa, quæ dicit apud Salomonem: Amore langueo. Vt Salomon cum multas haberet, unam tanquam præcipuam & dominam dilexit: ita hic de Iacobo legitur unam Rachelem ab eo maximè dilectam. In Canticis de Salomone ſic proditum eſt: Sexaginta ſunt reginæ, octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus. Vna autem eſt columba mea.

Ad conuiuium.) Locus de uetuſtate conuiuiorum nuptialium

Et veſperi.] tempore ad dolum apto.

Facto mane uidit Liam.) An non potuit noctu eam cognoſcere? apparet quòd ea nocte cum ea rem non habuerit, intentus orationi, ut de Tobia exemplum extat.

Non ne pro Rachele.] Dei promiſſione primò mihi oblata, & à te in uxorem promiſſa, qui dixeris: Melius eſt ut tibi eam dem quàm alteri.

Reſpondit Laban.] Expurgatio Labanis à conſuetudine. Si animum Labanis ſpectes, dolus agnoſcitur: ſin Dei conſilium, magni myſterij adumbratio cernitur, prius Chriſto cœleſti Iacobo deformem Eccleſiam iungendam, quàm ſpecioſam.

Huius copulæ.] Similiter interpretes דת ad nuptiales Leæ dies referunt, non ad annorum hebdomadam. Septem enim diebus nuptias celebrari ſolitas, Iudicum liber indicat.

Acquieuit placito.] Dicas, Cur duas ſorores duxit Iacobus? primò is mos fuit eo tempore, quem ſeruare non putauit nefas eſſe Iacobus. Deinde non repugnauit inſtituto huiuſmodi uerbum Domini qui hoc conjugium benedictione prolis commendarit. Demum arcana notatione duplicis eccleſiæ ſtatus huiuſmodi connubium non caruit. Sed quæras, num in adminiſtratione noui fœderis hoc Iacobi factum tanquam exemplum ſequi conueniat? Nequaquam. Nam ſanctorum patrum facta ſine fide imitari non licet. Sine fide autem huiuſmodi connubiorum imitatio fieret, ut quibus non ſolum conſuetudo hodie, & uerbum Dei non patrocinetur, ſed etiam poſterioribus temporibus de uitandis huius generis matrimonijs tradita à Moſe lex aduerſetur. Patrum igitur fidem ſemper ſequi conuenit, facta non item. Verbum enim Domini regula & norma eſt fidei ſanctorum, non facta & res geſtæ, quæ mutantur pro tempore, regula non mutata, ut legimus: Ego Dominus, & non mutor.

Cui pater ſeruam Bala.) Non ſine myſtica ratione, qualis perpenditur in Hagare.

Videns autem Dominus.] cui curæ ſint contempta & deſpecta in hoc mundo.

Aperuit uuluam eius.] Munus Dei eſſe liberos, agnouit: etiam uates ille, θεόθεν τέκνα θνατοῖς.

Sorore ſterili.] ad deijciendum pulchritudinis faſtum. Ad hæc ſi myſtica ſpectes, cur deformior prius liberos parit, non eſt obſcurum.

Vidit Dominus.] curæ habuit, reſpexit. Exponitur etymũ Rubẽ. Notũ enim eſt quid ſit בן & ראה.

Humilitatem meam.) A perſona translata hypotheſis ad uniuerſum genus, memorabilis locus naſcitur, de quo Pſalmus: Deus humilia reſpicit in cœlo & in terra.

Nunc amabit me uir meus.] Filios pignora eſſe amoris coniugalis, indicat his uerbis Lea.

Modò confitebor Domino.) gratias agens, acta quarta ſobole.

Iudam.) ex quo naſcendus erat Chriſtus, de quo Eccleſia ſponſa unicè ſibi gratulatur, & Dei beneficia celebrat. Cur autem Chriſtum potius ex Iuda deſpectæ Leæ filio naſci uoluerit Deus, quàm ex Rachele, non aberit ratio ſi excuſſum ſit illud Ieſaiæ: Deſpectus & nouiſſimus uirorum contemptus, & non reputatuimus eum.

IN CAPVT XXX

CErnens autem Rachel.) Quæ gratia & forma florens, putaret ſe eam eſſe ex qua numeroſam ſobolem Abrahamo & Iſaaco promiſſam, & ſemen illud benedictum in quo omnes nationes terræ bearentur, naſci conueniret.

Quòd infœcunda eſſet.) à Deo eius clauſo utero.

Inuidit ſorori ſuæ.] à Deo fœcundæ. Hæc inuidia in ſancta muliere non ex Leæ odio extitit, ſed dolore ſuæ ſterilitatis, quam ignominiæ ſibi eſſe putaret, quæ nimirum cum lege hac diuinæ benedictionis pugnaret, Creſcite & multiplicamini: item cum promiſſione illa, Augebo ſobolem tuã ad numerum ſtellarũ.

Da mihi liberos) uel oratione tua ad Deum mihi impetratos. Sicut etiam impetrauit pater tuus Iſaacus Rebeccæ uxori ſuæ.

Alioquin moriar.] Expendentis ſterilitatis opprobrium uox erat. Quo opprobrio quæ notabantur, pro mortuis habebantur. Intelligebat etiam parentũ memoriam penitus obliterari, ſi orbati ſint liberis: ut ijdem illi in ſobole uiuere ſe & ſuperſtites eſſe putãt; unde iactatur apud Hebræos ſententia illa, בני שאירן לו בגים חשוב כמת. Cæterùm cuius Rebeccæ ſteriles gemitus hic ſub figura myſticæ rationis exprimatur, mox liquebit.

Cui

Cui iratus.] *Ira erat non malè cupientis uxori Racheli, sed asserentis gloriam Dei. Ideo subdit:*

Num pro Deo ego sum?] *Fidei uerbum in sancto patre, qui nosset liberos quos habiturus esset uni Dei promissioni tribuendos.*

Qui priuauit.] *Reprehensionis locus ex sede causarum.*

At illa, Habeo, inquit, famulam Balam.] *Exemplum Saræ secuta Rachel, ancillam marito subijcit. Moris tum fuit, ut ancillæ & serui precio empti, toti addicti essent dominis, ut etiam qui ex eis nascerentur liberi, nullam sui potestatem tenerent. sed omnino in dominorum ius uenirent. Ideo credidit Rachel filios ex serua Bala natos suos fore.*

Ingredere ad illam.) *Quod hic legitur duas sorores cum Iacobo nuptas, & his adiectas etiam ancillas, cum quibus rem haberet ex coniugum arbitrio, factum hoc ut condemnare non licet, quod nec gentium mos qui tũ fuit, neq; Deus cõdemnarit, ita à nobis ad imitandũ proponi nõ debet. Aliam enim personã Iacobus gessit, aliam nos gerimus: alia secula Iacobi fuerunt, alia nostra sunt. Non igitur facta patrum, ut norma moderari nostra studia debent, sed uerbũ Dei. hoc siquidem certum est & constans, illa pro temporum cursu, ut suprà indicatum, incerta & uaria.*

Vt pariat super genua.] *Hebraismi sententia est: Vt pariat mihi liberos, qui iure dominij, mei sint, quod dominium notatur in genibus. Hac igitur phrasi adoptionis ius significatur. Chald.* אגי ארבי, *id est, nutriam eam tanquam mei iuris prolem.*

Et habeam ex illa filios.) *Heb. indicat, liberis tã quam ædificium, familiam extrui. Quò alludunt* בנים בנות. *Itaque scitè ueteres Hebræi dicunt* בי שאין לו בנים אינו בנוי אלא חרוס, *id est qui caret liberis, ædificatus non est, sed quasi dirutus. Vnde etiam latinis domus pro familia ex liberis ædificata dicitur. Cæterũ cur hic prius Iacobus ex ancilla filios susceperit, quàm ex domina Rachele, ratio non est obscura ex ijs quæ suprà de Hagare explicata sunt.*

Deditq; illi Balam in coniugium.) *Ex arbitrio igitur Rachelis Iacobus consuetudinẽ cum ancilla habuit. Cuiusmodi suprà quoq; de Abrahamo legimus.*

Iudicauit mihi Dominus.] *Id est liberauit ac uindicauit me ab opprobrio. Vox gratulantis sibi de beneficio donatæ prolis.*

Dan.) *Etymum expositum est. Cur non ancilla Zilpa posuit filio Dani nomen? in ponendis nominibus declaratur ius dominij, quo carent seruæ. qua de re suprà.*

Comparauit me Dominus cum sorore mea.] *Luctando se dicit sororem uicisse prole impetrata.* פתל *ad luctam transfertur, quæ inflexi corporis uario motu constat. Notum est enim uertendi flectẽdiq; uerbum,* פתל. *Non aliter Græci ac Latinus:* συνελάβετο μοὶ θεὸς, καὶ συνέσχε φύν τῦ ἀδελφῦ μυ.

Et inualui.] *uerbũ* יבלתי *ad luctam conuenit, in quo facultas & uis efficiendi, quod cupias, notatur. ut apud Latinos in uerbo Posse.*

Feliciter.] *Græci pro* גד ἐν τύχῃ, *fortunatè, hoc est, bene uertat. Nam sunt quibus* גד, *id est* בוא טטרב *sidus Iouis benignius fulgens, qui citante locum ex Isaia propheta* ועורכי לשלחן, *id est, instruentes Gado mensam. Sunt qui* בגד *pro duobus uerbis interpretantur,* בא גד *& Gad reddunt* גדד. *ut sit sententia, Venit exercitus, hoc est soboles, qua auctus sum, instar exercitus mihi est.*

Pro beatitudine mea.) באשרי *ad beatitatem meam. Pertinere ad beatitatem suam, quòd ornata sit noua prole. Liberi in parte beatitudinis ponebantur. sed ut duplex status est, alter ueteris naturæ, alter uoluntatis, & duplex fœdus, uetus & nouum: ita duplex benedictio Dei, duplex liberorum conceptus ac partus, duplex beatitas statuitur. Lea hic se dicit beatam propter sobolem. idem confitetur Ecclesia, glorians de his supernè è Christo cœlesti Iacobo natis, quæ propter illos in gaudio est. de quo Propheta: Iubila uniuersos filios tuos doctos à Domino.*

Reperit mãdragoras.] *Dissentiunt interpretes. alijs uolæ, alijs mandragoræ placent, ex* דדאים. *Græci: καὶ εὗρε μῆλα μανδραγόρα. Tradunt nonnulli mandragoris mẽstrua cieri, uoluamq; muliebrem ad conceptum parari. Dioscorides ait: Pomorum sensim poto, muliebres fœminarũ locos purgari. Hinc quidam uolunt eam herbam à sterili Rachele tantopere expetitam, cuius usu facilius conciperet. Verùm quid facerent ad conceptum, frigoris uim habentes mandragoræ? De quarũ somnifica natura ob frigus natiũ est prouerbiũ illud, Mandragoram bibe. Sunt qui arbitrantur quia radix mandragoræ existimata sit amatorijs ueneficijs apta esse, ob id à Rachele expetitam. Sed absit ut sanctam fœminam ueneficijs operam dedisse putemus. In Canticis* דוד אים *odorifera dicuntur* תגי רוח דודאים. *Neq; cæteri scriptores odorem mandragoris abesse dicunt sed qui grauis sit, ob quem à Rachele requisitas mandragoras non uideri. Ideo sunt qui* דדאי *lilia interpretantur, quibus dicunt uuæ duritiem molliri, & muliebriũ locorum uitia sanari. Vtcunq; sit, uarias sententias attulimus, lectori iudicium permittentes.*

Egressa est in occursum eius Lea.) *non libidinis, sed prolis habendæ gratia: quod indicat fidelis in sancta matrona ad Deum oratio, & gratiarum sermo. de quo mox.*

Et exaudiuit Deus preces meas.) *de auctis liberis, cuius uterũ ab edito Iuda clauserat Deus. Hæ sunt uices, quas in suis mutat tam crebrò Dominus. Quæ primò fœcunda fuerat, sterilis facta est: contrà quæ ab initio sterilem gessit uterum, demum beneficium fœcunditatis sensit, ut stet illud: Primi nouissimi, nouissimi primi. Non igitur hæc uicissitudo, iræ diuinæ opus erat, sed gratiæ. Vt in hac tentatione sanctarũ mulierũ fides ac spes exerceretur corroboretur̃q;.*

Quia dedi ancillam meam.) *Locus is indicat, ancillas marito Iacobo traditas ex quibus patriarchæ nascerentur, gratum Deo fuisse opus.*

Etiam hac uice mecum maritus meus.] *Expo-*

nitur

natur liberorum usus, qui efficiant ut maritalis amor erga uxores confirmetur. Varia igitur utilitas est quã afferunt in coniugijs liberi: una, qua coniugalis societas corroboratur: altera in propagatione familiarum & ciuitatum cernitur. Nisi enim procreentur liberi, neq; familiæ, neq; respublicæ constabunt. Tertia est lõge præstantissima, quæ expenditur in eo, quòd liberorum satio ac partus materiam cœlesti reipublicæ constituendæ, suppeditat, quam nostri liberi, sed denuò ex Messiæ spiritu renati extruunt. Quos cœlestis naturæ filios carnali patriarcharum posteritate natos figura quadam & specie repræsentari, diuinæ sapientiæ placuit. Vt igitur magnus ac excellens est filiorum usus, ita insignis est eorum peruersitas qui sobolis habendæ & educandæ ad gloriam Dei nulla cura tanguntur, orbitatem fœcunditati præferentes, magna sanè iniuria eius legis quam in prima molitione mundi Deus sanxit: Crescite, & propagamini. Quanto insaniores sunt, qui ut falsum, ita fœdum non nomine libidine cœlibatũ fingentes, à pudicis quæ Deus instituit matrimonijs abhorrent, qui contra sensum cõmunem naturæ, contra exempla sanctorum patrum, contra constitutionem Dei connubia inuisa reddere studeant, legibus etiam ea uetantes.

Dinam) à controuersia ac lite, quæ postea in Sichimis agitata est, ita appellatam. Sunt qui putent uno partu cum Zabulone editã Dinam. Cæterùm una Dina memoratur, quæ Iacobo inter tot masculos nata sit, cuiũs Iacobi filij de Sichimorum ui asserendæ opem suam accommodarint. Non caruerit id mystica ratione: quæ autem ea sit, pij cogitent.

Recordatusq; Dominus.) ad tempus eius oblitus, dum eam sterilem sineret esse. κατὰ ἀνθρωποπάθειαν Dominus obliuisci & recordari dicitur. Obliuisci quidem, cum subtrahit opem suam: recordari autem, cum eam adhibet, & nos iuuat. Paraphrastes Hierosolymitanus, quatuor liberali clemẽtia Dei, nobis tribui dicit, quæ quatuor claues Domini uniuersitatis uocat, pluuiam, res necessarias ad uictum, excitationem è mortuis ad uitã, liberos, quorum munerum tribuendorum facultatem nemini alteri dederit. Sic enim interpretatur hunc locũ ארבעה מפתחין דאיתנן בסדרין ביד רבון כל עלמא ולא מסר יתהון לא למלאך ולא לסרף מפתח מטרא מפתח פרנסא מפתח קברן מפתח עקרתא. Nam de pluuia ita dicit scriptura: Aperiet Dominus thesaurum suum bonum. De uictu: Aperis manus tuas. De excitatione mortuorum: Cum aperuerit sepulchra uestra. De auctu liberorum: Et recordatus est Deus Rachelis.

Rachelis.] Iam detecto opprobrio sterilitatis. Fructus tentationis, luctantisq; & orantis fidei ostenditur: Hac effici, ut fœcundus ex sterili efficiatur uterus.

Exaudiuit eam.] Oratione aboleri ignominiam sterilis uteri.

Abstulit Deus opprobrium meum.] Confessionis fidei & gratiarum actionis in sancta matrona uerbum. Hebræis אסף proprie congregari est, inde μεταληπτικῶς ad auferre transsumitur. Quæ enim congregamus, recondimus à cõspectu hominũ sepositа. Si paulo altius Dei cõsiliũ perpẽdere libet, exprimitur hic sub figura Rachelis, Ecclesiæ gratulatio gaudibundæ, de qua uates: Gaude sterilis quæ nõ paris, quoniam, & c. Quòd si etiam auctum & incrementa spectes, nomen illud Rachelis filio Ioseph cõgruerit. Auctus enim est Ioseph us duabus tribubus: quarum altera Ephraimensis uidelicet ad immensam sobolem creuit. Vnde & ei nomen inditum.

Addat mihi Dominus filium alterum.] Beniamin is fuit, quem ut duodecimũ optauit addi Rachel, in quo patriarcharum numerum cognouerat implendum.

Nato autem Ioseph.) post natos ex Lea filios, ultimum tenente locum Ioseph o, quo nato, qui Esaum hostem exterminaturus erat, reditum in promissam terram parat Iacobus. Legimus enim: Domus Iacobi ignis, & domus Ioseph i ignis, & domus Esai stipula. Ideo sequitur:

Dimitte me, ac reuertar in patriam meam.) Iacobus iam natis patriarchis in aliena terra, ad promissam hæreditatem meditatur profectionem, absoluta iam seruitute. Nota mystica obscura non est. Ad cœlestem enim hæreditatem adeundam, quando & quomodo, & quibus, et qua seruitute confecta, pateat aditus, satis liquet.

Experimento didici.] Græci οἰωνισάμην habent pro נחשתי ex augurio ac diuinatione intellexi. Hi putant uerbum diuinandi נחשתי in Labanem augurem competere, qui scribitur in τὰ תרפים habuisse, quæ dicuntur idola ac imagines fuisse, per quas futura cõijcerẽtur. Chaldæus בסיתי uertit probaui. Hinc noster probabili interpretatione, experimẽto didici.

Tu nosti quomodo seruierim tibi.) Narratum cula seruitutis, in qua æquæ mercedis reddendæ spargunt argumenta.

Modicũ habuisti antequam.) Collatione temporum utitur ad amplificandum beneficium, & ad excitandã gratitudinẽ in Labane tenaci et auaro homine.

Benedixitq; tibi Deus] Huius bonitas & amplitudo inuitare te debet ad gratitudinẽ. A persona Dei.

Ad introitum meum.) לרגלי ad pedem meum. Phrasim Hæbræam scitè interpres. Similiter Græcis quibusdam pro pede παρουσία, id est præsentia placet. Sunt quibus pes pro laboribus, qui ambulando conficiuntur, accipitur. Nam mimsterium in pede notari, declarat illud prophetæ, Quàm speciosi pedes annunciantium pacem. Chaldæus בדילי habet, quod ualet, propter me. Agnoscit beneuolentiam diuinam erga se Iacobus, quæ fides erat in sancto uiro pijs memorabilis. Quatuor igitur hic ad cognoscendum proposita sunt. Primò, à Deo uno proficisci omnia bona, et beneficia. Legimus enim: Benedixitq; tibi Deus. Deinde mundo huic benefieri propter pios. legitur enim: Quia benedixerit mihi Deus propter te. Item: Benedixitq; tibi Deus ad introitum meum. Tertiò ingratitudo malorum hominum declaratur: qui tantum abest

ut erga pios propter quos ſpirant, bene ualẽt, atq; in hoc ſeculo florent, grati ſint, ut eos etiam odio perſequantur. Exempla cernuntur in Labane *&* Iacobo, *in* Saulo *&* Dauide, *in regibus* Iſraelitarum *&* prophetis, *in* phariſæis *&* Chriſto *atq; ipſis* Apoſtolis. *Demũ uis fidei declaratur, qua cognoſcitur nobis fauere* Deus, *et nos in eius amore ac beneuolẽtia contineri, ut amore noſtri is etiam cæteris beneficiat. Hæc cognitio eſt eorum qui* Deum *non ſolum creatorem cœli & terræ cognoſcunt, quæ* Dei *cognitio nec impijs deeſt: ſed etiam eum, ut ſuum patrem agnoſcunt* Meſſiæ *ſanguine placatum.*

Iuſtum eſt igitur, ut aliquando etiam prouideam domi meæ.) *Locus de cura rei familiaris, quã ſancti non debeant negligere. Concludit ab æquo, par eſſe, ut accepta mercede tandem aliquando ſuæ domui, id eſt uxoribus & liberis aſſertus in libertatem prouideat: cum communis ſit omnium animantium coniunctionis appetitus procreandi cauſa, & cura quædam eorum quæ procreata ſunt. Quam curã ſuæ familiæ conſeruandæ, & augendæ, expleto ſeruitutis quã in hoc mũdo ſeruiuit, tempore cœleſtis noſter* Iacobus Meſſias *benedictus gerat, ſatis notum, de qua cura: Aſcendit in altum, et dona dedit hominibus. Noſter interpres ſcitè pro* אעשה *faciendi uerbo pro uidere ac proſpicere uertit: facere domum, pro rem facere, augere, & locupletare. Hic* Iacobi *uxorum, liberorum, mercedis, profectionis in terram ſacram typus excutiendus, & ueritas in his umbris latens conſideranda.*

Nihil uolo.] *Mercedem nullam conſtituit aliam quàm eam quam* Deus *duce natura dare uellet. Liberalis animi de* Deo *bene ſperantis exemplum.*

Separa cunctas oues.) *Proponit conditiones. Cæterùm* שה *genus eſt ouibus & capris commune, ut patet ex illo:* רשה בכבשים אר בעזים.

Et quodcunq; fulſum eſt.] *à calore* Hebræis *fulua ac ſubnigra* חרברם *dicuntur.*

Erit merces mea.) *De maculoſis intelligit ex unicolore grege procreatis. Varium enim & ſparſo uellere gregem tradidit* Labani, *unicolore quem paſceret ſibi reſeruato, ex quo pecus uarium & maculoſum progenitum pro mercede poſtulauit. quæ æqua ſanè conditio fuit, quam non grauatim acciperet* Laban.

Reſpondebitq; cras iuſticia mea.] *tuebitur me, ac teſtimonium dabit de innocentia mea. Itaq; pro re ſpondebit* Chaldæus, רתסחיד.

Quando placiti tempus aduenerit.] Hebræus: *Quoniam ueniet ad mercedem meã coram te: id eſt, iuſticia ac innocentia mea probabit eam mercedem meam eſſe, ſi nihil reperies in grege meo natum quod uerſicolore non ſit uellere.*

Tollens ergo Iacob uirgas populeas.) *Iacobus prouidentia Dei et arte fretus naturã iuuit. Qua in re dolo malo liberatur, qui mercedem ſuam à cura Dei pro ſe laborantis, & à natura expectauit. Ad hæc hanc in Iacobo induſtriam Dominus ipſe, ut quã dediſſet, comprobauit. Legimus enim infrà:* Tulitq; Deus *ſubſtantiam patris ueſtri, & dedit mihi.*

Vt páreret maculoſa.] *In uoce,* מקרים *notantur maculæ, quales cernuntur natæ ex ligatura pedum.*

Conciperent.) ריחמנה *à calore transfertur ad conceptum, qui nimirum caloris ui fiat.*

Intuerentur uirgas.] *Vt in conceptu hauriantur rerum ob oculos uerſantium formæ ac imagines, ſatis experimenta ipſa docent, qua in re rerum ſcriptores conſulendi ſunt. Eſt in hiſtorijs, Hiſpanis morem eſſe, pulchros equos ante conceptum equarum oculis ſubijcere, quorum contemplatione pulchritudinis ſpeciem hauriant, quã fœtus exprimat. Honeſta quædam matrona cum prolẽ Aethiopem referentẽ peperiſſet ab adulterij crimine liberata eſt, quod eo tẽpore picturã inſpexiſſet, quo cũ ea maritus rẽ habebat. Adcò concepta animo ſpecies in naturam fœtus quam repræſentet, abit atq; imprimitur. Perſpectã fuiſſe uim & naturam rerum* Iacobo, *ſed in hac parte pateſectam à genio, ſatis liquet. At hic non hærebimus, uerùm ultrà progrediemur ad rerum ſpiritualium noticiam. Nam in natura, hoc eſt in ijs rebus quæ prima molitione fabricatæ ſunt, ſiue ſenſibus ſiue mente percipiantur, eorum quæ naturam ſuperant, & in nouo mundo cernuntur, typos figurari uoluit diuina ſapientia, ut intelligeremus in altero mundo adumbrationem cerni, in altero ueritatem elucere. Quamobrem myſticæ notæ in hac hiſtoria nõ deſunt, ſiue oues uerſicolores à* Iacobo *ſelectas, ſiue uirgas, ſiue aquarios cannales, ſiue uirgarum contemplationem, ſiue conceptum ſpectes. Porrò quarum ouium cœleſtis Iacobus* Meſſias *curam gerat, declarat illud: Oues meæ uocem meam audiunt. Vario uerò & ſparſo uellere pecore, oues uarietate donorum ſacri ſpiritus exornatas, repræſentari fatentur pij. Neq; uirgarum typus obſcurus eſt. Legimus enim in Pſal.* Virga tua *&* baculus ipſa conſolata ſunt me. *Atq; is* Chriſtus Ieſus *eſt uirens illa uirga* Aaronis, *ad cuius aſpectum per fidẽ conceptus ſit & partus. de quo* Ioannes: Dedit eis ut liceret filios Dei fieri, uidelicet his qui credidiſſent in nomen eius. *Decorticatæ autem uirgæ, apertam rectamq; faciem* Chriſti Ieſu *præferebant, in quo apparet uaria gloria* Dei, *remoto cortice ueteris legis. de qua facie* Apoſtolus *ad* Corinthios: Qui illuxit in cordibus noſtris, *ad illuminationem cognitionis gloriæ* Dei *in facie* Ieſu. Et eraſus cortex uelum eſt, de quo idem Apoſtolus: Nam uſq; ad diem hodiernum idem uelamen in lectione ueteris Teſtamenti manet, nec tollitur uelum, quod per Chriſtum aboletur. Denum nec deſiderantur hic aquæ ſuæ, per quas noſtra uirga uarias in conceptu formas imprimat. de quibus apud* Ioannem: Quiſquis autem biberit ex aqua quã ego, & c. Atq; hæ *ſunt ad conceptum & renaſcendum aptæ aquæ, de quibus idem* Dominus: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, & c.

Et párerent maculoſa & uaria & diuerſo colore reſperſa.] *Tripartitæ notæ hic traduntur: Vnũ genus eſt earum quæ orbis ac circuli ſpeciem exprimerent,*

merent, qualis ex ligatura crurum efficitur. Hoc modo notati agni appellabantur פסדים. Alterum genus paruarum macularum erat, quibus uellus tanquã punctis consignatum cernebatur. In hoc genere agni נקדים dicebantur. Tertium maculas continebat diuersi generis, quib. notati agni טלואים uocabantur. Nam ut ex Iosua liquet, טלוא ex diuersis consutum est.

Diuisitq; gregem Iacobus.) Hebræi uersus sententia hæc est: A Iacobo sequestratum uarium pecus & nigrum sibi natum ex unicolore grege Labanis, atq; ab eodem maculosum pecus ita collocatum, ut id Labanis grex in initu contueretur ad cõcipiendas & pariendas notis respersas oues. Quamobrem ut prius naturam uirgis adiuuat, ita hic eidem naturæ proposito uario pecore sub conspectum, opem tulisse legitur, quod fuit alterum industriæ, quã regeret cura Dei, exemplum.

Igitur quando primo tempore ascendebant oues.] Tertium industriæ exemplum. In ea admissura, ex qua cognoscebat robustum fœtum concipi & nasci, qualis primo anni tempore, quod uere continetur saliente pecore, edi solet, urgas adhibebat. In admissura uerò ex qua intelligebat debilem partum fieri, qualis in autumno contingit sero anni tempore, non adhibebat. Vnde ne nihil Labani reliquum fieret, unicolor grex natus minus generosus socero cedebat.

Factaq; sunt ea, quæ erant serotina) עטיפים id est debile & parum generosum pecus serò natum Labani cedebat. Robustum uerò pecus ac generosum primo anni tempore procreatum, sibi Iacobus reseruabat. Arbitrantur interpretes oues בני שרירת robustas appellatas à bene conglutinatis & consociatis membris. Notum enim est uerbum קשר. Paraphrastes ad ueris & autumni tempora spectans pro מקשרי uertit בכבריא & pro עטפים reddit בכבירת לקשיא.

Ditatusq; est homo.] per Dei benedictionem, paupertate in diuitias conuersa. Is erat fidei Iacobi fructus in tentatione. Sanctè igitur Salomon: בהבורת בראש צדיק, id est benedictiones super caput iusti.

Ancillas & seruos.) Hi in instrumentis curandæ rei familiaris animatis numerantur.

IN CAPVT XXXI.

TVlit Iacob omnia.) Narratur inuidia Labanis. Reuocata hypothesi ad Thesim, discimus in mundo hoc improborum inuidiæ sanctos obnoxios esse propter benedictionem Dei, ob quam amari, non odio haberi eos oportebat.

Factus est inclytus.) Hebræus: Et parauit sibi hunc splendorem, id est has opes ac diuitias: quæ cur splendor appellentur, non est obscurum, opes enim splendorem & gloriam in comitatu suo habent. Vnde Græcus Poeta:

τὰ χρήματ' ἀνδρὸς ἀγλαΐσματα φίλα
ἀνδρὸς δὲ τιμάς.

Chaldæus igitur pro בבזר uertit בנכסיא quæ opes sunt & facultates.

Animaduertit quoq; faciem Laban.) Locus de uultu mentis indice, & interprete affectionũ animi inuidiæ, odij, iræ, clementiæ, gaudij, tristiciæ.

Sicut heri & nudiustertius.) Hebraismus, pro sicut antea. Non celant diutius maleuoli odia sua in sanctos, ut suprà de Caino quoq; exemplum extat, quo habeant pij, unde admoneantur quomodo sibi ab hypocrisi caueant.

Eroq; tecum.) Locus plenus consolatione de uanis hypocritarum consilijs, quæ nihil pijs incommodare possint. Legitur enim hic: Eroq; tecum. Hinc hæc apud uatem contentio nata: Dominus dissipat consilium gentiũ. Eius autem consiliũ in æternum manet. Hoc fretus munitusq; Iacobus hypocritæ Labanis cogitationes uafras uicit.

Misit & uocauit Rachel.] Narratiuncula qua exponit uxoribus causas reditionis in patriam.

Video faciem patris uestri.] Prima causa.

Deus autem patris uestri.) Per occupationem nõ sua culpa odium à patre Labane conceptum dicit, qui ad tantas opes Dei benignitate peruenerit. reprehendit iniquum Labanis odium.

Et ipse nostis quòd totis uiribus.] Alia reprehensio à bonæ fidei seruitute, quam confirmat testimonio uxorum, sed quæ filiæ essent Labanis.

Sed & pater uester circunuenit me.] Non perpensa mea fide & beneficijs Dei, quibus propter me affectus fuit sua etiam confessione: Expertus sum Dominum propter te res meas auxisse. Altera causa redeundi in patriam, fraus & ingratitudo Labanis.

Decem uicibus.] Hebraismus pro sæpenumero. Certus numerus pro incerto. Denarius enim numerorum summam continet.

Et tamen non permisit ei Deus.) pro me sollicitus. Hoc agnoscere fidei in Iacobo opus erat, qua una uicit omnem tentationem & artes Labanis. Ideo, Ioannes: Hæc est uictoria fides uestra. Discitur etiam hic uerum esse illud: Perdam sapientiam sapientum.

Vt noceret mihi.) qui promisisset se mecum futurum.

Si quando dixit.) Narrat uices malo dolo permutatæ mercedis.

Variæ erunt oues tuæ.) נקדים.

Alba quæque.) Non alba habet Hebræus, sed נקדים. de uoce suprà.

Tulitq; Deus.) non ego. Diluitur crimen filiorum Labanis. Tulit Iacob omnia.

Postquàm enim conceptus ouium.) Confirmatio à somnio, diuinitus se auctum opibus, qui de benedictione quæ acciderit, prius admonitus sit per angelum, quàm acciderat.

Vidi enim omnia quæ fecit tibi.] bona fide tot annos seruienti. Vidisse se dicit pro iudicis uidelicet more, qui innocentiam suorum tueatur aduersus iniurios, quorum nec cogitationes nec facta ulla illum lateant.

Laban.] per fraudem & auaritiam iniurius in te in filias, & nepotes. Exponitur per αἰτιολογίαν cau

fa diuini iudicij pro Iacobo aduersus Labanem. Locus memorabilis, sanctos tandem liberari, sed non sine afflictione, & hypocritarum fraudem inultam non abire. Hæc est fides Dei in probos, & lenitas in improbos. Quæ ut locum inueniat apud Deum, pijs quoque tolerandæ suæ res aduersæ sunt, sed quæ lætum exitum sortiantur. Diuina ergo sententia his uerbis, Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban, Iacob mali doli crimine liberatur, & Laban fraudis & auaritiæ damnatur. Sequitur igitur liberationis uox:

Ego sum Deus Bethel.) *qui iam te uindicabo ex graui seruitute in libertatem. Ego, inquam, qui tibi apparui Bethele, meam opem promittens, nunc te asseram. Affert tertiam causam parandi reditus, & eã præcipuam Dei uoluntatem esse, ut redeat ad suos.*

Bethel.] *Hæc signa, usum uidelicet Bethele allatum, unctus lapis, uotum nuncupatum, confirmandi causa proponuntur ab angelo, quæ quoq; narrata à Iacobo ad probandas uxoribus suis reditionis causas uim non paruam habuerunt, ut sequitur.*

Reuertens in terram.) *ut promisso staretur: Et reducam te in terram hanc.* ארץ מולדתך *periphrasis Hebraica, terra natiuitatis pro patria.*

Nonne quasi alienas reputauit nos.] *patris lege erga nos minimè usus, dum dote nos elocatas in matrimonium, priuauit.*

Et uendidit.) *pro ancillis quæ uendi et emi solẽt, nos habẽs, quæ filiæ essemus. Grauat crimen ex attributis personarum.* ἀγροικία *obijcitur.*

Comedit precium nostrum.] *Amplificant improbitatem patris, apud quem nec seruile uis ualuerit erga filias, qui mercedem qualis debetur seruis non numerarit, sed eam per auaritiam interuerterit, fruens ijs quæ nobis debebantur. Quod est hic: Comedit pecuniam nostram.*

Sed Deus tulit.] *Agnoscunt sanctæ mulieres per fidem iustum Dei iudicium.*

Vnde omnia quæ præcepit tibi Deus fac.) *Obediunt Dei mandato, quod patriæ, parentibus, cognatis, nihil laborantes de molesto itinere, anteponunt. Submoto typo, ut sua uxor cœlestem Iacobum sequatur, posthabito mundo, & omnibus quæ in mundo magna censentur, lex abnegationis docet. Intelligunt enim sancti homines nefas esse iniussu imperatoris sui Christi de crucis & afflictionis præsidio ac statione decedere. Legitur hic, uxores Iacobi promptas se exhibere ad relinquendos parentes & patriam. Nos apud uatem legimus de sponsa cœlestis Iacobi Meßiæ*
Psal. 45 *benedicti: Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.*

Surrexit ergo Iacob.] *ut iussus fuerat. Præclarum exemplum obedientiæ in Iacobo, quod imitantes qui in regeneratione partem habent, omnia sua consilia & studia ex Dei uerbo moderari studeant: neque prius afflictionem dimittunt quàm Deo placeat, quib. nota sit uicissitudo illa, de qua Salomon: Est tempus flendi, & tempus ridendi.*

Rachel furata est idola patris sui. (*De uoce* תרפים *nõ conuenit inter interpretes. Sunt qui æra instrumenta, ex quib. horæ cognoscerentur, fuisse uolunt. Alijs sunt imagines sub certa siderum conformatione ac habitu factæ, è quibus futuri prædicerentur euentus. Ili citant locum ex Zacharia: Theraphim locuta sunt uanitatem. Alij simulacra humanam speciem repræsentantia fuisse interpretantur, quæ uim siderum cœlestem acciperent: nec tamen cu iusmodi fuerint, explicare se posse dicunt. Atque ad id comprobandum producunt locum ex Samuele: Et tulit Michel Theraphim, & posuit ad lectum, ut ea custodes existimarent esse Dauidem. Sed cur abstulit Rachel Theraphim? alij alias causas referunt, quas ut incertas prætereo.*

Noluitq; Iacob cõfiteri socero suo.] *Hebræus: Iacobus uerò furatus est cor Labanis. Hebraismus, pro celauit. Similiter Chaldæus* רבסי. *Dicas, cur insalutato socero abijt? Causam infrà ipse exponet Iacobus. Quod si Dei consilium spectes, id factum est, ut Iacobus noua tentatione persequentis Labanis exercetus, amplius Dei robur aucta fide persentisceret, & Laban ipse iustum Dei aduersus se iudicium, ablatis filiabus & facultatibus cognosceret.*

Amne transmisso.) *Euphrate.*

Galaad.] *Per anticipationem ita appellatus hic:*

Qui assumptis fratribus suis.) *filiorum, cognatorum & seruorum magna ui armatus, qua uel in ultionem Iacobum opprimeret, uel eam per uim cum uxoribus & opibus reduceret. Sed omnia uano consilio tentata, laborante nimirum pro Iacobo, cura diuina, ut sequitur,*

Viditq; in somnis.) *Hebræus, pro uidit habet, Venitq; Deus, &c. Quod dicitur de patefaciente uoluntatem suam Deo. Loquitur etiam Deus cum hypocritis per somnium: sed aliter cum his, aliter cum ueris cultoribus. quod discrimen norunt pij. Cum alteris loquitur ut pater, cum alteris ut iudex.*

Caue ne quicquam asperius loquaris.) *Hebræus indicat neque bonum, neq; malum loquendum esse. Neq; bonum loquare, quo studeas eum blandis uerbis reuocare domum tuam: neq; malum, quod in eum intentes redire recusantem. Hypocrisi occurrit quæ utrumq; continet, blanditiem & asperitatem.*

Et dixit ad Iacob.] *Expostulatio Labanis cum Iacobo, in qua duo exprobrat: unum, abductas filias clam ipso: alterum, furto ablata idola sua.*

Vt prosequerer cum gaudio.) *pro hypocritarum ingenio sermo cum animo non consentiebat.*

Quasi captiuus gladio.] *quæ in iure Iacobi essent, eas ferro & gladio partas interpretatur. Sic omnia solet improbitas in peius accipere.*

Non es passus ut osculer filias meas.) *Vincit hypocrisis, ut Domini præcepto Laban minus obtemperet: Ne loquaris cũ Iacobo neue bonũ neue malũ.*

Stultè operatus es.) *Quæ Dei spiritu adducti faciunt pij, stulticiæ ducuntur ab impijs.*

Sed Deus patris tui.] *Non dicit, Patris nostri qui idola coleret. Conscientiæ ui impulsus uerũ fatetur.*

Cur

Cur furatus es deos meos.] *Alterum crimen. Hic theraphim appellat deos suos. Vnde intelligitur hæc idola fuisse quæ ueneraretur Laban. Sunt qui imagines fuisse dicunt, è quibus Laban clarus magus diuinarit. Atq; inde commotam Rachelem, ut eas suraretur patri, ne ex illis cognosceret quò profecti essent, & quia ex illis penderet Laban, ideo dixisse hunc: Furatus es cor meum. Vani dij fuerunt quos coluit Laban, qui furto obnoxij essent.*

Respondit Iacob quòd nescio te.] *Occurrit obiectis criminibus, & primum primò purgat.*

Timui ne uiolenter auferres.] *Fatetur factũ, sed non malo animo ac contemptu Labanis id à se perpetratum, sed metu. Necessitudinem igitur affert ad defendendum, statu assumptiuo usus.*

Quòd autem furti me arguis.) *Diluit alterum crimen inficiatione.*

Ne iratscatur Dominus meus.] *Qui nosceret iram excitari cõtemptu, Dominũ appellat qui pater erat, quæ agnosceret sortem suam, quã ab eo tulisset.*

Assurgere nequeo.] *honoris causa.*

Quia iuxta consuetudinem fœminarum.] *Periphrasis menstruo pollutæ. Dij Labanis cistella camelli & immundo menstruo teguntur. Hæc erat reuerentia qua sancta matrona deos Labanis uenerata est. Hoc cultu hypocritarũ idola digna sunt, in quibus cõtinetur omnis humana sapientia & iusticia. de qua propheta his uerbis: Quemadmodũ immũditia menstruatæ fuit uia eorũ coram me. Aliter igitur coluit Deũ Labã, aliter Iacobus cum uxorib suis: ille alieno cultu, quẽ uerbũ Dei non docebat: is aũt uero, quem Deus probaret. Duplex igitur status hominũ hic adũbratur. Alter hypocritarum, alter uerorũ cultorum Dei. Is in Iacobo & Rachele indicatur, ille in Labane & eius familia. In altero hypocritæ quoq; habent in ore nomina Dei Abrahami, nomina creatoris Dei cœli & terræ, ut Labã infrà dicit, Deus Abrahami: & suprà, Experimento didici quia benedixerit mihi Deus propter te. In ore in quã habẽt nomina Dei: sed quẽ colãt nõ uerbo eius, sed hominũ: nõ cultu quẽ Deus monstrat, sed quem humana ratio fingit. Qui alienus cultus uniuersus idolis Labanis continetur. In tuearnur nostra & superiora secula in Turcis, Papistis, Iudæis & omnibus orbis terrarum populis, hos Labanis deos in eis cognoscemus, dum adorant opera sua, iusticiã suam, sapientiã suã, suam à se inuentã religionem. In altero autem cultu ueri adoratores nomina Dei usurpant, quæ Deum in spiritu fidei & ueritate sine simulatione reuerentur, cõtemptores idolorum Labanis cum Rachele. Atq; ut diuersus cultus est, ita nõ eadem in utrisq; uitæ studia cernuntur. In altero genere friget charitas, uitantur afflictiones, quærunetur deliciæ & opes, ut exemplo hic Laban est, & omnibus seculis hypocritæ: in altero uerò charitas magnifit, tolerantur labores, calamitates, paupertas sub spe redẽptionis. Exemplo hic Iacobus est, cum uxoribus suis, & omnibus temporibus pij.*

Quam ob culpam meam.] *Loci expostulatio-*

nis Iacobi cum Labane, quam ei iustã ira Dei spiritu accensa expressit. Irascuntur igitur pij & impij: sed quàm dissimiliter, hæc expostulatio indicat.

Sic exarsisti post me.] רלסת *pro* רדפת *persecutus es me cupidè uidelicet, & cum ardore quodam, cui iusmodi sonat* דלק.

Et scrutatus es omnem supellectilem.] *Alter locus. Eleganti metalepsi interpres contrectandi uerbum* מששת *pro scrutandi reddidit.*

Quid inuenisti.] *Interrogatione uehementi urget, apta ad declarandam innocentiam.*

De cuncta substantia.] כלי *generale instrumentorum & supellectilis uerbum.*

Pone hic coram fratribus.) *fretus innocentia à iudicio non abhorret. Quod Latinis est disceptare ac dijudicare causam, dirimere litem, in loco est Hebræis* רכח *fratres more scripturæ pro propinquis.*

Idcirco uiginti annis.] *Probat innocentiam ab anteacta uita, quam bona fide narrat.*

Oues tuæ & capræ steriles non fuerunt.] *per benedictionem Dei. Occulta ingratitudinis in auaro homine notatio. Opes igitur Dei sancti homines secũ apportant hospites. Sic Iosephus in Aegyptum exul & inops Dei diuitias intulit. Sic Helisæus uiduam per suam præsentiã aluit. Grati ergo sint pij exules, pupilli & uiduæ diuitibus, qui secum Dei munera & opes ferant.*

Arietes gregis tui non comedi.] *Firmum præiudicium ad delendam in omnibus furti suspicionem. Atq; præclaræ fidei in seruo non optimè tractato argumentũ cũ diuersum ingenũ seruorũ soleat esse, ut docet peruulgata illa sentẽtia, Quot serui, tot hostes.*

Ni Deus patris mei Abrahami.] *Ex hoc loco probat & ex similibus apud Euangelistam Dominus mortuos uiuere, cum dicit: Deus non est Deus mortuorum, sed uiuentium.*

Et timor Isaac.] *In metu cultus, quo Isaacus Deũ coluit, continetur. Locus memorabilis, parentum probitatẽ prodesse filijs, si uestigijs eorum insistant. Aut metus Isaaci accipitur pro Deo quẽ Isaacus metuit, ab hoc se in rebus aduersis seruatum. Et meminit propè Isaacum metus diuini, quòd is tum uiueret in precatione sua, & Dei cultu Iacobum filium communicatum habens.*

Nudum.) *contra ius & patrium & herile.*

Afflictionem meam.) *qui misereatur afflictorũ.*

Et laborem manuum mearum.] *Describitur hoc loco in Iacobo, sanctorum qualis sit uita. Hanc tanquam mare esse plenum procellis & fluctibus laborum & afflictionum. Præterea docemur afflictiones & laborem peccato tanquam pœnam impositum, pijs ex pœna in gloriæ præmium conuerti. Exemplo hic Iacobus est. Hoc ipsum est mysterium crucis pijs notum, impijs occultum.*

Respexit Dominus.] *liberato me à te persecutore. Nouus tentationis fructus.*

Et arguit te heri.) *per somnium, quo uetuit ne mihi noceres.*

Quid possum facere.]*Habent & Hebræi potentialem suum modum, quem efferunt uerbo futuri temporis* מה אעשה, *quid facerem?*

Tulit igitur Iacob lapidem.)*Depone typum et offeret se uerus ille lapis reconciliationis eorum, qui aliquando religione & studijs dissenserε. de quo Apostolus: Ipse est pax nostra, qui fecit ex utrisq; unum.*

Et erexit illum in titulum.] *qui conciliatæ amicitiæ testis foret. de qua idē Apostolus: Faciens pacē, & reconcilians ambos. Et de hoc amicitiæ titulo Esaias: Et stat in signum populorum.*

Afferte lapides.] *Mysticā notā explicat Esaias: Ecce ego sternam per ordinē lapides tuos. Hi ordine collocati lapides in cumulū unius corporis, quod est Ecclesia coalescūt, & testimoniū dant de uera cōcordia inter gentes & Israelem inita per Christū uniuersi lapidem in æternæ pacis statuam erectum. Quò pertinet illud eiusdem Apostoli: Ambos in uno corpore.*

Intueatur & iudicet Dominus.] Heb. ירחמצפה *propriū hic nomē loci à specula sic nominati. Duplex nomen habet cumulus: alterū æterni testimonij, alterum speculæ fuit. Ratio nominis subtexitur his uerbis: Quoniam dixit, Speculabitur Dominus, quid à me & à te fiat. Verba concepta fœderis sunt. Speculandi uerbo significat Dñm de cœlo tanq; de sublimi specula studia ac cōsilia hominū scrutari ac cōtemplari. Apparet inde nomen loco datū, de quo Iosuæ tredecimo, ubi* מצפה *ciuitas nominatur quæ cessit tribu Gadinæ. In sanciendo fœdere Dei meminit qui fœderum custos sit, & uiolatorum seuerus uindex. ut etiam apud tragicum uatem est, Deum* τιμήτορα ὅρκων *appellantem.*

Quem erexi.] *similiter Chaldæus pro coniiciēdi uerbo* יריתי *uertit* אקמרית, *id est erexi.*

Si autem ego trāsiero.] *Formula Hebraici iuramenti. Interpretum sententia* אם *pro* אשר *sumitur: Quod ego non sum transiturus.*

Iudicet inter nos.] *supplicio de eo sumpto qui prior uiolarit fœdus.*

Deus patris eorum.]*Tharæ.*

IN CAPVT XXXII.

Feruntq; ei obuiam angeli.] *qui defenderent eum cum solus esset in uia.*

Castra dei sunt hæc.]*pro me militantia.*

Et apellauit nomen loci illius.]*ut monumentū foret ad posteros, angelorum turmas uelut in acie stetisse aduersus hostes Iacobi. Memorabilis locus, angelorum legiones armari à Deo pro pijs contra inimicos eorum. Mahanaim in dimidia tribu Manassæ trās Iordanē sita est, cuius infrà in libro Iudicū fit mentio.*

Mahanaim.]*Dualis numeri est apud Hebræos, duplicem igitur turmam declarat: alteram, quam Iacobus instruxit, alteram quam Deus ex angelis.*

Misit aūt & nuncios ante se.] *ad placandum Esaum, quem infestum sibi præcepta primogenitura fecerat. Moderationis in sancto uiro exemplum, qui iratum fratrem missis legatis mitigare potius uoluerit, quam per contemptum magis irritare. Nota est sententia illa Salomonis: Mollis responsio frangit iram.*

In terram Seir.)*qui legitur suprà profectus ad Ismaelem, ducta filia eius Melcha sorore Nabaothi. Et Seir mons, ut uicinus prætereundus erat Iacobo in itinere ad Beersebam ad læum modicè illo relicto.*

Sic loquimini domino meo Esau.] *Dominum uocat, qui diuina sententia seruus designatus fuerat: Maior seruiet minori. Tempus respexit Iacobus in quo erat, & præsentem suum & Esai statū. In quo hæc demissio commoda erat Iacobo, & Deo non ingrata. Sunt enim filij Dei & domini & serui ad tempus omnium. ut Dominus ipse declarat in persoluto didrachmo. Similiter suprà Abrahamus Hethæos adorasse ut dominos dicitur, quamuis illos in Chamo in seruos seminis sui deputatos sciret. Iuxta illud: Benedictus Dominus Deus Semi, eritq; Chanaan seruus eorum. Adhæc intelligebat Iacobus, Esaum tam potentem esse, neq; prius futurum, ut ipse illi dominaretur, quàm Dauid regnaret. Sapienter igitur ad præsentem rerum statum se accommodans Iacobus, fratrem placare studuit.*

Apud Laban peregrinatus sum.)*Peregrini & exulis submissa nomina, apta ad mitigandum Esaum fratrem.*

Habeo boues & asinos & oues.) *Recenset opes suas quas sibi cōparauerat exul citra fratris damnum, ne quā malā paupertas nouandarū rerū suspitionē faceret, ut est inopia suspecta de malis cōsilijs.*

Cum quadringentis.]*Has copias quas Esaus honoris, quem redeunti Iacobo exhiberet gratia parauerat, Iacobus aduersus se comparatas suspicatus est, ut solent eorū, quos nobis hostes putamus esse, omnia in deterius accipi, metu pessima quæq; ut suspicioso affectu, suspicante, & in peius augente.*

Timuit Iacob ualde.]*Cur timuit cum, quem Dei sententia seruituti destinatum sciret? cur formidauit tantopere qui audiuerat: Ego custos tuus ero quocūq; perexeris, & reducam te in terram hanc? quomodo is qui anteà tam inuicto aduersus Labanē animo fuit, hic post tot & tanta explorata præsidia Dei, uacillare fide cœpit ut inciperet timere Esaum, quem sciret Deo inuisum, & se amicū? Nō temere hoc factū est, sed cōmodo illius & nobis ad salutis exemplū. Commodo quidem illius, qui per infirmitatem ad maius fidei robur perueniret, ut solet Dominus per infirmitatem robur suum per tenebras lucem, per ignominiam gloriam perficere. Nobis autem in exemplum, ut cognosceremus similiter nos cum Iacobo tentandos esse, si quidem iustum fidei modum assequi uelimus.*

Quapropter quadruplex est usus tentationis sanctorum. Vnus in cognoscenda infirmitate nostra cernitur, dum in palæstra in qua caro cum spiritu sub dei promissionis luctatur, experimur quàm imbecilles & miseri simus, & indigni quos ornet beneficijs suis Deus. Hunc fructum sensit Iacobus, cum infrà dicit his uerbis: Inferior sum beneficijs tuis & fide quam seruo tuo exhibuisti. Alter usus in inuocatione, quæ maximus Dei cultus est, apparet. de quo Psal. in

In afflictione mea inuocaui Dominum, & exaudiuit me. Tertiò utilis est tentatio ad corroborandam fidem, de qua illud Apostoli: Virtus in infirmitate perficitur. Quartò ad fruendum amplis & magnificis liberationis ac uindicationis beneficijs. De quo usu idem propheta: Si ambulauero in medio afflictionis, uiuificabis me. Demum, ut Dei nomen amplificetur à nobis tentationis tempestate superata. ut Psalmus dicit: Propter gloriam nominis tui libera me. Aliter ergo alioq; consilio tentat nos Satan per mundum & carnem, aliter Deus: is ut seruet nos, & ut nomen suũ in nobis sanctè colatur: ille, ut perdamur, & nomen Dei in nobis profanetur.

Diuisit populum,] Tribus rebus Iacobus fuit instructus aduersus Esaum, acie, oratione, & muneribus. De exercitu primùm hic.

Dixitq; Iacob, Deus patris mei.] Vera orationis ac inuocationis Dei formula. In tẽtatione graui ea uia Iacobus aggreditur Deũ, qua sciret illũ uinci posse ad ferendam opem. A promissione enim sollicitat, & ab inito cum patribus & secum fœdere, quod ille rescindere ut uerax, non posset. Atq; hac inuocatione usus ad Deum, ab hoste Esao liberatus est, ut quem hostem timuisset, iam experiretur amicum. Is ergo constans & perpetuus ordo operũ Dei est, quẽ tenet in suis seruandis: primò promittit beneficia sua, deinde tentat uarijs modis nostram infirmitatem, tertiò tentatam fidem corroborat, postremo promissam salutem præstat. Hæc norunt cum Iacobo qui partem in regeneratione colluctante aduersus Satanam, mundum, carnem, habent.

Minor sum cunctis miserationibus.] Occupat: Nõ quid ego merear specta, qui indignus sim tuis beneficijs & fide quam mihi exhibes: sed quid dignum sit bonitate et fide tua, quam mihi affuturã pollicitus es, cõsidera. Vbiq; interpreti nostro miserationes pro beneficijs ex חסדים & ueritas pro fide ex אמת placet.

Erue me de manu fratris.] Stãs promissis tuis.

Qui ualde eum timeo.] Causa inuocationis.

Tu locutus es q benefaceres mihi.] Repetit promissionem, cuius fide sciret obtineri omnia quæ peteret.

Cumq; dormisset ibi nocte illa.) Muneribus tẽtat placare fratrem, quorum quanta uis esset, non ignorabat Iacobus. Sapiẽter igitur Salomõ in Prouerbijs: Donũ hominis dilatat ei uiam, & requiem parat ei apud optimates.

Iaboch.) Is fluuius Ammonitarũ terminus in Iordanem exoneratur.

Traductisq; omnib.] Nihil quod quidẽ ad Iacobum pertineret, in promissam terram translatũ non est. Remoto typo mystici Iacobi, legitur apud Ioannẽ: Quos dedisti mihi ego custodiui, et nemo ex eis perijt

Et ecce uir.] Angelus uiri specie oblatus, ut Oseas propheta dicit. וישר את מל אך ויכל.

Luctabantur.] Similiter Septuaginta, ἐπάλαιεν, & Chaldæus, ראשתדל, Hebræum uerbum ריאבק à puluere ducitur, qualem spargunt luctãtes. Latini dicunt in arenam descendere pro luctari. Introitus in terram sanctã nõ contingit sine fide luctæ & uictoria. Mystica nota obscura pijs non est. Hac Iacobi lucta & uictoria adumbratur uniuersa pugna & uictoria sanctorum.

Mansit solus.) A circunstãtia tum personæ tum tẽporis nocturni intẽditur luctæ grauitas. Sic enim de terroribus quos sub noctẽ dæmones tenebrarũ potestates incutiũt, uates: Nõ formidabis terrores nocturnos. Itaq; sunt qui hũc angelũ luctantẽ cũ Iacobo, Esai malum genium fuisse uolunt quẽ Hebræi Samaelẽ uocãt.

Vsq; mane.] A tempore quo de nocte surrexit, et suos flumen transmisit.

Qui cum uideret quòd eum superare non posset.] Fortitudinis in Iacobo exemplum illustre, quẽ Dei angelus specie uiri apparens uincere non potuerit. Sed qualis fortitudo hæc fuit? Talis sanè erat, non quam caro sed spiritus Dei regeret. Neq; luctatus est cum genio Iacobus cõtumaciter et insolenter, sed demisso animo & humili, qui precando & flendo dimicarit. Sic enim ait Oseas: Fleuit & precatus est eum. Vbi indicatur quali lucta sancti uincant Deum.

Et statim emarcuit.] loco dimotum luxatumq; femoris uertebrum fuisse. Exponitur modus uincendi non prius potitum Iacobũ benedictione per uictoriam angeli, quàm contractio ex neruo in femore facta esset. Atq; ita non prius superat quàm superatus sit ipse. Deposito typo de quo mox infrà, patebit nec nos prius uictores euadere, quàm deuicta sit nostra uirtus quæ in carne cernitur, ut uniuersa gloria iusti Dei sit non nostra. Quæ in lumbis et femore notẽtur, per spicuum ex alijs locis scripturæ sacræ.

Iam enim ascendit aurora.] Hoc loco freti ueteres dicunt angelos laudes matutinas Dei absoluere. quò etiã referunt illud Iobi: Cum me laudarent astra matutina, et iubilarẽt omnes filij Dei. At cum angeli supra & extra tenebras & lucẽ hanc corporatã uersentur in cœlo perenni luce quæ Deus est claro, cur potius sub aurorã & Orientẽ solem prædicare dicuntur Deum quàm tẽpore alio? Dicunt hi duobus modis celebrari Deum: Vno, propter beneficia quæ Deus hominibus, quorum administri spiritus sunt, per solẽ tribuit, quem suprà legimus à Deo conditum, qui terram illustret, & cuncta uitali calore animet. Altero propter Christum solem iustitiæ, quem uisibilis sol re præsentet, sub cuius ortum par sit non solum ab hominibus, sed etiã à genijs celebrari Deũ. Itaq; Paraphrastes Hierosolymitanus hoc modo locum hunc reddit: שלח יתי ארום סליק עמיד דשחר רחא משח שעתהון דמלכיא למשבחא id est, Dimitte quoniam ascendit auroræ columna, & appropinquat hora angelorum ad celebrandum.

Non dimittam te.] Hæc est sanctorũ strenuitas, qui nõ cessant fide promissionis muniti prius luctari quàm obtineant à Deo de quo contendunt.

Nisi benedixeris.] Cõfirmata benedictione patris Isaaci propter quam iniquior factus est mihi Esaus.

Ait ergo, quod est nomẽ tuũ?) interrogatio est nõ ignoran-

ignorantis Iacobi nomen, sed occasionem quærentis noui nominis indendi.

Sed Israel.] *quod sonat uictorem Dei. Præclaræ uictoriæ exemplum, cum homo qui puluis & cinis est, cum Deo luctatur, & uictoriam reportat. Hoc Iacobi exẽplo pugnabũt & uincent omnes qui Iacobæi sunt, hoc est qui ex promißione supernè spiritu fidei renati filij sunt, ad quos uidelicet sermo uenit, de quo suprà: Ego ero Deus tuus. Suis igitur armis, non nostris, superatur Dominus cœli & terræ, cum liberaliter promittit salutem, & spiritum in nobis excitat, per quem uerbo eius credimus, qui tam uerax sit, ut præstet promissa: & tam potens, ut possit: & tam bonus, qui uelit præstare. De quo suprà: Tu locutus es quòd benefacerres mihi. Huiusmodi promißionis fide Deũ quem hæc uniuersitas capere non potest, nostri iuris ac potestatis facimus, ut aduersus peccatum, mortem, potestates tenebrarum, nos iuuet, benedictionem iusticiæ, uitæ, lucis tributa. Hinc illud Ioannis: Hæc est uictoria mundi, fides nostra. ideo sequitur:*

Quoniam contra Deum fortis fuisti, quanto magis.] *Interpres per comparationem maiorũ & minorum Hebræum uersum exponit. Rationis nominis Israel simplex expositio, non comparata hic legitur. Quoniam, שרית, id est ut principem decet cum Deo & cum hominibus luctatus es, ac uicisti, ut sequitur:*

Et præualuisti.] *per fidem promißionis qua promiserat Deus se cum eo futurum. sub auroram uincit Iacobus, sub quam euoluto typo oritur sol iusticiæ, sub cuius præsidio uincunt Iacobæi, qui in tenebris grauissimarum tentationum pugnas suas & luctas exercuerant. Et hoc ipsum est quòd is sol iusticiæ dicit uiolentos rapere regnum ui uidelicet fidei, qua uetere homine elumbato ac mortificato, magna contentione, in nouo per precationem in cœlos usq; ad thronum clementiæ diuinæ penetrantem, uictoria paratur uiolentis luctatoribus, non ignauis pugilibus destinata. Interpretes dissentiunt de nomine אלהים, alijs de angelo, alijs de Deo interpretantibus. Nam ea uox Deo, angelis & iudicibus cõmunis est. Nostro similiter Chaldæus & Græci interpretes, de Deo exponunt. Non est hic periculum, utrum intelligas. Nam cum utrisq; luctatus est, cum angelo & Deo: altero, ut instrumento: altero ut principe antagonista, qui angelo ut sermonis & luctæ instrumento ad Iacobum usus est. Quapropter Oseas capite duodecimo utranq; uocem usurpauit: אלהים ס מלאך his uerbis שרחאת אלהים ריישראת מלאך ריבל.*

Cur interrogas de nomine meo?] *Non patefacit hic nomen suum quod suo tempore esset patefaciendum. Nam specie corporata in angelo Meßias apparuit, qui nomine mirabilis suo tempore erat manifestandus. De quo nomine Esaias his uerbis: Qui nomine appellatur admirabilis consiliarius.*

Quod est mirabile.] *Addit de suo ex libris Iudicum, Septuaginta imitatus, τὸ ὄνομά μου, ὅ ἐστι θαυμαστόν.*

Benedixitq; ei.] *promissa ope aduersus fratrem Esaum.*

Phanuel.] *Nomen loci in tribu Gadina ad coniunctionem Iobocci torrentis cum Iordane.*

Quoniam uidi Dominum à facie ad faciem.] *Dicat aliquis ut uidisse se ait hic Deum de facie ad faciem, cum scriptum legamus: Non uidebit me homo, & uiuet. Verbum. facies non uno modo accipitur in sacris literis. Nam interdum usurpatur ut notet ipsam claritatem quam Deus in sua natura habet. hoc modo nemo hac carne circundatus uiderit faciem Dei, nec eam hic se fatetur uidisse Iacobus. Stat enim illud: Deum nemo uidit unquam. Item: Cernimus nunc per speculum in ænigmate, &c. Deinde facies accipitur pro specie aliqua externa cum qua se ostendit Deus. Sic cum specie humana apparuisset angelus Domini, se Dominum de facie ad faciem uidisse dicit, hoc est præsentem in angelo. Ita Esaias uidisse Dominum se dicit, id est gloriam Domini in uiso repræsentatã. Demum accipitur facies, ut opponatur umbris ac figuris ueteris Testamenti, quæ facies per cognitionẽ benevolentiæ diuinæ in Christo nobis citra umbram & figuram manifestatur ueluti accipitur apud Apostolum in Epistola ad Corinthios, ubi ait: Quoniam Deus est qui iußit è tenebris lucem illucescere, qui luxit in cordibus nostris ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Iesu Christi. Hanc faciem cum lex non patefaciat, sed spiritus Euangelij, legimus in Exodo de Mose: Non uidebis faciem meam, sed posteriora.*

Et salua facta est anima mea.) *Se incolumẽ eius fisse impetrata benedictione contra Esaum. Fructus luctæ & uictoriæ exponitur. Is bipartitus est: Vnus, quẽ Iacobus retulit: alter, qui ad nos propter quos hæc literarum monumentis consignata sunt, pertinet. Nam admonemur hic nobis quoq; salutem effici non posse, nisi per pugnam & luctam fidei promißionis, Iacobi exemplo, omnia uincamus. In qua lucta primò spectatur personæ colluctantes. Hæ sancti sunt & Deus. Deinde id de quo contenditur, quæ promissa salus est ac liberatio. Tertiò fides promissam liberationem in pugna Deo proponẽs. Quartò delũbatio uirtutis nostræ, mortificato carnis robore, et per regenerationem inditis nouis uiribus, per quas aspectus Dei toleratur, per uitam ueteris hominis non toleratur. iuxta illud: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest uidere regnum Dei. Demum uictoria fidei fruentis promißis Dei beneficijs.*

Ortusq; est ei statim sol.] *Noctu tentatur ac acriter pugnat Iacobus, ut autem prælio defunctus est comparata benedictione, subitò ei discußis tenebris sol exoritur. Tu hæc ad mysterium redemptionis accõmodes. Nam nõ solũ mysticas notas in personis & factis ipsis, sed etiam in rebus, ut locis, tenebris, luce uidere licet. suprà legimus in descriptione fabricationis mũdi huius è tenebris lucẽ Deum elicuisse: hic expiationis eius typi exemplum ostenditur, in tenebris uidelicet afflictionũ subortum eum solem, de quo Malachias: Timentibus nomen meum orietur sol iusticiæ.*

CAPVT

IN CAPVT XXXIII.

RAchel autem & Ioseph nouissimos.] *charissimis in postremo & tutissimo ad euadendum loco collocatis.*

Et ipse progrediens.] *tanquã dux eas antecedens.* Locus de cura quam paterfamilias de suis gerere debeat. Neq; sollicitudinem & industriam negligẽdam in ijs rebus quæ in naturæ facultatẽ cadũt, cætera perfidẽ permittenda Deo, qui minimè tentãdus fuerit. Iacobus præcedens periculo se exponit, dum in terrã sanctã suos transferat. Depositio typo, de cœlesti Iacobo legis: Ego sum pastor ille bonus, & animam meã pono pro ouibus. Item Micheas: Et transiuit rex eorum ante eos, & Dominus in capite eorum.

Adorauit pronus in terram.] Honorem tribuit qualis principibus uiris tribuitur. Hæc officia accommodata erant ad placandã fratris iram & inuidiam. Constat odia restingui contrarijs rebus, hoc est ijs quibus amor comparatur. Hoc loco citra fidei iacturam usus Iacobus fratris acerbitatem commodè temperauit. Non enim fides rerum conditarum ordinem conuellit, per quam suũ cuiq; tribuimus, Deo fidem & supra omnia amorẽ, parentib. cultũ reuerentiæ, Cæsari uectigal, potentib. & magnis uiris debitũ honorẽ.

Currens igitur Esau obuiam fratri.) Ex hoste amicus redditus prouidentia diuina. Is victoriæ & luctæ Iacobi exitus fuit. Ad hanc reconciliationem usus est Dominus Iacobi peregrini & exulis fortuna.

Stringensq; collum eius.] Hebræus quiddam uehementius habet, Et ruit ac insilijt in collum eius.

Fleuit.) Hebræus utrosq; fleuisse dicit ויבכו. Ex gaudio inexpectato fletus exortus.

Paruuli sunt quos donauit Deus.) Exẽplũ gratitudinis Iacobi erga Deũ. חנן est liberali benignitate donare. A fauore erga se Dei cõmendat se fratri.

Habeo plurima frater mi.] Quæ acceperat ex benedictione diuina, de qua suprà capite 27. In pinguedine terræ & rore cœli supero erit benedictio tua. Qua benedictione cum uideret à se fratrẽ superari, inuidia retusa est. Rerũ enim prosperarũ magnitudine in eo qui inuidet, opprimi luor solet, non aliter quàm fumus ingenti flamma. Hinc quidam principatum nactus, cum ei occurrisset quidam æmulus, Euasisti, inquit, periculum. Inuidia enim inter pares flagrare solet.

Sint tua tibi.] Hebræus effert, יהי לך אשר לך.

Sic enim.] Hebræus: כי על כן.

Quasi uiderim uultum Dei.) Aspectum fratris comparat aspectui Dei, qui in illo reconciliato apparuerat. Neq; insolens est, ea quæ præclara sunt, nomine Dei appellari, ut mons Dei, fluuius Dei, hortus Dei: sed ita, ut intelligamus, grati & memores Dei fauorẽ nobis in huiusmodi rebus declarari. Interpretes alij אלהים de angelo: alij de Deo, ut Græci: alij de principibus uiris, ut Chaldæus, exponunt. Hæc uerba ad placandum Esaum apposita erant.

Et suscipe benedictionẽ.) ברכה pro munere. similiter Chal. תקבלת.

Et quam donauit mihi Deus.) Ratio à munificentia diuina, cuius munera non liceat contemnere.

Tribuẽs omnia.] Duo in hoc uersu notãtur: unũ cogitandũ pijs esse, opes nõ humanæ industriæ ac laborũ opus esse, sed benignitatis diuinæ. Alterũ, quod inde consequitur, quenq; sua sorte debere contentum esse, in qua agnoscat nihil sibi deesse.

Eroq; socius itineris tui.) Quẽ antè hostẽ metuerat, is se iam dũcẽ profitetur, ne desint reconciliatæ amicitiæ argumẽta, quæ in officijs cernũtur. Qui toties minatus fuerat necem Iacobo, tam remisso furore reconciliatus ei legitur. Quare uera est sententia illa Salomõi suprà quoq; citata: Cuius uijs oblectatur Dominus, ei hostem placabit. Discimus hic neq; consilium neq; fortitudinem esse contra Dominũ. Statuerat quidẽ Esaus interficere Iacobũ, sed fortior fuit is qui à Iacobo stetit, ut esset firma sententia illa: Maior seruiet minori. Reducto uelo, sic caro spiritui, terrenus homo cœlesti, uetus nouo cedet, inter quos Deus pugnam atq; dissidiũ nõ excitauit ut uincat caro, sed potius ut à spiritu uincatur et redigatur in seruitutẽ, quam tantisper ferat dum ui excitationis è mortuis noua facta, intimo amore cum spiritu coniungatur.

Fœtæ mecum.] A salitione ac initu arietum fœtæ oues עלות Hebræis appellatæ.

Si plus inambulando fecero ambulare.] Locus de cura pastoricia erga tenerũ et infirmũ pecus. De posito uelo primò de cura monemur, quã Iacobus ille uerus Messias de suis ouibus gerit, deq; ratione, qua infirmiorẽ gregẽ tractat, qui ipse de se dicit: Nõ sum missus nisi ad oues perditas domus Israel. Ad quarũ gressum ita se attẽperat, ut dicat apud prophetã: Linum fumans nõ extinguam, & arundinẽ conquassatã non confringã. Deinde admonemur, quomodo etiam nos exemplo Iacobi erga infirmiores gerere debeamus. Horũ scilicet tarditatẽ & lentos neq; dum firmatos in fide gressus nostra celeritate eorũ periculo nõ esse præuertẽdos: sed decere ut infirmi simus cũ infirmis, et robusti cum robustis, ne dum debiles in fide cerius quàm ferãt, præ nobis ducimus, id quod metuit hic Iacobus suis ouibus & teneris pueris, accidat.

Præcedat.) carens impedimentis.

Dominus meus ante seruum suum.] Inspecta natura τῶν πρός τι, cõiungit dominũ cum seruo, quæ animi demissio ad confirmandũ eam, quæ cœpta fuerat beneuolentiam, apta erat. Esaus Iacobum fratrem uocat, Iacobus autem illum dominum.

Et ego sequar paulatim uestigia eius.] Hebræus de uestigijs pecorũ accipit, nõ Esai. Ego ducam ac agam sensim præ me pecus prout feret. Tale notat Hebraismus לרגל.

In Seir.] mons sic appellatus ab hirsuto Esao, quẽ ducta Ismaelis filia cœperat habitare iam à patre digressus. Dicit se paulatim lenteq; secuturũ dũ ueniat in Seir: ubi occultè significare uidetur suo tempore sore, ut in Seir montẽ perueniat. quod accidit regnante Dauide, tam aucto in posteris robore, & facta ea fortitudinis accessione, per quam perficeretur sententia

iam olim diuino oraculo edita, Maior seruiet minori. Nam omnino Esaus potentiæ & regni benedictionẽ prius obtinuit, q̃ Iacobus fratrẽ lento gressu secutus, ut solet mũdus is omnia primò splendidiora habere, & deteriora Ecclesia cũ Christo principe ac capite.

Non est, inquit, necesse.) Detrectat comitatum Esai, & eorũ qui de familia illius erant, qui nõ essent apti futuri comites. Quod enim Esao cum Iacobo cõmercium, quos in utero diuina sententia disiunxerat, potuisset esse? Alter igitur in Seirem redijt, alter ut iussus fuerat, ad suos: Egredere de terra hac reuertẽs in terram natiuitatis tuæ.

Et Iacob uenit in Socoth.) ciuitas postea factus est is locus, & Gadinæ tribui cessit, retinuitq; nomen Sucoth, ut memoria peregrinationis patriarchæ Iacobi extaret.

Et fixis tentorijs.] Ratio etymi. In tentorijs habitasse legitur hic Iacobus, qui pastoricia uita ageret, quiq; nõ prius ea terra tanq̃ hæreditate fruiturus esset, q̃ in Aegyptũ translatus cũ suis finito certo exilij tempore redijsset. De quo suprà capite 15.

Transiuitq; in Salem.) Similiter Græci, σάλημ. Chaldæus שלים hoc est incolumis, cui non proprium nomen loci est sed appellatiuum.

Vrbẽ Sichimorũ.) ciuitas Samariæ in tribu Manassæ. Apud Ioannem Euangelistam Sichar dicitur, memoria fontis Iacobi illustris, de quo Ioan. 4.

Centum agnis.) Similiter Chaldæus, qui habet חורפן. Eodẽ modo Græci uertũt ἀμνῶν, nisi deprauatè legatur ἀμνῶν pro μνῶν. Cæteris placent pro agnis nummi, ut etiã Lucæ. Hos uolunt quæsitas uocari ab Hebræa uoce. Dicat aliquis: In Actis cap. 7. legi ab Abrahamo emptum agrum. Sic enim dicit Stephanus: Defunctusq; est ipse, & translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro quod emit Abraham à filijs Emor filij Sichem. Fortassis bis emptus fuit, primò ab Abrahamo, deinde à Iacobo, quẽ ob cõtinuã locorũ mutationẽ, relictũ et abalienatũ propter eius memoriã, recuperare uoluit, ut ager bis emptus intelligat.

Et erecto ibi altari.) ad quod de beneficijs, quæ acceperat, oblatis hostijs Deo gratias ageret, & eius nomen publicè inter suos prædicaret. Ideo sequitur,

Et inuocauit super illud.) Non una hic interpretatio est. alij uertunt, Et uocauit illud fortẽ Deum Israel. Vocatã aram nomine Dei propter opis diuinæ qua toto peregrinationis tempore experius fuerat, quam ibi celebreretur, memoriã. Quemadmodũ etiã infrà Moses sacrã aram nomine Dei dignatur יהוה נסי שמו יחוה Et uocauit nomen eius Dominus signum meum, propter memorabile salutis signũ, quod in eo loco editum à Domino fuerat. Sic quoq; Hierusalem nomen Dei alicubi habet, in qua nimirũ Dei gloria declaretur. Pro, Inuocauit super illud, Chaldæus uertit רפלח עלוהי, id est coluit super illud Deum Israel: inuocandi uerbo pro colendi translato, quòd inuocatione uerus Dei cultus contineatur, in qua nimirum ueritas, potentia, bonitas Deo ascribuntur, contraria uobis, ut sequitur:

Fortissimum Deum Israel.) Qui potentissima manu ab omnibus periculis Iacobum liberasset.

IN CAPVT XXXIIII.

EGressa est autem Dina.] temerè & non consultis parentib. Exponitur occasio per uim oblati stupri. Nam rectè sapiens: Qui amat periculũ, in periculo peribit. Noua tentatio Iacobi à stupro Dinæ filiæ narratur, quam honestè educauerat, & procul dubiè ut unicam uehementer amauerat. Vt sunt filiæ suauissimæ seni patri testimonio etiam Græci poetæ: ὡσεὶ δὲ ἄλλῳ ἄλλιον γέγοντι θυγατρὸς. Sed neque sancta educatio effecit, ut patris animo per omnia responderet puellæ ingenium & mores. Tanto periculo honestatis uiuitur inter improbos.

Filia Leæ.) nata ei post reliquos filios. Dina igitur puella nondum septem annos habuit, cum primò pater Iacobus profectus esset ad Sichemitas, & tum quoq; Simeon & Leui paruuli erant. Vnde interpretes arguunt apud Sichimitas multos annos uersatum Iacobum, priusquam Dina à Sichemo utiata esset.

Vt uideret mulieres regionis.] contra puellarẽ pudicitiam, contra institutionẽ patriam, cõtra religionem quæ abhorrebat à Cananæorũ cõsortio ac cõsuetudine. Græci interpretes, non egressam ut obiter uideret mulieres Cananæas, sed earũ mores quales essent perdiscceret, in κατανοῆσαι declarant. Dina igitur nõ Rachelis sed Leæ filia, hic pudicitiæ suæ periculo patris domum relinquit, & ad Cananæos abit. Quo exemplo admonitæ adolescentulæ domi se contineant, externas res curiosius non rimantes. Cuius diligentiæ admoneat eas etiam Hebræa uirginib. apta uox עלבון.

Quam cum uidisset Sichem filius Emor.) ut sunt ad luxum & libidinem proni potentiorum liberi. ideo subditur hic: Principis terræ illius.

Et rapuit.] Scitè interpres p tollendi uerbo ויקח rapuit conuertit: quod in stupru ui oblatũ conuenit.

Vt opprimens uirginem.) pro ויענה in Heb. uerbo uis in constuprando allata exprimitur. Congeries hæc uerborũ, rapuit, cõcubuit, ui oppressit, ad facinus & animi impotentiã exponendã adhibita est.

Et cõglutinata est anima eius cũ ea.) Explicatur causa raptæ ad stuprũ urginis, impotẽs amor quẽ Hebraica periphrasis indicat. Vnde rectè à poetis sic refrenãs eius uim metus Dei desit, ἄφθιτος ὃς amor appellatus est, & ἀυσμαχώτατος θεὸς fingitur.

Tristemq; deliniuit blanditijs.] Hebraismus, loqui ad cor, pro blandis uerbis appellare. Cor Hebræis pro animo, quod indicio est in corde fontẽ uniuersæ uitæ collocatũ esse, eosq; spiritus inde manare quibus sensuũ functiones peraguntur. Ideo Græci pro corde διανοίαν reddũt. Cæterùm cur hic desit in נער diuinitatis litera ה & cuius mysticam notam corrupta non ex Rachele, sed ex Lea nata Dina præferat, pij ipsi perpendant.

Et pergens ad Emor patrem.] Patrẽ appellat de nuptijs, in cuius potestate ac iure esset. Locus de potestate parentum in liberos naturæ etiam lege in

profanis

profanis gentibus confirmata, quæ postea lex à Mose in tabulas relata est.

Absentibus filijs.] Agricultura commendatur & pastoricia uita, ab exẽplo filiorũ patriarcharũ, qui nõ mercatores ad fraudẽ cõparati, nõ sanguinarij milites, nõ ocioſi et inertes homines, sed pastores dicũtur fuisse.

Siluit donec.] Non legitur perturbatus & affecti bus cõmotus tumultuasse, qui didicerat in aduersitatib. silens per patientiã à Domino consolationẽ expectare, nõ ignorãs illud prophetæ: In silentio & spe erit fortitudo uestra. Fortis igitur et costantis exẽplũ hic offertur, cuius est non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantẽ de gradu deijci, sed præsentis animi uti cõsilio.

Donec redirent.) ad totam familiam sancti populi opprobrio pollutæ Dinæ pertinente.

Rem illicitam perpetrasset.] Scitè Hebraismum, Et sic nõ fiet: pro, quod minimè factũ cõuenebat. Heb. enim consuetudinẽ & decorũ futuris uerbis eloquũtur.

Adhæsit anima filiæ uestræ.) Hortatio Emoris ad filios Iacobi, locis æqui, honesti, & utilitatum instructa. Par esse, ut naturæ legi, quæ amore coniugali mares cum fœminis coniungat, obtemperent.

Et iungamus uicissim coniugia.) quibus continentur communitates & societates uitæ humanæ, quæ sine affinitatibus conseruari nequeant.

Terra in potestate uestra.] Ab utili. Sed in illis animus cum sermone non consentiebat. infrà enim: Et substantia eorum & cuncta quæ possident nostra erunt. Hæc est hypocrisis repudiatorũ Cananæorũ: quos qui imitentur, satis notum. Hebraismum rectè interpres: רחאץ יחיח לרפניכם.

In dolo.) Dolus erat quòd sub specie contractæ affinitatis per circuncisionem Chananæos erant trucidaturi. Hunc dolum regebat iusticia diuina ad uindicandũ stuprum Dinæ, & ad significandum Chananæos ad fœdus Dei non pertinere, qui semel in Chamo maledictioni & seruituti addicti essent.

Si uolueritis esse similes nostri.) Proponunt conditiones, sed quas Dominus ratas nõ haberet, qui in fœdus circũcisionis non Cananæos de progenie Chami, sed Abrahami sobolẽ de genere Semi benedicti adoptauerat

Tunc dabimus & accipiemus mutuo.) Nec hoc de consilio Dei erat. Nam ut Chananæi ad fœdus Dei nõ pertinebãt, ita nec ad affinitatũ cõmunionẽ quæ iungerẽtur cum Israelitis. Suprà enim Abrahamus cauerat ne Isaacus contraheret matrimoniũ cũ Cananæis. Similiter Isaacus exẽplo patris prohibuit Iacobũ miscere cõnubiũ cũ dãnato ad seruitutẽ populo. Et infrà lege per Mosem planè sancitur ne Israelitæ cũ his gentib. ineãt huiusmodi societatem. Quapropter non legitur huic filiorum suorum consilio fraudulento interfuisse Iacobũ, qui infrà his uerbis Simeonem & Leui obiurget: Nõ ueniat in consilium eorum anima mea.

Et habitabimus uobiscum.) contra sententiam de exterminandis Cananæis semel latam.

Ipse erat inclytus.] Locum uoluntatis coniungit cum facultate, ideo urgetur opus ut sequitur.

Ingressique portam urbis.) In portis pro more solitis tractari causis & iudicijs.

Locuti sunt ad populum.] hortantes eos ad circuncisionem suscipiendam.

Viri isti pacifici sunt.] Ab æquo:

Quæ spacioſa & lata.] Per occupationem occurrit incommodis, quæ ciues obijcere potuissent. Hebraismũ rectè interpres, Ampla manibus: nota metalepsi manibus pro finibus usurpatis.

Si circuncidamus masculos.) Abuti sacris sancti populi non recusant, sed neq; Dei Israelitarum gloriã, neq; populi selecti commoditates, sed suas spectantes. Horrendæ simulationis, sed in regno contaminatoris ecclesiæ usitatæ, exemplum.

Et substantia eorũ & pecora.) A' spe utilitatis, sed falsa, ut mox explanabitur. Retegitur hypocrisis praui cõsilij. Ignorarũt sentẽtiã cõtrasse ad Abrahamĩ ductam: Tibi enim & semini tuo dabo uniuersas regiones has. Hoc decretũ ineluctabile Iacobũ cum filijs suis seruauit, & hypocritam Cananæum cum suis euertit.

Assensique sunt omnes.) Principis sui auctoritate et commodorum quæ proposita erant spe, persuasi. Quorum utrunq; multũ ualet in permouendo populo. Princeps tolerabilibus suadendi artibus utitur, non tyranni de, quæ ui, nõ ratione agit, tyrannis animo & ore iactãtibus illud: Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas.

Ecce die tertio.) apto ad occasionem cædis. In quo Sichemitæ propter circuncisionis uulnus inepti erant ad pugnandum, quiq; de filijs Iacobi ut pacificis nihil mali suspicabantur. Explicatur dolus, de quo suprà: Respondemus filij Iacobi per dolum.

Duo fratres Simeon & Leui.] ut seniores & qui Dinæ fratres erant ex matre Lia, sed quibus non repugnarint cæteri Iacobi filij, qui infrà leguntur in diripienda urbe Sichema operam suam contulisse.

Confidenter.] armati spe retinendæ libertatis, uindicandi stupri, statuendi exemplum in posteros eodem modo ulciscendi opprobrij à profanis illati.

Interfectisq; omnibus masculis.] Horrendum ultionis exemplũ, sed non sine exemplo. Simili clade Amalechitæ & Cananæi à posteris Iacobi affecti sunt. Discrimen tamen uidere hic licet: alteri, hoc est posteri Iacobi, uerbo Dei incitati tam horrendã fecerunt cædẽ: alteri dolo instructi, sed non sine zelo detestabilis sceleris puniendi in Sichemitas grassati sunt. In alteris atrox facinus uitio caret, in alteris non caret. At uerò hic præstantem Dei bonitatẽ licet cognoscere, qui suis cuncta in melius conuertit, & alienis in peius. Sichemitæ enim propter uitium, quo familiam sanctã Iacobæã polluerunt, & propter hypocrisim perditi sunt: Iacobi filij de dolo perditi non sunt, qui in fœdere Dei essent, quod fallere & irritum fieri non poterat. Verum igitur illud Apostoli: Cedunt omnia in bonum ijs qui ex proposito Dei uocati sunt. Quocirca personæ inter uitia discrimen faciunt, non uitia personas separant aut coniungunt: quæ memorabilis est in sacris literis de peccatis iudicandi regula. Nam aliter serpẽs deliquit, aliter Adamus: aliter Cainus, aliter Abel: aliter Saulus, aliter Dauid: aliter Iudas, aliter Petrus. Sic non eadem ratione Sichemitæ hic peccarunt, & Iacobi liberi, ut infrà liquidum fiet.

Interfectisq; omnib. masculis.] *Locus notabilis, sacra symbola nihil iuuare eos qui electi sunt ab amicitia Dei, & cum Chananæis ad seruitutem ante posita fœderis signa destinati. Hic enim non solum non defendit susceptam circuncisionem semel repudiatum populum sed etiam ei exitio est.*

Emor & Sichem pariter necati sunt.) *autores commissi sceleris: alter, qui stuprum obtulisset: alter, qui id minimè ultus esset, & etiam malo dolo & fraude cum filijs Iacobi egisset, simulatè sacris populi electi susceptis. Verum est igitur illud: Qua mensura metimini, eadem metientur uobis alij. Exemplum horrendæ huius cladis qua Sichimitæ affecti sunt, documento est quantopere Deo stupra & fœdæ libidines displiceant. illustrandus locus est tum sacris tum profanis, quæ innumera sunt, exemplis. Ad hæc etiam ponderandum, quæ mala consilia & scelera stupra consequantur, ut solent iusto Dei iudicio flagitia flagitijs puniri.*

Tollētes Dinā de domo.] *pro qua asserenda quāuis sua culpa fœdata esset, Dei cura laborabat. Locus mysticus de prouidentia diuina, quæ erga ecclesiam ab impijs profanatam geritur. Inspectis nostris & superioribus seculis, mysticæ huius historiæ notæ erunt planè. Ecclesia imprudenter cultu oraculorum Dei neglecto, & ad alienos egressa, in prophanum Sichemum incidit: à quo blandis pellecta uerbis, miserè humanis doctrinis constupratur, ad tantū facinus ut designatū est, Christo cœlesti Iacobo ad tempus conniuente, dum interim Episcopi & doctores in fœdum idololatriæ connubium contrahendum consentiunt, accipiente perdito illo pudicitiæ honestæ uirginis uiolatore oblatas fœderis conditiones, dum nomina quoq; Euangelij, Christi, sacrorum symbolorum usurpat, sed pestilenti hypocrisi, qua Ecclesiam sponsam turpius corrumpat. Sed quid tandem accidit? ubi redeunt ad se Simeon & Leui, hoc est Apostoli & Episcopi ueri, Leuitæ, armati gladio uerbi & oraculorum Dei suos Sichemos, hoc est Antichristum, quem gladio spiritus oris Christi iugulent & interficiant, commodo ad summum perductæ hypocriseos tempore aggrediuntur. De qua impiorum cæde propheta: Et spiritu labiorum suorum interficet impiū. Hæc tanta mysteria prophanationis Ecclesiæ & eius liberationis, quibus omnes prophetæ pleni sunt, hic in tam parua tabella nobis spectanda proponuntur.*

Oues eorum & armenta & asinos.] *Præluditur hic per istud filiorum Iacobi facinus futuræ Cananæorum deprædationi atq; deletioni. Qui paulo suprà dixerant, Substantiam eorum & pecora & cuncta quæ possident, nostra erunt: ipsi iam ijs quos depopulari statuerant, prædæ fiunt.*

Turbastis me.] *rationes & consilia mea. In uerbo* עברתני *conturbatio, hoc est motus indicatur consilia et cogitata excutiens.*

Odiosum fecistis.) *Scita metaphora in uerbo* לחבאשני *à fœtore mutuata.*

Nos pauci sumus.) *Cur sanctus uir non perpendit illud: Domino difficilius non est exiguis copijs uincere, quàm multis? Ionathan Sauli filius qui istud dixit, bonam causam habebat, idq; quod agebat, Dei spiritu incitatus agebat. diuersam Simeonis & Leui causam fuisse, indicat seuerior reprehensio, qua illos hic & in testamento Iacobus reprehendit propter furorem, quo Sichemos ex improuiso occiderunt. Itaq; uerba hæc, Delebor ego & domus mea, non fuerunt uerba diffidentis promissioni illi: Augebo sobolem tuam in pluueris terræ modū, sed castigantis & reprehendentis calliditatē sæuitiē Simeonis & Leui alienā à probitate sanctæ gentis, qui sciret fide & benefactis innocentiam tuentibus, non sceleratis promissa sua præstare Deum. Nam is suprà sic hortatus fuerat Abrahamū: Ambula coram me, & esto integer. Redarguentis igitur facinus, & reuocantis ad pœnitentiam, non desperantis de ope Dei hortatio hæc in sancto patre fuit.*

Nunquid pro scorto.] *Defensio suscipitur constituto ex iure statu absoluto. Paraphrastes pro linguæ Chaldææ ratione eleganter scortum uocat* גפקת *à uagando & excurrendo, quod improbæ mulieres ægre se domi contineant, contrà quàm probæ faciunt. Veteres igitur sapienter matremfamilias testudini insidentem pinxerunt. Quò spiritus sanctus spectans per Apostolum monet, ut mulieres sint* οἰκουρούς. *hoc cōsilium cum non sequeretur Dina, pudicitiæ ornamenta magno opprobrio familiæ suæ amisit.*

IN CAPVT XXXV.

INterea locutus est Deus.) *Ad consolandum perculsum metu Iacobū de facinore Simeonis & Leui.*

Ascende Bethel.) *Declinat Sichemæ locus ut hominibus terrestribus, editior uerò Bethelis sanctæ & cœlesti genti congruebat.*

Qui apparuit.) *patefaciens suam erga te benevolentiam, & arcana consilia de salute ex cœlo per ministros oraculorū Dei expedienda, de lapide uno Messia unguendo in templum Dei, de benedicendis per illum cunctis terræ nationibus, ad ædificandum longè amplissimum corpus Messiæ ut capiti uniuersæ perfectionis spiritualis iungendum. Quod sacrum usum Iacobo repræsentatum Bethele, omnium oraculorum de salute, tum familiæ Israeliticæ, tum cunctarum nationum orbis terrarum perennē fontem continet, ex quo omnes qui secuti sunt prophetæ, fluenta sua hauserunt.*

Iacobo uerò conuocata omni domo sua.] *Concio Iacobi plena spiritu ad suos & ad eos qui cum suis ex gentibus coniuncti erant, quæ ad uerum Dei cultum præparationem continet.*

Abijcite deos alienos.] *Locus memorabilis, non ascendi in Bethelem in qua colitur Deus, nisi abiectis dijs alienis, quibus continentur omnia quibus fiditur præter Deum opes, amici, sapientia, mūdi iustitia citra fidem legis & factorum, cultus etiam Dei, sed non ex Dei uerbo institutus. Interpretes alij de idolis quæ Rachel patri Labani surripuerat: alij de idolis interpretantur, quibus priuati sint Sichemi, quum eos diriperent filij Iacobi. Cæterùm Hæbræi scitè per* ἀντίφρασιν *deos alienos* נכר *appellant, quasi minimè sint noti, quorum opem nemo sentiat in rebus aduersis.*

Ves

Veluti Iesaias in eos declamitat: Sed cum clamauerint ad eum, non exaudiet, de afflictione non saluabit eos. Itaq; non temere accidit, ut Apostolus apud Athenienses aram inuenerit in qua scriptum erat: Ignoto Deo. de qua his uerbis in Actis: Viri Athenienses, per omnia ferè superstitiosiores uos uideo. Præteriens enim & contemplans cultus uestros, inueni & aram in qua inscriptum erat: Ignoto Deo. Paraphrasti Chaldæo non minus sapienter dij alieni ab errore טעירת appellati sunt.

Et mundamini.] Præluditur legi infrà à Mose sanciendæ de mundatione et mutatione uestitũ, quæ fieri debeat priusquàm ad sacra Deo facienda accedatur. Remoto uelo mystico, nos legimus apud Apostolum in altera ad Corinthios epistola: Has igitur promissiones cũ habeamus, charissimi, mundemus nos ipsos ab inquinamento omni carnis, perficientes sanctimoniam cum timore Dei.

Ac mutate uestimenta uestra.] In externo uestitu typus erat, in interiore ueritas. de quo illud Apostoli: Sed induamini Iesum Christum tanquam uidelicet nouam uestem, exuto uetere uestitu, qui cernitur in comessationibus & ebrietatibus, in cubilibus & lasciuijs, in contentione & æmulatione. Hæc igitur mystica in uetere historia & lege, nos nostræ quoq; uocat omis admonent, ut ascensuri ad cœlestem Bethelem, abiectis idolis, depositisq; ueteris hominis uestimentis, Christoq; uti noua ueste induti, ad uerum patris cultum, qui in ueritate & spiritu peragitur præparemur. In Bethele enim porta cœli est, & ibi Dominus in supremo scalæ culmine stans, sese nobis adorandum & exaudiendum præbet. Ideo sequitur:

Et socius fuit itineris mei.] stans promisso suo ac conuento Bethele mihi antea denunciato: Et ero custos tuus quócunq; perrexeris.

Dederunt ergo ei.] Explicatur uis orationis propheticæ.

Et inaures quoq;.] quibus uel ornata fuerant idola, uel quas cultores gesserant in honorem illorum.

Subter terebinthum.) Similiter Græci τερέβινθον habent. Nostri, quercum. Non caret ratione in terra prope profanos Sichemos defossos deos alienos ut mortuos ac nihil profuturos. Contrà Deus sanctorum Israelitarum uiuens uocatur, qui ipse immortalis sit, & cæteris uitam tribuat, ut est apud prophetam: Ipse Deus uiuens.

Cumq; profecti essent, terror inuasit omnes.) Præclarum stratagematis Dei exemplum aduersus hostes Iacobi, quorum cor primò pauore tentat, deinde expauefactos à cœpto persequendi impetu retardat, quo tutum per illos iter selecto populo efficiat. Hæc sunt arma quibus muniuntur aduersus inimicos suos Israelitæ submotis dijs alienis: iam ijs terrori fiunt, quos antea timuerant. Tam facile est Deo iuuare suos, & alienos prosternere.

Ibi eñ apparuerat ei Deus.) Legitur in Hebræo, Quoniam apparuerunt ei dij. Chaldæus de angelis interpretatur. Suprà enim leguntur ascendentes & descendentes in scala angeli Iacobo apparuisse. Si de angelis accipis, hi ut ministri oraculorum Dei oblati sunt: sin de Deo, is ut autor & princeps effector salutis apparuit, quia Deus ibi in Christo apparuit cum spiritu sancto, multitudinis numerus usurpatur.

Mortua est Debora.) Hæc fortasse missa fuerat à Rebecca ad Iacobum reducendum ex Mesopotamia.

Super quercum.] Chaldæo בירשר, id est campus placet pro quercu.

Apparuit autem iterum Deus Iacobo.] confirmandæ promissionis gratia.

Non uocaberis ultrà Iacob.) solum.

Sed Israel.] A' uictoria uicti per fidem Dei. Notum est dominandi uerbum שרה.

Dixitq; ei, Ego sum Deus omnipotens.] Confirmatio fidei, à facultate iuuandi.

Crescite, & multiplicare.] Formula benedictionis est, qualis in Genesi ad primum hominem ponitur פרה ורבה. Hi imperatiui loco futurorum usurpantur, qui oraculum & uaticiniũ futuræ propagationis indicant. Verba diuinæ benedictionis incrementum significantia פרה ורבה indicant Deum ab omni bonorum copia & affluentia שדי uocari. Quod nomen ueteres Messiæ conuenire dicunt, ut qui sit fons uitæ, lux perennis, ueritas, in quo diuinitas corporatè habitet, qui sibi sit satis, & cæteris omnibus ut satis sibi sint, cuiq; pro modo & mensura tribuat. Messiam autem שדי appellari confirmatur ex illo Iobi 34 רגשמות שדי.

Gentes.) Israeliticæ, si carnem spectes: sin promissionis fidem, legimus in Apostolo: Non qui carnis filij, hi filij Dei: sed qui, sunt filij promissionis, recensentur in semen.

Ex te erunt.] יהיה uerbum Hebræis interdum pro nasci, ut Latinis suum existere.

Reges.) Prophetia de regno Israelitico constituendo, de quo infrà in Deuteronomio & in libris Regum. Et submota umbra occurrit rex cœli & terræ Messias ex Iacobo natus.

E' lumbis suis.) Hebraica periphrasis, de propagatione. In lumbis enim symbolũ generationis agnoscitur.

Et recessit ab eo.) ירעל ad summum scalæ de cœlo in terram demissæ fastigium, quod Deus tenet, alluditur, in qua scala Deus ascendere & descendere dicitur, prout per angelos se declarat, aut cessat declarare. Talis igitur habitus, ut alij multi, Deo & angelis ἀνθρωποπαθῶς affingitur.

Libans super eum libamina.) Vinũ erat, de quo infrà in lege, cui hic præluditur.

Et effundens oleũ.) De quo etiam suprà: Et erexit in titulũ, fundõs oleũ desuper. Mysticã notã uini et olei explicat parabola à Domino allata Luc. 10. de eo qui cũ à latronib. grauiter uulneratus esset, à Samaritano infuso uino & oleo sanatus fuit. Adumbratur hic sanãs natura ueri lapidis Christi. In hac bipartita uis cernit: altera mordens, altera leniẽs. Mordẽs ueteris hominis miserè uulnerati saniẽ expurgat, altera leniẽdo molliẽ doq; sanat. Altera igitur uis uino, altera oleo indiatur. Consolatorius locus, qui nobis mediciniã ad medicãdos

animorum morbos, in hoc lapide monstrat.

Ephratham.] *In tribu Iudæa sitam, quæ binominis fuit, ut hic Moses monet.*

Noli timere.] *Consolatur ab edenda prole & ea masscula, quæ ut nata est, quantum gaudiũ afferat, ostendit Dominus ex cõmuni hominum sensu, his uerbis: Cum autem peperit puerum, non meminit anxietatis, propterea quòd gaudeat hominem esse natum in mundo.*

Filium.) *marem imaginem Dei, & generi sacro nomen tribuentem.*

Beniamin.] *Depone typũ, intelliges quæ sors sit Ecclesiæ parturientis, et liberorũ magno labore ex utero in lucẽ editorũ. hi primò filij doloris appellantur, deinde filij dextræ. Mysteriũ crucis & gloriæ hic adũbrat.*

Mortua ergo est Rachel & sepulta.] *prope Bethlehemam, in qua Christus natus est. Cœlestem Rachelẽ nõ antea suos liberos parturire, quàm mortua sit, deposito uelo intelligitur. Interpretes de* בברת *in hunc modum:* תבן לחיית חבף, לרבוית ריחיח ברת בודת בוחלף *Verisimile est caph in* כדרת *esse similitudinis notam, &* ברת *itineris spacium. Hanc uocem autem non temerè in reliqua scriptura reperias.*

Erexitq; Iacob titulum.] *Locus de uetustate sepulchralis monumenti.*

Abijt Ruben, & dormiuit cum Bala.) *Exemplũ fœdi stupri in Rubene deformioris Liæ filio. Cuiusmodi abominatus est Apostolus in Corinthio. Sed id facinus impunè illi non fuit. Infrà enim Ruben priuandus primogenituræ dignitate à patre audit: Non eminebis, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Itaq; quantas tulerit calamitates sanctus patriarcha, narratio ipsa indicat, dum fratris Esai acerbum odium, asperam peregrinationem, soceri duram seruitutem, hostium minas graues & insidias, domestica & externa stupra, charissimi filij in Aegyptum uenditionem & suam in eam terram grauem profectionem exponit. Hæc est conditio sanctorum in hac uita, hæc militia & militaris artis stratagemata cum mundo, carne, satana.*

Erant autem filij Iacob duodecim.) *iam nato Beniamine.*

Primogenitus Ruben). *secundum carnem. Quam primogenituram Dominus auersatus est in Caino, Esao, Rubene. Numeratur etiam Ruben in duodecim patriarchis, ut intelligas fœdus electionis diuinæ, neque peccato, sed sanguine Christi per pœnitentiam eluendo neq; ulla ui euerti. Quæ maxima piorum est consolatio.*

Qui nati sunt ei in Mesopotamia.) *συνεκδοχικῶς de maiore parte, Beniamine nato in Cananæa.*

Consumptusq; ætate mortuus est.) *Monent interpretes, in sacra historia rerum gestarum ordinẽ non seruari. Hic enim recenseri mortem Isaaci, quam uenditio Iosephi duodecim annos præcesserit. Quod hoc modo positis annorum calculis supputant. Cum nasceretur Iacobus, Isaacus sexaginta annorum erat, ut legitur suprà: Isaacus filius sexaginta annorum erat, cum nasceretur illi. Is autem mortuus est, centesimo u. gesimo uitæ Iacobi anno. Nam sexaginta annis natiuitatis Iacobi à 180 annis quibus uixit Isaacus detractis, 120 ætatis Iacobi annus remanebit, quo obijt Isaacus. Iam uerò Iosephus 17 annum tenebat, cum in Aegyptum uenderetur, qui centesimus octauus uitæ Iacobi annus fuit. Porrò Iacobus 63 annorum erat cum benedictionem à patre acciperet: & 12 annos, ut ipsi supputant, apud Hebrẽ priusquã in Mesopotamiã proficisceretur, delituit. quos numeros si coniunxeris, nascentur 77 anni, & his 14 anni quos pro uxore seruiuit, in quorum exitu natus est Iosephus, ut suprà capite 30 declaratur, si additi sint cum 17 annis, quibus in Aegyptum expositus fuit, non plures emergent anni, quàm octo & centum. deerunt igitur adhuc 12 anni ad obitum Isaaci, quibus antea uenditus est Iosephus, quàm mortẽ Isaacus oppetijt. At in hac supputatione obscurum est, quod dicunt apud Hebrem ab accepta benedictione priusquam proficisceretur in Mesopotamiam delituisse, cum eius rei nullam scriptura mentionem faciat. Tametsi constet tum uixisse Hebrem, ut etiam Semum, ut & nonnulli alij patriarchæ ad tempora Isaaci & Iacobi processere. De quare suprà capite 11.*

IN CAPVT XXXVI.

HAe sunt generationes Esau.] *Recensetur genus Esai, quo melius quæ deinceps de eo memorabuntur, intelligantur. Nam in reliqua scriptura crebra de Edomitis fit mentio.*

Ipse est Edõ.) *Trinominis igitur fuit, qui et Seir appellatus sit. Sicut & nonnulli alij hic recensentur, quorum diuersa nomina in priore Paralipomenum libro capite primo ponuntur.*

De filiabus Canaan.) *præter & exemplum et uoluntatem patris.*

Ada filiam Elori.) *Quæ hic Ada dicitur, suprà capite 26. Iudith appellatur. Binominis igitur fuit. Idem iudicium de Aolibama, quæ etiam Basemath uocatur.*

Et Oolibama filiam Anæ filiam Sebeon.] *Hebræus: Et filiam Anæ filiam Zibeon. Ana infrà filius Zibeonis dicitur. Filius Zibeon Aia & Ana. Monent igitur hic nonnulli interpretes, patrem cum nurum habuisse, atq; ita spurcissimo partu editam Aolibama uxorem Esai: ut nota fiat fœditas gentis ex Chanaane propagatæ. Potest etiã fieri ut genus ad filium & ad auũ, qui quoq; patris loco habetur, deduxerit, quo hũc Anam separaret ab eo Ana, qui infrà frater Zibeonis legitur fuisse, ut duo accipiantur Anæ.*

Basemath quoq; filiam Ismael.] *quæ suprà capite uicesimo octauo Mahalath uocatur.*

Nebaioth. [*primogeniti Ismaelis.*

Eliphaz.) *Volunt nonnulli hunc esse Eliphaz Themanitem, de quo apud Iobum fit mentio.*

Et Chore.] קרח *Infrà inter Eliphaz filios numeratur, qui Adæ filius hic dicitur. Aut igitur duo fuere Corah: aut si unus fuit, inter filios Eliphaz infrà recensetur, qui cum illis habitarit, aut filij loco educatus sit ab Eliphaz. Sunt qui Corah satis dicaciter quoq; spurium fuisse dicant, ut quem Aholibama uxor Esai ex Eliphaz filio Adæ tulerit.*

Tulit autem Esau uxores suas & filios & filias.) *Gradus societatis quæ domi coalescit, & ipsæ facul-*

cultates quibus familia conseruatur, explicantur. Primò enim uxorũ, deinde liberorum, tum uerò reliquæ familiæ & opum meminit. Hæc prius contigerunt, quàm abijsset Isaacus, ut patet ex cap. 32.

A fratre suo Iacob.] *ut deputato Cananæa hærede.*

Diuites enim erant ualde.] *munere benedictionis diuinæ suprà expositæ. Locus de laudatis opib. patrum. Non numeratur hic copia auri & argenti, non uectigalia, non pecunia ex usura aucta, sed greges.*

Themian.) *qui nomen terræ illi dedit. Qui hic Omar dicitur, in Paralipomenis Omath appellatur.*

Erat autem Thamna concubina.] *quæ de nobili ducum Horræorum genere fuit. Infrà enim: Erat aũt soror Lothan Thimna, qui dux Horræorũ fuit.*

Amalec.) *cuius posteri infesti fuerunt Israelitis.*

Et hi duces filiorum Esau.] *Familia Esai primò duces habuit, deinde reges: ut respublica Israelitica ab initio iudices & duces, deinde qui regnum administrarent: & ut hæc respublica postremò soluta captiuitate Babylonica ad duces redacta est, ita Idumæorum imperium redijt ad ducum administrationẽ, ut licet uidere in Paralipomenis: Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom esse cœperunt.*

Isti sunt filij Seir.] *Numerat duces qui de genere Esai non fuerunt, sed terram illam ante Esaũ occuparunt. Huius obiter insertæ narrationis occasio à Thamna sorore Lothanis Horræi sumpta.*

Horræi.) *Horræos sic appellatos uolunt à principatu.* חרי *enim principes notat. Hinc illud:* יחרחה *id est principes Iudæ. Translatio sumpta à candore est, qui proximè ad lucem claritate accedit. Nam* חור *candidum est, ut contrà* חשרבים *à tenebris obscuri ac ignobiles nominantur. Hos Horræos liberi Esai ex terra ista expulerũt ueluti in Deuteronomio legimus, ut impleretur illud Isaaci uaticinium: Et gladio uictum comparabis.*

Aquas calidas.] חמים *muli sunt. Ab Ana inuentam admissuram asini & equæ, quæ postea à Mose lege prohibita est. Hoc animal quoniam uiribus ad labores eximiũ est, Paraphrastes Chaldæus* גבריא. *Ana non parum deliquisse existimat, qui uim naturæ faciens, non perpendit semel latam illam de propagando sententiam: Suo quæq; in genere producant fœtum suum. Sed ulta est natura, hoc est diuina ratio, iniuriam suam. Non enim mulus è mula fœtum edit, sterilitate damnatus. cuius rationes afferre ex philosophia prætermittimus, contenti sacra ratione quam Dei spiritus in creationis mundi historia indicauit, & eam Moses lege complexus est.*

Balach Beor.] *Non est is Balachus qui conduxit Bileamum ad imprecandas diras Israelitis. Nam alter filius Beoris, alter Sepheris dicitur: alter itẽ rex Moabitarum, alter Idumæorum fuit.*

Iobab.] *Sunt qui hunc Iotabũ Iobũ fuisse uolunt. sed qui uerè se iudicare putant, Iobũ non Idumæum fuisse uolunt, sed Syrum de genere Nachoris fratris Abrahami.*

Dux Magdiel.] *Hebræi nonnulli interpretes ab hoc Romanos ortos tradunt. Atq; ita Rõmanorum regnum suam originem ab Idumæis Esai posteris ducere. Horum errorem licet ex ijs quæ suprà de Iauane & Cithim memorata sunt, & ex Daniele refutare.*

IN CAPVT XXXVII.

HAe sunt generationes.) *Narrata secessione Esai à Iacobo, continuatur historia rerum gestarum Iacobi, initio à Iosepho facto. Sunt Hebræi interpretes qui* תולד רת *hic interpretantur pro* חתוארעת, *id est pro rebus quæ Iacobo acciderunt. ea uoce acceptis humanis euentis & casibus, citante locum illum:* מח ילד חירם. *Esai regnum suprà expositum est, hic Iacobi miseri casus narrantur. Vnde discimus, filios Dei primò omnia deteriora habere, mundi ac seculi huius filios cuncta splendidiora. Prolixè Iacobi, quem amaret Deus & propter Christum ex illo nascendum, breuiter uerò Esai quem repudiasset, historia texitur.*

Et erat cum filijs Balæ & Zelphæ.) *Ancillarum filios numerat: quorũ quale ingenium sit, Ismael declarat. Præterea Lia nouerca erat. quo igitur hæc animo in Iosephum fuerit, quẽ pater ut ex Rachele natum, uehementer diligeret, obscurũ esse non potest.*

Vxorem patris tui.] *Nominantur & concubinæ uxores.*

Accusabatq; fratres suos.) *Indicatur causa odij fratrum in Iosephum. Recti amans cum esset, delicta quæ fratres cõmittebant, ad patrẽ tanquam ad magistrum probitatis deferre solitus fuit. is locus honesti studiũ in Iosepho declarat, ne desit si historiæ typũ deponas, quod in Christo, qui hic adumbratur, cõmẽdes, de quo legimus apud prophetã: Eo q; scelus non fecerit, et dolus in ore eius non fuerit.* רבח *criminatio est. Laudem meretur* מציא רבח, *hoc est, is qui alterius crimina defert, ut emẽdetur, ut hic fecisse Iosephus legitur. Contrà uituperatur* מוציא רבח, *id est is qui alterius famam criminibus aspergit, ut est apud Salomonem:* מוציא רבח חרח בס יל.

Israel aũt diligebat Ioseph.] *Præcipua inuidiæ causa exponitur, quæ est animi contractio de alienis bonis. Vt sunt quæ precium, existimatio, gloria, decus consequuntur.*

Eo quòd in senectute genuisset eũ.) *ex dilecta Rachele. Causa dilectiõis. Paraphrastes* ביבן זקנים *uertit* אריר בר חכים *id est quòd sapiens filius esset. Qui ponderauit senilem prudentiam qua Iosephus prædutus esset, referens nobis eũ Iosephũ, qui duodecim annos natus, ausus est de reb. maximis cum doctißimis lege disserere. Sed simpliciẽ sententiã interpres reddit. Post Iosephum enim & Beniaminem, nullos alios liberos legitur procreasse Iacobus.*

Fecitq; ei tunicam polymitam.] *Remoto uersicoloris uestis uelo, occurret Christus uarijs sacri spiritus ornamentis decoratus.*

Oderant eum.] *partim, quia cuperet uitia eorum emẽdata, partim quòd dilectus esset patri. Fratres hic eodẽ fœdere cõprehensi, eiusdẽ hæreditatis cõsortes,*

Ioſe-

Ioſephum etiam bene de eis mereri cupientem, odio perſequuntur. Submoto typo cognoſces quid Chriſtus queratur de ſuis apud Prophetam: Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.

Pacificè loqui.] Vis odij et inuidiæ in ipſo uultu et oratione perturbationũ animi interprete oſtenditur.

Accidit ut uiſum ſomnium.] Narrat incrementorum odij cauſas.

Et quaſi couſurgere manipulum meum.] Somniũ principatum Ioſephi portendit, quem in Aegypto erat adepturus. Dei prouidentia accidit, ut hoc ſomnium in odium ſui fratribus exponeret, ut hac occaſione ad magna myſteria uĕderetur in Aegyptũ. Sic quoq; excuſſo typo ita diſpenſante Deo in phariſæorum odiũ Ieſus uenit, ut & mora eius & reſurrectioni et redĕptioni humani generis occaſio aperiretur.

Tanquam rex noſter eris.] Interrogatio inuidioſa & plena odio. Hoc odio laborarunt qui his uerbis apud Pilatum, accuſationem aduerſus noſtrum, qui Chriſtus eſt, Ioſephum adornarunt. Hunc deprehendimus euertentem gentem, ac uetantem tributa dare Cæſari, dicẽtem ſe Chriſtum regem eſſe. Tam inuidioſa eſt de regno Chriſti prædicatio & confeſſio. Inſpicias noſtra ſecula, ſi Iudæorum tibi non ſatisfaciunt.

Aliud quoq; uidit ſomnium.) De imperio ſuo quod myſticum erat, ueritas eſt in prærogatiua Chriſti ſupra fratres, de qua Pſalmus: Propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Quæ regiæ dignitatis ac amplitudinis unctio eſt, quã omnes terræ gentes adorant, ut canit Pſaltes, Omnis terra adoret te. Atq; is ſol iuſticiæ eſt, de quo apud Malachiam: et eius fratres ſtellæ de quibus apud Danielẽ: Fulgebunt iuſti ſicut ſtellæ.

Increpauit eum pater.] qui interpretationem ſomnij ac coniectationem ignoraret, & odium fratrum leuire cuperet.

Et mater tua.] De Bilha accipiunt ancilla Rachelis, à qua matris loco educatus ſit.

Pater uerò rem tacitus conſiderabat.) ut homo ſapiens et aſſuetus ſomnijs, qui noſſet tempore omnia patefieri. Moderationis in ſancto uiro præclarum exemplũ: quo monemur de iudicijs Dei temerè et ante tempus pronunciandum non eſſe. Non perperam phraſis Hebraica reddita eſt. Eſt enim שמר in loco obſeruare, & attentè animo perpendere.

Et inuenit eum uir.] Veteres de genio Gabriele intelligunt, qui à Deo miſſus ſit ad Ioſephum errãtem in uiam reducendum, & eius animum in Deo cõfirmandum. Simplex ſententia perſpicua eſt. De Dothaim loco infrà in Ioſua.

Cumq; fratres illius in paſcendis gregibus.) Narratur occaſio uenditi Ioſephi.

In Sichem.) à qua nõ ita pridem monitu Dei diſceſſerat, relicto ibi agro ad paſcenda pecora, quem pater emerat centum nummis.

Præſtò ſum, ait.) nõ deterritus fratrũ odio et grauiſſimi periculi ſubeundi metu. De Chriſti obedientia apud Prophetã: Et nõ aperuit os ſuũ. & de amore in ſuos q hoſtes erãt: Attritus eſt propter ſcelera noſtra.

Miſſus de ualle Hebron.) in qua ad patrem Iſaac cum uenerat, qui tum uiuebat cum hæc acciderẽt, ut ſuprà annotatũ. Nã ſi mortuus fuiſſet Iſaacus nato Ioſepho 17. annos, Iacobus minimè potuiſſet ad Pharaonem dicere, ſe 130 annos habere: tum enim Ioſephus 22 annos in Aegypto uerſatus, trigintanouem annos natus erat. Viginti aũt duo anni ſi additi ſint ad 120. quos agebat Iacobus cum moreretur Iſaacus, nõ ſanè 130. quos confeſſus eſt ſe habere Iacobus ad Pharaonem, ſed centum quadraginta duo naſcentur. Duodecim igitur annis, antea quàm mortuus eſt Iſaacus auus, uenditus eſt Ioſephus in Aegyptum.

Cogitauerunt illum occidere.) התנכלו hoc loco eſt inſidioſa & malitioſa conſilia agitare. Competit uerbũ in eos, qui ἐκ προαιρέσεως, id eſt ſtudio & ex propoſito alijs mala machinantur. Graviſſimorũ odiorũ indicia explicantur, qui fratrem inſontẽ et benemereri cupientem occidere cogitarint. Depone typũ. Nos legimus apud Ioannẽ: Et quærebant eũ interficere. Hic myſterij crucis notæ delineantur. Ioſephus qui ad regiã dignitatẽ erat extollẽdus, priùs ad mortẽ & in foueã detrudẽdus fuit, idq; à ſuis & propter ſuos, quos redimeret et à malis liberaret, ne deeſſet iuſta adũbratio eius, de quo Propheta: Verè lãguores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.

Ecce ſomniator uenit.] Occurrit ſomnium de regno, quod ferre per inuidiam non poterant. Deridebant ſacra oracula de regno ſalutari exponentẽ. Sic ſunt cõtemptui animali homini res diuinæ. Sic exceptus eſt in mundo cœleſtis Ioſephus Meſſias à ſuis de ſuo regno docens. Ad hanc illuſionem demonſtratio דה ualet omiſſa ab interprete.

In ciſternam.] Si Chriſtũ ſpectes, monet Pſal. Poſuerũt me in foueã inferiorẽ, in tenebroſa atq; profundã.

Dicemusq; fera peſſima.) Affingũt mendacium quo facinus colorent. Exprimitur hypocritarũ ingeniũ, qui cũ perſequuntur, occidũt & perdũt Chriſtũ, hunc à ſe perditum minimè fatentur qui non agnoſcunt eum quem interimunt, regem Iſraelitarum & filium Dei eſſe, ſed talem qualem deſcribit propheta: Et cum ſceleratis reputatus eſt.

Et nunc apparebit quid illi profint ſomnia ſua.] de regno ſuo ſupra fratres. ἐγὼ νικῶ: ſic luditur in Chriſtũ & doctrinam eius: Si filius Dei es, deſcende de cruce. ברח ירחיה, id eſt, ut caſſata ac exiturata ſint ſomnia eius.

Audiẽs aũt hæc Rubẽ.) ſenior & primogenitus.

Ne effundatis ſanguinẽ eius.) Cõiungit ſanguinẽ cũ anima, quòd hæc ſanguine foueatur. Itaq; in Leuitico: Quoniã anima omnis carnis ſanguis eius eſt. Dehortatio Rubenis locis inhoneſti & damni inſtructa. Ponderabat ſententiam Dei in homicidas latam: Quicunq; effuderit humanum ſanguinẽ in terrã, fundetur ſanguis illius. Põderabatur etiã in deliberatione, quòd frater, quòd unicus ex Rachele filius, quòd iam ſeni Iacobo natus, & unicè ei charus eſſet.

Et redderet patri ſuo.) ignarus conſilij Dei quo illum

ullum in lacum proiectum uendi in Aegyptum oportuit, ad salutem suorum. Rubenem imitantur, qui non perpendentes gloriam redẽptionis sine crucis ignominia constare non posse, Christum seruare student, impedito afflictionum cursu, qui solus uiam ad gloriam aperit. Exemplum in Petro exhibetur: Propitius sis tibi Domine, nequaquam erit tibi hoc.

Nudauerunt eum tunica.] Remoto typo legimus de Christo: Non est species ei, neq; decor. Nudant hunc etiã uestitu suo, qui quantũ in ipsis est, Spiritus ornamẽta, quæ in euãgelij doctrina cernũtur, auferre studẽt, ut sunt Scribæ et Pharisæi, hypocritæ & falsi omnibus seculis doctores. Interpreti talaris placet, qui Aquilam sequitur uertentem ἀσχαχάλεον.

Et sedentes ut comederent panem.) Securitatis eorum qui persequuntur Christum mystica nota. inspiciãs secula nostra.

Ismaelitas.] Is occursus Ismaelitarũ fortuitus non erat, sed præuisus à prouidentia diuina.

De Galath.] Anticipatio. posterioribus enim seculis hoc nomen à Gileadõ Machiris filio monti huius ad Libani colles posito inditum fuit. Ismaelitæ hic nominantur, qui sanguinis communctione attingebãt filios Iacobi. Non caret mystica ratione, Ismaelitis uenditũ fuisse Iosephũ. Horum typus suprà expositus est. Nos de nostro Iosepho legimus apud Apostolum: Misit Deus filium suum factum legi obnoxium.

Aromata.) Ismaelitæ ex ancilla Hagare nati negociatores legũtur hic fuisse, alio uitæ genere utentes, q̃ liberi Abrahami ex Sara geniti. Pro aromatis Chaldæus cerã habet. alijs res preciosæ placent.

Resinam.) Resinam Latinorũ & ῥητίνην Græcorum probat Hebræũ צרי quod cõmutatis literis Rezi est. Sunt quibus צרי succus est qui ex balsami arbuscula manat. Similiter Chaldæus, qui habet טטין.

Quid nobis prodest?) Dehortatur à flagitio Iudas, usus locis inutilium & æquitatis.

Et celauerimus sanguinẽ ipsius.] afflicto mendacio. cum celari non possit sanguis innocentum, qui de terra clamet ad Deum in cœlum, ut suprà legitur de sanguine Abelis: Quid fecisti? sanguis fratris tui clamat ad me de terra.

Frater enim & caro nostra.] iure cognationis, quod confirmabat ius fœderis diuini.

Et prætereuntibus Madianitis.] Sunt qui aliã fuisse turmã putãt, atq; ita tribus uicibus Iosephũ uenditum: primò quidẽ Ismaelitis, deinde Madianitis, qui postremò Aegyptijs illum uendiderint. Secus nõnulli alij, qui Ismaelitas & Madianitas pro eisdẽ accipiũt, uel quia unà habitarẽt, uel quia sanguine cõiuncti essent. Madiã enim filius Abrahami fuit et frater Ismaelis, sed ex Cethura, ut suprà legitur cap. 25 natũ. His nonnulli moti dicunt eandẽ Cethurã & Hagarẽ fuisse. sed hac de re suprà. Quod legitur Iosephum primò cognatis, deinde exteris apud quos tandẽ ad summos honores esset extollendus, uenditũ, reducto uelo occurrit Messias, qui ut primò suis à suis, deinde alienis uẽ ditus sit, apud quos in gentium ecclesia è carceribus mortis ad uitã translatus erat amplificandus, tum diuina oracula, tum exitus ipse documento est.

Viginti argenteis.] Hic apparet inuidiæ fructus. Hæc cũ extinctũ eũ nõ semper cupit cui inuidetur, miserum tamen cupit, & talẽ de cuius bonis liuore correpti sibi non metuant. Certa pecunia uenditur Iosephus, certo etiã precio uẽditur noster Iosephus à suis, de quo Zacharias propheta & Mat. Necnõ eum uendunt omnes à quibus opes & dignitates præferũtur regno cœlesti, quiq; Euangeliũ & professores eius dilectarũ & amplitudinis suæ retinendæ studio persequuntur. Qui autem huiusmodi sint, declarant secula hæc Antichristi.

Qui duxerunt eum in Aegyptum.] tentãdo se lecto populo à Deo destinatã. Exẽplo Abrahamus est & posteritas Iacobi. Ad mysticã notã pertinet, quod Mitzraim, à quo Aegyptus nomen sumpsit, Chami filius fuit. Deposito typo occurrit Christus, quẽ in mundum hunc peccata suorũ uendunt uarijs miserijs exercendũ, priusquã ad gloriã supernæ hæreditatis euehatur. In diuersa sorte Ecclesia nõ uersatur, quæ ut gloriæ Christi particeps reddatur, Aegypti, qui mundus est in lubrico & decliui positus, quoq; mala experitur, peccato, calamitatibus, morti obnoxia. Legitur enim: Oportet per multas afflictiones nos intrare regnum Dei.

Ruben.) Is igitur cõsilio uẽditionis Iosephi non interfuit, sicut etiam ne occideretur autor fuit.

Et ego quò ibo?) Anxij & solliciti hominis oratio, cui demandata esset, ut seniori & primogenito iuniorum cura, atq; ita cognosceret in se casurã amissi Iosephi culpam.

Scissisq; uestibus.] Locus de uetusto more scindẽdæ uestis in luctu.

Indutus est cilicio.] Retinuere שק uocẽ Græci & Latini. his saccus, illis σάκκος usurpatur. Lugubris uestitus & uilis est, carens ornatu. Et translatè apud Hierem. Cœlũ sacco induã, id est tenebris & nubibus obducã. Heb. lũbos adijcit: Et induit sacco lumbos suos. Denotat dolorẽ & mœsticiã susceptã loco libidinis & uoluptatũ quæ lũbis tribuũtur. Adhæc generationis notam præferunt lumbi. Itaq; liberi cum lugentur, lumbis meritò saccus indutus dicitur.

Tempore multo.] Interpretes multos hos luctus dies de uiginti duobus annis accipiunt, quibus Iosephi conspectu pater Iacobus caruit. Quos hoc modo supputant: 17 annorũ fuit Iosephus cũ in Aegyptũ uẽderetur, et tricesimum annum habebat, quando Pharaonis munera obire cœpit. ad quos annos si septem fertilitatis, & duos quibus fames Aegyptum afflixit, adiunxeris, nascentur uiginti duo anni, quibus pater Iosephum quem extinctũ putabat, luxisse existimatur.

Noluit consolationem accipere.) pro mœroris natura, qui solet tempore ipso, non ante tempus sanari. Ita tamen doluit Iacobus, ut in dolore nihil abiectè et scurriliter commiserit. quale cõmittunt qui in lugẽdo muliebriter genas, pectus lacerant, & femina atq; caput percutiunt, ut fecit apud Poetam princeps ille,

Scindens dolore identidem intonſam comam.
Aut ut ſolitudinem captarit, in qua inſano ſimilis bac charetur.ut ille de quodam:

Qui miſer in campis mœrens,
Ipſe ſuum cor edens hominum ueſtigia uitans.

In infernum.) שאול *bifariàm conſideratur. Vno modo, à corporibus eorum qui moriuntur: altero, ab animis è corporibus emigrantibus. Si corpora ſpectemus,* שאול *fouea eſt ac ſepulchrum, in qua corpora eorum qui mortem obeunt,reponuntur,quæ propria eſt uerbi Hebræi ſignificatio, atque hic eo modo accipi uolũt. ut ſit ſententia:Deſcendã ad inferos,hoc eſt cum luctu et mœrore moriar. Hoc modo in* שאול *omnes ex uetere Adamo nati deſcendunt pro Dei ſententia à contracta culpa in illum lata:Puluis es,& in puluerem redibis. Sin uerò animi conſiderantur, qui ex corporibus excedunt, horum diſsimilis ſtatus eſt. Alij enim eorũ ſunt,quorũ nomina in libro uitæ ſcribuntur,alij quorum nomina ex illo expuncta ſunt. Si deſtinatos ad uitam ſpectes,horum alios cum hinc migrant maiore luce, alio minore ornari. Nam alij ante repræſentatum Chriſtũ puerilis ætatis, quam lex moderatur, tempore ex hoc ſeculo emigrarunt,alij poſt illum exhibitum mundum hunc deſerunt:illos in ſinu Abrahami,qui promiſſionis cœleſtis hæreditatis per Chriſtum aſsignandæ ſinus eſt, reſeruatos dicunt: hos iam manifeſtato Chriſto in maiorem lucem proficiſci uolunt,in quam & illos repoſitos affirmant, ſed quã ſpe expectarint. Eorum autem animos qui repudiati ſunt,ſtatũ ac conditionẽ nanciſci,qui luce,uita & omni conſolatione diuina careat. Atq; hunc infernum uocari dicunt* תחתית *id eſt infimum infernum, de quo citãt illud ex Deuteronomio* כי אש קדחה באפי ותקד עד שאול תחתית, *id eſt quoniam ignis incenſus eſt in ira mea,et ardebit uſq; ad infernum infimum. Item illud ex Pſalm.octuageſimo primo:Et liberaſti animã meam ab inferno inferiori. Hæc autem dixit Dauid, ut audiſſet hæc Nathanis uerba: Dominus tranſtulit peccatum tuum. Huius inferni terrores ſentiunt, qui de noxæ graui iudicio Dei torquentur.Is infernus ſatanæ & eius miniſtris,tum dæmonibus tum hominibus paratus eſt,de quo Dominus apud Matthæum meminit.Et propriè is ad tenebras & æternum exitium damnatorum ſtatus,* שאול *appellatur, ſimilitudine à fouea & ſepulchro mutuata.Nam ut in ſepulchris, tenebris,& fœtore omnia obſita ſunt,uermibuſq; ſcatent:ita is ſtatus caligine & uermibus plenus eſt, de quibus Dominus:Et uermis eorum non morietur. Qui conſcientiam miſerè arrodentes ſub iudicio iræ diuinæ in culpam accenſæ,uermes ſunt ex putredine uetteris naturæ peccato deprauatæ atq; corruptæ nati. Iobus igitur deſcribens* שאול *ſic ait: Priuſquam uadam & diſcedam non rediturus in tenebricoſam tetræ'que noctis terram, in obſcuram mortiferæ caliginis & umbræ terram ordine carentem. Per quam deſcriptionem ſepulchri,alterum infernum ſub ſimilitudine nobis explicauit. Hunc infernum non ſignificauit Iacobus cum diceret:Deſcẽdam in* שאול *ſed eum qui corporis in puluerem terræ reditu perpenditur.Etenim ſanctorũ patrum ad lucem & uitã Dei plenã conſolatione translatos animos declarat Iud: Ego ſum Deus Abrahã,Iſaac,& Iacob. Deus aũt non eſt Deus mortuorum,ſed uiuentium.Sed qua uita uiuentiũ?ea uita, quæ de ſe prædicat:Ego ſum uita, ueritas,& uita.Sed dicas:Multi hinc diſcedunt,ignari Euangelij Chriſti,quos nemo dixerit omnes reputatorum numero contineri.quid igitur his in altero ſeculo fiet?De hac quæſtione alio loco.*

IN CAPVT XXXVIII.

EOdem tempore deſcendens Iudas.] Abrupta narratione Ioſephi intexitur hiſtoria Iudæ & Thamaris,quo aptius generis,ex quo Chriſtus naſcendus erat,ſeries cõtinuetur.In hac igitur expoſitione ut in cæteris myſticis narrationib. duo perpẽdenda ſunt:ſimplex hiſtoriæ ductus ac filum, & ea quæ myſtica narratione ueluti imagine repreſentantur.In altero igitur hiſtoria Iudæ & Thamaris, in altero Chriſtus & ſponſa Eccleſia cum liberis ſuis conſiderantur. Nam ad Chriſtum & Eccleſiam,tanquam ad finem omnis ædificationis ſpiritualis,ſacræ ueteris ſcederis hiſtoriæ referuntur. In his typus, uelum,imago:in illis res ipſa,facies,corpus ſpectantur.

Hominis Cananæi.) Chaldæo negociator pro Cananæo placet.Sed gẽtis nomen magis huc cõgruit.

Et accepta uxore.) exemplo Eſai,contra exemplum Iſaaci,& patris ſui Iacobi,uxorem ducit de gẽte Cananæa,ſed quali exitu,iam planum erit.

Quo nato párere ultrà ceſſauit.) Hebræus:Et erat in Ceſib,cũ illa hunc páreret.Interpretes uno ore בדיב nomen loci interpretantur. Græci χαζβί. At uerò fieri poteſt, ut nomen iſtud loco inditum ſit, quòd ibi ceſſaſſet párere. Nam בדב in loco eſt negare & deficere ut אשר יכזבו מימיו.

Fuit quoq; Her primogenitus Iudæ.) Sed eius primogenitura nihil ad probitatem faceret. Exempla ſimilia in Caino & Eſao extant. Quæ res admonet in eo ſolum primogenito probitatis lumen apparere,de quo illud:Primogenitus uniuerſæ creaturæ.

Nequam.] à Cananæorũ genere nõ degeneris.

In conſpectu Domini.] Vt uerè malus.Nã ſunt qui hominibus mali uideantur,& probentur Deo,& contrà.Oculus igitur Domini Lydius ille lapis eſt bonos & malos uerè examinans: non humanus,qui falſus probitatis explorator eſt, & mendax in contemplandis conſilijs & ſtudijs hominum oculus.

Et ideo ab eo occiſus eſt.]ut iuſto ſcelerum iudice.Fieri poteſt, ut uel gladio, uel morbo aliquo, aut à feris diſcerptus ſit.Sed quia plagæ omnes à Deo immittũtur,ſit ut q perierit culpa ſua quocunq; modo, Deo autore periiſſe in ſacris literis dicatur. Quæ indicatio diuina curatione omnia gubernari confirmat, & temeritatem in rebus humanis tollit.

Et ſociare illi.]Hoc factum infrà lege à Moſe cõprehenſum eſt. Duplex igitur genus legis in ſacris literis cognoſcimus: Vnum conſuetudine ac moribus, alterũ tabulis cernitur. Hoc ſcriptũ & literis conſignatũ,illud ἄγραφον dicitur.

Ille

Ille sciens non nasci sibi filios.] *suo uidelicet nomine appellandos, sed fratris mortui.*

Semen fundebat in terram.] *Grauius quiddam habet Hebræus,* שחת, *dispердidit ad terram. Depositio uelo, quam Thamar Cananæa repræsentet, fœdus Ecclesiæ à prima natiuitate ortus satis declarat. Itaq; propheta Ezechiel: Radix tua & generatio tua de terra Canaan, pater tuus Amorræus, & mater tua Cethæa. Nec obscurum quoq; quem primus maritus designet: si mundũ, cui primò à uetere & terreno ortu nubit Ecclesia, contemplere, qui amator ille est, de quo Oseas propheta: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi & aquas. Item: Vadam & reuertar ad uirum priorem. Neq; alter ignotus erit maritus, si coniugium legale intueare. de quo Apostolus his uerbis: An ignoratis fratres, scientibus enim loquor, quod lex tantisper dominatur homini, quoad ea uixerit. Nam uiro obnoxia mulier, &c. Atq; id quidem cõiugium plenum molestia est & labore, quò* ארור *alterius mariti Thamaris nomen spectat. Legis enim mari talis copula iram operatur & mortem. Is igitur maritus hypocrisi fallens, semen suum, ut inutile & infœcũdum ad cœlestem generationem, in terram dissipat ac dispердit. Ecclesia enim Christi ea sponsa est, cui neq; ex mundo apertè prauo, neq; ex lege simulatè probo marito, sed ex Christo cœlesti Iuda liberi γνὼ σιοι, id est ueri debeãt nasci. Sed qua id occasione fiat, iam exponetur.*

In Thamnas.) *De hoc loco infrà in libro Iudicum fit mentio, capite decimoquarto. Ciuitas est in monte Ephraim sita, à qua posteris temporibus sub Romano imperio præfectura Tamnitica nominata est, de qua uideris apud Plinium.*

Ad tõdendas oues.) *quo tẽpore conuiuia celebrari lautiora solita sunt, ut uidere licet in libris Regum.*

Quæ depositis uiduitatis uestibus.) *Explicatur occasio. submoue umbram legis in propheta: Et opprobrij uiduitatis tuæ non recordaberis amplius.*

Assumpsit teristrum.] *Septuaginta sequitur, qui habent θέριστρον. Aestualis uestis est. ducta uox ἀπὸ τοῦ θέρους. Alij peplum interpretantur, alij pallium, alij aliud.*

Suspicatus est esse meretricẽ.) *Meretricis specie oblata in propatulo appellatur de cõcubitu Thamar. Non alia specie Thamar Ecclesia offertur primo suo Iudæ, de qua illud: Quomodo facta est meretrix. Item: Fons meretricis facta est tibi. Sed talis meretrix à quo ambitur ad concubitum? Sequitur:*

Dimitte me ut coeam tecũ.] *Reducto uelo mysticõ, occurret illud: Meretrices & publicani præcedent uos in regno Dei. Item: Non ueni ad uocandos iustos, sed improbos ad pœnitentiam. Hæc est meretrix, quæ Iudam Messiam pellicit ad amorem sui, de qua etiam Oseas: Quæ fornicata est mater eorum. sed quid hæc audit? Sequitur in eodem propheta: Et sponsabo te mihi in sempiternum. Sed nec tempus retinetur huius cõgressionis. Legimus enim hic eo tempore quo tonsurus esset oues suas, ad Thamarẽ diuertisse Iudã. nec alio tẽpore inuisit suam Thamarẽ noster Iudas, definito nimirũ tempore quo uocandi sunt peccatores ad resipiscentiam, ut exuto ueteris hominis uellere nouum induãt. De quibus enim is ipse pastor: Oues meæ uocem meã audiunt. Et de tonsura ueteris uelleris illud: Scientes quòd uetus ille noster homo cum illo crucifixus est. Item: Posteaquam exuistis ueterem hominem cum factis suis, & induistis nouum.*

Quid dabis mihi?] *Paciscitur de munere.*

Dixit: Mittam tibi hœdum.] *Offert munus, sed suo tempore præstandum ac fruendum. Is hœdus est de grege caprarum. Depone typum. Nos legimus de hœdo in cibum parando: Caro mea uerè cibus est. Hoc munus promittit suæ Thamari Iudas Christus, quo suo tempore fruatur in regno patris sui.*

Arrabonem.) *Remansit uerbum* ערבון *Hebraicum apud Latinos & Græcos.*

Annulum tuum.] *Nec caret arrabone & annulo obsignatorio Thamar, de quo Apostolus: In quo & credentes obsignati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrabo hæreditatis nostræ.*

Armillam.] מתילח *uitta. ornamentum capitis rectè nonnulli interpretantur. quod huc congruerit. Hoc capitis decus, excusso typo, dignitas regia est et sacerdotalis capitis uniuersæ perfectionis Christu Iesu, quo decore ornatur sponsa Ecclesia uictrix omniũ potestatũ, dũ qui abijt ad patrẽ Christus redeat, & promissum hæreditatis munus præstet. Quod indubitatũ uictoriæ pignus declaratur in ipso Thamaris nomine, quod palmã significat, notæ potestatis arborẽ. Hanc ferũt pondere si prematur, nequaquã deorsum flecti. sed sursum curuari. fornicariq; ne que ipsam oneri cedere, sed ei tanquã uim facienti fortiter resistere. Sic nostra quoq; Thamar, quæ Ecclesia est sub pondere peccati & afflictionũ omnia sursum renitens per spem in cœlis repositã superat et uincit.*

Et baculum quem manu tenes.] *Tertia pignoris pars, baculus pastoricius est, quo ouiũ greges reguntur. In altera Thamare quoq; reperias baculum, qui administratio Ecclesiastica est, qua gubernantur oues, de quibus illud: Petre, pasce oues meas.*

Certè mendacij me arguere non potest.) *Sententia est: Habeat sibi uidelicet arrabonẽ, ne exponamur opprobrio, hoc est ne publicè traducamur, hoc deprehenso facinore. Sep. contemptum irridendi uerbo exprimunt,* ἀλλὰ μήποτε καταγελασθῶμεν.

Et cõburaã.] *Locus de pœna stupri olim irrogari solita. Sunt interpretes qui tradunt Thamarem fuisse filiam Semi sacerdotis: ideo ad ignem eam damnatam. De more enim qui deinde in literas à Mose relatus sit, sacerdotum filias in stupro deprehensas cremari solitas tradunt. At alij id fieri non potuisse dicunt. Legi enim hic Iudam dixisse: Mane udua in domo patris tui. Semum autem longè antea obiisse, qui post natum Iacobum non amplius quinquaginta annos uixit. Is autem eo tempore quo uenditus est Iosephus annos centum & septem habebat. Sed sunt qui hæc quæ hic narrantur de Iuda & Thamare, ante uenditum Iosephum*

phum accidisse tradunt. Vtcunque res habet, parum retulerit de ea contendere, postquam quid hic statuatur, nullum præsidium à sacris literis adest.

De uiro cuius hæc sunt concepi.] Non negat crimen designatum, sed ab eo qui stuprum intulit, & ab eius pignore defensionem quærit.

Iustior me est.) Liberatur à pœna testimonio pignoris. Notam mysticam expendant pij.

Apparuerunt gemini.) Eadem mystica ratione qua Esaus & Iacobus gemini apparuerunt in utero Rebeccæ.

Vnus protulit manum.) sed irrito conatu ad cõparandam primogenituræ dignitatẽ, quæ nõ est eorum qui legis spiritu, sed qui Euangelij gratia gubernantur, per eum qui primogenitus est uniuersæ creaturæ. de quo mox.

Coccinum.] nigranti rubore sanguinem notante ueteris naturæ. de quo Ioannes: Qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.

Egressus est alter.) ad quem ius primogenituræ pertineret, ex qua nimirum natus est Christus primogenitus ille, de quo sæpe.

Quare diuisa est propter te maceria?) Alij, Cur ui & robore erupisti? Græci διενόων διὰ σέ φραγμὸς. Tropus de secundinis. Reducto uelo notatur primogenituræ ius non constare Messiæ sine negocio. Deinde huius patefactionis temporibus fore, ut dilata ad cœlum porta, quam antea pauci triuerant, multi magna ui ad salutem sint perrupturi eo perruptore, hoc est hostium, peccati, mortis, Satanæ uictore rege præeunte, & uiam communiente. De quo Micheas uates: עלה הפרץ לפניהם פרצו ויעברו וילאו בו ויעבור מלכם לפניהם ויהוה בראשם ubi propheta alludit in uerbo פרץ ad nostrum hũc פרץ, ex quo Messias perruptor natus est.

Phares.) ex quo Dauid. ex hoc Christus.

Zaram. זרח.) Sic appellatus uel ab ortu, q prior egressum ex utero molitus sit: uel à splendore cocci.

IN CAPVT XXXIX.

IGitur Iosephus adductus est in Aegyptũ.) Redit ad historiam Iosephi.

Eunuchus.] Hebræis ab exectis testiculis סריס dicitur, Latinis spado, Græcis εὐνοῦχος à custodiendis lectis diutum matronarum. Dicat aliquis, Quomodo eunuchus hic appellatur, qui infrà uxorem habere dicitur? Respondent quidam, nomine eunuchi sæpe regios ministros uocari. Ideo pro סריס Chaldæus uertit hic רבא id est princeps. Similiter Iesaiæ 39. רברבין סר ישרים. Itaq; consuetudo obtinuit ut præfecti quamuis non curati, eunuchi dicerentur.

Princeps exercitus sui.] Alij, princeps laniorũ, alij carnificum. Græci, ὁ ἀρχιμάγειρος, id est princeps coquorum. Vt ex ijs quæ sequentur in altero capite licet deprehendere, præfectus fuit uel militum, uel carnificum, per quos supplicijs fontes afficeret.

Fuitq; Dominus cum eo.] tam destituto omni humano præsidio, qui miserè à suis uenditus, patris cura orbatus esset. Locus præclarus, tum præsentissimè adesse Deum suis, cum maximè abesse uideatur. Rectè igitur Psalm. Dominus custodit aduenas, et pupillos. In quibus omnes oppressi, & ope tum sua, tum aliena carent, continentur.

Et erat uir in cũctis prosperè agẽs.] Verũ igitur illud quod Dauid de pijs canit: Et omnia quæcũq; faciet, prosperabũtur. Si Christũ spectes, legis in propheta Iesaia: Et uoluntas Domini prosperè in manu eius dirigetur.

Qui optimè nouerat Dominũ esse cum eo.) Cui nõ agnouerãt fratres Dominũ adesse, Aegyptius agnouit. Submota figura, occurrit illud, Ecce ego à gẽte inuentus sum quæ nomen meum non inuocauit.

Benedixitq; Dominus domui Aegyptij propter Ioseph.) Simile exemplum suprà de Iacobo habes, si cœlestem Iosephum spectes. Huc alludens propheta Iesaias his uerbis mysticam historiã explicat: Benedictus populus meus Aegypti, opus manuum mearum Assyrius: hæreditas autem mea, Israel.

Nec quicquam aliud nouerat nisi panem quo uescebatur.) Potipharem omnia Iosepho permisisse, præter panem, quòd Aegyptijs fas non esset pane cum Hebræis uesci, ut infrà legitur capite 43.

Erat autem Iosephus pulcra facie.) referens matrem, de qua suprà: Rachel decora facie, & eleganti forma. Si alterum Iosephum spectes, legis illud: Speciosus forma præ filijs hominum. Occasio tentationis exponitur.

Post multos itaq; dies.) Narratio nouæ tẽtationis, in qua proponitur nobis multebris impudicitiæ, & castitatis in adolescente Iosepho clarũ exẽplum.

Iniecit domina oculos suos.] In quibus animi signa declarantur, & amor ipse sedere dicitur.

Qui nequaquam acquiescens.] Per Dominum, qui spiritu suo præsens ei aderat, in quo uincebat muliebres illecebras et carnis libidinem, ut apus fieret typus eius qui de se dicit: Princeps huius mundi non habet in me quicquam. Iosephus cum pulchritudine coniunctam habuit animi fortitudinem, qua carnem, mundum & principem mundi uicit.

Dixit ad uxorem domini sui.) Dehortatio Iosephi, locis honestis instructa.

Ecce dominus meus ignorat.] A fide in dominũ, quam iniquũ esset uiolare: & à suo officio, quod nefas putaret prætermittere.

Quia uxor illius es.] αἰτιολογία, quæ nititur cõfessione illa Adami: Hoc os ex ossibus meis, hæc caro de carne mea. In nomine etiam uxoris admonetur impudens mulier officij sui, quod præstare debebat marito.

Qũo ego possum hoc magnũ malũ facere?) Cõcludit dehortationẽ argumẽto repetito ab officio quo domino suo se obstrictũ sciret, & à reuerentia quam Deo deberet.

Et peccare in dominum meum.) Hebræus de Deo accipit: Vt committam, qui me tot beneficijs ornat, & iustus uindex est scelerum, quẽ nemo sua crimina & ut maximè homines celauerit, cuius nimi-

rum

rum oculi cuncta uidedint & intueantur. Ioſephus ſecus cõpoſitus fuiſſe legitur, quàm hi ſunt qui apud Prophetam dicunt: Non uidet nos.

Huiuſmodi uerbis per ſingulos dies loquebatur mulier.) Per cõtentionẽ muliebris libidinis inſaniæ augetur, & adoleſcentis conſtans in continentia animus amplificatur. Is enim legitur non ſolum recuſaſſe concubitum improbæ mulieris, ſed etiam uitaſſe eius conſuetudinẽ: quod unũ ſupererat in tanto periculo remediũ.

Accidit autem quadam die.) opportuna ad inſidias, quas impotens amor ſpectauit.

Et illa apprehenſa lacinia.) Quæ uerbis nihil effecerat, per occaſionem uim intentat. Notatio furentis amoris, de quo ille: τὸ μαίνεσθαι δ' ἐρᾷς ἴσον ἔρωτος ἐχθρὸν. Et uates Latinus: improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?

Et introduxit uirum Hebræum.) Amor cum uoto non potitur, in rabiem conuertitur, per quam ei exitium molitur falſa criminatione, cuius innocentiã expugnare nõ poterat muliebri illecebra & fraude. Sapienter igitur uates Latinus amorẽ cũ ira cõiungens canit:

Sæuit amor, magnoq; irarum fluctuat æſtu.

Si Chriſtum ſpectes, ſimilia is patitur, qui cum inſidioſis meretricis mundi tentationibus pellici nõ poteſt ad ſcortandum cum ipſo, ab eo patitur falſas & eas capitales accuſationes ſub ipſo tẽtatore ſathana principe mundi, & eius miniſtris Phariſæis & ſcribis.

Vt illuderet nobis.] appellando de ſtupro. Exgenere iudiciali accuſatio inſtruitur, cuius ſtatus coniecturalis eſt. Appellauit me de ſtupro. ad quem cõfirmandum, è coniecturæ locis ſigna atq; indicia adducit.

Reliquit pallium.] A' relicto pallio ſignum. Cætera quoq; quæ hic afferuntur ab improba muliere ueriſimilem indicationem facium: clamor, fuga, attributum perſonæ Hebræi hominis aduenæ & precio uendi ti. quod hominum genus iniuriæ ualde opportunum eſt. Hic ergo uidemus mulierum ingenium ad mala longè uerſutiſſimum eſſe, quæ ueteratoriæ artis uirus ex ſerpente ſatana proximè hauriant. Itaq; tragicus:

λαπῶν ἓν πάντων τέκτονες σοφώτατοι.

Suprà in Rubene primogenito ex deformi Lea, oſtẽdit exemplũ funeſtæ libidinis, hic in Ioſepho primogenito ex pulchra Rachele cõtinentiæ ſacræ ſpecimẽ editur.

Iratus eſt.] אבר Hebræis à naribus ad iram tranſſumpta uox. In naribus enim ſedere iram etiam uates Græcus intellexit, χολὰ πρὸς ῥῖνα λάβητε.

Tradiditq; Ioſeph in carcerem.] ex quo ad ſummam dignitatem eueheretur, ad repræſentandum eum de quo Apoſtolus: Humilem præbuit ſemetipſum, quapropter Deus in ſummam illum extulit ſublimitatem.

Fuit autem Dominus cum Ioſeph.] per conſolationem & ſpem redemptionis, & per beneficia quæ ab ergaſtulario in eum collata ſunt. Notabilis de bonitate Dei locus, qui ſuis in carceribus, in perſecutione, in inferno, in morte, & omnibus calamitatibus adſit.

Et miſertus eſt illius.] iam oppreſſi calumnijs. Hebræus: Et inclinauit ad eum bonitatẽ. pro benignus ad ſuit. Verum igitur eſt illud: Dominus erigit eliſos.

Et quicquid fiebat, ſub ipſo erat.) Hebræa phraſim ex Chaldæi interpretis ſententia explicauit, qui ita habẽt: Quicquid faciebant, ex imperio eius fiebat. Hebræus enim: Quicquid faciebãt ibi, ipſe faciebat. Exponitur benignitas, qua illum magiſter carceris complexus eſt, & liber uinculis imperium in cæteros uinctos habebat. acceſſit etiam, ut apparet, uictus melior.

Dominus enim erat cum illo.] Αἰτιολογία, quã una fides cognoſcit. Paraphraſtes: Propterea quòd uerbum Domini eſſet illi adiumento. Hoc uerbum Chriſtus erat.

IN CAPVT XL.

AT cuſtos carceris.] Hebræus de capitalium rerum præfecto qui Ioſephum emerat, meminit.

Tradidit eos Ioſeph.] ut ad Ioſephum ſuo tempore liberandum patẽret occaſio. Hic indicatur, non omnem fauorem exuiſſe præfectum illum aduerſus Ioſephum, quem præfecerit nimirũ cæteris uinctis, laborante diuina ſapientia pro ſalute Ioſephi, per quã etiã aliorum delicta in illius commoditates conuerſa ſunt.

Viderunt́q; ambo ſomnia.] à Deo procurata, quorum coniectatione per occaſionem magnus efficeretur Ioſephus.

Triſtes.] זעפים ſunt מתרשעים hoc eſt turbati ac cõmoti. ut indicat illud apud Ionam: רעבר ים מזעפו Turbarat eos ſommũ incuſſo metu de impẽdenti malo.

Cur triſtior eſt hodie facies ueſtra?] Vultus nomi natur, in quo affectionum animi, iræ, clementiæ, triſticiæ, hilaritatis ſedes eſt. Hebræis רע latiſſimè patet ad uitia, res aduerſas, triſticiam. Non curioſi hominis percunctatio hæc erat. ſed agentis officiũ ſuũ, cui cura uinctorum mandata eſſet & commiſereſcentis ſortem miſerorũ, q quoq; captiuus in carceris pedore uerſaretur.

Nunquid non Dei eſt interpretatio?] quam per ſuos qui eum colunt, exponat. Recutetis igitur ſomnia ueſtra. Quæ dã ſunt ex hoc loco obſeruãda: primò, ſomnia Dei opus eſſe, quib. quæ eueniant ſiue mala ſiue bona portendantur. Deinde ſomniorum interpretationẽ non eſſe priuati hominis, ſed Dei, & eorum qui Dei ſpiritu prædit́i ſunt. Legimus enim hic: Amon Deus habet interpretationes. tertiò, ut diuinitatis eſt futura præno ſcere. ita eiuſdem indicium in ſanctis fuerit ſomniorũ euentus animo præceptos, ut futuri ſint, interpretari. Hinc apud prophetam Eſaiam ſuam aduerſus deos gentium diuinitatem comprobans Dominus his uerbis utitur: Nec eſt ſimilis mei annũciãs ab exordio nouiſſimũ, & ab initio quæ nec facta ſunt, dicens. Demũ animad uertendũ eſt, ne hac quoq; parte deeſſet typus, quo nobis Chriſtum repræſentaret Ioſephus, hũc in ſomniorũ coniectandorũ & in abditorũ conſiliorũ Dei exponendorum munus admiſſum eſſe, ut oſtenderet qualis futurus eſſet is de quo propheta: Vocabitur nomen eius, Admirabilis, conſiliarius. Et Ioan. Qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit nobis. Cæterùm quæ interpretationes ſomniorũ, quib. denunciantur res futuræ, Deo placeãt, quæq; diſpliceant, quidq; interſit inter ſomnia ab effectis, & cauſis tum internis tum externis, & his tum corporatis tum ſpiritualibus, tum bonis tum malis, eius rei explicatio non eſt huius diſputationis.

Videbam coram me uitem.] Somnij narratio, in quo rerum uſarum is ordo continebatur. Primò appa-

rebat uitis, deinde tres in ea palmites, tũ uerò flos, post hunc ציץ quod erat quiddam crassius flore, hoc iam excusso, remanens demũ uuarum racemi. Florem autem consequi ציץ declarat illud in Numeris, ויוצא פרח ויבשל ציץ ציץ ubi ציץ immaturum est quod flore cadente remanet.

Recordabit Pharao ministerij tui.) Similiter Hebarismũ paraphrastes רבבריגך: Est enim leuare caput, alicuius cum honore recordari, in numero aliquo ponere. Verbũ enim נשא cum capita recensentur, solet usurpari, ut licet uidere in illo ביתשא אתראש בני ישראל. sententia igitur hæc est: Et reposuit eum in numero prægustatorum.

Cum tibi bene fuerit.) Dei beneficio, cuius erga te uoluntatẽ bona fide exposui. Præfectũ pocillatorũ rogat, ut sui apud regẽ memor sit, qui noluerit tantã & à Deo oblatã opportunitatẽ contemnere. Qua in re docemur à fide res commodas uobis non negligi, tempus aũt & locum liberationis nostri diuinæ curæ permutti.

Quia furtim sublatus sum.] Commemorat suas calamitates ad mouendum aptas. Natura enim miserorum misereſcimus.

Et hic innocens in lacum missus sum.) A' sua innocentia. Nam dolore nos afficiunt res eorum, quos immeritò affligi sentimus. Vtitur igitur hic Ioseph⁹ eo genere probationum, quæ βασάνιστικὴ appellantur. Sed affectus non tantum ualent apud hunc, ut modum transiens personas prodat à quibus fuit læsus, neq; improbæ mulieris falsam criminationẽ aperit. Quod in sancto adolescente exemplum modestiæ & diuinæ charitatis crimina aliorum operientis erat ad referendum nobis eum Iosephũ de quo uates, Delicta multorũ tulit.

Et ego uidi somnium.] Narratio somnij magistri pistorum.

Tria canistra farinæ.) Interpretes candida ac alba canistra uertunt. Nonnulli de candidis panibus. Nota uox: Vterq; somnium suo officio accommodatum habet, pocillator de uite, pistor de cibis arte pistoria paratis. Quòd autem alter elatus ad suas dignitates fuit, alter in crucẽ suspensus, ignominiosa affectus est morte, deposito uelo, cognosces in altero exaltationis Christi ad lignũ crucis, in altero eleuationis eius adgloriã imaginem adumbratã. Cuiusmodi quoq; mortis & resurrectionis figurã in Iona propheta exhibitã ab Euangelista docemur. Ad hanc mysticã notam congruunt tres dies, uitis item et panib. uarij generis referta canistra. Christus enim de se: Ego sum uitis uera. Item: Ego sum panis uitæ. Nec obstãt profanæ personæ Aegyptiorũ, quo minus tanta mysteria per eos significata dicamus: ut nõ obstitit serpentis maledictũ ingenium, quo minus Christi, quem maledictũ fieri oportuit, figuram repræsentaret. Nos porrò legimus: Eum enim qui non nouit peccatũ, pro nobis peccatum fecit. Item, Christus nobis factus execratio. Et conueniebat, ut antecederet mysticam Aegyptiorum & Hebræorum benedictionẽ, mortis & resurrectionis Christi aliqua luculenta figura, cũ uera benedictio Israelitarum & gentium non antea præstita legatur, quàm Christus per mortem ad uitam & gloriam translatus fuisset.

Dies natalicius.] Locus de uetustate celebrationis dici natalicij.

Et tamen succedentibus prosperis.) Vetus est dictum, beneficiorum breuem esse memoriam. Non perperam igitur ueteres Gratias iuuenes finxerunt, quòd beneméritorum memoriam seneſcere non conueniat.

Sed oblitus est interpretis sui.) Non id tamen sine Dei consilio, cui sua tẽporis & crucis & gloriæ ratio constat.

IN CAPVT XLI.

Post duo annos.] tempore quo præter cogitationem suam Ioseph⁹ liberandus erat, ut quẽ fefellisset humanum consilium, diuinum non falleret.

Vidit Pharao somnium.) non temere oblatum, ut cuius occasione pararetur gloria Iosepho.

Super fluuium.] De Nilo nonnulli accipiunt celebri fluuio cuius inundatione Sole Cancrũ ingrediente Aegypti ager fœcundus redditur.

Septem uaccæ.) Non deest ratio septenarij.

Septem spicæ.] Aliud somnium, sed eadem portẽdens, quo firmior & certior efficeretur rerum futurarum significatio.

Et percussæ uredine.) Hebræus, uento orientali. Nam rubigo, uredo, carbũculus silente cœlo serenis noctibus fiunt. Quale cœlum solet esse flante serena re uento, qui medium inter Septentrionem & Orientem locum tenet. Scitè Septuaginta uno uerbo αἴθριον φθορᾶς.

Pauore perterritus.) ותבעם רוחו Non leuiter affici animo est, sed percelli & conturbari. Paraphrastes: ומטרפא רוחיך.

Misi ad omnes coniectores Aegypti.] Sunt quibus חרטמים sunt חבמי תילדות, id est genethliaci ac genethliologi, ex hominũ natali hora futura fata et casus prædicẽtes. Tali hominũ genere Aegyptus plena erat.

Et sapientes.] De astrologis exponunt & coniectoribus somniorum.

Nec erat qui interpretaretur.) somniorum interpretationẽ Deo sibi uendicãte, & eam ijs donante quos charos habet, ut suprà Ioseph⁹, Nunquid non Dei est interpretatio? Verum est igitur illud Hieremiæ de sapientibus huius mundi: Nulla est sapientia in eis, &c. Et illud Esaiæ: Peribit sapientia sapientum.

Tunc demum reminiscens.) tempore à Deo definito ad extollendum Iosephum.

Confiteor peccatum meum.] Agnoscit ingratitudinis uitium, quod etiam à Deo cum exilio, carcere, falsa criminatione cessit Iosepho bene. Hæc est mirabilis bonitas Dei cum summa sapientia coniuncta, contra quam nullum consilium humanum ualere, præsens exemplum Iosephi docet.

Totonderunt.) omni carceris pedore absterso.

Et ueste mutata.] Deposito iam uetere uestitu, & induto nouo, admittitur ad patefaciendum consilium de salute Aegyptiorum. Reducto uelamine intelliges quid hoc sit: Spiritus nondum erat datus, quia Christus nondum erat glorificatus.

Absq; me Deus respondebit.) Modestia notabilis in sancto Iosepho, per quam Deo gloriam sapientiæ tribuens, arrogantiæ uitat suspicionem. Quod ponitur in ge-

in genere τῶν ἐναργεστάτων ἀδιαψεύστων, hoc est earum probationum quibus nobis à moribus fidem conciliamus.

Respondit Ioseph.) Breuis explicatio somnij et uera, diuino oraculo & personæ regis apta.

Quæ facturus est Deus.] Attētio à persona Dei, cuius consilia ignorata fuerant Aegypti sapientibus.

Quos sequētur septē anni alij tātę sterilitatis.] Hæ uices annorū ubertatis & inopiæ ac famis, quæ tēpora præfigurent post exhibitū eum quē Ioseph us adumbrat, satis declarat propheta Amos his uerbis: Mittam famem in terram, non famē panis, sed audiendi uerbi Dei. Intueare ubertatis tempora, quæ tēpore Apostolorū uiguerunt in orbe terrarū elato iam Christo ad gloriā patris, et ea famis uerbi Dei secula, quæ secuta sunt, rationē mysticā non ignorabis. Quæ sanè famis tēpora tamisper durant, dū Christus, qui olim reiectus est à suis, nouissimis penuriæ uerbi Dei seculis, pariter gentibus & Israelitis frumenti Euangelij sui horrea aperiat, quæ nobis gentib. primò recludit, post quos & per quos illa familiæ etiam Iacobeæ recludet. Quod magnū mysteriū hoc quidē loco adumbratum est, et ab Apostolo prophetarū testimonijs in epistola ad Romanos explicatum. Hic enim legimus, primò inopia leuatos Aegyptios, deinde filios Iacobi, qui principiò fratrem Iosephum reiecerant. Tam aptis figuris futurum redemptionis gentium & reconciliationis Israelis opus describitur.

Nunc ergo prouideat.) Prudens consilium Iosephi, & cunctis rebus pub. ad imitandum utile.

Qui constituat præfectos. Iannonæ rei frumentariæ, qui à Latinis frumētatores, & à Græc. σιτολόγοι dicūtur. In mysticis igitur historijs tripartita commoditas cernitur. una est, quæ illo tempore percepta est, quo res quæ narrantur gestæ dicuntur: altera in exemplo declaratur: tertia in arcanis rebus significandis ostenditur. Iosephus usum primum in curanda re frumentaria explicauit. Alterum & tertium posteris perpendendum reliquit.

Et non consumetur terra inopia.) Ab utili.

Num inuenire poterimus talem uirum.] Agnoscitur Dei spiritus in Iosepho. Hic quædam annotanda uidentur, primò, in eo quem fratres ſſ reuerant, dici Dei spiritū agnouerūt, ut præluderetur illi, de quo Moses infrà: Ego ad æmulationē prouocabo uos, per gentem quæ non est gens. Deinde agnoscitur Iosephus cæteris spiritu sapientiæ & consilij præstare. In quo typus geritur eius de quo Psalmus: Vnxit eum præ consortib. & Ioannes: Dedit ei spiritum sine mensura. Tertiò, noticiam Dei non alligari ad ullam externam personam gentis sexus, signorū. Exemplū hic in incircunciso Pharaone habes. Itaque uerum est illud Petri: Re ipsa comperio quòd non sit respectus personarum apud Deum, sed in quauis gente qui timet ipsum, & operatur iusticiā, acceptus est illi. Quocirca circūciſio cordis, uera circunciſio est, quæ spiritu constat, non litera, in qua nec Iudæus, nec Græcus, nec masculus, nec fœmina, sed noua creatura continetur.

Qui spiritu Dei plenus sit.] Plenus addit de suo: Quod uerbū in eū cōgruit quē Iosephus adūbrat. de quo legimus: De plenitudine eius omnes accepimus.

Quia ostendit tibi Dominus omnia.] & abscōdit sapientibus Aegyptiorū. Hæc contentio declarat nobis eum qui de se dicit apud Mat. Gratias ago tibi pater Domine cœli & terræ, quòd abscōderis hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelaris ea paruulis. Vbi proculdubiè expressit hæc duo uerba quæ Hebræus habet, רגבון רחבם.

Tu eris super domum meam.] Gubernator regni mei, propter præstantiam prudentiæ & sapientiæ qua continetur imperium & dignitates.

Obediet.) על־פיך Alij armabitur, alij cibabitur, quæ ad procurationem apposita interpretatio est. Quod Hebræus dicit, Ad os suum: Latinè rectè uertitur, Ad imperium tuum, aut ex sententia tua. Nota μετωνυμία. Iosephus præponitur procurandæ annonæ ex qua Aegyptij uiuant, qui nobis eum significat qui de se dicit: Ego sum panis uitæ.

Vno tantum regni socio.] regno consortem nō ferente, quemadmodū hic mundus duos soles, ut quidam dixit, minimè tolerat.

Ecce ego constitui te super uniuersam terrā.] Præficitur regno, qui miserè uēditus à suis seruierat: & ad dignitatē regiam effertur, qui in squalore carceris abiectus iacuerat. Hæ sunt uices admirandæ operum Dei ignominiæ & gloriæ. Hic typus, in Christo ueritas & res ipsa. fratres Iosephum ne regnaret, perdere statuerunt: at quem extinctū cupiebant, euectus est ad imperij splendorem. ut discerēmus quid illud sit: Non est consilium contra Dominum. Hinc ferè accidit ut à Deo prouisa opera tum maximè promoueantur ab humanis consilijs, cum his homines illa impedire tentant. Hæc est ineluctabilis uis decretorum Dei, sub quibus omnis humana uoluntas, conatus, studia concidunt, ut diuina potentia amplificetur, & salus eorum qui ab æterno ad uitam destinati sunt, perficiatur.

Tulitq; annulum de manu sua.] confirmandæ tributæ dignitatis gratia.

Et torquem aureum.] indicem dignitatis ad populum. Locus de uetustate annulorum & torquium aureorum.

Stola byssina.] ex lino facta, cuius fertilis Aegyptus est, & eius quatuor genera ibi nasci dicuntur, Taniticum, Peluſiacum, Buticum & Tentyriticum. Nec caret linea ueste, cuius candor iusticiam & innocentiam declarat is de quo Daniel: Et ecce uir unus uestitus lineis.

Vt omnes coram eo genu flecterent.) Remota umbra legimus: Vt in nomine Iesu omne genu se flectat. Hebræus habet: Vt ante eum proclamarent, Genua flectite.

Ego sum Pharao.) Confirmat dignitatem Iosepho à iure regio. Ego qui solus Aegypto impero, uolo ut alter post me regnes. Defertur igitur imperium post honorum insignia data, annulū, lineam uestem, torquem aureum, lateri regis uicinum currum. Subducito typum.

Manum

Manum aut pedem.] *Hebraismus, nihil præter nutum et imperium tuum Aegyptus faciet. Excussa figura legimus: Hunc audite.*

Saluatorem mundi.] *Heb.* צפנת פענח *pro quo alij interpretem arcanorũ secuti Chaldæum qui uertit uirũ, cui abscõdita patefacta sunt. Similiter Græci interpretes,* ἀποῤῥήτων ἐρμηνευτὴν *exponunt. Quæ interpretatio conuenit in eum uirum in quo suprà Pharao Dei spiritum in arcana Dei penetrantem tantopere admiratus est. De nostro legimus: Qui est in sinu patris, ipse enarrauit.*

Deditq; illi uxorem.] *Nõ ex genere suo ducit uxorem, sed ex Aegyptiorum gente. Typum hunc explicarit uocatio Ecclesiæ ex gẽtibus. De qua propheta: Ecce gentem quam nesciebas, uocabis.*

Putipharis.] *Diuersus is est ab illo cuius suprà facta mentio est. Non enim idem utriusq; nomen. alij eundem fuisse putant,*

Sacerdotis.] *Indicio est magno in honore sacerdotes propter religionis curã apud Aegyptios fuisse.*

Heliopoleos.] *Similiter Græc.* ἡλιοπόλεως. *Vetustas urbis his significatur, quæ ante Ioseph um cõdita fuisse hic legitur. De hac urbe uideris apud Strabonẽ.*

Egressus est itaq; Ioseph ad terrã Aegypti.) *tanquam præfectus regni. Itaq; addit de suo Chaldæus,* שליט.

Triginta autem annorum erat.) *Aetas apta sapientiæ: de qua si subtraxeris 13. annos, relinquentur 17 anni quibus uenditus suprà Ioseph legitur.*

Quando stetit.] *munere interpretãdi somnia et dandi consilia fungens.* עבר *enim Hebræis in loco pro munus obire & ministrare.*

Vt arenæ maris coæquaretur.] *Per hyperbolẽ amplificat modum ac uim frumenti.*

Obliuisci fecit me Deus.] *Etymũ Manassæ exponitur. Deo tribuit obliuionem malorũ, quod agnouisse erat fidei opus. Cuius beneficij memoriam in indito à se nomine filij circũferri uoluit. In pari obliuione malorum erunt ij de quibus Propheta: Quia obliuioni traditæ sunt angustiæ priores, & quasi absconditæ sunt ab oculis nostris.*

Omnium laborũ meorum.] *Verè igitur Psal. Multæ afflictiones sunt iustorum, sed ab his omnibus liberabit eos Dominus.*

Et domus patris mei.] *id est mœroris quẽ accepi ex tã diuturno exilio, priuatus domo patris mei. Quã calamitatẽ nõ ignorauit ille apud Græc. uatẽ:*

πολλ' ἐφέλκεται φυγὴ
λιπὰ ξυὸ αὐτῆ.

Crescere me fecit.) *Etymũ Ephraim explicatur. Ostenditur usus laborũ & afflictionum, has excipientibus rebus prosperis & omnium bonorum affluentia, liberorumq; copia. Huius muneris memoriã celebrem haberi in nomine Ephraim uoluit, ne usquam abesset recordatio diuinæ bonitatis.*

In terra paupertatis meæ.] *Per contentionem* עני *opponit copiæ & prosperitati. Hãc cõtentionẽ expressit Christus in descriptione beatorũ: Beati qui lugẽt, quoniam ipsi consolationem accipient. Hæc deiectione & amplificatione Iosephi. Cuius explicatio summatim hoc modo perstringetur: Cum duplex nobis in hac historia propositus sit ad spectandũ Iosephus, alter mysticus, alter uerus & cœlestis, in utroq; tria licet cernere: unũ, ignominia crucis est: alterum, elatio ad gloriã: tertium, usus qui ex utriusq; afflictione et gloria perceptus. Quod ignominam attinet, ad uersus utrunq; incensum fratrũ odium, paratam uendition ẽ, intẽtatas criminationes et eas falsas atq; tandem inflictam damnationẽ cognoscimus. Quod uerò ad gloriam pertinet, alter ad terrenam, alter ad ecclesiam amplitudinẽ effertur, neq; id quod tertium erat, sine præclara utilitate quam utriusq; afflictio & prosperitas mundo attulit. Alterũ enim Iosephũ præter quàm quòd sua aduersitas exercuit ad patientiã, & hæc eius fidẽ ac spẽ corroborauit, & ad noticiã arcanorum consiliorũ Dei perduxit, demumq; ad summũ honorem in Aegypto euexit, etiam Aegyptijs & suis tribus à quib. proditus fuerat, ut prodesset, effecit. Alterius aũt, quẽ fructũ apportarit deiectio & glorificatio, mundus nõ ignorat, dũ is sentit remissa sibi peccata, tributum iusticiæ uitæ æternæ donũ, & suo tempore assignandũ ueræ gloriæ præmiũ, peccato, morte, potestatibus tenebrarũ deuictis. Qui sanè est amplissimus deiectionis & amplificationis Christi usus in hac historia Iosephi adumbratus, & in sequent. b. prophetis planius explicatus, quẽ tã gẽtes, tã Israelitæ sint percepturi ex scientia eius, de quo Propheta: In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, ut consilia Iosephi & Aegyptijs & genti suæ salutem pepercerunt.*

Igitur transactis septem ubertatis annis.) *Vt omnium sub sole uicissitudo sua est. Omnia tempus habent, & suis spacijs transeunt uniuersa sub sole.*

In uniuerso orbe.] *iuxta terræ Aegyptiæ.*

In cuncta autem terra Aegypti panes erant.] *Quam etiam Nili stagnatione feracem reddi tradunt, et sub Iosepho singulari ubertate donata fuit benignitate diuina. Nomine* לחם *annona ipsa ac frumenta significantur.*

Clamauit populus ad Pharaonem.] *cuius ut regis, esset suis prouidere de uictu. Itaq; Græcus poeta regem sapienter uocauit bonum,* βασιλεύς τ' ἀγαθὸς: *& eundem* ποιμένα λαῶν *appellat.*

IN CAPVT XLII.

Audiens aũt Iacob.) *Quã tredecim iam annis charissimi filij cõsuetudine caruisset, neutro alterius aspectu fruito: quæ res non leuem mœrorem utriq; attulit. At uerò ut tandem absterso luctu locus gaudio daretur, per famem diuina prouidentia occasio quæsita fuit.*

Quod alimẽta uenderẽtur.) *LXX similiter pro* שבר *uertunt* σίτου πρᾶσις. *Dicitur autem frumentum* שבר *ab Hebræis à fractione ac molitura quæ ipsum commolitur ac frangitur in farinam.*

Quare negligitis.] למה תתראו *Cur inter nos intuemini, quod solẽt cũctantes. Vnde à Septuaginta reddi-*

redditum ἐχθυμεῖται quos Latinus imitatur. Alij pro ostentare, Quare ostentatis uos apud uicinos uestros, quasi suppetant uobis ad uictū necessaria, cum laboretis fame? Nota est significatio eorum uerborū quæ apud Hebræos reciprocā actionem significant.

Beniamin retento.) ut qui minimus natu esset & charissimus patri, natus nimirum ei iam seni ex Rachele præcipua uxore, quæ ex illius difficili partu suprà obiisse legitur.

Mali.] Malus ac grauius quiddam sonat אסן nimirum exitium ac perniciem, Chaldæo etiam autore qui uertit בירהא.

Cumq; adoraſſent.) Quem uendiderant in seruitutem, offensi somnio de illius excelsitate, eum ut dominum adorant. Iam tandem incipit se aperire somniū quod multis retro annis uiderat. Idem facient Israelitæ tempore reconciliationis, in quibus reiectū olim ac spretum Christum quærent, eumq; Dominū & regem suum agnoscent atq; adorabunt. Hinc illud Oseæ, Et quærent Dominū Deum suum & Dauidem regem suum, qui Messias benedictus est.

Quasi ad alienos durius loquebatur.) Hanc duriorem appellationem non odium quod in fratres gereret, sed studium eos ad pœnitentiam prouocandi expressit. Simili asperitate utitur is erga suos. de quo Oseas propheta: Voco eos nō populus meus, quia uos non populus meus. ירהגבר est simulauit se alienum.

Interrogans eos, Vnde uenitis.) Non ignorātis hæc unde uenissent percunctatio est, sed occasionem quærentis quomodo illos ad confessionem flagitij sui adduceret, & post agnitum istud uenia data muneribus eos ornaret, ne etiam hic abesset significatio eius, de quo propheta: Qui sanat contritos corde.

Non est agnitus ab eis.) quem putarent periisse, ut infrà dicunt: Vnus autem non superstes est.

Recordatusq; est somniorū.) Vbi procidissent ad genua, intellexit impleri uisum, quod pridem uiderat: Vidiq; uestros circumstantes manipulos adore meum. Appositè sanè adorantium manipulorum uisum annonæ penuriæ congruit. Locus de firmitate oraculorum Dei, quæ minimè excidant quin suo tempore impleantur, non fallente decreto diuinæ uoluntatis. Quæres fortuitos in rebus humanis euentus tollit, & omnia firma & certa efficit. Vt habet Salomō alicubi: Non possianus eis quicquam addere, nec adimere. Fratres moliti fuerant deprimere Iosephum, ne cum principem suum adorarent ex oraculo illo: Vidi per somnium quasi solem & lunam & undecim stellas adorare me: sed falsi, imperio quod declinare uoluerunt, subiecti sunt. Vt firma maneret hæc sententia: Consilium Domini manet in æternum.

Exploratores estis.) Aspera accusatio, sed bono illorum, non malo suscepta. Liberatur igitur Iosephus mendacio quod non ex uerbis, sed animo fallendi ponderatur, qui ab fuit illi, salutem suorū quærenti, non interitum.

Vt uideatis infirmiora terræ.) ערות Alij, aperta terræ, Vt exploretis qua parte Aegyptus pateat ad inuadendū. Alij, occulta terræ: Venistis abdita terræ rimandi gratia. quòd ערות, id est pudenda corporis partes pudor ipse tegat. Vnde mutuatus tropus. Chaldæus ברסא quod rimā notat, qua parte Aegyptus munita non sit, quem sequitur noster.

Qui dixerunt, Nō est ita Domine.] Inficiando occurrunt obiecto crimini.

Pacifici sumus.] Similiter Septuaginta, εἰρηνικοί ἐσμεν. uerbum Hebræum נכרים ueraces, integros, probos, fideles sonat. à firmitate tropo mutuato.

Hoc est, ait, quod locutus sum.] Vrget accusando, non accepta satisfactione fratrum, ut in eis qui iam duodecimi fratris meminissent, durius accusando memoriam perditi fratris grauem & sollicitam excitaret.

Per salutem Pharaonis.] Septuaginta sequitur, qui habent, νὴ τὸν ὑγίειαν φαραώ. Heb. חי פרעה uiuit Pharao. quæ communis iurādi formula est Aegyptijs & Hebræis, Infrà in libris Regū, Viuit anima tua rex, si noui. Dicas, Ergo licet iurare per creatam naturam qualis Pharao est & animi humani. In uiuentibus hominibus & animis eorum, accipitur is de quo illud: In ipso sumus, uiuimus, mouemur, extra quem nulla est uita. Hinc Deus אל חי appellatur. & Messias de se: Ego sum uia, ueritas, & uita. Hæc uita agnoscitur in hac iurandi formula: Viuat anima tua, uiuat Pharao. Atq; hanc sententiā nonnulli uolūt Septuaginta expressisse, ubi uertunt, νὴ τὸν ὑγίειαν φαραώ. quòd salus & uita hominum Deus sit. Sunt qui etiam in illo superiore, Ego Pharao, iusiurandū factum uolunt.

Tradidit ergo illos custodiæ.] Vt suorum delictorum admonerentur, & prosperitatem non prius persentiscerēt, gloriæ Iosephi participes facti, quàm rebus aduersis cum eodem affecti essent. In qua re docemur quid illud sit Apud apostolū: Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus quòd & uiuemus cum illo. Item illud: Non est maior seruus domino.

Deum enim timeo.] qui requirit à uobis ut integri sitis & ueraces: & à me, ut præstem quæ promisero, iniquius nihil aduersus uos statuens. Si alterum Iosephum spectes, legis de eo apud prophetam: Et iudicabit in iustitia pauperes. Sed qua ui munitus? præcedit in eodem propheta: Et replebit eum spiritus timoris Domini.

Vt possim uestros probare sermones. Non prius liberos eos reddit, & factos participes gloriæ suæ muneribus exornat, q̄ secum habeant minimum natu Beniaminem. Mystica ratio non est obscura. De pueris enim legimus illud: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri, non ingredemini in regnum cœlorum. Mundus magna et firma respicit, Deus parua & infirma, ut ea magna & firma reddat.

Meritò nos hæc patimur.] Agnoscunt tandem crimen proditi insontis fratris, cuius confessionē hæc aspera Iosephi tractatio extorsit. Locus mysticus de pœnitentiæ & agnitionis sui usu.

Videntes angustias animæ illius.] *in quem angorem inciderat nostra culpa, qui frater esset & innocens, & de nobis bene mereri cupiens.*

Dum deprecaretur.) *etiam hostes leniente miserorum obsecratione.*

Et non audiuimus.) *obliti omnis iuris naturalis, quod peculiari amore parentes cum liberis & fratres, inter se copulat. Omnia in hac confessione tragica sunt, si quis expendat.*

Idcirco uenit super nos ista tribulatio.] *Conscientiæ de iusto iudicio Dei uis exprimitur.*

E' quibus unus Ruben ait.] *Expostulatio Rubenis cum fratribus ad grauandum scelus adornata.*

Et non audistis me.) *iniurij in patrẽ & in fratrem innocentem, & in me recta suadentem. Tantũ in uobis odium in insontem flagrauit. Hæc tam dura reprehensio legis ui peccatũ patefecit & auxit, atq; ad bonitatem cognoscẽdam uiam muniuit, in qua releuandæ famis & retinendæ uitæ salus posita erat. Sed ueritas ipsa in illo cernitur, de quo in Epistola ad Galatas: Lex pædagogus ad Christum.*

En sanguis eius.) *id est pœna sanguinis. putarãt mortuum Ioſephum esse.*

Exquiritur.) *à uobis iusto Dei iudicio. qui ut recte benefacta præmijs munerat, ita mala pœna afficit, etiamsi ad tempus differat uindictam. (Quæ sententia ita in natura scripta est, ut etiam uates Græcus dicat, res humanas inspici à Deo, & ab eo de sontibus supplicia expeti:*

ὅστε καὶ ἄλλος
ἀνθρώπους ἐφορᾷ, καὶ τίνυται ὅστις ἁμαρτῇ.

Quod intelligeret.] *Nesciebant Ioſephum Hebrææ linguæ doctum esse, ut quem uiderent uti interprete. Transfertur more omnium linguarum* שמע *hoc est audire ad intelligere, propter similitudinem, quæ inter sensus & intelligentiam intercedit: sed cæteris præstant aspectus & auditus: quorum alter rerum formas ostendit, alter discendis rebus sacratus est auscultandi facultate.*

Et fleuit.] *lachrymas excutiente pœnitentia scelerum. Quanto magis reditus peccatoris ad se, commouerit illum qui dicit de se: Non ueni ad uocandos iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Item: Et peccata multorum tulit, & pro sontibus rogauit.*

Tollensq; Simeon.] *ut maiorem natu post Rubenem, qui ne uenderetur Ioſephus non prohibuisset. quo crimine cum liber esset Ruben, dimissus fuit. Apparet etiam Simeonem præ cæteris iniquiorem fuisse Ioſepho.*

Et obstupefacti.) *Septuaginta, καὶ ἐξέστη καρδίαι αὐτῶν, sequitur noster interpres. Hebræ. habet* ויצא לב *qua phrasi examinato: eos fuisse indicat.*

Quid nam est hoc quod fecit nobis Deus?(*Vindicis Dei scelerum iudiciũ subibat animum, ut rectè ille dixerit conscientiam esse carnificinam quæ furiarum ore misere mentem pungat atq; excruciet, de quibus uerè poeta dicit, eas tenebrarum terræ, quæ omnibus malis obnoxia sit, filias esse:*

θεαὶ σφ' ἔχουσι γῆς τε καὶ σκότου λόχαι.

Exterritisq; simul omnibus.] *de suspicione furti, quam grauiorem reddebat criminis conscientia.*

Dixitq; pater.) *Noua tentatio Iacobi non sanè leuis exponitur, in qua nimirum luctaretur fides cum promissione hac: Eritq; semen tuum quasi puluis terræ. Quæ quanta sit tentatio, norunt qui in huiusmodi certamine uersati sunt.*

Absq; liberis me esse feciſtis.] *munere Dei mihi et promissis datis, sine quibus diutũ mihi sit uiuere, ut etiam ille apud poetam, γλυκερὸν βλάστημα, id est dulcem propaginem liberos appellauit.*

Duos filios meos interfice.] *sed quos ut exſilio natos tam charos haberet Iacobus, quàm suos. In liberorum enim numero & nepotes habentur.*

Solus remanſit.] *ex Rachele unicè dilecta genitus. Amplificatur amor Beniaminis, quia solus relictus sit. Nam unica & rara magis chara & pretiosa ducuntur.*

Si quid aduersi acciderit in terra.] *ut olim fratri accidit.*

Deducetis canos meos.] *Senectutem meam, quã foueri à uobis oportebat, non moleſtia affici.*

Ad inferos.) *Videtur Hebræis* שאול, *id est fouea sepulchralis dicta ab expetendo, quòd inferni insanabilis sit cupiditas, qua eos quos deuoret, expetit. Sic enim Salomon in Prouerbijs inter quatuor insatiabilia orcum numerat.*

Cum dolore.) *Non igitur in sanctis affectus naturales fides tollit, sed eos tolerat, ut ab Apostolo ἄστοργοι damnantur.*

IN CAPVT XLIII.

Reuertimini & emite.] *Scita paronomaſia cernitur in* שבו רשברו.

Pauxillum escarum.) *Mediocritatis exemplum qui iusserit, ut sui quantum satis esset ad uictum coemerent frumentum, non ut fœneratores solent, ad mercaturam exercendam magnam eius uim cõpararent.*

Respondit Iudas.] *post Rubenem, cuius ut inutilis si patri admonitio suscepta non fuerat.*

Denunciauit uir ille sub attestatione iurisiurandi.] *Hebraica repetitio* העד העיד, *id est obtestando obtestatus est. seuerè & seriam obtestationem declarat. Quæ obtestatio, affirmatio est in hac lingua.*

In meam hoc feciſtis miseriam.] *Hebraica interroga.io uehementius quaddã sonat: Quare afflixiſtis me, ac in hoc malum coniecisti? patrem uidelicet uestrum et senem, alioqui satis multis calamitatibus affectum.*

Ego suscipio puerum.) *In Hebræo sponsionis uerbum est: Ego spondeo pro eo, ac prædẽ me pro eo profiteor.*

Ego peccati reus ero.) *Scitè Hebraicum tropũ reddit* חטאתי *id est peccabo, obnoxius ac reus peccati ero. Si quid hic peccatum fuerit, ego præstabo ac sarciam. Si eum inſpexeris qui ex Iuda nascendus erat, intelliges quem Iuda fide iusſor hic repræsentet. Nos legimus apud prophetam: Attritus est propter scelera*

scelera nostra. Et apud Apostolum: Factus est pro nobis peccatum, id est reus pro nobis ac uictima peccati quod lueret. Vbi retentus est tropus Hebræus ab Apostolo in Hebræo homine in uerbo חטאת.

Si non intercessisset dilatio.) Verbum התמיהתחבר à geminata interrogationis uoce בוא uidetur deriuatum, quod interrogantium mora sit ac cunctatio. Tale etiam apud Latinos in percūctari uerbo cernere licet.

Iam secundo.) A' facili.

Igitur Israel pater eorum dixit.] Persuadetur Iacobus à filio Iuda quem amaret: quod plurimum ad persuadendum ualet. Vt autem Iudas dilectus sit à patre, benedictio infrà docebit. Et ei libenter credidit minimum natu Beniaminẽ filium, penes quem sciret regium sceptrum futurum, & ex eo nascendum Messiam mundi seruatorem.

Si sic necesse est.] Prudentiæ erat in Iacobo se ac commodare præsenti necessitati & filij iunioris amorem postponere reliquæ familiæ saluti: qui cognosceret stulti hominis esse necessitati non parêre, ut etiam ille intellexit.

τῷ ἀναγκαίῳ τρόπῳ
ὃς αὐτιτάνει σοφὸν ἡγοῦμαι βροτόν.

Sumite de optimis terræ fructibus.] Similiter Chaldæus pro מדבשיבח habet מדבחרח tropo sumpto, ut uidetur, à cātione qua quippiā celebratur. De laudatis & decantatis fructibus.

Et deferte munera uiro.] Beneficijs beneuolentiam præfecti Aegyptiorum tentat assequi. In qua re ciuilis etiam uirtutis dotes præclaras licet in Iacobo cognoscere. quæ tribus in rebus uersatur. quarum una est, quid consentaneum sit cuique, & quid quauis in re & quouis tempore conueniat, perspicere. Alterum, cohibere perturbatos animi motus appetitionesq; mentis iudicio obedientes efficere. Tertium, allicere ac conciliare animos hominū, & ad usus suos adiungere in hac communitate & consuetudine uitæ humanæ. Beneuolentia autem maximè beneficijs comparatur, in qua sibi conciliandā & in cohibendo in suum propensiore amore post ea perspecta quæ præsenti tempore accommodata erant, Iacobus studium suum non neglexit.

Deus autem meus omnipotens.] Qui possit uos seruare, & incolumes domum reducere. Cum oratione ad Deum sanctus uir suos amandat. Locus de deprecatione, hanc omnia nostra studia & opera debere antecedere.

Faciat uobis eum placabilem.) Dei opus esse beneuolentiam principum uirorum, quod agnoscit una fides.

Ego autem quasi orbatus absq; filijs ero.) Hebræus indicat accedere ad priuationem Ioſephi cæterorum quoq; liberorū orbitatem. Vt semel cœpi orbari liberis, sic pergo orbari. Querela est grauiter perturbati.

Tulerunt ergo munera.] מנחה à placando Hebræis munera appellantur. Recte igitur ille: Munera, crede mihi, placant homines q; deos q;. Hinc Salomon ait: חמת עזה, id est impotentem iram munere extingui.

Meridie.) A' claritate lucis appellata Hebræis mane cridies. צהרים

Oramus Domine.) Exordium.

Iam antè descendimus.] Narratiuncula breuis.

Non est in nostra conscientia.] Ad diluendam calumniam utuntur loco imprudentiæ non ipsorū consilio repositā pecuniam in saccos. Nō negant reportatam pecuniam, neq; iure reportatam dicunt, sed ipsis ignorantibus.

Et ille respondit, Pax uobiscum.] Procurator accipit satisfactionem fratrum Ioſephi, adiuncta etiam cōsolatione, quod diuinæ curæ pro salute illorū uigilantis opus erat, cum iubet eos tranquillo esse animo. Ab Aegyptio dissimilis familiæ homine accipiunt consolationem filij Iacobi. Mysticum locum declarat Esaias: Et afferunt filios tuos in ulnis. Quamcunq; his postremis seculis expectabunt salutem liberi Iacobi, eam ex gentium ministerio accipiēt, quod dispensatio procuratoris Ioſephi adumbrat.

Et nolite timere.) de calumnia et crimine furti.

Et Deus patris uestri.] Agnoscit Deum Iacobi & sanctorum patrum procul dubiè ita à Ioſepho dictus. legimus apud prophetam: Et ambulabūt gentes in lumine tuo.

Dedit uobis thesaurum.] Consolatur à Dei prouidentia. Neq; uestra culpa, neq; insidijs aliorum ad deuoluēdam in uos calumniam de furto, reposita est pecunia in saccos uestros: sed Deo autore, qui uos amat, id accidit. Depositō uelo mystico, intelligemus dona quæ sancti à Deo habent, suspecta primum esse per accusationem legis & magis damnare, quàm seruare: neq; prius nos graui suspicione absolui, quàm gratiæ lex affulserit, quæ nobis declarat beneficio diuino thesaurū præclarorū munerū in nos per Christum cœlestem Ioſephum repositum esse, atq; ita nos diligi à Deo. priusquā sentiamus nos diligi: imò cum adhuc hostes sumus & inimici, ut his uerbis docet Apostolus: Nam cum adhuc in nuci essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.

Eduxitq; ad eos Simeon.] liberatū uinculis. Si rem spectes, offert se uerus ille è uinculis liberator de quo propheta: Vt mederer contritos corde, & denunciarem captiuis libertatem, & clausis apertionem carceris.

Attulit aquam, & lauarunt pedes.] Locus de hospitali officio. Cæterùm mystica aquarum ratio et pedum lotio non est obscura.

Deditq; pabulum asinis eorum.) In gratiam susceptis iam filijs Iacobi, etiam iumentis propter eos benefit. Hæc est amplitudo beneficiorū Ioſephi. Sed in hoc typus, in Messia cœlesti Ioſepho ueritas, de cuius latè patentibus beneficijs legimus in Epistola ad Romanos: Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute interitus in libertatē gloriæ filiorum Dei. Hic commemorantur ferè omnia, quæ ad uitam tuendam

commoda existimantur, quæ duplici genere continentur: unũ est eorũ quæ inanima sunt, ut aurum, argentum, pecunia, & è terra nascentia: in quo genere frumenta, quorũ hic fit mentio ponuntur. Alterũ autem eorũ quæ animata sunt, quæ suos impetus habent, et rerũ appetitus. sed hæc bifariam diuiduntur. Horum alia rationem tenent, alia carent. Expertia rationis sunt pecora & iumenta, ex quibus hic asini numerantur. Ratione aũt utentiũ duo genera ponuntur. in uno Deus, in altero homines comphehenduntur & angeli. Deum unum præcipuè necessarium ad tuendã utam proponit nobis scriptura, & eum talẽ esse sanctorum fides agnoscit, & de eo hic Aegyptius: Deus uester & Deus patris uestri, &c. Homines uerò proximè & secundũ Deum maximè hominib. prodesse, & eos hic filijs Iacobi profuisse cognoscimus, ut id docet procurator Ioseph & uniuersa familia Pharaonis. Ex quo loco discimus, ut omnia electorũ usui deseruunt, ita eadem cum illis et propter illos seruari. Hæc est dignitas Iacobæorum, hoc est sanctorum filiorum Dei.

Obtuleruntq; ei munera..] Submota umbra legimus in Zophonia: Inde supplices filij mei dispersorum meorum deferent munera mihi. Messias designatur, cuius typum prætulit Ioseph.

Panem.] לחם pro conuiuio ac prandio. Supra porrò: Mactando macta.

Deus, inquit, misereatur tui, fili mi.] Agnoscit nõ esse neq; currentis, neq; uolentis, sed miserentis Dei salutem.

Festinauitq;.] ne proderetur ante tempus fratribus. Festinatio igitur hæc cõsilij erat, nõ temeritatis. Suũ enim tẽpus erat patefaciẽdi Iosephi. Noster ut suo tempore suis patefiat, satis experiuntur pij.

Quo commota erant uiscera eius.] Viscera Hebraico tropo, pro miseratione quam accensam indicat uerbũ גבמרר Græci, σωεγρέφετο τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ. Similiter Chaldæus, אתגלל.

Continuit.) ne fleret. ריתאפק est fortiter se cõtinere. Magnitudo commiserationis indicatur. Nam lachrymæ partim ab hac, partim à dolore, cum spe coniũcto dimanant, cum cor contrahitur & cerebrũ, ex hoc caloris ui humido per oculos expresso. Memi nimus hic spei. Nam ubi hæc abest, lachrymis non relinquitur locus. Ob id in extremis temporibus & summo luctu miseri non lachrymantur. Excussisse Iosepho lachymas etiam gaudiũ uidetur. Nam has fluere & præ gaudio constat. Sunt nonnulli qui uolunt Iosephum cum prænosceret, qui propheta esset, futurã euersionẽ templi in Beniaminis tribu extruẽdi, tanta commiseratione, cum Beniaminis commotum.

Apponite panes.] De ferculis accipit. Nota enim est uox לחם. Describitur mysticum conuiuium.

Seorsum Ioseph.] Descriptio ordinis seruati in collocandis conuiuis.

Illicitum est enim Agyptijs.] ut superstitione famosa gens fuit, uetustate generis, religione, artiũ notitia, cæteris semper sese præferens. Hebræa gens inde ab Abrahamĩ profectione in Aegyptũ ab annis amplius CLXX Aegyptijs innotuit, quæ interea aucta nõ modicis incrementis fuit per Ismaelitas, Madianitas & Saræ liberos. Fecit igitur religio dissimilis, ut Aegyptij abhorrerent à uictu Hebræorum, ut ab eis cultu Dei abhorrebant.

Sederunt coram eo.) suum quoq; locum obtinente pro ætate.

Sumptis partibus.) Sententia est, Iosephum tulisse de ferculis sibi appositis, et fratribus distribuisse ordine, dum ueniret ad Beniaminẽ, atq; hunc præ cæteris auctum ferculorum copia, ut sequitur.

Maiorq; pars uenit Beniamini.] ut ad ultimũ & minimum natu ex Rachele speciosa fratrem. Hæc de mystico conuiuio Iosephi, & fratrũ eius, cuius uelo subducto, de sympoſiarcha Christo & eius conuiuio, legimus hæc memoriæ prodita: Sicut disposuit mihi pater meus regnũ, ut edatis & bibatis super mensam meã in regno meo. Quod uerò attinet ad ferculorum copiam, de qua Iosephus cæteris distribuit, legimus apud Ioannem: De plenitudine eius omnes accepimus. Sed nec hic in distribuendis muneribus negligitur ordo, de quo Apostolus: Vn. cuiq; nostrûm data est gratia iuxta mensuram donationis Christi. Quod autem munimo maior pars cedit, arcanam notam aperit illud apud Mat. Quisquis igitur demiserit semetipsum sicut puer iste, hic est ille maximus in regno cœlorũ. Neq; ratione caret, quod iam ex carcere ad regiam dignitatem Iosephus elatus suos conuiuio exhilarat, & muneribus ornat. Legimus enim in Psal. de Christo: Cum ascendisset in altum, dona dedit hominibus.

Et inebriati sunt.] siue uino, siue alia quacunq; potione uini uim habente. Nam literis proditum est Aegyptũ ex hordeo uinũ facere quod zythũ uocãt, de quo uideris apud Herodotum. At uerisimile non est zytho inebriatos fuisse, hoc est liberaliter cum Iosepho bibisse, qui uino assueuerant & ad regium conuiuium inuitati essent. Si nostrum Iosephum intueamur, occurrit uinum, sed nouum ac cœleste, non uetus & terrenũ, de quo is ipse his uerbis: Amen dico uobis, nõ bibam de fructu uitis usq; ad diem illum, cum illud bibero nouum in regno Dei.

IN CAPVT XLIIII.

PRræcepit autem Ioseph.) Noua tentatio fratrum describitur. In qua hæc sunt expendenda: Primò is qui tentauit, secundò qui tentati sunt, demũ usus qui perceptus est ex tentatione. Iosephus quidẽ serè à fratribus in seruitutem uenundatus fuit, tentator est. Fratres qui sceleratè uendiderunt, tentantur. Vsus tentationis duplex cernitur: unus est agnitio peccati, alter, muneratio & gustus gratiæ cogniti Iosephi, post agnitum delictũ. De agnitione peccati infrà hoc modo: Deus inuenit iniquitatem seruorũ tuorum. De muneratione uerò: Et ego dabo uobis omnia bona Aegypti. Sed hic typus est, in Christo & filijs regni cœlestis ueritas.

Quare reddidistis malum pro bono.) Noua accusatio subornatur de ingratitudine.

Qui

Qui responderunt.] Defensio fratrum, quæ posita est in inficiatione crimnis.

Pecuniam quam inuenimus in summitate saccorum.] A repugnantibus.

Primusq; Iudas.] Ut qui pro Beniamine sponsionem fecisset.

Quibus ille ait.) Accusatio Iosephi, qui is non de furto primùm, sed de contemptu secretorum sciẽtiæ Dei, fratres accusat, qui putassent se celaturos furtum eum posse, cui Deus arcana consilia sua interpretandi facultatẽ dedisset. Qua peritia celebris habebatur in Aegypto, hoc etiam Pharaonis testimonio: Num inuenire poterimus talem uirum, qui spiritu Dei plenus sit? Augurãdi autem & diuinandi uerbo utitur, ut qui cum Aegyptijs uersaretur, auguran di arte nobilibus. Remoto uelo legimus de expostulatione cœlestis Iosephi, de qua apud prophetã: Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis cõsilium, quorũ sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis uidet nos, & quis nouit nos?

Cui Iudas, Quid respondebimus?] Deprehẽsi in crimine inficiatione relicta ad deprecationem cõuertuntur, qua iudicem ad misericordiam flectant, ad quam rem apta fuit deplorabunda exclamatio.

At quid iustè poterimus obtendere?] deprehenso apud nos furto.

Deus inuenit iniquitatem.) iustus scelerũ uindex. Phrasi Hebraica inuenire crimen, pro deprehẽdere noxam, aut nãcisci occasionem de sceleratis pœnas expetendi. Hic prior usus tentationis ostenditur,

Et omnes sumus domini mei.) Seruos se agnoscunt esse eius, quem ne dominũ haberent, in seruitutem uendiderant: quæ demissio apta erat ad flectendum ad misericordiam iudicem. ideo sequitur:

Oro Domine audi me.] Oratio Iudæ παθητική. In exordio captat beneuolentiam, cum orat ut placidè audiatur.

Tu es enim post Pharaonem Dñs meus.) Comparatio apposita ad conciliandum fauorem. Magnitudine Iosephi agnita ad salutem comparandam uia munitur. Hucusq; prouexit eos tentatio. Et qui magnitudinem illius, qui de se dicit: Ego & pater unum sumus: Item, Quæcunq; pater habet, mea sunt, non agnouerint, uera salute spoliantur.

Interrogasti prius seruos tuos.] Narratio.

Est nobis pater senex & puer paruulus.) Hæc commemoratio motu non caruit, infirmorum enim natura miseremur.

Pater uerò tenerè diligit.] ut unicum ex Rachele dilecta filium.

Vos scitis quod duos filios.] Nec hoc sine affectu audire potuit.

Bestia deuorauit eum.] τραγῳδος tragicum.

Si tuleritis istum.] A periculo commouet.

Deducetis canos meos cum mœrore.] quos exhilarare, non mœrore cõficere conueniebat, quod solent facere boni & sapientes liberi. Hinc illud: Filius sapiens lætitia afficit parentes.

Cum animo illius ex huius animo dependeat.] Ratio periculi.

Ego propriè seruus tuus sim.] Iure sponsionis fidei in Iuda præclarum in parentem & fratrem Beniaminem exemplum, quod, ut sequitur, mirificè affecit Iosephum. Quam etiam fidem ut exploraret, hanc nouam tentationem parauit Iosephus, ex qua cognosceret, quomodo in Beniaminem fratrem fratres affecti essent.

IN CAPVT XLV.

NOn se poterat ultrà cohibere.) satis iam tentatis & conturbatis fratribus.

Et nullus interesse alienus agnitioni mutuæ.] Remoto typo legimus apud Ioannem: Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: Psalmus: Narraui nomen tuum fratribus. Nomen uidelicet misericordiæ & clementiæ.

Nimio terrore perterriti.) quem incusserat tũ conscientia sceleris, tum stupor de adhuc superstite fratre, quem periisse putauerant.

Accedite, inquit, ad me.) qui conturbati estis. grauatos conscientia peccati, cõsolari incipit. De altero legimus: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego resocillabo uos.

Ego sum, ait, Iosephus frater uester.) non alienus. A cognatione. Hunc usum intellexit etiam ille apud uatem Græcum:

τὸ συγγενὲς γὰρ ἄνθρωπος, οὔ τε τοῖς ἄλλοισι
ὅσῳ ἔστιν ἀδελφὸν ἥμερόν τε εἶναι φίλον.

Noster quoq; cœlestis Iosephus Messias, se nobis ut frater insinuat, propinquitatem declarans, quam non natura sed spiritus diuinus cõciliat, cum ait: Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascẽdo ad patrẽ meũ & ad patrẽ uestrum. Hanc necessitudinem sentiũt, qui partem in regeneratione habent.

Quem uos uendidistis.] Commemorat uẽditionis crimen, ut sit consolationi locus.

Nolite pauere.] Conscientiæ onus de crimine leuat.

Pro salute enim uestra.) non malo uestro. Argumentum deponendi pauoris sumit, à benigno Dei consilio quo permissum sit, ut illi obstringerent se proditionis scelere non suo ipsorum malo, sed bono, ut hoc modo Deus bonitatem suam copiosè declararet. præclarè igitur Apostolus: Conclusit Deus omnes sub diffidentiã, ut omnium misereretur. Duo munera quibus regumtur ij, qui de Dei familia sunt, hic indicantur: alterum lege cernitur, alterum Euangelio. Legis, est ostendere peccatum, & de eo terrere ac conturbare: Euangelij autem, perturbatos de agnito delicto consolari, & medicinam condonationis noxæ afferre. Vtrumq; munus hic significatur. alterũ in illo, Quẽ uos uendidistis. Item: Et pauore perterriti sunt. Alterũ cũ dicit: Accedite. Itẽ: nolite pauere.

Misit me.] Indicat uocationẽ suã salutarẽ Iosephus. Alter apud Ioannẽ his uerbis suã prædicat: De cœlo descendi, ut faciã non quod ego uolo, sed quod uult is qui misit me. Hæc est aũt uolũtas eius, q misit me patris, ne quid perdã ex omnib. quæ dedit mihi.

Ante uos.) tanquam ducem expediendæ salu-

tis uestræ. ueritas in eo de quo Micheas propheta: Præit rex eorum.

Biennium enim est quod cœpit fames.) Exponit grauitatem annonæ imminentis, quo maior prosita salus appareat.

Vt reseruemini super terram.] Ne irritum fiat promissum illud, Eritq; semen tuum quasi puluis terræ: repetit argumentum de deponendo mœrore, quod suprà à prouidentia Dei & ab usu uocationis suæ in Aegyptum duxerat.

Non uestro consilio.] Non tribuit peccato ipsorum, quòd uenerit in Aegyptum, sed Dei consilio et curæ. Qui præclarus consolationis locus est, quo docemur Dominũ suorũ crimine ipsorum bono uti, qui in peccato iusticiã, in ira gratiam, in ignominia crucis gloriam, in morte uitã suis moliatur. Vnde agnoscimus etiam peccatorum quæ ascripti in fœdus Dei admittunt, finem non esse calamitatem ac miseriam, sed bonitatem Dei. Hinc illud apud Ioannem de cæco: Neq; is peccauit, neq; parentes eius, sed ut manifestentur opera eius in illo. Quæ crucis mysteria in hac historia deumbrari diuinæ sapiẽtiæ placuit. Atque is locus de crucis arcano consilio annotandus est. Nã ex hoc primò intelligimus, omnia siue bona, siue mala, cadere in necessitatẽ ineuitabilẽ decreto rũ prouidẽtiæ diuinæ, cui cũcta in nobis cõsilia, uolũtas, conatus, studia subiecta sunt, sed ita ut in his decretis Deus suæ bonitatis & sapientiæ opes ostẽdat erga suos electos, destinatosq; ad uitam. Sic enim legimus hic: Præmisitq; me Deus ut conseruemini super terram. Præmissus autem is est sub uenditione qua illum fratres uenderunt: & ea usus is est Deus in salutem corũ à quibus uenditus fuit. Postremò accipimus non ideo quacquã præuideri à Deo quia euenturum sit: sed quia præuisum sit, euenire. Hic nanque cernimus in præscientiam Dei, & prouisam salutem, et ea quæ ad illam expediendam conferebãt, cadere, ut erat uocatio Iosephi sub uẽditione eius in Aegyptũ. At uerò hæc necessitas ineuitabilis cõsilij Dei nequaquã propterea uim attulerit uoluntati fratrum, ut cogerentur uendere quem sua sponte & uoluntate uendebant. Itaq; necessitas hic ineluctabilis consilij Dei, non coactionis uoluntatis humanæ accipitur. Sed hac de re infrà in Exodo.

Qui fecit me quasi patrem.) Deo acceptum refert hanc gloriam suam. Nos legimus de nostro: Data est mihi omnis potestas à patre Deo uidelicet, de quo in Ioanne: Quod omnia quæcunq; dedisti mihi, à te sunt. Tria nomina leguntur hic tributa Iosephò: Pater, Dominus, princeps. De altero Iosepho Iesaias his uerbis dicit: Factus est principatus super humerũ eius, & uocabitur nomen eius, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis.

Ac principẽ in omni terra Aegypti.) post uarias, quas perpessus sum calamitates, post quas etiã iam tantam gloriã adeptus se cognoscendũ præbuit fratribus, & eis salutis rationes aperuit. Nos legimus de Christo apud Lucam: Et sic oportebat Christũ pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari nomine eius pœnitentiã & remissionem peccatorum in omnes gentes.

Hæc mandat filius tuus Ioseph.] Amãdat fratres cum mandato, quod continet orationem ex deliberatiuo genere.

Filius tuus.] Ad mouendum adhibetur amabile nomen filij, qui uelit iuuare. à uoluntate.

Deus fecit me.] Ne putaret temerè id factum.

Dominum.] qui possit iuuare. A facultate.

Descẽde ad me.] Suprà legiũ, Ascẽdite. Respicit ad situm terræ Cananææ & Aegypti, sed αναγωγως.

Ne moreris.) Tropus in standi uerbo תעבר recte redditus. Similiter Chald. תתעברי. desiderium uidendi patris et prõptitudo eius iuuãdi exprimitur.

Et habitabis in terra Iessen.] In optima terra. Infrà enim: In optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Gessen.

Erisq; iuxta me.] non transferendus in remotã Aegypti oram. Gossen igitur uicina fuit regiæ sedi.

Ibiq; te pascam.] Ab utili.

Adhuc enim quinq; anni residui.] Exponit periculum famis.

En oculi uestri.) Eximit dubitationem, allato oculorum & sermonis iudicio, ex quo cognoscerent hunc ipsum Iosephum esse qui agnoscendum se præbuisset. Simili signo sensuum in iudicãdo se utitur noster: Contrectate me, & uidete.

Quod os meum.) Hebraicè uobiscum loquens sine interprete.

Nunciate patri.] Conclusio orationis: Renuncietis igitur, &c.

Auditum est & celebri sermone iactatum.) Tale sonat in loco Hebræis suum רזל fama, rumor, sermo, audita uox, pro increbuit fama.

Et gauisus est Pharao.] Hoc mysticum gaudium est de agnitis fratribus Iosephi. ueritas in illo de quo Iesaias: Et scietur in gentibus semen ipsorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui uiderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.

Et tollite inde patrem uestrum.) Deposito uelo mystico, quali studio gentes Israeliticas prosecuturæ sint tempore reconciliationis, hoc loco significatur. Notam mysticam explicat propheta: Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas in humeris portabunt. Gratulationis de reditu Israelitarum in gratiam Christi & communionis euangelij studium præfiguratur.

Omnia bona Aegypti.] Idem propheta: Et suges lac gentium. Dona spiritus Euangelij gentes & Israelitas inter se communicaturos.

Vt comedatis medullam terræ.) Tropum חלב Chaldæus טובא, significata optima & uberrima Aegypti parte. Exemplum beneficentiæ regiæ. Vic typus, res in illa bonitate, de qua illud: Et eruntreges nutritij tui.

Et

Et omnes opes Aegypti.)Terræ Gosenis. Remoto typo nos legimus: Omnia subiecit pedib. eius: in Christo filios Iacobi supernè renatos spiritu Dei, dominos fore mũdi. Vaticinatur inscius de se quod antea Abrahamo promissum fuerat: Et egredientur cum magnis opibus.

Binas stolas.) אלברות. non unius generis, sed dissimiles uestes quas mutarent, et ut minimũ binas singulis dedit: excepto Beniamine, qui donatus est quinque, ut suprà quoq; quinq; partibus fratres superasse legitur. Reducto uelo is est uestitus, quo induta ecclesia familiæ Iacobææ in dieb. recõciliationis gaudebit. De quo propheta: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me uestimentis salutis, & indumentis iustitiæ circundedit me.

Tantundem pecuniæ & uestiũ mittens.) Interpretes בואת referunt ad asinorum & asinarum, qui sequitur numerum. sed tolerabilis est interpretis nostri paraphrasis.

Ne irascamini in uia.] expostulantes inter uos tumultuanter de uendi tionis crimine. Pacem fratribus suis mandat, quam & noster suis commendat: Pacem relinquo uobis.

Tamen non credidit eis.] Exanimatum præstupore eis fidem non habuisse, qui nondum cognitum haberet consilium Dei de familia sua transferenda hac ratione in Aegyptum, ut prædixerat antea Abrahamo.

Reuixit spiritus eius.] Id est, recreatus est, ac collegit se. post diuturnum luctum ut rejciat filium superstitem esse. Chaldæus interpres accipit de spiritu sancto qui refocillari cœperit: Iacobus audito q. uiueret adhuc Ioseph us רשרח רוח קרשא על יעקרם. quod huius proprium munus sit exhilarare sanctorũ animos, & consolatione perturbatos reficere, cuius etiam cum lætitia prophetandi domum rediit, ut se quitur.

IN CAPVT XLVI.

PRofectusq; est Israel.) ut tandem impleretur oraculum illud, quod ad Abrahamum iam pridem denunciatum fuit: Scito quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua. Ad quod oraculum implendum usus est Dominus præsenti annonæ caritate & filij superstitis uidendi, quo tenebatur Iacobus, desiderio. Hæc est constantia consiliorũ Dei, & sapientia in his expediendis, dũ omnia prouidenter procurat, quæ etiam temerè casuq; fieri uideantur ad exitum suorum decretorum, ut erat uenditio Ioseph, falsa libidinosæ mulieris crimina, carcer, liberatio, oblata uisa cœlitus, & eorum exponẽdorum scientia, euectio ad regiam amplitudinem, fames, fratrum uaria tentatio, cõsolatio, munera. Quæ consideratio commendat nobis prouidentiam diuinam & eius opera, quæ nihil fortuitò permittat euenire: & ad patientiam nos hortatur, ut unà cum Iacobo spe contra spem sperantes cogitemus, non aliter nobis salutem quàm uarijs tentationib. conficiendam sub ea necessitate de qua illud: Oportet per multas afflictiones ingredi in regnum Dei. Vtriusq; igitur prouidentiæ Dei & crucis rationem ex his quæ iam exposita sunt cognoscere licet. Diuinam prouidentiam esse æternam in mente Dei res ipsas condẽdi, & cõditas administrandi ad amplificationem nominis sui & ad piorũ usum, rationẽ esse. Crucem autem esse afflictionem peccati occasione importatã, qua electi suo bono deijciantur, & dejecti erigantur ad sentiendas clementiæ & gloriæ diuinæ opes in cœlo sub mysterio crucis scriptis in libro uitæ hæreditibus repositas.

Cum omnibus quæ habebat.] cum familia et copijs, sed non sine pugna fidei quam afferebat promissio hæc: Terrã in qua dormis tibi dabo. In hac cũuersaretur tentatione, ad orationem & sacrificia cõtulit se Iacobus. de quibus mox.

Ad puteum iuramenti.] Qui illustris fons erat, multarum rerum ibi relictis monumentis: clarus nimirum ipsa Hagare, quæ ad eum locum Ismaelem filium exposuit: clarus fœdere Abrahami cum Abimelecho icto: nobilis quoq; ara Dei ad eundem locum ab Abrahamo extructa, in quo etiam cum filio suo Isaaco habitauit.

Mactatis ibi uictimis.] partim gratias acturus de superstitis filij Ioseph læto nuncio: partim deprecaturus Deum, qui familiæ suæ apud Aegyptios peregrè uersturæ protector esse uellet, recordatus promissionis quam sæpe ostendisset de possidẽda terra Chananæa à progenie sua pro hæreditate. Cui sic oranti Deus in uiso quod sequitur, se repræsentauit.

Audiuit eñ per uisionem.) Exponitur uisum plenum consolatione, quo iubetur Iacobus in Aegyptum descendere cum copijs suis, & de ea profectione quæ uidebatur, cum promissione terræ Cananææ contendere, consternatum Iacobum consolatur.

Iacob Iacob.] Geminatio hæc Dei blandè colloquentis erat, ut illa, Abrahame Abrahame: uel sedulò hortantis ad iter maturè suscipiendum.

Ecce adsum.) Prompti ad obsequia Dei uox est, quam fides exprimebat.

Ego sum fortissimus Deus.] A facultate. Iacobum duo grauabant in hac profectione in Aegyptũ unum, quòd seni descendendum esset in Aegyptum destinatam seruituti suæ familiæ: alterum, quòd sepulchro parentum esset priuandus. De utroq; consolatur eum Dominus.

Patris tui Isaac.] quem sæpe in maximis periculis adiuui.

Noli timere.) ope mea à te stante.

Quia in gentem magnã faciam te tibi.) Stans promisso de propaganda & augenda progenie: Semen tuum erit sicut pulus terræ. Hebraismus est ponere in gentem magnam, propagare ac augere in gentem magnam. Suprà capite decimoquinto redditur ratio, cur nõ statim Amorræi exterminari potuerint receptis Hebræis: Nec dũ enim impletæ sunt iniquitates Amorræorum usq; ad hoc tempus.

Ego

Ego descendam tecum.] *Protectionis phrasis est ὠθρωποπάθως enũciata, qua corroborat sancti patris fidem. Magna consolatio est,* Deum *cum suis domi foris q;, in secundis & aduersis rebus, familiariter uersari & eis adesse. quæ sanè promissio Iacobo indicata, ad omnes sanctos pertinet.*

Et ego inde adducam.) *sepeliendum in terra Cananæa, et tandem etiam posteros tuos reuocabo: sed non prius, quàm decursa sit quarta ætas, de qua Abrahamum admonui: Generatione autem quarta reuertentur huc.*

Ioseph quoque ponet manus super oculos tuos.] *Hos clausurus tibi morienti, quem superstitẽ ibi relinques. Morientibus oculos solitos claudi, indicat etiam Græcus Poeta:*

ἀ δειλ' ἄμερ σοίγε πατὴρ ἠδὲ πότνια μήτηρ,
ὄσσε λιαζομένοισι θοῷ ἐπιθεμένη χερί.

Quàm Deus amanter suos foueat, hæc blanda & suauis consolatio familiariter colloquentis cum Iacobo indicat.

Surrexit Iacob à puteo iuramenti.] *Iam admonitus & certior factus à Deo.* ἀναβάσει *ad θέσιν, hoc est infinita quæstione ad propositum reuocata, locus communis de abnegatione sui constituitur, nihil te merè sine uerbo Dei tentandum sanctis.*

Fuere septuaginta.] *Si adnumeres sexaginta sex, qui numerus paulo suprà legitur, Iacobum & Iosephum cum duobus filijs ei in Aegypto natis, constabit summa 70. capitum. Græci interpretes habent, Septuagintaquinq;: quos sequitur Lucas in Actis. Sunt qui per anticipationẽ quinq; filios Iosephi qui tum nondum nati erant, iam memorato numero additos à Græcis uolunt. Nec mirum, Lucam citasse Græcorum testimonium, quorum trãslatio tum uulgo recepta esset.*

Hęc sunt autem nomina filiorum Israel.) *Operæ ac serui non numerantur, qui in hæredibus nõ habentur. Describuntur qui sanctis tribubus nomen erant indituri, & ex quorum progenie Christus erat nascendus. Pauci recẽsentur hic qui cum patre Iacobo uenerint in Aegyptum: quo maior admiratio existeret eius sobolis quæ egressura erat, quæ complexa est sexies centena milia.*

Quia detestantur Aegyptij omnes.) *Soboles Abrahami benedicta in Semo oues innoxiũ animãs curæ habet. improbi Chami proles Mizraim oues et earũ pastores aspernatur. Quas autem oues & quem pastorem, pastores ouium repræsentẽt, notum est ex illo: Oues uocem meam audiunt: item, Ego sum pastor bonus. Literis proditur, Aegyptijs nullam pecudem fas fuisse immolare præter sues, boues, uitulos & anseres. Ab agnis ergo in sacrificando abhorruerunt, quos Hebræi immolantes colucrunt eum agnum: de quo illud: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.*

IN CAPVT XLVII.

EXtremos quoq; fratrum suorum.) *Hebraismus, pro quosdam ex fratribus. Itaq; Græci pro* מיצה ἀπὸ δὲ τῶν ἀδελφῶν αὐτ. *Alij nertunt de postremis, hoc est ignobilioribus, alij de nobilioribus. Nam* מיצה *utrumq; sonat & abiectiores & præstantiores. præstantiores etiam in uoce illa notari, indicat illud in Iudicum libro capite decimo octauo* שלח בני דן מבשפחתם חברשה אנשים מיצרעתם בני חיל *ubi non abiectissimos, sed præstantes milites missos uolunt.*

Quid habetis operis?] *Opus apud Hebræos pro conditione ac uitæ genere. Quæ conditio uestra?*

Pastores ouium sumus.] *Vitæ genus nonnunquam confiteri, quod sequi Aegyptij dedignabantur. paulò suprà enim legitur: Quia detestantur Aegyptij omnes pastores ouium. Quæ ueri confessio in sancto populo laude digna est: & regi, qui amaret Iosephum ob ueritatis & integritatis studium, dissiliere non potuit. Animantis maximè innoxij pastores se uocant, ex quibus nascẽdus erat is qui de se dicit, Ego pastor sum ouium. In balantibus hæc commendantur. primò, quod maximũ usum afferunt, in quo caro, lana, lac, casei, nerui, fimus, hoc est omnia in hoc animante utilia habentur, ut nõ frustra filij Dei omnibus comparentur, & ad dextram cœlestis iudicis collocentur: Et statuet oues à dextris suis. Deinde laudantur oues ab innocentia & tranquillitate quæ nemini nocent, nobis repræsentantes eas oues quas pastor Messias his uerbis commendat: Beati pacifici. Traduntur item eam agri partem in qua balantes pedem ponũt fœcundam graminis redai. Qui pedes quos salutares nobis pedes referant, declarat illud: Quàm speciosi pedes annunciantium pacem. Postremò feruntur oues cum pluit, ningit, grandinat, immotas stare, cœli tempestatem patienter ferentes. Tales sunt oues crucis iugum æquè tolerantes quas pastor ille bonus regit, de quo uates: Et os non aperuit. Itaque mirum non est patriarchas Abrahamũ, Isaacum, Iacobum, Mosem, Dauidem, pastores ouium fuisse, Aegyptios autem ab hoc genere uitæ tantopere abhorruisse. Quod enim mundo cum Messia, et filijs mundi cum filijs Dei commercium fuerit?*

Seruitus.] *Agnoscunt se seruos, qui domini omnium erant constituti. Hæc est conditio sanctorum in hoc seculo, quæ familiæ Iacobi erat ferenda ad tempus ex decreto illo: Et subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. In qua seruitute formæ crucis adumbrantur, quæ prius suscipienda sint nobis, quàm gloriam cœlestis regni cum Christo esse quamur. Itaq; Apostolus: Siquidem simul cum eo patimur, ut una cum illo glorificemur.*

Patres nostri.) *non nouum esse hoc ipsorum uitæ institutum, sed quod à maioribus uelut per manus receperint.*

Ad peregrinandum in terra tua.) *Exponit propositum suum. Remoue uelum mysticæ peregrinationis. Apostolus: Quandiu sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Aegyptus declinatis cuius typum præferat, notum. Itaq; descendere & descendere uerba non temerè mutanda fuerint.*

Quo-

Quoniam non est herba.] Ratio mutati soli ad commouendum apta exponitur. Miserorum porrò & eorum qui egestate laborant, natura miserescimus. Non dicunt se ut magni reddantur & copiosi beneficio Iosephi, sed leuandæ penuriæ gratia, qui in Chananæa pastionem pecoribus non haberent, in Aegyptum fertilem terram uenisse. At hæc ut dicerent coram Pharaone, edocti fuere à Iosepho. Veluti suprà legimus: Cumq; uocauerit uos, & dixerit, Quod est opus uestrum? essi ondebitis, Viri pastores sumus serui tui, &c. Deposito uelo, occurret doctor Christus, cuius spiritus omnia monet quæ dicenda & agenda sint. De quo Ioannes: Sed uos unctionem habetis à sancto illo, & nostis omnia. Quæstio hic est, quomodo in Aegypto tanta laborante fame Iacobæis pastoribus pastio inuenta sit, cum legãtur Aegyptij his uerbis conquesti: Desunt pascua pecoribus seruorũ tuorũ? Hic soluitur nodus ex responso regis: In cõspectu tuo est Aegyptia terra. Eos tu in optimo tractu colloca. Igitur Aegyptus cum sui dissimilis esset, alia in illa loca alijs fertiliora fuerunt. Non est autem obscurũ, agros Nilo uicinos propter restagnationem fœcundissimos fuisse.

Terra Aegypti in conspectu tuo est.] Hebraismus, In potestate tua est ut liberũ sit tibi, quãcũq; partẽ in ea deligere, quam tuis assignes. De hoc iure suprà: Tu eris super domum meam, & tuo imperio cunctus populus obediet.

Terram Iessen.) Hanc nonnulli putant esse Thebaidem, claram Thebis, urbe opibus, literarũ & phi losophiæ gloria, monumentis ueterum regũ illustri. de qua Græcus uates:

ἀλλ' ὅσα βύβλος
ἐλυσπίδας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐνὶ λυτήματα λεῖται.

Peregrinationis meæ.] Qui peregrinatus fuerat in Mesopotamia apud Labanem, & in Cananæa ut infesta sibi gente uerius exul degit quàm ciuis. Ad hæc significauit sanctus uir, hanc nostram uitam uerè esse exiliũ & peregrinationem à cœlesti patria. De qua Apostolus: Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Quò pertinet Adami ex paradiso expulsio.

Parui & mali.) מעט deuinctæ quantitatis est. Paucos hos dies & malos satis declarãt uariæ quas Iacobus tulit ærumnæ. Exitiale fratris Esai odium: sub Libane durissima uiginti annorum, quam seruiut in Mesopotamia, seruitus: Dinæ opprobriũ, Chananæorum ob Sichemitarũ sæuam ultionem motus, à Rubene Bilhæ illatũ stuprũ, Iosephi uenditio grauissima: annonæ qua laborauit cum familia sua, caritus, & demũ hæc seni suscepta peregrinatio. Hæc est sors sanctorum, ut paucis & issdem malis annis uiuant, dum his perpetuò aduersus mundum, carnem, & satanam, imò & cum angelis & Deo nomunquam luctandum est. De qua militia plena ærumnis & calamitatibus Iobus: Militia est uita hominis super terram.

Patrum meorum.] Nam Abrahamus uixit centum septuaginta quinq;, Isaacus centum octoginta, Iacobus uerò centum quadraginta septem annos.

Sustentauitq; eos.) Similiter Chaldæus pro ריבחלם reddit רדב צרך id est uictũ præbuit, & Græci, ἐδόξασεν. Metaphora sumpta in Hebræo uerbo à pastoribus oues suas ad pascua deducentibus. Aptus typus in Iosepho eius ostenditur qui de se dicit: Ego sum ostium, per me si quis introierit, seruabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Iosephus igitur ut in Aegypto Iacobæos et Aegyptios inter se consociatos, ne penuria perirent, conseruauit: ita alter ille cœlestis cœlesti pane gentes & Israelitas diruta legis macerie inter se cõiunctos alit atq; nutrit. De quo mysterio his uerbis Apostolus in epistola ad Ephesios: Legem mandatorum in decretis sitam abrogans, ut duos conderet in semetipso in unum nouum hominem, faciens pacem, & ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem.

Venerunt ergo anno secundo.] Apparet hunc annum secundum supputandum esse ab eo tempore, quo defecit pecunia.

Quod absq; corporibus & terra nihil habeamus.] Omnia uenium in potestatem Iosephi, pecuniæ, pecora, corpora, agri, antequàm sentiunt Aegyptij in extrema necessitate beneficium præclarũ Iosephi. Depositi uelo legimus quod is dicat quem Iosephus adumbrat: Abi, quæcunq; habes, uende. Locus mysticus de abnegatione sui.

Cur ergo morimur.] Ad mouendum appositæ querelæ.

Te uidente.] Qui qua es potentia, possis nos iuuare: & qua clementia, ægrè sustineas nos perire, quem agnoscimus præfectum Aegyptijs, quos conserues, in tanta rerum omnium egestate & angustia non perire sinas.

Et cunctos populos eius à nouissimis.) Interpres deceptus similitudine literarum ר & ד pro העביר quod est trãstulit, legit העביד id est seruituti subiecit. In quo imitatus est Græcos, qui habent διατε θλωσατο.

A nouissimis terminis Aegypti usq; ad extremos fines eius.) Hebraismus. Latinè dicitur: Quàm longè lateq; patet Aegyptus.

Præter terram sacerdotum.) Locus memorabilis de sacerdotum Aegyptiorum immunitate. Videas de horum uictu apud historicos.

Statuta cibaria.) חק dimensum à Pharaone assignatum ac descriptum. Sacerdotium immune erat sub Iosepho. Eadem immunitate sacerdotium Mosaicum donatum est. Præluditur quadam pictura immunitati sacerdotij de quo Petrus: Vos estis regale sacerdotium.

Quinta pars regi dabitur.) Fructuũ iam reddi tis agris, qui uenditi fuerant. Non leguntur decimas pendisse, sed quintas, q eas de agris, q regij iuris essent, penderent. eos enim suprà uendidisse legũtur.

Salus nostra in manu tua est.] De nostro Iosepho illud: Nec est aliud nomen sub cœlo datum inter

homines, in quo oporteat saluos nos fieri. Heb. Viuificasti nos, pro conseruasti nos: opponitur illi, Cur ergo morimur?

Et erimus serui.] Salutaris demissionis exemplum. Nõ antè conseruati sunt Aegyptij à Ioseph, quàm serui facti. De nostro Ioseph submoto typo legimus: Dominus humilia respicit.

Auctus est & multiplicatus.) ut impleretur illud: Quia in gentem magnam faciam te.

Sub femore meo.) Duo indicabantur hoc ritu iurisiurandi: unum est, indicatio potestatis quam habent parentes in liberos: alterum, significatio Christi è femore Iacobi nascendi, per quem iuramentum omne firmum ac ratũ redditur. uelut etiam promissiones, ut est apud Apostolum: Quotquot enim sunt promissiones Dei, per ipsum sunt etiam, et per ipsum amen, Deo ad gloriam per nos. Qua de re etiam suprà admonuimus.

Adorauit Israel Dominũ.] Duo Iacobus in hac oratione præ se tulit: Alterum, gratitudo animi est, qua gratias agit Deo de beneficio iam indicato de se in sepulchro parentum sepeliendo. Sic etiã de Dauide legitur, quomodo iam obiturus in lecto decũbens adorarit, hoc est gratias egerit Deo propter Salomonẽ in regem creatum: Benedictus Deus Israel, qui dedit hodie, &c. Alterũ est significatio honoris quem habebat Deo propter religionẽ iurisiurãdi à Ioseph facti, in quo quoniam Dei cõtestatio fiebat, uenerabundus acclinasse ad puteum lecti intelligitur. Itaq; ad hanc sententiam explicandam noster interpres de suo assuit Dominum. In Hebræo enim solum scribitur וישתחוו ישראל. Hanc sententiam qui probant, Iacobũ adorasse Deum, hoc est uenerabundum laudasse eius beneficium & iusiurandum reuerentia prosequutum dicũt, שבחו pro ישתחו usurpato. Sunt qui demisso capite honorem filio tribuisse ob dignitatem, qua florebat in Aegypto, uolunt. Sed prior sentẽtia receptior est. Cæterùm pro lecto Græci uirgam habent, mate pro mita lecto. Quæ uersio ut tũ uulgata citatur in epistol. ad Heb.

Sed dormiam cum patribus meis.] In uerbo וישכבתי quies notatur, in quam migrant, qui hinc emigrant pij, & resurrectionis spes. qui enim quieti somno se dant, in spe sunt se euigilaturos. Hæc igitur loquendi ratio in sacris literis pijs memorabilis est. Cõmendatur Cananæa à promissione diuina, ab oraculis in ea editis, & à sanctis uiris per quos illa edita sunt: denum longè maximè à Christo in ea nascendo, moriendo, & excitando à mortuis ad salutẽ mundi. Huc spectauit Iacobus in hac sua obtestatione, qua Iosephum obtestatur, ut se Hebrone patrum sepultura inclyta in Cananæa tumulandũ curet, nõ in profana Aegypto sepeliat. Huc ueteres illi Hebræorũ sapientes uiri spectantes, dixerunt non excitandos è mortuis ad uitam, qui in terra promissa sepulti non sint. Quod accipiendum esse uolunt de spe promissæ hæreditatis cœlestis, sub qua qui non quiescant, in resurrectione iustorum minimè habituros locum.

IN CAPVT XLVIII.

QVi assumptis duobus filijs.] quibus Iacobus in ius hæreditatis Cananææ ascriptis, felicia precaretur antequam moreretur. Iosephus igitur non contentus Aegyptiorum præsentibus opibus, quas sciret perpetuas non fore, ad opes et diuitias promissas à Deo maiorib. suis, quas cognosceret firmas fore, animũ adiecit. Qui mysticus locus admonet eius doctrinæ, quã tradit Apostolus his uerbis: Superna quærite, et nõ terrestria: quorũ typus in Aegypti decliuis opibus præformatur, ut cœlestia bona in Cananæa in edito loco sita adumbrabantur.

Deus omnipotens.) Narratiuncula promissionis, quæ iam antea denunciata fuerat, qua parùm confirmat animum Iosephi de Aegypto olim deserenda, & terra Cananæa occupanda à posteris suis, partim occasionẽ quærit felicia precandi filijs illius.

Ego te augebo.) Exponitur summa benedictionis, subiectis partibus.

Duo ergo filij tui.) Accommodat narratiunculam ad benedictionem Ephraim & Manassæ.

Antequam huc uenirem.) עד pro לפני. rectè igitur interpres. Similiter Græci πρὸ τοῦ με ἐλθεῖν.

Mei erunt.) hæreditatem cum cæteris meis filijs aduturi: duabus tribubus nomina uidelicet daturi, altera Manassensi, altera Ephraimensi appellanda.

Sicut Ruben & Simeon.] Horum meminit ut maiorum natu.

Tulerunt.] nullis ab his inter filios meos nuncupandis tribubus.

Et nomine fratrum suorum uocabuntur.) in hæreditate Manassæ & Ephraim tenebunt possessionem, & eorum nominibus censebuntur.

Mortua est Rachel.) Narratiuncula de obitu Rachelis charæ uxoris, qua per occupationem excusat se cur non prope Rachelem, sed maiores suos sepeliri uelit.

Bethlehẽ.] in qua Christus erat nascẽdus. Hæc igitur & sepulchro Rachelis, & natiuitate Christi clara fuit, non sine mystica nota.

Præ senectute.] Quæ ut de benedictione diuina fuit, ita oculi cæcutientes uitio non dabantur, dum oculi animi fidei luce in alterum usq; seculum splendente, illustrati uigerent.

De gremio patris.) qui complexus illos sederet super lectum.

Ad dexteram suam, ad sinistram Israel.) ut quisque staret è regione patris.

Manassem uerò in sinistra sua, ad dextrã scilicet patris.) ut cui tanquam primogenito primũ beneprecari patrem cuperet: sed quem in secum iudicij diuini spes frustrata sit, ut sequitur.

Qui extendit manum dextram.) Minor natu ante maiorem faustam precationem sortitur, ut suprà Iacobus ante Esaum: & contempto Caino, Abel in gratiam receptus fuit: ut cognoscerentur, Deo cõtempta et infirma placere: ut contrà mundus magna & splendida suspicit, & in honore habet. Itaq;

Do-

Dominus apud prophetam: Non enim cogitationes meæ, cogitationes uestræ sunt: neq; uiæ meæ, uiæ uestræ, dicit Dominus.

Commutans manus.] Deo arbitro & moderatore. Hebræus indicat prudenter patrem Iacobum manum dextram uniori accommodasse, & sinistrã grandiori natu, ut qui ita edoctus esset à Deo, & simile iudicium antea in se expertus fuisset. De quo supra: Maior seruiet minori.

Benedixitq; Iacob Ioseph.) precatus ei duplicem portionem hæreditatis, ut primogenito ex Rachele, iure primogenituræ spoliando Rubene. Nam duæ tribus Iosepho assignatæ sunt per Manassem et Ephraimum ex lege illa, de qua Moses meminit in Deuteronomio: Sed filium inuisæ agnoscet primogenitum, dabitq; de his quæ habuerit cuncta duplicia: hoc est, duplicem hæreditatis partem.

Benedixitq; Deus.] Formula benedictionis, quã fides sancto uiro dictauit. iuxta illud: Per fidem Iacob moriens filijs Ioseph benedixit.

In cuius conspectu.] per fidem & eius studia, quæ in obsequio uerbi Dei & charitate cernuntur.

Ambulauerunt.] Chaldæus פלחן coluerunt.

Deus qui pascit me.] רעה pascere pro regere & gubernare: Qui rexit me, & conseruauit uerbo suo. Nota metaphora, qua significatur gubernator, & rector sanctorum qui de se dicit: Ego sum pastor bonus, qui est Messias benedictus. de quo sequitur:

Angelus qui eruit me.] Christus qui sub angelorum corporata specie adumbratus suis apparuit in uetere fœdere. Qui cum sit hodie et heri, redemptor ille angelus est & sospitator, fœderisq; sacri arbiter, de quo Malach. propheta: Et angelus fœderis, quẽ uos expetitis. Igitur in hac precationis formula monemur beatitatem, quæ promittitur electis, liberali clementiæ & bonitati Dei per liberatorem angelũ Christum Iesum tribuendam esse, qui missus à patre solus cœlestium bonorum thesauros nobis aperiat, & in quo quotquot sunt promissiones firmæ sint per patrũ & piorum fidem, qua solũ Deo suus iusticiæ, ueritatis, sapientiæ, & bonitatis honos assignatur.

Et inuocetur super eos nomen meũ.) Ad uerbum: Et uocetur nomen meum in eis. Sẽtentia est, eos appellandos esse sobolem Abrahami, Isaaci & Iacobi: & in Iacobi liberorum numero non minus censendos, quàm Rubenem, Simeonem, Iudam & reliquos ex ipso natos filios. Cooptationis igitur in familiam phrasis est. Qua abusa nota hodie bestia falso probat diuos tempore rerum angustarum inuocandos esse. Nulla enim hic de inuocatione mentio fit, ut indicatum: sed de iure liberorũ hæreditario, quo ornentur posteri Iosephi. De quo etiam paulo suprà. Duo ergo filij tui, qui nati tibi sunt in Aegypto, antequam huc uenirem ad te, mei erunt.

Et crescant in multitudinem.] Numerosæ sobolis auctus uenustè indicatur in uerbo ירגדו, quod est piscium modo propagari in immensum.

Grauiter accepit.) inscius consilij diuini, de non seruanda lege communi primogenituræ. Qui suprà interpres secretorum Dei celebratur, hic ignorasse intelligitur quæ nouit pater Iacobus. Vnde cognoscimus sanctos multa fugere, nec plura patefieri eis q̃ gloriæ diuinæ & salutis ecclesiæ refert. Exemplo sunt genij etiã cœlestes, qui quotidie noua cognitione earum rerum quæ in terra electis accidunt, illustrantur, ut Apostolus in epist. ad Ephes. testatur.

Sed frater eius maior erit illo.] Amplitudinem Ephraimi declarat regnũ decem tribuum à Hieroboamo in Ephraimensem translatam ditionem. dignitas item eius tribus declaratur in Iosua duce Israelitarum, qui Ephraimensis fuit.

In te benedicetur Israel.] Noua benedictionis formula quæ sic habet: Qui bene precabuntur liberis suis Israelitæ, hoc modo bene precabuntur: Reddat te Deus instar Ephraim & Manasse felicem.

Erit Deus uobiscum.] in dura hac, quã seruituri erunt posteri tui, seruitute. de qua suprà his uerbis, Et subijcient eos seruituti, & affligent, &c.

Reducetq; uos.) finitis quadringentis annis, de quibus suprà cap. 15.

In terram patrum uestrorum.) his quidẽ promissam sed iure promissionis à uobis posteris illorum obtinendam.

Do tibi partem unam.] Interpres sequitur Paraphrastem Chaldæum, qui pro שכם reddit חולק. Et per prolepsim, hoc est anticipationem, id intelligendum esse de posteris Iosephi, qui profligatis Amorræis, sint possessionem unam supra fratres recepturi. Alij de Sichema urbe accipiunt à filijs expugnatam & direptam. In hac sententia sunt Græci, qui uertunt σικιμα. Sed quæras quomodo dixerit Iacobus se arcu & gladio cæpisse eam urbem, quã filij cæperãt illo inscio & incõsulto. Pater iure sib asscribit ea, quæ sub cura diuina melius exciderunt, quàm humana prudentia casura statuisset. Ideo quod legitur hic, Quã gladio & arcu meo comparaui: id non esse prædicantis suam fortitudinem, sed diuinam, quã suum arcum & gladiũ uocet. Sicut Dauid: Deũ suum scutum et cornua salutis alicubi appellat. Quod perpendens paraphrastes, pro gladio & arcu uertit בצלותי וברעותי hoc est oratione mea & deprecatione. Qua procul dubiè factum est, ut excidium Sichimorum Iacobum & eius liberos in summum discrimen apud Cananæas gentes non adduxerit, inter quas Amorræorum cum potentia florerent præ cæteris, hic meminisse Iacobum uolunt.

IN CAPVT XLIX.

VOcauit autem Iacob.] Prophetam hic agit Iacobus, qui oraculari spiritu præditus, præ nunciat ea quæ sint olim euentura posteris suis. Atque horũ duplex genus est: uno aduersæ, altero prosperæ res cominentur. Aduersæ Rubeni, Leui, & Simeoni, prosperæ reliquis liberis denunciantur. Res autem prosperæ quædam corporatæ sunt, quædam spirituales. Corporatæ in cœli & terræ clementia fœcũda sobolis gignendæ ui, ualetudine, robore, pul-

chritudine, ſpirituales in muneribus ſpiritus ſacri à Meßia tribuendis cernuntur. Legimus enim hic exponi oracula de Meßia, quẽ ſancti ut caput uniuerſæ pfectionis ſpiritualis ſuis cœleſtia diuinæ uitæ, ſapiẽtiæ, iuſticiæ et gloriæ dona cõmunicare agnoſcunt. De ſingulis ordine monebimus inter interpretandũ.

In diebus nouiſsimis.) אחרית הימים partim ea tempora quibus Iſrael terram Cananæam uſq; ad Meßiã occupauit, partim quæ à Meßia repræſẽtato in finẽ uſq; mũdi decurrũt, de quib. ſuis locis ex Moſe & prophetis meminerimus. Atq; hæc tempora in pphetis poſtrema & nouiſsima tẽpora nominãtur.

Congregamini & audite.) Exordium prophe ticæ narrationis, locum attentionis cõtinens, quam intendit facta repet.tio uerbi: שמעו.

Rubẽ primogenitus meus.) ex Lia. Narratio.

Tu fortitudo mea.] בחי uim ſonat. Notantur uires gignendi, quas primò in Rubene generando declararit.

Principium doloris mei.) Repetitur more linguæ eadẽ ſententia. Initiũ utilitatis meæ, id ſonat, אוני. Ideo Græci: λεὼ ἐγὼ πεπνῶ μαι. Primogeniti enim ſolent in ſacris literis nominari initium uiri lis roboris. Sicut infrà capite uicesimo primo Deuteronomij legimus: כי הוא ראשיתאני id eſt quoniã initium utilitatis eius eſt. Significat etiam uox און laborem, dolorẽ & uanitatem, quæ ſanctus patriarcha hic indicaſſe in robore ſuo uidetur. Quantum enim laborem & mœrorem cum uanitate coniunctũ afferant liberi parentibus, ſatis Iacobus in Rubene, Leui & Simeone & Ioſepho in Aegyptum uendito expertus eſt.

Prior in donis, maior in imperio.) Interpretum ſententia præſtantia ſacerdotalis dignitatis in יתר שאת et excellẽtia regiæ amplitudinis יתר עז indicatur, Rubenem dignum fuiſſe ſacerdotio & regno per primogenituram, niſi ſe hoc iure indignum ſcelere feciſſet. Paraphraſtes monet par fuiſſe ut Rubentres partes acciperet, primogenituram, ſacerdotium & regnum. In primogenitura comprehendunt duplicem hæreditatis partem, quæ danda ſit primogenitis. In ſacerdotio religionis procurationem, in regno imperiũ, cui reliqui fratres obtemperarent: ſed hanc dignitatem animi impotentia ac libidine ab illo amiſſam. Thargum Hieroſolymitanum eodẽ modo primogenituram Ioſepho, regnum Iudæ ſacerdotium Leui tributũ, his uerbis indicat: ראובן ברי איתית בת בכירות ליוסף ומלכותא ליהודה וכהנתא רבתא לשיבטא ללוי. Indicatur ſeuera hac reprehenſione primogenitura probitate retineri, improbitate perdi, & uerè ad Meßiã pertinere, de quo apud prophetam, Eo quòd ſcelus non fecerit, & dolus in eius ore non fuerit.

Effuſus es ſicut aqua.] Scita ſimilitudo qua explicatur cauſa amiſſæ primogenituræ, Rubenem libidine inſtar aquæ diffluxiſſe fractis legis diuinæ repagulis, ut cuius furorem neq; Dei cultus, neq; patris obſeruantia, neq; ullus erga fratres pudor cohibuerit. Ad hanc impotentis & effrenatæ libidinis rabiem uidetur reſpexiſſe Paraphraſtes in uerbo אפיר. Nonnulli מחוז leuitatem indicari uolunt, leuem Rubenem factum & uilem inſtar aquarum, quæ ut ad nullam rem utiles effunduntur, ad contemptum ea ſimilitudo uſurpatur, ut eſt apud uatem: Effuſus ſum ſicut aqua. confertur per contentionem ignobilis ſtatus Rubenis quem ſortiturus ſit, cũ regni ſplendore ac amplitudine, quam per innocentiã potuiſſet obtinere.

Quia aſcendiſti cubile patris tui.] ſtupro illato Balæ ancillæ Rachelis. Amplificatur ſcelus à perſona patris. Qui deformis hic filius erat, cum ſeruaſe cõmiſcuit. Qua in re declarauit ſeruile ſuum ingenium indignum regio ſacerdotio.

Et maculaſti ſtratum eius.] Alterũ עלה quod in Hebræo textu ponitur, & ab interprete omiſſum eſt: alij ut prius uertunt, Conſcendit ſicut Paraphraſtes: alij in hunc modum, Ab eo die, quo polluiſti lectum meum, is à me amotus eſt. hoc eſt uſu & poteſtate uxoris meæ Balæ à te cõſtupratæ priuatus ſum, עלה pro בסתלק uerſo.

Simeon & Leui fratres.] Fratres uocat ut ex una matre Lia natos, & conſcios cædis in Sichimitas factæ. Proxima fratres Rubeni ſuæ quoq; noxæ gra uiter reprehendunctur.

Vafa iniquitatis.] in חמס exprobratur uis & iniuria qua affecti Sichimitæ fuerunt.

Bellãtia.] Variè interpretãtur מכרתיהם. Alij machærã, alij ἐξ προαιρέσεως αὐτῶν hoc eſt ex animi greſſa deliberatione, ut Græci, qui uidentur reſpexiſſe ad illud, חכרית פגחם quod deciditur à גבר notæ ſignificationis uerbo. Alij in terra quam incolebant, ut paraphraſtes. Nã ut eſt apud Ezechielẽ מכרת eſt interdum מקום תתרשבת. Atq; audax illorum facinus à Iacobo patre augeri à uitæ genere quã peregrini eſſent, atq; ea in remoderationem Abrahami, Iſaaci, & ſuam, non ſecutos.

In conſilium eorum.) ſpirans per dolũ uim & cædem, à qua Deus abhorreat, æquitatis & iuſticiæ amans. Vir enim ſanguinarius et fraudulentus, quàm inuſus ſit Deo, declarat illud: Viri ſanguinarij & fraudulenti, ad medium ætatis ſuæ non peruenient.

Et in cœtu illorũ.) Vt ſolẽt in cõcilio iniri cõſilia, et ſentẽtiæ dici. Eadẽ ut fit in oraculis expondis ſentẽtia repetitur. Indicat ſuã gloriã et honorẽ, hoc eſt exiſtimationẽ & opinionẽ probitatis et dignitatis, ſe in corũ conſiliũ & ſocietatẽ nõ cõmiſſiurũ, quia noſſet illud: Beatus uir, qui in cõſilio impiorũ nõ uerſatur. Dicas, Cur igitur Leuitis ſacerdotiũ cõmiſſum fuit, quo ipſi fungẽtes Iſraelitis legẽ exponerent, & arcana Dei cõſilia explanarẽt, ut infrà Moſes inũcat: Docebunt iudicia tua Iacob, & legẽ tuã Iſrael. Quid autem hoc ipſum eſt aliud quàm Iacobi animum & honorem uerſari in cœtu Leuitico oraculis & lege Dei inclyto. Dũ ipſi ſuas cupiditates ſequũtur, eorũ cõſilijs ſe nõ interfuturũ dicit Iacobus, neq; eos impunè habituros, ut de impio Corę cœtu, qui de

de Leuitico genere fuit, constat, qui uindice Dei manu perijt, cum se Mosæ opponeret. Præmonentis igitur & castigantis scelera, non malè precantis uerba hæc Iacobi sunt. Apparet etiam prophetam Iacobum de sacerdotibus prædicere, quomodo hi occisuri essent prophetas, & demum Christum, de quo iam uaticinabitur.

Virum.] Hemorem & Sichimitas.

Et in uoluntate tua.] רצון *in malo usurpatur pro libidine.*

Effoderunt murum.) *Sunt nonnulli, qui præcipuos uiros & fortissimos Sichimitarũ interfectos hac locutione intelligunt, quòd* עקר *sit ea quæ præcipua sunt, perdere. ut neruos crurũ bouis, ne arare possint: equorum, ne sint apti ad uehendũ & equitandum. ut licet cernere in illo:* סוסיהם עקרו Nota etiam est translatio à muro sumpta: Dedite in murum æreũ. Sunt etiam qui pro שור reddunt taurum, intelligentes Iosephum, qui à Mose infrà pulchitudo tauri dicitur: eneruasse autem taurum hunc quando, uenden tes eum separarunt à patre. In hunc modum Thargum Hierosolymitanum: ורעיתחון זביני יסף אחחון דמיחיל לחוראי.

Maledictus furor eorum.] ארור *contraria uox est ipsi* ברוך. *uaticinatur eorum felicitati aliquid decessurũ propter impotentem furorem. Nam ut* ברכה *est incrementum bonorum, ita* ארורה *decrementũ. Non maledicuntur Simeon & Leui, sed furor eorum. Secus suprà de Caino legitur: Maledictus eris super terram. Secus item de serpente patre Cainorũ: Quia hæc fecisti, maledictus eris inter animantia. Hæ igitur fœderis leges sunt, ut scelera in fœdere cõiunctis cũ Deo condẽnentur, personis parcatur. Itaq; neq; Ruben, Simeon, & Leui sua carnere benedictione, tametsi Ruben propter peccata quæ commisit, primogenituræ ius non obtinuit. Infrà enim legimus in Deuteronomio his uerbis Mosem bene precantem Rubeni: Viuat Ruben, & non moriatur. Et de Leui: Benedic Domine fortitudini eius, & opera manuum illius susce pe, percute dorsa inimicorum eius: & qui oderint eum, nõ consurgant. & hic paulo infrà: Hæc locutus est pater suus, benedixitq; singulis benedictionibus proprijs.*

Diuidam eos in Iacob.] *Simeonis hæreditate inter progeniem Iehudæ dissipata, & Leui cum suis urbibus inter aliquas Israeliticas tribus dispersa.*

Iuda.] *In hoc oraculo duo perpendenda sunt: unũ est, externa regni quæ in Iudæa tribu extitit administratio, cuius dignitas maxima uiguit, regnantib. Dauide & Salomone: alterũ est Christi regnũ cœleste et spirituale, quod proponitur partim hic regno Iudæ adumbrandũ, partim submotis umbrisin orbe terrarũ excitandũ. de utrisq; partib. suis locis monebimus.*

Laudabunt te fratres tui.) *Typus in Dauidis regno. ueritas in eo de quo Psalmus: Laudate Dominũ omnes gentes. Demonstratio* אתה *non temerè, sed significanter in Hebræo addita est: Tu ille Iehuda es, quem uno ore celebrabunt reliquæ tribus à regia amplitudine, non Rubenem. Elegans paranomasia in* יחורה אתח ידין.

Manus tuæ in ceruicibus inimicorũ tuorum.] *Per* αἰτιολογίαν *causa celebrationis redditur, qui cũ hostibus sit pugnaturus, & eos in fugã conuersos ulturus. Dauid de se dicit: Inimicos meos dedisti mihi dorsum. Si nostrum spectes, qui super solium Dauidis sedet rex æternus, de eo legis apud prophetam: Et fortium diuidet spolia.*

Adorabunt te filij patris tui.) *Victoria de hostibus parta longè latéq; regnantem, ut regem uenerabuntur. De nostro legimus apud apostolum: Donauit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat cœlestium & terrestrium & infernorum.*

Catulus leonis Iuda.] *Apposita imagine repræsentatur nobis generosus et inuictus Iehudæ animus, quo sit usurus in amplificando regno. Leonum animositas nota ex historijs rerũ. Huc pertinet illud de Messia deposito typo: Vicit leo de tribu Iehudæ.*

Ad prædam.) בטרף *id est à præda, regno iam de hostium manu uindicato.*

Ascendisti.] *redeuntis à præda ad fastigium regalis amplitudinis. De Christo Psal. Ascendisti in altum, cæpisti captiuitatem. Non igitur temerè uerbum* עלית *hic prætereundum est. At uerò prius iacuit et accubuit in lecto crucis, quàm ad splendorem regium eueheretur: sed ut accũbens & moriens prædã è manibus hostium extorsit, tantus cuasit potentiam adeptus, de qua Iudas is cœlestis his uerbis: Mihi data est omnis potestas cœli & terræ. Atq; is est ascensus de quo hic Iacobus prædixit, Ascendisti.*

Requiescens accubuisti ut leo.) *Manet in cœpta similitudine. Solent leones præda in cruce demissi secure uesci, eam nulla ferarũ metu ex unguibus dimittentes. Sic fore ut Iuda parto præclaris uictorijs regno tranquillè sit fruiturus. Oraculum impletum est tempore Dauidis & Salomonis. Etenim legimus in libris Regũ in hæc uerba: Et habebat pacem ex omni parte in circuitu, habitabatq; Iuda & Israel absq; timore ullo. Hic typus, uelum, umbra, ueritas & res ipsa in imperio eius, de quo Esaias: Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.*

Quis suscitabit eum.] *ut fugiat relicta præda.*

Non auferetur sceptrum.) *Altera pars quæ continet præclarũ uaticinũ de regno Christi, cuius aduẽtus cõgruit in ea tẽpora quæ Iacob indicat. Nõ enim prius regiũ sceptrũ de tribu Iudæ sublatũ est q̃ Christus promissus orbi terrarũ cõseruator, in hunc mundum à Deo patre missus uenit. In hoc sceptro omnis administratio ueteris fœderis, hoc est omnis tum regius tũ sacerdotalis, qui in tẽplo exercebatur cultus, continetur. ut sit sententia, ueteris regni et sacerdotij rectionẽ tantisper duraturã, dum ueniat Silo, hoc est, Christus sospitator, & impleat omnia cœlestis regni & sacerdotij ueritate, ut cedant tenebræ exoriẽti luci, uetera nouis, carnalia spiritualib. tẽporaria æternis. Cũ hoc oraculo cõsentit uaticinũ Danielis pro-*

phetæ, qui in eandem sententiam de Christi regno exorituro tempore Romani imperij, & principatu Iudæorum abolendo, præmonet.

Et dux de femore eius.) רמחקק מבין רגליו. Hoc est & gubernator & rector de pedibus eius. Hebræa phrasi uolunt indicari de stirpe & sobole tribus Iudææ non defuturos usq; ad Meßiam rectores reipublicæ Israeliticæ. Itaq; pro pedib. reddit nostri interpres femore, nec de eius interfemineo defuturum administratorẽ regni: qui secutus est Græcos uertẽtes, ἐκ τῶν μηρῶν: & paraphrastem Chaldæũ, qui reddit מבנוי בנוהי. Duo igitur hic accipimus: unum, est regia administratio: alterum, rectores qui loco regum regnum administrent. Regnum in sceptro, rectores in מחקק notantur, qui iam Sedechia rege in captiuitatem Babylonicam abducto, imperium obtinebant, nati de familia Iudææ: & soluta captiuitate, Zorobabel ducem præstitit Iudæis, & postea tribus Iudæa usq; ad Silonem Meßiam מחקקים id est rectoribus, quos Hebræi uocant מנחדרים, id est ordinarios iudices, nunquã caruit. Atq; hos tandẽ Herodes Ascalonites Antipatri filius, qui primus alienigena post Hircanum regnauit in Iudæa, interfici iussit, ut omnem Iudæis regni recuperandi spem auferret. Hoc autem regnãte natus est Meßias anno regni eius 31. Itaq; præsens uaticiniũ Iacobi quod hic exponitur, uerè intelligũ impletũ iam Christo repræsentato orbi terrarum: hoc est, duraße imperiũ in tribu Iudæa, usq; ad Meßiã: & hoc reddito, illud exoleuiße. Cæterum מחקקים in exilio Babylonico & postea tradunt Hebræi septuaginta fuiße, & eorum munus in hunc modum diuidi solitum, mulctas à tribus, supplicia capitalia uigintiuirib. irrogari solita, si quid priuati homines cõmißißent dignũ capitis pœna. Si quod autem sacerdos magnus, falßi prophetæ, magistratus deßignaßent flagitium, item si bella gerẽda eßent, in Senatum accerßitũ totum iudicũ numerũ. Vnde colligunt, septuaginta & unũ iudices coijßße cum condemnaretur capitis Christus, quod illo numero, pseudo prophetarum iudicium exerceretur, inter quos habitus ab illis est Christus Dominus noster. de quo sequitur:

Donec ueniat qui mittendus est.] Interpres nostri pro שילה uidetur legiße שילח. Eße aũt שילח Meßiam, primò præsens locus indicat. Nam is quem nos colimus Meßias, eo tempore repræsentatus est, quo ab Herode sceptrũ Iudææ è medio sublatũ est. Deinde idem probant LXX hebdomadæ à Daniele aßignatæ: quæ in exhibitum Christum ut incurrant, non est opus hic indicare. Vbi apertè Daniel ostendit in illis hebdomadis septuaginta ad delendã noxã & afferendam æternã iustitiam nascendũ Christũ, et occidendũ à rebellibus: & eo occiso uenturos Romanos, qui Hierosolymã cum templo euertant, sacerdotio & sacrificijs cum uniuerso templi mystici cultu antiquato. At hæc impleta eße, perspicuum est. Cæterum quid hebdomadæ nomine significetur, utq; hæc et quomodo sint numerandæ, & unde earum sit faciendum initiũ, ea de re aliàs. Tertiũ argumentũ à calamitatib. quibus iam multis seculis afficiuntur Iudæi, ducitur, quas propter negatũ & occiſum Christũ ferre indicãt sacræ literæ, ut iam ex Daniele mõstratũ est. Atq; idẽ clarè ostendit oraculũ Esaiæ capite uicesimo octauo explicatum his uerbis: Propter hoc audite uerbũ Domini, uirũ illusores. ubi cũ mentionẽ facit lapidis pro fundamẽto in Sione collocãdi, indicat quomodo per hanc scelerosi illi sint uarijs cladib. puniendi. Vbi etiã Thargũ et nõnulli alij interpretes Meßiam hunc lapidẽ eße interpretantur. & quidam nobilis Hebræus sic ait: ישר חגרדר משיח נחרג מבית חדרין רחיח סבח שישראל נערב בחרב: id est, Iesus Nazarenus Meßias interfectus est à iudicibus, quæ cædes in causa fuit cur Israelitæ gladio perierint. Quarta ratio petitur ex debilitato Romano imperio, de quo apud Danielem his uerbis: In diebus autem regnorum illorum ßuscitabit Deus regnum, quod nunquam diſsipabitur. Comminuet autem uniuersa regna hæc. Vbi Daniel clarè loquitur de lapide sine manibus de monte exciso, qui omnia regna contriturus sit. Is autem lapis omnium sententia Meßias est, quo nato iam, & cæpto post eius in cœlum receptionem euangelio in orbe terrarum diuulgari, ut Romanum imperium infirmari cœperit, euerso iam antea Babyloniorũ, Persarũ et Græcorũ regno, satis manifestum est. Quinta ratio ex gentium cooptatione in fœdus diuinum reiectis Israelitis promitur. Quo enim unquam tempore gentes, neglecto idolorum cultu, ad adorandum Deum per fidem quam habuerunt Euangelio Meßiæ confluxerũt, q̃ illo tempore quo nostri quẽ nos colimus Christus in mũdo natus, mortuus & ex mortuis excitatus est ad uitam? Hæc aũt tempora prædixit Iacobus, cum ait: Et ad illum populorum erit aggregatio. Non ostendent Iudæi ex tribu Iudæa ullum unquam extitiße, cui tot gentes, tot nationes, tot populi ße adiunxerint atq; is Christus eß, quem in orbe terrarum longè lateq; sparßæ gentes colunt atq; uenerantur. Deinde nõ mostrabunt tẽpus aptius q̃ hoc nostrũ ad quod illud Moßæ uaticiniũ, In gentem stultam procabo uos, referri poßit. Dices, Meßiæ populum non eße qui simulachra colant: gentes autem eo cultu infames eße. ßed quid facietis uos Iudæi ijs qui primò per Euangelium ex Sione profectum ad Meßiã aggregati sunt, in quibus omnia quæ responderent diuinæ uoluntati inuenta sunt? Quid item facietis hodie gentibus quæ postliabita idololatria, spiritu & ueritate Deum denuò colere eo modo quo prophetæ antea prædixerunt gentes Deum culturas, incipiuus? Vltimũ argumentum est cõsensio interpretum, qui apud Hebræos sunt magnæ autoritatis, qui hunc in uaticinio Iacobi locum de Meßia interpretandum confirmant. Sic enim Paraphrastes Chaldæus שילח interpretatur: עד דייתי משיחא דיליה חיא מלכותא, id est donec ueniat Meßias, cuius est regnum. Similiter Paraphrasis Hierosolymitana: עד זמן דייתי מלכא משיחא. Cæteros interpretes non recenseo. Veteres Hebræorum

rum sapientes uiri Meßiam uenisse, et sub id tempus uenisse, quo sceptrum Iudæ unà cum sacerdotio & lege sublatũ est, his uerbis declarant: Sex milliũ anno rum erit mundus, dum destruatur: duo millia תרחר, hoc est inanis lege mundus, duo millia legis, duo millia annorum Meßiæ. Versantur autem nos in quinto millenario. ergo ante mille annos repræsentatus est Meßias, & quidẽ eo tẽpore quo administratio regni Iudæorũ & sacerdotiũ cum uniuerso eius cultu exoleuit, ex uaticinio Iacobi hic expositio. Non hic affero ex reliqua scriptura testimonia, quæ comprobant Meßiam ex oraculo Iacobi uenisse. Quæ testimonia suis locis cum innumeris alijs explicabuntur. Quorũ alia ortum Meßiæ, alia dejectionem eius ad formas crucis, alia usum ortus & humilis status, alia maiestatem eius regiã, alia diuinitatem, alia humanam naturam, alia eius societatem, qua cum suis electis coniungitur, alia seuerum iudicium quod in impios exerceat, declarant: idq; adeò perspicuè, ut uerè cæci iudicari debeant, qui hanc lucem in sacris literis nobis prælucentem non uident, & ex temporibus ipsis Meßiæ redditi orbi terrarum, tam luculenta opera descripta ordine à prophetis, non animaduertunt. Quocirca Hebræorum errores obiter, qui in hoc exponendo loco, Donec ueniat Silo, committuntur, perstringendi fuerint. Falso de Nabuchodonosore rege illum intelligendum esse dicunt. Nam tum quamuis rege prauati essent Iudæi מחוסקים tamẽ ut indicatum, priuati nõ sunt. Nã rectores ac iudices multos in Babylonem translatos à Nabuchodonosore non interfectos cõstat, qui ibi populũ exulẽ ex legibus suis rexerũt. deinde soluta captiuitate Babylonia, principes Iudææ tribus uiri rempub. gubernarunt, ut ex Aggæo & Zacharia de Zorobabele patet, similiter de alijs usq; ad Machabæos. Quo tempore cœpit regia cũ sacerdotali tribu cõmisceri: sed ita, ut nomẽ dignitatis Iuda retinuerit. Itaq; nõ immeritò Iacob hic dicit: De medio pedũ eius nõ defuturos rectores. Præterea neq; שילה de loco Silũte cuius mẽtio infrà in historijs fit, accipi potest, in quo Saulo in regẽ uncto de Iuda sceptrum sublatum sit, & ad tribum Beniaminem translatum. Nam Saulus non Silunte, sed in Cariathiarim rex creatus fuit: & eo adhuc regnante, à Samuele regnum assignatum est reiecto Saulo Dauidi, qui primus ex Iudæis regnum obtinuit. Neq; demum de Ieroboamo locus præsens intelligi debet, ut nonnulli hallucinantes odio Christi nostri, intelligendũ esse uolunt, in hunc modum intrpretantes uaticinium: Donec ueniat Silo, id est creandus rex in Silunte. Nam Ieroboamus non Silunte, sed in Sichima urbe rex constitutus est, ut patet ex libro Regum tertio, & capite duodecimo. qui etsi ab Ahia Silonite rex creatus est, tamen regno suo tum Iuda spoliatus non fuit, sed id retinuit usq; ad exilium Babylonium. Itaq; hic noster qui hic legitur Silo est, Messias sacrosanctus, qui in mundum sceptro Iudæ, hoc est regio imperio & eius rectoribus sublatis uenit. Cæterum quid propriè significet uox שילה interpretes inter se non consentiunt. Græci exponunt: ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, id est donec ueniant reposita ei. hoc est donec ueniat, cui constitutum ac destinatum est regnum. Inter Hebræos interpretes alij Meßiam dictum uolunt שילה quod שלו המלוכה id est quòd eius sit regnum: alij de significatione שילה: alij, ut indicatum, de שילה urbe: alij à muneribus Meßiam sic nominatum, quæ gentes ei offerãt. quasi dixerit Iacobus שי לו id est munera ei afferrent: ut est apud prophetam, Afferte שי id est munera terribili. Nonnulli Meßiam שילה uocatum à שלה id est à secundinis, quibus inuoluitur infans in utero materno: ut accipiatur Meßias esse Silo, hoc est muliebris partus absque patre, hoc est uirili semine nascendus. ut sit sensus: Donec ueniat שילה hoc est filius eius mulieris, uidelicet ה referente mulierem. Vbi duo significantur. Vnum, Meßiam uerum hominem fore: alterum, eum ex uirgine nascendum, qui sit mulieris filius sine uirili semine conceptus. Postremò sunt qui Christũ שילה dictum confirmãt quasi sospitatorem ac pacificatorem, qui ueram salutem quæ in iusticia Dei & restitutà innocentia cernitur, & pacem quam pij aduersus peccatum, mortem & potestates inferorum habeant, sit allaturus. Notæ enim sunt hæ uoces שלה שלוח שלו. Atq; hac interpretatione duæ naturæ notantur in Meßia, humana & diuina. Humana quidem, cuius mortis merito salus mundo restituatur: diuina autem, qua seruamur, contrarijs potestatibus euersis: quod est numinis diuini munus. Vtriusq; munus uictimam piacularem fuso sanguine præstare ad placandum Deum, & iusticiam, uitam, gloriam tribuere, שילה, hoc est pacificatori, sospitatori & seruatori mundi congruit.

Ipse erit expectatio gentiũ.] Descriptio regni Christi per contentionem. Sceptrum regni Iudaici certis limitibus ac finibus erit circumscriptum: Sospitatoris autem Meßiæ imperium longè lateq; in orbe terrarũ patebit, cunctis gentib. ad eum confluxuris. Hebræus habet: Ad quem populorum fiet aggregatio, id est ad eum undiquaq; gentes cõfluent. Euangelio obedientes, macerie nimirũ legis rupta per hũc Silonẽ nouũ & cœlestẽ hominẽ. Ex hoc uaticinio omnes prophetæ uelut ex perẽni fonte in sua oracula ut tales aquas deriuarũt. Apud Esaiã legimus: In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes quærent. Et in Michea: Fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ. Aggæus item: Et ueniet desideratus cunctis gẽtibus. Sed dicas, Quomodo sceptrum Iudæ auferendum prædicitur, cum in promissis sit Dauidis regnum æternum fore, ueluti legimus in libris Regum: Fidelis erit domus tua, & regnũ tuum usq; in æternum. Et apud Lucam: Et dabit illi Dominus Deus sedem patris ipsius, regnabitque super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Quomodo ergo hic prædicitur fore, ut sceptrum Iudæ sit finem habiturum? Responsio: In sceptro Iudæ duæ res continentur: quarum una, imago est, & umbra: altera, ueritas & res repræ-

repræsentata. Vmbra, qua significatum fuit sceptrũ Christi, disparuit exorta luce regni cœlestis Christi Iesu Domini nostri, cuius regnum nunquam exolescet. Hoc igitur imperium respicit Deus, quum regnum Dauidis æternum fore denunciat umbrã cum finiendum. Idem iudicium de fœdere, de hæreditate terræ Cananææ, de sabbato, de sacerdotio Leuitico, de sacrificijs in quibus uelum remouendum cognoscitur, res & corpus ipsum quod Christi est æternum statuitur. Itaq; Apostolus: Hæc sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi.

Ligans ad uineam pullum suum.] Vini copiã fore uidetur interpretibus prædicere. Submoto uelo mysticæ benedictionis, Silo de se in Ioanne dicit: Ego sum uitis uera, ad quã asinæ pulli, q̃ nos sumus, alligati, inebriantur uino, de quo propheta: Venite et emite absq; argento uinum & lac. Inter animantia nullum fere inertius, stupidius & contumacius inuenias asino. tales nos sumus à uetere homine, quos sessore Christo domari oporteat, ut pietatis officium faciamus. Quem igitur asinæ pullum ad uitem alligandum, à Silone prædixit Iacobus, eius eundem Silonem tanquam sessorem & domitorem futurum Zacharias propheta prænunciauit: Ecce rex tuus ueniet tibi iustus, & saluator ipse pauper: & conscendet ipse asinam, & super pullum filium asinæ. Ex antiquis interpretibus sunt qui Iacobi oraculum in hunc modum interpretantur: Ipsum Iudam pullum suum Messiam ligaturum ad uineam, de qua illud: Vineam transtulisti ex Aegypto. Vocari autem Messiam pullum Iudæ, ex quo nimirum natus sit.

Et ad palmitem.) Repetitio est eiusdem sententiæ. Selectæ genus uitis est שׂרֵיקָה.

Et in sanguine uuæ pallium suum.] Rubri uini metaphora Hebraica. Eadem sententia, ut solet fieri in denũciatione oraculari, repetitur, sed cum uehementia & figurata locutione. inter interpretes uetères etiam Hebræos sunt qui de Messia interpretantur hũc uestẽ suam in sanguine lauasse. Scriptũ enim esse: Quare rubrum factum est uestimentum tuum sicut calcantium in torculari? In quibus uerbis torcularis, calcantis, uini, uestimenti significatio expendenda fuerit.

Pulchriores sunt oculi eius uino.] Vertunt etiã: Oculi eius rubentes uino, & dentes candentes lacte. aliter significata uini & lactis copia. Hi qui Messiam hic significari uolunt, significari dicunt spiritus sapientiæ diuinæ uinum quo illius oculi rubeant ad iudicandum rectè. de quo Esaias: Iudicabit in iusticia pauperes. sed quibus oculis? præcedit in eodem propheta: Requiescet super eum spiritus Domini, &c. Hoc sapientiæ diuinæ uinum & lac præbet etiam sponsæ Messias, quorum altero eam potet, altero tanquam cibo nutriat. Vt legimus in Cantico Salomonio: Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.

Zabulon in littore maris habitabit.] De situ Zabulonis uideris apud Iosuam.

Et in statione nauium.] Mercaturam exercens & pretiosissimis quibusq;, quæ quidẽ maritima negociatione importentur fruens. Vt infrà Moses in benedictione Zabulonis dicit: Qui mundationẽ maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum. Similiter Chaldæus hic רחרב ימא יירבל, id est & opibus maritimis fruetur, ne sit quicquam præstans, neque in cœlo, neque in terra, neque in mari quod non deseruiat usui sanctorum. Locus de mercatura laudata in tribu Zabulonis. Si separes igitur uitæ à uitæ conditionibus, nullus status erit qui laude careat.

Vsq; ad Zidonem.] uetustate clarissimam urbem Phœniciæ, à Zidone Canaanis filio, nepote Noæ nomen sortita.

Isachar asinus fortis.) Similitudo asini mox explicabitur. גרם robustum sonat, translatione ab ossibus sumpta.

Accubans inter terminos.] quorum alter maris mediterranei est, alter Galilæi. Similiter Chaldæus. Alijs משׁפתים sũt onera ac sarcinæ. Alijs משׁפתת id est bini sarcinarum ac clittellarum, qui asinis imponuntur, ordines. Hæ duæ posteriores interpretationes asino onerario competunt.

Vidit requiem quòd esset bona.] Seruat asini similitudinem. Similiter Moses infrà: Gaude Zabulon in exitu tuo, & Isachar in tabernaculis tuis. Vnde cognoscitur Zabulonem mæritimæ mercaturæ intentum fuisse, qui mare accoleret: Isacharum uerò domi quietum mansisse, qui terram fertilem & amœnam obtineret. Et id ipsum est quod hic dicit Iacobus. Et uidit requiem quòd esset bona.

Et supposuit humerum suum ad portandum.] Exponitur similitudo robusti asini, in quo alludit ad tributarium onus, ut sequitur. Sunt ueteres interpretes qui de oneribus legis interpretãtur quæ tolerarit præcipuè Isachar in meditatione eius uersans quietè. Quam quietem quoniam requirunt sapientiæ cultores, legi hic: Vidit requiem quòd esset bona. Simplex sententia exposita est.

Factusq; est tributis seruiens.] quæ pendit Assyrijs. Is est exitus affluentiæ opum, quæ primò luxum important, deinde inertiam: demum, quæ pars luxus est & inertiæ, seruitutem. Itaq; Moses infrà ad hæc oraculum Iacobi respiciens quoq; his uerbis prædicit: Incrassatus est, & recalcitauit.

Dan iudicabit.] De Samsone accipiunt, qui ex Dania tribu natus, hostibus deuictis Israelem fortiter liberauit. Dan item postrema castra tenebat, prouidens ne quis post terga relictus, clade aliqua ab hostibus afficeretur: quod quoque uindicis officium erat.

Fiat Dan coluber in uia.) Serpenti comparat Samsonem, qui Israelitarum hostes temerè irruentes per insidias aggressus ulturus sit. Quod igitur uiribus & robori deerat, astutia compensauit. Is iudicem ac rectorem uiginti annos gessit.

Mordens ungulas equi.] Seruat similitudinem serpentinæ

serpentũ,qui huimi repentes,calcanea,non capita pe tunt ac mordẽt,ex diuina sentẽtia in illos lata: Super pectus tuũ gradieris. Subducto mystici serpentis & Samsonis uelo,legimus de uero cõseruatore Israelita rum serpente Christo: Et sicut Moses exaltauit serpẽ tem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum,non pereat,sed habeat ui tam æternam. Is serpens uerè iudicat,id est liberat ac uindicat in libertatem populum suum, et ungulas e- quorum hostilium,hoc est impiorum hostium potesta tem imminuit. Quare sequitur:

Salutare tuum expectabo.] Auersio acclamatoria ad Dominum Messiam, qui sit illam ueram salutem Israeliti suis, hoc est scriptis in libro uitæ allaturus. Cuius umbram in salute, quam Samson attulit suis, licet cernere.

Gad accinctus præliabitur ante eum.) Omissis uarijs interpretationibus,quas afferunt interpretes, inter eas aptior uidetur, quæ congruit in ea tempora,de quibus Iosua his uerbis: Vos autem transite armati,ante fratres uestros omnes fortes manu, & pugnate pro eis,&c. Quò etiam Chaldæus paraphrastes refert,qui dicit: De familia Gadi exercitus arma tus transiturus Iordanẽ ante fratres suos in præliũ.

Et ipse accingetur.) Heb. רחרא יגד עקב quod uertunt: alij, Armatus erit retrorsum: alij, Tandem armatus reuertetur: alij, Armatus erit ad uestigium,id est,exercitus eius reuertetur eo itinere, quo deduxit fratres suos ad occupandã terram Cananæam. Nam עקב & uestigium denotat, μεταλήψει sumpta à calcaneo infima corporis parte, qua iter teritur. In hac sententiam Chaldæus: Et cum diuitijs multis reuertẽtur in terram suam. Is respicit ad significationem Gadi,quod fortunam & res prosperas significat. De qua re etiam suprà in eo loco quo etymum Gadi est explicatum. Eandem sententiam exponit Paraphrastes Hierosolymitana: A' militari fortitudine laudatus Gadus in libris Paralipomenũ his uerbis: Gaditæ uiri fortissimi,facies eorum quasi facies leonis, & ueloces quasi capreæ in montib. Similiter Moses: Benedictus latitudine Gad,quasi leo requieuit.

Aser pinguis panis eius.) Terram Aseris fertilem frumenti fore. Moses ubertatem olei adiungit: Et tingat in oleo pedem suum. Ferri item & æris munera addit: Ferrum & æs calciamentum eius. Si mystica spectes, sapientes iudicant in Asere beatitudinem significari alterius & futuri mundi, in quo panis ille uitæ æternæ cernitur. de quo panis ipse: Ego sum panis qui de cœlo descendit.

Nephthali seruus emissus.) In Debora hoc oraculum impletum uolunt. de cuius eleganti carmine infrà in libro Iudicum.

Dans eloquia pulchritudinis.) Laus eloquentiæ in Nephthali,qua Dei laudes celebrantur,ne sit illum munus diuinum cuius non sit cõsors progenies Iacobi.

Filius accrescens Ioseph.] respondens suo & Ephraim filij nomini. Sententia: Propago florens Iosephi ad fontem soboles crescens, uaticinio per allegoriam indicante numerosam fore progeniem Iosephi in magnam familiam propagandam instar arborum quæ ad fontes & flumina conseruntur. Eodem modo Moses: Hæ sunt multitudines Ephraimi & hæc millia Manassæ. Nec aliter Chaldæus ברי דיסגי ירסף ברי ריתברך בגרפן רגצב על עיגא דמיא id est filius meus Iosephus crescet,filius meus erit fœcũdus instar uitis quæ consita est ad fontem aquarum.

Filiæ discurrerunt.) Manet in cœpta allegoria filias, hoc est malleolos ac ramusculos fœcundæ uitis supra muros diffundendos. Qua allegoria notatur regnum eius excelsum & munitum fore. Parphrastes filias interpretatur de amplissimis Ephraimi & Manassæ tribubus: תרין שבטין יפתרן מבנוהי יקבלוח חולקא ואחס גתא.

Sed exasperauerunt eum.] Præterita quæ hic pronuntur, ut fit in oraculis, futurorum uim obtinent. Hostes habiturum Iosephum acerbos, quos uicturus sit, ut sequitur. Victoriæ exempla in Iosua & Gideone illustria satis nota sunt. Non commemoro hic reges, quos dedit Iosephi domus decem tribubus.

Sedit in forti arcus eius.) Opponit arcum Iosephi arcui hostili. Indicat inuictam fore bellicam Iosephi fortitudinem, quam amplificat contentione.

Et dissoluta sunt uincula.] Robustos & firmos fore lacertos eius ut Hebræum habet.

Per manum potentis Iacobi.) Per Deum fortem propugnatorem Iacobi. Confessio uirtutis diuinæ in sancto patriarcha, cuius beneficio res præclarè à posteris Iosephi gerendas prædicit. Eorum bellicum arcum, Dei arcum: eorum robusta brachia, Dei brachia fore. Quatuor commendantur in Iosepho, numerosa familia, firmum regnum, fortitudo bellica. quartum sequitur:

Inde pastor egressus est lapis Israel.] Pastores & lapides ex familia Iosephi exorituros præclaros duces, ut fuêre Iosua & Gideon, & prophetas intelligit, ut fuit Helias, Elizæus, Micheas, &c. Sunt qui referant pastorẽ ad ea tempora, quib. Iosephus in Aegypto suos penuria & annonæ caritate oppressos benignè aluit. Simplicior sententia futura spectat, nisi quis uaticinio interfertam laudem Iosephi uelit.

Deus patris tui.] Hebræus אל à Deo. Duo hic commendat: primò Dei bonitatem, cui omnia bona sint accepta ferenda: secundò suam & patrum fidem, quam respiciens Deus, posteros sit beneficijs ornaturus.

Et omnipotens.] A' facultate commendatio.

Benedictionib. cœli desuper.) pluuijs & rore. Veluti suprà legimus in benedictionis formula, quæ usus est Isaacus ad Iacobũ: Det tibi Deus de rore cœli.

Benedictionibus abyssi.) fontium et fluminum irrigationibus.

Iacentis deorsum.] Similiter Moses: De benedictione Domini terra eius, de donis cœli & rore atq; abysso subiacente. Vbi in benedictione cœli rorem & fœtus arborum quos sol decoquit, numerat.

Benedictione patris tui.) *Interpretes quidam in hunc modum reddunt uersum hunc: Benedictiones patris tui confirmatæ sunt benedictionibus parentũ meorum, quæ usq; ad fines collium mundi durabunt, in caput Ioſephi, & in uerticem Nazaræi fratrum ſuorum exundabunt.*

Benedictionibus parentum.) *Vbi* על *pro* עם *interpretantur. Benedictio mea cum parentum benedictione, qua mihi bene precati sunt coniunctæ, firmæ erunt, quas nulla uis euertet, Deo neq; ſuam promiſſorũ fidem falſuro, neq; patris Abrahami & Iſaaci fidem irritã facturo. Paraphraſtes:* ברכתא דאברהם יתרבי על ברכתא דלי : *id eſt, benedictio patris tui addatur benedictioni, qua mihi patres mei bene precati sunt. Eodem modo paraphraſis Hieroſolymitana interpretatur.*

Quæ uſq; ad fines collium mundi.) *Montium firma ſedes nota eſt in rerum natura, & in ipſis ſacris literis, cui comparat firmitatem benedictionis diuinæ. Qua comparatione commendat & patrum fidem & conſtantiam Dei, quam ſeruet in præſtandis promiſsis. Paraphraſtes pro collibus uertit* רברבא *id eſt principes, in hunc modum: Addatur benedictio, quam expetiuerunt principes: qui* תאוה *non pro fine, ſed deſiderio interpretatur.*

Et in uerticem Nazaræi.] נזיר *Nota uox ex Leuitico. ſignificat hac ubertate cœli, terræ, abyſsi, uberum atq; uuluarum abundaturum eum, qui à cæteris ſuis fratribus ſit ſanctimonia, potentia & dignitate ſeparatus. Ideo pro* נזיר *Chaldæus uertit* פרוש. *Docti interpretes* נזר *à* נזיר *decidunt, quod coronam ſignificat, regia dignitate indicata. Quis uerus ille & cœleſtis Nazir ſit, plenitudine benedictionis ſpiritualis Dei ornatus, non eſt obſcurum. Cuius pulchritudinẽ ſi ſpectes, legis illud: Speciosus forma præ filijs hominum. ſin amplitudinem benedictionis diuinæ, legis: In ipſo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter: ſin regiũ ſplendorẽ inter fratres, is ipſe de ſe prædicat: Ego autem conſtitutus ſum rex ſuper Sionẽ montem ſanctũ eius. Item, Mihi data eſt omnis poteſtas cœli & terræ. ſin ſeparationem ac exemptionem eius à labe mundi, apud prophetam legis: Eo quòd iniquitatem non fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius. & ipſe de ſe: Venit princeps huius mundi & in me non reperit quicquam. Cæterùm de Nazarei uita & religione infrà in Numeris monebitur.*

Beniamin lupus rapax.] *Beniaminem ut lupum prædaturum. Hanc tribum bellicoſam fore. Varia eſt interpretatio huius oraculi. Alij de Saulo interpretantur, quem comparatũ hic lupo dicunt prædatori, qui Amelechitas, Moabitas & Ammonitas prædatus ſit. Suprà Iudam leoni generoſo animanti contulit, hic Beniaminem lupo: qui quã laudem inter beſtias habeat, ſatis notum eſt, et ex ſacris literis manifeſtum. Quapropter hic uidetur nonnullis ſanctus uir huius tribus uitia hoc uaticinio prænunciare, qui bus regnum Sauli ſatis inſignibus commaculatũ fuit. ut rectè Beniamini propter regem Saulum lupo, & Iudæ propter Dauidem regem leoni liberali & forti animo prædito animali collatus hic ſit à Iacobo. Præterea ſunt qui hic fœdum ſtuprum Leuitæ uxori illatum prædici dicũt, quòd tota tribus, ne inceſtos homines traderet, approbauit. atq; id eſſe quod hic legitur, Vt lupus prædabitur. quòd autem una reliquas tribus ultras ſcelus tantum, ſemel & iterum acie ſua dit, eſſe: Manè comedit prædam. Poſtremò quod in tota penè euerſa hac tribu ſexcenti uiri reſidui, quel las uicinorum in uxores rapuerunt, id ſit: Prædam ad ueſperam diuidet. Paraphraſtes Iacobum præſentiſſe uult, Beniamitas inclytos fore ſanctuario, & templo: & eo illos munitos, fortitudinem ſuam declaraturos. Quò referunt uerba Moſæ quibus Beniamini fauſta his uerbis precatur: Amantiſsimus Domini habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet. Huc reſpiciens Chaldæus interpres de templo interpretatur, in quo præſens affuturus ſit Deus Beniamitis :* בנוי בירין בארעיה תשרי שכינתא באחסנתיה יתבני מקדשא. *Nam templum in editiore loco, qui ad Beniamitas pertinebat, ædificatum fuit. Qui hoc uaticinium de apoſtolo Paulo accipiũt, qui ſe de tribu Beniaminenſi eſſe fatetur, per me licebit ut ſentiant quod uelint. in tantum Apoſtolum lupi nomen conuenire num poßit, ipſi uiderint. à quo quantum ipſe abhorreat, in Actis docet capite 20.*

Benedictionibus.] *In quibus ſpecies exhibebatur eius benedictionis de qua Apoſtolus his uerbis ad Epheſios: Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus Chriſto.*

Proprijs.] *Submoto uelo myſticæ benedictionis non deeſt ſua cuiq; familiæ benedictio in ea republica, quæ ex cœleſtibus ciuibus ſcripta eſt. de qua illud: In domo patris mei multæ ſunt manſiones. Item: Verùm unicuiq; noſtrùm data eſt gratia iuxta menſuram donationis Chriſti. Quæ præceſſerũt, prædictionem continent earum rerũ quæ uel aduerſæ uel proſperæ ſint euenturæ Iſraelitis. Vt autem bene precatus ſit, & quæ bona ſingulis tribubus prænunciarit futura, hic non explicatur.*

Sepelite me cum patribus meis.) *non in Aegypto. Depone typum, intelliges mundum nihil commune cum ſanctis neq; uiuis, neq; mortuis habere.*

Et Lia.) *Rachele ſepulta ad Bethlehemum, hac eo loco ſepulta, ubi erat exoriturus Chriſtus.*

Finitisq; mandatis.]*ex Dei ſententia, quæ oracularia & prophetica erant.*

Collegit pedes ſuos in lectum.]*qui confirmatus in lecto ſederat, ad denuncianda futura ſuorum fata. ut ſuprà legimus: Qui confirmatus ſedit in lectulo.*

Et obijt.] *defunctus graui & acerba militia uitæ ſuæ. Circumſtantiæ textus indicant tranquillo animo obijſſe. quæ ſanctorum ſingularis ſors eſt. Vt uerum ſit illud Domini noſtri: Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non uidebit in æternum: hoc eſt*

angore

angore mortis & metu de iudicio Dei, qualis condemnatos de noxa uexat, non afficietur.

IN CAPVT L.

FLens.] Fletum hunc ac planctum in sancto uiro commiseratio humanæ uitæ commendabat. Immanitatis igitur est, cum lusu & lætitia prosequi suorum funera, sententia etiam poetæ ueteris:

πάτροκλον λλαίομεν, τὸ γὰρ γόος ἐστὶ θανόντων.

Aut nullam funerum habere rationem, aut mortuos canibus aut uolucribus laniandos obiicere: aut quod multo crudelius est, cadauera ipsa dentibus dilacerare, & eorum carne, neglecta omni humanitatis lege, uesci.

Medicis.] Pollinctores quos uocant Latini, Hebræi hoc loco רפאים appellãt. Septuaginta ἐνταφιαστάς. Locus de uetusto condiendorum cadauerum ad putredinẽ cauendã more. De quo uideris apud Herodotum, qui receptus inde & ab Hebræis fuit: ueluti legimus de Maria & Magdalena, ut emerint aromata ad ungendum mortui Christi corpus. Hanc consuetudinem in faciendo amplissimo funere Ioseph us, attemperans se ad exteræ gentis morem, seruare dedignatus non est, quo commodius integrum à putredine cadauer in Cananæam transferretur. Feruntur Assyrij melle cõdita corpora cera obleuisse. Ex Romanis Sylla primus igni uoluit cremari. Mos eorũ ut antiquissimus laudari debet, qui humi cadauera condunt, quòd sententiam Dei sequantur: De terra es, & in terram conuertere. Hanc consuetudinem ut consentaneam diuino iudicio, secuti maiores Israelitarum sunt.

Ad familiam Pharaonis.) Modestiæ exemplũ in Ioseph o, qui per interpretes & internuncios in causa sua regem conuenerit.

Eo quòd pater meus adiurauerit me.) pro suo iure, cui æquum sit parêre, & eius funeri iusta ex sententia eius soluere.

Et reuertar.) Suspicionem fugæ amolitur.

Septem dies.] Septimus dies luctus, comprobatur sacris literis. Legimus enim: Luctus mortui septẽ dierum. Nam septenarius numerus propter sabbati memoriam quietis, quam mortuis tribuimus, significationem habet.

Ne fortè memor sit iniuriæ quam passus est.] qui nosse poterant regum & principum iram esse diuturnam, ut præclarè uates Græcus:

λιμέσσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χόρῃσι, ἤπορ γάρ τε χολόν γε λιὰ κῆμαρ λιαπαύει, ἀλλά γε λιὰ μετόπισθεν ἔχει χ τον ὄφρα τελέσσῃ εἰ ϑύμεσσιν ἑοῖσιν.

Fratrum tuorum.) A propinquitate.

Vt seruis Dei.) A cõmuni Dei cultu ac religione.

Patris tui.] A persona patris, qui tacitè innuitur uiuere apud Deum, quòd is nõ sit mortuorum Deus, sed uiuentium.

Fleuit Ioseph.) Ad commiserandum intentus, non ad ulciscendum, in quo & suam & suorum salutem positam cernebat: suam quidem, qui nosset illud, Benefacit animæ suæ uir misericors: suorum autem, legitur enim hic: Sed Deus uertit illud in bonum. Memorabile bonitatis in Ioseph o exemplum. Sed euoluendus typus.

Num Dei possimus resistere uoluntati.) Hebræus: Num pro Deo sum ego? Dei fuerit ulcisci mala, non meum. Cum igitur uelit is uos saluos, qui ego uos perdam? Huc quadrant quæ sequuntur. Consolationis argumentum petit à uoluntate diuina, qua hæc quæ accidissent, profecta essent. ut legimus suprà: Non uestro consilio, sed Dei uoluntate huc missus sum.

Vos cogitastis de me malum.) Reprehendit sceleratorum fratrum, quod erat iusticiæ: clementiæ autem, quod cõdonauit culpã, fuit. De cœlesti Ioseph o Messia legimus: Et pro improbis precatus est.

Sed Deus uertit illud in bonum.) Locus præclarus de prouidentia Dei nostra mala consilia uertentis in bonum. In Deum refert quæ ab ipso in fratres collata sunt beneficia, qui sciret odiosum esse hominum genus officia exprobrantiũ, quæ meminisse debeat is in quem collata sunt, non commemorare qui contulit.

Nati sunt super genua Ioseph.) Paraphrastes רבי ירסף. Et educauit Ioseph us. Hebraica locutio indicat Ioseph o adhuc uiuente natos esse, & sinu eius acceptos ac fotos.

Visitabit uos.] ex promisso patribus facto. Vt suprà: Generatione quarta reuertentur huc. פקד in loco est amanter recordari & liberare.

FINIS.

HAEC sunt nomina filiorum Israel.] Duæ res præcipuè secundo Mosæ libro explicãtur: quarũ una rerũ memorabiliũ quæ in Aegypto, in Aegypti exitu, & in peragratione solitudinis Arabum in Israelitico populo gestæ sunt, narrationem continet: altera reip. eiusdem gentis cõstitutionem complectitur, quæ partim religionem, partim ciuiles res comprehendit. Religionem Decalogus per Mosem diuinitus traditus, promissiones de Messia, & ipsæ ceremoniæ tam quam mystica præludia regni Christi, conformarunt: quarum aliæ in tabernaculi ædificatione, & eius cultu, uariorumq; uasorum apparatu, aliæ in sacerdotij institutione, eiusq; ornatu: quædam in sacrificijs, aliæ in alijs rebus uersatæ sunt. Ciuilem autem statum suæ leges quibus tranquillitas inter Israeliticæ reipublicæ ciues retineretur, tuebantur. Harum quædam ad eos qui parebant, quædã ad principes, senatores, iudices qui præerant pertinuerunt, ne ulla reipublicæ pars uiuendi rectè disciplina careret: sed omnes cuiuscunq; ordinis homines siue liberi, siue serui, siue tenues, siue copiosi, siue priuati, siue publici, certã rationem haberent, ex qua cognoscerent quomodo se domi forisque gererent. Hæc breuiter de ijs quæ liber hic continet. deinceps utilitates quas eiusdem libri lectio affert, summatim exponentur. Si res gestas memorabiles consideres, harum usus tum in diuinæ potentiæ, gratiæ atq; iræ exemplis, tum in diuinarũ rerũ admonitione cernitur. exẽpla iræ atque ultionis in cladibus quibus Aegyptij affecti sunt, & in mirifico maris rubri quo Pharao cum suis absorptus est, discessu contemplamur. Qua ex re intelligimus quanta iusticiæ Dei uis sit, quæ tyrannorum orbis terrarum sæuiciem perpetuam esse inultamq; non ferat, quin eam ut ad summum scelerum peruenerit, euertat. Simili clade deinde Amalechitæ, Amorræi, Idumæi, Assyrij, Babylonij, & aliæ infestæ Israelitis gentes affectæ leguntur. Quæ Dei uindicta malos principes cohortari, ut ad meliorem frugem redeãt, debet: & bonos excitare, ut in Dei metu maneant, ne quo pacto in hac lubrica mundi huius in qua graduntur uia, de recto statu detorqueantur. Quare utriq; his exemplis seueri iudicij Dei commonefacti sedulò cogitabunt à Deo sublimia deprimi, & humilia demissaq; extolli solere. Clementiæ autem exempla in Israelitici populi ad res præclaras selecti, liberatione conspiciuntur, cum populum istum nullo suo merito, sed liberali bonitate Dei ex durissima seruitute in libertatẽ uindicatũ animaduertimus. Quã diuinam beneficentiam cum Apostolus in ea epistola quam ad Romanos scripsit, animaduerteret, caussam beneficiorum quibus Deus suos ornat, non in humanorum studiorum dignitatem, sed in solam misericordiam diuinã referendã esse docet, qui his uerbis tam præclarum locum aduersus meritorũ & operum iusticiæ assertores ex hoc libro adducto testimonio, trãctat. Nam Mosi, inquit, Deus dicit: Miserebor cuiuscunq; misereor, & cõmiserabor quemcunq; cõmiseror. Itaq; non est neq; uolentis, neq; currẽtis, sed miserentis Dei. Scimus enim nos quales maiores Israelitarum homines fuerint, ut se erga patrem Iacobum sanctum uirum, & aduersus Iosephum innocentem fratrem gesserint. In horũ igitur posteris liberandis eum suam potius sequi misericordiam, q̃ in eis perdendis ipsorũ uitia Deus spectare uoluit, immensam sanè et infinitam bonitatem, constantemq; fidem qua promiserat fore ut illorum progenies ex Aegypto liberata terram Cananæã possideret, declarauit: si mulq; quanta ualeret potentia, non obscurè indicauit, cum imbecillem & miserum populum ex potentissimi tyranni faucibus eriperet, ut extaret in omnem posteritatem Israelitis fidendi Deo in maximis periculis ampla materia, ex qua intelligerent hunc tam bonum qui uelit, & tam potentem qui possit ex malis suos liberare, & tam ueracem cuius fidem in præstandis conuentis nulla uis, nulla potestas imminuat atq; labefactet. In cuius rei cognitione quæ fides est, ut Deo suos honos tribuitur, ita in ea uniuersa sanctorũ salus atq; probitas uersatur. Quapropter hoc ex Aegyptia seruitute tam illustre uindicationis opus in reliqua quoque scriptura tantopere tanquam æternum fouendæ fidei monumentum celebratur. De se enim Dominus passim in prophetis prædicat, Ego sum Deus qui eduxi uos de terra Aegypti. Item: Et eduxisti populum tuum Israel de terra Aegypti. Itaq; huc spectans apostolus Paulus, ex eodem libro causam exponens, cur Deus tyrannos opibus & potentia florentes in suam selectam gentem excitet, his uerbis ea de re disserit: Dicit enim scriptura, inquit, Pharaoni: In hoc ipsum te excitaui, ut ostendã in te potentiã meã, et prædicetur nomen meum in tota terra. Dei inquam gloriam agi, si terrarum superbi domini cum fastu suo deijciantur: & pij destituti omni humano præsidio, strenuè uindicentur. Quæ quoq; res monet nos, mundi regna non humano consilio, sed Dei arbitrio regi, & bonos uiros Deo charos esse, propter quos nimirum reges de sceleribus suis grauiter redarguat, et si in uiam redire nolint, subuertat, ut psalmus testatur, Corripuit pro eis reges: uel ut in hac historia Pharaonem satis documẽto est. Hæc de priore utilitate quæ ex rerum gestarũ quas hic liber cõmemorat, exẽplis capitur: altera cõmoditas est quam rerum cœlestiũ adumbratio affert, ut est sceptrũ illud Aegyptiũ non carnale, sed spirituale: et liberatio Israelitarũ cœlestium ex Aegyptia peccati, mortis, ex potestatiũ tenebrarũ seruitute, et eius in hæreditatem supernam trãslatio. De quo sceptro Zacharias uates: Sceptrumq; Aegyptii recedet. hoc est, tyrannis ac ius peccati & mortis quo captiuos nos Satan princeps mundi tenuit, exolescat et abolebitur. Nam ubi in hac histor. a narrantur Aegyptij uario plagarũ genere contriti, & Pharaon cum

cum exercitu suo maris rubri hiatu absorptus, & Israel Dei populus liberatus: deinde quomodo is idem in Arabum solitudine longis perplexisq; erroribus circũductus, mirificè cœlesti manna alitus, & aquis ex petra manantibus potatus, serpentisq; aspectu seruatus sit: quid hæc aliud erãt, quàm sacra earum rerum symbola quæ in uictoria carnis mundi, satanæ, & in uictu quem cœlestis panis Christus Iesus cum aquis in uitã æternam scaturientibus suppeditat, cernuntur? Hanc igitur historiam quæ in hoc libro legitur, ad nos quoq; pertinere cognoscemus, si subducto uelamine, eas res cõsiderare uelimus, quæ in hac ipsa narratione adumbrantur, & nobis in militia hac mundana usuuenũt: Hæc de altera rerum gestarum utilitate, in quarũ momentis narrandis Moses historiæ leges seruat. Nam cum totius expositionis rerum gestarum contextus rebus constet & uerbis, in utrisq; suã rationem seruat. In uerbis & oratione fusum, lene & profluens genus dicendi, non durum & concisum, quali in uaticinijs solet uti, persequitur: in narratione aũt rerum, locorũ, temporumq; ordinem, consilia item acta & euentus, atq; in his temeritatis Aegyptiorum & curæ diuinæ in Israelitas exitium perpendit. Qua de re quoniã in ipsa enarratione planius docebimus, ad alteram huius libri partem, quæ constitutionem reip. Israeliticæ continet, progrediemur. Huius quoq; noticia quantũ pijs usum apportet, nõ est obscurum, siue ea pars quæ religionem, siue ea quæ ciuilẽ rectionem attingit, spectetur. Virumq; enim munus ut à Deo institutum est, ita præclarum fructum, cum Dei reuerentia legentibus, afferre poterit. nam quantum ad eam administrationem quæ religionem tractat, pertinet, huius usus, siue Decalogũ, siue ceremonias intueamur, latissimè patet. Etenim in Decalogo quis Deo cultus, q honos, quæue parentibus, magistratibus, doctoribusᵛ pietas debeatur, quæue officia in uniuersum hominibus præstari conueniat, docemur. Continet enim Decalogus communes, quæ ius naturæ dicuntur, bene sentiendi, bene q; uiuendi sententias, quas Deus tanquam certos testes decori atq; honesti in omniũ hominũ animis statim in eorum ortu inseruit. At quoniam diuinæ huic legi per corruptam nostram uitio primorum parentum naturam satisfacere non possumus, non contenta sanè est hæc legis pars uoluntatem Dei ostendere, peccati etiam quæ uis & natura sit, quaq; pœna nisi expietur afficiatur, exponit. De quo legis usu hoc modo Apostolus: Per legem cognitio peccati. de mulcta uerò ac pœna, Dominus apud Ioannem: Est qui accuset, id est criminis ac noxæ condemnet, Moses. Hinc ab Apostolo dicitur lex iram excitare, eiusq; ministerium mortis et condemnationis ministerium uocatur. Atq; hoc ministerium post contractam à primis hominibus noxã Dei cura per Mosem institutum est, quo nos de agnito peccato deiecti tanquam pædagogia ad eum uelut manu duceremur, qui de se dicit: Venite ad me omnes qui onerati estis et laboratis, ego uos refocillabo. Qui sanè excellens Decalogi usus est, quòd is nisi esset, ad noticiam & nostri & Christi conseruatoris nullus patêret aditus: ut medicinæ nullus est locus, nisi morbus quo laboras cognitus sit atq; perceptus. Quapropter Apostolus legem sapienter pædagogiam appellat, & tutoriam potestatem, qua puerilis filiorum Dei ætas tantisper gubernetur, dum tempus adeundæ hæreditatis in patefacto Christo per effusum adoptionis spiritum appetat, de quo his uerbis Apostolus: Sic & nos cum essemus pueri, sub elementis mundi eramus in seruitutem adacti. At ubi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum factum ex muliere, factũ legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret, ut ius adoptione acciperemus. Ad quod etiam tempus ceremoniæ, in quibus altera religionis pars ponebatur, durarunt: quæ in populo Israelitico nihil aliud erant quàm progymnasmata & pueriles ludi, quibus ijs rebus quæ in regio sacerdotio Christi gerũtur, præludereturᵛ. Vt uerè iudicare possis agni esum, Aaronis sacerdotium, unctionẽ, ornatum, pecudum sanguinẽ, sacrificia, suffimẽta, ferias, uaria tabernaculi uasa, arcã, propitiatoriũ, Cherubos, altaria, aquas lustrales, mensam cum panibus, candelabra cum fulgente luce, & id genus reliqua sacra symbola nihil aliud fuisse, quàm tecta oracula, & latentes occultasq; conciones de Christo, & eius corpore quod est sanctorũ Ecclesia, quæ in nouissimis temporib. reducto ueteris legis uelo aperiuntur. Nõ leues igitur res erant ceremoniæ quæ in hoc libro ut à Deo præscriptæ sunt Mosi, explanantur, sed longè maxima in illis agebantur mysteria. Etenim in his Christum adorare, et sapientiã Dei mirabilẽ agnoscere, & admirari licebat, cui hac ratione filij unigenæ regnũ & sacerdotium adumbrari usum sit, ut is unus mundi delicta sanguine suo expiet, ut pro sceleratis oret, & munera sacri spiritus dispenset. Quod tripartitum officium regij sacerdotij est proprium. Non permisit igitur diuina sapientia ullam rem esse in hac uniuersitate rerũ, tum in ipsis mundi initijs ac elementis, tũ in rebus ex illis concretis, tam inanimis quàm inanimatis, quæ certa nota & indicio repræsentãdi Christi insignis nõ foret. Nã in hac ceremoniarũ mysticæ legis parte suus aquarum, aeris, ignis: suus metallorũ, æris, ferri, argenti, auri: suus lapidum, & gemmarũ, suus sturpiũ, uolucrum aeris, animantiũ terræ usus cernitur, adeò ut ne caprarũ quidẽ pili essent ociosi. Itaq; non frustra Moses prius quã ad tractandas leges ingrederetur, mundi & eius partium fabricationem descripsit. Vt quemadmodũ per Christũ æternum Dei uerbũ, omnia condita fuissent: ita eius gloriæ adumbrandæ & in postremis temporibus patefaciendæ, cuncta quoq; quæ is ipse fabricasset: tanq; umbræ rerum futurarum deseruirent, in quibus si non res ipsa & corpus, species tamen uerorum bonorũ appareret. ueluti his uerbis de ceremonijs loquẽs Apostolus dicit: Nam lex umbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. item: Hæc sunt umbra rerũ futurarum, corpus autem Christi. Ad quam admirandã significationem quia tot architectorum, sculptorum, pictorum, metallariorum, gemmariorum, braccariorum, sartorum, adde etiam coquorum, la-

niorum,sutorum,artes fuerunt adhibitæ,facile intelligitur quæ sit artium quibus humana uita utitur, antiquitas,et ut earum nulla sit quam Deus amplificando filio suo seruire nõ uoluerit. Quæ res nobis quoq; Mosem à uaria & multiplici rerum cognitione commendat, qui peragratis cœlis,terra, mari,lustratáq; tota rerum natura & artibus humanis,nobis tam præstantes libros plenos diuina sapientia prodidit.Hæc breuiter de decalogo & ceremonijs, quibus Israelitarũ religio sub spe uenturi Christi usq; ad tempora plenitudinis gubernata fuit,admonuimus.Quod autem ad ciuilem,quem Moses instituit, statum attinet, is hoc modo paucis exponendus uidetur. Cum duo sint genera rerumpub. alterum rectum,quod continetur tribus partibus, regno, optimatum imperio, temperata rep.alterum uitiosum,quod totidem,sed contrarijs imperijs constat,tyrannide,paucorum dominatu & plebeia ac uulgi gubernatione:Moses uerum rectumq; ciuitatis imperium,temperatum nimirum illud instituit,in quo partim regnum, partim optimates uirtute excellentes,partim popularem rectionem agnoscas:regnum quidem,propter principatum & authoritatem,qua præcipuè unus aliquis ualuit, qualis fuit Moses, & post hunc Iosua & iudices:optimates autem,quod optimi quiq; in hac rep. iussi sint deligi in senatorium ordinem: popularis uerò imperij quædam species in eo apparuit,quòd cum duodecim essent tribus,nulla neglecta fuit,in qua non probis uiris & sapientibus ad moderandam rempub. aditus esset.Itaq; ut rectam remp.Moses instituit,ita iure et legibus eam muniuit, quarum quædam ius naturæ exprimunt:quædam cum iure gentium,quod in contrahendis,diuidendisq; rebus,& puniendis sontibus atq; seruandis insontibus uersatur,congruit.Nam & Moses rerum & personarum expensis attributis, pœnarum & præmiorum nomina exponit:ut in supplicijs,quibus nominis diuini uiolatores,parentum et magistratus contemptores afficiuntur, in homicidiorum, adulteriorum,furtorum & in cæterorum delictorum pœnis uidere licet.Quorum unumquodq; suã habet mulctam.In eodem item Mose libertatis et seruitutis, rerumq; contrahendarum,in emendo,uendendo, cõducẽdo,locãdo æquabilis ratio cernitur, qua ciuilis inter Israelitas societas conseruabatur. Itaq; ex hac Israeliticæ reip.constitutione,primò discimus coniunctionem ciuilẽ hominum inter ipsos singulari Dei cura exortam esse, qua is patribus promissam sobolem auxerit,& eam iam in maximam gentem propagatam uno reip. corpore uelut ciuilis coniunctionis membra complexus sit: deinde leges eiusdem Dei munere nobis tributas, quibus ciuilis uitæ communio & optimus ciuitatis status conseruetur. Quæ res documento est,eas resp.rectas ac ueras,in quibus leges dominentur,ac regnent:malas autem ac uitiosas, quæ hominum arbitrio & libidine gubernentur.Demum intelligimus magistratum instituitum, cui tanquam legum ministro ac custodi obsequi & obtemperare par sit,quem etiam metuendum commune quod cum Deo habet,nomẽ reddit.Iudices enim terræ אלהים id est dij in sacris literis appellantur. Quòd nulla res sit, quæ gubernationem mundi aptius effingat, atq; exprimat,quàm regnum benè ac præclarè constitutum. Atqui præcipua reip. Israeliticæ utilitas fuit, quòd Deus in ea oracula de Christo seruatore tantisper custodire uoluit, dum is ueniret,& se in carne orbi terrarum repræsentaret. Qui etiam magnũ ornamentũ huic reip.attulit,quòd ex ea nasci uoluit. Nam Israelitarum est adoptio, & gloria & testamenta & legis constitutio & cultus,& promissiones quorum patres,& hi ex quibus est Christus. Vnde præstantiam huius reip.facile licet expendere,primùm ab ipso authore,deinde ab antiquitate,postremùm à fine.Si autorem spectes,is Deus est, qui de ore ad os, id est coràm & familiariter locutus cum Mose, leges quibus Israel usus est,sanxisse dicitur.quod nemini alij legislatori contigit. quamlibet quidam finxerunt se leges quas ponebant, à Ioue accepisse:ut de Minoe fatetur Græcus poeta:

τοῖσι δ' ἐνὶ λυκάστοις μεγάλη πόλις, ἐν δὲ δαΐδαι μίνως
ἐννέωρος βασιλεὺς διὸς μεγάλα ὀαριστής.

Item de Numa Romanorum historiæ. Qua ex re factum est, ut Mosaicæ leges diuinitatem manifestè præ se ferentes,naturæ maximè consentaneæ, & ab eis discrepantes,dissentaneæ proborum hominum iudicio sint habitæ.Ex iuris enim naturalis fontibus leges ciuiles,quas Israel secutus est, dimanarunt, Dei ipsius,à quo traditæ sunt, iudicio comprobatæ. Quod autem ad antiquitatem attinet, nemo legislatõr, qui quidem celebris habeatur,inuentus est,qui Mose non sit posterior,ut liquidum est de Minoe,Rhadamantho, Lycurgo,Solone,Zaleuco, Charonda,Numa aPompilio.Quare si antiquitas rebus precium addit & dignitatem, maximam laudem resp. Israelitarum, quæ de uetustate præclarissimarum legum uerè glorietur, merebitur.Vixit enim ante Troianũ bellũ circiter quingentis annis. Postremò finis quoq; excellentem hanc remp. declarat, in quo quamuis cum cæteris rebusp. quædam communia habeat,propria tamen non nulla sibi uendicat. Cõmunia cernuntur in eo,quòd omnia ueræ & legitimæ resp.ei quod publicè prodest,bono consulunt,leges,mores,fœdera,æquabilem pœnarum & præmiorum rationem, bellorum & pacis artes, tuentur. Propria uerò quæ Israelitica resp. tenet, hæc sunt, quod Deus in hac semper sacrorum uatum luminibus illustrata salutis toti terrarum orbi patefaciendæ oracula reposuit,& in ea ciuitatem ex duodecim cœlestis familiæ Iacobi tribubus descriptam ad umbrare uoluit.Omnino enim certam olim gentem ex tot populis Dominus selegit,in cuius religione,ciuibus, sceptro, terra, cœlo, supernam illam ciuitatem rege Christo inclytam, æterni Euangelij legibus confirmatam, stabilibus & firmis, non fluxis huius mundi bonis instructam,nobis significaret, ut in altera republica umbra, imago,species sub ministro Mose appareret: in altera res, corpus, expressaque ueritas, sub moderatore Christo Iesu Domino nostro

nostro eluceret, eiá sit gloria in æternum. Amen.

Ruben.) Numerantur liberi Iacobi naturæ, non gratiæ ordine seruato. altero enim Ruben, altero Iudas primogenitus regio splẽdore ornatus, cẽsebatur.

Septuaginta.) Pauca capita commemorantur, quo promissionis diuinæ fides maior eluceſcat iam aucta sobole, de qua mox: Filij Israel creuerunt.

Quo mortuo.] ab obitu patris cum uixisset quadraginta quatuor annos, ut qui natus trigintanouem annos esset, ingresso iam Iacobo in Aegyptum, & decemseptem annos cum eo in Aegypto uixisset.

Creuerũt.] Qui pauci fuissent, ut Deus staret promissis: Ne metuito, descende in Aegyptũ nã ibi in gẽtem magnã augebo te. Verba ex formula benedictionis, qua primus homo ornatus fuit hic cernitur, ברו רו ורבו ומלאו את ארץ.

Et quasi germinãtes multiplicati sunt.] Hebræum uerbũ וישרצו magna sobolis ui ac numero, instar numerosi quẽ maria edunt fœtus, auctos significat. nam paucis, ducentis nimirum & decem annis, paruus capitum numerus, in quot quæso millia excreuit? Infra sexcenta milia, præter pueros egressi ex Aegypto leguntur. Sunt qui putant ex uno utero sex fœtus editos, alij geminos crebro natos, neque id pugnare cũ naturæ. Scriptores rerũ autores sunt, Faustã quandã è plebe Ostiæ duos mares, totidẽ fœminas enixam. & repertam in Peloponneso quinos quater enixam, maioremq; partem ex omni eius uixisse partu. Et in Aegypto septenos utero simul gignã Trogo proditum. Quanto fœcundior redditur uterus, si hanc ubertatis diuinæ genitale uerbum fœcundauerit. At uerò si medicos consulas, quid hi decernant de numero fœtuum, quot qui in lucem editi uiuant, communi naturæ lege, nasci possint, apud illos uideris.

Et surrexit interea rex nouus] dissimilis qui tyrannus esset illi Pharaoni sub quo Ioseph uixit, qui regis nomen defendit. Exemplum illustre mutationis regij imperij in tyrannidem. Cum enim tria sint rerumpub. genera, regnum, optimatum imperium, & quæ communi nomine dicitur resp. regnum in tyrannidem, optimates in paucorum dominatũ, resp. in populare imperiũ sæpe degenerat. ימם Hebræis in loco existere & exoriri est. Mutatam unà cum rege imperij formam indicat uerbum חדש.

Qui ignorabat Ioseph.] immemor beneficiorum, quæ per Ioseph in Aegyptios collata fuerãt, ut solet breuis benefactorum memoria esse. Velut est apud Græcum uatem:

φῶ θεσπρότος ὡς ταχεῖα τοῖς βροτοῖς
χαρις διαῤῥεῖ.

Chaldæus interpres de neglectione ac contemptu legum quas Ioseph sanxerit, interpretatur. Is spectat ad tyranni ingenium, qui leges præclaras ferre recusarit, omnia pro libidine administrans. Nam in descriptione tyrannidis is locus uersatur. Submota umbra, si mystici Iosephi aduersarium spectes, ut is Messiæ cœlestis Iosephi beneficia contemnens, leges eius euertere studeat, declarat Daniel: Et putabit se posse mutare tempora & leges.

Ecce populus.) Exponitur cõsilium tyranni eiũ eius causa.

Sapiẽter opprimamus.) Hebræis התחכמה. utrumq; ualet sapienter & callidè ac uersutè agere, hoc est arte circumscribere ac circumuenire. Imitatur tyrannus serpentem satanam parentem suum, de cuius uersutia illud: Erat serpens omnium bestiarum terræ uersutissimus.

Egrediatur de terra.] Gossene. Verum igitur est illud Salomonis: Quod timet impius, accidit ei.

Magistros operum.] Qui de tyrannorum ut id conseruetur, imperio scribunt, hos operam dare produnt, quomodo suos tenues efficiant, ne opibus freti res nouas moliantur. In Hebræo est, שרי מסים, id est quæstores ac præfecti tributorum, qui ad immẽnuendas eorum opes tributa imperarent, & ea ab eis acerbè exigerent, impositi erant. Itaq; מסים à מס quod dissolui est, apparet deriuatum.

Aedificaueruntq; urbes.] Accedebant ad tributum quotidiana opera, quibus ne ad res nouas spectarem, opprimerentur. Vt est magnus tyrannorum metus, quo sibi à suis, quos infestos habent, metuunt, qui non expendunt, rerum omniũ nihil aptius esse quicquam ad opes tuendas ac retinendas quàm diligi: nec alienius, quàm metui. ut præclare ille:

Quem metuunt, oderunt: quem quisq; odit, perisse expetit.

Est in historijs Aegypti, tyrannos solitos suis imponere pyramidum extruendarum opus, ut sic detecti non auderent animos ad nouos motus adijcere. Iosephus igitur libro secundo Antiquitatum pyramides ab Hebræis ædificatas meminit.

Quantoq; opprimebãt eos.] Duo hic loci præclari cernuntur: unus, de mysterio crucis, ut in hac opes gloriæ et uirtutis diuinæ repositæ sunt. Legimus enim hic, in media afflictione Israelem auctum et corroboratum fuisse. Mysticus locus est, sanctorum robur in infirmitate carnis, in molestijs quas mũdus affert, in oneribus quæ grauissima satan intentat ac imponit, perficit. Intueare nostra sub antichristo tempora, consolabitur te quod hic legis: Quanto aũt grauius opprimebant eos, tanto magis crescebant et corroborabantur. Alter locus, ut infirmum sit impiorum consiliũ, firmũ uerò Dei, ostendit. Dicunt enim Aegyptij hic: Venite, opprimamus eum, ne amplius crescat ac propagetur. cõtrà Domini decreto factũ est, ut fieret quod hic dicitur, Quanto grauius, & c. Verũ est igitur illud prophetæ: Consiliũ impiorũ perit, consilium aũt Domini manet in secula. Is est cardo in quo sanctorum fides & spes uersatur. Leguntur hic Israelitæ uarijs calamitatibus probati, priusquam ad promissam gloriam perueniant. Quocirca ut plumbũ metallorũ fex in uase terreo adhibetur ad expurgandũ aurũ & argentũ: ita sanctorũ animi uasis corporum terrenis inclusi plumbo grauium tentationũ unà peccato & rebus aduersis in Aegypto huius mũdi purgantur, priusquam ad claritatẽ Dei perducantur.

Ode-

Oderuntq; filiõs Israel.) *Offensos eis fuisse tan quã spinis tale sonat.* ויקצו *Sie sind yhnen ein dorn in augen geuuesen. Hoc odium partim ex inuidia rerum prosperarum, quibus Israelitæ utebantur, partim dissimili religione quæ capitali odio animos dissociat, conflabatur.*

Luti & lateris.) *Arenatum & lateres durius exigendo, & omne rusticum operis seruitium asperius requirendo, uitam eis acerbam reddere cœperunt. Hæc grauia onera ad tributa quæ penderent, accesserunt. Sed his longè grauius malum additũ est. de quo sequitur: Luto occupãtur Israelitæ mystici, ad conficiendos lateres. subtracta figura qui Israelitæ ad humanarum doctrinarum lutum tractandum tam longo tempore adiguntur, non est obscurum. De hoc luto Dominus: Qui de terra est, de terra loquitur*

Dixit autem rex obstetricibus.] *Has Hebræi interpretes Hebræas ex sententia paraphrasis Hierosolymitanæ, Iosephus uerò Aegyptias fuisse dicit, subiuncta hac ratione: ὑπὸ γαρ τῶν ἐπέλσυρ αἱ διὰ συγγένειαν ἐμελλον μὴ παραβήσεσθαι τὴν τῶ βασιλέως βελήν. Alia, cũ prior non succederet, opprimendi Israelis uia tentatur. Exitium parat pueris Hebræis per obstetrices, quarum munus erat obstetricãdo parientes iuuare, & eorũ partum conseruare.*

Si masculus fuerit.) *Immanis crudelitatis exemplum. infantes insontes iussit necari, quibus feræ parcunt. Veri dissimile igitur non est quod prodit Iosephus, à quodam Aegyptio uate Pharaoni prænunciatum, ex Hebræis nascendum qui Aegypti imperiũ imminueret: quo præsagio tyrãnus incitatus tantopere in mares Hebræos grassatus sit. Simile cruãe litatis exemplum in Athalia Ohosiæ matre, in Herode item in Bethleemiticos infantes sæuiente uidere licet. Si extera spectas, sic in Cyrum Astyages, in Romulum & Remum Amulius sæuisse, literis proditum est. Hæc est ars conseruandi regni, quam orbis terrarum tyranni ex patre suo satana, qui homicida est à condito mundo, discunt & sequuntur.*

Timuerunt autem obstetrices.) *Locus de uere uerentiæ numinis Dei, quæ præferat tyrannorum mandatis Dei uoluntatem. Sequuntur hanc communem à Petro expositam sententiam: Præstat obedire Deo, quàm hominibus.*

Et non fecerunt iuxta præceptum regis.) *ut iniqua præcipientis, cuius dicto nequaquam fas esset audiẽtes esse. Cognouerãt imperia constituta à Deo esse, quibus fontes plecterentur, insontibus seruatis.*

Sed conseruabant mares.] *Satisfacientes muneri obstetricandi & præcepto Dei, Ne occidito: quod tyrannus cum natura pugnans contemnebat. Iterum fit irritum Aegyptiorum consilium, ut quod contra Dei decretum, de redimendis Israelitis contenderet.*

Nõ sunt Hebrææ sicut Aegyptiæ.] *defendendo se factum inficiantur, quæ ius prætendere non auderent, coram tyranno, quem scirent omnia ex libidine agere, iuris rationẽ nullam habere. Dicas, ergo mẽtitæ sunt obstetrices. Si ita, cur ergo legimur ornatæ à Deo beneficijs? Responsio: Non quia mentitæ sunt, remunerauit has Deus: sed quia in eos qui Deo chari erant, clementes fuerunt. Quarum misericordia mendacij salutaris labem obtexit. Veniam igitur his, non laudem mendacium, quo, ne Pharao ipsis noceret, usæ sunt, comparauit: clementia autem & laudem, & præmium. idem de Raaba Iericho meretrice iudicium.*

Bene ergo fecit Deus.] *Iopes, commodos maritos, liberos, ualetudinem largitus. Locus de Dei beneficentia, quæ nulla pietatis officia remunerare prætermittat. ut uerum sit illud Salomonis: Iustis retribuentur bona. Item Pauli, Pietas habet promissionem uitæ præsentis & futuræ.*

Et creuit populus.) *contra consilium Pharaonis. Vates Psalm. 105. dicit populum ita fœcundari, ut supra suos hostes auctus sit.*

Aedificauit eis domos.) *condens eis familiam per pietatem uidelicet obstetricum.* לחם *enim uidetur nonnullis referendum esse ad Hebræos. Septuaginta cum Hebræis referũt ad obstetrices. Varia est interpretatio huius loci. Prior sententia respondet superiori: Et creuit populus.*

Præcepit ergo Pharao.] *Publico edicto proferibuntur pueri Hebræi. Tertium crudelitatis exemplũ quo tentat delere Israelitas, sed uano conatu. Impiè enim illud oportuit: Augebo sobolem tuam ad numerum stellarum cœli. Hic typus, in numerosa progenie masculo Messiæ spiritu natis, & in sceptro Aegypti spirituali res ipsa expressa. Comparanda sunt mystica mysticis, & spiritualia spiritualibus.*

In flumen proijcite.] *Aquis quos abolere uoluit impius tyrannus, ipse infrà extinctis legitur, ut firma esset hæc diuinæ retalionis pœna: Impius parat foueam, in quam cadit. Miserrima hic Hebræorum conditio ad spectandum proponitur, quibus totius generis intentatur interitus extinctis masculis. Sed neq; id accidit præter Dei consilium ac morem, quem is in suis perficiendis seruat, qui primò bona et salutaria promittit: deinde fidem qua promissis credatur, requirit, tum fidem non uno calamitatis genere exercet ad eam corroborãdam ac confirmandam ad certam spem sub patientia, quæ est tolerantia afflictionum, quas scias te ferre bono tuo diuina uoluntate tibi impositas cũ indubitata fiducia salutis cõsecutuæ. postremò idẽ præstat quæ liberaliter promisit. Quod etiã contigit in hac Aegyptia longe grauissima seruitute Israelitis, priusquàm adirẽt terrã Chananæã maioribus dudũ promissam. Quare de libera tore tandem diuina bonitas prouidet, ut sequitur.*

IN CAPVT II.

EGressus est post hæc uir Leui.] *Narratio de natiuitate, liberatione & educatione Mosæ liberatoris Israelitici populi.*

Et accepit uxorem stirpis suæ.] *Huius uiri nomen Amram, et uxoris Iochabeda, ut infrà his uerbis legimus: Accepit autem Amram uxorem Iochabedam patruelem suam, quæ peperit ei Aaron*

nem & Mosen, atq; is Moses septimus fuit ab Abraha mo. Amramus enim filius Caathi fuit, qui Leui, Leui Iacobi, is Isaaci, qui Abrahami. Hic est cõtrouersia. Hebræi interpretantur, de Iochabeda filia Leui, aut Amrami, & eam unà cum sobole Iacobi ingressam in Aegyptum uolunt. Quòd si ita res habet, maior natu fuit Iochabeda eo tempore quo Moses nascebatur, quàm quæ apta ad concipiendam prolem esset, ut facilè licet inire rationem supputatis annis qui defluxere ab ingressu in Aegyptum usque ad natum Mosem. Itaque sunt qui Iochabedam hanc, de qua in hâ fit mentio, non fuisse illam Iochabedam quæ soror Caathi habetur, & filia Leui, sed aliam eiusdem cum illa nominis. Leui autem filiam appellatam, ut nepotes etiam auorum & atauorum filij appellantur. Aut dicetur, Iochabedam non ingressam cum liberis Iacobi in Aegyptum, sed longo tempore postea ex Leui natam, quàm is ingressus fuisset.

Videns eum esse elegantem.] cũ cuius pulchritudine putabat proculdubiè etiam animi uenustatem coniunctam esse.

Quæ concepit, & peperit filium.) Receptum est à rerum scriptoribus, conceptus & partus tempora cum lunari conuersione magnam habere cognationem, quòd perpetuò in eodem loco quo nascitur fœtus, luna ascenderit tempore cõceptus, & cõtrà. Atq; inde fieri, ut si cognitum sit tempus conceptus fœtus, partus quoq; tempus cognoscatur, ad lunarem motũ cõceptus et pariendi momentis pendẽtib.

Abscondit tribus mensibus.] per fidem. iuxta illud Apostoli: Per fidẽ cum natus esset Moses, occultatus est.

Cumq; iam celare non posset.) sine suorum et pueri periculo.

Sumpsit fiscellam scirpeam.] Exponitur consilium conseruandi pueri. Hunc proba mulier maluit diuinæ prouidentiæ permittere, quàm eum et se suosq; certo periculo obijcere, præsertim cum scirent parentes quartam ætatẽ adesse continentem hanc promissionem: Seculo autem quarto reuertentur huc. Itẽ illud Iosephi: Post mortem meam Deus uisitabit uos, & ascendere uos faciet de terra.

Ripæ fluminis.] De Nilo accipiunt. Aquis creditur qui ex afflictionum aquis populum selectum eraturus. De quibus aquis uates: Ex aquis extraxisti me. Aquis item seruatur in arcula exemplo Noæ, quib. impia Caini soboles et Aegyptij absorpti sunt.

Stante procul sorore eius.) De Maria intelligunt interpretes.

Et considerante euentu eius.) quid eo fieret sub cura diuina. Hæc multa, quæ non sperantur, expedit, ut alicubi etiam Græcus uates præclarè monet: τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρεν θεός.

Ecce autem descenderunt.) Exponitur, euentus consilij parentum, quem regebat per fidem illorum prouidentia. Iosepho auctore, nomen filiæ θερμοδίς.

Paruulum uagientem.] Is uagitus ad misericordiam mouendam aptus erat. Natura enim eorum qui miseri sunt, et omni humano præsidio carẽt, miserescimus. ideo sequitur: Miserta eius.

Accipe, ait, puerum istum.) Locus præclarus de ui fidei in prouidentiam diuinam, cuius beneficio pueru quem illi crediderant integrum & regijs impẽdijs nutriendum, parentes receperunt. Sic Deus principum orbis terrarum animos quò uult inclinat, ut seruiant illorum etiam saluti quos student perdere. ut uerum sit illud: Cor regis in manu Dei. Quæ Dei uis & eius exemplum hic editum ualet in similibus tentationibus ad sanctorum fidem confirmandam.

Quem illa adoptauit in locum filij.] pulchritudine & ingenio eius allecta, quibus etiam dotibus, pro eo laborante diuina prouidentia, in regis gratiam insinuatus fuit.

Vocauitq; nomen eius Moyses.) Etymũ Mosi et præsenti afflictioni, futuræq; liberationi cõgruẽs.

In diebus autem illis.] Narratio eorũ quæ gessit Moses, ut primùm ex pueris excesserit robore & ingenio confirmatus. Quæ narratio continet præclarum facinus quo ille specimen edidit futuri populi Israelitici liberatoris. Hypothesi igitur ad thesim reuocata, locus communis nascitur, magnos uiros à puero significationem suæ uirtutis & heroicæ fortitudinis dare. Itaq; Stephanus in Actis de Mose his uerbis testatur: Et eruditus est Moses omni sapientia Aegyptiorum, & factis & dictis ualebat.

Egressus est ad fratres suos.] Stephanus ætatem indicat: Vt uerò expletũ est ei quadraginta annorum tempus, subijt in cor eius ut inuiseret fratres suos Israelitas.

Viditq; afflictionem eorum.) ויראה, id est, ut cognosceret eorum onera quæ regio edicto imposita illis fuerant. Futuri liberatoris indicia hic exhibita sunt. exemplumq; diuini uiri spectandũ proponitur, qui posthabuerit regias aulæ delicias miseri populi saluti: quiq; non quæ mundus, sed quæ Dei oracula de olim liberanda gente sua monerent, secutus sit. Neque id mirum, ut qui de mundo non esset, consecratus uerbo ac fœderi Dei, quamuis in medio mundo uueret. Itaq; Dominus apud Ioannem: Non rogo ut tollas eos è mundo, sed ut serues eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. Proinde Apostolus de Mose: Iam grandis filius filiæ Pharaonis uocari renuit: potius eligens simul malis affici populo Dei, quàm temporarijs peccati cõmodis frui: maiores arbitratus diuitias probrum Christi, quàm Aegyptiorum thesauros. Hæc igitur agnouit hic Moses, primò Israelitarum genus sacrum & benedictũ esse in Semo à diuino fœdere, non Aegyptios: deinde sanctorum hominum esse, studia sua omnia accommodare Ecclesiæ piorum: demum, mundum & cunctas eius opes postponi Christo debere: neminiq; patêre in cœlum ingressum, qui cum illo crucis formas non induerit. Quæ à primordijs mundi omnibus pijs ad imitationem crucis agni propositæ sunt.

Percutientem.] per iniuriam, ut Stephanus ait: Et cum uidisset quendam iniuria affici. Dices, Si fas

occidere Aegyptium, cur clàm illum remotis arbitris occidere maluit, quàm apertè. Sin nefas, cur omnino occidit, qui legem hanc æternam nosset, Ne occidito. Quòd clàm interfecit, uitantis periculum fuit, quale declinat sanctorum prudentia. quòd autem omnino occidit, diuino id impulsu factũ est, qui lege, Ne occidito, non tenetur, ea cupiditatem & animi libidinem prohibente, Dei motus & incitationes laudãte. Quæras igitur, an ne hoc Mosæ exemplum imitari liceat. Exemplorum genus duplex est: unum legitimum, quod communi legi naturæ consentaneum est, Deum colere, parentes uenerari, nemini iniuriam facere, et c. Aliorum in certa & priuata ratione personæ cernitur quod singularis Dei motus in sanctis edit. Illud quidem omnino imitari ac sequi conueniet, hoc uerò cum singularis impulsio fidei per patefactionem diuinæ uoluntatis accesserit: qualis fuit in his qui præter communem legem quicquam præclarè designarunt. Diuino autem instinctu incitatum Mosen ad occidendum Aegyptium, significat Stephanus his uerbis: Existimabat autem intelligere fratres suos, quòd Deus per manus ipsius daret salutem illis.

Cur percutis proximum tuũ?] genere & Dei fœdere tibi iunctum. iusta accusatio ex iuris & æquitatis deprompta locis, & apta ei qui legislator & iudex Hebræorum erat futurus. Amplificatur crimen ab attributo personæ.

Quis te nobis principem.] Defensio ex remotione iudicis coniuncta cum ultio ingratitudinis, de quo Stephanus his uerbis: Hunc Mosem quem negauerunt dicentes: Quis te constituit principem & iudicem. Hæc est communis sors seruorum Dei. Sic prophetæ à suis excepti sunt. Sic Christus filius Dei tractatus est à suis, & inter suos, de quibus apud Ioannem: In sua uenit, & sui eum non receperunt.

Sicut heri percussisti Aegyptium.] Odiosa reprehensio, Israelitarum saluti aduersa Mosi periculosa, ideo sequitur:

Timuit Moses.] cuius uocatio nondum confirmata esset uerbo eius, qui postea per ignem locutus fuit de dumo. Locus is docet suas uices esse in sanctis metus & fiduciæ, infirmitatis & roboris. Metuit igitur hic Moses, ut olim maius fidei robur absterso metu acciperet. Proinde aliud in tentandis sanctis consilium satanæ est, aliud Dei. Is tentat suos infirmitate & periculorum metu, ut eorum fidem & uocationem corroboret: ille, ut deijciat & labefactet.

Quærebat{que} occidere.] ex tyrãnide quæ sibi metuens fortes uiros nequaquam tolerat. Itaq; præclarè ille apud Græcum uatem:

καὶ τὸν ἀείσυρον ὅς κεν ἄγυρται φρονέῃσι,
λυτέην δεδοικὼς τὴν τυραννίδος αἶσαν.

Qui fugiens.] Fuga non turpiter sibi metuentis erat. sed prudenter sibi & gentis suæ saluti consulentis expectantisq; occasionem confirmandi ad Israelitas liberandos, muneris. Neq; caruit hæc fuga exemplo. Sic Iacobus fugit Esaum, Dauid Saulum, Paulus ex Damasco aduersarios suos, Christus ipse Iudæos. Locus igitur communis ex his exemplis nascitur: Sanctis in tempore potentium tyrannorum furorem declinandum: & ei cedendum esse, ut superstiti muneri diuinitus iniuncto obeundo. Quem locum comprobat illud Christi: Si persecuti uos fuerint in ciuitate hac, fugite in aliam, non incommodi metu, sed spiritus conscio.

Moratus est in terra Madian.] Iosepho authore urbs fuit ad mare rubrum sita, cui nomen dedit Madiã Abrahami filius ex Cethura natus, ut in Genesi dixi. Madiamitæ cum Amalechitis, Ismaelitis & Idumæis uno nomine Arabes dicti Petræi ab urbe Petra metropoli, tenuerunt loca ab Elana uilla emporio celebri rubri maris usq; ad Surem solitudinem Aegypto confinem.

Et sedit supra puteum.] cui per deserta Arabum ἀδύσοδος iter fecerat.

Erant autem sacerdoti Madian.] Chaldæo interpreti pro כהן placet רבא principi Madianitarũ. Nam כהן & principem interdum significat, uelut in libris Regum legitur Dauidis filios כהנים fuisse. Iosephus ἱερέως habet. Vtrumq; enim olim munus regium & sacerdotale obibant principes. Itaq; philosophus quidã sapienter requirebat in principe ut τύραννος, βασιλεὺς et ἱερεύς, id est imperator, iudex, & sacerdos esset. Quam dignitatem uetus primogenitura eius habuit. Qualis aũt sacerdos fuerit Raguel, ex eo licet ne idolorũ, an Dei, non opus ea de re fuerit disceptare. Infrà in familia hac semina quædam pietatis ab Abrahamo relicta cognoscimus ex ijs quæ confessus est Iethro de Deo Israelitarum: Nunc cognoui quia magnus Dominus super omnes Deos.

Quæ uenerant ad hauriendam aquam.) de more apud Arabes, quorum opes in gregum pastione erant, mulieribus pascendi pecoris curam gerentibus occurrunt ad puteum Mosæ peregrino et exuli filiæ Raguelis, ut antea seruo Abrahami Rebecca elocanda Isaaco, & Iacobo Racheli ad puteum occurrerat.

Et defensis ancillis.) Aliud specimen futuri munerum iudicis. Qua ex re occasio ad res maximas gerendas illi oblata fuit. Defendit puellas uir iustus ac innocentes & iniuriæ opportunas aduersus iniustos.

Iurauit ergo Moses.] ויראל, id est cum illo habitare uoluit. Latina uox ab Hebræa non longè dissentit. Similiter Chaldæus ויצבר. Vt habitaret cum eo partim cura diuina, quam hac in re agnoscebat, pro se laborantem: partim propinquitas, qui de genere Abrahami esset: partim pietas & sapientia uiri cumulum addidit. Quanta enim is uir sapientia præditus fuerit, postea clarum erit. Itaq; fuerunt qui crederẽt hunc Rhaguelem socerum Mosæ Mercuriam Trismegistum quia valde consentanea Mosæ scripsit fuisse.

Gersom.] Ab exilio nomen inditum. quo admonemur bonitatis diuinæ, quæ suos in exilio nõ solũ nõ deserat, sed etiam amplissimè ornet, ut hic Moses principis Madianitarum fauore, opibus, liberis exornatus fuit. Sunt ergo huiusmodi apud Hebræos nomina ab euentu munerum Dei imposita sacra diuinæ clementiæ symbola ac notæ ijs qui propter iustitiæ professionem

nem exules sunt. Post multum uerò temporis.) expletis annis quadraginta ab eo tempore quo Moses ad Raguelem uenit, ut Stephanus in Actis indicat his uerbis: Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sinæ.

Mortuus est rex Aegypti.) ut liceret Mosæ redire in Aegyptũ, qui illo uiuente exul factus fuerat.

Et ingemiscentes filij Israel.] horum cum nouo rege misero statu non mutato, sed aucto.

Ascenditq; clamor eorum.] de terra in qua miserè conquassabantur in cœlum sedem Dei. Itaq; alicubi legimus: Oratio humiliantis se nubes penetrat.

Ad Deum.) uindicem oppressorum, & iustum tyrannorum ultorem. ideo sequitur:

Et audiuit gemitũ eorũ.) nõ dignitatẽ, nõ iusticiã, nõ merita eorũ. Hæc sũt arma eorũ, q ex malis liberari uolũt, gemitus, preces, ac inuocatio Dei. Itaq; Psal. per locum communem: Non obliuiscitur Deus clamorem pauperum. Hoc Dei ingenium cognoscere discant tyranni orbis terrarum, ut posita aduersus miseros sæuitia, ad se redeant, animaduertẽtes quid illud sit: Ne clamet contra te ad Dominum, & cedat tibi in noxã.

Et recordatus est fœderis.] quod, ut uerax, non non posuit rescindere. Legimus hic Deum in liberandis suis duo inspicere: unum, miserorum calamitas est & preces: alterum gratiæ & clementiæ fœdus. Formula igitur hic rectè orantium præscribitur, Deo miseriam proponere, & eum sui fœderis et promissorum per fidem admonere. Quod cum fit, cum Israelitis impetramus quod petimus. Hic ergo discimus quanta cõiunctio sit precationis et gemitus cũ fœdere Dei, ut non possit non in illo scriptorum oratio cœlos penetrans ad thronum gratiæ, exaudiri.

Et liberauit eos.] ויידע, id est & agnouit pro suis uidelicet quos liberaret. Est enim ידע amanter pro suis agnoscentis uerbum. Ideo Chaldæus hic: ראבריח למפקרון במצרים

IN CAPVT III.

Moses autem pascebat oues.) e quarum pastione ad principatũ gentis suæ euocaretur. Idem exemplum in Saulo, in Dauide licet cernere. Talibus initijs diuina sapientia ad res magnas progreditur, quæ in deijcienda mũdi sublimitate & in efferendis suis de humili statu, elucet.

Iethro soceri sui.) Similiter Græci, τῶ πενθερῶ αὐτῶ. Itaq; sunt qui Raguelem auum Ziporæ & patrem Iethronis fuisse dicunt, freti illo quod infrà legitur: להובב בן רעיאל Iethronem enim & Hobebum appellatum confirmant.

Ad interiora deserti.) Paraphrastes בתר שפר רעייא, id est ad læta pascua. Similiter Iosephus, q bũc montem altissimum esse prodit, & ad pascenda pecora commodum. τετράγωνον ὑψηλότατον τῶν τότε ὀρῶν πρὸς νομὰς ἄριστον ἀγαθὸς φυομένης πόας.

Ad mõtẽ Dei.] Per anticipationẽ ab ijs quæ postea ibi diuinitus gesta sunt, is mons ita appellatus. Ideo Paraphrastes, ראתא לטור ראי ראיתגלי עלוהי יקרא, nisi uelimus montem Dei Hebraicæ linguæ more dictum, quòd altissimus esset.

Horeb.) Binominis fuit is mons, Sina uocatus & Horebus, altero nomine à Dumo, altero à siccitate indito.

Apparuitq; ei Dominus.) Hebræus: Angelus Domini. Is Christus est, si auctoritas spectetur, cui principis angeli Dei nomen apud Malachiam competit, atq; is mox Deus uocatur. Sin ministerium, minister angelus accipitur, per quem Dominus Christus de rubo Mosem alloquitur. Legimus enim in Psalm. Qui facis angelos tuos spiritus & ministros ignem flammeum. Describitur hoc ostento iudicium Dei exarsurum in Aegyptios ad liberandum Israelem. In quo uidere licet iudicem Christum, ministros iudicij uindicationem populi selecti, damnationem hostium. Iudex Dominus ipse est. Ministri iudicis, angeli sunt, de quibus Daniel: Decies centena milia ministrabant ei. Ignis de medio dumo splendens uis iudicij diuini quòd igni ob puritatem, claritatem & uim comparatur. De quo idem Daniel: Thronus eius flammæ ignis. Selectus populus dumus est ardens igni calamitatum, sed quo ille consumi nequeat, ut quem claritate Deus sui iudicij expoliat ut feruet, non coquat ut perdat. Itaq; ignis afflictiõ qui hic apparet Mosæ, suprà quoq; Abrahamo apparuit, Gen. decimoquinto. Ea quæ circa dumũ sunt, Aegyptios notant diuini iudicij igni ut condemnatos noxæ deuorandos. Denunciator iudicij Moses deligitur, sed certa ratione prius parandus, q̃ ad tam sacrã legationis munus admittatur. De singulis ordine.

Mosæ Mosæ.) Amanter & simul seuerè admonẽtis geminatio.

Solue calceamenta.] Explicatur modus præparandi legati diuini, abnegationis sui & cessionis de iure ueteris naturæ & uitæ symbolum proponitur. De quo nisi decessum sit, Dei uerbo audiendo & muneri diuino perfungendo non reddimur apti. Cessionis aũt de iure suo signum esse calciamentorum de pedib. detractionem, indicat liber Ruth. Sunt & pedes, hoc est affectus noui qui calceamento, de quo Apostolus, Calceati pedibus ut parati sitis ad Euangelium pacis, calceantur.

Locus enim in quo stas.) quem tu profanum putas, & pecoris pastioni deputatum.

Terra sancta est.) uerbo meo & oraculis diuinis sacrata, quorum dispensatorem posthac ages, qui futurus sis non ouium sacerdotis Madianitarum pastor, sed Israelitarum, qui oues sunt eius qui hic de dumo tecum loquitur, & ad quas seruandas olim ueniet apertè cum suis siue tectis ostentis colloquiturus. Exponitur causa exuendorum calceamentorum.

Ego sum.] Significatio ostenti ad quod spectandum Moses temerè accesserat. et causæ uocationis Mosaicæ explicantur.

Deus patris tui.) præstaturus tandẽ Israelitis quæ maioribus istorũ liberaliter promisit. Declarat nomẽ apparentis & loquentis de dumo.

Deus Abraham, Deus Isaac.] Locus is memorabilis est quo Dominus in Euangelistis utitur ad confirman-

firmandam resurrectionem mortuorum.

Abscondit Moses faciem suam.] *non ferens aspectũ gloriæ eius, qui secum loquebatur è dumo, sed ferendum eo tempore de quo Apostolus: Quoniam Deus est qui iussit è tenebris lucem illucescere, qui luxit in cordibus nostris ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Iesu Christi.*

Videns uidi afflictionem.] *Explicatur ardens dumus. Interpres retinet Hebraicam* ἀναλήμψιν *quæ confirmandi fit causa. Congruit in populum diuinum rubi appellatio, qui miserijs huius mundi inuolutus sit, non secus ac dumus sentibus. Sic apud Salomonem ecclesia rosæ inter spinas nascenti comparatur: Sicut rosa inter spinas, sic amica mea inter filias.*

Populi mei.] *haredis mei ex fœderis iure.*

Descendi.] *Respondet illi superiori: Ascenditq; clamor eorum. Deus de cœlo dicitur descendere, cuius sedes dicatur cœlum, ut est apud Iesaiam: Cœlum sedes mea. Descendit igitur, cum suos liberat, & impios hostes perdit. Quare paraphrastes pro Descendit,* ירחתגלית *uertit, explicata in descensus.*

Et deducam.] *Hebræum uerbum* ולהעלותו *ad mysticam significationem aptius est. Notus enim in decliui sitæ Aegypti situs est. Quæ* מצרים *à Mizraim filio nomen Chami habet. Cuius etymũ si quis requirat, is perpendat quid* צרר *sit.*

De terra illa.] *plena fœditate & turpitudine. Velum mysticum remouendum.*

In terram bonam.] *ad præstandum promissum illud: Seculo quarto reuertentur huc. Per contentionem Aegyptũ opponit Cananæa, quo redemptionis beneficium maius appareat, crucis mysterio indicato.*

In terram fluentem lacte & melle.] *affluentem omnium bonorũ copia. Itaq; Iosephus* σὺ λείμονα *uertit. In hoc lacte & melle typus. Veritas in cœlestis hæreditatis lacte et melle, quod sapientiæ diuinæ lac & mel est, cernuntur, quo uescitur Meßias caput Israelitarum, hoc est scriptorum in libro uitæ, ut habet prophe ta: Butyrum & mel comedet, ut sciat fugere malum, & persequi bonum. Hoc lacte sapientiæ quod præbet cœlestis Chananæa, aluntur paruuli spiritu renati, de quibus illud: Nisi efficiamini sicut paruuli, non ingrediemini in cœlorũ regnũ. Atq; hæc etiã terra hic promissa suppeditat. Etenim hæc abundauit prophetis: ex ea Euangelium affluens tam salutari lacte & melle in orbem terrarum profectum est. Vt est apud prophetã: De Sione exit lex. Lex scilicet Euangelij.*

Amorræi.] *ceius sceleribus impletis, de qua suprà: Necdum enim impletæ sunt iniquitates Amorræorũ.*

Clamor ergo filiorum.] *Concludit causas uocationis Mosaicæ.*

Sed ueni, & mittam te.) *Accommodat causas ad euocandum Mosem.*

Dixitq; Moyses ad Deum.] *Dehortatio Mosæ continens locos difficilium.*

Quis sum ego?) *homo rerum imperitus & inermis pastor.*

Vt uadam ad Pharaonem.] *potentissimum tyrannum.*

Vt educam filios Israel.] *tanta tyrannide uexatos. Nõ igitur oratio hæc cõtumaciter inobedictis Mosæ fuit, sed confitentis imperitiam suam et tenuitatem, populiq; miserè oppressi miseriem. Quæ confessio plena submissione extorsit hanc quæ sequitur confirmationem, qua sustulit omnes rerum difficilium quos Moses proposuit locos.*

Ego ero tecum.] *spiritu meo, ut quod tu ope tua facere non potes, mea efficias. Insignis Dei corroborantis & consolantis uox, & præsenti legationi necessaria.*

Et hoc habebis signum.) *Promissionem confirmat nouo oraculo de colendo Deo in monte Sina, in quo apparuerat.*

Inmolabitis Deo.) *patrio, relictis idolis Aegyptijs: quibus ut contaminati fuerint Israelitæ, declarat Ezechiel propheta: Vnusquisq; offensionem oculorum suorum abijciet, & idolis Aegypti nolite pollui. Item: Nec idola Aegypti reliquerunt.*

Super montem hunc.] *cultui oraculorum meorum consecratum, non decliuem & profanam Aegyptum. Eodem modo suprà Iacobus legitur relictis Sichimitis Bethelem montem petijsse, in quo Deo sacrificaret.*

Ait Moses ad Deum.] *Percunctatur de nomine diuino quod sit, qui istud Aegyptia fœditate pollutus ignoraret. Quis enim temerè sequatur eum qui ne nomine quidem sit cognitus?*

Ego sum qui sum.] *Heb. Ero, qui ero. Ostenditur nomen quod quærebat. Duo autem istud indicat: alterum diuina natura est, alterum uis eius. Natura quidem tanquam æterna et immutabilis, nulliq; labi obnoxia, ut quæ fuerit, quæ sit, & in omnem æternitatem eadem manens futura sit. Hanc firmam Dei naturam futuro* אהיה *exprimi uolunt interpretes, quod futurum hoc præteritum, & præsens & futurum comprehendat, ut licet cernere in his uerbis:* אהיה אשר אהיה. *Huc spectans Ioãnes in hunc modum ait:* ἀπὸ ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. *Græci uertunt futurum per præsens,* ἐγώ εἰμὶ ὁ ὤν, *quòd frequẽter apud Hebræos futura pro præsentibus accipiantur. Hos Latinus interpres sequitur. Vis autem diuina, quod alterũ erat, in eo ostenditur, quod omnia à Deo existunt, uitam habent & motum, & ab eo ut orta sunt, conseruantur. quam uim declaraturus Apostolus, his uerbis eam nobis exponit: Per ipsam enim sumus, uiuimus & mouemur. Eóàem pettinet nomen* יהוה *quod quoq; naturæ diuinæ, uitæ & conseruationis munere in cuncta rerũ clementer sparsæ ac diffusæ nomen est. Notum porrò est uerbum* היה *apud Hebræos, unde* אהיה & יהוה & יהוה *deducuntur. Proinde ubi hic legitur, Ero qui ero, post immutabilem naturam Dei ostenditur etiam eius qua sit populum suum prosecuturus benevolentia, futurum uidelicet se talem esse posteris patrum, qualem se olim eis promisisset fore, ut sequitur in ipso contextu: Deus patrum uestrorũ misit me ad uos, Etenim ut promissionibus cum suis Deus omnia agit, ita ad fœdus ciuium & ad fidem quæ promissis habetur, se-*

se at-

se attemperat. Atqui Deus pater quoniam in filio Messia promissa sua suis præstat, eosq; cõseruat, hũc etiam hic significari sancti homines uolunt.

Qui est, misit me ad uos.] אהיה id est ero, misit me ad uos, id est qui staturus est conuentis suis. Ideo sequitur:

Dominus Deus patrum uestrorũ.] Is qui solutus est uobis quæ maioribus uestris de uobis liberaliter promisit.

Hoc autem est nomen meum.) Bonitatis quidẽ, qui uelim uos liberare: & potentiæ, qui possim: & ueritatis, qui omnino sim seruaturus fidem fœderis mei. Hoc ipsum est in omnem æternitatem stabile nomen Dei, & fidum salutis in Dei fœdus ascriptis aduersus cunctos casus monimentum. Quod quidem salutare potentiæ, bonitatis & ueritatis nomen ex immutabili natura Dei nascitur, quæ in uerbis diuinis iam inducatis declaratur.

Seniores Israel.) qui fœderis Dei & eorum quæ promissa fuerant notitiam tenerent.

Visitans uisitaui uos.) Vt promiserat Iosepho, qui iam mortem obiturus in hunc modum uaticinatus est: Post mortem meam Deus uisitabit uos. Recordandi & recognoscendi uerbum est, פקד curam Dei erga suos declarans: Iam in eo sum, ut recognoscam omnino res uestras ad liberandos uos. Hortationis formulam præscribit locum beneuolentiæ diuinæ et commodorum continentem.

Dominus Deus Hebræorum.] ad sui cultum tam olim in maioribus destinatorum.

Sed ego scio quòd non dimittat uos.) obfirmatus aduersus oracula mea. Obiectioni quã suprà mouit Moses, occurrit.

Extendamq; manum meam.] Quod tuis uiribus deest, potentia mea supplebo. Respõdit illi: Quis sum ego? in manu decem plagæ notantur, de quibus infrà mentio fiet. Cum uoluntate liberandi Israelitas locus facultatis ad confirmandam Mosæ fidem coniungitur.

IN CAPVT IIII.

REspondens Moses, ait.] Exponit Moses duram & difficilem uocationem suam fore, partim à sua persona, partim ab Israelitarum misero statu, partim à potentia tyranni.

Non credent.) tanta sub tam potenti tyranno calamitat obruti, quæ omnem fidem et spem uincat. A persona populi liberandi.

Neq; audient uocem meam.) Contrà suprà Dominus: Et audient uocem tuam. Non leuis igitur pugna cum uerbo Dei hic indicatur, qua Mosæ uocatio iactata fuit, sed nõ sine profectu auctúq; certantis fidei, de quo mox.

Non apparuit tibi Dominus.) qui nos liberet, qui simus miseriores quàm ut possimus sperare liberationem: & Pharao potentior, quàm è cuius tyrãnide uindicemur in libertatem. Sed quum Deo hoc modo grauitatẽ muneris sui proponit, ea præsidia in tuenda legatione, & ea approbanda suis consequitur, quæ iam audiemus.

Dixit ergo ad eum, Quid est.) Edendorum portentorum donum tribuitur Mosæ, quibus suam uocationem probet Israelis liberandis. Vsus igitur miraculorum hic cõmendatur, ut credam quòd apparuerit illis Dominus. Respondet illi: Non apparuit tibi Dominus.

Et uersa est in colubram.] Apta portenta hæc erant Israelitis miserè prostratis, & statim diuina ope erigendis. Serpentis humi deiecti conditio satis nota est, ex diuina sententia in eum ut humi reperet, terræ puluerem lingens, lata. Docemur igitur hoc signo diuinæ uirtutis et potentiæ uirgam, non prius uirgæ munus, hoc est diuinum & salutare erga suos Israelitas munus declarare, quàm in terram ea proiecta horrida & dira appareat. firmum enim est illud: Deus mortificat, & uiuificat: ducit ad inferos, & reducit. Velut etiam Messias ipse prius serpentis maledicti maledictum & peccatum factus speciem induit in terram deiectus, quàm in cœlum elatus iutam suis Israelitis, hoc est electis daret.

Mitte manum tuam in sinum tuum.) Eódem pertinet etiam hoc portentum. Nos enim legimus alicubi: Dominus percutit, & sanat. Hæc est uicissitudo operum Dei, in qua se suis declarat Dominus, prius ostendens colubri speciem quàm salutaris uirgæ, lepræ quàm sanitatis, iræ quàm gratiæ, inferorũ quàm cœli, mortis quàm uitæ: sicut etiam prius posteris Abrahami Aegyptus fuit degustanda, quàm sub spe ingrederentur in terram fluentem lacte et melle, quam Deus Abrahamo ad possidendum promiserat. Cæterùm quæ insit in lepra notatio, ea de re infrà in Leutico monebitur.

Sume aquam fluminis.] Hoc signo uidetur notari Aegyptiorum deletio in mari rubro, & primogenitorum necatio. Aquarũ mentionem cum sanguine coniũgit, quòd sanguinis, in quo uita posita est, materia aqua sit. Duplex igitur huius generis portentorum cernitur usus: unus, qui in confirmanda legatione: alter, qui in repræsentandis ijs rebus quæ tum cum Israelitis, tum cum Pharaone erant gerendæ, uersatur: sed ea ratione ut reducto uelo ea quæ Israelitis et Aegyptijs acciderunt, nobis quoq; qui in terminos mundi incidimus, accidere sentiamus.

Ait Moses, Obsecro Domine.] Grauem facit uocationem à sua persona.

Non sum eloquens.] Infantiam causatur, qui non ignoraret, ut homo in aula regia educatus, legatos decere in rebus magnis & ad magnos agendis eloquẽtiam. Hebraismus איש דברי pro eloquẽs ac dicendi peritus. Modestiæ exemplum in Mose, non diffidentiæ erga Deum ostenditur: quorum alterum demisse de se sentientis erat, & arrogantiæ suspicionem declinantis: alterũ contumelia afficientis Deum fuisset.

Et ex quo locutus est cum seruo tuo.] Præcla-

rus locus quo docemur industriæ, eloquentiæ & naturæ uiribus emori nos prius oportere, quàm diuinæ dotes nobis contingant. Cœpit ex colloquio Dei oris & linguæ tarditate laborare Moses, ut in eius ore cœlestis facundia uim suam ostenderet, ut sentiret, ac experiretur quid esset, quod Dominus quem ex rubo loquentem audiuerat, dicit: Non enim uos estis illi loquentes, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis.

Dixit Dominus ad eum.] Refutat obiectionem Mosaicam, à potentia sua ducta ratione.

Qui fecit os homini.) Confirmat potentiam operibus à se editis.

Perge igitur, & ego ero in ore tuo.) Concludit argumentationem suam, opis & salutaris præsidij nomen אהיה cuius suprà meminerat, repetens. Atq; qui hæc promittit, Christus est, quem his uerbis etiam Apostolis pollicentem legimus: Dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere neq; resistere omnes qui aduersantur uobis. Magna igitur dignitas legatorum Dei est, in quorum animis & lingua præsens Dei numen uersari hic cognoscimus.

Obsecro Domine, inquit, mitte quem missurus es.] aptum aliquem isti muneri. pergit deprecari munus, nondum satis confirmatus animo & fide. Sunt qui Christum significatum à Mose uolunt quẽ sciret mittendum seruatorem Israelitarum. At is ex oraculo Iacobi cognoscere potuit mittendi Messiæ tum non fuisse tempus, ut qui ipse prædixerit prophetam post se excitandũ cui Israelitæ nisi obedirent, id ipsis capitale fore. At quæ hic quispiam obijciat non est obscurũ, quibus facile liceat occurrere. Sunt qui à Mose his uerbis Aaronem significatum putant, quem uoluerit à Deo mitti ut hominem eloquentem inter suos habitum. simplex sententia est exposita.

Scio quòd eloquens sit.) Hebraismũ rectè uertit כידבר ידבר In futuris enim Hebræis facultas sæpe exprimitur. locus de commendatione eloquentiæ & uarietate donorũ Dei, non omnia munera à Deo tribui omnibus, sed alia alijs, quo communicatio studiorum & beneuolentiæ conseruetur in societate humana. Quod etiam Græcus uates intellexit:

ἀλλ' ὅπως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισιν.

Loquere ad eum.) Mosæ fore uerbis Aaronem instruere, hoc est ea quæ loqui referat, suggerere. scitẽtia ergo rerum gerendarum in Mose fuit, res autem eloquendi peritia, in Aarone. utrunque in uno Christo.

Tu autem eris in his quę ad Deum pertinẽt.] Sequitur Septuaginta, σὺ δὲ αὐτῷ ἔσῃ τὰ πρὸς τὸν θεόν. Heb. ואתה תהיה לו לאלהים, id est tu autem eris ei pro Deo, cuius ori nimirum moderaberis monens quæ loquatur. אלהים in loco doctor, princeps, moderator est. ideo Chaldæus hic pro אלהים uertit לרב.

Virgam quoq; hanc.] tanquam futuri imperij sceptrum, & diuinæ uirtutis symbolum. De hoc pedo Micheas: Pasce populum tuum pedo tuo.

Et reuersus est ad socerum.] Locus is ostendit uocationi diuinæ non repugnare humanitatis studia.

Mortui enim sunt omnes.) Occurrit ijs quæ impediebant reditum, quo confirmatior ad redeundum iam redderetur Moses.

Qui quærebant animam tuam.) petentes uitam tuam, Hebraismo noto.

Portans uirgam Dei.] uirtute diuina in ea declaranda insignem.

Ego indurabo cor eius.] editis signis quibus non credet. In quæstione de impiorum induratione quæ diu multumq; & à multis agitata est, explicanda, hæc uidentur perpendenda esse, primò quid animorũ induratio sit, deinde quæ eius origo & causse, tum quid efficiat, & quis eius exitus sit & finis, demum errores qui in hoc argumento explicãdo cõmittuntur, perstringendi fuerint. Quid autem pectorum obturatio sit, definitione ostendendũ erit, indurari nihil aliud esse quàm impios Dei spiritu destitutos, sanæ tyrannidi & suæ ipsorũ quã in persequendis pijs expleant, libidini qua pereant, relinqui, ut potentiæ & iusticiæ diuinæ nomen erga rebelles, & bonitatis erga fideles in mundo hoc illustretur. Hanc finitionẽ Pharaonis, Chananæorum, Sauli, Achabi, Iesabelis & eorũ qui his temporib. probos homines propter Euãgelium crudeliter insectantur, exempla clarè comprobãt. singulas autem partes propositæ definitionis ea quæ afferentur, explanabũt. in caussis obfirmationis animorũ quædã efficientes, quædam finis habentur. De fine pòst uiderimus. de origine iam quædã attingemus. Indurationis partim Deus, partim satan, partim uoluntas eorũ qui indurantur, caussa fuerit. Etenim de Deo legimus hic: Ego indurabo cor eius. De Pharaone autẽ, Indurauit cor suum. ut satã uerò illius et omnium scelerũ autor sit, satis cõstat, de quo legimus illud: Qui facit peccatum, ex diabolo est. At uerò ne quis hic erret, aliter satan, aliter impiorũ uoluntas, aliter Deus in rationem caussarũ indurationis sceleratorum hominũ uenit. Deus enim indurare dicitur, quatenus rebelles spiritu suo destitutos in omnia uitia prolibidine labi permittit, nec eorũ uoluntatem nec scelera probans, quorũ non magis sit caussa quàm sol tenebrarũ, quæ illius abscessu oriuntur, accessu appulsuq; euanescunt. Etenim Deus qui honesta præcipit, & turpia tanq̃ æterna iuris omnis lex prohibet, malã uoluntatẽ & quæ ex ea scelera proficiscuntur, nunquã probarit, neq; quenquam ut uelit mala, incitarit. firma enim hæc de Deo testimonia sunt: Deus non uolens improbitatem tu es. Item: Concupiscentia carnis non ex patre, sed ex mundo est. Itaq; Deus non aliter obstinare improborũ corda dicitur, quàm permittendo, dum eos sæuo spiritu qui, eorum saxea pectora molliat, destituens, libidini tyrannidiq; satanæ permittit. contraria ratione satan indurare intelligitur, qui sic indurat, ut ei in obfirmatis improbitas placeat quam cupiat perfici, qui in impijs & ad interitum destinatis uasis ut princeps peccati caussa agit, ueluti his uerbis Apostolus docet. Iuxta

iuxta principatum spiritus acris qui in rebellibus operatur. item: Qui facit peccatum, ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat. Ex diabolo igitur tanquam ex patre delictorum dicuntur nati qui peccant. Hinc illud: Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est & eius Dei pater. Hæc de satana. Impij autem se indurant quum satanæ ad mala impellenti obsequuntur, Deo honesta & salutaria mandante contempto: & quum ueritate repudiata qua seruentur, mendacijs quibus pereant sua sponte fidem habent. De hoc genere indurationis qua se impij suo exitio indurant, sic loquitur Apostolus: Et cum omni deceptione iniustitiæ in ijs qui pereunt pro eo quòd ueritatem quam diligerent, non requirunt in hoc ut salui fierent, propterea mittit eis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio, ut iudicentur, hoc est condemnati pereant sua ipsorum culpa, qui seruari ueritati credentes nolint. Quod si quis exempla requirat, occurrit hic Pharao, qui renuens aurem præbere oraculis Dei per Mosem expositis, satanæ mendacijs per Aegyptios magos propositis credens, exitio destinatus misere interijt. Hæc breuiter de origine & causis indurationis. de exitu & fine iam dicemus. is funestus & miser induratorum interitus est, ut eorum quos Deus tanquam ceram spiritu filij sui Iesu Christi emollit, salus. Nam indurati cum rectore suo satana tandem infeliciter pereunt, ut Caina soboles diluuio absorpta, Sodomæi & Gomorræi cœlesti igni extincti, Pharao mari rubro submersus, documento sunt. Dei uerò monitis obedientes, ut Noa, Lothus, & hic Israelitæ exemplo sunt, seruantur. Etenim in utranque partem Deus iustus iudex est, dum & improbos punit, & probos præmijs ornat, ad illustrandum nomen iustitiæ, bonitatis & potentiæ suæ, qua finis est indurationis impiorum, & emollitionis piorum. De quo fine Deus in hac ipsa narratione sic meminit: In hoc ipsum excitaui te, ut narretur nomen meum in uniuersa terra. nomen uidelicet potentiæ & iustitiæ, qui superbos crudelesq; tyrannos deijciam & euertam, iusta de eis pœna sumpta, meis in libertatem pro mea bonitate uindicatis. Huc spectans Apostolus eundem hunc Deo propositum finem de uasis gratiæ & iræ his uerbis exponit: Quod si Deus uolens ostendere iram & notam facere potentiam suam, tulit multa animi lenitate uasa iræ apparata in interitum, & ut notas faceret diuitias gloriæ suæ erga uasa misericordiæ quæ præparauerat in gloriam. Is finis menti diuinæ propositus indicat pariter omnia tum bona, tum mala, tum felices, tum infelices casus in consilium uoluntatis diuinæ cadere, atq; prænotione eius ineuitabili cuncta euenire, nihil temere, casu atq; fortuitò. Consilium & prænotionem declarant illa: Excitaui te ut narretur nomen meum. item: Ego induraui cor eius. item: Vasa iræ esse apparata in interitum. item de Achabo: Nunc ergo ecce dedit Dominus spiritum mendacem in ore omnium prophetarum tuorum, ut tibi malum & exitium machinetur. Atqui quum hæc de indurationè dicuntur, solent quædam quæstiones moueri, quibus occurrendum uidetur. Vna est, Deum non solum impios suæ ipsorum uoluntati ac arbitrio relinquendo, sed etiam mouendo impellendoq; indurare. Legi enim hic: ראחדם. item: In hoc ipsum te excitaui. Quæ uerba non permissionem, sed motum, incitationem & impulsionem declarent. qualis etiam motus indicatur apud uatem Psalmo centesimoquinto: Conuertit animos eorum ad populi sui odium. Vbi affirmamus à Deo impios permittendo in malo obfirmari: non sic intelligendum id esse uolumus, ut in permissione Deo uis mouendi adimatur, sed uolumus ei mouendi cui probentur illorum scelera uim adimi. Siquidem quod aguntur in cogitandis malis & eis expetendis, id in Deum tanquam omnia efficientem agentemq; caussam cadit. qui nisi conseruaret, moueret & agitaret res à secondit as siue bonas, siue malas, hæ neq; mali, neq; boni quicquam cogitarent aut facerent. Actiones igitur omnes & motus in Deum referuntur: prauitas autem quæ cernitur in motu & actione, satanæ & impiorum uoluntati, non Deo tribuitur. Is porrò quamuis improbos moueat, non tamen aliter eos mouet quàm eques bonus malum equum mouet atq; agitat: cui ut claudicatio cum agitatur, uitio datur, non equiti: ita improbis cum aguntur à Deo, sua improbitas imputatur, non agitationi diuinæ. Sanentur hi, tam bene agitabũtur q̃ probi. Aliter igitur à satana mouentur mali, aliter à Deo: ab hoc bene, qui bonũ consilium propositũ habeat: ab illo malè, qui malum. Alter enim in impiorũ indurationè Dei gloriam imminuere, & oracula eius ne impleantur impedire, salutemq; piorum labefactare studet: alterius uerò consilium eò spectat, ut potentiam suam cum summa bonitate & iusticia coniunctam declaret. satan in agitandis impijs ostẽdit se rebellionẽ illorum aduersus Deum obiectari, Deus uerò se eam detestari. satan suum mendacem spiritum ijs quos regit, affundit: Deus suum ueracem subtrahit, atq; ita non aliter mouet impios quàm bonus aliquis artifex instrumenta mala mouet. satan in mouendo & uitium aspergit, & ea uitiatos turpiter ad flagitia designanda incitat: Deus uerò omni uitio carens, iã à satana deprauatos mouet ut affecti sunt, ipse nullam aspergens labem, qui amet recta, praua aspernetur. Atqui quum hæc ita docemus, altera oritur quæstio, qua quæri solet cur Deus alios suo spiritu ornet, quo incitati rectè & cogitent & faciant, mala uitantes: alios uerò eo priuet, satanæ libidini qua ferantur proni in exitium, relictos: & cur eis suum spiritum non largiatur, cuius ui ad rectum mentis statum conuertantur & uiuant, eadem illa sua bonitate qua pij conuertuntur & uiuunt. Responsio in promptu est: Dominus sacri sui spiritus nemini debitor est, qui hîc respõderit quod mercenarijs in Euangelio respondet: Amice non facio tibi iniuriam, tolle quod tuum est, & abi: an non licet mihi facere quod uolo in rebus meis? Referenda est hæc res in sapien-

sapientissima et iustissima cõsilia Dei, de quib. his uerbis Apostolus: Cuius uult miseretur, & quem uult indurat. &, Homo tu quis es, ut ex aduerso respondeas Deo? Hæc uerba monent nos, unde in alios uel beneuolentiæ diuinæ uel repudiationis quærenda sint initia, ea nempe petenda esse ex uoluntate Dei: hac alios, antequam boni quicquam fecerint, amari: alios, priusquam quicquam mali commiserint, repudiari: neq; uel amorem ex antegressis benefactis nostris, uel repudiationem ex antecedentibus sceleribus nasci. Nam si amorem spectes, occurrit illud Ioannis: Hæc est charitas Dei, non quòd nos dileximus eum, sed quòd prior is dilexit nos. Clarum testimonium est, fidem & charitatem, qua nos tam regeniti spiritu filij Dei, amamus Deum: & rectas actiones quæ ex fide dimanãt, anteuerti amore Dei: & nos diligi à Deo antequã intelligamus nos diligi, imò cum adhuc inimici sumus. stat enim illud: Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, ut cum adhuc essemus improbi, Christus pro nobis mortuus fuit. Item: Nam si quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius, &c. Hinc efficitur, non primò neq; fidem, neq; rectè facta in caussa esse cur amemur à Deo: sed qua primò amamur, spiritum eius accipimus liberali ipsius gratia, cuius ui sanctè & sentiamus de regno Dei, & uiuamus. Dicas, infinita in sacris literis testimonia extare, bene uiuentes amari à Deo, & præmijs ornari. Veluti sæpe apud Mosem legimus, ut Deus fateatur se benignè facere ijs qui ipsum ament, & eius præcepta exequantur. Quæ sententia uidetur docere amorem Dei, quem erga nos gerit, anteuerti nostro amore, qui efficiat ut à Deo diligamur. Hi qui ita disputant, parum distinctè de amore diuino disserunt, neq; perpendunt ut sacræ literæ interdum de amore Dei antegrediente loquantur, qui nos & nostra omnia consilia, uoluntatem, studia antecedat. de hoc amore paulo suprà citata sunt loca. atq; is amor nisi erga nos primò geratur, neque Deum amabimus, neque præcepta eius exequemur. De hoc amore uerè dicimus, nos non ideo amari, quia Deum amemus: sed quia amamur à Deo, nos hunc amare, ciq; fidem habere: & ita fidem, charitatem, et bonas actiones non nostrum, sed beneuolentiæ diuinæ omnem nostrum conatum antecedentis opus esse. interdum etiam scriptura loqui de amore Dei quo amantes ipsum amantur. Is amor Dei in præmijs quibus ornantur pij, tribuendis declaratur, cum amor ille æternus quem erga suos Deus gerit, beneficijs sese ostendit atq; patefacit, quos antea semper etiam cum hostes essent, imò antequam in hoc mundo geniti essent, dilexerat. Nam hic queritur iure ab ijs qui asserunt non amari à Deo nisi eos qui ipsum ament, & eius præcepta exequantur, unde contingat ut Deum amemus, & legi eius obediamus, num nostra id ui & facultate fiat, an spiritus sacri ui? Nostra sanè id facultate non fieri, docet Apostolus his uerbis: Etenim quod lex præstare non poterat ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ præstitit: ac de peccato condemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem uersamur, sed secundũ spiritũ. ergo non ueteris naturæ ui legẽ prestamus, & præcepta Dei exequimur, sed diuini spiritus ui & facultate. At si ita res habet, per cunctamur iure hic, amorè ne antecedente Dei nobis is spiritus detur, an secus. si secus, quid ergo facimus his locis q suprà adducti sumus? et ipsi Domino nostro Iesu Christo, ubi ait: Nemo uenerit ad me, nisi pater q misit me, traxerit eũ? At hæc attractio beneuolentiæ diuinæ præcedentis nostrum conatum, attractio est, qua benigne nostri animi aures ut auscultent Euangelio percellit, & eas incitat ut filium fide amplectamur. sin uerò antegrediente amore Dei fit, ut Deum amemus in filio, ergo amamur à Deo antegressi recte quid cœperimus uel cogitare uel agere, quia amamur ante acceptum spiritum sanctum: quem minimè acciperemus, nisi Deus nobis bene cuperet & uellet. Atq; hoc ipsum est quod Apostolus dicit: Itaq; non est neq; uolentis, neq; currẽtis, sed miserẽtis Dei: hoc est, non est naturæ uolendo & moliendo præcurrentis Deum, sed miserentis, hoc est cũcta in nobis beneuolentia sua & gratia antegrediens ut donemur spiritu sancto quo salutem uobis paremus. Nam tota Apostoli disputatio in eo loco ad commendandam clementiam & gratiam diuinam eò uergit, ut salutem nostrã ex sola misericordia Dei, non ex lege ac naturæ nostræ facultate et studijs proficisci intelligamus: nosq; ideo bonos effici et esse, quia amamur à Deo priusquam sumus, & boni quiddam egerimus: non propterea primò diligi à Deo quia ipsum diligimus, & amore eius bene facimus. Dicit enim Apostolus: Cum neq; boni quippiam, neq; mali fecissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret, dictum est illi: Maior seruiet minori. Sicut scriptum est: Iacobum dilexi, Esaum uerò odio habui. Dices, hæc posteris temporibus dicta fuisse per Malachiam uatem non de Esao & Iacobo, sed de duabus gentibus, quarum alteram ob probitatem amarit, alteram ob uitia & improbitatem odio prosecutus sit. Si ita intelligenda sunt Apostoli uerba, quorsum ergo referendum erit illud: Nondum natis pueris, cum neq; boni quippiam fecissent, neq; mali. Item: Vt secundum electionem Dei propositum maneret, non ex operibus? Quæ uerba indicant neq; siue Iacobum, siue gentem ex eo natam ex benefactis primò dilectã. legitur enim: Cum neq; boni quippiam fecißent. item: Non ex operibus. Item, neq; siue Esaum siue populum ex illo propagatum primò propter uitia repudiatum. Nam dicit Apostolus: Cum neq; mali quippiam fecissent. Præterea illud, Maior seruiet minori: non ad Malachiæ tempora quibus uates ille primò ea uerba protulerit, pertinet, sed ad æternam Dei sententiam respicitur, qua alter dilectus sit antequam genitus esset, & bene egisset: alter uerò reiectus priusquam malum designasset, ut id tota Pauli disputatio comprobat. Itaque præterita uerba, Amaui & odio habui, de re futura

tura antequam esset, accipiuntur, ut id indicant uerba hæc: Nondum natis, priusquam bonum & malum fecissent. Vsurpantur autem ad ostendendũ Dei siue electionem ad salutem, siue repudiationem aut destinationem ad exitiũ, omnia ex æterno proposito Dei antecedere, ut id Apostolus tum in epistola ad Romanos, tum in alijs comprobat. Atque id ipsum est quod idem ille dicit: Vt secundum electionem Dei propositum maneret. Quæ electio ut uocationem, iustificationem nostri, bonas actiones, gloriam antegrediatur, id suprà in Genesi ex sacris literis & ex methodo conficiendæ salutis, quam Apostolus tradit, demonstratum est. Quæ methodus contra liberi arbitrij assertores, & aduersus eos qui amorẽ, quo nos Deus amplectitur, nostrã uoluntatẽ, conatũ, studia comitari affirmãt, instructa est. Mirum autem est, quòd suaues illi disputatores qui bonis uiris in hac caussa negociũ facessere audẽt, magna cum declaratione imperitiæ suæ in cognitione sacrarum literarum, dicunt de re futura non præteritum, sed futurum uerbum usurpatum fuisse diuinum spiritum, Amabo, odio habebo: nõ præterita, Amaui, odio habui. de re igitur præterita, hoc est de gente Israelitica, quam ob probitatem dilexerit Deus, & de Idumæis, quos ob uitia repudiarit, uerba illa præterita accipienda esse. Primò hi non animaduertunt aliud, ut probatum est, spectasse Apostolum, quàm quò illum spectasse eius uerba miserè detorquentes, affirmant: uelle uidelicet Paulum, siue Iacobum siue Iacobeos iam probè se gerentes amari à Deo, & Idumæos ob improbitatem reijci cœpisse. Deinde absurdè tradunt rei præteritæ præterita uerba, futuræ futura cõgruere: cum de more diuini uates de rebus futuris, præteritis utantur, quod res quas euenturas prædicunt, perinde habeãt atq; si iam præsentes essent. Mẽti enim diuinæ æquè omnia siue præterita, siue futura, præsentia sunt, in eius oculos cuncta perlustrantes, nullo temporum discrimine cadente. Dices: Concedo quidem qui amãtur & eliguntur, gratuita Dei beneuolentia eligi & amari: secus autem rem habere de repudiatis, & de ijs qui odio habentur à Deo: hos propter crimina sua repudiari & odio haberi. Legi enim apud Mosem, Chananæas gentes propter scelera sua euerti, & Israelitas non propter suam iusticiam illoram terram occupare. Rectè quidem donatis non propter suam iusticiam quenquam eligi à Deo, quod tamen non datis ubique: quòd autem repudiari neminem dicitis, nisi tum, quum improbè & sceleratè uixerit, qui hoc modo docetis, iterum non animaduertitis, ut interdum de amore Dei antecedente probitatem fidei & benefacta, interdum de consequente quem Deus in præmijs dandis declarat, scriptura loquitur, ita etiã de repudiatione & odio eam loqui. interdum nos legere, aliquos odio haberi & reijci priusquam sint & mali quippiam egerint: interdum uerò eos reijci & odio haberi, qui ob scelera quæ commiserunt supplicio afficiuntur, ut de Chananæis adductum est exemplum. Sed cum hæc dicuntur, meritò percũctamur, in quo reiecti sint Chananæi priusquam essent in rerum natura, postquam legimus illos maledictos & diris deuotos in Chanaane patre, priusquam nati fuissent, & crimine ullo se obstrinxissent: Maledictus Chanaan, seruus fratrũ erit. Dices, ob futura scelera præuisa à Deo repudiatos. si ita, quærimus nõ temerè quæ nã sit origo uitiorũ in repudiatis, ob quæ tandem miserè pereant? respondebitis, à mala uoluntate illa oriri. fatemur hoc. Nam negari non potest, malos sua ipsorum uoluntate malos esse & uitiosos. At uerò cum boni sua uoluntate & ea bona bene agunt, & mali sua etiam uoluntate et ea mala malè: quæritur hic, unde in bonis bona uoluntas, et in malis mala oriatur. Dices, bonam uoluntatem in illis à spiritu Dei formari: in his uerò malam, illo absente: ut aer absente luce solis, tenebris obscuratur, & præsente ea illustratur. Si ita res habet, consequitur, ut boni si quid rectè agunt, Dei spiritu agunt, quia eis beneuolentia diuina, qua antè diliguntur quàm uim bene faciendi acceperint, datur: sic in sceleratis malam uoluntatem nasci, eodem illo spiritu absente. Quod si dederitis, efficietur, quia Deus improbos spiritu suo destituit priusquam cœperint malè se gerere, eos etiam repudiari antequam mali quippiam fecerint. Non enim beneuolentiæ diuinæ fuerit, priuare quempiam sacro spiritu, & eo priuatum in omnia scelera sinere prolabi dum pereat. Atque hoc ipsum est quod Apostolus dicit, uasa apparata ad interitũ, odio haberi à Deo, priusquam mali quippiam commiserint: ut uasa ad salutem & uitam destinata amantur, priusquam bonum fecerint. Quæ sententia ut ex comparatione contrariorum ducitur, ita firmißimam in probando uim & maximum pondus habet. Alioqui quis unquam certior de sua salute fieret, si ideo se amari à Deo crederet, quòd ipsum amaret & bene ageret? Quis enim dum hanc carnis molem & ueteris hominis terrena pondera secum fert, Deum pro dignitate & ex legis diuinæ præscripto amaret? & quis rursus de gratia & beneuolentia Dei erga se non desperet, si secum cogitet, à Deo se quòd uitiosus sit, & criminum non unus generis notis aspersus, repudiari? Itaq; iubet Dominus ut nobis gratulemur non de nostra probitate, quam coram oculis Dei patris ostentemus: sed de eo quòd nomina nostra æterno electionis proposito in libro uitæ in cœlis scripta sint, quæ neq; peccatum, neque mors, neq; portæ inferorum deleant. Huius æterni amoris Dei in cordibus nostris arrabo depositus est spiritus sanctus, quo descriptione nominum nostrorum in cœlis confirmamur. Huic autem arraboni nullus locus futurus sit, si ex nostra uoluntate, officijs, benefactis pendeamus, cum non sit iustus in terra qui bene faciat, & non peccet: & cum Dauide pijs perpetuò orandum sit, dum ueterem hominem & terrenum, plenum uitijs erroribus & ignorantia Dei ferimus: Ne intres cum seruo tuo in iudicium. Sanctè ergo uocat idem Dauid beatum quem Deus elegerit, ut eum ex filio iræ & mortis, filium gratiæ &

uitæ, & amicum ex inimico per sanguinem filij sui reddat. Quem Dei antecedentem amorem in nos uitiosos & culpa fœdè deturpatos qui fide capiunt, hi ad cõmendationem clementiæ diuinæ intelligunt neq; Iacobos, hoc est electos propter probitatem & benefacta primò amari: neq; Esaos hoc est repudiatos, & ab æterno interuasa iræ numeratos, tum primum odio haberi, cum malum cœperint facere: sed quia Deus statuit spiritum suum eis subtrahere, quo impulsi bene agant, rectèq; uiuant, ideo eos sua uoluntate delinquere, ut uasa gratiæ intelligant, non esse neque uolentis, neque currentis, sed miserentis Dei, salutem adipisci. Quæ equidem misericordia uim suam non sit declaratura, si in nobis ac facultate naturali situm esset sanctè cogitare, benecq; uelle & agere, Euangelio fidem habere, legi obtemperare, & ex sententia eius uiuere. Quam clementiæ diuinæ magnitudinem non sentiunt, sed eam imminuunt, qui liberi arbitrij uires extollunt per quas liberum sit nobis pulsanti Deo ostium pectorum nostrorum aperire uel claudere, & oblatam gratiam recipere, uel reijcere. Dices, dari omni ratione præditæ naturæ spiritum Dei, sed alios illi obsequi, alios nõ item. Hæc qui affirmant, diuini spiritus uim, quæ & quanta sit, non perpendunt, si datur etiam repudiatis & scriptis cum Satana in tabulis mortis & inferni spiritus Dei, cui recta monenti obedire suo exitio nolint, ut secum ij qui ita sentiunt, pugnent, & inter se dissentanea & pugnantia asserant, satis est manifestum. Quid enim aliud est sic sentire, quàm fateri spiritum Dei aliquos habere, cui inobedientes pereant: & eos qui sic pereũt, uiuere & iustos esse. Etenim spiritus Dei qui Christi spiritus est, eos quos afflarit, iustos efficit, & uiuos, de quo legimus: Lex spiritus uitæ per Christum Iesum liberum me reddidit à iure peccati & mortis. item: Spiritus est qui uiuificat. item: Spiritus autem uita est propter iustificationem. Itaque qui hoc spiritu ornantur, in uita sunt & iusticia, non in rebellione & morte. filiorum enim regni is spiritus proprius est, non Satanæ & membrorũ eius dæmonũ, & diris deuotorum hominum ac damnatorum ab exordio mundi ad ignem inferni. præterea spiritum sacrum nemo acceperit nisi per fidem. ut est apud Apostolum: Vt promissionem spiritus acciperemus per fidem. Si igitur omnes Dei spiritum habent, omnes fidem habebunt, atq; ita Deo paruerint, non rebellarint: seruabuntur, non peribunt. Siquidem fides est uis illa diuina in animis credentium qua pectora purificantur ad parendum legi Dei rebellionis morbo sanato, quo antea laborabatur, ut in Actis fatetur Apostolus Petrus, & renati è spiritu Messiæ experiuntur. Quocirca firmum fuerit quosdam seruari clementia Dei, concesso eis spiritu filij ad uitam & iusticiam: quosdam perire, illo negato, atq; subtracto. Dicas, Deum non creasse quenquam quem perderet, sed omnes quos in filio seruaret. Legi porrò: Deus uult omnes homines saluos fieri. Hoc loco & alijs eius generis liberi arbitrij defensores contra constans & firmum electionis & repudiationis diuinæ propositum tuentur: quàm ineptè autem, ne quid grauius dicam, illo se in hac causa arment, facile docti spiritu Dei homines intelligunt. Porrò si simpliciter accipiant Deum omnes homines uelle seruare ne pereant, cur igitur tot capita tam miserè pereunt? si uoluntati eius nemo resistit, quo minus id sit at quod ipse uult fieri, cur cum omnes omnino uult seruari, tam multi intereũt? Dicas, sua praua uoluntate interire, non Dei, qui intereunt: at quòd sunt praua uoluntate, id accidit eis quia spiritus sancti dotibus carent, quas non omnibus promiscuè largitur, sed ijs quos in filio ad possessionem regni sui elegit ab æterno ante mundi huius iacta fundamenta, ut id alijs locis demonstratum est cõtra eos qui præcipuum fundamentum consolationis nostri in omnibus aduersas peccatum & mortem eiusq; potestates tentationibus, euertunt. Hoc autem fundamentum, electionis & scriptionis nominum nostrorum in cœlis sensum esse per arrabonem spiritum Messiæ experiuntur ij qui illum habent, non experiuntur qui contraria statuunt. Si igitur prædestinatis ad uitam & gloriam cœlestis regni dat Deus spiritum suum, non Satanæ & eius membris repudiatis, iterum efficietur non omnes absolutè & sine adiunctione uelle eum saluari, qui non omnibus diuini spiritus facultatem donet, qua frui salutem moliantur, interitum fugiant. Quocirca in hac tam graui causa explicanda digitti ad fontes intendendi erunt, & expendendum, ut hæc duo inter se non pugnent, sed simul uera sint, Deum uelle omnes seruari, & nolle omnes seruari, sed quosdam perire. item, Deum statuere omnino quosdam perdere, & tamen nolle mortem eius qui peccat, sed potius ut ad probitatem per pœnitẽtiam conuertatur, & uiuat. Quam eius uoluntatem non ad perdendum, sed ad seruandum propensam declarant etiam illa Christi uerba: Quoties uolui congregare filios tuos, & tu noluisti? Quibus uerbis indicatur, malam Hierosolymæ uoluntatem in causa fuisse, quominus seruaretur, cum Christus se illam seruare noluisse fateatur, quamuis æternis prænotionis diuinæ decretis constitutũ esset illo tẽpore quo Israelitarum reliquiæ solum seruandæ erant primis repræsentati Messiæ temporibus. Hierosolymam non redimendam, sed deserendam. Quid ergo hic dicemus de uoluntate Dei qua legimus illum seruare uelle & perdere? pugnat ne secum Deus, necne, duasq; uoluntates & eas contrarias habet, quarum altera seruare, altera perdere uelit? Absit. Vna est & ea simplex uoluntas Dei, sed qua non una ratione perdere uelit & seruare, sed diuersa iam autem pugnantia non sunt, quæ neq; ad idem referuntur, neq; eandem considerationem habent. Sicut cum sol luce sua aliter lutum, aliter ceram tractat, hanc molliens, illud indurans, non propterea duos soles, duo eius luminaria, quorum altero molliat, altero induret esse dicemus: neq; non unam uim caloris in igni ponimus, quòd is stipu-

stipulas, stramen, fœnum, lignum comburit absumitq; aurum uerò perficit, & ad optimum statum ac claritatem adducit. Vt autẽ Deus uelit omnes seruari, & quosdam perire, idq; non una ratione, sed diuersa, sic accipiendũ id fuerit. Deus quædam uult fieri cum adiunctione seu conditione, quædam simpliciter & absolutè. cum adiunctione uult omnes saluos fieri, si scilicet pareant legi suæ, si credant Euangelio. De hac uoluntate legimus illa: Si executi fueritis præcepta mea, si crediderit Euangelio, si bene egeritis. Hæc uoluntas seruandi cum adiunctione declaratur in doctrina legis & Euangelij, qua uiam comparandæ salutis omnibus ostendit, dum omnibus legem proponit, qua doceantur quid expetendũ sit, quidq; fugiendum: & ne quis ullam erroris excusationem habeat, Euangelium salutare quo moneantur qua uia & ratione salus paranda sit, manifestat. Hanc quidem monentem docentemq; omnia quæ ad uitam consequendam pertineant uoluntatem in Deo si spectes, nemo est qui non intelligat, omnes declarationis diuinæ uoluntatis uocatione ad salutem accersiri atque uocari, neminem excludi. De hac uoluntate accipitur sententia illa: Deus uult omnes homines saluos fieri. item illud Christi: Quoties uolui congregare filios tuos, & tu noluisti? Hanc uoluntatem congregandi declarant tot ad Israelitas cum salutaribus oraculis missi prophetæ, & temporibus primi aduentus Messiæ cum Euangelio amandati Apostoli. Itaq; quoniam hac uoluntate Dei multi abutentes pereunt, præter eam cernitur etiam uoluntas qua non solum uia adipiscendæ salutis ostenditur, sed etiam uis ac facultas illius consequendæ suppeditatur. De hac uoluntate Moses in Deuteronomio his uerbis: Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, ut possis uiuere. Similia legis apud Hieremiam capite trigesimoprimo, & apud Ezechielem capite tricesimoseptimo. Hac uoluntate Deus quos seruat, simpliciter & absolutè seruat, præbens omnia quæ ad seruandũ necessaria sunt, ut sunt Euangeliũ, spiritus fidei, patientia in rebus aduersis, amor Dei & proximi, uita & gloria æterna. Hac seruante uoluntate continentur scripti in libro uitæ. de qua illud: Quos prædestinauit, uocat: quos uocat, iustificat: quos iustificat, glorioſos reddit. In hac autem uoluntate repudiatos ab æterno & uasa ad exitium destinata non comprehendi, in eis subtractio diuini spiritus, induratio, scelera, & miser eorum exitus, dum spoliati gratiæ & uitæ spiritu miserè pereunt, indicat. Sic apud Samuelem legimus Eli parenti filios suos non obtemperasse, quòd Deus statuisset illos occidere. Item Deum tertio libro Regum mandasse spiritui mendaci, qui iret ad decipiendum Achabum, ut ante Ramotha caderet. & uasa ad interitum parata habere Deum dicit Apostolus. Ergo Deus statuit quosdam omnino perdere: & ut perdat, facultatem eis sui spiritus subducere. Non adduco uerba Salomonis de factis ad exitium quo perdantur, impijs: Deus omnia fecit propter semetipsum, etiam impium ad diem malum. Quid quæso his uerbis clarius est? Atqui nequis putet eodem modo Deum saluare, & perdere uelle, alijs suum spiritum dare ut uiuant, alijs negare ut in morte pereant: in hac caussa considerandum fuerit, quæ dã placere per se Deo ut fiant, ueluti sunt, fidem ei habere, amare, bene mereri de altero, seruari: quædam uerò non placere ei per se ut fiant, sed placere ut fiant permittente uoluntate propter aliud, ut sunt contraria ijs quæ cõmemoratæ sunt. quæ opera uates Iesaias aliena opera Dei uocat: ut uitam & salutem dare proprium. Hac uoluntate comprehenditur hæc sententia, & eius similes: Concluſit Deus omnes sub diffidentiam, ut omnium misereretur. Ergo pro infallibili præscietia sua Deus ab æterno constituit diffidentes sibi fore. sed cur tales uolens ipse tolerat? Num quia per se tales illi probantur? Absit. Hos enim ipse detestatur, & eos nisi resipiscant, perdit, qui lege sua amorem & fidem requirit, & diligentibus se præmia pollicetur: non diligentibus mortem intentat, & exitium. uolens igitur fert perfidos & rebelles propter aliud quò ipse totus propendet, propter nimirum clementiæ suæ declarationem. Sic enim legimus: Vt omnium misereretur. Sic cum dicit Deus apud Ezechielẽ uatẽ, se nolle mortẽ eius qui peccauerit, et idẽ fatetur se alijs locis mortificare, uulnerare, ad inferos detrudere, quid aliud ostendit quàm in se esse uoluntatem quæ & uelit mortem, & renuat. uelit quidem, ut sub occasione eius ueram uitam largiatur. sic enim scriptum est: Mortificat, ut uiuificet: uulnerat, ut sanet: in orcum demittit, ut reducat in cœlum. Alterum igitur placet, ut proprium opus quò natura inclinat: alterum ut alienum, quod fert ut proprium mundo patefaciat. Eodem modo sua uoluntate aliter uasa iræ ad interitum parat, aliter uasa gratiæ ad salutem. Hæc per se probantur Deo, ut accidant illa non per se, sed propter eam rationem quam exponit Apostolus, ut notas faceret diuitias gloriæ suæ erga uasa misericordiæ quæ præparauerat ad gloriã. His uerbis indicat Apostolus primò Deum non creare impios temerè, ut eorum nullus sit usus, sed omnia quæ fiunt, siue bona, siue mala, non casu atq; fortuitò, sed sapientiæ diuinæ consilio fieri. sic in prima mo litione mundi tenebris locus fuit, per quas admirabilis suauitas lucis appareret. Eodem sapientis Dei consilio lapsus est primus Adamus, ut alteri Adamo Messiæ benedicto aditus in mundum ad misericordiæ thesauros aperiendos patefieret: sic mendacem satanam & ministros eius, ueritatis illustrandæ caussa, instrumenta exitio destinata ad amplificandam in suis salutem tolerare dicitur. Qua in re solertissimus mundi huius architectus longè differt à figulis, quibus sæpe lutum inter manus temerè perditur, dum aut formam in fingendo non accipit, quam intendit figulus, aut prorsus præter & artificis & artis consilium frangitur. Cuiusmodi nihil Deo

artifici accidit, à quo omnia quæcunq; in cœlo, in terra, in inferis fiunt, consilio eius immutabili, certoq; proposito fine fiunt. Atque hoc animaduertens Apostolus, in hanc exclamationem stupore diuinæ sapientiæ correptus excurrit, cum hanc sententiam ex consideratione consiliorum Dei protulisset: Conclusit Deus omnes sub diffidentiam, ut omnium misereretur. ô profunditatem diuitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei, inquit, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit mentem Domini? aut quis illi fuit à consilijs? in hac admiratione sapientiæ Dei nõ sunt qui mala, ut sunt peccatum, mors, res aduersæ, consilijs nostris, nõ Dei cõtineri uolunt, qui omnia quæ eueniũt, ut statuant liberũ suum arbitriũ, non ex ineluctabili præscientia Dei euenire dicunt: & non ideo aliquid euenire, quia præscitum sit euenturũ à Deo: sed quia eueturum sit, à Deo prænosci: qui deinde æternam destinationem qua alij ad uitam, alij ad mortem destinati sunt, ex factis nostris, nõ ex præuisione diuina metiuntur: qui nostra consilia, uoluntates, studia non anteuerti Dei cõsilio existimãt, qui Deũ etiã in improbitate, mendacijs, induratione, interitu impiorũ suæ sapiẽtiæ, iusticiæ, bonitatis ineffabilis gloriã ostendere negant, contrà quàm in exclamatione iam adducta Apostolus docet. Deinde idem Apostolus uerbis suprà recitatis declarat, Dei filios priusquam in rerum natura sunt, priusquam credunt Euangelio, & antequam quicquam bene egerint, destinatos ad salutem & gloriam quam obtineant in filio Dei Domino nostro Iesu Christo. ait enim: Quæ præparauerat in gloriam, ut accipiamus electionem diuinã non pendêre ab exitu, euentu atq; fine: sed eam & exitum & eas res quæ ad exitum finémque conferunt, præcedere, & ab ea expediri atq; perfici. Quæ autem ratio est electionis ac destinationis ad salutem in Christo, eadem est ui contrariorum repudiationis & destinationis extra Christum ad interitum, quæ quoq; omnia antecesserit quæ interitum parent, ut sunt priuatio spiritus sacri, rebellio, induratio, in quo ordine interitus fatalis est, cætera ad eum uiam sternentia confatalia habentur. sed hac de re aliàs. Huc præscientia Dei qua alios præscit seruandos, alios perdendos, & rerum ad salutem & interitum conficiendum, dispositio pertinet. Vt est in electis uocatio interior, per impulsionem spiritus sacri excitata sub Euangelij prædicationem, iustificatio uocationem sequens: in repudiatis autem absentia spiritus Christi, perfidia, scelera, certam ad interitum uiam munientia. præscientia igitur Dei infallibilis neq; fidem, neque precationem, neque benefaciendi facultatem, neque ipsa benefacta tollit, sed hæc potius suppeditat ad præuisum finem consequendum: sic quos præscit saluos fore, prædestinat ad salutem: & hanc ut adipiscantur prædestinati, eos uocat ad Euangelij sui auscultationem, uocatos iustificat, & iustificatis spiritum precationis tribuit, cum ui agendi rectè, & patienter ferendi res aduersas. unde illud: Quos præscit conformes fieri imagini filij sui. Idem iudicium de repudiatis qui quoque sub præscientia diuina ad suam perniciem per certa media tendunt. Quæ in re sapientia, bonitas & potẽtia Dei maximè declaratur, qui cuiq; suum finem pro suæ prænotionis sapientia designat: & pro bonitate ijs quos amat, nihil eorũ denegat, quæ ad salutis finẽ cõsequendũ pertinẽt, pro potentia uerò impijs media expedit quibus ad exitiũ nulla ipsorũ ui declinandũ tendant. Deus, perniciẽ ex nobis esse, non ex Deo. legi enim: Perdicies ex te est Israel. Sed rursus legis, ut Deus iniustos perdere uelit, ut per Prophetas Israeliticam gentem se supplicijs affecturum minetur. Itaq; uterum securis quærenda est ex sacris literis, qua hunc nodum secemus. Pernicies sceleratorum & ex Deo est, & illis ipsis. Ex sceleratis quidem, qui interitum sua culpa sibi conflent: ex Deo uerò tanquam iusto iudice, qui criminosos puniat, spiritu suo eis subtracto. Vt qui mali sunt, Deo amoliente manum, non amoliente mali sint. Ex his alia quæstio oritur: Si igitur Deus præscit alios beandos, & ad beatitudinem consequendam media disponit, alios item prænoscit perdendos, quibus quoq; uia qua pereant infallibili prænotione Dei prouisa sit, consequi uidebitur alicui necessitate diuinæ prænotionis alios bonos esse, alios malos: alios seruari, alios perdi. Nam præscientia Dei neque falli, neq; uitari potest, ut quæ præuiderit fore, non fiant: aut quæ non præuiderit, fiant. Hæc enim cum uoluntatis suæ consilijs coniuncta est. De qua legimus: Deus omnia quæ uult facit, in cœlo & in terra. Item: Agit omnia ex nutu uoluntatis suæ. Si ita res habet, colliget aliquis inde uoluntati humanæ necessitatem afferri, & eam per uim & coactum uelle tum facere quæ uult, & facit. Quo concesso, effici ut Deum improbitatis crimine nemo liberet, qui eos damnet qui ui mali sint, non liberè & sponte. Fatemur quidem primò, decretis præscientiæ diuinæ, quæcunque fiunt in hac rerum uniuersitate, fieri: neque Deum quicquam præscire quia euenturum sit, ut nonnulli iniuria magna prouidentiam diuinam & fidem sanctorum hominum afficientes statuunt: sed cuncta ideo fieri, quia Deus constituerit ea fore prænotione sua, qui rebus futuris, quomodo & quando fiant, fines & terminos præuidendo designet, non contrà illæ modum præscientiæ illius præfiniant ac determinent. Aliter præscientia diuina se habet, aliter humana. Cum hac quoniam non semper efficiendi facultas id quod præscitur, coniuncta est, non protinus quia præscimus aliquid futurum, ideo id à nobis fit: ab illa uerò quoniam omnia quæ oriuntur, pendent, & cum ui efficiendi id quod prænoscitur, copulata est, consequitur ideo quicquam euenturum, quia à Deo præscitum sit fore, non contrà. Fatemur deinde, quod ex eo quod iam diximus manat, immutabilitatis non rerum quidem quæ fiunt, quarum multæ quæ fiunt aliter natura sua fieri possent, sed decretorum Dei necessitate omnia quæ fiunt, fieri: neq; quicquam aliter euenire

eueníre q̃ ipſe præſcierit euenturũ. Et cum hæc fre
ti ſacrarum literarum quæ infinita ſunt teſtimonijs,
aſſerimus, non propterea inde efficitur uoluntatẽ hu
manã quæ eligit, uult, agit, ui impulſam coactãq; eli
gere, uelle, agere. Etenim præſciẽtiæ Dei decreta et
cõſilia de reb. cõſtituẽdis nõ coactionis, ſed ineuitabi
litatis neceſsitatẽ afferũt. Porrò ſatan non minus ſua
ſpõte & uoluntate malus eſt, quod quo minus malus
ſit caucre nõ poteſt per ſuũ uitioſum ingenium: neq;
Deus minus uoluntariè bonus eſt, quod quo minus
bonus ſit, per naturam eius non licet. Idem iudicium
de Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui etſi neceſſariò
probus eſt, qui ſcelus nunquam fecerit, neq; dolus re
pertus ſit in ore eius, nihilominus tamen ſua ſponte
& uerè liberè bonus eſt, non malus. Idem iudicium
de confirmatis in probitate angelis, & electorum
Eccleſia, corpore capitis Chriſti. Quapropter neque
impij culpa ſub neceſsitate decretorum Dei carent,
quod uoluntariè mali ſint, Deo inde ipſo crimine qui
neminem cogit, ut ſceleratus ſit, uacante: neque pij
eadem neceſsitate incluſi probitatis laude priuan-
tur, qui non inuiti probi ſint, ſed ſua ſponte. Itaque
alteri ſuo uitio pereunt, qui ſeruari nolint: alteri
recta uoluntate ſeruantur, qui potius diuinæ uo-
luntati obſequendo ſeruari, quàm ſuis cupiditati-
bus ſeruiendo perire uelint. Sed quæras an ne im-
pij ut uolentes, ita etiam liberè indurati animis de-
linquant. Si liberè, concedetur igitur in utriſque pijs
& impijs libera uoluntas, contra quam hactenus tan
topere pugnatum eſt. Sin uerò non liberè impro-
bi ſunt, ut igitur, & coactè improbi ſunt, contrà
quàm affirmatum eſt. Tota hæc cauſa infrà expli-
cata ambiguitate quæ in uoce Liberum cernitur, in
Deuteronomio decidetur, ut uidelicet libera uolun-
tas negetur & affirmetur. Ampliſsimum enim eſt
hoc argumentum, quod ſemper etiam doctos homi-
nes multum exercuit. Quapropter diligentia & fi-
des in eo explicando adhibenda fuerit. Quod fiet,
cum ſuis locis diſtinctiones & definitiones aptæ af-
ferentur, per quas amotis ſalebris, expeditum iter
efficiatur, quod impeditum fuerat. In præſentia hæc
admoniſſe ſatis ſit. Non enim omnia omnibus
locis dicere expedit, ſed quæque ſuo loco ut tracten-
tur, docendi ratio requirit, & ad id moderatio diuini
ſpiritus hortatur.

Filius meus primogenitus Iſrael.) ſcriptus
meus hæres & ſelectus ad regni mei dignitatẽ præ
cæteris gentibus: cuius quia ſit adoptio & gloria &
teſtamentum & legis conſtitutio & cultus Dei &
promiſsiones & Meſsias ipſe, dicitur is filius primo-
genitus Dei in eo & propter eum, de quo Apoſto-
lus: Primogenitus uniuerſæ creaturæ. Exponitur cau
ſa indurationis, propter Iſraelitas fortiter liberan-
dos obfirmandum Pharaonis animum.

Vt ſeruiat mihi.) ut me colat, non idola & ua-
nos Aegyptiorum deos. Finis primogenituræ expli-
catur, cultus Dei. Sic Apoſtolus in epiſtola ad Ephe-
ſios: Quemadmodum elegit nos in ipſo, antequam ia
cerentur fundamenta mundi, ut eſſemus ſancti & ir-
reprehenſibiles coram illo. Qui finis perpetuò eſt ani-
mo uoluendus pijs.

Ecce ego interficiam filium tuum primogeni
tum.] Opponit primogenitum Pharaonis per contẽ
tionem primogenito ſuo Iſraeli: hunc conſeruandum,
illum perdendum, ceſſuram potentiam Aegyptio-
rum potentiæ Iſraelitarum ſub uindice manu Dei.
Cæterùm in primogenito Pharaonis communiter o-
mnia Aegyptiorum primogenita accipiuntur, ut in-
frà liquidum erit.

Cumq; eſſet in itinere.) Narratio nouæ tentã
tionis, qua in itinere affectus Moſes fuit.

Et uolebat illum occidere.) quòd filium ex Ma
dianitide natum non circumcidiſſet ex illa fœderis
lege: Infans octo dierum circumcidetur in uobis. Seue
ritatis diuinæ exemplum: ſed quo is non perdere Mo
ſem, ſed caſtigatum in uiam reuocare uoluerit. Nam
qui futurus legis promulgator erat, debuit nõ reperi
ri ſacri inſtituti uiolator, toleratis domi ſuæ præputia
tis. An autem is ſpiritus bonus ſpiritus fuerit, an ma-
lus, charus Deo Moſes, & miniſterij dignitas, quo
functurus ille erat, declarat, præſertim quòd ad iudi
cis Chriſti thronum ſancti genij aſsiſtant, quorum is
opera in caſtigandis tum pijs in melius, tum perden-
dis impijs utatur. Exempla nota ſunt in Ægyptijs
his, in Sodomitis, in ipſis Aſsyrijs, & alijs.

Acutiſsimam petram.] Depone uelum myſticũ,
& intelliges quæ petra præputium animorum no-
ſtrorum præcidat. Sephora ſilicẽ corripuiſſe dicitur,
non Moſes, cuius nimirum conſilio circumciſionem
muliebri indulgentia impeditam appareret, cui con
tra legem diuinam obſequi, quantum periculum ſit,
hic docetur. Ad hæc neſas erat præputium ad eos
deferre, quos circumciſionis fœdus à ſeruitute erat
liberaturum. Tradunt in oriente lapides reperiri, qui
nouaculæ inſtar ſcindant.

Tetigitq; pedes eius.] ante pedes Moſæ, abiecto præputio pueri.

Sponſus ſanguinũ tu mihi es.) cuius matrimo-
nium ſanguine mihi conſtet. Nam niſi filij ſanguinem
profudiſſem, actum erat de uita tua, & de matrimo-
nij inter nos uſu.

Et dimiſit eum.] Angelus Domini ab eo petendo
ad necem, deſtitit iam circumciſo puero. Euolucn
da hic figura ac umbra.

Vade in occurſum Moſæ.) ut ſuprà promiſſum
fuerat: Ecce ipſe egredietur obuiam tibi. Hanc pa-
tefactionem Dei, qua Aaroni in Aegypto ſe Dominus
aperuit, commendat ſacer ſpiritus ad ſacerdotem E-
li de genere Aaronis his uerbis: Nónne apertè pate
factus ſum domui patris tui, cum eſſet in Aegypto, in
domo Pharaonis?

In monte Dei.) Horebo.

Narrauitq; Moſes Aaron.) tanquam futurũ
ad Pharaonem interpreti.

Venerãtq; ſimul.] à Moſe uxore et liberis remiſſis
domũ, quo legationẽ liberius obiret. Legimus infrà:

Tulit Zephoram uxorẽ quã remiserat, et duas filias.

Et credidit populus.) ut Dominus dixerat: Et audient uocem tuam. Euentus tentationis Mosæ ostenditur, qui suprà dixerat, Non credent mihi, peracta fidei lucta contraria experitur, ex tenebris tentationis admirabili consolationis luce expressa.

IN CAPVT V.

POsthac ingressi sunt.] Iam obita legatione ad Israelitas, Pharaonem adeunt, armati hac promissione: Adero tecum. Item: Ero in ore tuo, & in ore illius.

Hęc dicit Dominus Deus Israel.] Breuis narratio mandatorum Dei ad Pharaonem, continens confessionem odiosam quidem, sed fidei legatorum Dei necessariam: quæ cum contemptum deorum Aegyptiorum præferret, Pharaonis in Hebræos, quo flagrabat, odium auxit.

Vt sacrificaret mihi.) Similiter Hebræi interpretes, pro ויחגו, quod est festum agere, לחגו tropo noto. In festis enim cultus sacrificiorum perageba tur. Græci, ἵνα μοὶ ἑορτάσωσιν, ut mihi festũ agant.

Quis est Dominus ut audiam.] Impij hominis animus & sermo exprimitur, de quo propheta: Dixit stultus in corde suo, Non est Deus. Sunt interpretes qui nomen illud יהוה à Pharaone ignoratum dicunt, ideo à Mose in respondendo nomen subiectum אלהים העברים. At contẽnentis Israelitas, eorũq; Deũ, hæc Pharaonis uerba esse, animi illius obfirmatio & ea quæ sequuntur satis declarãt. Iehouæ enim quatenus mundum hunc gubernat notitia omnium animis insita est. Nulla enim gens tam barbara et immanis est, cuius mentem Dei cuncta sapienter moderantis cognitio non imbuat. Vnde intelligimus duplicem esse Dei notionem: alteram, qua per fidem ex uerbo eius quinobis bene uelit in filio cognoscitur: alteram qua ex rebus conditis sine fide prælucente naturalis intelligentiæ face ex rebus conditis intelligitur. Hæc cognitio cum Iehouæ contemptu cõiuncta est, pernicie afferẽs, ut hic Pharao exẽplo est, qui dicit: Quis est Iehoua, ut paream mandatis eius? illa uerò ueneration eius habens salutaris est. per alteram Deus pro dignitate amplificatur, per alteram non item. sed ei gloria sua detrahitur, & dijs alienis tribuitur, ut his uerbis Apostolus indicat: Propterea quòd cum Deum cognouerint, non ut Deum glorificarunt.

Deus Hebræorũ uocauit nos.] Repetitio narrationis quæ non uerborum copia & ornatu sed diuina ui ponderatur. Iosephus putat Mosem exposuisse Pharaoni sua quæ olim cõtulisset in Aegyptios beneficia, & quæ conspexisset in monte Sina. Sunt qui in hũc modũ: Deus hebræorũ qui uocatus est super nos, id est cuius nomine et familia censemur, iubet ut abeamus. Cæteris placet, Occurrit nobis, pro apparuit & patefactus est nobis. Vt paraphrastes אירגלי. Hortatio nititur autoritate eius quem pro uero Deo colebant, quæ parum ualebat apud eum coram quo uerba faciebant. Aliter ergo locos hortandi diuina eloquentia, aliter humana instruit.

Vt eamus uiam trium dierum.] Celare reditum in Cananæam, quem patefacere non erat necesse. Itaq; prudentia legatorum Dei quoq; temporum & personarum moderatrix in loco multa dissimulat, quæ aperire non referat, & dicere periculosum sit. Pij lectores expendant quid tres dies etiam in reliqua scriptura celebrati significent. Infrà tribus diebus parantur ad legem recipiendam. Ionas tribus diebus in uentre ceti iacuit. Christus tertio die resurrexit.

Quare solicitatis populum ab operibus.] Exprobrat legatis Dei seditionis crimen. Hæc est fermorum Dei sors, ut cum cultum illius denunciant, pro rebellibus habeantur. idem prophetis, Apostolis & Christo ipsi accidit. Intueamur nostra fecula.

Præfectis operum.] Græci, ὄρχοδιώκτας.

Nequaquã ultrà dabitis paleas populo.) Augetur tyrãnis in Israelitas. Tantũ igitur abest ut melior euaserit uerbo Dei Pharao, ut etiam deterior factus sit, quæ est illa induratio de qua suprà: Induravit cor eius ut non dimittat uos. Quo exemplo confirmatur locus de natura impiorum, qui ad lucem oraculorum Dei non secus atq; ad solis lumen lutum indurescunt. Pharao hic primò legitur contempsisse nomen Dei Hebræorum, deinde legatis seditionis crimen falso intendisse, demum Israelitas grauioribus oneribus oppressisse. In qua re nobis uocationis diuinæ conditio spectanda proponitur, quæ exitum sumit non prius sortitur, quàm omnia fuerint accisa & deplorata reddita, quo maior uis diuinæ potentiæ appareat. Vt enim per Mosem denunciata fuit suæ redemptio Israelitis, & ij illi fidem habuissent, iam ea fide crescit calamitas: quæ tantisper augetur & auxerat, dum Dominus ope sua adhibita misericordiæ exoratos fortiter liberet. Hæc est catastrophe læta calamitatum eorum qui Dei fœdere continentur.

Vt non acquiescant uerbis mendacibus.] Mosæ & Aaronis. Ratio oppressionis.

Opprimãtur operibus.) Tyrannica uox. Depositio uelo, qua tyrannide spiritualis ille Pharao fidei aggrauet, non est obscurum, dum hi paleis humanarum doctrinarum, quas tantũ non adorare cogũtur, ignitorum malæ conscientiæ laterum pensum absoluant. De quibus lateribus Apostolus: Cauterio notatam habentium conscientiam.

Dispersusq; est populus in omnem terram Aegypti.] Conceptio est in omnem circa Tanim & Rameſſem quam incolebant regionem. Suprà enim in Genesi legimus: Iosephus uerò patri & fratribus dedit possessionem in Aegypto in optimo terræ loco. Et Dauid in Psalmo 77. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Aegypti in agro Taneos. Tanis autem regia Pharaonis sita erat in Bubastitis præfectura.

Complete opus nostrum quotidie.] Hebraismus

ſinum, Græci his uerbis explicant ἐσωτελεῖται τὰ ὀφειλόμενα τὰ λαβόντα λαὸν ἡμέραν, רבר pro לא תבינו expoſito, id eſt pro penſo ſolito perfici.

Cur ita agis contra ſeruos tuos.) Expoſtulatio de iniuria regiorum præfectorum, qui paleis præter morem negatis, laterum confectionem acerbè exigerent.

Et iniuſtè agitur contra populum tuum.] impoſito ei opere quod perficere nequeat. Aliter alij. Paraphraſtes: Et peccat contra eos populus tuus, dum tam duriter Iſraelitas tractat. Nonnulli in hunc modũ: Et peccabit populus tuus. id eſt: reus peccati erit, ciuiliter translato delicto regio in populum. Denunciant certum imminere exitiũ, niſi remittatur tam dura ſeruitus, ſed omnia fruſtra ad indurandum. ſequitur enim.

Vacatis ocio.) Repetitio hæc גרשים אתם גרשים ad uehementem obiurgationem ualet. Obijcit deſidiã cui prætexant cultũ Dei. Intueamur noſtra ſecula. Nũ nõ filius ille perditus talia prætẽdit tyrã nidi ſuæ, cũ cultu Dei pijs ſub nominibus ocij negato, deſidiæ ſeditionum, Euangelium, & redemptionem ex ſpirituali Aegypto dehoneſtat & eos qui iſtam petunt, atrociter inſectatur.

Videat Dominus.] Narratur hoc loco grauis tentatio legatorũ Dei. Imputatur his calamitas Iſraelitarum grauior facta. In qua querela ſtatus tum ſeruorum Dei, tum populi nuper fidei ſacris initiati ſpectandus nobis proponitur. Is primò nondũ exercitus miſerijs poſt prima rudimenta fidei, boni conſulit oracula Dei de ſui redemptione. de quo ſuprà legitur: Et credidit populus. Ingruentibus autem poſt profeſtionem cultus diuini calamitatibus, diuerſum incipit ſentire & loqui, expoſtulans cum ſeruis Dei: Fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone, ſi noſtra ſecula ſpectemus, expoſtulationem ſimilem comperimus fieri. Hodie enim, quæ mala nobis accidunt, euangelio & eius miniſtris tribuuntur; inclementia cœli & terræ, annonæ anguſtia, bella, & tot morborum genera. Cuiuſmodi querela etiam Hieremiæ tempore fuit: Ex eo tempore (inquiunt) quo ceſſauimus ſacrificare reginæ cœli, & libare libamina, indiguimus omnibus, gladio & fame abſumpti ſumus. Quæ exẽpla retinere debent in functione ſua ſeruos Dei, ut cum Moſe & prophetis, neq; minis tyrannorum orbis terrarum, neq; querelis ſuorũ ab iniuncto officio deſpondentes animum recedant.

Quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum.) odioſos nos feciſtis. Metaphora ſumpta ab odore grui quo nihil moleſtius. contraria ratione odorem bonum, quo nihil ſuauius, ſanctos uocat apoſtolus. Eadem locutione uſus eſt ſuprà Iacobus ad filios: Turabatis me facientes me fœtere.

Reuerſusq; eſt Moyſes ad Dominum.) Expoſtulatio Moſæ cum Domino, nata ex lucta fidei cum promiſſis illius.

Domine cur afflixiſti populum tuum.) cum promiſeris: Deſcendi ut liberem eum de manibus Aegyptiorum. In tam graui tentatione, ut ſit, non occurrunt, quæ Moſæ animum releuent, ſed quæ grauent. Non enim in mentem uenit illud: Sed ego ſcio, quòd non dimittet uos, ut ſeruetur Domini conſtans perficiendi promiſſa, per aſperam fidei concertationẽ ratio. Non igitur hæc Moſæ contentio execramis Deũ contemio erat, ſed admonentis illum promiſſionis, ut in ſperante contra ſpem maius fides robur acciperet. Similia ſuprà in patrum ſtratagematis cuenſſe legimus.

Quare miſiſti me.) Si liberare non uelis, & mihi adeſſe, ut efficiam quæ pollicitus es, qui promiſeras, Adero tecum. Vehementis pugnæ fidei, ſed gratum Deo & ſalutare, tum Moſæ, tum Iſraelitis, ut iam audiemus, exemplum.

IN CAPVT VI.

DIxit autem Dominus.) Reſponſio Domini ad expoſtulationem Moſæ, in qua fidem ſuã repetita promiſſione ſuprà commemorata, tuetur.

Nunc uidebis.] Quæ hactenus uidere non potuiſti, quod in decretis meis certi & liberationis meorum & perditionis impiorum, ſunt temporum articuli conſtituti, quos anteuertere conſilium non ſit. In alteris redemptionis tempus tantiſper prorogatur, dum ad ſalutem percipiendam crucis igni expurgati apti reddantur: in alteris uerò ſuppliciũ differtur, ut impleta menſura ſcelerum, iuſtè pereant. Atque huius rei cõſiderato parit nobis memorabilem locum: Ante tempus neq; pios liberari à Domino, nequeimpios mulctari. Quem locum cum Moſes non perpenderet, ad Deum hanc quæ exponitur querelam inſtituit.

Per manum enim fortem.] impulſus ſignis, portentis ac prodigijs potentiæ meæ.

Dimittet eos.] contrà quàm iam tu cum Iſraelitis putas.

Et in manu robuſta expellet.] non ſolum dimiſſurus, ſed etiam ui expulſurus: & ut diſcedant, eos Aegyptijs etiam præmijs inuitaturis.

Ego Dominus.] non alius.

Qui apparuit.] Ad confirmandam uacillantem fidem Moſæ, confert beneficia quæ hoc ipſo tempore collaturus ſit in Iſraelitas, cum ijs quæ patribus olim contulit.

In Deo omnipotente.) ut Deus omnipotens, aut nomine Dei omnipotentis. Hoc eſt, patres ſenſere potentiæ meæ & opulentiæ nomen, qui ſuos poſſit fortiter uindicare ab hoſtibus, & cui omnis copia & abundantia ſuppetat, qua ſuos liberaliter exornet: quod indicat nomen שדי patrum tempore celebre & uulgare. Tria hic nomina Dei leguntur. Primum eſt אל, quod fortitudinem notat: unde & אלהים deriuatum, nomen commune Deo, genijs cœleſtibus & iudicibus in terra reſpublicas gubernantibus. Alterum uerbũ שדי eſt, quod Deo attribuitur, quia ſatis ſibi ſit, omnis bonorum copia affluens, quáq; etiam ſuos quos amore complectitur, fœlices & abundantes reddat, aut quod ſit fortis hoſtiũ ſuo-

suorum & sanctorum ultor & uindex. uerbo deciso à שרר quod deuastare est, ac perdere. Hæc nomina Deum declarasse maioribus Israelitarum, dum erga eos bonitatem suam, & contra hostes ipsorum fortitudinem ostenderet יהוה autem nomen posteris illorum clarius se indicaturum, ut sequitur, pollicetur.

Et nomen meum יהוה non declaraui eis. Sed id uobis in hac magnifica, & tot miraculis insigni liberatione ex Aegyptia seruitute indicabo. Quæ enim patribus promisi, uobis posteris illorum præstabo. Nam nomen יהוה à natura et essentia ducta est, significans Deum pro sua æterna, nulliq; labi obnoxia natura, constanter præstare beneficia quæ promiserit. Tanto igitur clarius istud nomen declaratur, quanto beneficia diuina magis persentiuntur. Itaq; cum per Christum in nouissimis temporibus longè luculentissima salus ac redemptio aperitur, fit, ut manifestatio huius sacri nominis in publicè denunciandi Euangelij tempora propriè cadat, in quibus missus de cœlo sacer spiritus filij non solum Deum ut sit, quomodo gignat, alat & conseruet omnia: sed etiam naturæ, uitæ, lucis suæ communicatione per regenerationem præsentem se suis exhibet, atq; ostendit. Christus igitur uerè est nomen illud Dei יהוה, in quo solo diuinitas tota quanta est, ut habitat, ita etiam exprimitur, nobisq; se declarat. Quod enim ad nomen attinet, legimus apud prophetam: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex & sapiens erit, & faciet iudicium & iusticiam in terra. Et hoc est nomen quo uocabunt eum יהוה iusticia nostra. Similiter apud Oseam: Et domui Iudæ miserebor, & seruabo eos in Deo יהוה ubi Messias יהוה appellatur. Quod autem ad declarationem diuinitatis pertinet, legimus in Ioanne de hoc uerbo & nomine: Verbum caro factum est. Vnigena filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Quo circa ut in Aegyptiæ seruitutis solutione nomen Dei יהוה sub typis et figura ex carne Israelitis innotuit ita uerè clareq; ex spiritu Israelitis in uindicatione ex spirituali Aegypto, mundo, principeq; mundi Satana cũ peccato & morte deuicto, innotescit. Quod liberationis beneficium Hieremias his uerbis declarat: Propter hoc ecce dies ueniunt, dicit Dominus, usnõ dicẽt ultrà, Viuit Dominus qui eduxit filios Israel de terra Aegypti: sed, Viuit Dominus qui eduxit et adduxit semen domus Israel de terra aquilonis, & de cũctis terris ad aquas eieci illos, manifestato uidelicet palàm nomine diuinæ potẽtiæ & salutis יהוה quod Christus est, de quo si potentiã spectes, his uerbis Apostolus: Ac donauit illi nomen quod est supra omne nomẽ, ut in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium ac terrestriũ, et infernorũ: omnisq; lingua cõfiteatur quod Dñs sit Iesus Christus ad gloriã Dei patris. Sin uerò salutẽ, Petrus de hac loquitur: Nec enim aliud nomẽ sub cœlo datũ hominib. in quo oporteat saluos fieri. Nomen igitur יהוה ineffabile quidem efficitur ijs qui nondum cœlesti spiritu nati sunt: effabile autem in nouum hominem regenitis pro mensura spiritus à Christo capite omnis perfectionis spiritualis, donati, dum Christus nomen יהשוה assequitur quod concisè effertur Iesus una litera s inserta nomini per se diuinitatis יהוה. quam literam docti spiritu homines humanæ naturæ indicem esse tradunt: qua factũ sit, ut in uerbo carne facto, diuinitas cœperit in orbe terrarum manifestari. Atq; hoc nomen θεοφόρημα ex quatuor literis et consonante conflatum, & ab angelo Christo inditum esse illud mirabile & nouũ nomẽ, de quo Iesaias meminit, uolũt: Donec egrediatur ut splendor iustus eius, & saluator ut fax accendatur nomen eius nouum, quod os Domini nominauit. Nomen sanè est, quod omnia nomina quæ siue in cœlo siue in terra dicuntur, dignitate superat, de quo suprà Apostoli uerba adducta sunt. Sed qui putant ישוע nomen proprium esse Christi, per me licebit quenque sequi, quod probabile sibi uidebitur, modò id fiat studio amplificãdi gloriam Christi. Cæterùm cum uaria nomina Dei sint, ea hoc modo distinguere licebit. Hæc aut à natura Dei, aut ab affectione aliqua ducì. Si naturam spectes, occurrunt אהיה & יהוה de quibus iam mentio facta est. Sic qui ad Græcos nomen אהיה Platonẽ transtulisse ὂν putant, quo nomine autorem uniuersi appellauit, qui semper sit, ortum nullum habens. Naturæ quoq; uerbum ברא apud Iesaiam tribuitur Deo: Ego Dominus ברא est nomen meum, gloriam meam alteri non dedero. item: Ego sum, ego sum delẽs iniquitates tuas apud me. Ab affectione autẽ ducta uerba uaria sunt: alia facultatis et uirtutis, ut terribilis, magnus, uiuus, fortis, bellicosus: alia ex ijs quæ cum alio conferuntur, ut Dominus, rex, creator, redemptor: alia ex similitudine, ut fons uitæ, sol iusticiæ, ignis, lux, aqua, spiritus: alia ex alijs, de quibus suis locis meminerimus. Cæterùm ut sacra scriptura Dei nomen tantum יהוה quatuor literis exprimit, ita etiam aliæ linguæ ad imitationem sacræ quatuor literis nomen Dei efferunt: ut licet cernere apud Græcos in uerbo θεός, apud latinos in Δεὸς, apud Germanos in uoce gůt. Sed quid inter hoc nostrum sacrum tetragrammatum interfit, & aliarum linguarum tetragrammata, sapientibus satis notum.

Pepigiq; fœdus meum cum eis.) quod reminiscere qui uerax sim nequeo. In uerbo ויזכר תי firmitas fœderis diuini ostenditur tropo noto.

Ego audiui gemitum filiorum Israel.) quos liberem. respondit obiectioni illi, Et non liberasti eos. Verè igitur Psalm. Desiderium pauperum exaudis Domine. Item: Dominus erigit omnes elisos. Locus de usu crucis & calamitatum.

Ego Dominus.) bonus, potens, uerax & iustus.

Qui educam uos de ergastulo.) stans pacto. תחת significat Israelem sub Aegyptijs oneribus uelut grauissima sarcina depressum iacuisse, unde uix caput attolleret.

In brachio.) excelso בזרוע id est extento ut licet ad uerberandũ αὐθεντικῶς brachiũ extentum hominũ iratorũ & ad uerberandum paratorũ affin-

effingit sibi Deus. Brachium pro ui ac potentia:

Et iudicijs magnis.] grauissimis pœnis de Aegyptijs sumptis. Vt prædixerat: Verumtamen gentē cui seruituri sunt, ego iudicabo.

Et assumā uos mihi in populum.] legi et oraculis meis consecrandū, posthabitis idolis Aegyptijs.

Ego ero Deus uester.] Explicatur nomen יהוה suprà Mosæ indicatum.

Super quam leuaui manum meam.] quam iuramento promisi uobis. Ab habitu iurantium locutio sumpta. Itaq; paraphrastes, רמיבמימר, id est quam iuramento promisi per uerbum meum. Hoc autem uerbum Messiæ benedictus est, in quo omnis promissio confirmatur & rata fit.

Ingredere & loquere ad Pharaonem.] neque Israelitarum querelis, neq; tyranni minis deterritus.

Respondit Moyses.] Deprecatur legationem Moses.

Ecce filij Israel non audient me.] qui tui sunt, ad quos conseruandi gratia legatio agitur.

Et quomodo audiet Pharao?) qui tuus nō est. Loco comparationis maiorum & minorum utitur.

Præsertim cum incircumcisus sim labijs.] Ab impedita lingua. Tale significat Hebraica locutio ערל שפתי. Redit rebus undiquaq; accisis ad ueterem recusationem muneris, oblitus illius quod Dominus promiserat: Ego ero in ore tuo. Hæ sunt uacillantis & erigentis se fidei uices, quas temperat Dominus in suis, ad commendationem suæ bonitatis, & cognitionem nostræ infirmitatis.

Isti sunt principes.) Digressio qua obiter recensentur gentilitatū ac familiæ Leuiticæ capita, ut unde genus suum duxerint Moses & Aaron diuini legati, notum fiat ad Leuiticæ tribus sacerdotium commendandum.

Filij Ruben.] A primogenito Iacobi ex Lea nato initium facit, dum ueniat ad Leui ex quo Moses et Aaron nati sunt.

Et Obab.) Huius gentilitatē putant in Aegypto aut in deserto interijsse, quòd eius infrà in descriptione familiarum nulla fiat mentio.

Et Sopher.) qui est Sarah.

Gersom & Caath & Merari.] qui cum Leui et Iacobo descenderunt in Aegyptum.

Anni uitæ Leui.) Vixit igitur nonagintaquatuor annos in Aegypto Leui. Nam quadragintaduos annos habuit, cum in Aegyptum cum patre Iacobo uenit, qui centum triginta annos natus tum fuit, octogesimooctauo anno eius geniti Leui. Vnde quoq; supputare licet quot annos uersati sint Israelitæ in Aegypto, de quo suprà in historia Geneseos, capite 15.

Patruelem suam.) amitam, sororem Caathi patris sui, et filiam Leui aui. De hoc loco suprà memini.

Filij quoq; Isaar.) filij Caathi & fratris Amarami. Meminit sobolis ex Isare progenitæ propter Coram qui cum Mose contendit.

Filij quoq; Vsiel.] Huius meminit propter illustres uiros Misaelem & Elsaphanem, de quibus infrà.

Non autem memor est prosapiæ Hebronis filij Caathi, & fratris Amirami & Isaris, quòd ignobilis fortassis esset.

Eleasar.] illustrem uirum: propter quem apparet me minisse uxoris Aaronis.

Filij quoq; Coræ.) qui iniusti ut pater non fuisse prodantur, de quibus infrà legimus: Et filij Coræ non sunt mortui. Ad hæc Samuel propheta genitus est ex familia Coræ.

Quæ peperit ei Phinees.] clarum studio Dei & sacerdotio uirum.

Iste est Aaron & Moses.] Accommodat familiæ Leuiticæ descriptionem ad Mosem & Aaraonem legatos Dei.

Et locutus est Dominus ad Mosem.) Redit ad institutum.

Ego Dominus.) Repetit confirmationem.

IN CAPVT VII.

ECce cōstitui te in Deū.] qui non humana ui, sed diuina cum illo agas. Locus de amplitudine sanctorum, qui in abiecta specie secum ferentes numen diuinum, terribiles impijs efficiuntur. De quā specie Apostolus his uerbis: Habemus autem thesaurum hunc in testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia sit Dei, non ex nobis. Diuinitatem in Mose esse, testati sunt etiam Aegyptij magi: Digitus Dei est.

Et propheta tuus.] Paraphrastes, Interpres tuus, ut nihil habeas cur de graui & hæsitante lingua conquerare. Respōdet ad illud: Et incircūcisus labijs sū. In altero igitur regia, in altero sacerdotalis potestas, figurata fuit. Regia quidē in Mose, qui legē daturus erat, quod fuit regij muneris: sacerdotalis uerò, in Aarone, cuius sit interpretari legem & mentem legislatoris, ut est apud Aggæum: Require à sacerdote legem, & respondebit tibi.

Quæ mando tibi.) non alia. Quæ uera nota est uatum Dei.

Sed ego indurabo cor eius.) Suprà אחזק legitur, hic אקשה: alterum obfirmare est, alterum indurare. Vtrumq; uerbum congruit contumacibus impiorum in malo animis, & ad bonū minimè sequacibus.

Et multiplicabo signa & portēta.) quibus declarem potentiam meam.

Et nō audiet uos.) qui ex me nō sit, nec ex meis.

Et educam exercitum meum.) Locus mysticus sub uelo exercitus Israelitici, de multitudine eorum qui amiticia Dei continentur. Hic enim immensas copias Israelitarum quas suas uocat, educendas esse ex Aegypto dicit.

Et scient Aegyptij.] quorum tyrannus suprà dixerat: Quis est Dominus ut audiam uocem eius?

Quia ego sum Dominus.) potens ultor impiorum, & iudex piorum. Quem bonum & clementē non agnoscunt impij, durum & seuerum iudicem cognoscunt cladib. infestati. qualem fatentur dæmones apud Euangelistam Matth. 8. Quid rei nobis tecū est Iesu fili Dei? ueneisti huc ad cruciādos nos ante tēpus.

Erat autem Moses octoginta annorum.) In

Actis Stephanus dicit Mosem quadrageſimum annũ agentem ex Aegypto fugiſſe, et expletis quadraginta deinde alijs annis ei apparuiſſe Dominum in flamma rubi incendio.

Quæ uerſa eſt in colubrum.] Portentum aptũ Aegyptijs fuit. Vtriuſq; enim & uirgæ et ſerpentis ſignificatio nota. Virga igitur diuina ijs conuerſa in colubrum eſt, qui colubri imperio ſubditi erãt, de quo illud: Et apprehendit draconem ſerpentem antiquũ qui eſt diabolus.

Vocauit autem Pharao ſapientes.] Sic mũdus omnibus ſeculis opponit ſapientes ſuos ſapientib. Dei ſed uano conatu, ut mox audiemus. Itaq; propheta: Diſperdam ſapientiam ſapientum.

Et maleficos.] Præſtigiatores ſunt, qui afformãtes rerum formas, præſtigijs aſpectantium oculos præſtringunt.

Per incantationes ſuas.) בלחשיהם carminibus ſuis magicis. Sunt qui uerbũ Hebræũ ab illo de quo in Geneſi לחש חחרב deriuãt, q, magi afflictis rerũ formis non ſecus oculos ludificent, ac ij qui ſplendore micantium gladiorum aſpectum noſtrum perſtringũt.

Quæ uerſæ ſunt in dracones.) Imitãtur magi Aegyptij Moſem & Aaronem in edendis oſtentis. Qua ex re diſcimus potentiam aduerſariorum Dei. de qua illud: Surgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna et prædigia. Sed alia cauſa, alius uſus, alius exitus miraculorum quæ ſancti: alia cauſa, alius uſus & exitus eorum quæ impij edunt. Cauſa mendax eorum prodigiorum quæ per impios eduntur ſatan eſt, de quo illud: Cuius eſt aduentus iuxta operationem ſatanæ cum omni potentia et ſignis ac prodigijs mendacibus. Vſus autem talium oſtentorum excæcatio & induratio eorum qui poſthabita iuſticia, iniuſticiam perſequuntur: & qui neglecta ueritate, mendacij: fidem habẽt. Vt hic exemplo cum ſuis Aegyptijs Phararo eſt. Itaq; Apoſtolus ad ea quæ iam adduximus uerba, hæc attexit. In his qui pereunt pro eo quod dilectionem ueritatis nõ receperunt in hoc ut ſalui fierent. Exitus uerò interitus eſt, tum eorum qui prodigia mendacia oſtendunt, tũ eorum qui illis credunt. Contraria ratio oſtentorum diuinorum cernitur. Horum diuina uis cauſa eſt, ut etiam infrà magi Aegyptij fatentur: Digitus Dei eſt hic: uſus, confirmatio fidei ſanctorum, & amplificatio nominis diuini, exitus ſalus, non exitium quod improborum mendacia ſigna afferunt, ut exemplo hic ſunt Iſraelitæ, & Aegiptij. Quapropter non eadẽ uis fuerit qua à Deo prodigia fiũt, & qua à ſatana. Nã quæ à Deo prodeũt oſtẽta, talia ſunt, quæ aut contra naturæ inſtitutũ, curſum, uiã ac rationẽ, aut ſupra naturam uerè fiunt, ut licet cernere in ſolis qui Dei iuſſu conſtitit ſtatione, in ſanatis ſolo uerbo leproſis, in prodigioſe excitato è mortuis Lazaro. Quæ uerò ab impijs ſigna eduntur, non ui creante ex nihilo, edunt tur: ſed aut naturæ actione, quæ nobis non apparcat: aut formarum, quæ ueras res mentiantur, ad ludificãdos nos, affictione. Nam ſatan qui poteſtas aeris eſt, quo ualet ingenio, arte & cõgnitione rerum, agentis cauſas cum certa materia cõiungere poteſt, ut uidentur ſigna uera edere, quæ naturæ effectione fiunt: aut falſas pro ueris ſpecies ad decipiendum offerre poteſt, aut res alicunde afferre quæ uideantur recens creatæ. Hinc fit, ut potentia ſatanæ & ſuorum in ſanctis agẽtibus miraculis cedat potentiæ diuinæ in ſanctis agẽtibus: ut mẽdacia ac falſa ueris iure cedũt, uelut ſequitur.

Sed deuorauit uirga Aaron.] Locus illuſtris et plenus conſolatione de potentia Chriſti aduerſus potentiam ſatanæ, qui accommodandus eſt ad magos et præſtigiatores Aegyptios noſtri ſeculi in regno antichriſti. Hoc ſigno declaratũ eſt fore ut Iſrael Dei populus Pharaonis poteſtatem uinceret, qui etiam in reliqua ſcriptura draconi cõparatur, iuxta illud Iſaiæ: Nũquid nõ tu percuſſiſti ſuperbũ? uulneraſti draconẽ.

Et uerterur in ſanguinem.] Numerat plagas Aegyptias. Hoc oſtentũ æquè atq; prius congruit Aegyptijs. Qui porrò aquis Hebræũ ſanguinem deleuerunt, hi ipſi æquo Dei iudicio aqua in ſanguinẽ conuerſa puniuntur. Vnde diſcimus hunc mundũ rerum, aquã, cœlũ cum animantibus aduerſari impijs, & fauere pijs. Adeò ſe ad ingenium & ſtudia hominum hæc rerũ uniuerſitas attemperat. Ioſephus uerò ſimiliter tradit aquas dulces fuiſſe & ſuaues Hebræis, quas graues & moleſtas ſenſerint Aegyptij. Tantum diſcrimen fœderis diuini dignitas ac gratia efficit inter eos quos natura conſociat. Ad hæc aqua in ſanguinẽ uerſa eſt ijs, qui ex ſanguine nati parẽ in regeneratione quæ ex aqua & ſpiritu cõſtat, non habebãt. Sunt qui tradunt in muſcarũ plaga cœpiſſe ſeparari Hebræos ad Aegyptijs ut infra patebit.

Piſces quoq; in fluuio morientur.] Cum impijs quoq; cladem ſuam creaturæ ſentiunt, ut id etiam declarat diluuium. Tantum malum eſt impietas, ut contrà cum iuſtis illæ ædẽ reſtituuntur ſuæ integritati uelut Apoſtolus in epiſtola quam ad Romanos ſcribſit, teſtatur. Inter flumina præcipuũ locũ hic Nilus habet, ex cuius incrementis & decrementis coniectu ræ præbentur nonnullis, è quibus quanto tẽpore quæq; interuallis clades editæ ſint, cõijcium. Porrò Niluſ à ſolſticio æſtiuo creſcere incipit lentè primùm, uehementius ſole in Leone uerſante, in Libra reſidet. Augetur 40. diebus, alijs totidem minuitur diebus octonino 80. terra aquis nudatur. Semina iacium in limũ digreſſi fluminis, poſtea Nouembri inarant, Calendis aprilis incipiunt uertere. Igitur uolunt nonnulli uaricula cœpiſſe tempore æſtiuæ conuerſionis ſole ingreſſo in Cancrum. ranarum oſtentum ſecutum priorem cladem interuallo dierum plus minus 30. æquinoctio autumni. Grandinem autem de qua capite nono, cecidiſſe, ante reciprocationem hyemalem. primogenita uerò cæſa 14. luna æquinoctium uernum ſequente. totumq; tempus quo Aegyptus eſt infeſtata clade, menſium circiter decem fuiſſe. Atq; hæc argumenta ſumunt ex qualitate cœli, telluris, ſemeris & meßis in Aegypto. cæterùm eſt in hiſtorijs in Aethiopiæ montibus à ſolſtitio uſq; ad æquinoctium autũ

le ine-

le imbres esse perpetuos: & hos esse in caussa, cur Nilus eo tempore crescat. At uerò an hæc caussa satisfaciat, aliis ea de re disputandum relinquo.

¶Sicut præceperat Dominus.] Quod igitur decretorum Dei necessitate impij obfirmati in malum feruntur, non minus propterea impij censentur, sic ut nec sancti minus iusti sunt quòd ex firmo proposito Dei iusti sunt, de quibus in epistola ad Ephesios: Quemadmodum elegit nos in ipso antequ iacerentur fundamẽta mũdi, ut essemus sancti. Duplex igitur cũ sit necessitas, una quæ coniuncta sit cum ui & coactione, altera uoluntaria animi propensione non carens: hæc in sontibus & insontib. ádnutitur, illa nõ item.

Feceruntq; similiter malefici.] Sed unde hi acceperunt aquam, Aegyptiorum aquis conuersis in sanguinem? per conceptionem uidetur locus de conuersis in sanguinem aquis accipiendus esse, ut ille suprà: Dispersus est populus in omnes fines Aegypti ad colligendas paleas. aut post finitos septem dies tentarunt idem facere magi Aegyptij.

Foderunt autem omnes Aegyptij.] Tales aquas cum Aegyptijs effodiunt ad bibendũ, qui uiuis aquis destituuntur, de quibus Dominus apud Ioannem: Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ.

Impletiq; sunt septem dies.) Mystica nota septenarij obseruanda.

IN CAPVT VIII.

RAnis.] Altera plaga. Neq; hæc ranarum calamitas Aegyptijs parũ conuenit. Animans enim hoc natum ex limo, et in limum resoluendum & odioso clamore infestum, quas ranas significet, non est obscurũ. Quas enim ranas obstreperas nostra Aegyptus fundat ex turbidis aquis suis, satis notũ. Molestas nobis illas sua loquacitate futili et inani persensimus iam multis seculis, & etiamnum sentimus, in quibus spiritus immundi habitant, de quibus Ioannes in Apocalypsi sua his uerbis: Et uidi ex ore draconis, & ex ore bestiæ, & ex ore pseudoprophetæ, ex ore spiritus tres immundos in modum ranarum. Digni autem sunt ut importato ranarum clamore discrucientur, qui Dei legatos cœlestes salutaria oracula deferentes respuunt.

Orate Dominum.] Falsæ pœnitentiæ exemplũ in Pharaone, quam non fides illi expresserit. sed præsens supplicium. Reuocandum exemplum ad locũ cõmunem. Talis pœnitentia in Caino, Saulo, Iuda, et aliis repudiatis spectatur.

Constitue quando deprecer pro te.) התפאר gloriari est. Glorieris de me qui posim si orauero, ranas à te depellere. Paraphrastes שאל לרגבורא. Rẽ magnam aut diuinam petas. Moses fretus promissione illa, Ego præsto te Deum Pharaoni, nullam rem tam arduam cogitauit esse quam ipse diuina ui efficere non posset. Hoc ipsum est consortium diuinæ, naturæ in quo sunt sancti homines.

Vt scias quoniã nõ est sicut Dñs Deus noster.] neq; inter tuos Aegyptios, neq; inter cæterarũ gentiũ deos. Munus uerorũ prophetarũ, summã Deo Israelitarũ gloriã tribuere, nemini alteri. Hæc est præclara confessio fidei quam cõmendat Apostolus: Corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem.

Desponsione ranarum.] Hæc latini interpretis sententia probatur multis. Græci, περὶ τῆς ὁμολογίας τῶν βατράχων ὡς ἐτάξατο φαραώ. Cæteri hunc in modum: Et clamauit Moses ad Dominum de ranis, quas immiserat Pharaoni.

Fecitq; Dominus iuxta uerbum Moysi.) Liberatur à calamitate oratione iusti qui iustos persequebatur. Duo igitur hic expendi debent: unum, impios quòd uiuunt ac spirant, & bene in hoc mundo habent, debere pijs: alterum, ingenium piorum conformatum esse ad naturam Dei, qui solem suum lucere finit iustis & iniustis. Tanto exitiosior est sua impijs ingratitudo.

Immensos aggeres.] Pro quo Hebræus iterata uoce utitur חמרים חמרים. ranarum igitur uis immensa ut mortua est, fœtore cuncta repleuit.

Ingrauauit cor suum.) Data respiratione à plaga ranarum, impij ingenium remissa calamitate ad se redit, & à diuino beneficio fit deterius: adeò nec ira, nec bonitate Dei impij meliores redduntur. Contraria ratio piorum est, ut de Mose liquet. Si causam eius rei requiras, Dominus eam exponit apud Ioannem: Qui ex Deo est, audit mea uerba: propterea uos non auditis uerba mea, quia nõ estis ex Deo. Ex Deo autem sunt de quibus illud: Crediderunt quotquot ordinati erant in uitam.

Extende uirgam tuam.] Tertia plaga.

Et percute puluerem.] Potẽs uis uirgæ Mosaicæ, quæ aquis, terræ, cœlo imperat. Remoto typo occurrit uirga de qua uates Psalm. 45.

Et fint ciniphes.] Retinet partem uocis Hebrææ. Hebræi enim legunt כנים et pro pediculis interpretantur. Iosephus φθειρῶν. Itaq; nonnulli uolunt Aegyptios φθειριάσαι, id est pediculari morbo fuisse correptos. Quo morbo duo Herodes propter suam in Deũ rebellionem consumpti sunt.

Omnis puluis terræ.] עפר limũ propriè notat ac puluerem maceratum liquore qui ad procreanda animantia aptus sit. Veluti suprà Gen. cap. 2. legimus de homine ut sit effictus ex limo. Apparet hoc genere plagæ generatim pediculos, pulices, culices, cimices, et quæ eius generis sunt, quibus oculi, nares, aures, ora, manus, & reliquæ corporis partes infestantur, comprehendi. Quæ quidem quarum calamitatũ quibus animi de scelerum conscientia excruciantur, significationem habeant, Dominus ipse docet his uerbis: Et uermis eorum non morietur

Et non potuerunt.] impediti ui Dei, cui satanæ potentia cedit ac subiecta est. In duobus igitur obnoxia potestas Satanæ cernitur. unum est, quod huic ne in minimã quidem quicquam liceat nisi quantũ permittat ei Deus. Exemplo Iobus est, & reliqui sancti, & hic pediculi. Alterum, quod eum exitum operà illius sortiri nequeãt quem ipse expetit. Expetit enim suis artibus perdere pios, qui diuina prouidentia seruantur. Reuerere igitur Dominum, & satanæ, magisq; Aegyptijs illius ministris dominaberis.

Digitus Dei est hic.) nõ ars magica, quali nos ad Iudificandũ utimur. Is digitus spiritus Dei est de quo apud Lucam: Porrò si digito Dei eijcio dæmonia. Libera confessio potentiæ diuinæ cernitur in magis Aegyptijs, quam non fides, sed naturalis ex spectatione tantorum operũ illis ratio expressit in hoc, ut essent inexcusabiles, qui priusquam perirent, cum Pharaone sub testimonio operũ Dei & conscientiæ cõuinci debuerũt, ut iustè perderẽtur, qui seruari noluissent.

Omne genus muscarum.] Quarta plaga. Sep. sequitur noster interpres qui habent, ut nonnulli legunt, κυνομυῖαν, id est genera muscarum. Cæteris interpretibus ערוב uaria noxiarum bestiarum genera sunt, ut leonum, pardorum, luporum, ursorũ, serpentum, scorpionum. Cuius sententiæ est etiam Iosephus, qui pro ערוב, uertit παντοῖα καὶ πολύτροπα animantia. Pro quibus nonnullis infecta placent. De noxiarũ bestiarũ incursione sententiam corroborat maledictio per Mosem transgressoribus legis diuinæ intentata: Emittãq; in uos bestias agrestes, quæ consumant uos. Hinc in librõ Sapiẽtiæ sic legitur: Quòd quidem errantes colebant multos serpentes & bestias, immisisti illis multitudinem animaliũ ad uindictam, ut scirent quia per quæ peccat quis, per ea & torqueatur. Locus de ui diuinæ iusticiæ, ad quam ostẽdendam tum animata, tum anima carentia pro pijs tam strenuè armentur. Nam ranæ ex aquis, pediculi ex limo, feræ ac bestiæ sæuæ ex terra extiterunt.

Ego Dominus in medio terræ.) Locutio principatum innuit ac dominatum. Sic Christus: Si duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ego ero in medio eorum, tanquam uidelicet magister, doctor, & arbiter.

Abominationes eũ Aegyptiorũ.] Hoc est sacra quæ detestantur Aegyptij. Nõ enim neq; boues, neq; arietes ferebant quos pro dijs colebãt Aegyptij immolari, quib. animantibus Israelitæ in solitudine erant litaturi Deo suo. Itaque paraphrastes pro תעבות uertit תיעא id est iumentũ quod Aegyptij colunt. Nota est historia de Api boue ab Aegyptijs pro Deo culto.

IN CAPVT IX.

Dixit autem Dominus.] Quinta plaga, pecorum in agris lues. Hoc supplicium postea legali cõminatione confirmatum est: Maledictus fructus uentris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum.

Dimitte populum meum.] Cur præcepit Deus ea Pharaoni quæ is sciret illũ non effecturum? ut ipse suprà præmonuit, Et non audiet uos Pharao. Nõ frustra præcipit: Mandat enim tam seuerè, partim ut prauitas animi in impio tyranno uerbo Dei toties rebellante palàm fieret: partim quia semel Deus declarare uoluit potentiam suam prodigijs, ut iustè uideretur ea edere in tã cõtumacẽ, toties uoluntatem suam mandando ostendit. Dicas: Sed cur damnare uisum est eũ q neq; seruari, neq; obedire mandãti potuit? Nõ quia obedire non potuit dãnatur, sed quia noluit suæ spõte & uoluntate, necessitate decretorũ nõ uim & coactionẽ, sed ineuitabilẽ exitũ et euentũ afferẽte.

Constituith; Dñs tempus.] dato spacio ad pœnitentiã, ne quid aduersus æquitatẽ diuinam causari posset. Itaq; Apostolus: At diuitias bonitatis Dei & lenitatis eius contemnis, ignorans quòd bonitas Dei inuitet te ad pœnitentiam. Atq; id quoq; in causis numeratur tam diu toleratorum impiorum.

Et mortua sunt omnia animantia Aegyptiorum.] terrestria, ut suprà aquatilia influminibus, quo scirent impij usum conditi mundi solitẽ precario, nõ hæreditario iure ad se ptinere. Itaq; sequitur: De animalib. uerò omne pecus figuratè pro maiore parte pecoris. Infrà enim legitur: Congrega iumenta tua.

Ingrauatumq; est cor Pharaonis.) per inuidiã qua grauiter tulit Israelis res integras, qui suas misèrè affectas uideret. Tam iniustus est inuidiæ oculus.

Vlcera & uesicę surgentes.) Hebræus scabiẽ, ac ulcera pustulas efficientia. Verbum חבעבת geminatum à בעת deriuatum, quod bullire est, ut aquæ ad ignem bulliunt. quæ significatio tumentibus pustulis conuenit. Hæc quoq; Aegyptiorum clades contemptum uerbi Dei secuta, lege infrà cõprehenditur his uerbis: Si nolueris audire uocem Domini Dei tui, percutiet te Dominus ulcere Aegyptio. Huius generis igitur supplicia symbola nobis sint ac notæ diuinæ iræ in scelera rebellium accensæ.

Nec poterant malefici stare.] qui suprà prodigia edidissent. Hæc magorum Aegyptiorũ nostra infirmitas est. Sed quanto grauiora ulcera sunt quæ sapientum huius mundi conscientiæ exulcerantur pertefacto iudicio Dei? Hæc sunt sæua ulcera quibus spiritualis Pharao cum suis ministris excruciatur.

Quia in hac uice mitrã omnes plagas meas.] Quia hic uariæ plagæ memorantur cũ grandine immissæ, tonitrua, fulgura, uis horrẽdæ & insolitæ Aegyptijs pluuiæ, ideo hic plagarũ multitudinis numero mentionem fieri uolunt. quibus etiam plusquam omnibus superioribus territum hic Pharaonem ut diceret: Iustus Dominus, ego aũt et populus meus iniusti.

Vt scias quòd non sit similis.] Causa plagarum explicatur.

Nunc enim extendens manum percutiã te.) Manus meminit, qui decem plagas ad numerum decem in manu digitorum, Aegyptijs immissurus erat. Hos digitos diuinos agnoscentes Aegyptij dixerant: Digitus Dei est. Sententiam Hebræus scitè reddit Paraphrastes: אוי בען קריב קדמוי רשלחית מרן ית מחתה גבורתי ומחת ית עמך במותא, id est nõ longè abfuit quin immisissem grauem plagam meam, & perdidissem te & populum tuũ peste. Nõ enim noua clades his uerbis significatur. Ideo præterità pro ראך nõ futurũ huc cõgruit. Sed cur differatur impiorũ interitus, subtexitur ratio per repetitionẽ.

Idcirco autem posui te.] Pro העבור paraphrastes קיימיתך conseruaui te. Græci non dissimiliter nisi quod personam mutant διατηρῶ σε, conseruatus es. Noster Apostolus, excitaui te. Præclarus is locus est, rationem præcipuam explicans tandiu toleratorum impiorũ in mundo, & ad supplicia destinatorũ.

Et nar-

Et narretur nomẽ meũ.) Finis tam seuerae animaduersionis in impios ostenditur. Locus indicat Deum omnia destinare in finem bonum, etiam impios & eorum scelera, & horum pœnas. Bonus autem is finis in diuinæ iusticiæ & potentiæ erga impios hostes, atque bonitatis in suos declaratione cernitur. ספר Hebræis est in loco deprædicare ac celebrare.

Adhuc retines.] Dura reprehensio contumaciæ Pharaonis à Dei Israelitarum potentia sumpta, cur repugnandum non sit. Quod etiam Græcus uates intellexit, cum Deum λύδιγον & μέγιγον uocat. Heb. habet ערוך מסתלל. Quod alij aliter uertunt. Chaldæus גבשת subigis, metaphora sumpta à terentibus uuam. Alij, משתבח gloriari ac superbè efferri? Num pergis superbè Israeli populo Dei te opponere? Citantq; hi locum ex Prouerbijs סלסלחר הרומכך

Populum meum.) non tui iuris.

Et pluam cras hac ipsa hora.] Septimum supplicium grandinatio. Deus igitur hic pluisse grandinẽ. Alia igitur ratione sacræ literæ proponunt nobis opera quæ in cœlo & in terra gignũtur, ad cognoscẽdum: alia philosophi, qui in naturæ obscuritate uersantur. Hi enim efficiẽtes causas uicinas et proximas cum ipsa materia exquirunt, continentes sese intra naturæ terminos, minimè solliciti de noticia Dei: illæ uerò, id est sacræ literæ, res ut à Deo nascuntur, & quem ob finem ab illo nascuntur, spectandas nobis offerunt, quomodo uidelicet aut in pluuijs, niuibus, rore, uentis salubribus diuinæ gratiæ pij admoneantur, aut in grandine, pruina, uredine, carbũculo, tonitruis, fulminib. & omnino in maiore ui cœli, impij de scelerib. exterreantur ad emendandã uitã in melius. De quo usu Aggeus propheta his uerbis: Percussi uos uento urente & aurugine & grandine omnia opera manuum uestrarum, & non fuit in uobis qui rediret ad me. Hæc seuera reprehensio ut in nostra secula cõgruat, res ipsa docet.

Qualis non fuit in Aegypto.] Est in historijs, in Aegypto pluuias ac imbres portẽtosos esse. In quibus grandines numerantur, quæ ex cõglaciato imbre gignuntur. Qua de causa prodigio hoc magis perterriti fuere Aegyptij.

Fundata est.] cõdi cœpta à Mizraimo filio Chami.

Et cõgrega iumenta tua.] Miser escentis Dei id erat in media indignatione tẽperantis pœnã propter eos à quibus sciret se timeri, id est in uenerationc quadam haberi. Nam deposito mystico uelo, multos inter Israelitas licebat reperire Aegyptios, et in Aegyptijs Israelitas. Firmũ enim est illud Petri: Re ipsa cõperi quòd non sit apud Deum respectus personarũ, sed in quacũq; gente qui timet ipsum, & operatur iusticiã, is acceptus est illi. Itaq; sequitur:

Qui timet uerbum Domini.) Hinc illud: Timor Domini liberat à malis.

Qui autem neglexerit.) Hebræam phrasim reddẽ ראשר לא שם לבר Is locus declarat per comparationem contrariorum quid sit metuere Deum, idem esse quod Deum uenerari, atq; oraculorum eius curã tangi, & magni ea ducere.

Et Dominus dedit tonitrua.) Tonare hic dicitur Dominus. nec dissimiliter statuunt poetæ, gentiũ uates, & theologi, qui in Deum autorem referunt huiusmodi opera, ut indicant illa epitheta: ζεὺς ὑψιβρεμέτης, item ζεὺς τερπικέραυνος, item νεφεληγερέτα ζεύς.

Et discurrentia fulgura.] Tria coniungit hic in plaga grandinationis, tonitrua, fulgura, grandinem. Qui μετέωρα, id est corpora imperfecta uapore aut exhalatione supra terram in aere conflata describunt, suæ descriptioni sacras etiam literas nequaquã refragari hic uidẽt. Si in nube luctetur flatus aut uapor, tonitrua edit: si erũpat ardẽs, fulmina: si lõgiore tractu nitatur, fulgetra: his findi nubẽ, illis perrũpi.

Ab homine.] Distributione explicat incommoda grandinis, exorsus ab homine capite uniuersitatis.

Et omnem herbam.) Partes & formas persequitur. Psal. Et percussit uineas eorum & ficus.

Tantum in terra Gossene.] ex fœderis gratia, non meritis.

Peccaui etiam nũc.) Locus de ui legis naturalis, conscientiam id est iudicium de bono & malo formãtis ad probandam diuinam iusticiam. De qua ui Apostolus his uerbis: Nam gentes legem non habentes, sibi ipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, simul attestante illorum conscientia. Apertè hic cognoscitur discrimen inter censuram legis & fidei: illa condemnatur Pharao, & perit: hac liberantur noxa pij, & conseruantur. In fidei igitur luce diuinæ bonitatis claritas ostenditur Israelitis, in lege autem naturæ Aegyptijs per obscuritatem eiusdem Dei seueritas. Vnde non est mirum, Aegyptios in sacris suis posuisse Sphingas.

Tonitrua Dei.] De quorum horribili fragore nubium conflictatione edito Psal. Ab increpatione tua fugient, & à uoce tonitrui formidabunt. Est in historijs, tonitrua pecoribus abortũ afferre. Scriptura sacra propriè uocem Dei appellat tonitrua propter insignẽ sonitũ, & maximè cũctis spirantib. horrẽdũ.

Quia Domini sit terra.] non tuæ ditionis & deorum tuorũ, in qua Deus omnia ex arbitrio faciat, conseruet ac perdat quos uelit iure creationis.

Linum ergo.) quod nobile nascitur in Aegypto.

Quia serotina erant.) nondum in culmos & spicas enata, ut sero anni tempore prouenientia. A' caligine tropus sũptus. Nota enim significatio אפילת.

Nec ultra stillauit pluuia.) Metaphora in נחך sumpta à metallorũ fusione, quæ ut igni liquefiunt, ita nubes in pluuias funduntur ac liquefiunt.

Auxit peccatum.] contra conscientiã delinquendo, qui suprà confessus fuisset, Peccaui.

IN CAPVT X.

ET narres ea filijs.] Vsus prodigiorum, manifestatio ueri Dei ad posteros.

Quoties contriuerim.] אשר התעללתי Chaldæus, Quæ feci Aegyptijs. Nõnulli, Quib. illusi. Quã sententiam habent Græci, ὅσα ἐμπέπαιχα.

Et sciatis quia ego Dominus.] *non alius, quem uni tu fide colatis & reuereamini, nō deos Aegyptios.*

Vsq; quò non uis subijci mihi?] *Exprobratio pertinacis superbiæ, qua cum Pharaone aduersus Deū se efferunt potentes, orbis terrarum tyranni. similia exempla in Assyrijs, Babylonijs, Græcis, Romanis, nobis proponūt prophetæ, & præcipuè in illo qui quartæ bestiæ uulnera sanans dicit: in cœlum ascendā, & supra astra cœli ponam sedem meam.*

Ecce ego inducam cras locustam in fines tuos.) *Octaua plaga Aegyptiorum, locustarum immissio. Hoc malum deinde quoq; sceleratis intentatum leginus Deuteronomij 18. Si nolueris audire uocem Domini Dei tui, sementem multam facies in terra, & modicum congregabis, quia locustæ deuorabunt omnia. Psal. addit bruchorū nationem: Dixit, & uenit locusta, & bruchus, cuius non erat numerus. De locustarū genere, fœtu, natura et clade quam terris afferant, uideris apud scriptores rerum. Harum magnā ac immensam uim esse indicat etiam Hebræum uerbum* ארבה. *Traduntur maria transire, & maximos tractus permeare, messibus nocere, multa tactu adurere, omnia morsu erodere. Itaq; ad publicum supplicium orbis terrarū diuina ira destinatæ sunt locustæ. Proditum est literis, in Cyrenaica regione legem esse ter anno debellandi eas, primò ouæ deterendo, deinde fœtum, postremò adultas, desertoris pœna in eum qui cessauerit. Et in Lemno insula certa mensura præfinita est, quam singuli enecatarum ad magistratum deferant. Graculos quoq; ob id colere feruntur aduerso uolatu occurrentes earum exitio. Necare & in Syria militari imperio coguntur. Tot orbis partibus uagatur id malū. Cæterùm sunt & in Aegypto spirituali suæ locustæ de fumo putei regni mortis & inferni ad nos delatæ, quas Ioannes in Apocalypsi illa sua diuina declarat quibus in orbe terrarum sub antichristo spirituali illo Pharaone & Nabuchodonosore homines affliguntur. Quid uerò quinque menses quibus nocendi potestatem habent notent, quid item reliqua, equi, coronæ, species auri, & hominum, capilli mulierum, dentes leonum, loricæ ferreæ, uox alarum comparata stridori curruum, caudæ scorpionum, & cætera eis afficta, quis item sit rex abyssi omnia uastans & perdens, qui locustas illas regit, ea de re alio loco.*

Quæ operiet superficiem terræ.] *Historiæ tradunt, tanto locustas uolare stridore, ut aliæ alites credantur, solemq; obumbrare. Itaq; hic Paraphrastes: pro* ויחסי ית עין שמשא *uertit* דיתאר, *id est conteget splendorem solis, ne affulgeat terræ.*

Et respondit Pharao.) *Responsio hæc sarcasmū habet, non carens naso & sannis. Pharao Mosem quòd proposuisset secum uxores, liberos, pecora abducere in solitudinem Arabum, fugam, cui cultū Dei, ut suspicax est tyrannorum ingenium, prætexeret, meditari uelle suspicatus est. Celauerat enim reditū in Chananæam Moses, indicato solum itinere trium dierum ad facienda in solitudine sacra.*

Sed ite tantum uiri.] *Præcidit occasionē fugiendi, qui minimè relicturi essent post se uxores, liberos, opes.*

Hoc enim & ipsi petitis.) אתה *nonnulli referunt ad* רעה *ut sit sententia: Nam ad improbitatem istam spectatis, ut fugam moliamini.*

Ventum urentem.] קדים *id est orientalem. & oriens ut anterior pars* קדם *Hebræis dicitur, & occidens* אחר *ut posterior. Itaq; Iobus:* רוח קדים אחלך ראיבני ולא אביר לה.

Et in uos.] *Suprà solum dixerat, Peccaui, Dominus iustus: hic addit, Et in uos peccaui. quos nimirum ignominio se à se reiecerat. Locus de deiectione superborum tyrannorum, qui non solum legatis Dei non parere non possint, ut maximè uelint: sed etiam supplices eis fieri coguntur sub uindice manu Dei. Tanta uis est uocationis diuinæ. Illustrandus locus est exemplis.*

Proiecit.] *Verbum* ויטעתר *declarat locustas abreptas uento occidentali, ui diuina in mari uiribus nō secus atq; clauus in pariete figitur, de fixas fuisse.*

In mare rubrum.) *quod ab oriente Aegyptum spectat, atq; id nonnulli à colore solis repercussi facto, alij ab arena, sic appellatum putant. Græci appellant θάλασσαν ἐρυθραν. à rege Erythræo. Hebræi* סוף *à iuncetis ac carectis.*

Et sint tenebræ.] *Nona plaga, qua digni erant ij qui lucem oraculorum Dei, de qua Psal. Lucerna pedibus meis uerbum tuum, spernebant, & eam in Israelitis extinguere moliebantur.*

Vt palpari queant.] *ἀνεφῆς. Omnia subiecta esse gubernationi diuinæ, terram, aquam, uentos, cœlum & eius lumina ad arbitrium Dei lucentia & lucem negantia.*

Tenebræ horribiles.) חשך אפלה, *id est tenebræ obscuræ quæ cuncta obscurarent. De quibus autes: Immisit tenebras, & obscurauit. Quàm latè autem pateant Aegyptiæ tenebræ, declarant tempora antichristi & cæcitas eorum qui regno Christi sereto in satanæ regno, quod tenebrarum regnum est, certantur. De qua maledictione Moses infrà, Percutiet te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis, palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris. In quantis animi etiam tenebris Aegyptus uersata sit, literarū ratio quā coluit, documento est. Quam triplicē apud Aegyptios fuisse traditur: ἐκφωνηματικὴν, id est aptū ad scribendas literas: alteram ἱερογλυφικὴν, id est eā qua sacerdotes in sacris scribendis rebus obscurius utebātur: tertiā ἱερογλυφικὴν, id est literarū rationē, qua de rebus sacris insculpebantur figuræ: ueluti qui solē uolebāt scribere, faciebant circulū: qui lunam, figuram lunæ cornua præferentem.*

Vbicunq; autem habitabant filij Israel, luxerat.) *Adumbratur discrimen hac contentione filiorū Dei, & filiorum huius mundi. Hi cum Aegyptijs in tenebris ut filij tenebrarum, illi cum Israelitis in luce ut filij lucis, uersantur. Ad hoc discrimen Apostolus spectās, cum dicit: Omnes uos filij lucis estis, ac Dei, nō noctis, ac tenebrarum.*

De loco in quo erat.] domi se continentes, qui præ tenebris foris nullum opus moliri possent. Lux enim actioni destinata est, tenebræ uacationi. Israel in die est & luce. de qua Dñs in Ioanne: Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: contrà Aegyptij, id est impij in tenebris desident & nocte. De qua idem Dominus: Venit nox, quando nemo potest operari.

Vocauitq; Pharao Mosem.] post triduũ quàm cœperat uidere lucem.

Oues tantum uestræ.) in quibus uideret Israelitarum positas opes.

Quæ offeramus.] עשרנו in loco Hebræis sacrificare est, ut Latinis suum facere.

Indurauit autem Dominus cor.] Grauissima hæc fuit induratio quæ cœperit cœdem spirare eorum quos suprà iustos agnouerat. Itaq; acerbissima quoq; illam secuta est clades.

IN CAPVT XI.

Adhuc una plaga.) Exitiũ primogenitorũ quod suprà Mosæ præ cæteris priusquam Aegyptum ingressus esset, Dominus ostenderat.

Dabit autem Dominus gratiam.) quam promiserat antea. Suprà enim legitur: Daboq; gratiam populo huic coram Aegyptijs.

Fuitq; Moses uir magnus ualde.] opinione diuinæ uirtutis quam in Aegypto prodebat. de qua suprà: Constitui te Deum Pharaonis. Quam etiam existimationem impijs conscientia rerum à Mose factarum pariebat: ueluti à sapientibus Aegyptijs proditum, Digitus Dei est hic.

Et ait, Hæc dicit Dominus.) Hæc prius indicata Pharaoni apparet, q̃ iratus discedens dixisset: Ita fiat, ut locutus es, non uidebo ultrà te.

Media nocte.] Tempus ipsum horrorem supplicij auget.

Ingrediar.] ויצא id est egrediar tanquam ultor tyrannidis Pharaonis & uindex libertatis Hebræorum. Est enim in loco יצא militare uerbum, ad pugnandum se accingere. Psal. Dominus sicut gigas exibit. Paraphrastes pro יצא uertit ובתגלי, id est ego patefaciam, hoc est sententiã iræmeæ in Aegyptios ostendam.

Et morietur omne primogenitum.] præcipuæ existimationis, ut quod primò declaret genitalem parentum uirtutem, ut suprà in Genesi legimus: Ruben primogenitus meus, uirilitas mea. Itaque uates Dauid ויך כל בכורי בארצם ראשית לכל אונם, id est interfecit cuncta in eorum terra primogenita, omnis eorum uirilitatis primordium. Notatur igitur primogenituræ nece potentiæ regni Aegyptiorum interitus.

A primogenito Pharaonis qui sedet in solio eius.) qui dignus sit post patrẽ ut in solio regni eius sedeat, sic nonnulli interpretes: & paraphrastes, qui uertit: מבכוריא דפרעה דיתיר למיהב על כורסי מלכותיה Locus de primogenituræ etiam apud gentes habito honore.

Ad molam.) molas uersare seruitium fuit seruis & captiuis. Hic legitur ancilla, infrà captiua, quod captiui molas uertere solerent. iuxta illud: וירחי טחן בבית אסורים.

Qualis nec antea fuit.) Ad amplificandam calamitatem hæc faciunt. בזכר masculus est, תיתה fœmina. igitur dissentanea sunt genera, ad בזכר adiungunt. שבר aut שיר ut sit sententia: Et extitit eiulatus tantus in Aegypto בזכר שבר, id est cuiusmodi cladis planctus antea nullus extiterit.

Non mutiet canis.] Opponit per contentionem ploratum Aegyptiorum canis animalis ad latrandũ alioqui nati apud Israelitas silentium, apud hos omnia tranquilla, apud illos omnia turbulenta fore. prouerbialis locutio: Ne canis quidem mutit. qua omnia pacata esse significantur.

Vt sciatis quanto miraculo diuidat Dominus Aegyptios Israel.] Remoto typo, discrimen piorum & impiorum filiorum Dei & filiorum satanæ indicatur, quod se ostendit cum ex spirituali quæ peccati & mortis regnum obtinet, Aegypto in ius libertatis spiritus iusticiæ, & uitæ sub duce Christo Israelitæ nõ carnales, sed spirituales uindicantur. Vbi magna carnis & spiritus iusticiæ & iniusticiæ iræ & gratiæ, mortis & uitæ, lucis & tenebrarum dissensio cernitur.

Et adorabunt me.] regium honorem mihi tribuentes ob opinionem diuinæ in me uirtutis, quam tot editis prodigijs præsentem senserunt. Ad hanc existimationem faciebat quod suprà legitur: Et Moses erat uir magnus. Quæ honoratio ualde mordebat superbum tyrannum, ut Mosi indignabundus diceret: Recede à me, quocunq; die apparueris, morieris.

Et omnis populus.) ut Moses ex sententia Dei indicarat Pharaoni his uerbis: Cum paruulis nostris & senioribus pergemus cum filijs & filiabus, cum ouibus & armentis.

IN CAPVT XII.

Mensis iste uobis principium mensium.] qui Martius erat. Mensium primus instituitur is, ut quo Israel ex Aegypto è seruitute in libertatem diuinam assertus esset. à quo mense, reliqua quoq; festa numerari solita sunt. Qua ex re intelligimus, mensium anni descriptionem à Deo traditam, quæ utriq; gubernationi, ecclesiasticæ & ciuili in illo populo commoda foret, Ecclesiasticæ quidẽ ad distinguenda festa, ciuili uerò ad cognoscendum quæ quouis tempore domi & foris à ciuibus & magistratu gererentur. Itaq; solis & lunæ maiorum luminum cœli quæ Deus in signa & tempora distinxerat tam inde à creatione mundi utilitas hic in reip. Israeliticæ constitutione sese ostendit. Mensium ei in orbis lunari cõuersione absoluitur, quod declarat uerbum חדש mensem apud Hebræos significans, qui propter innouationem qua luna singulis mensibus nouam se à solis coitu digressa repræsentat, appellatur. Nam Hebræi mensis cuiuscunq; initia supputant ab eo tempore quo luna recens noua apparet.

Vt igitur mensium descriptio Deum autorem habet, ita diuina res fuerit, noticia conuersionis solis & lunæ, quam Dei beneficio nobis tributam credere par sit. De lunæ autem per signiferum cursu quanto temporis spacio eum conficiat, & solē assequatur, quotq; diebus sol in eodem illo circulo cursum suum expediat, & quæ ratio intercalaris anni sit, atq; propter hunc interdum accidat, ut Hebræorum Martius in Aprilem nostrum incidat, non est huius instituti ea disputatio, ab alijs prolixè explicata.

Decima die mensis huius.] Iam aggreditur nouus legislator populo in libertatem uindicando, religionis leges præscribere, quas in noua rep. seruet, qui antea Aegyptiorum legibus tyrannide oppressus paruisset. Atq; prima lex de agno pesah deligendo ad uictimam sancitur, primo mense, & eius die quo tollendus è grege sit agnus, indicato. In hac autem historia duo nobis cognoscenda sunt. unum, mysticum redemptionis opus: alterum uerum, quod mystico adumbratur. In utroq; tria spectantur: unum, agnus est cuius aspersus sanguis eum Deo fœdere coniunctos clade liberat: alterum, liberatio ex grauissima seruitute, & uindicatio in libertatem: tertium, interitus hostium. Qua in re expendenda iudicium adhibendum est, ut corporata cum corporatis, & spiritualia cum spiritualibus comparentur: quod quomodo fiat, ordine & membratim explicabimus. Ex hac narratione intelliginus tripartitam iudicij diuini uim esse: unam liberantem, qua suos quos amat, malis liberat: alteram purgantem, qua liberatos purgat uitijs absterſis. postrema puniens est, qua hostes suorum impios perdit. singulæ hæ partes à Mose suis locis exponuntur.

Tollat unusquisq; agnum.] שה genus est agnorum & hœdorum. Itaq; infrà: Nihil refert, agnus sit an hœdus. Dices, si nihil interest agnus accipiatur an hœdus, cur ergo tam malè audiunt hœdi, ut eis à Domino apud Matthæum mali à bonis ad sinistram separandi comparentur. Hac ratione nonnulli moti dicunt non hœdos immolari solitos, sed agnos, ad adumbrandum eum agnum de quo Ioannes: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. & de quo Esaias: Vt agnus ante tonsorē suū obmutescit. At hi nō satis occurrūt illi qđ hic legit עזחבבש רעך חעזים תסחר, id est de agnis siue de capris sumitote. Hoc est, nihil refert agnus sit an hœdus. Vtrunq; genus aptum ad immolandū erit. Nā et hœdos uoce שה cōtineri ut annotatū declarat illud רשה עזים. Ad hæc, hœdos solitos quoq; immolari ad repræsentandum Christum, infrà patebit, ubi quoque de hœdis quæ allata est rationi occurretur. Itaq; תמים hic hoc est intemeratus ac integer non refertur ad ingenium & mores pecudis, sed ad corporis carentis uitio integritatem. Quæ etiam infrà in capro piaculari requiritur.

Sin autem minor est numerus.] Israeliticus populus in duodecim tribus diuisus erat: tribus quæque in familias, familiæ in domos. In quibus qui dignitate præstabant, patres appellabantur. Agnū unum ab una familia pro numero capitū edendum esse. cuius significationem declarat Apostolus: Vnum corpus & unus spiritus, quemadmodum & uocati estis in una spe uocationis uestræ.

Erit autem agnus absq; macula.] Hunc uitio carere masculum, & anniculum esse debere. De cœlesti agno legimus apud Ioannem: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi de cuius integritate prophetat. Eo q; iniquitatē non fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius. Itē illud Apostoli: Qui per spiritū æternum seipsum obtulit immaculatū Deo. qui enim aliorum noxam expurget ac abstergat, ipse peccato obnoxius? Hunc autem omni uitio carentem naturam ut haberet, non ex uitioso ueteris Adami semine eum concipi oportuit. sed ex illabefacta spiritus sancti natura. De qua illud: Nam quod in illa conceptum est, à Spiritu sancto profectum est.

Masculus.] Remoto typo occurrit masculus agnus, & uirili robore præditus, de quo illud propheta: Et fortium diuidet spolia. Psal. Cum ascendisset in altum, & captiuam duxisset captiuitatem, dedit dona hominibus. ut enim uincat mortem, peccatum, potestates tenebrarum, et mundum ipsum cum suo principe, nisi is qui fortitudine masculā præstet et excellat? Masculus igitur agnus est de quo angeli, throni & animalia & seniores & multa millia dicunt: Dignus est agnus qui occisus est accipere uirtutes, diuitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

Iuxta quem ritum tolletis & hœdū.] Ex grege paratur uictima. si nostrā hostiam spectes, legimus infrà, Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum. Item in Psal. Annūciabo nomen meum fratribus meis in medio Ecclesiæ laudabo te. Quod de grege sumitur agnus, significatur Christū carnis nostræ infirmitates tulisse in carne sua sacrosancta, & per omnia nobis similiter tentatum absq; peccato, ut nos quoq; cœlestes, qui terreni: spirituales, qui carnales sumus, rederet. Secundò Christi cum ecclesia ut capitis cum corpore consortium subindicatur, qui ecclesiā suam tanquam gregem agnus ac aries regat atq; ducat.

Et seruabitur usq; in decimāquartam diem.] Decimo die seligitur in uictimā agnus. qui numerus conuenit perfectæ & absolutæ omnibus diuinitatis ornamentis hostiæ. Quòd autem non statim macteatur agnus ad edendum, sed seruatur in quartum usq; diem ab eo tempore quo selectus est, ratione id non carere, pij homines existimant. Eo enim ritu immutum certum tempus quo Christum edi oporteat à suis: Nā quatuor in his gradus deprehendūt. unus uitæ est, cuius cum spirpibus illi sunt participes. alter, in quo cum animantibus sensu & motu præditi sunt. tertius in uita cernitur quæ rationis & intelligentiæ consors est. quartus gradus ueræ & cœlestis uitæ gradus est. quem obtinet sacer Dei spiritus. Non prius igitur edi cœlestem agnum, quàm ad hunc uitæ gradum accessum sit, qui reparationis & regenerationis gradus est, in quo qui non sunt, Christū agnū nō edere.

uoluptatibus mundi & carnis dediti, discedant sapientes huius seculi, qui sua sapientia inflati, sapientiam Dei, quæ agnus noster est, aspernantur. Itaque non temerè primi mensis decimamquartam diem selectam arbitramur, à qua lumen lunæ decrescere incipiens suo ad solem accessu, nobis significet cœlesti agno tum uesci fas esse, cum iam intelligentiæ nostræ natuæ lux suum nacta incrementũ ad solẽ Christum accessu imminui cœperit. Perdi enim omnino in hoc sacro conuiuio nostrum lumen oportere, ut noua luce quam agnus habet, illustremur. de qua agnus ipse: Ego sum lux mundi. & de luminis naturalis decremento: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Cæterùm hic denarij, qui numerorum summam complecti tur, & quater narij diuini & celebris numeri fit mentio, qui quoq; ut denarium contineat, declarant eius partes aggregatæ, unum, duo, tria, quatuor.

Immolabitq; eum uniuersa multitudo.] De nostro pesah legimus: Nam & pesah nostrum pro nobis immolatus est Christus, propter peccata nostra quæ expiaret morte sua. Itaq; Propheta: Propter sceleus populi mei percussi eum. Quod autem hic legitur, Immolabit eum uniuersa multitudo filiorum Israel: significatur non propter unum & alterum obijsse Christum, sed propter ecclesiam, hoc est propter totum corpus scriptorum in libro uitæ, è quo ne unum membrum perierit læsum à uastatore angelo, ut est apud Ioannem. Hæc est autem uoluntas eius qui misit me patris, ne quid perdam ex omnibus quæ dedit mihi, sed resuscitem illa in nouissimo die.

Ad uesperam.] בין הערבים, id est inter uesperas, sua enim spacia habet uespera. unum cernitur sole iam infra finitorem occultato: alterum obscuram illam radiationem post occasum solis apparentem cõtinet. Itaq; paraphrastes hic uertit: בין שמשיא, id est inter soles. Ad uesperam iam secutura afflictione Aegyptiorum mactatur agnus. Tu accommodato ad uesperam nouissimorum diem, qua mundus iudicandus de iudicio, peccato, & iustitia ad redimendos electos hic adumbratus est. in qua Aegypti subuersione et liberatione sanctorum Israelitarum suum quoque agnum pesah immolatum spectare licet. de quo propheta: Sicut ouis ad occisionem ducetur.

Et sument de sanguine eius.] sanguine agni aspersos utrosq; ianuæ postes, & superum bene conspicuum lumen, ut Israelitæ à grassatore angelo tuti essent. De nostri agni sanguine pacificatore legimus illud Apostoli: Pacificatis per sanguinem crucis eius, per eundem siue quæ in terris sunt, siue quæ in cœlis. Is sanguis animorum nostrorũ postibus aspersus, defendit nos à clade & interitu eorum Aegyptiorũ, de quibus Esaias: Spiritu oris sui interficiet impium.

Et edant carnes.] Remoto uelo mystici agni, legimus apud Ioannem, quid noster agnus de se dicat: Amen dico uobis, nisi ederitis carnem hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam. Sed quomodo edetur caro Christi? Respondet ipse agnus. Amen dico uobis, qui confidit mihi, habet uitam æternam. item: Hæc est uoluntas eius qui misit me ut omnis qui uidit filium, & credit in eum, habeat uitam æternam. In esu igitur agni huius cœlestis duo expenduntur: alterũ, credere Christum hominem conceptum è spiritu S. natum ex uirgine, insontem pro nobis sontibus immolatum, qui nostra peccata ad satisfaciendum diuinæ iusticiæ expiaret. Alterum est, credere eundem agnum filium Dei esse, in quo tota diuinitas, quàm longè lateq; patet, corporaliter, id est plenè & uerè habitet, cuius carnis spiritu nos solũ posse ad uitam æternã uiuificari.

Assas igni.] Crucis & afflictionum igni Christus exploratus fit cibus noster uitalis.

Et azymos panes.) Horum significationem Apostolus explicat his uerbis: Itaq; festum celebremus non in fermento ueteri, nec in fermento maliciæ & uersutiæ, sed in panibus fermento carentibus, hoc est synciritate & ueritate. Est item fermentum malæ doctrinæ, de quo Dominus: Cauete à fermento Pharisæorum. Demum fermentum est quod cernitur in conuersatione prauorum hominum. de quo idem Apostolus: Scripsi uobis per epistolam, ne commiscereminì cum scortatoribus huius mundi. Neq; parum conuenit huc similitudo fermenti quam apostolus his uerbis explicat: Non nescitis quòd paululum fermenti totam conspersionem fermentat?

Cum lactucis agrestibus.) מרורים amaræ & acres herbæ sunt. Itaq; Græci, ἐπὶ πικρίδων. Ex eius generis herbis acetaria cõficiuntur, quæ hic cum dulci agni esu coniunguntur. Nam nisi amaritudinis aliquis gustus accedat, cœlestis cibi dulcedo nõ sentitur, sic iræ acerbitas gratiæ diuinæ suauitatem, legis seueritas Euangelij lenitatem, res aduersæ prosperas res, mors uitam commendat. Itaq; euoluto typo qui in acetarijs his amaris formatur, crucis mysterium occurrit, de quo legimus illud, quòd per multas afflictiones oporteat nos intrare in regnum Dei: Deserenda erat Aegyptus, & proficiscendum in solitudinem Arabiæ Petreæ ijs qui terram Chananæam petituri erant, quod molestia non carebat, ut declarant uerbæ de quibus infrà: Vtinam mortui fuissemus in Aegypto, quando sedebamus ad ollas carnium, & comedebamus panem cum saturitate: cur induxisti nos in desertum?

Non comedens ex eo crudum quid.) Depositio uelo crudum Christum edunt, qui cruce eius offenduntur, neq; cum eo crucifigi ut moriantur ueteri homini uolunt. in quo numero Petrus erat, cum is sermone Christi, quo significabat se occidendum & tertio die resuscitandum, læsus diceret: Propicius tibi sis Domine, nequaquam erit tibi hoc. Hoc etiam numero continentur nostri temporis Epicærei homines, falsò se Christianos profitemes, qui cum libertatem spiritus, quæ igni crucis constat, conuertunt in occasionem carnis, non cocta Christi carne, sed cruda uescuntur. Contrà compositi sunt qui cum Apostolo dicunt:

Non enim iudicaui me quicquam scire inter uos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum. Christus etiam cœlestis agnus assus editur, quatenus agnoscitur amoris diuini igni inflammatus se propter mundum morti exposuisse, & è mortuis excitatus, eodem igneo spiritu in statum immortalem & omni labe liberum se transtulisse, quo & nos se uescentes ad eundem statum transferret. Quod est hic Christum agnum non crudum neq; aqua coctum, sed assam edere.

Nec remanebit quicquam ex eo.] Si expẽdas ut ecclesia sit πλήρωμα, id est plenum spiritualis perfectionis Christi capitis corpus, cur iussus sit Israel totum agnum edere, ratio constat. Notum illud: Vos Christi, Christus uerò Dei.

Si quid residuum erat.] Si Christum spectes, in hac residua infirmitas, mortalitas, ignominia crucis et quæ crassa ex natiuitate in eo erant ignea resurrectionis & translationis eius ad gloriam patris uirtute consumpta sunt, et expurgata. Ignis est de quo illud: Deus ignis consumens est.

Renes uestros accingetis.) ut iam iam ingressuri. Mysticam notam succinctura lumborum exponit Apostolus: State igitur lumbis circumcinctis baltheo per ueritatem. Item Dominus: Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes è manibus. Et de eodem lumborum cinctu Propheta Esaias: Iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Hoc cinctu libido & cupiditas in immortali corpore aduersus spiritum grassans coercetur.

Et calciamenta habebitis in pedibus.] Spiritualis calceatio pedũ, est carnis affectus spiritu fidei regere ne offendantur salebris huius mundi, de qua calceatione apostolus: Et calceati pedibus, ut parati sitis ad euangelium pacis: Pedem autem pro affectibus sumi indicat Psal. Ne ueniat mihi pes superbiæ, tropus notus est. Pedes in luto uersantur, quod tractant affectus carnis è luto facti, & in puluerem luteum uergentes.

Tenentes baculos in manu.] quibus greges et gressas suos in itinere regant. De spirituali baculo illud: Virga tua & baculus tuus consolata sunt me.

Et comedetis festinanter.) Non cunctandam in Aegypto: Depositio typo, celeriter relinquendum satanæ esse regnum electi admonentur. Et de Babylone spirituali propheta: Exite exite de Babylone.

Est enim Phase.) Ratio festinationis. Vox Hebræa saltum ac transitum sonat, de quo mox.

Ego Dominus.] redemptor uester & ultor Aegyptiorum, cuius potentiæ nemo resistat. Hæc uerba fide capiuntur, non natura.

Faciam iudicia.) et eorum ope uana declarata, & cultoribus perditis. Est hic iudicium facere pœnas sumere ac perdere. Apparet accidisse dijs Aegyptijs quod postea Dagoni Palæstinorum Deo accidit, de quo in historia Regum. Est etiam in loco iudicium facere, causam alicuius agere & tueri, ut pæt et ex illo Salomonis לעשות משפט עבדו.

Erit autem sanguis.] Veritas in sanguine de quo Petrus: Redempti precioso sanguine quasi agni immaculati.

Et transibo uos.] Explicatur significatio פסח in uerbo פסחתי.

In monumentum.] Vsus sacri symboli iam descripti, qui cernitur in commemoratione ac depredicatione tam præclari beneficij redemptionis. Talis quoq; in cœna Domini spectatur usus, sed in alia liberatione, quem ostendit D. his uerbis: Hoc facite in mei commemorationem.

Septem diebus azyma comedetis.] à decimaquarto die usque ad uicesimumprimum diem. Cum ueneritis in terram uestram. De septenario numero alias.

Peribit anima illa.) cœtu Israelitico sontem excindi debere. Qui spirituali fermẽto se ingnauerit, quo supplicio afficiatur, declarat illud Apostoli: Nam affectus carnis mors est. de azymis uerò: Per contentionem: affectus uerò spiritus uita & pax.

Fasciculumq; hyssopi.] Aspersi hyssopi sanguine agni tincti mysticam significationem indicat propheta: Asperges me hyssopo, & mundabor, spiritu sanguinis Iesu significato. Mox enim subijcit: Et spiritum rectum innoua in uisceribus meis. Hæc est aspersio hyssopi de qua illud: Per sanctificationem spiritus in obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu. Traditur hyssopum naturam ac uim purgandi sanguinis, & amarorem aptum salutari pœnitentiæ significandæ obtinere, de qua ui in scriptoribus rerum. Cæterùm Hebraicæ uocis אס רב uestigia liceat in Græca uoce ὕσσωπον cernere.

Vsq; mane.) Aegyptij noctu pereunt, Israelitæ sub ortum lucis liberantur, & armati præsidio diuino non clàm ut fures, sed palàm ut uictores egrediuntur. Sic Abrahamus noctu quinq; reges in fugam uertit mane Lotho suo liberato. Assyriorum multa millia sub noctẽ ab angelo interfecta sunt, Hierosolyma in libertatem uindicada. Sic Babylon noctu in potestatem Persarum uenit. Itaq; noctis tenebræ diuinæ iræ dicatæ sunt, diei lux liberationi populi Dei sacra est. Omnia igitur hic conueniant nouo & cœlesti homini repræsentando: separatio Aegyptiorum & Israelitarum, agni uitio carentis esus, azyma, cinctus lumborum, uacatio ab opere in sabbato, uindicatio ex profana Aegypto ad cultum Dei: mensis denique Martius, aptissimum renouationis symbolum, quo nimirum cuncta renasci ac reuiescere incipiunt.

Victima transitus Domini est.] admonens symbolum transitus.

Factum est autem in noctis medio.] Narratio horrendæ quæ decima numeratur, cladis.

Captiuæ.) suprà ancillæ.

Benedicite mihi.] Orantes pro me Dominum ne peream. Paraphrastes, צלל אף עלי. sera uenis, & non seria animi demissio in superbo tyranno.

Vt petieratis.] non ut ego dixeram: Oues hœdorum

tum uestræ & armenta remanebunt: sed ut uos dixeratis, Cuncti greges pergant nobiscum. Manet igitur illud uerum: Reprobat consilia principum Dominus, & consilia eius manent in æternum.

Omnes moriemur.] Sermo sentientium seuerũ iudicis iudicium.

Vasa aurea & argentea.] Quorum postea in ædificando tabernaculo & eius uasorum cultu ac ornatu usus esset. Locus mysticus, dotes impiorum tandem cessuras pijs in usum amplificandi Deum uerum. ergo dixit Dominus: Qui habet, dabitur illi: ei, qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo.

De Rameſſe.) quam eis ad habitandum assignauerat Ioſephus. ſuprà enim: Ioſephus uerò patri & fratrib. ſuis dedit poſſeſſionem in Aegypto in optimo terræ loco Rameſſes.

Sochot.) סכות regio à Græcis τροωγλοδύτις appellata, quæ ad mare rubrum pertingit. Quæ סכות dicta uidetur, à tabernaculis quib. ut paſtoralis gens utebatur. Ioſephus monet eos profectos ad ciuitatem nomine Lithus tunc deſertum, ubi Babylon poſtea condita ſit, cum Cambyſes rex Perſarum Aegyptum uaſtaſſet.

Sexcenta ferè millia peditum.] Memorabilis numerus capitum ex tam parua ſtirpe in tam numeroſam progeniem auctus, ut impleretur illud: In gentem magnam faciam te ibi. Hæc eſt conſtantia uerbi Dei cui iurè fidatur.

Vulgus promiſcuum.) Vt erant Aegyptij, & alienigenæ. locus mysticus de uocatione gentium. Paraphraſtes igitur pro uulgo ברבראין.

Aſcendit.) Depone uelum mysticæ aſcenſionis.

Oues & armenta & animantia.) ut perficeretur illud: Et poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia. Vocandus huc locus Apoſtoli ex epiſtola ad Romanos, qui oſtendit unà cum filijs Dei liberandam etiam reliquam creaturam.

Habitatio autem filiorum Iſrael.] Duo ueniunt hic in quæſtionem. unum, Dominus ſuprà quadringentos annos Iſraelitas in ſeruitute fore dixit, quomodo igitur hic numerantur quadringenti triginta anni? Alterum, quomodo dicuntur habitaſſe in Aegypto quadringentos triginta annos, cum non amplius ducentos decem annos habitarint? Quod ad triginta annos attinet, hic initur ratio ab eo tempore quo Abrahamus ex Chaldæorum Vre exiuit, à quo exitu uſque ad natum Iſaacum defluxere triginta anni, cum quinque annos Harane apud Theram patrem habitaſſet. Dominus uerò ſuprà in Geneſi à nato filio Iſaaco ſeruitutis annos numerare cœpit, à quo uſque ad exitum ex Aegypto decurrunt quadringenti anni. Quod uerò ad habitationem pertinet, locus συνεκδοχικῶς interpretandus eſt, parte ex toto intellecta, id eſt ducentis decem annis quibus uixerint in Aegypto: aut exponendus eſt ex ſententia Septuaginta interpretum, qui addunt de ſuo. ἐν αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ χαναάν.

Nox iſta obſeruabilis Domini.] propter inſigne liberationis ſelecti populi & ultionis hoſtiũ opus: quod tanquam æternum fidei monimentum celebrari apud poſtros Iſraelitarum Dominus uoluit, qui paßim de ſe apud prophetas prædicet: Ego ſum Deus qui eduxi uos de terra Aegypti. Vmbra in hoc opere cernitur, ueritas in translatione ex regno tenebrarum in regnum lucis cognitionis gloriæ Chriſti, de quo illud: Quoniam Deus eſt qui iußit è tenebris lucem illuceſcere, qui luxit in cordibus noſtris ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Ieſu Chriſti. item Petrus: Qui uocauit uos è tenebris in admirabilem ſuam lucem. Cui translationi nox illa obſeruabilis myſticè præluſit.

Hæc eſt religio phaſe.] פסח transitus, μεταγνωμικῶς pro agno ſymbolo tranſitus.

Omnis alienigena.] Ad Iſraelitas ſelectos in fœdus, pertinet eſus agni. Remoto typo legimus illud: Crediderunt quotquot ordinati erant in uitam.

Omnis autem ſeruus emptitius.) Myſticum uelum declarat Apoſtolus: Empti eſtis precio magno. Tales circumciſi ſpiritu fidei conſortes reddũtur cœleſtis agni. De qua circumciſione illud Petri: Fide purificantur corda.

Aduena & mercenarius.) niſi ſint in circumciſionis fœdus aſcripti. Reducto uelo myſtica circũciſionis, ad eſum agni cœleſtis admittuntur domeſtici & liberi, circũciſi circũciſione de qua Apoſtolus: In quo circumciſi eſtis circumciſione non manufacta.

In una domo comederis.) Notatur ἑνότης ſpiritualis ſanctorum in uno corpore & capite Chriſto.

Nec os eius confringetis.) Vocandum huc Ioannis teſtimonium: Sicut nec caro eius ſenſit corruptionem ſicut Dauid de ea uaticinatus fuerat: לא תתן חסידך לראות שחת. ſanctus enim à conceptu & ortu cœleſtis homo erat, non terrenus, in quem uadet hæc ſententia: Ex terraes, & in terram conuertêre.

IN CAPVT XIII.

SAnctifica mihi omne primogenitum.] Alia lex ponitur, cuius uſus ac ratio infrà exponetur.

Quod aperit uuluam.) Eiuſdem ſententiæ repetitio. Aperire uuluam, pro primogenitum naſci.

Mementote diei huius.] tum ad gratitudinem de liberatione declarandam, tum ad confirmandos animos fidei, potentiæ & bonitatis meæ, qui uelim & poßim uos ſemper tueri in rebus aduerſis.

Vt non comedatis fermentatum panem.] qui ex fermento maliciæ & uerſutiæ Aegyptiorum uindicati ad puritatem ſitis. Itaque Apoſtolus:

Expiargate uetus fermentum, ut ſitis noua conſperſio. Ad hæc ne comeditote fermentum, ut memores ſitis eius terroris ac metus quo Pharao cum Aegyptijs ita perculſus fuit, ut non permiſerit uobis tantum ſpacij quo farinam fermentaretis, & commeatum ad iter nobis compararetis. Suprà enim: Neque enim poterat fermentari cogentibus exire Aegyptijs. Cæterùm quid fermentum ſit, & unde conficiatur, quæq; eius natura, uis & uſus, & quot genera fermentorum ſint, ea de re infrà in Leuitico meminerimus.

Menſe nouarum frugum.] quo omnia florebant & uireſcebant. Qui menſis aptus erat populo ex morte ad uitam, ex tenebris ad lucem, translato. אביב uocula nota. Interpretibus nouos fructus & eos primò natos ſignificat, deriuata ea ab אב qui ſit רשרן לאשר תרלוך. Sic ſuprà hordeum uocatur אביב.

Cum iurauit patribus tuis.] non contentus ſim pliciter promiſiſſe.

Fluentem lacte & melle.) ὑπερβολὴ rerum copiam & abundantiam notat.

Narrabisq; filio tuo.] Beneficia diuina filijs à parentibus enarranda ad retinendos eos in cultu Dei.

Hoc eſt quod fecit mihi Dominus.) Hebræus, Propter hoc fecit mihi Dominus. ſententia: Propterea tot editis ſignis liberauit me Dominus ex Aegypto, ut colam hac religione peſah. Finis liberationis exponitur.

Et erit quaſi ſignum in manu tua.] ut eam memoriam rectè uiuendo exprimas. Exprimitur Hebraica ratione loquendi uerus Dei cultus, qui cernitur tribus rebus, fide, actionibus fidei conſentaneis, & confeßione fidei, tum priuata, tum publica.

A' diebus in dies.] ſingulis annis. Dies pro anno. Sicut in illo: ימים תחרת גאולתר.

Quicquid habueris maſculini generis.) Maſculi conſecrantur Domino non fœminæ. Notus typus ex illo: Donec perueniamus in uirum perfectum. at reducto uelo, in hoc uiro neque mas neq; fœmina eſt, ſed noua creatura.

Primogenitum aſini.) Vt immundum, ita ineptum ad uictimam animans.

Mutabis oue.] Vt munda & ad uictimam apta.

Interficies.] ערפה ceruicem præcidito, quæ ceruicis inciſio, cuius populi frangendam ceruicem denotet, indicat illud: Populus duræ ceruicis. qua item oue redimendus talis populus ſit qualis à uetere homine omnes ſumus, declarat propheta: Tanquam agnus ducetur ad mactationem: propter ſcelus populi mei percuſſi eum.

Omne autem primogenitum hominis.] Cuius redimendi ratio exponitur infrà in Numerorum libro. Bipartita erat redimendi uia: una Leuitis pro primogenitis cæterarum tribuum ſuſceptis: altera qua capita primogenitorum quæ reſidua erant, quinq; ſiclis redimebantur.

Cumq; interrogauerit te.) Exponitur uſus ritus iudicij Dei in Aegyptios editi, & clementiæ in Iſraelitas declaratæ. Ad hæc ſub uelo primogenitura admonebantur eius primogeniti pro unica uictima grata Deo immolandi, de quo apoſtolus: Primogenitus uniuerſæ creaturæ, item primogenitus inter fratres: & eorum primogenitorum de quibus idem apoſtolus alio loco.

Domo ſeruitutis.) In qua à tyranno ut ſeruiebamus. quæ alio loco appellatur fornax ferrea. ueritas in ſceptro duriſſimo tyrannidis ſub lege peccati & mortis, de quo Zacharias: Sceptrumq; Aegypti recedet.

Et quaſi appenſum quid.] Paraphraſis טטפות id eſt Thephilin. Qua uoce Iudæi uocant ſigna illa quæ fronti & manibus, quibus admoneantur diuinæ legis, ſatis ſuperſtitioſe applicant, non cogitantes illud prophetæ: Appropinquat mihi populus ore ſuo, & labijs me honorat. Cæterum cor eorum procul abeſt à me. Lex Dei in corde ſcribenda erat, nõ geſtanda ſine ſpiritu in fronte, manibus, phylacteriis. In quos iure Dominus noſter inuectus apud Matthæum conqueritur: Dilatant autem phylacteria ſua. Nam homo ut conditus eſt ad imaginem Dei, qui eius diuinitatem exprimat, ita ei ſua probitas qua probetur Deo, non ex rebus creatis, ſed una diuinitate in Chriſto Ieſu quærenda eſt, quæ ſola uti homini præſtat, ita eum perfecerit.

Non duxit eos Deus.) Locus de cura diuina ſe ad populum adhuc rudem & imperitum rerum bellicarũ actemperante & cauente ne is temere ſuã tiũ hoſtiũ bellis obiectus ſupra uires tentetur, qui ſeruilem adhuc animum, & degenerem ex diuturnitate quam ſeruierat ſeruitute, animum ſpirabat, nondum Aegyptio homine detrito.

Quæ uicina eſt.] A' Hieroſolyma in Aegyptum iter decem dierũ tradunt eſſe, ſi rectà per Paleſtinorum fines proficiſcare.

Armati aſcenderunt.] Submota umbra legis, ut apud Apoſtolum, quibus armis induti Iſraelitæ illi coleſtes ex Aegypto ſua egrediantur petentes hæreditatem in cœlis deſignatã: Induite totam armaturam Dei. Græci de quinta ætate interpretantur qua ex Aegypto egreſſi ſint Iſraelitæ, qui quatuor ætates, hoc eſt quadringẽtos annos peregrinati fuiſſent. Sic enim uertunt, πεμπτη δὲ γενεᾷ ἀνέβησαν. Sunt qui in uoce חמשים certum legionum & turmarum ordinem quinquaginta capitibus deſcriptum quo exierint, notari uolunt. Quem quidem numerum quia Iubiles, ſit ſacrati libertati & redemptioni ad libertionem ex Aegyptia ſeruitute pertinere nonnullis uiduit. Ioſephus eos ἀνόπλους hoc eſt inermes fuiſſe ſcribit. Quæ ſententia nonnullis uerior uidetur & aptior ad illuſtrandam gloriam potentiæ diuinæ, ſi

acce-

accipias inermes contra armatos, itinere fatigatos cõtra integros, desertos humano præsidio, imò etiã naturæ, quos mare & montes clauderent, aduersus contrarijs præsidijs munitos diuina uis defenderit. Accedit huc Israelitis, qui tanta seruitute oppressi fuissent, arma à tyranno quib. uterẽtur, cõcessa nõ fuisse.

Profectiq; de Suchoth.] Altera castrametatio quæ facta est altero die. Nam primo uenerant de Rameſſe in Suchota.

Dominus autem præcedebat.] tanquam dux & gubernator itineris. Columna nubis uiã monstrabat, columna ignea etiam lumen præbebat.

IN CAPVT XIII.

LOcutus est autem Dominus ad Mosen.) Præmonetur Moses de graui periculo cui obijciendi erant Israelitæ. Locus indicat certa & diuina ratione pericula euenire pijs, sed per quæ hæc nomẽ suum & salutem suorum illustret.

Et persequetur uos.) oblitus tot signorum pro uobis editorum.

Quod fugisset populus) Sic interpretantur cõsilia piorum impij, ignari consiliorum Dei, qui in tenebris lucem, in morte uitam suis expedit.

Et seruorũ eius.) referentium, ut solet fieri, domini sui ingenium.

Ne seruiret nobis.] quibus ne seruiret, tot editis signis uindicatus erat in libertatem.

Iunxit ergo currum.] Narratio infausti & pernicialis ipsis hostib. consilij. Locus de uetusto more dimicandi de curribus. Aegyptij curribus et equis armantur, Israel Domino. Itaque infrà: Dominus pugnabit pro uobis. Narrat Iosephus sexcentos currus & equites quinquaginta millia & ducenta millia peditum armatorum fuisse Pharaoni.

In manu excelsa.] fortium uirorum non fugitiuorum more.

Et timuerunt ualdè.] Vt fessi de uia & iniquo loco concluſi, quem Israelitarũ casum cernentes Aegyptij sese ad pugnam comparârunt. At hac Israelitarum infirmitate Deus ad gloriam suam amplificandam, & ad illustre reddendum redemptionis beneficium usus est. Verè igitur apostolus dicit: Verùm quæ stulta erant in mundo delegit Deus, ut pudefaceret sapientes: & ea quæ imbecillia erant, delegit ut pudefaceret ea quæ erant robusta. Metus autem Israelitis inclusus est quod à tergo Aegyptiorum exercitus ab equitatu quo carebant Israelitæ & à pedita tu firmus imminebat, à fronte autem obiectum esset mare, à leua & dextra præruptæ rupes quas superare nõ licceret eos clauderent: ut uiderẽtur non solũ Aegyptij, sed etiam rerũ natura aduersari Israelitis.

Clamauerunt q; ad Dominum.] unum liberatorem. Vsus crucis, inuocatio Dei.

Et dixerant ad Mosem.] Expostulatio cum Mose satis aspera, quam præsens necessitas non dum peritis stratagematum fidei expressit.

Et ait Moses.) Responsio ad expostulationem lenis. Exemplum ueri ducis & ministri Dei.

Nolite timere.] septi præsidio diuino aduersus hostem qui caro est.

State.] de læto exitu non solliciti. Securitatis igitur uerbum est התיצבו.

Et uidete.) tanquam spectatores magnorum operum Dei, non actores illustris fabulæ futuri.

Aegyptios enim quos nunc.] Exponitur insigne salutis ac redemptionis opus. De impijs igitur in Psalmo legimus: Vidi impium exaltatum & eleuatum tanquam cedros Libani: & transiui, & non est inuentus locus eius.

Dominus.] non uos. Similiter Psalm. Hi in curribus & equis, nos autem in nomine Domini nostri.

Dominus enim.) nobis beneuolens & potens nos eripere ex malis. Loci uoluntatis & facultatis.

Et uos tacebitis.) Deo per fidem permißi. Abnegationis sui uerbum tacere. similiter apud prophetam: Vide ut fileas.

Quid clamas ad me.) proponens mihi Israelitarum pericula & admonens me meorum in rebus aduersis promissorum? qua in oratione uicit ac obtinuit, ut sequatur.

Tollensq; se angelus.] ultor impiorum & seruator piorum. Is ex occasione præit & consequitur suos aduersus hostes. Atque huius iudicium cernitur tribus in rebus, quibus impios perdit, & suos seruat, aqua, igni, nube. Aqua quidem, si præsens excidium Aegyptiorum & redemptionem Israelitarum spectes. Simile exemplum editum in diluuio. Sin ignem consideres, occurrunt Sodomitæ & Gomorritæ. Et apud prophetam Thronus Christi igni uallatus describitur: Thronus eius flamma ignis. De nube uerò legimus illud: Videbunt q; filium hominis uenientem in nubibus. item illud Ezechielis: Vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu uelut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluuiæ. Atq; his tribus, aquæ, nubi, igni, sua inter ipsa est cognatio, cũ nubes ex utriq; aquis & igni conficiatur. ex uapore enim caloris ut excitato nubes condensantur, ut id ex Genesi liquet. Accedit hic spiritus cum aquis natura cõiunctus, quem Dominum hic misisse legimus, qui flatu maris aquas discuteret ad iter præbendum Israelitis exiccato aluco.

Et erat nubes tenebrosa.) Aegyptijs.

Et illuminans noctem.] Israelitis, hi in lucæ, Aegyptij in tenebris uersabantur. Alteros nubes seruabat, alteros perdebat. Hoc erat unum ex miraculis magnis.

Abstulit illud Dominus.) eo in siccum redacto quod erat alterum miraculum.

Flante uento uehemente.] uentus orientalis erat dicatus uindictæ impiorum. Eodem suprà uento in Aegyptios locustæ apportatæ.

Per medium ficci maris.] Interpretes hic dissentiunt. Nonnulli uolunt Israelitas per latum mare ab occasu in ortum traiecisse, freti his uerbis: וירבאו

בני ישראל בתוך הים. *Alij Israelitas ingressos quidem in mare ab occasu, sed in partem solum ingressos, non totum transisse: & descripto semicirculo, nõ ita longè ab ea parte littoris, qua intrassent, exijsse. Nam non ingressos in mare ut totum traijcerent, sed ut Pharao eos secutus cum suis in illo interiret: quod potuit etiam accidere in parte maris. Hi confirmant suam sententiam ex eo quod suprà legitur, Israelitas ex Succotho profectos, in Ethamo solitudine castra posuisse, qui in Numeris capite 33. in eadem solitudine Ethamo iam ex mari egressi iter fecisse in Marà leguntur. Quod autem hic Moses dicit* בתוך הים *Israelitas intrasse iradunt* תוך *accipiendũ, ut ualeat in, non medium, eos uidelicet ingressos in mare.*

Et interfecit exercitũ eorum.) ויהם, *id est immisso fremitu conturbauit eos. Similiter Græci,* συνετάραξεν. רעש חסרל בחורמה *enim est* ὑποτυπώσεως, *ut cerni, nõ legi uideatur, depingit ueritum Aegyptiorum.*

Ferebãturq; in profundum.] *Græci,* ἤγαγον αὐτὸς μετὰ βίας *propius Hebræam sententiam explicarunt* וירהגאחר בכברה. *Amotis enim rotis grauiter, ut fit, & ægrè in limo trahebantur ab equis currus. Hæc erat uis igneæ nubis de qua in textu. Et respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis nocte illis funesta facta tempestate, tonitruis, & fulminibus cuncta disipantibus.*

Fugiamus Israelem.] *Fit terrori qui prius in terrore & metu fuerat. Hæ sunt diuini iudicij admirandæ uices.*

Dominus enim pugnat pro eis.) *Impletur illud: Dominus pugnabit pro uobis. item: Et scient Aegyptij quòd ego sum Dominus.*

Reuersæq; sunt aquæ.) *Aquæ quæ conseruarũt Israelitas, absorbẽt Aegyptios. Dissimiliter ergo creatura in pios & impios affecta est, idq; ex Dei uerbo & sententia.*

Liberauitq; Dominus.] *euerso tyranno. Depone uelum.*

Timuitq; populus Dominum.) *Sanctè coluit & reueritus est, tot ab eo potentiæ suæ edutis signis. Explicatur usus ostentorum.*

Et crediderunt Domino.] *qui uerax præstitisset quæ promiserat.*

Et Moysi.] *tanquam à Deo misso prophetæ.*

IN CAPVT XV.

TVnc cecinit.] *Hymnus laudem Dei & de excusso seruitutis iugo gratiarum actionem cõtinet. Antiquitatis igitur hymnorum hic exemplũ apud Mosen ostenditur.*

Cantemus Domino.) *Exordium.*

Gloriose enim glorificatus est.] *maiestate potentiæ suæ in hostem magnificè tot editis signis declarata. Ab amplitudine uictoriæ.*

Deiecit in mare.] *quasi è sublimi in profundum deturbauit. id sonat* רמה. *Hostem qui se extulerat, deiectum.*

Fortitudo mea.] *aduersus hostem potentem declarata. A fortitudine.*

Et laus mea. à) *quo solo ego illustris reddor cõtra hostes meos, non meis uiribus, fortitudine, dignitate. Fidei opus, agnoscere omnia præclara à Deo profici:*

Et factus est mihi in salutem.) *me uindicato è grauissima seruitute in libertatem. A bonitate.*

Iste Deus meus.] *non alius, non dij Aegyptij, quos antea colui, & quos Deus Israelitarum deiecit.* אל *nomen congruit huc, ubi laudes fortitudinis diuinæ decantantur.*

Et glorificabo eũ.) *Similiter Græci,* δοξάσω αὐτόν. *Sunt qui* אנוהו *uertunt, tabernaculum faciam ei. Itaque paraphrastes* ראבני ליה בוקדש, *id est ei extruam ci sanctuarium. ut accipias Mosem tanquam prophetam respexisse ad tabernaculum aut templi ædificandum Domino quod incoleret.*

Deus patris mei.] *Abrahami, Isaaci, Iacobi. Qui bus quod benignè promisit, nobis prolixè præstat. A fide Deum patrem celebrat.*

Et exaltabo eum.) *cuius gloriã hostis uoluit deprimere, extollam.*

Dñs quasi uir bellator.] *A peritia bellica. ueritas in arte bellica, quæ in uictoria peccati, mortis & potestatum tenebrarum apparet.*

Omnipotens nomen eius.] Heb. יהוה *nomen eius. Agnoscunt post perspecta beneficia liberationis nomẽ illud salutare quod Dominus suprà per Mosen ostenderat.*

Proiecit in mare.] Metaphora in ירה *à sagittarijs sumpta. Deiectum in mare grauẽ Pharaonis exercitum tanquam uolucrem ac celerem sagittam. Repetit narrationem deleti in mari rubro exercitus Pharaonis.*

Electi principes eius.) *Qui exercitus meminisset, meminit etiã ducum. Ad laudem augendam facit non paucos, sed integrum exercitum: non ut ignares, sed selectissimos duces extinctos.*

Submersi sunt in mari.] *deleti aquis, qui nos aquis delere uoluerunt. Ab æquitate & seuero retributionis diuinæ indicio.*

Abyssi operuerunt eos.] *ex quibus nos eruimus. Adumbratur imperium inferni in quo impij pereunt, pij ex eo euadunt.*

Descenderunt in profundum.] *qui se extollere aduersus diuinum cœli & terræ numen ausi sunt. Simile iudicium passus est tyrannus Babylonius de quo propheta his uerbis meminit: Detracta est ad inferos superbia tua.*

Sicut lapis.] *Simile.*

Dextera tua Domine.] *Repetit res præclarè & fortiter gestas, in quibus dextra, id est fortitudo Domini magnificè eminuerit.*

Deposuisti).*uehementius quiddam sonat* תהרים *quod est euertere ac disipare.*

Aduersarios tuos.] *Hostes Israelitarum, suos ho-*

hostes appellat, quæ dignitas & consolatio sanctorum est.

Sicut stipulam.)Simile, furor diuinus igni comparatur, hostes stipulæ. Apta similitudo ad describendum facilem & subitum impiorum interitum. Ignis qui deuorauit Aegyptios, ut stipulam, expurgauit ut aurum in melius Israelitas, conflatorius uidelicet ille ignis de quo Malachias: Ipse enim quasi igni conflans & quasi herba fullonum, & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui.

Et in spiritu furoris tui.] Quo spiritus ille excitatus est de quo suprà: Abstulit illud Dominus uento Orientali. prædicatur mirabilis discessus ac hiatus maris rubri, quo transmissi sunt Hebræi, absorpti Aegyptij.

Et congregati sunt abyssi.) A' coagulo lactis in uerbo מפאר metaphora sumpta.

Persequar & comprehendam.) Prosopopœia inducit superbè iactantem & minantem populo Dei hostem. Similis arrogantia notatur in Assyrio apud prophetam: In fortitudine manus meæ feci.

Flauit spiritus tuus.) qui deprimeret ac deijceret superbi hostis factum. Repetit quæ de uento dixerat. Remoto uelo occurrit illud: Spiritu oris sui interficiet impium.

Submersi sunt.] צללו deductũ uerbũ à מצולה quod profundum sonat.

Quasi plumbum.] Repetit similitudinem suprà adductam. hic enim plumbi, quo nullum grauius metallum suprà lapidis monuit. Omnia ferè quæ in opere metallorum conflatorio usurpantur hic commemorantur, ignis, spiritus, plumbum, scoriæ, argentum. Cõuenit similitudo plũbi in Aegyptios onere perfidiæ, & grauitate iudicij diuini in altum depressos עמרת Hebræis plumbum ab עמר deductum putãt, quod id genus metalli in terra reconditum augescere dicatur, & maximè terrestre sit plumbum. Submoto uelo mystico maris rubri, occurrit illud: Et misit eum in abyssum qui est stagnũ, de quo idem Ioannes: Missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi bestia & pseudopropheta cruciabantur. Quæ autem hæc bestia sit adumbrata Pharaone, & quis pseudopropheta figuratus magis Aegyptijs, pijs non obscurum. Hi non auro puro, sed plumbo impurissimo metallo comparantur. Affer huc quæ Zacharias de plumbo in hunc usum memorat.

Quis similis tui?) Amplificat laudem comparando, adhibito interrogationis ad admirandum colore.

In fortibus.) in dijs quos uanè Aegyptij colunt.

Magnificus in sanctitate.] Explicat notas comparationis, qui augustus sit sanctitate, metuendus maiestate operibus admirandus.

Extendisti manum tuam.] Amplificat mirabilia opera, repetitis potentiæ signis.

Et deuorauit eos terra.] alueus maris rubri, quos dij ipsorum liberare non potuere.

Dux fuisti in misericordia.] pro tua clementia, non pro meritis nostris. Contentione illustrat laudẽ, exponens bonitatem diuinam in Israelitas declaratam, seuero iudicio in Aegyptios edito.

Et portasti eum.) Præterita hic quædam oracularia sunt, Quem duces, aut, quem duciss?

In fortitudine tua.] non nostra.

Ad habitaculum sanctum tuum.] ad templũ in Zione extruendum, aut ad montem Sinam, quem tu præsentia gloriæ tuæ ornas.

Audierunt populi & irati sunt.) tam insigni exemplo liberationis audito horrescent nationes percussæ tot in Aegyptios editis signis. In Iosua infrà legimus, Rachabam ita dicentem: Irruit in nos terror uester, & elanguerunt omnes habitatores terræ: audiuimus quòd siccarit aquas maris rubri ad introitũ uestrum.

Dolores.) non leues, sed quales parturientes corripiunt. Huiusmodi sonat חיל.

Robustas Moab.] In אילי tropus ad arietibus mutuatus ad principes ac duces.

Obriguerunt.) eos metu dissolutos ac liquefactos, ut cera ad solem aut ignem liquefit. id indicat metaphora in גבגר.

Fiãt immobiles quasi lapis.) ut se aduersus nos non moueant. Tropum in uerbo silendi דמם nõ perperam Græci ἀπελιθῶσαν reddunt.

Donec pertranseat populus.) Iordanem. Aut transeundi uerbum pro euadendi.

Quem possedisti.] qui tuus sit iure emptionis, cui uelis assignare promissam hæreditatem. Precium notum, si uelum deponas, ex illo: Empti estis precio magno.

Introduces eos.] Persistit in deprecatione. συμπτικὰ ergo futura sunt.

Et plantabis.] altè iactis raditibus. Metaphorâ firmas sedes & diuturnas indicat.

In monte hæreditatis tuæ.) Moria ac Zione. Remoto mystico uelo, plantatio electorum in Zione cœlesti occurrit. Non legimus in quouis loco conserendos Israelitas: neq; in quouis monte, sed in monte sacræ hæreditatis uatem agit.

Dominus regnabit in æternum.] Cõcludit carmen acclamatione: Regnet Dominus. Dominus, inquã quem Aegyptij contempserunt, & nos colimus, in omnem æternitatem regnet, non dij Aegyptij.

Ingressus enim.) Rationem subijcit, quæ cõtinet facultatis locum, eum quoq; tam potentem esse, qui deinceps seruare suos, & ad hæreditatem nuncupatam transferre possit.

Filij autẽ Israel.] Contentione tractat rationẽ ac comparatione contrariorum. Aegyptios in profundo maris rubri absorptos, Israelitas non absorptos, sed euasisse. Vtriq; igitur si deponas figuram, intrãt in profunda aquarum pij & impij, sed dispari ratione & euentu. De sanctis legimus: Ducit in infernum, & reducit. Et Dauid in persona sua de principe sanctorũ: Saluũ me fac Domine, quoniã intrauerũt aquæ usque ad animam meam, ac affixus sum in limo profundi. & alio loco: Assumpsit me de aquis multis.

Præci-

Præcinebat.] In ענה significantur alternis cecinisse. Quadripartus igitur usus huius Psalmi cernitur. unus continet miracula, quorum meminisse gratum sit Deo: alter, noticiam iusticiæ & bonitatis diuinæ: tertius, ueenerationem ac metum Dei, hoc est uerum eius quem is Psalmus cõplectitur cultũ. Quartus usus mysticus est, quo admonemur uictoriæ aduersus potestates tenebrarum, quæ contingit transeuntibus mare huius mundi, id est baptizatis, hoc est renatis ex spiritu & aquâ. de quo baptismo mystico ad uictoriam, Apostolus his uerbis: Et omnes in Mosem baptizati sunt in nube, & in mari. Dicit in Mosem, notata umbra ueri baptismi, qui cõstat ex aquis (de quibus Ezechiel: Effundam super uos aquas mundas) & ex ignea nube, de qua illud: Baptizabat uos spiritu, & igni. Quo baptismo baptisamur in Christum, ut illi in Mosem sint baptizati in nube & in mari.

Et egressi sunt in desertum Sur.] Hæc solitudo proprio nomine Etham uocatur, generatim autẽ Sur. de quo tũde in Numeris 33. De Sure solitudine uide Geneſis capite 16. & 20. Latè patet hæc solitudo. Nam extenditur inter Palæstinos et Aegyptum, interq; mare internum & rubrum. Desertum excipit Israelitas iam redemptos cum tentatione sitis. Ex quo cognoscimus, non prius illos adire potuisse promissam hæreditatem, quàm uarijs calamitatibus iactati essent. Remoto uelo, occurrit duplex salutis opus: Vnum, quod cernitur in agnitione liberationis ex seruitute peccati & mortis: alterum, in possessione hæreditatis promissæ. Hanc carere afflictione, & in ea finiri calamitates: illã uerò excipi nouis tentationibus ad corroborandam, qui finis est tentationũ fidem, quæ pertingamus ad cernendam hæreditatem ad quam ascripti sumus. De altero igitur illud legimus: Siquidem cum illo patimur, ut & unà cum illo glorificemur. De altero uerò apud Iesaiam: Auferet Deus lachrymas.

Et non inueniebant aquas.) Tentatio sitis. Depone uelum mysticarum aquarum & sitis.

Eo quòd essent amaræ.] Primo offerũt se aquæ amaræ, deinde dulces. Adumbratur duplex status: alter afflictionum, quæ amaræ & acerbæ sunt: alter consolationis, quæ suauis.

Et murmurauit populus.) non recordatus tot miraculorum pro se aduersus Aegyptios editorum. Notatur natura ueteris hominis, qui in rebus aduersis præsentem calamitatem spectans, præteritorum beneficiorum & diuinæ promissionis obliuiscitur.

Quid bibemus.) Vox diffidentium de potentia Dei, quam toties fuerant experti. Aliter igitur compositus est nouus homo per fidem, aliter uetus per animi perturbationes: is reb. secundis insolescit, et aduersis frangitur: ille res prosperas suspectas habet, & in rebus aduersis res secundas, in tenebris lucem, in morte uitam meditatur in eo qui promittit, Adero tibi.

Et ille clamabat ad Dominum.) orãs ex fide. quod unum præsidium est sanctorum.

Qui ostendit ei.) Victoriæ precationis exemplũ.

Lignum.) Depositio uelo legimus apud prophetam: Et egredietur surculus de stirpe Isai. Hoc lignum conuertens amaras aquas in dulces, de se dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficillabo uos.

Ibi constituit ei præcepta.] Populum rudem, dissolutum, & carentem disciplina, formare legibus incipit, dum eum in monte Sina perficiat.

Et ibi tentauit eum.) aquarum penuria. aut præparare eum positis legibus uoluit, cogniturus ut ergà se compositus esset.

Si audieris uocem Domini Dei tui.) non cæditatibus tuis obtemperans. Vsus legum cernitur in periclitandis ijs quibus leges ponuntur. Sunt enim leges instar Lydij lapidis, ad quem ut aurum explorãtur, ita ad illas populus quib. ponuntur examinatur.

Et quod rectum est coram eo.] quod illi probetur, non tibi.

Cunctum languorem.] Promittitur sanitas auditoribus legis diuinæ.

Ego eñ sum Deus saluator eius.) Hebraeus, Medicus tuus. Idola igitur ex medicinis & medicis faciũt, qui in morbis depositio timore Dei, medicis et medicinis student, ut fecisse Asam legimus: Non in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed medicos. Ezechiam legimus: Sed ego ero medicus tuus. Hunc si reuerere, nec medicinæ, nec medicis suus aberit usus. de quo illud: τίμα ἰατρόν.

Venerunt autem in Helim.] Castrametationes Israelitarum ordine describuntur in Numeris.

Duodecim fontes aquarum.] dulcium. His dulcissimi palmarum fructus adduntur. Nec duodecim fontium, quibus potatæ sunt duodecim tribus, nec palmarũ uictricum, mystica ratio obscura. Israelitæ iam liberati fœda Aegyptiorũ seruitute, & baptizati in mari rubro, ad mortẽ ueteris & Aegyptij hominis et ad regenerationẽ noui, qui hæreditatẽ promissam cerneret, aquis dulcibus nobis aquas figurantibus, de quibus Messias ad Samaritanam loquitur, potantur. Itaq; Ioannes etiam duodecim hos palmarum fructus, unà cum aquis hunc in modum explicat: Et ostendit mihi purum fluuium aquæ uiuæ splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei & agni, in medio plateæ eius, & ex utraq; parte fluminis arbores uitæ afferentem duodecim fructus. Meneio hic fit duodecim fontium, & septuaginta palmarum. Duodenarius autem quos nobis uitæ fontem Messiam aperientes doctrina sua repræsentet, satis compertum. Is numerus per senarium diductus & auctus, septuagintaduo numerũ senatorium creat, cui hic duo desunt.

IN CAPVT XVI.

IN desertũ Sin.) Quæ erat octaua, ut ex Numeris patet, castrametatio.

Murmurauit omnis multitudo.] Sequitur tentationem sitis, ipsa fames: & ea longè grauissima tentatio fuit, quam augebat tanta multitudo, & ipsum desertum sterile & incultum, absumptaq; quæ secum ex hac-

ex Aegypto tulerant præsidia uitæ.

Vtinam mortui essemus.) Grauis expostulatio cum Mose & Aarone.

Per manum Domini.]quem dicitis nobis fauere. In dubiũ uocant beneuolentiam diuinam, promissiones, & uocationem qua ex Aegypto euocati fuerant, & quæ senserant beneficia obliuione obliterãt.

Quando sedebamus super ollas carnium.) Veteris hominis ingenium depingitur carnalia sectantis, neglectis cœlestibus.

Cur eduxisti nos?] Locus de misera & difficili cõditione legatorum Dei, in quos, si res aduersæ sint, omnia mala reijciuntur: sin secundæ, breuis earum memoria est. Intueamur nostra secula.

Vt occideretis.] Eductionem quæ uitam cum uero Dei cultu allatura erat, interitum interpretãtur, non cogitantes nullum aliud ad promissam terram iter patêre. De quo in Actis submota umbra. Et quòd per multas afflictiones oporteat intrare in regnum Dei.

Ego pluam.] Promissio de manna cœlesti, cuius significationem explicat Dominus apud Ioannem. In manna expendendus est ortus, natura, forma, usus. Instar pluuiæ largiter de cœlo, non quibusuis, sed Israelitis panem pluendum, gerentem figuram eius mannæ quæ de se dicit: Ego sum panis uitæ qui de cœlo descendit.

Quæ sufficiunt per singulos dies.] דבר יום ביומו. Eadem locutio etiam in tertio libro Regum cap. 8. דבר יום ביומו.

Vt tentem eum num ambulet.]in lege mea de colligenda manna.

Quod Dominus eduxerit uos.] non nos. Respondit ad illud: Quoniam eduxistis in desertum.

Gloriam Domini.) claritatem eius in nube, de qua mox.

Audiui enim.) qui audiuerit murmur uestrum contra Dominũ. Sacram triadem hic uolunt significari, sicut in illo: Dixit Dominus Domino meo. Et rectè sentiunt qui Christum, qui heri & hodie est, indicari hic uolunt. Is enim est ille angelus Dei castra Israelitarũ præcedens, uir ille bellicosus, cuius laudes Moses celebrauit. De quo suis locis uberius memineri-mus. Christum autem Dominum uocari, qui dominatum in omnia teneat, declarat eius uictoria quam de Aegypto, hoc est de mundo & principe mundi, de peccato & morte retulit. Hinc illud Apostoli: Vnus Deus, & unus Dominus Iesus Christus.

Nos uerò quid sumus?) qui quod fecimus, ex Dei arbitrio, ut legati, non nostro fecimus. Asserunt uocationem diuinam, quam imminuerant Israelitæ cum dicerent: Quoniam eduxisti nos.

Dabit uobis Dominus uespere carnes edere.) quas desideratis. Respondit ad illud: Quando sedebamus ad ollas carnium. Hebræus בהתת cum dederit Dominus, & c. tunc agnoscetis gloriam potentiæ ac bonitatis diuinæ.

Et mane panem.] Respondet illi: Et comedebamus panem ad satietatem.

Eo quòd audiuerit murmurationes uestras.) respiciens non merita uestra sed miseriam & imperitiam, & suam bonitatem, ueritatem q;, qui promissorum suorum fidem fallere nequeat, quam neq; incredulitas uestra, neque ulla uis alia labefactarit ac irritã reddiderit. Itaq; uere Apostolus ad Romanos: Num incredulitas illorum fidem Dei irritam faciet? Locus plenus consolatione.

Nec cõtra nos.] qui nostra negocia nõ gerimus.

Sed contra Dominum.] a cuius negocium gerimus. Locus memorabilis, maledicta in legatos Dei iacta, Deum ipsum attingere. Itaq; ad Samuelẽ Dominus: Non te, sed me abiecerunt, ne regnem. Vt contrà qui Dei ministris benefaciunt, Deo benefacere dicuntur.

Scietis q; quòd ego sum Dominus.) qui iuuare uos in omni necessitate possim. quod innuit salutare & amabile nomen יהוה.

Deus uester.] qui uestra etiam delicta corrigam & emendem: ut infrà ab eo correcta testantur concupiscentiæ sepulchra.

Et ascendens coturnix.] Magnum discrimen mãnæ & coturnicum. Hæ ascendisse, illa descendisse de cœlo dicitur. De coturnicum concupiscentia puniti Israelitæ leguntur, nõ itẽ de mannæ desiderio: panis item qui cœlestis esset, manè descendit: coturnices sub uesperam ascendisse dicuntur. Remoto uelo, duplex cibus affertur quo sancti aluntur: alter, qui ueterem hominem: alter, qui nouum nutriat: alter terrenus, terrenum: alter cœlestis, cœlestem, qui repræsentat nobis panem illum qui de se dicit: Ego sum panis uitalis, in quo ueritas. in mãna deserti typus ac umbra. Itaq; Christus ubi se cum manna comparat, dicit: Patres uestri comederant manna in deserto, & mortui sunt: ego sum panis uiuus, qui de cœlo descẽdit: si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum. Qualis igitur uetus manna cibus erat, talis Israel erat Israel non exigua sui parte præter personam qua nobis cœlestem Israelem referebat, nihil gerens. Cæterùm cõturnices quæ hic ascendisse leguntur, infrà Numeris delatæ à uento trans mare in castra dicuntur. Iosephus tradit Arabicum sinum magnam uim coturnicum habere. Scriptores rerum meminere coturnices duce ὀρθογωνίᾳ uolare aquilone flante, uitato humido austro, propter corporum molem.

Cooperuit castra.] Magna coturnicum uis indicatur, quæ non quantũ satis esset ad uictum, sed quæ satietatem afferrent, in Numeris leguntur allatæ.

Mane quoq; ros iacuit.] Paraphrastes pro שכבת habet בחתה, id est descendit. quam sententiã cõfirmant nõnulli citato loco ex Iobo: רגבלי שבים מי ישכב. Et infrà in Numeris legimus: Cum descenderet super castra ros, descendebat pariter & manna.

Cumq; operuisset superficiem terræ.] In uerbo תעל notatur, rorem in proximum aerem sublatum, solis calore euanuisse.

Apparuit in solitudine minutum.) *Explicatur figura mannæ. Hanc habuisse speciem granuli paruu & rotundi.*

Et quasi pila tusum.) מחספס *Hebræis* עגול *est, rotundum ac orbiculatum. aliter alij. Paraphrastes quasi decorticatum.*

Manhu.] *Septuaginta pro* מן הוא τί ἐστι τοῦτο; *id est, quid hoc? quos sequitur noster. Similiter Iosephus,* τί τοῦτ' ἐστιν; *Hi omnes legunt* מן *pro* מה. *Et Chaldæorum etiam lingua* מן *quid sonat. Alij uertunt,* מן הוא, *id est donum est à Deo uidelicet nobis tributum. Alij, Paratus cibus est, quem Deus nobis sine labore nostro parauit. Hanc sententiam secutum autorem libri, qui inscribitur Sapientia Salomonis, apparet. Sic enim de mãna legimus cap. 17.* αὐθ' ὧν ἀγγέλων τροφὴν ἐψώμισαι τὸν λαόν σου, καὶ ἕτοιμον ἄρτον αὐτοῖς ἀπ' οὐρανοῦ ἐτοιμάσας ἄπονον παράσχες. *Vbi mãna angelorũ panem uocat, aut quòd paratus angelorum ministerio esset, aut quia panem quo cœlestes genij uescuntur, significaret. sic sit appellatus. Messias enim benedictus manna adumbratus omnium sanctorum siue in cœlo, siue in terra ad uitam æternam cœlestis & æternus cibus est. Psalm. 78. Manna* לחם אבירים, *id est panis fortium uel geniorum appellatur. Sancti igitur angelorum conuiuæ sunt, communi pane uescentes, qui de se dicit: Ego sum panis uitæ. Aut panem angelorũ Hebraica phrasi appellauit, ut Paulus linguas angelorum, id est eximium & excellentissimum panem.*

Hic est sermo.) *Explicantur leges mannæ.*

Colligat unusquisq;.) *Prima, colligendum quãtum opus sit ad uictum.*

Gomer per singula capita.] *In singula capita inita ratione numeri eorum qui sunt in cuiusq; contubernio. Vox Hebræa* גלגלת *caput notat, à uolubili rotunditate significatione mutuata. Vnde & locus Hierosolymis in quo Christus passus fuit, uulgo Golgatha appellatus. Hic quid caput significet, non est obscurum. Mensuræ genus quod Iosephus tres semicotylas continere dicit. Cotyla autem hemina est grammaticis: in nostra lingua eyn immi. Vnusquisq; iubetur colligere quantum satis sit ad uescendum ad præsentem diem, de crastino non sollicitus. Quò pertinet panis* ἐφήσιος, *cuius cœlestis manna Christus in precatione illa suæ sacræ meminit. Occurrit præterea illud Apostoli de posito mysticæ mannæ typo: Omniq; data est manifestatio spiritus quantum expedit.*

Nec qui plus collegerat.) *Hoc loco fretus Apostolus ad beneficentiam hortatur: Vestra, inquit, copia aliorum succurrat inopiæ, ut fiat æqualitas. Quẽ admodum scriptum est: Qui multum habebat, huic nihil superfuit: & qui paululum habebat, is nihil minus habuit.*

Nullus relinquet ex eo in mane.) *Altera lex.*

Et scatere fecit uermibus.] *Prius cœperat putrescere, quàm scatere uermibus.* ὕστερον πρότερον *est. Manna deserti uermib. obnoxia fuit, contrà manna habet altera. Dicas, de ijs igitur rebus quæ ad uictum pertinent, nihil recondendum erit, quo in posterum tempus utare? Si ita, cur ergo remittit ignauum Salomon ad formicam, à qua prudentiæ exemplum discat, quæ æstate colligit quo fruatur per hyemem. ad hæc laudatus est Iosephus, qui frumentorum copiam quæ septem uilis annonæ annis prouenerant, seruari iussit in eos annos quib. omnia cara fore prænouerat. Duo spectantur in hac de manna lege. Alterum, sollicitudo & cura parandi & conseruandi uictum carens fide: hæc semper prohibetur, non item prudentia domestica cum fide coniuncta, quæ à Salomone, exemplo Iosephi & patrum commendatur. Alterum est mystica ratio, temporibus & personis astricta, quæ Israelitas attingebat tantisper dum in solitudine Arabum uersarentur.*

Cumq; incaluisset sol.] *Per metonymiã sol pro aere terræ circumfuso calore solis incalescente.*

In die autem sexto.] *Tertia lex.*

Vsq; quò non uultis.] *Expostulatio Dei acri cum populo contumaci. & id ipsum est quod superà dixerat: Vt tentem eũ utrum ambulet in lege mea.*

Duplices panes.) לחם משנה *dualis numeri. Notatur uictus bidui.*

Quasi semen coriandri.] *Similiter Iosephus* גד *reddit coriandrum.*

Quasi similæ cum melle.] *mellitæ placentæ massæ quæ pinsitur cũ melle, saporẽ habebat. In hoc significato uoculam* צפיחת *non nisi hoc loco propemannam reperias. Deposita umbra de manna cœlesti legis apud uatem: Verba tua palato & ori meo longè dulciora sunt. Hanc mellitam mannam sub lingua sua habere sponsam suam, sponsus in Canticis fatetur: Fauo manant labia tua, mel sub lingua tua.*

Sume uas.) Nec uoculam צנצנת *alibi inuenias.*

In tabernaculum.] *Accipiuntur hæc per anticipationem. Aut igitur hæc mandata sunt tabernaculo extructo, ut non seruatur ordo rerum gestarum in sacra historia: aut iubet in mox extruendo tabernaculo in monumentũ tam præclari beneficij ipsam mannam reponendam esse.*

Quadraginta annis.] *Tot annos uersati sunt in solitudine. Quo tempore cessauerint uti Israelitæ mãna, uideris Iosuæ cap. 5. Nam etiam in Chananæa ut ingressi sunt, exiguo tempore illa usos legimus.*

Gomer decima pars Ephi.] *Chaldæus decimã partem trium* סאין *continere dicit. Itaq; Ephi continebit tria* סאין, *hoc est sata. dicunt autem sata sex* קבים *id est cabos, & cabũ quatuor* לוגין, *id est sextarios, sextarium uerò sex* בצרים, *id est ouas cõtinere. Hinc colligunt decimam partem Ephi quadragintatria ouа habere, & eam mensuram placentis & dapali muneri destinatam.*

IN CAPVT XVII.

De deserto Sin.) *Media itinera, ut in quibus nihil memorabile gestum sit, omittuntur. Ait de deserto Sine profecti sunt ad Dophicam, inde ad Halusum, ab Haluso in Raphidinum.*

Iuxta sermonem Domini.] *Ex sententia & uerbo*

uerbo Dei gubernantur itinera Israelitarum. Reuocanda hypotheſis ad theſim.

Cur tentatis Dominum?] dubitantes de eius in nos beneuolentia & potentia, dicentes: Eſt' ne Dominus in nobis, án non?

Clamauit autem Moſes ad Dominum.) confisus eius promiſsis & potentia, non ſpectatis populi meritis.

Quid faciam populo huic?] tam rebelli, & contumaci, et immemori tot beneficiorum quibus à te ornatus eſt.

Adhuc paululum, & lapidabit me.] legatum tuum nihil niſi ex ſententia tua agentem. Retinet Hebraiſmum, A' quo parum abeſt quin lapider.

Et uirgam qua percuſsiſti fluuium.] de quo ſupra capite 7.

Et exibit ex ea aqua.] Miraculum hoc etiam in Pſalmo celebratur: Et eduxit aquam de petra. Deposito uelo occurrit uera petra, de qua illud: Petra uerò fuit Chriſtus. Et de ueris aquis propheta: Hauriēs aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris.

Et uocabit nomen illius.] Vt extaret ad poſteros monumentum tantæ rebellionis publicum, à tentatione Dei nomen loco inditum eſt Maſſa: & ab expoſtulatione cũ Moſe, nomen Meriba impoſitum. Ad hæc contra legem quoq; memorabile facinus iſtud factum eſt, de qua infrà: Non tentabitis Dominum Deũ ueſtrum ſicut tentaſtis in Maſſa.

Eſt'ne Dominus in nobis, an non?) Vox diffidentium Deo, cuiuſmodi omnes utuntur, qui in rebus aduerſis præſentem Deum non agnoſcunt, qui ſuis adſit, quiq; diuinam præſentiam ſolum ex proſperis rebus metiantur, iram aut abſentiam ex aduerſis. Contrà compoſiti ſunt periti ſtratagematum fidei, qua qui ualent, in tenebris lucem, in morte uitam, ſub ſpe contra ſpem cogitant & moliuntur.

Venit autem Amalech.) Noua tentatio ab hoſte, ne deeſſet uſquam materia exercendi Iſraelitas ad ſtudium ac cultum fidei.

Ad Ioſue.] filium Nauis de ſtirpe Ephraim, uirum ſtrenuum, fortem, & Dei ſpiritu præditum. De quo infrà in Numeris his uerbis: Dixitq; Dominus ad Moſem: Tolle Ioſue filium Nauis, uirum in quo eſt ſpiritus Dei.

Cumq; leuaret Moſes manus.] orans. Monemur hic ſanctorum uictoriam de hoſtibus oratione parari. In leuandis manibus cœlum uerſus indicabant ſupernè omnia ad nos bona proficiſci.

Manus autem Moſæ erant graues.) Depone uelum. Quis Moſes, quid lex, quæq; Moſæ functio ſit, non eſt obſcurum.

Sumentes igitur lapidem.) Quis fuerit ille uerus lapis, ſuper quem Moſes recubuit, indicat lapis de quo Apoſtolus: Petra autem erat Chriſtus.

Aaron autem & Hur.) Myſterium ſacerdotij & regni notatur. Aaron quem ſacerdotem, & Hur qui de familia Iudæ fuit, quem principem repræſentarit, ſatis manifeſtum: utq; ſine his functionibus dua bus orantium precationes nihil efficiant, qui regio & ſacerdotali ſpiritu reguntur, bene norunt.

Non laſſarentur.] Verbum Hebræum אמרפה, manus Moſæ firmas et minimè nutantes, id eſt eius orationem ſtrenuam, & non languentem fuiſſe, declarat.

Fugauitq;.] Vis orationis ac exitus, qui lætus fuit Iſraelitis, triſtis Amalechitis. Atque id mirandum non fuerit. hi enim de genere Eſai, quē Deus odio habuit, & ad ſeruitutem damnauit: illi uerò Iſraelitæ uidelicet Deo grati, & ad dominatum deſtinati erant, ut indicat illud: Maior ſeruiet minori. Quæ diuina ſententia uidetur effeciſſe ut Amalechitæ ueteris odij retinentes, bellum adornarint in Iſraelitas, iam fame, ſiti & laboribus confectos. quæ inclementia illorum effecit, ut in eos diuina ira exarſerit. de qua mox, & in Deuteronomio his uerbis: Memento quæ fecerit tibi Amalechus in uia, quãdo egrediebaris ex Aegypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui qui laſſi reſidebant, cæciderit, quando tu eras fame & labore confectus, & non timuerit Deum. Reuocandum exemplum ad locum communem, impunè non habere, qui miſeris moleſti ſunt contra naturam Dei. de quo uates: Dominus erigit deiectos. Cæterùm Amalechitas ortos ex familia Eſai, diſcimus ex Geneſi: Hi duces filiorum Eſai, filij Helphæ primogeniti Eſau, dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez, dux Chore, dux Gathan, dux Amalech.

In libro.) harum hiſtoriarum. Eſt etiam liber cui titulus Liber bellorum Domini, ſed qui interciderit: ut nonnulli alij interciderunt iniuria temporum, ut fuit liber הישר, liber Nathanis, & alij, de quibus alijs locis, & plures Salomonis.

Delebo memoriam Amalech.] qui tot ſignis in Aegypto & in deſerto editis commotus non ſit ut Dei populo parceret.

Altare.] ſupra quod hoſtijs immolatis, oſtenderet gratitudinem de reportata uictoria.

Dominus exaltatio mea.) Ara Domini nomine ornata q, à cultu, in ea coleret Dominum qui edidiſſet miracula. Sic enim Paraphraſtes, רפלח עלוהי. קדם יהוה דעבד ליה גיסין. Is igitur יסג pro miraculis uertit. Alij uexillum reddunt, Dominum eſſe uictoriæ uexillum, ſub quo Iſmaelitæ uincant hoſtes ſuos, ut accidit Pharaoni & Amalechitis.

Quia manus ſolij Domini.) Ratio delendi Amalechi ſententia eſt: Quoniam Dominus leuauit manus ſupra thronum ſuum ad iurandum tantiſper ſibi bellum fore cum Amalecho dum perdat eum. Tempore Sauli extirpatus eſt Amalechus: qui cum reliquias quaſdam illius reliquiſſet, Dei fauorem amiſit. Veritas in impijs orbis terrarum tyrannis deuincendis & in Meſsia uictore cernitur. de qua ueritate illud: Interficiet impium ſpiritu oris ſui. Item illud: Nã oportet eum regnare donec poſuerit inimicos ſub pedes ſuos. Huius regnum quoniam non prius perfectum erit quàm hoſtes ſuos ſibi ſubiecerit, arbitran-

tur nonnulli neq; throni, neq; Dei nomen integrum hic scribi. legi enim בסי יה.

Paraphrastes quoque כס pro solio interpretatur, qui habet על ברסא. Atque Deum manu solio suo admota iurasse, intelligit se hanc Amalechitarũ crudelitatem uindicaturum. non aliter Thargum Hycrosolymitanum habet. Similiter Græci legunt בס non גס deducta uoce à בסח quod est occulere. Vertunt enim, ὅτι εἰν χειρὶ λαυφάκος. Quo magis mirum est, quosdam putare mendam in Hebræo esse quod legitur בס. Legendum enim esse גס temerè ex figuræ similitudine uersõ ג in ב omnibus uetustissimis exemplaribus, & interpretum sententijs reclamantibus, quæ thronum hic recipiunt in uoce בס ut ualde aptum sententiæ à Deo tanquam iudice in Amalechitas dictæ.

IN CAPVT XVIII.

CVḿq; audisset Iethro sacerdos.] Narratiũcula de Iethrone socero Mosæ. Arbitrãtur hic quidam ex quo infrà dicit Moses, Veniant ad me ut iudicem inter eos, & ostendam præcepta Dei & leges eius: hæc quæ hic commemorantur de Iethrone, post datam legem accidisse, ordine rerum gestarum, ut fit, non seruato.

Sacerdos Midian.] uicinus mari rubro & Aegypto, quo facilius cognoscere res mirandas Israelitarum potuit.

Narrauit Moses.) ad commendandam potentiam & bonitatem diuinam. Duo præcipua opera sunt quibus illustris sit gloria Dei. Alterum est seueri iudicij, alterum beneuolentiæ & gratiæ. Hoc in Israelitas declaratum, illud in impij Pharaonis superbi tyranni interitu. Vtrumq; narratum à Mose socero.

Lætatusq; est Iethro.) contrà quàm fecit Amalechus. Vt igitur is primus hostis Israelitis iam fessis de itinere, fameq; & siti confectis, occurrit in deserto, ita Iethro primus consolator & congratulator. Qua de re ille iram Dei aduersus se concitauit, is beneuolentiam commeruit. Cuius generi sequentibus temporibus Saulus rex cum Amalechitas perderet, propter beneficium quo Israelitas Iethro affecit, pepercisse traditur. in libris enim Regum legimus: Tu enim declarasti misericordiam omnibus filijs Israel, cum ascenderent de Aegypto. Vbi Cinæũ de Iethronis familia fuisse, intelligunt. itẽ, Filijs רכבים ut Hieremias testatur, qui fuerunt de genere Iethronis, habitarunt unà cũ Israelitis Hierosolymis. Hæc igitur est seueritas diuini iudicij, ut ij qui sancto populo beneficerunt, eorum posteris rependatur beneficium: contrà qui malefecerint, mala retribuantur. ut uera sit promissio illa: Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi.

Et ait: Benedictus Dominus.) Canit hymnum gratiarum actionem cum laudibus Domini continentem. Loci à beneficentia & potentia sumuntur, quo liberarit Israelitas, fortiter hoste euerso. in loco gratias agere est ברך.

Nunc cognoui.] Vsus excitati & euersi Pharaonis, de quo suprà capite 9. & Apostolus capite nono ad Romanos.

Magnus.) A bonitate, ueritate, et potentia, qui uoluerit ac potuerit suos liberare.

Super omnes deos.] qui suos liberare non possint à malis. Præclara confessio fidei in alieno à republ. Israelitarum. Donum igitur fidei ad nullam personam, sexum, gentem, symbola affixum. Simile exemplum in lobo, Naamane Syro, Niniuitis.

Et φ superbè egerint contra illos.) Bipartita interpretatio est huius periodi una, qua ratio redditur deleti Pharaonis. Hunc extinctum cum suis quia super. è & arroganter sacram gentẽ uexarit. Quæ ratio nititur sententia illa: Quoniam tu populum humilem, seruas, & oculos superborum deijcis. Altera est, ut superbè & insolenter tractarunt Israelitas, ita quoq; ipsos à Deo deiectos. Nititur hæc interpretatio loco cuius meminit Dominus: Qua mẽsura metimini, ea metientur uobis alij. Hanc sententiam expressit paraphrastes his uerbis: בזראי לבירדן יה ישראל ביה רבי בר, id est quia in re cogitarunt iudicare Israelitas, ea ipsi iudicati sunt. hoc est, perditi & euersi.

Obtulit igitur Iethro.) conuiuium publicum & gratulatorium ex sacrificijs paratum, parte eorum incẽdio, parte epulis destinari solita. Iethro qui Madianites esset, natus ex genere Abrahami, ut ex Geneſi liquet, consuetudinis quam Abrahamus in sacrificando seruasset, ignarus non fuit.

Coram Domino.] Sunt qui monent quia tabernaculum Mosæ in latere orientali tabernaculi fœderis situm erat, ideo hic legi conuiuium agitatum coram Domino. At qui sic sentiunt, in ea sententia sunt, quod hæc quæ de Iethrone hic narrantur, acciderunt post promulgatam legem, & extructum tabernaculum. Hi rationes suas afferũt, quas paulo suprà inducimus. alij per anticipationem hæc accipienda esse putant. Quod ad מני אלים pertinet, sunt qui exponunt hæc uerba usurpari propter sanctos uiros qui illi conuiuio interfuerunt: cuiusmodi conuiuio frui perinde sit, ut si quis claritate diuinæ maiestatis fruatur. Atq; hi citant illam ueterem sapientum uirorum sententiam: תבנית מזבח שיהיו מלכים משרבין בה באילו נהנה מזיו שכינה.

Altera autem die.) Exponitur Iethronis consilium quod Mosæ Iethro dedit de ratione constituendi magistratus.

Vt iudicaret populum.] causas populi cognosceret, & ius redderet, quod est hic שפט.

A mane usq; ad uesperam.) Exemplum fœlicis & gnaui principis.

Cur solus sedes?] Pro tribunali iudex & disceptator causarum sedere, populus reliquus lites exercens assistere dicitur.

Et totus populus.] magno suo tædio, & à cæteris rebus agendis impeditus.

Quærens sententiam Dei.) pro לדרוש אלהים ad

ad quærendũ Deum. Similiter nostro interpreti paraphrastes למהבע ארלפן בן קדם יי. Et Septuaginta ἐπιζητῆσαι περὶ τοῦ θεοῦ. Ex hoc loco agnoscimus ciuiles sententias & causarum cognitionem esse sententias & responsa diuina, quibus propter cõscientiam, ut Apostolus ait, parendum sit. Ad hæc iudicia quæ Moses exercuit, ex legibus quas diuinitus accepit, fiebant: ut perinde fuerit, sententiam & iudiciũ à Mose requirere, atq; à Deo.

Aliqua disceptatio.) דבר in loco Hebræis idem quod Græcis πρᾶγμα, Latinus controuersia, causa, negocium.

Iudicem inter eos.] pronuncians de causis.

Et ostendam eis præcepta Dei.] tanquam iudiciorum & rerum agendarum regulam.

Stulto labore consumeris.] Hebraica ἀναξηράνθησῃ σὺ καὶ ὁ λαὸς ὁ μετὰ σοῦ marcescendo marcesces, significat omnino Mosem deficere & succũbere tanto labori. Metaphora à foliis marcescentibus sumpta. Dehortatio loco nimis molesti & periculosi laboris nititur.

Vitra uires tuas est negocium.] Rectè Hebraismum דבר מבקר Explicat locum τῶν ἀδυνάτων.

Audies uerba mea.] Exponit consilium suum. Ex hoc loco primò cognoscimus adumbrari reliquos populos & Israelitas studiorum & consiliorum in uno capite & corpore communione consociandas: Nullum membrum frustra esse ac temerè quod alteri quamlibet præstanti suum usum non præbeat. Vt alicubi Apostolus monet: Non potest oculus dicere manui, Opera tua non indigeo. Demum, unum Dominum Christum tenere omnes spiritus sacri dotes, ut in quo plenitudo deitatis inhabitet, è qua corporis cuncta membra sua munera ad modum donationis illius tanquam capitis hauriant.

Et erit Deus tecum.] præsens sapientiæ donis, & res rectè prospereq; gerendi ope. Vtilitatis loci tractantur.

Estoin populo in his quæ ad Deum pertinẽt.) τὸ λαβίλε, id est uniuersum genus legum, & earum interpretationẽ, ad Mosem pertinere: singulas autem res ac casus, ut infinitos ac incertos, ad reliquos iudices referendos. Mosem debere legislatoris munus præstare, cæteros iudicum. Quoniam autem legislator res futuras quæ ab effectibus remotæ sunt, iudices uerò res præsentes cum quibus perturbationes animi, ut ira, odium, miseratio, cupiditas, cõsiderant: ideo quales iudices deligi debeant, docet.

Prouide autẽ de omni plebe uiros potentes.) uiros fortes, graues, & religiosos, qui non facile cedant affectibus, quosq; corrumpere ægrè liceat, qui nec potentia diutum deterreantur à pronunciando quæ iusta sunt, neq; pauperum tenuitate cõmoti ius deserant per cõmiserationẽ. De qua parte constantiæ iudicum, lex traditur: Pauperis quoq; non misereberis in iudicio. Itaq; rectè ille dixit, pessimum esse principem qui sibi ipsi imperare nequeat.

Et timentes Deum.) non homines, ad declinandum ius. In uire dicendo Deum spectent, cuius uicem obteneant, & cuius nomine appelleantur, quod est אלהים.

In quibus sit ueritas.] fides, non fraus & malus dolus. Cui opponitur אמרת apud Hebræos.

Et qui oderint auaritiam.] ut pestem rerump. Auaritia enim & ambitione maximæ quæq; resp. interierũt. Salomõ in Prouerbijs ab auaris etiã suam domum perturbari dicit, quæ incolumis seruetur, si dona non accipiantur. sic enim Prouerb. decimo quinto עכר ביתו בוצע. Itaq; rectè ille dixit, nihil iustum neque sapere, neq; cupere ambitioso & auaro ingenio præditos:

ὅστις γὰρ ἐστὶ τὸ πλέον ἔχειν σπέρνει αὐτῷ,
ἀδικεῖ φρονεῖ δίκαια, ἃ μὴ βούλεται.

Et constitue ex eis tribunos.) Distribuit in classes suas ipsos iudices, quò partitis muneribus populus commodius gubernetur. Sunt qui hinc colligunt sexcentos tribunos fuisse ex sexcentorum millium hominum numero. Sex millia item centurionum, & duodecim millia quinquagenariorum, & sexaginta millia decanorum. Sapiens uir Iethro numeros mysterijs plenos usurpauit. Decanos enim delegit à denario numero perfecto & absoluto. Quinquagenarios à numero remissionis, & libero iuri sacrato. Centuriones autẽ à quadrato denarij, quẽ remunerationis numerum uocant. Millenarios uerò, qui tribuni appellãtur, à numero qui cubus denarij est: sacer sanè numerus & diuinus, qui Deo, ut suo loco ostendetur, peculiaris est.

Si hoc feceris.) Concludit deliberationem, repetitis argumentis utilium.

Quibus auditis.) Modestiæ exemplum in Mose, qui tot dotibus sacri spiritus ornatus, & in tanta dignitate constitutus, Iethronis hominis extranei consilium non respuerit, sed id receperit & secutus sit.

IN CAPVT XIX.

Mense tertio.] Is quadragesimus septimus egressionis ex Aegypto dies erat. cui si accesserint dies tres, quinquagesimus dies efficietur, in quo lex Mosaica promulgata est. unde is festus & sacer Hebræis habitus ob memoriam positarum legum. Omissæ hic sunt duæ castrametationes, quæ in Numeris memorantur, Dophra & Halus. Duodecimum igitur statiuum fuit ad Sinam monte, si in Rameste primùm pones: sin in Sochoto, undecimum fuit.

Moses autem ascendit ad Deum.) in montem diuinum, supra quem apparitura erat oraculorum Dei claritas.

Vos ipsi uidistis.] Cum duas res memorabiles is liber contineat, quarũ altera rerũ gestarũ memorabilium in Aegypto, in eius exitu, in mari rubro, in solitudine narratio est: altera cõstitutio reip. Israeliticæ: tã cõmemoratis ijs quæ præclarè gesta sunt in uindicatione populi in libertatẽ, ut ipsa respublica nouis legibus cõstituta sit, exponet. Sed priusq; Dominus ad tradendas leges aggrediatur, Mosæ mandat ut ea quibus rudis & imperitus populus ad legis sacræ doctrinam præparetur, denunciet.

Quæ fecerim Aegyptijs.]*Hortatio ad obedientiam ponendarum legum, à signis ac miraculis in Aegyptios editis.*

Et quomodo portauerim uos.) *A beneficijs.*

Super alas aquilarum.) *Similitudine declarat beneuolentiam, comparans se aquilis, quæ pullos suos dorso suo portare feruntur, & altißimè uolantes eos ab iniuria cæterorum alitum tuentur. De aquilis uideris apud scriptores rerum. Eadem comparatio repetitur infrà in Deuteronomio: Sicut aquila expandit alas suas, assumpsit eum, & portauit in humeris suis.*

Et assumpseram mihi.] *ad cultum oraculorum meorum. Eleganter igitur paraphrastes,* וקריבית יתבון לפולחני.

Si ergo audieritis uocem meam.) *A spe futurorum bonorum.*

Eritis mihi in peculium.) *Septuaginta,* λαὸς περιούσιος. *paraphrastes,* חביבין. *Est autem* סגולה *thesaurus preciosus & in delicijs habitus: Tales eritis apud me quos ego poßim cæteris gentibus ostentare tanquam preciosum & selectum thesaurum, De qua ostentatione in Deuteronomio. Remoto uelo mystici Israelis occurrunt scripti in libro uitæ ante condita secula selecti in populũ Dei: qui quàm preciosus sint thesaurus, declarat precium mortis unigenæ filij.*

Mea enim est terra uniuersa.] כי *pro quãuis ad uersante cõiunctione: Quamuis terra uniuersa mea sit, uos tamẽ peculiariter cõplectar beneuolẽtia mea*

Et uos eritis mihi in regnũ sacerdotale.] *Declarat quid sit* סגולה *Quid augustius & preciosius regno? Quid sanctius sacerdotio? Reducto uelamine mystici regni & sacerdotij, occurrit uerum & cœleste regnum & sacerdotium Christi. Petrus locum hunc mysticum de regali sacerdotio ad membra Christi, propter communionem quæ inter corpus & caput intercedit, generatim accõmodat his uerbis: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrũ acceßit. Huc pertinet etiam illud Ioan. Fecit uos reges & sacerdotes. Item: Et feciſti nos Deo nostro reges & sacerdotes.*

Gens sancta.) *oraculorum meorum cultui consecrati, qui hactenus Aegyptiorum legibus polluti fuistis, ut uirtutes meas qui è tenebris Aegyptijs in admirabilem lucem uos uocaui.*

Faciemus.) *Consensio in leges & constitutionẽ reip. à Deo proponendam, quæ coalescit tum ex ijs qui parent, tum ex eo qui imperat. Hinc leges συνθῆκαι, id est pacta quædam & conuenta dicuntur.*

Vt audiat me populus loquentem ad te.) *ad conciliandam tibi autoritatem. Sic legislatores gentiles retulerunt leges suas in deos. Zoroaster tulit leges Bactrianis, & Persis, & retulit eas in Cramasin. Zamolxis dedit leges Scythis, & retulit eas in Vestam. Minos Cretensibus leges posuit, quas ascripsit Ioui. Lycurgus Lacedæmoniorum leges Apollini acceptas tulit. Numa Pompilius suas Aegeriæ tribuit. Mosæ simia Maumetes quoq; esse uoluit. Sed hi fortassis nemine audiente, aut uidente, acceperunt. Moses uerè accepit, audiente populo Dei promulgatoris uocem. Is uerum Deum audiuit, illi falsos deos prætenderunt.*

Et credat tibi.] *ut legislatori, & inter me & Israelem arbitro futuro.*

Et sanctifica illos.] *Purga & lustra eos, ne polluti ad audienda oracula mea accedant.*

Lauentq; uestimenta sua.] *Remoto uelo occurrit illud Iesaiæ: Si abluerit Dominus sordes filiarum Zion. Sed quibus aquis? Sequitur: Et sanguinem Hierusalem lauero spiritu iudicij.*

Et sint parati in diem tertium.) *Mysterium diei tertij nõ est ignotum ijs qui norunt quo tempore proferat sese ea animorum uis quæ noticiæ legis cõparax est.*

Vxoribus uestris.) *Alicubi monet Apostolus, si precationi locus sit, concubitum uitandum esse. Sed quæ maior occasio precandi sese obtulerit, quàm ubi peccatum per seuerum legis iudicium aperitur?*

Tonitrua.) *Hæc manifestatio qua se Deus ostendit, ut administrationi legis cõueniat, Apostolus indicat cum ait: Lex iram excitat, & occidit. Itaq; ueteres dixerunt, legem profectã è tribunali seueræ iustitiæ Dei terrore pleno, quæ sub occasione peccati quod damnat, non tollit, iram & mortem afferat.*

Et nubes densissima.] *Hebræus grauem nubem habet: sed apta matalepsi usus est interpres. Cõgruit nubes in functionem legalem, quæ tenebrarum, non lucis: ueli, non apertæ faciei: literæ, non spiritus administra ab Apostolo in altera epistola ad Corinthios dicitur. Cõtraria functio euangelij Iesu Christi est, in qua nobis Deus in luce, non in nube: clemens, non severus: in spiritu, nõ litera apparet. Vt est apud eundem Apostolum: Quoniam Deus qui iußit è tenebris lucem illucescere, qui luxit in cordibus nostris ad illuminationem agnitionis gloriæ Dei in facie Iesu Christi. At hæc illustratio incrementa sua & auctus habet. aliter enim in his seculis, aliter in futuris Deus nobis patefit. Qua de re aliàs ex cap. 13. Epistolæ primæ ad Corinthios.*

Et timuit populus.) *Contrà comparati sunt qui audiunt euangelium. De quo illud: Quàm speciosi sunt pedes annunciantium pacem. Sapienter igitur dicunt legẽ & euangeliũ metu & amore dirimi. In altera enim administratione timor locũ habet. de quo illud: Non accepistis spiritum seruitutis, iterum ait: Timorem. In altera spiritus adoptionis quo à nobis ut filijs Deus amatur, non metuitur ut tyrannus à seruis. De quo spiritu idem Apostolus his uerbis: Sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. Quapropter quum electi prius seruorum, quàm filiorum, puerorum ferulæ subiectorum, quàm disciplina seueriore exemptorum status sunt, antea asperiore lege, tanquam pædagogo, quàm Euangelio, adoptionis filiorum, & hæredum*

hæredum iam hæreditatem adeuntium iura continente gubernantur, Deo primùm iudicis & Domini, deinde patris munus declarante. Alterum officium in אלהים, alterum in יהוה ostendi uolunt. Apostolus igitur lege ad seruitutem generari filios dicit, Euangelio ad libertatem, priorem locũ iudicij, posteriorem gratiæ & misericordiæ throno obtinente in patefactione Dei.

Steterunt ad radices montis.) Sinæ montis, qui liberos ad seruitutem generat, radices occupantur: summa autem fastigia montis Sionis qui filios ad libertatem gignit, tenentur. Vt habet illud: Et plantabo eos in monte hæreditatis meæ. Hanc contentionem ac comparationem Paulus his uerbis explicat: Non enim accessistis ad contactũ montem & incensum ignem ac turbinem & caliginem & procellam tubæq; sonitum: sed accessistis ad montem Sionem, de quo exit lex gratiæ & uitæ, de qua Propheta: Ex Sione exit lex.

Ignem.] qui diuini iudicij, quod lege in conscientijs accusandis & damnandis peragitur, ignis est. Talem ignem sensit Cain cum diceret: Maior est iniquitas mea, quàm ut, &c. Talem Iudas sensit. Talem etiam Dauid, ubi conqueritur se in infimum infernum descendisse, furore Dei accensum. Itaq; in Deuteronomio Deus dextra sua igneam legem tenere dicitur. Alius igitur est ignis in quo Deus in legis, alius quo in Euangelij administratione apparet. In altero ardet ira, in altero renouans ad claritatem Dei gratia fulget. de quo igni illud: Baptizabit uos spiritu, & igni.

Eratq; omnis mons terribilis nimis.) Pauorem tribuit monti. Expauit mons, ac horruit. legitur enim יהוה. Nec malè huc cõgruit, si uertas, cõmotus est ac contremuit, per tonitrua uidelicet. Hæc montis Sinæ commotio ad tremorem conscientiæ quem lex incutit, significandum apta erat. Sic etiam Iesaias impiorũ legis iudicio trementes animos commoto mari comparat.

Et sonitus tubæ paulatim crescebat in maius.] Nec tubæ clangor tractim & gradatim sonans suaueret significatione.

Respondebit ei per uocem.) angeli. Angelorum enim ministerio lex data est, ut est apud Apostolum: Propter transgressiones addita fuit, donec ueniret semen quod promissum fuerat, ordinata per angelos in manu intercessoris.

Descenditq; Dominus.] Dominus dicitur descendere per angelorum functionem: Moses uerò ascendere ad Dominum, & descendere ad populum, qui arbitrum & intercessorem gereret.

Et contestare populum.) Contestari pro prohibere sub testificatione diuinæ iræ quæ in eos sæuitura sit, nisi sibi caueant.

Ad uidendum Dominum.) Per legem non datur uidere Dominum, sed per eum de quo illud: Gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est.

Sacerdotes quoq;.) Traduni hos primogenitos fuisse ad quos pertinuerit sacerdotium ante selectos ad eam dignitatem Leuitas. Veluti suprà legi dicunt, primogenitos Israelitarũ consecrari ad cultum Dei iussos.

Accedunt ad Dominum.] propius cæteris ad radices montis, aut eos accedere ad Dominum dicit, qui sacrificijs intenti essent ad aram quam construxerat Moses Amalechitis deiectis.

IN CAPVT XX.

LOcutusq; est Deus.] Iam legem ipsam Moses explicare aggreditur, ad id munus Dei spiritu in Sina monte præparatus. At uerò cum non unum genus sit legum, sed quædam humanæ, quædam diuinæ, de diuinis in præsentia nobis sermo erit. Est autem diuina lex à Deo æterna illa rectè iubendi uetandiq; ratione, promulgata doctrina, qua illius uoluntas de rebus expetendis atq; fugiendis declaratur. Hinc ab Hebræis lex תורה, à docendo, à Græcis νόμος à tribuendo cuiq; suum, à Latinis à deligendo quod rectum sit, appellatur. Veriamen cum diuinæ legis tripartitum genus sit, naturæ, ciuilis ac fõrensis, cæremoniarum, naturalem legem quæ Decalogo cõtinetur, Moses primò persequitur. Sed dicat aliquis: Quid opus fuit Decalogum saxo insculptum Israelitis tradere, qui communis sit omnium gentium? Natura enim duce, nulla ratione, nullaq; doctrina, nõ institutis, non editis legibus opinio de Deo, & de non laedendo altero est confirmata. Hoc modo quæstioni huic occurrendum esse uidetur: Legem tabulis insculptam iussus est Moses Israelitis promulgare, quæ Dei notitiam noxa primorum parentum imminutam, et misere obscuratã, hoc modo in oculos incurrens præsentius excitaret, ut infrà in Deuteronomio legimus: Ponite hæc uerba mea in cordibus & in animis uestris, & suspenditе ea pro signo in manibus, & inter oculos uestros collocatote. Voluit ergo Deus de cœlo audiri uocem quæ testimonium daret naturæ legem diuinitus animis nostris inscriptam, quam traditus literis Decalogus à Mose renouaret atq; confirmaret. Deinde ut cognosceretur certus finis humani generis, ad quem id ipsum à Deo conditum esset, & ad quem repurgato peccato reuocandum foret: hominem nimirum factum, qui Deum cognosceret, & per amorem ad fruendum omnibus bonis eius coniungeretur. Quo in cognoscendi & amandi Dei munere hominis dignitas & extremum illud bonorum situm est, ut D. ipse fatetur his uerbis: Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te solũ Deum uerũ, & quem misisti Iesum Christũ. At cum ab hoc fine exciderit humanum genus culpa primi hominis, quæ nobis pro luce cognitionis Dei tenebras, p amore contemptũ atq; odiũ inuexit, uoluit diuina sapiẽtia, q tertius legis Mosaicæ usus est, edere publicè doctrinã signis et miraculis cõprobatã, qua utiosam nostrã naturã nobis ostenderet, & in cuius lumine tanquam in speculo seuerum in hanc uitiositatem Dei iudicium appareret, ut est illud Apostoli:

ſtoli. Peccatum non cognoui niſi per legem. & Dominus de accuſatione legis: Eſt qui accuſat uos Moſes. Per legem igitur intelligitur, ut humana natura compoſita ac affecta eſſe debeat: & cum aliter comparata eſt, quàm deceat, eiuſdem legis munus fuerit morbum ac uitium deprauatæ naturæ indicare. At quoniam ad recuperandã ualetudinẽ noſ ſe agritudinem ſatis non eſt, niſi etiam medicina cognita ſit & perſpecta qua illa ſanetur, præter hos uſus qui monſtrati ſunt, quarta Decalogi utilitas cernitur in pædagogia qua nos ad Chriſtum ipſum medicum dirigimur. Nam ſimulatq; legis beneficio miſer noſter à peccato & morte ſtatus agnitus fuerit, aditus inde patefit ad implorandam clementiam diuinam, in filio unigenito declaratam. Etenim uidentes ſeuero Dei iudicio non ſolum à nobis ſatisfieri non poſſe, ſed id etiam à nobis minimè ſuſtineri, nos noſtris uiribus diffiſi, molimur confugere ad Chriſtum, tanquam ad ſacram ſalutis comparandæ ancoram, qui uictima pro peccatis factus, nos cum Deo eius ira placata reconciliet, & amiſſam quam lex requirit, & non præſtat, iuſticiam reſtituat. De hoc pædagogiæ legis uſu Apoſtolus his uerbis: Itaque lex pædagogus noſter fuit ad Chriſtum, ut ex fide iuſtificaremur. Id eſt per fidem ſentiremus nobis remitti delicta, & perditam probitatem obediendi legi, tribui donato ſpiritu adoptionis, per quem depulſo metu ſeruili quem lex incuſſerat, amor Dei in nobis exiſteret, quem lex requirit: Ama Deum tuum. Ex quo quid interſit inter legem & euangelium à promulgatione, à loco, à promulgatoribus, ab adminiſtratione, officio & uſu, facile licet intelligere. Sed de hoc diſcrimine ſparſim pro occaſione ſuis locis admonebitur. Poſtremò igitur placuit Deo legem in tabulis ſaxeis ſcriptam per Moſem promulgare, ut ſcirent primi hominis poſteri naturalem legem uim mutandi animos qua ſe diuinæ uoluntati conformem, minimè habere: ſed hanc à Deo petendã, per quã in nobis legem nouam ſcribat, quæ & docendæ uoluntatis diuinæ & eius præſtandæ facultatem habeat. Atque hæc lex ſpiritus ſanctus eſt, quam Meſſias benedictus non in tabulis ſaxeis, ſed carneis, exarat. De qua uideris apud Hieremiam & Ezechielem Ex his muneribus Decalogi à Moſe traditi intelligimus quantum legislatoris Moſæ functio à cæteris legislatoribus differat, quorum nullus pædagogi ad Chriſtum nomen obtinuit, & hanc laudem qua Moſes ornatus eſt habuit ut hæc de eo dicerẽtur: Si credidiſſetis Moſæ, credidiſſetis etiam mihi: de me enim ille ſcripſit.

Ego ſum Dominus Deus tuus.) Exordiũ hoc cauſam promulgandarũ legũ, & rationẽ parẽdi eis cõtinet: eũ ius habere cõdendi leges ijs quos ſui iuris redemptionis beneficio fecerit: & æquũ eſſe eos recipere eius leges quibus obediant, cuius beneficio liberatos ſe ab hoſtium poteſtate cognouerint. Antea cõmendauerat ſuam autoritatem patribus hoc titulo: Deus qui creauit cœlum & terram: iam uerò ab inſigni liberationis munere ſuam dignitatem approbat poſteris maiorum dicit: Ego ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti. Et in nouo fœdere ad obediendum hortatur à parta ſalute per filium. Summam & capita legũ quæ in natura cõſitæ ſunt, perſtrictè tradit Moſes, eas denario numerorũ ſinuma continente complexus. Itaque quas hic exponit leges in Deuteronomio עשרת דברים, id eſt decem uerba uocat. Quò reſpicientes Græci uocẽ δεκάλογον ſic parparunt. In legum autem harum partitione uetores ſequimur.

Non habebis deos alienos.] qui uos non iuuarint, neq; iuuare poſſint. Prima lex. Duplex Deus hic nominatur: unus propriùs, alter alienus. Proprius eſt, qui cœlũ & terrã & omnia quæ in eis ſunt, creauit, & cuncta ratione adminiſtrat & cõſeruat, quique ſuos euerſis hoſtibus à malis liberat. Hæc notatio Dei proprij colligitur ex lege & prophetis. Pſal. Tua ſunt cœli, & tua eſt terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundaſti, aquilonem & mare creaſti. Alieni autem dij ſunt quos nobis fingimus, qui natura, ut Apoſtoli uerbis utar, dij non ſunt, ſed uana cogitatione hominum depicti pro dijs habentur. Stat enim illud εἰδωλον οὐδὲν ἐν κόσμῳ. In his omnia numerantur quibus præter Deũ fidimus. In hoc igitur præceptum primò cõmitunt qui negant aut dubitant Deum eſſe qui mundũ regat, & res humanas curet, ut ſunt quibus uates his uerbis redarguit: Dixit ſtultus in corde ſuo Non eſt Deus. Deinde peccant in eandẽ legem qui Deũ ſuum eſſe Deũ à quo amentur hæſitant: ut ſunt omnes qui Chriſti Ieſu cognitione carent. At quoniam hæc beneuolentiæ diuinæ cognitio non alia re cõſtat quàm fide in filium à Moſe ſub ſpecie angeli manæ, petræ, propiciatorij, uictimarum, ſacerdotij poſitum, & ceritis oraculis indicatum, delinquunt in hanc primam legem qui extra Chriſtum Deum colere ſtudent: ut ſunt quotquot in lege, operibus legis & à ſe excogitata ratione cultum quo Deum uenerentur inſtituunt: quorum ut ſemper infinitus numerus fuerit, ſatis eſt manifeſtum. Itaq; ſapientiſſimi in mundo & iuſtiſſimi legis & factorum, ſimulatæ iuſticia, idololatræ ſunt: iniuſtiſſimi uerò & ſtultiſſimi ueri cultores Dei, dum ſuam improbitatem & ſtultitiam confitentes Chriſto ſua ſapientia, iuſticia, uita remittuntur. Grauiſſime item hi peccant qui in rebus aduerſis præſidia alijs in rebus quibus nitantur quæruerunt, quàm in Deo, ut ſunt ſapientiæ, fortitudinis, prudentiæ humanæ, opum, amicorum præſidia. Ijs qui ſtudent, à prophetis, perpenſa hac lege, Deos alienos coram me ne habeto, his uerbis grauiter ſeuereq; reprehenduntur: Ne glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neq; fortis in fortitudine ſua, neque diues in diuitijs ſuis. Quæ ut in dijs alienis numerentur, docet Apoſtolus ubi auaritiam idololatriam appellat: ſed in hoc iudicio Deus apud prophetam, glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus, qui clementer agam, iuſq; & æquum faciam in terris. Eodem modo cõdemnantur falſi deorum alienorum cultus, qui

qui diuos siue homines, siue genios inuocant, qui astra colunt, & ab eis quocunq; modo pendent. cuius criminis redarguuntur Israelitæ, ubi hos legimus cœli reginam adorasse. In eadem reprehensione sunt astrologi, harioli, genethliaci rerum futurarũ, superstitiosius ad abducendos animos à fiducia Dei sibi arrogantes. Huius legis, Deos alienos ne habeto, à Mose in Deuteronomio his uerbis redditur ratio: Audi Israel, Dñs Deus uester unus est, quem solum conueniat colere, non alios. ut in eodem loco subiungitur: Igitur Dominum Deum uestrum toto corde, toto animo summisq; uiribus amatote. Itaq; uniusDei amor supra omnia, inuocationẽ, fiduciam, adorationem aliorum deorum respuit: & eum cultum Deo qui omnia condat, alat, conseruet, quiq; nos in rebus afflictis liberet, tribuit. Quod innuit exordiũ hoc: Ego sum Dominus Deus tuus.

Coram me.] qui sim impatiens riualis, & eum in oculis minimè ferens.

Non facies tibi sculptile.) Altera lex, quæ duo complectitur. unum est, Deo quem creata intelligentia non capiat, nullam figuram iungendam esse, neq; eum aliqua specie effingendum. Hoc in hunc modum exprimit Moses in Deuteronomio: Vocem uerborum eius audistis, similitudinem penitus non uidistis. Quare prohibet hic Dei spiritus ullam formam ac effigiem fieri qua Deus sub quacunq; specie uel maris uel fœminæ uel animantium siue terrestrium, siue aquatilium, siue uolatilium, uel eorum quæ in cœlo hærens siderum repræsentetur. Hac enim effictione nihil stultius esse, sapienter etiam Esaias ostendit, cum monet diuinam maiestatem deturpari, si hæc corporis expers, materia corporea, inaspectabilis aspectabili figura, immensa infinitaq; finita aliqua, ligni, lapidis, auri, argẽti parte effingatur. Quam etiam stulticiam in Athenientisibus reprehendit Apostolus, cum sic in Actis ait: Genus ergo cũ simus Dei, non debemus existimare auro & argento aut lapidi arte sculpto & hominis inuento Dei numen esse simile. Alterum est quod hac lege continetur, talem imaginem neue adorandam neue colendam esse. Hoc est, nullum diuinum cultum ei tribuendum, qualis in genuum flexione & corporis inclinatione cernitur: neq; etiam rem diuinam illi faciendam, neq; eius nomine iurandum. Etenim qui secus agunt, duplex delictum designant. primò siquidem alijs tribuunt potentiæ, ueritatis, iusticiæ et sapientiæ honorem, quàm Deo. Deinde rerum statum omnem euertunt, cum se turpiter infra creaturas abijciunt, quarum ut domini essent sunt creati. Hi immemores tam amplæ sortis, se ad cultum eorum deorum prosternunt, qui aures habent, & non audiunt: oculos, & non uident: pedes, & non ambulant. In quos scitè his uerbis propheta Esaias: Plantauit pinũ quam pluuia nutriuit, & facta est hominib. in focũ sumpsit ex ea, & calefactus est: & succendit, & coxit panes: de reliquo autem molitus est Deũ, et adorauit eum: fecit sculptile, & incuruatus est ante illud. Quantum aberrent à uero, qui simulacra indoctorũ hominum libros esse putant, facile ex hac lege intelligitur. Nam quomodo librorum uicem præbebunt imagines, ex quibus Dei cultum & res diuinas discamus, quas Esaias ut uanas, Aabacuc ut mendacia illudit? Si imagines tanquam libros requiris, quæ diuinæ sapientiæ & bonitatis admoneant, cur non potius mundum hunc tot admirabilium operum Dei paginis descriptum, spectandum imperitorũ hominum oculis proponis? De quo libro uates: Cœli enarrant gloriam Dei. Si simulacra quæ tibi Deum referant, petis, sanctos homines intuearc. horum si fidem, amorem Dei, benefacta imitari studueris, ex hoc præstanti libro Dei uoluntatem & didiceris, & præstiteris. Si omnino tibi Dei imago et similitudo quã colas, placet, occurrit inaspectabilis Dei imago de qua Apostolus: Qui est imago Dei inconspicui. Hanc si adoraueris, ex sententia Dei facies. de qua illud: Adorabunt eum omnes populi. Atq; hæc effigies liber ille est uitæ, ex quo uno diuinam uoluntatem, & eius arcana discere liceat pariter peritos & imperitos, doctos & indoctos, de quo legimus: Filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit.

Quia ego sum Dominus Deus.) non alij. Ratio ex pugnantibus, quam pugnam fides in rebus aduersis experitur.

Fortis zelotes.) אל Dei nomen. Deus impatiens riualis. Vehemens amor Dei in sponsam suam significatur, cum deos alienos riualibus, se uerò zelotypo & Israelitas sponsæ comparat.

Visitans iniquitatem patrum.] מחר pro uindicare ac ulcisci: uindicans culpam in liberos. Septuaginta ἀποδιδὸς. Dicas: Quid ergo faciemus illi apud Hieremiam prophetam, Vnusquisq; in iniquitate sua morietur: item, Filius non portabit iniquitatem patris sui? Obiectioni sic occurrunt: Si liberi imitati fuerint scelera parentum, in prone potes & abnepotes, prorogandam uindictam diuinam.

In millia.) Locus de clementiæ diuinæ magnitudine, quam maiorem hic cognoscimus quàm sit ira. persequi enim se dicit culpam parentum in tertiam & quartam usque progeniem, in millesimam autem stirpem clementia se uti erga seruantes suam legem.

Non assumes nomen Dei.] Tertia lex, nominis Dei memoriam debere sacrosanctam haberi. Violant autem nomen Dei primò qui deierant, falso adconfirmanda dicta sua Dei numine in testem adducto. Deinde qui eodem nomine ad incantationes, execrationes ac uanas præstigias, quibus humanas mẽtes ludificent, abutuntur. Quo genere sagæ, magi, incantatores continentur. Tertiò qui sub sacro nomine Christi & eius euangelij falsas doctrinas edunt, & satisfactiones, iusticiam, factorum merita sub prætextu ueræ religionis uenditant. Denum in hanc

legem delinquunt qui dicta & facta tum sua tum aliorũ temerè sine legitima ratione Dei nomini prætendentes corroborant. De quo abusu lex explicatur Matth. 5. Ne iuretis omnino. Legitimam autem rationem iurandi offert magistratus, pacta, fœdera, publicæ sanctiones tum sacræ tum profanæ. Exempla habes in Abrahamo, Christo, apostolis, contraria igitur ratio est eorum qui nomen Dei uerè adhibent, non in uanum.

Nec enim habebit insontem.] Non impunitum sinet. Legis transgressioni comminationem pœnæ adiungit, quò tripartitum legis munus melius intelligatur: quorum unum in docenda uoluntate Dei, quid fieri aut non fieri debeat, alterum in manifestando peccato, tertium in intentanda mulcta prætermissi officij cernitur.

Memento ut diem sabbati sanctifices.) Quarta lex. Sabbatum sanctè agunt primò, qui sibi, liberis, operis fessisq; iumentis quietem concedunt, qua uires reparent. quod ut faciamus, natura ipsa monemur. deinde qui Dei cultui, qui in precationibus, beneficiorum & operum Dei celebratione, eiusq; uerbi auscultatione, in consolatione miserorum uersatur, operam dant. Tertiò qui in uniuersis tum secundis tum aduersis rebus Dei uoluntati acquiescere studeant, ueteris hominis studia, consilia, opera deponentes, & noui suscipientes. In hac quiete ueritas, quæ nunquam aboletur, cuiusq; filius hominis dominus non est quam intermittat. Nam continetur prima de amore Dei lege. in externa autem obseruatione septimi diei, figura & umbra cernitur. Itaq; quantum ad hanc quietem attinet, interdũ hæc omitti potest, si uel nostra uel aliorum necessitas postulet. Exemplo apostoli sunt, Sabbato spicas ad famem depellendam uellentes. Exemplo Christus est, qui in sabbato sanauit ægrotos. Nam si externam in sabbato uacationem ab operibus spectes, nos ut sabbati domini simus, declarat illud: Filius hominis dominus sabbati est. Quò hoc Apostoli pertinet: Ne quis uos iudicet in diebus festis.

Iumentum tuum.] Naturæ præscripto etiam iumenta in hominum curam & dilectionem cadere, hac ordinem seruante, quem perfectionis rerum termini monstrauerint, Deo summum, alterum homine, tertium animantibus reliquis quoq; suum pro sua natura amoris gradum postulantibus. In qua dilectione ea iusticia uersatur de qua Salomon: Iustus iumentorum suorum curam habet. Atque hæc iusticia in hac de sabbatho lege mandatur, & uno spiritu Messiæ præstatur, qui ueri sabbathi autor & confector est.

Sex enim diebus fecit Deus cœlũ & terram.] Ratio sabbathi. Extare memoriam celebrem creationis mundi sex diebus conditi uoluit Deus. In sabbatho igitur per quietem reuoluenda est animo sapientia & potentia Dei, quæ in fabricatione mundi apparuit: circũferendus animus per cœlũ, maria, terras, animantia, stirpes: in his celebranda diuina ratio, confirmanda fides & tanta potentia, qua tot & tam præclara opera uerbo effecta sint. Decantandi in eam rem editi Psalmi, commendanda Dei bonitas, qua omnia hominum causa benignè generarit. Perpendenda primi hominis creatio, ad quas res sit conditus, eius casus, & qualis eius conditio à noxa facta. Cognoscendus Christus in operibus tam solerter sex diebus factis adumbratus, ad intelligendam eam legis partem quæ in ceremonijs uersatur, quas omnes ex iis rebus quæ in prima mollitione fabricatæ sunt, Moses descripsit. Christo autem perpenso in ipso sabbatho, animus intendendus erit ad uerum illud sabbathum quod celebrabitur ueteris mundi operibus confectis. De quo Iesaias: Erit sabbathum ex sabbatho. cõmendatur autem etiam celebratio sabbathi, quòd huius sanctificatio in paradiso mandata sit.

Honora patrem tuum &c.] Quinta lex. Primæ tabulæ quatuor leges, de Dei cultu scriptæ sunt, reliquæ leges ad homines, quõ hi in communi uitæ ratione sese gerant, pertinẽt. Sed in his suos gradus agnoscere dicet. Deo proximi parentes sunt, quos ipse obseruandos à liberis præcipit. In numero autem parentum comprehenduntur, tutores, magistratus, doctores literarũ, prophetæ & apostoli, senectus prudentia et sapiẽtia ualẽtes, de quib. illud, Honora præsentiã senis. Habetur aũt parentibus suus honor, cum agnoscimus nos ex eis genitos, & eos à Deo nobis datos qui nos regant & gubernent: & eos quibus parentamus, dignos censemus: nostramq; uicissim operam, si qua in re ea opus habent, grati et memores præstamus. Tria igitur hac lege comprobantur: imperium eorum qui præsunt, obedientia eorum qui parent. tertiũ gratitudo est, in qua partim auxilia ac onera nobis imposita, partim spontanea studia nostra cernuntur. Nam ut hæc commendentur, pœna in immorigeros & ingratos constituta, de qua suis locis disseretur, confirmat. Cum bipartita sit societas, una domestica, altera ciuilis, utraq; formatur hic suis legibus. In domestica tripartita coniunctio spectatur: una, qua maritus cum uxore coniungitur, quæ confirmatur hac lege: Ne adulterato. Altera, quæ intercedit inter dominos & operas. Tertia patria est, qua parentes cum liberis copulantur. de qua conseruanda lex primò sancitur, Honora parentes tuos. Ciuilem autem societatem tuetur tum hæc quæ iam dicta est, tum reliquæ sacratæ leges: Ne hominem occidito, ne furator, falsum testimonium contra alterum ne dicito. Quapropter ut societas ac coniunctio uitæ secundum naturam est, ita leges quæ hanc tuentur & sanciunt secundum naturam maximè erunt. Societatem hominum inter ipsos tum domesticam tum ciuilem esse naturæ cõsentaneam, declarat procreatio maris & fœminæ in communionem corporis, utæ et studiorum: comprobant extructæ ciuitates & reliqua humana intelligentia & sermone prædita, & ita apta ad colendam societatem. & maximè lex hæc la, Ames proximum tuum ut alterum te, coniunctionem

nem ac uitæ communionem hominum inter se esse secundum naturam ostendit. Ad has igitur leges Decalogi, omnes quæcunque extant leges humanæ, omnia dicta & sententiæ sapientum, omnium rerumpublicarum constitutiones, tanquam ad certam normam dirigendæ sunt: quæ si illis respondebunt, æquæ & iustæ habendæ erunt: sin minus, iniquæ & iniustæ. Sic probamus regiam potestatem, in qua reges parentum more suos gubernant: improbamus tyrannidem quæ has leges, Ne occidito, ne adulterator, ne furator, curæ non habeat, pro libidine omnia scelera exercens. Eadem ratione de optimatum rectione & paucorum dominatu, & temperata republica, de plebeia item ac populari gubernatione ex Decalogo iudicamus.

Vt sis longæuus supra terram.] Promissio addita seruatæ legi, sed præsentis seculi. futuræ uitæ promissiones etiam hic locũ habent si fide honorentur parentes. Stat enim illud: Pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissiones uitæ præsentis & futuræ habeat. Aientes leges præmia, negantes minas continent.

Non occides.) Sexta lex, quæ quoq; negans est, sed nata ex hac affirmatione: Diligas proximum tuum, ut alterum te. Ratio legis petenda ex Genesi: Ad imaginem quippe Dei factus est homo. Quoniam generis & originis diuinæ est homo, qui hunc oderit, Deum oderit: contrà qui amarit, Deum amarit. Ideo Ioannes: Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Prohibentur igitur hac lege, interprete Christo, odia, ulciscendi studia, iniuria, conuicia. Vt si quis dixerit, fatue, fratri suo, obnoxius erit gehennæ incendio. item: Quisquis irascitur fratri suo temerè, obnoxius erit iudicio. Postremò, prohibetur ipsum externum homicidium ex odio natum. Itaque neue animo, neue ore, neue manu alter nocandus est. Ex contrariorum autem comparatione dilectio, beneficentia, mansuetudo uindicandi innocentes à ui improborum studium, præcipiuntur. Dicas: Si occidendum non est, quid ergo faciet magistratus? Duplex persona perpenditur: altera priuati hominis, altera publici. Lex, Ne occidito, priuatum hominem attingit, non publicum, qui magistratu fungitur. de quo suprà in Genesi: Quicunque effuderit humanum sanguinem in terra, fundetur per hominem sanguis illius. item: Dei minister est, ultor ad iram ei qui quod malũ est, fecerit. Sic nec ministri uerbi Dei hac lege tenentur, cum suos acriter redarguunt, eos condemnantes, nisi ad se redeant, qui Dei, non suam personam gerant in seuerè reprehendendò.

Non mœchaberis.) Septima lex, cuius ratio altiùs repetita in Genesi exponitur, ubi masculũ & fœminam creatos legimus, qui societatem coniugalem, in generandis liberis & eis educandis fidem conseruent. Latissimè patet hæc lex, Ne adulterato. Primò cauet alienam expetendam non esse, ut Christus his uerbis interpretatur: At ego dico uobis, quòd quicunque aspexerit uxorem alterius ad concupiscendam eam, iam adulterium commisit in corde suo. Secundò hac lege omnia quæ declarant animi libidinem, ut est turpior sermo, mollior incessus, uultus procacior, habitus delicatior ad irritandam libidinem cõpositus prohibentur. Tertiò ipsum adulterium, mollities, fornicatio. de quibus Apostolus: Neque fornicatores, neque adulteri, neque molles, regni Dei hæreditatem accipient. Huc afferenda sunt exempla quæ grauissimè punitas fœdas libidines docent. Sic turpis Caina soboles diluuio perijt. Sodoma igni cœlesti ob promiscua stupra deleta. Beniaminẽsis tribus propter uitium allatum uxori Leuitæ propemodum extincta. Sichemitæ miserè perditi ob Dinam uiolatam. Externa exempla præterco, quibus historiæ plenæ sunt, quæ admoneant nos uiolationem legis huius, Ne adulterato, Deo inuisam esse. Itaque Apostolus: Propter hæc enim uenire solet ira in filios inobedientes. Postremò aduersus hanc legem delinquunt qui matrimonia prohibent. quo scelere tenetur Antichristus, filius ille perditus, qui contrà hoc præceptum peccans, naturalem quantum in ipso est maris & fœminæ coniunctionem tollit. Ex contrario commendatur continentia, sobrietas, pudicitia, castitas, coniugium, in quo prima societas est humani generis: quod ut integrum tueamur, admonuerit nos coniugium Christi & Ecclesiæ, cuius fides inuiolabilis custoditur. Si enim diuina lex prohibet adulteria, ad hæc cauenda par fuerit quemq; suam uxorem habere, ut Paulus dicit: Vnusquisque suam habeat.

Non furtum facies.) Octaua lex. Latius patet hic furti nomen quàm apud iurisconsultos. Nam rapinæ, usura, uiolata in contrahendis rebus fides, iniustitia qua suum cuiq; nõ tribuitur, ipsaq; etiam cupiditas quæ res alienæ expetũtur, furti nomine comprehenduntur, interprete Christo, & lege illa: Ne concupiscito res alterius. Quare hoc præcepto rerum propriarum usus, quo quisque suis fruatur, & sua sorte contentus sit, abstinens ab alieno, confirmatur. de quo usu Salomon: Bibe aquam ex cisterna tua, & fluenta putei tui. Stabiliuntur item dominia, & rerum diuisiones tanquam iuri diuino & naturæ consentanea, ut tranquilla familiarum & imperiorum mundi gubernatio retineatur, & confusio perturbatioq; deuitetur. Discimus hic iustitiæ primum munus esse, ne quis alteri noceat: alterum, ut communibus pro communibus utamur, priuatis pro priuatis. Atqui quæ ante contractam noxam natura communia erant, post illam priuata facta sunt aut ueteri occupatione, ut qui quondam in uacua uenerũt: aut uictoria, ut qui bello potiti sunt: aut lege, aut pactione, conditione, sorte. Ex contrario si rerum alienarum compilatio prohibetur, nobis liberalitas, iustitia, gratitudo, fides in rebus contrahendis ad tuendam societatem tum domesticam, tum ciuilem commendabitur. Nec desunt pœnæ quæ transgressó-

gressoribus intentatur. Iesa. Væ prædanti, quia ueiſſim ſpoliaberis. Hinc illud uulgò iactatur: Malè parta malè dilabuntur. Contrà præmia propoſita ſunt iuſticiam exercentibus. de quibus illud in Deuteronomio: Pondus iuſtum habeat, ut longo tempore uiuat. Commendantur poſtremò labores à noxa primorum parentum nobis impoſiti, quibus præſidia uitæ & neceſſaria ad uictum paremus. Damnatur igitur ignauum ocium, in quo furtiì crimine ſe aſtringunt inertes homines, alienis opibus inhiantes, cum ſuis laboribus uitam tolerare & poſſent, & deberent. Cui culpæ obnoxium eſt genus illud malè feriatorum hominum, qui cum dicunt ſe uendere omnia, aliena ſceleratè occupant: & aduerſi diuinæ legi neq; œconomicam, neq; politicam, neq; eccleſiaſticam ſocietatem colunt. Ab œconomia enim abhorrent qui connubia aſpernentur, & ea uetent contrahi: ciuilem fugiunt qui rerump. legibus teneri nolint, reges principes & magiſtratus ſibi ſubijcientes. Eccleſiaſticæ ſocietatis ſe hoſtes declarãt, quod Euangelium Chriſti, quo una eccleſia coaleſcit, nec docent, nec doceri patiuntur. Vtranq; igitur tabulam Decalogi reijciunt. Nam Deum unum in filio eius non colunt, & ab humani generis dilectione abhorrent. Atq; in hoc capitali iniuſticia ſe alligant, quòd cum falſæ religionis ſpecie fallunt, id agunt ut uiri boni uideantur.

Non dicas falſum teſtimonium.) Nona lex, qua prohibentur ipſa falſa ad ſubuertendos innocentes teſtimonia, calumnia, mendacia, falſus rumor. Grauitatem falſorum teſtimoniorum declarat aduerſa his ueritas & fides, quæ hic nobis ex contraria affirmante lege præcipitur, qua omnia pacta, fœdera, contractus confirmantur. Hac lege cauetur in uniuerſum, ne quis ullo pacto linguæ petulantia noceat, quæ ſit nobis à Deo data, qua eius nomen amplificemus, & hominibus proſimus ad tuendam inter ipſos uitæ coniunctionem & ſocietatã. Quod munus ut obiret lingua, & ſe à lædendo altero contineret, diuina ratione hæc dentibus & labijs tanquam ſepto & muro uallata eſt. præſentes tanquam arbitros & inſpectores oculos & aures habens, ut indicta & nõ prius diligenter percepta cauſſa temerè nihil pronunciemus, & oculis perluſtremus, cum quibus & qua de re, quoq; loco & tempore ſermo habeatur.

Non concupiſces domum proximi tui.) Poſtrema lex explicat ſuperiores, cum docet nõ ſolum externas actiones malas, ſed etiam animi uitioſas cupiditates, id eſt propenſionem illam ad malum quæ in natura deprauata reſidet, prohiberi & damnari, quam Paulus concupiſcentiam appellat, reſpiciens ad hanc legem: Ne concupiſcito. Atq; eandem ἐπιθυμίαν inimicitiam aduerſus Deum uocat, quæ Dei legi ſubijci, id eſt conſentire nequeat. Eſt enim illa corruptæ naturæ uitioſa affectio uoluntati diuinæ aduerſa, quæ aliàs lex corporis peccati dicitur: cui contraria eſt fides, ſpiritus Chriſti, lex mentis noua, ut contrarius eſt nouus & cœleſtis homo ueteri homini ac terreno. Itaq; ſi lex Decalogi accuſat & damnat concupiſcentiam ac inclinationem illam ad uitioſe cupiendum, efficitur magnum eſſe errorem eorum qui originis uitium capitale & exitiale eſſe negant. Hæc enim lex uetat: Ne concupiſcito. Aduerſa igitur eſt & cõcupiſcẽtia legi diuinæ, et ea ratione pernicioſæ & peſtiferæ labis fuerit. Aequè inſanũt qui docẽt legi noſtris uiribus ſatisfieri poſſe, quum hæc propenſionem ad mala prohibeat, quam nemo dum uiuit, deponat, & perfectam obedientiam qua uoluntati diuinæ per amorem pareamus, requirat. Hunc autem amorem, hanc obedientiam nemo, circumferens ſecum ueterem hominem & terrenum, præſtiterit. Hinc Ioãnes: Si dixerimus peccatum nos non habere, nos ipſos fallimus, & ueritas in nobis non eſt. Nam quamuis tot ſignis Deus declaret quid uelit, ac requirat, quid deſideret, obſurdeſcimus tamen, nec ea quæ eius lege monemur, obtẽperamus. Dicas: Si lex præſtari à nobis nõ poteſt, cur igitur ſancitur? iniquus ſit legislator, qui legem ponat quam nemo poſſit exequi. Obiectioni ſic occurritur. Duplex homo eſt, unus uetus & terrenus, alter nouus & cœleſtis. Si ueterem ſpectes, ab hoc lex minimè perficitur: nec qui Dei aduerſarius eſt, eam perficere poteſt, ſed à lege potius accuſatur & damnatur: nec huic ponitur à Deo lex quam ſuis uiribus præſtet, ſed potius qua cognoſcat ſuum uitium: & agnito uitio medicinam quam morbo faciat, exquirat: et ea reperta in filio, amplificet clementiã diuinam, ſe ijciatorãs cũ uate: Miſerere mei Deus ꝑ magna clemẽtia tua. ſin nouũ hominẽ cõſideras, in hoc legi reſpondemus & ſatisfacimus, idq; duplici ratione. una eſt, quia iræ diuinæ Chriſtum ſatisfacientem legi, cuius iuſticia noſtra iuſticia ſit, opponimus per fidem: altera qua accipimus ſpiritum illius per quem in intimo homine Deum amare, & eius uoluntati obedire incipimus, dum abolito uetere homine amor illius abſoluatur. Vt igitur perficiatur lex Moſaica, ueteris hominis uires non contemantur, ſed noui. & ea lex de qua Dominus apud Hieremiã prophetam: Poſt illos dies, dicit Dominus, dabo legem in uiſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, qua una peccatum deleatur, legis damnans ius antiquetur, mors aboleatur. Nam hæc lex non in ſaxo ac ſilice, ſed in carneis tabulis ſcribitur. De quibus his uerbis meminit Exechiel: Et auferam cor lapideum de carne noſtra, & dabo uobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio ueſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis. Quod ergo non præſtat lex Moſaica, id eſt uis naturæ prælucente lege naturali, præſtat ſpiritus ſacer Chriſti prælucente luce fidei. Quæ lux de cœlo inacceſſa luce claro ſplendet, ſuperans ita naturæ lucem, ut hæc ad illam mera caligo ſit & tenebræ. Itaq; apoſtolus legẽ cum ſpiritu Chriſti conferens à facultate, in epiſtola ad Romanos ita diſſerit: Etenim quod lex præſtare non poterat, ea parte qua imbecillis erat per carnem. hoc

Deus

Deus proprio filio missso sub specie carnis peccato ob noxiæ præstitit, ac de peccato cõdemnauit peccatũ per carnẽ, ut iustificatio legis impleretur in nobis, q̃ non secundum carnem uersamur, sed secundum spiritum. Proinde in tractanda lege hæc perpendunutur. primò, ratio & consilium legis tradendæ in monte Sina: deinde, uitio primorum parentum depraua natura propagatæ ab illis sobolis, quam lex Mosaica officij sui admonet, quod non præstat, nec potest dum in uitio manet, præstare. demum Messias occurrit benedictus, ad quem natura per legem accusantem & damnantem depressa, sub gratia electionis diuinæ manuducatur, in quo spiritum sanctum legem illã nõ de Sina monte sed de Sione monte pleno gratia & ueritate promulgatam inueniat. Qui uiuificans lex spiritus sanctus præstat quod lex Mosaica requirit, & non præstat. Hæc summa est Mosæ & Christi, saxearum tabularum & carnearum, literæ & spiritus, legis & Euangelij, ueteris & nouæ fœderis. Hæc de Decalogo, cuius capita ac summam hoc modo perstringere licet. Legũ quas Decalogus continet, duplex genus est: unum præcepta quæ ad Dei cultum, alterum quæ ad hominum inter ipsos tuendam amicitiam pertinet, complectitur. Primi generis mandata quatuor sunt. duo priora in Deum integram fidẽ & amorem requirunt. tertium fidei et amoris Dei testificationem, quæ in solenni nominis diuini confessione uersatur, postulat. de qua Apostolus: Ore fit confessio ad salutem. Contraria sanctificationi nominis Dei negans lex prohibet: Nomen Dei temere & inaniter ne usurpato. Quarta lex sabbathum sanctè agendum mandat, & profanationem eius fieri uetat. quæ profanatio quoties contingat, suprà expositum est. Alterum legum genus homines attingit, quibus ut inter nos diligamus docemur. Et quia proximè ad diuinam naturam accedimus, et ad parem dignitatem fruendæ illius in filio unigena adoptati sumus, admonemur ut nihilo minus quisq; se quàm alterum amet. At ut beneuolentia mandatur, ita quæ beneuolentiæ & mutuo amori contraria sunt prohibeantur, cuiusmodi est odium & cupiditas rerum alienarum, & ea quæ maleuolentiam & ipsam expetitionem rerum alienarum consequuntur facinora: ut sunt adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia. Nam ut in arboribus duas res consideramus, radicem & fructus: ita lex expendit in ijs quibus ponitur, duo: unum, fons ac origo bonorũ aut malorum studiorum est: alterum, facinora ex fonte malo aut bono manantia. Fons benefactorum fides per charitatem agens est, qua unum Deum agnoscimus, et charitate ex ea fluẽte amamus præ omnibus, & amore eius ad homines ut diuinæ originis diligendos ferimur. Fons uerò malefactorum perfidia est, qua unum Deum non ueneramur: & contempto eo; homines quoq; contemnimus, quos ut alteros nos amandos esse, natura ipsa admonet. Origo & fons bonorum, qui Dei amor est, prima lege requiritur, malorum fons ultima prohibetur: Ne concupiscito. Intermedia præcepta partim luem cupiditatum prauarũ, partim ipsa mala facinora uetant. At in his legibus suum ordinem quem tenent, cernere licet. Primæ tabulæ leges moderantur: ipsas tabulæ secundæ leges. Nã honor parentum & magistratuum regitur amore Dei. Incidunt enim tempora quibus posthabita illorum obseruatione Deum sequimur. Sic prophetæ neglectis regibus, & apostoli posthabitis principibus, Deũ & filiũ eius Christũ amore prosecuti sunt. Israelitæ Pharaonis, cuius imperio subditi erant, mandatis contemptis, Mosæ tanquam Dei legato obtemperarunt. Lex est, Ne occidito. at freti Israelitæ primæ tabulæ præcepto, fratres suos interemisse leguntur. De qua re mox. Coniugia sanctè habenda esse, & quenq; suam ad uitanda stupra uxorẽ habere lex, Ne adulterato, monet. At primi generis lege iubemur interdũ uxores & liberos deserere. Similiter Israelitæ spolia rũt Aegyptios, præcepto, Ne furator, nequaquã obnoxij: quo etiã quamuis præcipiatur quemq; debere suum possidere, & per domesticam prudentiam parta ne temerè dilabantur tueri: tamen lex de amando Deo sæpe offert tempora deserendi nostra, & sequẽdi hanc legem Christi, quæ primæ tabulæ lex est: Si uis perfectus esse, uade et uẽde quæ habes, & da pauperibus. Item: Omnis qui reliquerit domũ aut fratres &c. Itaq; primi ordinis leges eas quæ sunt secundæ tabulæ regunt ac gubernant. Quod attinet ad comparationem præstantiæ, præcepta alia alijs antecellere manifestum est. Antecellunt enim primæ tabulæ mandata ijs quæ secunda continentur. ut enim præstantior Deus hominibus est, ita leges quæ diuinum numen colendum esse docent, præstantiores sunt legibus, quæ ut homines diligantur inter se præscribunt: & ex comparatione contrariorum, non paris malitiæ sunt ea quæ in leges admittuntur flagitia. Etenim grauius crimen est contemptus Dei, quàm hominum, homicidium quàm adulterium, hoc quàm furtum. Hactenus de summa & capitibus Decalogi.

Videbat uoces & tonitrua.] קוֹלוֹת וְלַפִּידִים tonitrua & fulgetra. Naturæ ordinem in narrando non obseruant sacræ literæ. præcedunt enim fulgetra ipsa tonitrua, quorum prior fit mentio. Leguntur hic uidisse fragores qui audiuntur, non uidentur. Itaque uidere pro sensit ac percepit accipitur. Porrò quia sensus cõiuncti sunt in communi sensu, accidit interdum ut alius pro alio accipiatur.

Loquere tu nobis.] ut arbiter ac sequẽster inter nos & Deum. Atq; id ipsum est quod dicit Apostolus: Lex ordinata per angelos in manu interpretis. & in Deuteronomio ipse Moses: Sequester fui inter uos & ipsum Deum.

Ne moriamur.] Vis legis ostenditur, de qua illud: Lex occidit. Redditur in Deuteronomio ratio his uerbis: Quid enim est omnis caro ut audiat uocem Dei uiuentis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audiuimus, & possit uiuere?

Vt probaret uos.] נסות in Heb. quod tẽtare est. Lege igitur tentat nos Deus, cum per illam ostendit nobis, quales simus amantes ne an odientes.

Et ut terror illius.] Ad metuendum numen Dei posita lex, qui metus, si absit Christus, degener est, & seruilis: sin uerò adsit, liberalis & ingenuus. De utraq; ui Apostolus his uerbis: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritũ adoptionis per quẽ clamamus abba pater.

Ne peccetis.] Proprium opus legis ostenditur, quod est docere uoluntatem diuinam, qua imperantur honesta, prohibentur contraria. Alterum uerò opus legis occidere est, reum noxæ agere & condemnare. Des integrã naturam, lex eam non terruerit, sed oblectarit: non iratum Deum ostenderit, sed placatum. Itaque Apostolus: Et repertum est mandatum quod institutum erat ad uitam, mihi cedere ad mortem. Nam peccatum occasione arrepta per præceptum decepit me, & per illud occidit. Item: Scimus quod lex spiritualis est, at ego carnalis uenditus sum sub peccatum. id est, admonet quidem lex ut sanctè uiuam, & non peccem: sed legis admonitionem uincit uis peccati aduersus Deum grassantis, in cuius iure tantisper sumus, dum liberet nos is qui fortior peccato est, morte & lege, Christus Iesus, in carneis tabulis legem uitæ scribens. de qua illud: Nam lex spiritus uitæ per Christum Iesum liberum me reddidit à iure peccati & mortis. Ex his liquet quid interfit inter legem Mosaicam, & legem spiritus Messiæ. Altera naturæ lex est animis nostris in ortu eorum innata: altera conditam naturam superãs lex, ut quæ creatura non sit, sed spiritus ipse sanctus nos ad iusticiam & uitam Dei regenerans. Vnde altera lex in saxo & lapideis tabulis, altera in carneis & cera scribi dicitur: altera naturam sibi relinquere non mutatam, altera eam mutare: altera uiuificare, & uerè sanguinis Christi merito iustificare, altera occidere, & peccatum augere: altera liberare iure peccati. altera lex spiritum seruilem ad degenerem metum, altera spiritũ adoptionis, qui filiorũ & hæredum Dei proprius est, continet. Altera lege colitur Deus per hypocrisim metu pœnæ & spe præmiorũ, altera in ueritate liberali amore uacuo metu seruili & respectu mercedis Deus adoratur, hoc est amatur ut amati sumus, dũ eo amore amatur, quo ipsi amamur, de quo Ioãnes: Deus charitas est, qui manet charitate, in Deo manet. Is sicut amat suos ut pater, ita sui amant eum ut filij. Hunc uerum amorem ut lex Mosaica requirit, & non præstat ita eum lex spiritus ultro donat de plenitudine capitis Christi, de cuius copia & affluentia omnes uitam, iusticiam, sapientiam, gloriam accipimus: ut à Mose iram, mortem, damnationem, auctus & incrementa peccati accipimus. Sed de his suprà fusius in Genesi.

Dixitq; Dominus ad Mosem.] Iam populo reuerso in tentoria sua, ut infrà in Deuteronomio legimus: Vade ergo, & dic eis: Reuertimini in tentoria uestra, tu uerò hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea.

Vos uidistis quod de cœlo.] ad leges meas & autoritatẽ Mosaici ministerij confirmandam: quo cõfirmato, corroborãtur etiam oracula prophetarum, & ipsa doctrina demum Euangelij. Itaque Christus: Legem & prophetas habent. Item: Scrutamini scripturas, hæ sunt quæ testificantur de me.

Deos argenteos.) in quos uos ius habetis ut domini omnium.

In omni loco in quo memoria fuerit nominis mei.] Hebræus textus indicat, non quemuis locum aptum fore celebrando colendoq; Deo, sed eũ quem Dominus delegerit. Sic enim legitur במקום אשר אבחר את שמי. De quo uide in Deut. cap. 11.

Altare de terra facietis mihi.) Submoto mystico uelo, ara Christus extructa de terra est, cuius meminit Apostolus his uerbis: Misso sub specie carnis peccato obnoxiæ. Quæ autem uictimæ super hoc altare offerantur, ex epistola ad Romanos & prophetis non est obscurum.

Quod si altare lapideum.] Huiusmodi extructũ legimus, ut Israelitæ ingressi sunt in Chananæam Deuteronomij 27. et lapidis arcana nota ignota non est ex uate Dauide. Quòd respuuntur lapides politi quadratiue, propheta rationem indicat his uerbis: Non est species ei, neque decor ei. Neq; mirum quod ferrum recusatur. Quid enim durissimo ferro cum ara placando numini diuino destinata commune fuerit? sicut nec in fabricatione domus Salomonis in qua pax regnauit, ferri & mallei strepitus audiens fuit. Postremò quod ne pudenda apparerent gradus prohibiti sunt fieri, per quos ad aram ascenderetur. Cõsilium eius rei exponitur in Psalmo: Dominus humilia respicit. Et apud prophetam: Humiles spiritu seruabit. In his enim solis obscœnitas peccatorum tegitur, quæ in superbis detegitur. Hinc illud: Beati quorum tecta sunt peccata. Notum etiam illud: Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.

IN CAPVT XXI.

HAec sunt iudicia.) Decalogo, ex quo tanquã ex fonte omnia iura manant, descripto, alterum genus legum quæ ciuilia iura continent, exponit. Fluere autem ciuile ius ex naturali, quo omnis societas humanæ uitæ cõtinetur, eius usus longè latèq; patens declarat, quo nulla ciuitas, nulla respublica, nulla communio uitæ post contractam à primo Adamo culpam uacare potest. Sublato enim æquabili in contrahendo, uendendo, emendo, conducendo, locando iure, sublata præmiorum quibus boni ornentur, & suppliciorum quibus criminosi afficiantur, qua distributione, societatem quoq; humanæ uitæ è medio tolli necesse est. Hoc igitur ius è naturali quod docet cuique suum tribuendum esse, exortum post conflatam à primis genitoribus culpam in posteris eorum tantisper manet, dum homines in hoc mi-

do erant, neque prius desinet quàm mundus is uetus exoleuerit, nouo condito atq; instaurato. Ex quo communi iure, in quod omnes nationes consentiunt, ciuile hoc quod Moses suis Israelitis tradit haustum est, & in literas ac tabulas relatum: quod ut naturali iuri consentaneũ sit, suis locis indicabitur. Verè igitur sapientes homines iudicant naturæ leges quæ Decalogo comprehendantur, non opinione, sed natura cõstare: ad eas nos non doctos, sed factos: non institutos, sed imbutos esse: atque ex eis omnia cætera iura tanquam ex perenni fonte dimanare, ut quæ ex diuina mente originem suam ducant, quæq; ad eam tãquam ad rerum omnium principem naturam expressæ sint. Quæ princeps natura summa illa & suprema lex est, longè lateq; in uniuersitatem hanc rerum amore & prouidentia se diffundens, sine qua nec domus ulla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum uniuersum genus, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus stare cum posit, in hominis ut ad sui imaginem efficti animo de sua mente has leges Deus inscripsit, ex quibus disceret quid & Deo suo genitori, & quid homini secundum Deum præstantissimo operi, quidq; cæteris infra se naturis ad decus iuris & æquitatis in hac communi iuta tuendũ. & ad hominum inter ipsos coniunctionem conseruandam tribueret. Cæterùm quoniam instituti nostri est, breuiter uelle Mosem explicare, coptosam tractationẽ harum forensium & ciuilium legum iurisperitis, ex quorum scriptiombus multa hic posse afferri non ignoramus quæ hoc argumentum non parum illustrent, relinquimus.

Si emeris seruum Hebræum.] Lex de seruitute ponitur, cuius recens memoria apud Hebræos ex Aegyptia nuper seruitute in libertatem asseros, extabat. Sed roget aliquis hic, án ne seruitus, id est ea uitæ conditio, in qua qui uersantur, sui iuris non sunt, sed alteni, cum iure naturali congruat, atque id ferat, ut quæ quis comparat, alteri comparet, quorum nec dominus sit, nec hæres? Quæstioni in hunc modum occurritur. Duplex status est humani generis, alter integer, alter corruptus. Integer innocentia atque originis iustitia primorum parentum continebatur, corruptus rebellionis crimine eorundem exortus est. Si igitur integrum statum spectes, seruitus nullum locum habitura fuisset in homine qui diuina sententia dominus omnium constitutus fuerat: sin corruptum, in hoc libertati contraria cernuntur, quem uariæ calamitates, morbi, exilia, captiuitates, seruitus, & mors ipsa, consecuta sunt Dei æquo iudicio, quo probitas præmijs iure ornatur, improbitas punitur. Itaque si priorem Adami statum consideres, naturale ius seruilem conditionem non tolerasset: sin posteriorem, tolerat. Etenim ius quod natura sancit, tam plectendam improbitatem, quàm remunerandam probitatem statuit. Hinc hæc sententia in Chanaanem lata legitur: Seruus seruorum erit Chanaan. & de Esao: Maior seruiet minori. Quæ igitur de seruitute dicuntur, quomodo naturali iuri & consentanea & dissentanea sit, facile quæ uidentur hic inter se pugnare, componentur, si quoties aliquid cum naturali iure aut consentiat, aut dissentiat, perpendatur. Sunt quæ per se omnino & simpliciter cum illo congruunt. in horum numero probitas, libertas, dominatus & commodus rerum status numerantur. Porrò ius naturæ sese ad summam illam & principem naturam comparat, quæ ab initio libertatem & imperium in omnia instituit, non seruitutem. Nota siquidem est illa sententia pro Adamo lata, cum adhuc innocentiam suam tueretur: Dominamini piscibus maris, uolucribus cœli, & uniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Nam Deo conditori non mala sed bona: non res aduersæ, sed prosperæ: non exilia, supplicia, seruilisq; & obnoxia uitæ conditio sed salus, uita, libertas per se placent. Veluti is ipse de se prædicat apud Ezechielem uatem: Nolo mortem eius qui deliquit, sed potius ut ad se redeat, & uiuat. Altero modo naturali iuri quædam consentanea dicuntur esse non per se, & omnino, sed cum adiunctione & certa cum caussa posita: qua deposita, consentanea non forent, ut cum quædam probantur naturali legi tanquam pœnæ quibus ad conseruandum incolumem reip. statum sontium delicta puniuntur. Qui incolumis status ut est secundum naturam, ita mulctæ atque supplicia quoq; secundum naturam erunt quadam ex parte, quibus nimirum nisi improbi coherceretur, resp. salutem suam defendere nequaquam possent. Hoc modo quæ iure gentium sancita sunt & lege Mosaica comprobantur, à Decalogo & iure naturali quod Decalogo continetur, non discrepant, ex cuius fontibus ut omnis æquitas et probitas fluit: ita etiam pœnæ quæ improbis ad conseruandam iusticiã & uitæ ciuilis coniunctionem irrogantur, ex eidem illis fontibus dimanant. Dicas, si culpa originis in humanum genus seruitutem inuexit, quæ non naturæ, sed crimini imposita fuit, cur igitur nõ omnes cum pariter originis uitio ac morbo laboremus seruituti addicti sumus? cur alij & sæpe deteriores libero iure, alij mancipati miserè in seruitute utam degunt? Si naturæ uitiatæ legem spectes, hac omnes obnoxij sumus seruituti, nemo libertate dignus. Quare si qui post cõstatum à primis parentibus inobedientiæ crimen liberi sunt, hanc suam libertatem benignitati diuinæ tribuant, nõ naturæ quæ depraua ta sit: dignitati. Sin uerò serui, suam seruilem uitæ conditionẽ ueteris naturæ noxæ ascribãt. Ex his patet, in hoc altero corrupto uidelicet humani generis statu duo põderari: alterũ depauatæ naturæ per peccatũ lex est, alterũ bonitas Dei. Quod ad naturã labefactã pertinet, pari iure miseri & calamitosi omnes debebamus esse: quod uerò ad bonitatẽ diuinã, discrimen nõ paruum ad cognoscendum se offert. Etenim sicut clementiæ diuinæ beneficio accidit, ut totum mentis lumen natiuum extinctum non sit, sed eius ad bonum & malum, ad uerum & falsum dignoscendum, pro tuenda hominum inter ipsos uitæ coniunctione, semina relicta sint:

sint: ita etiam in statu uitiatæ naturæ libertatis ciuilis cum dominatu eadem benignitate Dei reliquiæ atque uestigia remanserint, ut constaret inter homines societatis, ad quam natura homo aptus est, tuendæ ratio. Hinc ueteres diuina ratione comparatum esse dixerunt, ut ij qui prudentia & consilio ualent, ijs qui non perinde animi iudicio pollent, præsint. ueluti Græcus uates iure Barbaris Græcos imperare, hos uerò imperio parere confirmat.

βαρβάρων δ' ἑλλήνας εἰκὸς ἄρχειν, ἀλλ' ὁ βαρβάρος μήτοι ἐλεύθερον. τὸ μὲν γὰρ δοῦλον, οἱ δ' ἐλεύθεροι.

Quò spectans sacra lingua, reges à consulendi facultate qua præstant, aut præstare debent, בעלים & à beneficiendi beneq; merendi de alijs studio גדיבים appellat. Hinc colligimus primum Adamum cum posteris à contracta culpa, non omnes naturæ dotes, siue quæ in fortunis, siue quæ in corpore, siue quæ in animo cernuntur, cum originis iustitia perdidisse. Nam in corporibus sua agilitas, proceritas, ualetudo, pulchritudo, & quoddam robur quamuis debilitatum: in fortunis opes & res ad uictum commodæ: in animis intelligendi uis, & morales quæ lege naturali constant, uirtutes, ut sunt prudentia, fortitudo, iustitia, temperantia, liberali prolixaq; benignitate Dei relictæ sunt, qui per uitiatam naturam omnes perieramus, morti & iræ diuinæ deuoti. Quapropter si quis maiore mentis luce ornatus sit, si quis firmiore corporis ualetudine utatur, si opib. præstet, si longiore uita fruatur, si liber sit, non seruus, bonitati Dei id munus acceptum referat, se uerò per uitiosam naturam dignum contrarijs malis existimet. Hinc nata est hæc ad liberos homines & dominos exhortatio: Vos domini ex iustitia & æquo iure eũ seruis agite, scientes uos quoque dominum habere in cœlis. & de seruis idem Apostolus: Si seruus uocatus es, ne curato, agnoscens & hanc uitæ conditionẽ in crucis statu placere Deo, quam ne filius quidem huius recusarit, qui sumpta serui forma, sese infra omnia demiserit. Et cogitare debet seruus, se quidem ciuili seruitute seruum esse, sed sacra libertate liberum inter filios Dei, & dominos huius uniuersitatis numeratum. Hoc autem quomodo accipiendum sit, utraq; libertas & contraria ei seruitus definienda fuerit. Est porrò ciuilis libertas uiuendi ut uelis recta, hoc est legibus reipublicæ bene institutæ consentanea & tuta potestas, qua liceat secura tranquillitate uiuere, hoc est liberum uitæ corporum & fortunarum usum habere. Contraria conditio seruitus est. Hæc quidem libertas in rectis rebuspublicis ut est regnum, optimatum imperium, et ea respublica quæ cõmuni nomine dicitur respublica cernitur. In quib. magistratus nõ pro libidine sua, sed θεοφιλῶς καὶ φιλανθρώπως, hoc est amore Dei & hominum studio rempublicam moderatur, eam cãdem curans diligentia & fide qua rem priuatam. A quo etiam ratio initur, ut cuique pro sua uirtute & dignitate honos habeatur, ut cuiusq; uirtus minimè lateat. Quod in uitiosis rebuspublicis, qualis est tyrannis, paucorũ dominatus, uulgi imperiũ ex libidine unius imperantis, minimè contingit. Itaq; iurisconsultus libertatem ciuilem definiens, dicunt eam naturalem facultatem esse eius quod cuique facere libet, nisi quid ui aut iure prohibetur. Vbi cum iuris nomine rum, libidinem & licentiam, qua quid contra iusrum libertatem minimè esse uolunt. Neq; uerè cum libertatem tutam potestatem esse dicimus, omnem uiexcludimus. Maior enim uis excipitur, de qua iurisconsultus loquitur his uerbis: Nisi si quid ui maior uidelicet prohibetur. Contraria conditio seruitutis ea, quæ ut uelis secundum naturam, uiuendi potestas non est. Hinc illud Apostoli de seruis: Si liber esse potes, eo potius utere. Quibus uerbis ostendit, seruitutem consentaneam naturæ non esse, sed libertatem, quam omnes natura expetamus à seruitute abhorrentes. Quare iurisconsulti seruitutem definientes, dicunt eam esse iuris gentium constitutionem, quæ quis alieno domino contra naturam subijcitur. Quo in loco non accipitur natura pro ratione ac constitutione naturali legi Mosaicæ de seruitute dissentanea, sed pro naturali instinctu quo quis sibi consentanea expetit, contraria fugit. At uerò quot genera sint seruitutis, ea de re uaderis apud iuris doctores, de qua quædam etiam ex Mose delibabuntur. Hæc de ciuili libertate & seruitute cuius Moses hic facit mentionem. Sacra deinde libertas definietur, cuius Mosaica typum gerit. hanc libertatem esse uiuendi ut uelis tutam & rectam potestatem qua liceat tranquillè uiuere, hoc est liberam conscientiam à iure peccati & mortis per spiritum Christi habere, & per hunc dominatum & imperium in omnia omnium quæ cœlo & terra continentur, obtinere. In hac igitur libertate primò dominatus in ius peccati & mortis & in ipsa nam peccati & mortis autorem cernitur. De qua libertatis uero dominatu Apostolus: Nam lex spiritus uitæ per Christum Iesum liberum à iure peccati & mortis. Quod æuum ius lege Mosaica contineatur, ex qua illud Donati: Est qui accusat uos Moses, à cuius tyrannide hoc libertatis ius ciues regni cœlestis sanguinis Iesu Christi comparatum uindicat, deleges condemnantis nos iugo soluti, nostra sponte recte cupere & facere studemus. Nam qui liberi sunt hac libertate, sciunt se & citra & supra legem liberos esse per sacrum Meßiæ spiritum, cui peccatum, mors, Moses cum lege sua subiecta sunt, dum sentiunt rebellionem uitiosam uinci aduersus Deum, condemnandi de noxa ius aboleri, uitam uerã & cœlestem in se ingere. Contraria seruitutis spiritualis ciuili huic & Mosaica seruitute adũbratæ ratio est. Nã in hac uenditi sub peccatum & mortem in eorum iure & potestate tanquam serui & mancipia capti ita detinentur, ut his uerbis Dominus monet: Qui facit peccatũ, seruus est peccati. Item Apostolus: At ego carnalis sum, uenditus sub peccatum. Deinde in libertatis sacræ definitione dominatus spectatur atq; imperium in omnia per Dominum nostrum Iesum Christum recuperatũ, quod primi Adami culpa amissum fuerat.

fuerat. De quò imperio illud uatis: Subiecit omnia pedibus eius. Item Dominus de se excitatus iam è mortuis: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. At dices, si restitutus est dominatus pijs & mundi imperium, quid igitur faciemus illi: In mundo angustiam habebitis? Cur sancti exilijs & captiuitatibus & tot diris obnoxij sunt? Cur Apostolus monet fideles, ut potestatibus mundi tributum pendant & uectigal? In ciuibus regni cœlestis duo homines spectantur, exterior & interior. Interiore homine per Christi spiritum fideles regenerationis iure tanquam filij Dei liberi sunt, quibus peccatum, mors, Moses, Cæsar, mundus is uniuersus subiectus est. Exteriore uerò homine principatibus mundi subiecti sunt per charitatem, ad cauendam offensionem, ueluti his uerbis docet Christus apud Matthæum: Quid tibi uidetur Simon? reges terræ à quibus accipiunt tributum aut censum? à suis ne filijs, an ab alienis? Dicit illi Petrus, Ab alienis. Ait illi Iesus, Ergo liberi sunt filij. Ex his uerbis intelligimus, per fidem liberos nos quidem esse in filio à seruili cõditione & tributaria seruitute tanquam Dei filios: per charitatem autem quæ caueat ne quem offendamus, neq; ciuilem societatem ad perturbãdam remp. dissuamus, nos potestatibus mundi subijci in eo homine qui elementis mundi, ex quibus constat, subditus est. Hinc efficitur non pugnare, Christiana libertate liberum aliquem esse, qui ciuili seruus sit: et contrà, qui ciuili libertate liber sit, ea quæ in regno Dei cernitur libertate carere, peccatiq; iure detineri seruum & captiuum. Nam non eadem in utraq; libertate considerantur. in altera præsens uita, fortunæ, opes, ad liberum earum usum ex uirtute & ciuilium legum obseruatione: in altera uita æterna, opes spirituales, res conditæ, quibus liberè per bonam conscientiam utare, spectãtur. in altera igitur libertate umbra ac imago, in altera ueritas & res expressa, quæ hic initia sua habet & primitias in interiore homine, & in excitatione è mortuis perficietur, restituta libertate gloriæ filiorũ Dei, quã uniuersitas hæc ut ipsa quoq; à seruili interitu liberetur, sollicitè per Dominum nostrum Iesum Christum expectat. Cui sit honor æternus. Amen.

Hebræum.] non perpetuæ seruituti addictum ut Chananæum, in quem hæc Dei sententia edita est, Sitq; Chanaan seruus eius. Infrà in Leuitico seruos ex profanis gentibus, qui seruorum in morem durius tractentur, seligendos Dominus mandat, cum ait: Serui & ancillæ sint uobis de nationibus.

Cum quali ueste intrauerit.) בגפו Paraphrastes בלתרדתי id est solus ac cœlebs. Similiter Græci μόνος. Hebræus in בגפו corpus liberũ à matrimonij uinculo notat. Hanc legẽ ab Hebræis neglectam ut grauiter ferat Dominus, apud Hieremiã legimus.

Dederit uxorem.] de ancillis alterius gentis.

Erunt domini sui.) ut nati ex serua serui.

Ipse uerè exibit.) liber, ut liber uenerat. Dicas: Cur non pari iure uxor & liberi manumittuntur? Vxor Hebræi generis si sit, hæc quoq; sex annis expletis cum liberis manumittitur, ut maritus, sicut hic legimus, & infrà in Deuteronomio capite 15. Cum tibi uẽditus fuerit frater tuus Hebræus aut Hebræa, & sex annis seruierit tibi, in 7. anno dimittes eum liberum. Cæterùm Hebræum hominem seruum fieri non uno modo contingebat. Nam uel iudicis sententia ob furtum illi quem bonis suis fraudauerat, addicebatur uel sua sponte ob paupertatem seruilẽ conditionem ineebat: uel à domino cui seruiebat, alteri uendebatur. sed de his modis in sequentibus monebitur.

Diligo Dominum meum.] Quod in seruis rarum est. ut habet uulgaris illa sententia: Quot serui, tot hostes.

Dijs.] iudicibus. Itaque Paraphrastes דיניא.

Applicabitur ad ostium & postes.] ad portã ciuitatis in qua iura reddi & publica iudicia exerceri solita sunt. Nonnulli intelligunt de ostio & limine domus eius, in cuius famulatum se seruus emancipauit.

Perforabit'ꝙ aurem eius subula.] in signum seruitutis ac seruilis obedientiæ. Auditus disciplinæ & auscultationi dicatus est. Indicat igitur perforata auris seruum omnino debere pendere ex iußis ac mandatis Domini. Euoluto typo, perforata auris eorum qui se Deo seruos addicunt, occurrit, de qua illud: Qui ex Deo est, uerbum meum audit. item: Qui habet aures audiendi, audiat: hoc est, qui apertas subula diuini spiritus aures habent. contrà clausas aures habent, de quib. apud prohetam: Obdura aures populi huius, ne audiat.

In seculum.] usq; ad Iubilæum, in quo soluitur omnis seruitus, Leuitici 25.

Si quis uendiderit.] tenuitate ac inopia compulsus, ut infrà in Leuitico legimus: Si paupertate compulsus, &c. Altera lex de seruitute.

Filiã suã.] Si nondũ sui iuris, sed tota in potestate patris, ut est quæ plures quam 12. non habet annos. Nam eam quæ suæ potestatis est, pater ius uendendi non habet.

Sicut ancillæ exire consueuerunt.] more seruorum eam manumitti non debere. Serui enim si Hebræi sint, septimo anno manumittuntur: sin Chananæi, perpetuæ seruituti addicuntur. At puellarum alia ratio est. Nam hæ si uenditæ sint, nondum sui iuris factæ, cum adoleuerint potestas eis sit se redimendi, etiam nondum expletis sex seruitutis annis: sin uerò se uendiderint, cũ sint sui iuris, ut serui Hebræi seruitutem seruiunt. Qua in re æquitas legis huius cernitur. Hac enim patris & filiæ inopiæ consulitur, & huius libertas non amittitur, potestate redimendi ei facta. Hanc æquitatem clarius quæ sequuntur declarabunt.

Cui tradita fuit.) ירלאיעדה nec desponderit eam sibi. Hac lege pater uendit filiam, ut dominus eam despõdeat, aut sibi, aut filio, aut libertati, cũ uolet, restituat. Quod æquum ius commendat charitas Decalogo mãdata in utrisq; parentibus & dominis.

Dimittet eam.] תפדה id est potestatem redimen-

di faciet, siue ipsa se, siue pater, siue propinqui redimant, annis quibus seruiut, à precio quo empta est, subductis. Vt si sex libris eum emerit Dominus, tot de ista summa detrahantur libræ quot annis seruierit, & quot anni usq; ad septimum reliqui erunt, tot libras domino ad redimendum se numerentur.

Populo autem alieno.) nec in extraneam gentem, nec alij ex suo populo uendendi eam ius habet, ut quæ sui iuris sit, aliena potestate exempta.

Si spreuerit eam.) negatis nuptijs.

Quod si alteram.) ad priorem quam emit.

Nuptias.) אשרה uictum.

Precium pudicitiæ.) De משפט id est concubitu intelligunt עונה. Nonnulli significationem עת quod tempus notat, habere uolunt. Sententia igitur erit: Non negabit tempore suo concubitum. Sententia est: Si ad hãc aliam quoque in domum induxerit, quam filio suo matrimonio copulet, non ideo illa deteriore loco habeatur, sed uictum, uestitum, & coniugalia officia nulla illi detrahat.

Si ista tria.] Si eum nec sibi, nec filio desponderit, nec redimendi ius dederit, ista tria nonnulli scitè interpretantur.

Qui percusserit hominem.) contra legem Decalogi, Ne occidito. lex de homicidarum capitali pœna. Neq; mirum est eum qui hominem occiderit, capitali crimine se obstringere. Is enim primò eam naturam è mundo sustulit, quæ Dei imaginem præferat, qua dignitate humani generis nulla præstantior est. Deinde opus perdit, quod reliquæ creaturæ finis sit, & in quo uniuersitatis perfectiones contineantur. Postremò non leuiter in Christum ipsum Dominum nostrum commiserit, qui homini uitam aufert, quòd ei uitam auferat, propter quem Christus à Deo repræsentatus mortem obierit, ut uitam mundo daret, in qua summa illa perfectio sita est, quam Deus homini dare, & is accipere ab eo possit qui de se dicit: Ego sum uia, ueritas, & uita.

Morte moriatur.] per magistratum. Sontes igitur plectendos ius naturæ præcipit, ad societatem et ad uim huius legis Decalogi, Ne occidito, conseruandam. Quod ius iurisconsulti gemium ius appellant, qui illo præcipuè rerum & imperiorum diuisiones & sontium ac facinorosorũ supplicia comprehendi dicunt.

Qui autem non est insidiatus.] Cautiones affert ex æquo, quibus intelligatur, quando capitale sit homicidium. Hic expendendum fuerit discrimen inter ea facinora quæ Græci ἁμαρτήματα, ἀδικήματα, ἀτυχήματα appellant. Sũt ἀτυχήματα quæ imprudenter nullo lædendi proposito cõtingunt, ut si quis missa de neruo sagitta feram petẽdi gratia, casu hominem, cui insidiatus non sit, occiderit. Quod genus Hebræus his uerbis hic exponit: ראשר לא צדה ראלהים אנה לידו. id est: At qui non fuerit insidiatus, sed Deus illum in manũ eius tradiderit. Locus is indicat eos qui forte fortuna in aliquem incurrentes occiduntur, Dei prouisione occidi, cuius consilio omnia quorum multa nos latent atq; fugiunt, si non iuri consulti huiusmodi facta, fato non noxæ imputari dicunt. Similiter Græci uates gentiũ theologi diuina mentẽ immutabili ratione cuncta regentem μοῖραν ἀφαταλὼ uocant. Apud Hebræos אנה significat Deũ עלילות id est occasionem quærere, qua ij qui ita in aliorum manus incidunt, propter certa quæ aliquando admiserunt crimina, puniantur. ἁμαρτήματα autem peccata sunt, quæ quamuis ignoratione non fiunt, improbitate tamen quod nocendi consilio non designantur, carent: ut si filius in morbum incidat, quem pater emendandi, non perdendi studio severius castigauit. Item, si ægrotus ex medicina obierit, quem medicus summo studio curare elaborauit. ἀδικήματα uerò sunt iniustè facta quæ scienter nocendi studio committuntur. Hoc genus sacræ literæ רשעים & חמס & זדונות appellãt et flagitiosos. Igitur ἀτυχήματα leuissima sunt, ἁμαρτήματα grauiora, utrisq; peiora & grauissimæ noxæ ἀδικήματα quæ hic capitalia esse dicuntur. Nam si hoc ipsum ita uolustum est quod rectè fit, si est uoluntarium: sic quod minus uoluntariè fit, in leuiore culpa habetur.

Constituam illi locum.) Locus de uetusto aliorum iure, quæ temere, ut diuina lege sancita & in regentium confirmata, in rebus publicis tolli non debent, ut quæ aperiantur in somnibus ad cognoscendam eorum causam, quo ueniæ ius, quod συγγνώμην Græci uocant, apud aras consequantur: quod negatur sontibus & flagitiosis, ut sequitur.

Quod si quis per industriam.) Hic æquitatis locus patefit quæ non facta, sed animum eius qui cædis accusatur, expendit. Est enim æquitas uera quædam ratio, quæ omnia dicta & facta ad usum honesti & decori ponderat: non legem, sed legis latorem: non uerba, sed sententiam: non factum, sed uoluntatem, erroré ne an consulto quid commissum sit, spectans.

Ab altari meo.] Sicut accidit Ioabo. Hebræi sacerdotes quidẽ ad aram immunes fuisse tradunt, & asylorum loco fuisse in solitudine castra Israelitarũ.

Qui percusserit patrem suum & matrem suam.) Hæc lex supplicium statuit in eos qui committunt in legem Decalogi, Honora patrem et matrem. Non additur hic, Et ij si mortui fuerint. Quod etiam pulsatio parentum, si lætalis non sit, capitalis haberi debeat. Tantus honos à liberis debetur parentibus secundum Deum maximè à nobis uenerandis, à quibus nobis uita, patrimonium, libertas, ciuitas, disciplina, religio tradita est, quod etiam Græcos uates intellexit. νόμος γονεῦσιν ἰσοθεὸς τιμὰν νέμειν.

Qui furatus fuerit hominem.] Alia lex, quæ statuit mulctam neglectæ legis Decalogi, Ne furator. Atqui ut non unum genus est furti, aliud enim quo plagiarij homines ipsos furantur, quos uendant, aliud quo alias res clepimus, ita furtorum non eadem ponitur pœna. Vt homo præstantissimum Dei opus est, ita eius furtum grauissimum, quod capitale hic esse legimus, cum cæterarum rerum furtum capitale non

le non sit. Qui maledixerit patri.] *Supra* percussio ac pulsatio, hic etiam conuicia prohibentur. Mala quæ manent eos qui maledictis incesserint parentes, in Prouerbijs hoc modo denunciantur: *Qui maledicit patri suo, & matri extinguetur lumen eius in medijs tenebris.* Si ijs qui obseruant parentes longa uita destinatur, consequitur ex contrario ijs qui dehonestant parentes, certum exitium paratum esse. Quæres admoneat liberos, ut erga parentes officium suũ faciant. Veteres sapientes duo genera maledictorum referunt: alterum, quod cum nomine Dei coniunctum sit: alterum, quod eius mentione careat: hoc leuius esse, illud grauius. Leges hæ de pulsatione, de maledictis ex ponderatione attributorum, personarum & rerum æstimandæ quoq; fuerint ut cæteræ, æquitate interprete.

Si rixati fuerint uiri.] Lex hæc ad tuendam publicam tranquillitatem ciuium maximam uim habet, quæ manat ex fontibus Decalogi, Ne occidito.

Et iacuerit in lecto.] רמל *cadendi uerbum pro decumbendi.*

Innocens erit.] *Forense iudicium hic spectatur, quod facta expendit, non animi motus ac affectus. seeus habet iudicium cuius meminit Dominus Matthæi quinto capite.*

Ita tamen ut operas eius.] רק שבתן *tantum cubatum eius præstabit, id est persoluet ac sarciet damnum quod decumbendo fecit.* יתן *dandi uerbum pro præstandi ac exoluendi.*

Et impensas in medicos restituat.] *Phrasim Hebræam non malè* רפוא ירפא *id est medicando medicabitur, hoc est medicationem præstet. pro quo paraphrastes* ואגר אסיא ישלם *id est & mercedem quæ medico debetur persoluet. Locus de uetustate medicinæ, & eius usu commendato diuino iudicio.*

Criminis reus erit.] *Pro quo Hebræus* בקם יבקם *id est uindicando uindicabitur. id est, omnino de eo uindicta sumetur. quod de capitali pœna interpretantur, quam nomine uindictæ intelligi uolunt. Nam ferè cum ultionis nomine gladij mentio in sacris literis coniuncta est.*

Sin autem uno die aut duobus.] *Hæc lex apparet paulò diutior esse. Itaq; Hebræi interpretes de seruo Chananæo, non Hebræo intepretantur de quo discrimine Leuitici 25. Aequior in speciem apparet Romana lex esse, in qua tam capitale est seruum occidere, quàm alienum. At respicienda est hic apud Mosem diuina sententia qua ad seruitutem & exitium gens Chananæa deuota est: Chanaan seruus eorum.*

Quia pecunia illius est.] *Ratio legis à iure quod dominus in seruum obtinet, quia mancipium sit seruus domini pecunia eius emptum. Huiusmodi sonat noto tropo Hebraismus.*

Reddet animam pro anima.) *More linguæ Hebrææ, anima pro uita. Lex talionis est. Interpretes hanc legem sic exponunt, oculũ quidẽ pro oculo, manum pro manu, dentem pro dente pendendũ esset nisi is qui læsus est, pecuniam pro dato damno mali, accipere, quàm alterum qui læsit, hanc in corporis membris talionis legem experiri. De quo uideris apud Iosephũ. Sed dicas, Quid ergo faciemus Christo ubi sic dicit: Audistis quod dictum fuerit, oculum pro oculo, dentem pro dente. At ego dico uobis, ne resistatis malo: sed quisquis impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obuerte illi & alteram. Contrariá ne est lex Mosaica legi Christi, & is ne abrogat legem Mosaicam, quam ipse per Mosem sanxit? Nequaquam. Moses magistratum ipsum respicit, cuius sit ex talionis lege sententiam dicere aduersus fontes. Christus autem priuatos spectat homines, qui omni uindicandi studio debeãt carere, permissa Deo & iudicibus ultione. ueluti infrà Moses quoq; in Leuitico hortatur suos: Ne oderis fratrem tuum in corde tuo. Item: Ne serues iniuriam contra filios populi tui, sed diliges proximum tuum ut alterum te.*

Si percusserit quis oculum serui tui.] *In dominum non ualere talionis legem. Hac exceptione consulitur seruo per donatã libertatem, dum qui seruus fuit, in libertatẽ uindicatur per legem. Itaq; domini monentur hic nõ pro libidine animi cũ seruis agendũ esse, sed moderatè cum metu Dei, cui bonitas placeat, crudelitas displiceat, per quam hic legitur dominus in seruum immanius tractatum ius suum perdere. Sunt qui hanc legem accipiendam esse tradunt, de Chananæo seruo, non Hebræo, quo percusso dominus talionis lege teneatur.*

Si bos cornu percusserit uirum.] *Lex hæc confirmatur sententia diuina in Genesi exposita his uerbis: Sanguinem enim animarum uestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum. Nam hæ conditæ sunt ut seruiant hominum commoditatibus. Sic enim in Genesi legimus: Et dominamini piscibus maris & uolatilibus cœli, & uniuersis animantibus terræ. In quibus etiam quædam uestigia rationis apparent quæ intelligunt maiestatem humani generis, ut de bobus monet Isaias: Cognouit bos possessorẽm suum, & asinus præsepe Domini sui. Itaque homo ut mente proximè attingit mentem diuinam ad cuius imaginem conditus est, ita animantia ad hominem accedunt, in quibus sensus imaginem humanorum animorum præferunt iudicandi de rebus commodis & incommodis facultate.*

Et dominum illius occident.) *Petulci bouis crimen domino imputatur. Hæc lex admoneat parentes, doctores, magistratum sui officij. Nam eorum qui parent uitia ijs qui præsunt, imputantur. Exempla in Heli, Achabo, & alijs extant.*

Domino dabit.) *non seruo, ut qui emptus, herilis iuris sit, non sui.*

Si quis aperuerit cisternam.) *Lex hæc de sarciendo damno alteri dato admonet sulta hac communi naturæ lege: Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Hanc diuinam prouidentiam commendans Vates*

sic ait: Dominus conseruat iumenta & homines. In demittenda igitur fossa, & in deprimenda scrobe, si nec bouis nec domini eius ratio habeatur, in utramq; legem, & creationis & dilectionis proximi committetur. In legem quidē creationis, qui ut ad quem quodque usum bonitate diuina factum sit, non animaduertat: in dilectionis autem legem, cui curæ non sit neque commodum, neque damnum alterius, quem ut alterum se amare conueniebat, & iumentorum quoque curam gerere oportebat, si iusti hominis nomen tueri uellet. de qua iusticiæ parte qua etiam per amorem brutis animantibus suum tribuitur, Salomon: Curam etiam habet iustus iumentorum, affectiones autem impiorum crudeles.

Si bos alienus.] Hæc lex ex ijsdem æquitatis fontibus manat.

Vendent bouem uiuum.) De bobus eiusdem precij hoc accipitur, ne qua fraus hic committatur. Ex æquo bono igitur hic agendum.

IN CAPVT XXII.

SI quis furatus fuerit.) Lex hæc præcipit ut furtum non hominis, sed aliarum rerum mulctandum sit. Qua ex re addiscimus, pœnas graues aut leues statui pro rerum in quas & in quibus delinquitur, præstantia. sic grauiori pœna plectuntur qui in Deum peccarint, quàm in homines: & qui in homines, quàm in cætera animantia. & in hominibus atq; in animantibus suos quoque gradus cernere licet. Maior pœna sancitur in eos qui in parentes deliquerunt, quàm in cæteros: & hic grauius puniri bouis furtum, quàm pecudis, legimus. Aestimatur igitur pœnarum discrimen ex dissimilitudine rerum quarum quæque ad suam dignitatem & usum descripta est. Qua ex re cognoscimus, forenses etiam has leges Mosaicas proximè ad Decalogi leges accedere, & expressas esse ad principem omnium naturam Deum, cuius iusticiam & æquitatem nobis referunt, ac repræsentant. Quàm immane igitur sit, hominem pro teruncio suspendi in crucem (de Iudæorum supplicio, quo nullum magis crudele, tacco) æquo iudici expendendum reliquero. Ex hac lege cognoscitur quanti à Mose fiat bos qui inter animantes cicures principatum habeat, ut leo inter feras. Quem autem usum bos afferat in arando, triturando, uehendo, calceando, in præbendo uictu, in stercorando, satis notum.

Ad ouem.] Nomine צאן pecus intelligitur, quod caprarum genus quoque comprehendit. Quinque boues pro uno, oues autem quatuor pro una reddūtur, quòd maior usus boum sit, quàm pecoris. Nam arator bos est, qui pro seruo ueteribus habitus fuit, ut alicubi monet poeta Græcus:

οἶνον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν ἀροτῆρα.

Hinc à latinis generatim iumenta dicuntur à iuuando, quorum quædam ad uehendum onera et ad arandum, quædam ad uescendum, quædam ad utrumque commoda sunt.

Si effringens fur domum.) Lex de mulctando nocturno furi. Quæras hic, liceát ne priuato homini furem occidere? si ita, quid ergo faciemus legi, Ne occidito? Nocturnus fur deprehensus cum ferro, latronis speciem præfert. eum igitur si occideris, ut te & tuos à ui defendas, homicidij lege non teneris. Vt enim te defendas, naturæ lex permittit: contra quam non pugnat lex, Ne occidito. Quæ ledendi libidinem in non prouocato prohibet, sui tuendi potestatem non adimit. Nec Christi quoque uerba sunt lege hac naturali contendunt, Ne resistas malo: quæ damnant uindicandi consilia ex odio profecta, non legitimam sui defensionem, cuius studium ut se, ut tam, corpusq; tueantur, declinentq; ea quæ nocitura udeantur, omnibus animantibus à natura tributum est. Non enim nos saxo geniti sumus, ut nullo motus nullasq; cupiditates naturales sentiamus, quibus moueamur ad expetenda ea quæ nobis salutaria intelligantur, & ad auertenda contraria. Alioqui nec etiā frigora, calores, famem, sitim, morbos, & reliqua à nobis mala abarcere liceret. ut igitur naturam conditam diuina lex non tollit, ita neque motus naturales à nobis sustulerit. At hic udendum est, ut quæ in tuendo fiunt, fide naturæ instinctum regente fiant, quo fœdè animi libido in uindicando abutitur. Israelitas enim ex præscripto legis diuinæ, quæ amorem Dei suadet, libidinem animi & odium alterius prohibet, gubernari fas est.

Quòd si orto sole.] non suspectus de latrocinio perpetrando, auertendi furis per diem ope suppetente quàm nox negat.

Si inuentum fuerit.) Secus res habet, si deprehensum non sit, sed uel mactatum uel uēditum de manifesta suprà: Ex illato enim damno imponitur mulcta. Sunt qui hæc uerba ad superiora referunt.

Si quis commodauerit amico pecuniam.] Lex de depositō, quæ manat ex Decalogi lege: Non furator.

Si quis commodauerit.] Lex de re alterius fidei commissa ad custodiendum pro mercede. Quo in genere ferè continentur pecora & iumenta. Et pastores sunt, quibus committuntur.

Iusiurandum erit in medio.] Appellatur שבועת יהוה quod per Dominum solum liceat iurare, non per quamuis aliam rem, ratione ex Decalogo nota.

Quòd si furto ablatum fuerit.) Quoniam pro custodiendo pecore, ne quis fur id interuertat, pastor suam habet mercedem. Itaque iureiurando non liberat se fiduciarius more illius apud quem quicquam gratis deponitur.

Qui à proximo suo quicquam horum mutuò acceperit.] Lex de mutuo, cum quis mutuò ab

altero utendum quid acceperit. Diuersa quoque à deposito lex. Nam hic de ijs quæ conducticia & precio addicta sunt, agitur.

Domino non præsente.) domino qui utendum quid dedit.

Reddere compelletur.) Vt quire commissa suæ fidei ad suam utilitatem usus sit. Vt præstet igitur damnum, par fuerit.

Non restituet.] ut sua iniuria non datum, sed eius qui animal precio addixit, cuius intererat cum præsens esset, illius curam gerere absente eo qui conduxerat. Leges hæ æquitate nituntur, quæ amore alterius continetur.

Si seduxerit quis uirginem.) Lex de uirginum stupro ac raptu. Hæc lex proficiscitur ex lege Decalogi prohibente omnem libidinem: Ne adulterato.

Et dotabit eam, & habebit eam uxorem] Hebræus elegãter sic exprimit: Eam sibi in matrimoniũ dotet. Hac lege & uirginis corruptæ, & eius conscientiæ qui uitium obtulit, consulitur. Hanc æquitatem non fert bestia illa fœda, quæ matrimonijs infesta, cum impune uirgines uitiat, declarat se ius omne & diuinum & humanum uelle euertere.

Si pater uirginis dare noluerit.) Locus de parentum in liberos potestate in contrahendis matrimonijs, in horum arbitrio liberorum connubia consistere. Quod Orestes apud Euripidem approbat, δοῦναι λέκτρῳ ἐπήνεσ' ἵνιν' οὗ διδῶ πατήρ. Dicas in Genesi legi: Relinquat uir patrẽ suũ, &c. Verum id est à ritè inito coniugio. Manat lex ex fontibus Decalogi: Honora parentes. Quod ita accipi debet, si parentes officium piorum parentum præstent: sin minus, lex primæ tabulæ & princeps extat de amando Deo supra omnia, cui conueniat magis obedire liberos quàm parentibus: præsertim si progressi ætate uiderint eos non Dei honorem, sed opes spectare: neq; habere pensi, quibus in matrimoniũ elocentur, modò diuites sint, ratione probitatis nulla habita.

Reddet pecuniam iuxta modum dotis.] Vt dos uirginum fert pendet. Itaque duplex est dos, altera uxori, altera patri penditur. Hæc autem continet quinquaginta siclos argenti, Deuteronomij uicesimo secundo.

Maleficos non patieris uiuere.] Lex de supplicio sagarum, quæ transgrediuntur legem Decalogi: Nomen Dei inaniter ne usurpato: quo abutuntur sagæ in excantando. in primam legem quoque delinquunt, dum uerbis certam uim tribuunt quæ uni numini Dei debetur. כשפה, fœminini generis est, quòd ludificationi satanæ per infirmitatem fœminæ magis sint obnoxiæ.

Qui coierit cum iumento.) posthabito legitimo propagandi ordine, qui in rerum creatione descriptus est. Horrenda est hæc cõfusio, digna quæ gladio uindicetur. Quæ in regno bestiæ tam uulgaris est, ut proscelere nõ habeatur, imò quã etiam editis libris defendant. Quo flagitio, notati bestias se in quas degenerant, non homines declarant, & dignos qui cum bestijs rem habeant, qui sacra coniugia asserentur.

Qui immolat dijs] Lex qua in eos pœna dicitur, qui primam Decalogi legem uiolarint, quod ut maximum delictum est, ita in id grauissimum irrogatur supplicium, quod in uerbo חרם indicatur. Nam id non est leuiter occidere, sed tanquam deuotum penitus delere ac perdere. In uerbo sacrificandi totus cultus notatur quo dij alieni coluntur. Hæc lex indicat pœnas pro criminum magnitudine imponi. Atqui ut peccata æqualia et inæqualia dicãtur, in hunc modum breuiter explicandum uidetur. In delictis tria cernuntur: res in quibus committitur, ij in quos committitur, & fons ipse ex quo manant crimina. Si fontem spectes, perturbatio animi est aduersa legi diuinæ. In hac omnia peccata paria sunt, ut aquarum riui in suo fonte. Cupiditas enim quam Moses hac lege damnat לא תחמד uitiosa illa radix est, ex quæ omnes malæ actiones pullulant, atque nascuntur, ut si quis per illam unum aliquod scelus fecerit, omnia commisisse, sententia sacrarum literarum, dicatur. Perturbata enim semel ratione atque ordine, quem Deus lege sua præscribit, nihil posse addi, quo magis peccetur, uerisimile est. Sin uerò altera duo considerres, delicta æqualia non erunt, ut nec res in quibus, nec personæ in quas delinquitur. Ex horum consideratione, mulctarum quæ criminibus imponuntur, uarietas ponderatur.

Aduenam non contristabis.) ut ope propinquorum & amicorum destitutum. Plena clementiæ & æquitatis lex. Natura enim ipsa docet misericordiam miseris tribuendam esse.

Aduenæ enim & ipsi fuistis.) Nititur argumentum communibus humanæ uitæ casibus & lege illa naturæ: Quæcunq; uolueritis, ut faciant uobis homines, ea & uos facitatis eis. Itaq; Phocylides pares hospitio habere peregrinos cum ciuibus iubet:

ἐξωσαν ὁμότιμοι ἐπήλυδες εὖ πολίτας.
πάντες γὰρ ξενίης πειρώμεθα τῆς πολυπλάγκτης.

Viduæ & pupillo.] Lex priori par æquitate.

Si læseritis eos.) ut ope & præsidio humano destitutos. Ciuilis pœna nõ statuitur hic sed diuina ultio intentatur, quod peregrinorum, pupillorum & uiduarum Deus propriè curam gerit. Psalmo: Dominus custodit aduenas, pupillum & uiduam suscipit. item infrà in Deuteronomio: Dominus facit iudicium pupillo et uiduæ, amat peregrinum, & dat ei uictum atq; uestitum.

Vociferabuntur ad me.] oppressi calamitate, cui resistere nequeant aliter, quàm me inuocato. Qua ex re iniuriæ magnitudinem quæ peregrinis, pupillis & uiduis infertur, colligimus. Nam iniuriæ graues esse oportuerit, si ab ijs quibus fiunt uin-

dicari non possint. Quales sunt quibus omni & sua & aliorum ope destituti afficiuntur.

Et ego exaudiam clamorem eorum.) ad thronum clementiæ meæ per nubes penetrantem. Locus de ui inuocationis nominis diuini in rebus aduersis. Reuocanda ὑπόθεσις ad θέσιν.

Et indignabitur furor meus.] in eos qui meos contemnunt, in quibus sunt peregrini, uiduæ, pupilli, & omnes humano auxilio destituti. Causæ iræ notæ sunt ijs qui rerum originem ac ortum cognitum habent. Vulgatum est, iram nasci ex contemptu tum nostri, tum eorum qui à nobis amantur. At Deum contempserit, qui eos quos is charos habet, contemnit. Hinc fit ut Deus hostes eorum quos diligit, hostes suos uocet, & qui lædunt istos pupillam oculi sui lædere dicantur. Quapropter afflicti homines, uiduæ, pupilli, peregrini, hoc est omni humano præsidio destituti homines in hoc statu non deijciantur animum despondentes, sed potius gratulentur sibi se eum defensorem in cœlis habere qui Dominus totius uniuersitatis in clientibus suis abiectos in hoc mundo habeat, quos defendat, & tueatur. Nam ab his suam miseriam agnoscentibus amplificatur ab illis hoc est potentibus contemnitur, qui cũ Pharaone dicunt: Quis est Dominus ut audiam? Item cum Assyrio: Fortitudine manus meæ feci.

Et erant uxores uestræ uiduæ.] lege talionis.

Si pecuniam mutuam.] Hæc lex coniuncta est cum superioribus.

Pauperi.) quem ego curæ habeo, de quo Psal. Oculi eius pauperem respiciunt.

Quasi exactor.) נשא fœnerator est. sic eum appellatum dicunt quòd se efferat supra eum quem sibi credita pecunia obæratum fecit. A Chaldæis fœnerator dicitur רשיא à facultate, hoc est iure quod in eum cui pecuniam credidit, habeat. Itaq; hic præcipi, ne is qui alteri mutuatus sit pecuniam, in eum domini ius tanquam in seruum exerceat. Citant illud ex Prouerbijs: Qui mutuum accipit, seruus est illius qui mutuum dat.

Nec usuris opprimatis.) Antequam lex de usuris explicetur, distinguendæ usuræ fuerint. quædam laudatæ sunt: quædam laude carent. Laudatæ bipartitæ sunt: aliæ terrenæ, aliæ cœlestes & spirituales: Terrenæ in agris frumentarijs, in stirpibus & animantibus: cœlestes in semine uerbi Dei, & in donis sacri spiritus à Deo tributis hominibus sanctis cernuntur. De hoc postremo genere usuræ Dominus noster apud Euangelistam Matthæum loquitur: Illaudatum uerò genus usuræ quod Israelitis prohibitum, & apud gentes semper illiberale & probrosum habitũ fuit, quale sit, ex eius definitione facile intelligitur. Definiunt usuram noxiũ lucrum esse quod supra summã rei creditæ ad certum tempus, ex sola mutuatione per stipulationem accedit. In mutuo autem continentur quæ specie et genere, mensura & pondere, non item numero eadem restituuntur, ut sunt, pecunia, frumentum, oleum, uinum, & id genus alia. Ex huius generis rebus lucrum ex mutuatione iam exposita factum, uitiosum, & naturali legi dissentaneum esse affirmatur. Nam neque in prima rerum molitione pecuniæ conditæ sunt, quæ pecunias pro generent: ut agri cõditi sunt, qui cum fœnore fructus suos reddant: neque hominum arte & arbitrio numi primò excogitati sunt, qui mercis loco essent, & ex se numos párerent. Etenim cũ humanũ genus in ciuitates excreuisset, pecunia inuenta est, qua res ad uictum cultumq; uitæ necessariæ cõpararentur. Quem finem humanis rebus percommodum peruerterunt qui auaritia, non natura duce numis uti cœperunt non quibus res ad uiuendum utiles pararent, sed quos in immensum accumularent. Idq; factum est contra rei numariæ à primis hominibus inuentæ institutionem. Itaque hunc pecuniarum auctum Græci pensitantes usuram τόκον à pariendo & Latini fœnus à fœtura appellarunt, quod pecuniam pecuniæ auari homines cupidè auareq; coaceruare studeant. de quo illud poetæ:

Crescit amor numi, quantum ipsa pecunia crescit.

Et Græcus, πλοῦτος δ' ὅσον τόκοις πρόσεστιν αὐξάνει. Præterea lucrum quod ex sola mutuatione, seruato in re credita eodem pondere, mensura, & genere, fœnerator refert, inæqualitatem pacti, quæ ciuilem societatem euerit, & ciuium opes exhaurit. Nam si desit æqualitas inter precium & merces, rerum ultrò citroq; contrahendarum ratio diuturna ac firma esse nequit. Vt igitur societas ciuilis maximè secundum naturam est, ita contra naturam fuerit fœnus quod illam labefactat. Hinc non absurde ab Hebræis usura נשך à mordendo appellatur, quòd lætaliter mordeat eos qui ea grauantur. Quò sentiens Romanus ille dixit idem esse fœnerari quod hominem occidere. Chaldæis fœnus. חבולא dicitur à perdendo & uastando. Quo uerbo magnitudinem iniuriæ declarant quam fœnerator affert. qui sua quæ recipit non contentus, aliena diripiat. Itaque nũrum non est. cum diuinibus tum humanis legibus usuras damnari. Quod enim ad sacras attinet leges hic: Ne ei usuram imponito. & in Psalmo: Qui pecuniam ad usuram non dedit. Et Christus: Mutuum date, nihil inde sperantes. Humanæ autem leges quid de usuris sentiant, his uerbis Cato indicat: Maiores enim nostri, inquit, sic habuere, & ita in legibus posuere, furem dupli condemnare, fœneratorem quadrupli. hi in fœnore reprobatio primò causam eius quæ est inexplebilis auaritia et pecuniæ cupiditas, deinde dãna quæ rebus tum priuatis tum publicis fœneratio dat, perpenderunt. Sed dicas, si tantopere fœnus naturæ aduersatur, cur igitur permittit infrà lex Mosaica Israelitas extraneo fœnerare. Nec non & ipsa Romana iura usuras concedũt. Olim enim senatusco̅sultũ factũ est apud Romanos ut cẽtesimæ perpetuo fœnore ducerẽtur, quod cõtra tũ posteriorib. tẽporib. etsi Imperatores antiquarij, uetarunt

uctantes recipi centesimas usuras, tamen usuras omnino non antiquarunt. Tempora consideranda sunt: alia alio tempore & alijs cõgruunt. Israelitis ut suas quas duxerãt uxores, si displicere cœpissent, repudiare, et alias, quod naturæ cõsentaneũ, interprete Christo, non erat, ducere fas erat: sic fœnus in extraneos exercere permittebatur, quòd hi digni putarentur, qui durius quàm domestici & religionis consortes tractarentur, ut fuerant tam olim Chananæi ad seruitutem & exitium semel destinati. Tempora igitur nonnunquam incidunt, in quibus si usuris tanquam mulctis hominum scelera puniantur, commendanda sit diuina uindicta, & fœneratoria ars reprobanda. Huc spectãtes resp. multa concedunt fieri, quæ ipsæ non approbant. Nam legislatores ingraue scentibus uitijs moribus per inclinationem imperiorum & temporum, cum nõ possunt occurere malis omnibus, multa dissimulant temporibus cedentes ad uitandos publicos motus. Nostris temporibus fœneratores nõ solum non condemnantur, sed honoribus etiam & dignitatibus exornantur: & quo quisq; fœnerandi artem melius callet, eo prudentior habetur: tantum abest, ut spes sit fore ut illa è medio tollatur humana industria et opera quã omnem uincit improbitas nostra, fœnus etiam ipsis principibus & monarchis suo exemplo confirmantibus, cum à sordidis fœneratoribus pecuniam ad turpe fœnus mutuo accipiunt. Christus igitur solus, cui à patre cœlesti iudicium datum est, hæc carcinomata cum cæteris flagitijs quæ misere labefactant resp. & ecclesiam deturpant, ad hãc uitiosam arborem securi iam admota, suo tempore expurgabit. Dices: Si tam illiberalis quæstus est, qui ex fœnore capitur, igitur is qui mutuatus est pecuniam, & ex ea magnum lucrum fecit, nihil debet creditori reponere? fides per charitatem agens hic quid conueniat fieri, docet. Gratitudo enim animi lege naturali mandatur: & si creditor interim quando abfuit pecunia iacturam fecit, tu autem lucro auctus es, æquitas ipsa, quæ charitate regitur, damnum sarciendum præstandumq; esse iusserit. Et hæc est ipsa æquabilitas quam amor mutuus præscribit, & conseruatio coniunctionis uitæ requirit. Quæ æquabilitas cum retinetur, non solum mutuatio agitur, sed etiam res ipsa credita in æstimationem qua fœnus soluitur, tanquam merx uenit. Obijcias Christum dicere: Mutuum date nihil inde sperantes, si soluendo est, cui quid mutuum dedisti, ut tua repetas, ius tibi erit: sin minus, ut de iure tuo decedas, & inopem clementer tractes, charitas iubet. Quæras hic an ne mutuo dandum sit cuius qui nostram opem pauperie impulsus flagitarit? fidei huc lumen adhibendum fuerit, quod ostendet quãdo & quibus et quantũ tribuendum sit. Nam hæc fax de distribuendis bonis quorum dispensator constitutus es, diuinam uoluntatem sola monstrauerit. à cuius consilio si tu pẽdes, non affixus animo ad diuitias, iam omnia uẽdidisti quæcũq; habes, & pauperibus dedisti: sin minus, omnia retines, etiam si omnia exposueris.

Dijs non detrahes.) Hæc lex docet quæ officia in principes præstanda sint, et eo confirmatur authoritas magistratus ciuilis: cui si quis maledixerit, perinde sit atq; si Deo maledicat, cuius ille uicem in terra gerit. Itaq; quantum crimen sit rerump. rectores maledictis petere, declarat primò eorum origo, qui à Deo ortum suum ducant: secundò eorum usus, qui in plectendis malis & tuendis bonis contra priuatam & publicam uim ad retinendam tranquillitatem cernitur. qui usus tam commodus est rebusp. quàm sunt ipsa mundi principia, terra, aqua, aer, lux nobis necessaria. Demum dignitatem magistratus indicat rei publicæ cœlestis, in qua Christus principatum obtinet, imago, quam præferunt principes orbis terrarum.

Decimas & primitias tuas.) ad alendos sacerdotes. בולאתך plenitudo proprimitijs frugum: & דמעתך lachryma pro liquore uini & olei. Sic enim locus is exponitur in Deuteronomio his uerbis: Primitias frugum, uini & olei. Huc spectans Chaldæus pro בולאתך habet בבכורך, id est primitias tuas. Similiter Septuaginta ἀπαρχάς. sed non est hoc perpetuum ut בולאת de frugibus tantum accipiatur, ut ex Numeris liquet. Sententiam esse uolunt, cum ad maturitatem peruenerint fruges tuæ, dato primitias, & esse בולאת. Deinde cum hæ in horrea positæ fuerint post confectam messem, lachrymam quoq;, hoc est uinum & oleum sub uindemiam dato.

Primogenitum filiorum tuorum.] Videris hac de lege suprà capite decimotertio, quæ repetitur in Numeris cap. 3.

Carnem quæ à bestijs.] Carnem uiri à bestijs raptam ac laceratam non comedendam. Deponendus typus. Cõtraria ratio eius carnis de qua illud: Caro mea uerè cibus est. quæ à quibus bestijs rapta & dilacerata non sit, declarat hæc ipsa caro quum ait: Venit princeps mundi, & in me non habet quicquã. Qui est ille prædator leo de quo Petrus: Aduersarius uester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Huius catuli quoque prædatores sunt, carnem nostram fœdis affectibus laceran tes. De quibus catulis mysticè uates: Catuli leonum rugientes ut rapiant. Ad cuius carnis fœditatem significandam sub typo hæc lex sanctis hominibus ponderanda proponitur.

IN CAPVT XXIII.

Non suscipias uocem mendacij.] Auditionẽ seu rumorẽ falsum aut calũnias accipiendas nõ esse, quibus euertatur innocẽs. Admonetur iudex hic, ne accusatoris criminationi, prius quàm reum audierit, aurem præbeat. Veteres dicunt dignũ esse qui canibus, rixanti & adulanti animali, proijciatur, tum cum qui traducit aliquem, tum qui delatori aurem præbet, & in uniuersum omnem qui alterum calumnijs & falso testimonio grauat. Sic enim aiunt: כל המספר חשוך חרע וכל המבבל לשוך חרע וכל המעיד עדות שקר בחבירו ראוי לחשליכו לבלבים.

Nec iungas manum tuam.] Hebraismus, אל תשת ידך ponere manum, pro inire societatem, & iungere operam.

Vt cum impio.] Ad superiora referendum, cum impijs nõ iungendam societatem ad opprimendos innocentes falso testimonio. Repetitur lex Decalogi de falsis testimonijs. Quæ quantum crimen habeant, autor eorum declarat diabolus, de quo apud Ioannem Christus: Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: quia mendax est, & eius rei pater. Deinde indicat prauitatem falsorum testimoniorum contraria ueritas, qui Deus est: & is qui de se dicit: Ego ueritas sum. Quæ contentio ac comparatio tam contrariarum causarum, ostendit mendaces testes ex Satana natos, ueros autem ex Deo. Demum ipsa damna quæ dat mendacium, falsorum testium crimen grauant. Spoliantur enim innocentes illorum fraude non solũ fortuitis bonis, sed etiam nomine & æstimatione innocentiæ & probitatis. quo nomine nihil precioſius esse, alicubi Ecclesiastes indicat: Melius est nomen bonum quàm unguentum precioſum. Et si iurati sunt testes, accedit ad tantam noxam nominis etiam diuini contaminatio, dum isto mendacium suum & malum dolum in euertendis bonis uiris tegere apud iudices student. quo nihil sceleratius.

Non sequeris turbam.) mobilem, & animi perturbationibus obnoxiam: quæ bellua multorũ capitũ fingitur. Format legibus suis iudices, quales se gerere debeant in controuersijs disceptandis: In sententiam multitudinis à recto deflectendum non esse. תענה forense uerbum respondere, pro sententiam ac ius dicere: ut etiam Latini dicunt, respondere de iure.

Pauperis quoq; non misereberis.] Cum agitur paupertas & inopia pauperis, subleuandus is est: cum uerò ius publicum, pauperis persona deponenda, & æquitas una ponderanda. quæ personarum in iudicando rationem non habet. Hebræus, תחדר, quod honorare est, habet. pro quo Paraphrastes תרחם. et Græci, ἐλέησας. quos noster sequitur: Omnino in lite pauperi contra ius non esse indulgendum, sed ius liberum à personarum respectu spectandum.

Si occurreris boui inimici tui.] Vt conueniat Mosi cum Christo, hic locus declarat. In Euangelio enim docemur inimicos diligendos esse. Quod idem ut faciamus, monet hic lex Mosaica, quæ manat ex Decalogo, & ex fontibus legis de diligendo altero. Sit aliquis inimicus tibi, at tu illi inimicus esse non debes: sed ex lege Dei eum amare, non odisse. Israelita tu es, imitandus igitur tibi erit Deus tuus, quem profitere, qui solem suum finit exoriri malis & bonis, & pluuiam mittit iustis & iniustis. Huius legis testimonium etiam in profanis gentibus, quod à natura ortum est, extat. Sic enim Græcus poeta habet:

λιτλιὸς δ' ἰὼν ἐχθροῖο πάσῃ λαῷ ὁδὸν, συνέγειρον.

Si uideris asinum.] qua in re ei & bonitatem tuam in brutum animal declararis, & hostẽ hoc beneficio tibi, quantum in te est, reconciliaris, charitate in omnia Dei opera se extendente, exemplo ipsius toris Dei, qui homines & iumenta dicitur seruat Nam charitas est illa sacra parendi legi diuinæ cia, qua fide præluente Deus supra omnia diligitur et secundũ Deũ alter ut nos, et reliquæ creaturæ que pro dignitate quã ab architecto uniuersitatis ceperunt, diligimur. Ex hac lege discimus iniustos duo genera esse: alterum, eorum qui inferunt iniu riam, & nocere student: alterum, eorum qui ab h qui damno afficiuntur, id, si possint, non propt sant. Quemadmodum ad iusticiam tuendam no satis est, alterum non lædere: sed etiam, si possis, eti nefaciendum est.

Non declinabis iudicium pauperis.) Pauper rum ius in controuersia ac lite deprauandum non gratia aut metu diuitum ac potentiorum. Itaq; acer res finxere iusticiã oculis immotis ac clausis, quæ re flectatur metu diuitũ aduersus inopes, nec mouea inopia pauperum, ut contra æquitatem quicquam pronunciet.

Mendacium fugies.] in iudicando, qui Deum refras, res falsas ac mendacia odientem.

Insontem & iustum.) ad quem uindicandum ab iniuria, à Deo iudex institutus es. Accipitur hic innocentia ciuilis, non illa quam Deus à nobis requirit, quam nemo habeat nisi is de quo uates: Et quòd scelus non fecerit.

Quia auersor impium.) אצדיק iustificare pro absoluere. Non absoluam sontem, id est impune non feret. Animaduertant iudices hanc Dei grauem & seueram sententiam.

Nec accipies munera.) Necessaria lex iudicibus, qui cum res singulas tractant attributis personarum inuolutas, quarum aliæ diuitum sunt, aliæ inpum, aliæ amicorum, aliæ aduersariorum, in quibus odium, amor, inuidia, gratia, & reliqui animorum motus hærent, monetur iudex ne dona accipiat, quibus facilè corrumpãtur animi. Hinc apud ueteres iusticia sine manibus, quæ ἄδωρος, id est munera non acciperet, fingebatur. Et apud Athenienses non permittebatur orator affectus commouere iudicum, neque quicquam extra causam dicere, ne iudex perturbatus aliter quàm causa ferret, de lite pronunciaret.

Quia munera excæcant prudentes.) Ratio addita affectibus, per quos etiam oblatis muneribus corrigat פקחים, id est perspicaces, nisi lege gubernentur, excæcari. Itaque resp. bene constituta leges pro se uolunt, nõ liberam iudicum uoluntatem: quòd haec ab animi motibus libera non sit, illa libera sit.

Scitis enim aduenarum animas.] נפש modò corpus animatum, modò animans ex corpore & animo conflatum, tum ipsum animum, siue eum qui locum suum, siue qui intelligentiæ ac mentis munere fungitur, notat. Hic mentem significat. Argumentũ deducitur à pari peritia & experimento rerum aduersarum. Vos experti in Aegypto estis ut animo comparati sint peregrini, ut eis deijciat animos, exultũ, multa mala & incommoda secum ferens, ut etiam uates illa monet.

monet: ἀλλ' ἐφέλκεται φυγὴ λιμὸς ξυὸ αὐτῇ.

In terra Aegypti.] è cuius seruitute non uestra manu & dignitate, sed mea gratia liberati estis, ne quid gloriemini aduersus peregrinos.

Sex annis seminabis terram.) Lex agraria, ut homini & iumentis, ita etiã agris suam à cultu uacationem & requiem concedendã, quo reparatis uiribus ad fructificandũ firmiores efficiantur. Hinc Salomon spectãs omnium rerum quæ sub cœlo sunt, suam uicissitudinem, quam diuina ratio regit, esse dicit, suũ nimirum tempus nascendi & moriendi, conserendi & fructus percipiendi, laborandi & quiescendi. Locus igitur is prouidẽtiam Dei commendat, cui omnia sint curæ, agri, semina, fructus, iumenta, & præcipuè homo, ipse mundi finis & caput.

Et septimo anno.] ne desit memoria septimi dici, quo Deus mundo sex diebus condito feriatus est. cuius celebratio ut constans esset, agros terræ Chanaæ ipse Deus ea fœcunditate esse uoluit, ut eorum cultus in septimum usque annum durare posset, cum cæterarũ regionum agri alij altero, alij tertio quoq; anno, alij quarto quiescunt à satu et cultu. Qua ex re cognoscimus agros non sua ui, sed munere & uerbo Dei fructificare.

Dimittes eam.) Intermittendã & sementẽ quam facias, & messionem. ita maior pars interpretũ. Alij serendos quidem agros, sed fruges relinquendas paucis. Hanc sententiam pauciores sequuntur.

Et per nomen externorum deorum.) à quorũ cultu ex Aegypto in meum translati estis.

Non iurabitis.] לא תזכירו Memoriam ne usurpetis, neq; eos celebretis, beneficia eorum prædicando. Nam זכר meminisse apud Hebræos pro colere, celebrem memoriam agere. Quod uerbum & in nouo fœdere usurpatum est: Hoc facite in mei commemorationem. Repetitur princeps Decalogi lex de uitando cultu aliorum deorum, quæ caput sit cæterarũ legum. Frustra enim cæteras leges exequi studueris, nisi fide uno numine Dei nitaris.

Tribus uicibus per singulos annos.) Lex de agendis festis, quæ tria numerat: de quibus ordine.

Solennitatem quoq; azymorum.] Primum festum Pesah est, quod in primo mense agi solitum fuit. Et quia agnus sacer cum azymis ac panibus non fermentatis edebatur, hoc festum Azymorũ festum appellatum est.

Mensis nonorum.] De אביב suprà: Mensis est uernus, quo tellus aperiri incipit. Græci similiter nostro.

Quando egressus est ex Aegypto.) Cuius memoria in gratiarum actione, & commendatione publica bonitatis diutnæ uersabatur. בי igitur nõ tempus, sed rationem ac caussam exponit.

Non apparebis in conspectu meo.) in eo loco ubi arca cum propiciatorio meo erit. ad quod qui apparebant, coram Deo apparere dicebantur, quod Deus fateretur se supra propiciatorium habitare.

Vacuus.] Sua quæ ipse dedit munera, ab Israelitis requirit quib. ornetur. Quàm latè id pateat, notũ.

Et solennitatem messis primitiuorum.] Alterum festum, quod agebatur iam messe facta: ad quod quoniam septem hebdomadæ à prima decurrebant, quæ quinquaginta dies efficiunt, id festum hebdomadarũ etiam festum appellatum fuit, & à nostris Pentecoste, legis, quæ quinquagesimo ab exitu ex Aegypto die promulgata est, memoria cœlebre. De Christi Pentecoste misso spiritu S. infrà in Leuitico meminerimus.

Solennitatem quoq;.) Tertium festum agi solitum iam conditis frugibus ex agris collectis. Quod etiam tabernaculorum festum uocabatur, quòd in eo memoria tabernaculorum ab Israelitis in deserto extructorum celebraretur.

In exitum anni.] Is anni exitus non uno modo supputatur. Qui annum exorduntur à uerno æquinoctio, exitum interpretantur pro fine laborum, qui in colendis agris, metendis congregandisq; frugibus & arborum fœtibus colligendis sumpti sunt. Qui uerò à Septembri auspicantur annũ, hi in eodem mense in æquinoctio uidelicet autũnali, Sole iam ingresso in Libram, illum finiri dicunt.

Non immolabis super fermento sanguinem uictimæ.] Hæc agnus Pesah est, cum azymis edi solitus. Itaq; paraphrastes על חם פסח. Sententia est, non mactandam uictimam pesah, prius quàm fermentum è domibus expurgatum sit.

Non coques hœdum in lacte matris suæ.] ut incommodum ad cibatum. Quam significationem humanitatis hæc lex habeat, non est obscurum. Euoluto typo occurrunt infirmi hœdi, quorum habenda sit ratio, ne ante tempus à lacte subducantur. De quo Apostolus: Lactis potu uos alui, non cibo.

Ecce ego mitto angelum meum.] Si typum spectes, Iehosua occurrit: sin ueritatem, Christus angelus testamenti, de quo Malachias: Et angelum testamenti, quẽ uos uultis. מלאך legatus est. Hebræis nomen commune angelis selectis ministris salutis sanctorũ, & ipsis prophetis, capitiq; legatorum Dei Christo filio Dei, qui de se apud Ioannem dicit: Vt faciam uoluntatem eius qui me misit.

Et audi uocem eius.) De Iehosua legimus, ut huius dictis Israelitæ obeduturos se profiteantur his uerbis: Omnia quæ præcepisti nobis, faciemus: & quocunq; miseris, abimus. De Christo cœlesti Iehosua legimus illud, Ipsum audite.

Nec contemnendum putes.] Vehemẽtius quidam habet Hebræus לא תמר בו Ne hũc irritato, ac contumaciter rebellem te præbeto.

Quia nõ dimittet.] A' minis. Itaq; Israelitæ: Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus quos præceperis ei, moriatur.

Quod nomen meum in eo.] qui nomine meo ut legatus ueniet. De Iehosua infrà: Sicut fui cũ Mose, ita ero tecũ: non dimittam, nec derelinquã te. Paraphrastes hic ארי בשמי מימר יח. Nec non nomen Dei in יח רש רע adnoscere licet. sed uerè in illo

Iehosua de quo Hieremias: Hoc est nomen eius quo uocabunt eum יהוה iusticia uestra.

Quòd si audieris uocem eius.] A promissione bonorum. Deliberatio contrarijs locis corstat. Parentes angelo, ornãdos bonis, rerum ad uictum cultumq; uitæ necessariarum affluentia, liberorum copia salubri cœlo, uictorijs hostium: nõ parentes uerò afficiendos contrarijs malis.

Inimicus ero.) Consolatorius locus, hostes sanctorum, hostes Dei, fore.

Præcedetq; te angelus.] tanquam dux præibit. De Christo legimus apud Michæam: Transibit rex eorum ante eos, & Dominus in capite eorum.

Et introducet te ad Amorræum.] mensura iniquitatis eorũ impleta, de qua suprà in Genesi. Typus in Iehosua, terra Chananæa, in uictoria Chananæorũ: ueritas in Christo, cœlesti hæreditate, & uictoria protestatis tenebrarũ. Cõferendæ umbræ cum umbris, et lux cum luce. Numerantur hic sex gentes, in Deuteronomio septem. Omittuntur Girgasæi.

Quos ego conteram.] Nota est metalepsis in uerbo רמחתיו Ita delebo ut nusquã appareant. In Deuteronomio usurpatur uerbũ חרם, quo significatur Chananæos tanquã deuotos excindendos ac funditus delendos esse. Hic exemplum memorabile seueritatis diuinæ iusticiæ cernitur. Suprà Chanaanẽ filiũ Chami, qui patris uerenda detexerat, seruituti destinatũ statim à diluuio legimus, in quo hic tandẽ decreta uindicta perficienda traditur. Sed quid peccauit Chanaan, ut patris Chami flagitiũ lueret? Patrem uitiosum uitiosa proles imitata est cũ posteris suis. quæ mala sua studia cum nõ desereret, semẽ iæ semel latæ obnoxia facta est, ut impleretur illud, in pœna irroganda iniquitatem patrũ in natos ad tertiã & quartã progeniem eorum qui oderunt me, persequar.

Non adorabis deos eorum.] sed me, in cuius ius assertus es. Exponuntur conditiones fœderis de obtinenda terra promissa.

Benedicam panibus tuis, & aquis.] In Deuteronomio additur: Et uino tuo, & oleo tuo.

Et auferam infirmitatem tuam.) In Deuteronomio: Auferet à te Dominus omnem morbũ, & infirmitates Aegypti pessimas quas nouisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis.

Non erit infœcunda.] nec in te, nec in iumentis tuis, quod additur in Deuteronomio.

Terrorem meum.) audita fama tui. Id impletum in historia Iosuæ legimus: Dissolutum est cor eorum, nec mansit in eis spiritus. Eximit fortissimarũ gentiũ formidinẽ per occupationem, quæ in Deuteronomio his uerbis figuratur: Si dixeris in corde tuo, Plures sunt gentes istæ, quomodo potero delere eas? noli metuere. Confirmat ibi consolationem exemplo: Sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, & cunctis Aegyptijs.

Emittẽs crabrones.] infestũ genus insectorũ. Autores sunt rerũ scriptores, ictus crabronũ haud temerè sine febri esse, et ter nouenis punctis interfici hominem figuratè notantur præuij terrores, quibus pugnandi sint Chananæi ad rumorem aduentantiũ Israelitarum. Sunt qui uertant צרעה pro בחלח Itaq; ex hoc loco confirmant, צרעה non semper lepram notari: sed generale uerbum morborum esse, atq; ipsos crabrones inde צרעה appellatos, quòd corpora conficiant.

Non ejiciam eos à facie tua uno anno.] & hoc quidem non malo tuo, sed bono, ut sequitur.

Ne terra in solitudinem redigatur.) In libro Iudicũ hæc redditur ratio, sed ad eos qui iã obtinebant terrã Chananæã: Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit ut erudiret in eis Israelẽ, & omnes qui nõ nouerant bella Chananæorum: & postea discerent filij eorũ certare cũ hostib. & habere cõsuetudinem pugnandi. Prælia igitur cum Chananæis tãtisper abesse litis cõmittuntur dum ueniat Dauid rex, qui deuictis quaquauersũ hostib. rerũ potiatur in selecto populo. Deponendũ uelũ. Itaq; impiorũ suus quoq; ad tempus usus est, suus satanæ, suus intestinorũ hostium cupiditatum, quæ in uetere homine aduersus nouũ & spiritum ipsum pugnant. Qui hostes ut nostrã fidem probent lijs exerceant, & robur augeant, ad tempus patienter ferendi sunt dum profligentur. Hæc est bonitas diuina, quæ omnia suis in bonum conuertit.

Ponam autem terminos tuos.] Descriptio finium terræ Chananæ. Remota hypothesi ad thesim, nascitur locus communis, cuius meminit Daniel: ipse transfert regna, & constituit. & Psal. In manu eius sunt omnes fines terræ.

Vsq; ad fluuium.) Euphratem. Quare Græci, ἕως τοῦ ποταμοῦ εὐφράτου.

Non inibis cum eis fœdus.) ut à fœdere meo abalienis. Itaq; Apostolus: Quod consortium Belial cum Christo? In Deuteronomio additur: Neq; sociabis cum eis connubia. Vtraq; igitur societate Israelitarum, & ciuili & ecclesiastica, priuatur Chanaan, ut stet illa sententia: Sit maledictus Chanaan.

IN CAPVT XXIIII.

Ascende ad Dominum.] Hic quo ordine distincti Israelitæ sint, exponitur. Summum locum tenuisse Mosem, medium Aaronem & Abiũ cum septuaginta senatoribus, infimum reliquum populum ad radices montis Sinæ.

Atq; iudicia.] iura quæ superioribus capitibus exposita sunt.

Vna uoce.] Consensio populi in iura & leges Mosaicas suprà expositas. De consensione in legem et iura Euangelij legimus illud Prophetæ: Et dabo eis cor nouũ ut timeant me. item illud Ezechielis: Et dabo eis cor nouũ, & spiritũ nouũ. De uetere populo legimus ut is ipse suis uiribus fretus legem præstaret. tenetet. Hic enim scribitur: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus. Quem contrà gessisse se constat, qui comparatur in Euangelio filio promittenti se abiturum in uineam, quã tamen in eam non abierit. At rarum in uineam, quã tamen in eam non abierit. At rarum uus populus accipit spiritum nouum, quo perficiat legem Dei. De quo mox.

Scripsit

Scripsit aũt Moses.) Locus de uetustate literarũ, & scribendi usu.

Omnes serm. hos.] iura legesq; reip. Israeliticæ.

Aedificauit altare.) Explicat sacras ceremonias quibus cõfirmata sunt iura, & ipsum fœdus sancitum.

Et duodecim titulos.) statuas tanquam monumenta rerum ibi gestarum nominibus duodecim tribuum Israelitarum insignitas.

Misitq; iuuenes.] primogenitos Israelitarum: aut, ut nonnulli, senatorum. Quare Chaldæus, בכורי בני ישראל.

Ille uerò sumptũ sanguinem respersit.] ad emundandos ac expiandos Israelitas. Deposito uelo, occurrit illud Apostoli: Nam si sanguis taurorum & hircorum, & cinis iuuencæ aspergens, iniquates sanctificat ad carnis purificationem: quanto magis sanguis Christi purgarit conscientiã? Cui sanguini præluit omnis uictimarũ sanguis ab Abele, usq; ad Christi cœlestis hostiæ sanguinem.

Hic est sanguis fœderis.] ueteris. De nouo illud, Hic est sanguis noui Testamenti. In utroq; igitur fœdere sui Israelitæ cum quib. fœdus initur, suus sanguis fœderis cõfirmator, suus legislator, sua iura, sua legata bona cernũtur: sed quo discrimine, pijs nõ obscurũ.

Et uiderunt Deum Israel.) speciem hominis, in quo declarabatur Dei præsentia. Hac specie significabatur, Dei uerbum carnem futurum. De quo illud: Verbum caro factum est. Humana autem specie Deũ apparuisse, declarant sequentia.

Super cunctis sermonib.) in omnia iura ac leges iam recitatas tanquam conditiones mei fœderis.

Subpedibus eius quasi opus lapidis sapphirini.] Interpres secutus paraphrastem Chaldæũ, pro לבנת uertit אבן. Vox Hebræa laterem ac coctilem lapidẽ sonat. Sunt qui cãdorem ac alborem ex לבנת reddunt. sed quid faceret hic candor? Sapphiri enim cæruleæ sunt, & eas quæ præclaræ sunt, aureis punctis collucere tradunt. quæ species coctilibus lapidib. congruit. Neq; operi sapphirino coctilis lapidis color parum congruerit. Quod enim sub pedibus Messiæ uidet tale opus, id sponsa eius fuerit. cuius figura speciem & sapphiri & coctilis lapidis ad ignem crucis bene excocti nõ malè refert. Nam huius membra sapphiris comparat uates, ubi dicit: Fundabo te in sapphiris. De igni autem excoctore illud: Exploraſti nos igni. Itaq; etiam Græci pro לבנת πλίνθῳ reddiderunt. Vt hic Mosæ apparuit sub pedibus Domini opus sapphirinum lateris: ita figura solij Messiæ ad speciẽ sapphiri repræsentata fuit Ezechieli. Ex quo solio ignis proficiscitur ad speciem sapphiri & cœli, sponsam Messiæ expurgans. de quo igni apud eundem Prophetam, & hic apud Mosem. Opus quoq; coctilis lapidis admonere potuit eius ignis quo instar coctilium lapidum explorati in Aegypto fuerant Israelitæ, ut peruenirent ad eam claritatem oraculorum quæ eis expectanda erat, & in cœli sereni similitudine exhibenda. De qua claritate uates: Lucerna pedibus meis uerbum tuum.

Nec super eos qui procul recesserant.] Hebræus indicat damno non fuisse primatib. q. uidissent Deũ. אציליו uox nota, pro qua paraphrastes לרבריבי & pro יד id est manu בוקא quod damnum est. Optimates uidẽtur dicti אצילים, quòd à reliquis dignitate separati sunt. notum enim est uerbum אצל.

Et comederũt.] de sacrificio et uictimis de pace.

Ascende ad me.] denuò etiam prælecto libro fœderis.

Daboq; tibi tabulas lapideas.) Decalogũ continentes. Mysticam rationem tabularum lapidearum explicat Ezechiel his uerbis: Et auferam cor lapideũ de carne eorum, & dabo eis cor carneum. Conferenda fœdera, selecti, iura, tempora.

Vt doceas filios Israel.] Nihil docendum præter oracula Dei. Locus memorabilis, humanarum doctrinarum doctores perstringens, quòd ad Dei cultum religionemq; attinet.

Et Iosue minister eius.] Cur Iehosua cum Mosa coniunctus hic legatur, norunt hi qui rationem & discrimen salutaris Christi & Mosæ legislatoris tenent.

Si quid natum fuerit quæstionis.] Cauetur per nicioſa αὐταρχία.

Operuit nubes montem.) Moses in nube uersatur, Christus in splendore & luce. Quod si legitur hunc obumbratũ nube, & nube subductũ in cœlum, ea nubes tamen cõparata Mosaicæ, luce nõ caruit: legitur enim lucida fuisse. collata uerò ad claritatẽ futuram, nobis eam nubem repræsentat de qua Apostolus: Cernimus nunc per speculum in ænigmate.

Sex diebus.) Nec is senarius pijs ignotus est, cur septimus dies claritati, sex caligini & nubi destinentur.

Quasi ignis ardens.) Species digna Deo est, qui cum throno suo ignis sit, et cuius Messiæ oculi tanquã flamma ignis: & cuius genij ministri, ignis flammans sint. ubi ab interprete redditur, Ignis ardens, in Hebræo legitur אבל, quod sonat consumens. Hebrææ igitur uocis uim uidetur exprimere Apostolus in epistola ad Hebræos capite duodecimo, ubi ait: Deus est ignis consumens: καὶ γὰρ ὁ θεὸς ἡμῶν πῦρ καταναλίσκον.

Et fuit ibi quadraginta diebus.) De quibus scribitur: Panem non comedi, et aquam non bibi. Quadragenarius numerus ex quaternis denarijs cõstatus perpẽdendus erit. Is numerus præparationi ad perfectionem conficiendam diuina ratione destinatus est et in sacris rebus, & in ipsa natura. Nam si naturam spectes, physici tradunt corpus per quadraginta dies ad animam in eo excitandum, confirmari: sin sacra, legimus hic Mosem quadragenario ieiunij tempore præparatum ad suscipiendam ex ore Dei legem quam Israelitis promulgaret, quæ ciuitatis anima est. Elias quadraginta dierum ieiunio sub spiritu Dei purgatore mundatur ad audiendam cum fructu uocem Dei. Et caput sanctorum Messias in statu infirmæ carnis capitalem humani generis hostem uicturus quadragenario ieiunio confirmatur spiritu, & iam excitatus ex mortuis priusquàm cœlos peteret, quadraginta diebus ad ingressum cœli paratur.

IN CAPVT XXV.

VT tollant mihi.] Tertium genus legum tractatur, quod in ceremonijs uersatur. in quibus spectare duo licet: unũ, typus est ac umbra rerum futurarũ: alterum, res adumbratæ. Typos Moses formatur: res hic repræsentatas Christi spiritus subducto uelamine, aperit. De altera parte Apostolus his uerbis meminit: Hæc sunt umbra rerũ futurarum. De altera uerò idẽ Apostolus: Corpus aũt Christi. Ioannes item: Gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est. Qui igitur in hac legũ cæremonialiũ parte cognoscenda uersantur, Christum & corpus eius Ecclesiã propositũ habere debent. Huc enim omnes hæ leges tanquam in scopum collimãt, quibus ij quos uetus fœdus complectebatur, tanquã sacris notis uenturi Christi & Ecclesiæ per orbem terrarum ædificandæ admonebantur. Hæc autem ferè sunt capita rerum quas mysticæ cæremoniæ comprehendunt. Primò occurrit tabernaculi extructio: deinde res quæ tabernaculo cõtinentur, ut erant, mensa, candelabrũ, arca cum propiciatorio, aræ, & ad sacrorũ usum parata uaria instrumenta: tertiò sacerdotium ipsum, & eius uestitus atq; munus cum ipso ritu consecrationis: quartò uaria sacrificia & expiationes: demum non unius generis lustrationis sancti populi leges. In tabernaculi autem & earum rerum quæ in illo uersantur, ædificatione, expendimus materiam, magnitudinem, figuram, ornatum, partes, usum. Materiam primò, ut mox patebit, proponit Moses. Dũ igitur is terram, aquas, aerẽ, cœliq; lumina, metalla, gemmas, olea, sales, stirpes, animantia, et tot ab hominib. numinis Dei beneficio inuentas artes percurrit, nihil esse in hac uniuersitate rerũ ostẽdit quod Christo Iesu adũbrando inseruire diuina sapientia nonuoluerit. At cũ hac de re alio loco dictum sit, hic breuiores erimus.

Primitias.] תרומה in loco munus honorarium est, quod quisque sua sponte tribuit. De etymo aliàs. Varia hic cernuntur munera quæ quisq; pro sua facultate, non inuitus sed ultrò ad tabernaculi structuram ornatumq; conferat. Hoc modo qui munera sua attulerunt, Deo grati sunt. Sic enim Apostolus: Hilarem datorẽ diligit Deus. Sunt munera quæ dantur ex lege, sunt item quæ ex uoto: sed maximè laudata sunt quæ sua sponte quis dederit. Reducto uelo Ecclesia occurrit, cuius ædificatio ut adiuuanda sit, collatione munerum hic monemur. Vnde illud Apostoli ad Ephesios: Idẽ dedit alios quidem apostolos, alios uerò prophetas, alios euangelistas, alios aũt pastores et doctores ad instaurationẽ sancto-rũ in opus administrationis in ædificationẽ corporis Christi, donec perueniamus omnes in unitatẽ fidei et agnitionis filij Dei.

Aurum & argentum.] Aperit se usus opum quas secum ex Aegypto spoliatis Aegyptijs exportarunt. Nominantur hic aurum & argentũ, quæ quantam puritatis & firmitatis aduersus ignẽ præstantiã habeant satis notũ est. Sic sunt munera quæ præeunte luce fidei & ignea flammeaq; charitate Deo offeruntur ad ædificationem tabernaculi, de quo Apostolus ad Ephesios capite 4. & 2. meminit.

Hyacinthus.] Similiter Græci pro תכלת ὑάκινθον, lanam hyacinthino colore infectam. Nec aliter Iosephus. Hyacinthus & flos & gemma inuenitur. At quoniã India hyacinthos mittit aureo colore suos, qui תכלת de lana flauo colore tincta interpretatur, Iudæi grauu uuoll, de lana cæruleo ac cyaneo colore imbuta. Locus de uetustate artis tingendi ac inficiendi lanas.

Et purpuram.] Purpura piscis est ex maritimarum concharum genere qui florem ac succum illum tingendis expetitum uestibus in medijs habet fauc. liquoris hic minimi est in candida uena, unde preciosus ille bibitur nigrantis roseæ in colore sublucens.

Coccumq; bis tinctum.) Coccum rubens granum ferunt esse, succũ fundẽs quo lanæ uibro tingi solent: idq; in Lusitania reperiri celebre. Ruboris splendidioris est coccus, q̃ purpura. Quò spectãs Paraphrastes uertit צבע צוחרי. Nonnullis rosin rot placet.

Et byssum.) Lini genus est quod in Aegypto datum nascitur. Hic candidi lini, non infecti meminit, qui suprà tinctarum lanarum meminisset, quanquam etiam linum tentatum tingi, certi authores sunt.

Pelles hyacinthinas.] Græcos sequitur, ὑακίνθινα μαστὰ habet. Nouatiani Hebræus pelles תחשים hyacinthinas interpretatur, quos Germani Tassi de melibus interpretantur, quos Germani Tassi appellant: quæ uocula ab Hebræa non multum abludit. Paraphrastes de animali uario colore respersa exponit: sed quale sit, nõ docet. Sũt quib. bos placet. adeò Hebræi ubi rerum uoces aguntur, sunt uarij & incerti, ut unà cum misero exilio etiam rerum ignorantiam illis obrepsisse intelligas. Solertiam meliùs prædicant rerum scriptores. Animans enim hoc ferunt in metu suffiatæ cutis distentum, ictus hominum & canum morsus arcere.

Et ligna Sethim.] Iosepho autore ligna ἐχόντα τὸ φύσιν sunt, & σῦλον δὲ κεκθῆν δυνάμενον. Id est firma, & quæ cariem non sentiant. In eandem sententiã Græci qui habent, ἀσηπτα ἄσηπτα. Hæc descriptio cedris, tineis & uetustati non obnoxijs conuenit, ob quam arboris firmitatem ac æternitatem profanæ gentes sua simulacra factitauerunt. Cedrinus enim Romæ in delubro Apollo Sosianus usus est ad Sexcentesimum aduectus.

Et gemmas ad ornandũ.) שהם nox notat inclusos auro lapides foruli aũt ac ualuli quib. inseruntur gemmæ בשבצות ab Heb. appellantur. Iosephus λίθους τε ἐν ἐνδεδεμένους χρυσίῳ λαβεῖν γενέσθαι.

Et habitabo.) Vau Hebræum Vt τελικὸν notat, Vt habitem. Dicas: Quî Deũ tam angustũ tabernaculum capiat, cuius sedes cœlũ dicatur, & scabellum pedum eius terra. Iussi nõ sunt tabernaculũ fabricari, quod Deũ cõcluderet: sed in quo diuinitus uoluntatẽ suam declararet, & responsa daret, dum hæc sub tempus plenitudinis in Christo et Ecclesia, uero illo et cœlesti tabernaculo, retecto uelo, palàm in toto terrarũ orbe se ostenderet. De quo tempore Christus his uerbis: Venit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem spiritu & ueritate.

Ac rationale.] חשן pectorale est. Duo sunt ami-

sint

ctus ac ornamenta facci dotalia: ephodus posteriorem partem hoschen pectus tegebat. alter à Græcis ἐπωμὶς, quòd humeros tegeret: alter ποδήρης, quòd à pectore talos uersus se demitteret, appellatus.

Iuxta omnem similitudinem.] תבנית מקדּ אלגמא ac exemplar, ut Græci uertũt, notat. Ad exhibitũ diuinitus exemplar ac ideã tabernaculũ architectandu. Quæ idea indicat tabernaculũ Mosaicũ non humanũ, sed diuinũ opus fuisse. Vnde quoq; cœlestiũ rerũ notis ac signis destinatum fuit, ut Apostolus his uerbis dicit: Qui quidẽ exẽplari ac umbræ deseruiunt cœlestiũ. Quare ut duplex mundus est, alter creatus tum maior, tum minor homo, cõstans corporea & spirituali, terrestri & cœlesti materia: ita bipartitũ tabernaculũ ac tẽplum Dei est, à terũ artificum manu factum ex lignea & lapidea materia: alterum archetypum, in quo uiua ideæ & exemplar earum rerum quas Moses & Salomon iussi sunt condere, cernitur.

Arcam de lignis Sethim.) Materia arcæ ligna cedrina. Primò res quæ tabernaculo cõtinentur, exorsus ab arca præcipua sanctuarij parte, tractat. Variãt interpretes de arbore שטים. Alij Apinum, alij genus cedri, alij buxum, alij genus arborum quæ ad Sinam montem nascuntur, (sed quo nomine alijs linguis nominetur, non explicant) esse uolunt. Græci ἀσηπτὰ ligna reddunt. At in arboribus quæ cariem & putredinem non sentiunt, nominantur non solum cedri, sed etiam cupressi, taxus, olea, buxus, iuniperus.

Cuius longitudo.] Magnitudo, & arcæ figura, quæ fuit quadrata. Cubitus palmos duos maiores, minores uerò sex: minor palmus quatuor digitos, maior mensuram à pollice ad minimum digitum manu extensa complecti: ut.

Deaurabis.] ut lignum nusquam appareat. Expendenda ad explicandum mysterium, ortus, natura, uis & firmitas auri, ex physicis.

Coronam auream.) Ornatus arcæ.

Vt portetur.] à sacerdotibus. Nam arca neq; uehiculo, neq; ab ijs qui sacerdotes non erant, portari solita est, ut ex Numeris & ex libris Paralipomenũ patet. Itaq; cum Bethanitæ illam curiosius contemplati essent &, Ozias eã temerè contrectasset, grauissimè, ut Regum libri testantur, puniti sunt.

Ponesq; in arcam testificationem.] duas tabulas Decalogi, quas עדות appellat, quæ testimonium darent uoluntatis diuinæ. Exponitur usus arcæ, qui bipartitus cernitur: unus, in umbra, alter in re & ueritate: umbra erat, quòd fieret arca in qua tabulæ Decalogo inscriptæ, ipsa manna & Aaronis uirga reponerentur. Qua de re suprà & in Numeris: Veritatẽ autẽ & rem ipsam explicat propheta Ieremias his uerbis: Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meã in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eã. Hæc est uiua fœderis noui & diuinæ legis non in tabulis lapideis, sed carneis scriptæ, atq; cœlestis mãnæ) de qua illud: Ego sum panis uitæ) spiritusq; regij & sacerdotalis, qui per Aaronis uirgam significabatur, arcula, quam tegit propitiatorium Christus, de quo mox. Arca mystica ex lignis cariem et uetustatem non sentientibus extructa est, & auro tum intus, tum extrà inducta. Cœlestis illa arca oraculorum Dei firma sedes ut tineis obnoxia non sit, declarat illud: Quæ est Ecclesia Dei uiuentis columna & stabilimentum ueritatis. Portatur suis uectibus arca Mosaica, nec desunt uectes, quibus arca, quæ Ecclesia est, in huius mundi solitudine defertur: uectes inquam diuini uerbi, de quibus Apostolus: Portãs omnia uerbo potentiæ suæ. At ut duplex est administratio uerbi Dei, altera legis, altera Euangelij: ita duo longurij sunt ac uectes, quibus cœlestis arca portatur: alter in legis Mosaicæ, alter in Euangelij functione uersatur. Nam Ecclesia dum hanc carnem circumfert in uasta huius mundi solitudine, tum legalis ferulæ seueriore disciplina ad agnoscendam noxam, et miserum à culpa & morte statũ, tum Euangelij doctrina cõsolabunda, qua sub spe tandem cernẽdæ promissæ hæreditatis gubernetur ac feratur, opus habet: ut Israelitæ olim in solitudine oberrantes in lege Mosaica, tum fide uenturi Christi & spe possidendæ terræ Chananææ regebantur. Corona regali aurea ac splendida ut cincta sit, quoq; non mutuata arca, indicat Ioannes: Et habebant in capitibus suis coronas aureas. Et Apostolus: Vt accipiamus coronam æternam.

Facies & propitiatorium) כפרת tabula erat quæ tegebat arcam supernè apertam. Itaq; & operculi quidem quod tegeret propitiatorij nomẽ tenuit, quòd ad eam Deus reconciliari soleret. Quapropter Græci reddiderunt, ἱλαστήριον ἐπίθεμα, pro una uoce כפרת duabus expressis.

De auro mũdissimo.) Materia propitiatorij. Arca ex lignis inauratis extructa fuit, propitiatorium de solido auro. Depone mysticum uelum.

Duos cubitos & dimidium.) Magnitudo reconciliatorij longitudine & latitudine arcæ par erat: altitudo & crassities nõ indicatur, quã tamẽ Hebræi interpretes dicunt mensurã טבח id est palmi tenuisse.

Duos quoq; cherubim.] כרובים uidetur generaliter alatam figuram res diuinas significantẽ notare, sed in qua hominis species prætualeat. Nam Ezechiel figurã quatuor animalium in uiso oblatam, hominis, leonis, bouis, aquilæ, Cherubũ appellat. Iosephus autor est, ζῶα φέτεινὰ εἶναι μορφὴν ἀλλοίαν τῶν ὑπὸ ἀνθρώπων ἑωραμένων πτερώσεως, id est, animantia uolucria forma nullius eorũ quæ ab hominib. usa sint similia. Sũt interpretes qui tradunt omnẽ figurã fictam, siue alata sit, siue secus, quæ in rerum natura non cernatur, Cherubi nomine significari.

Et productiles facies.] מקשה indicat Cherubos solidos ex ipsius operculi materia ductos. Dicit enim Moses: מקשה תעשו את כרבים.

Alas suas) Alati igitur fuere Cherubi.

Inde præcipiam.) ונועדתי testificari pro responsa dare. Vsus propitiatorij ac Cheruborũ. De propiciatorio inter Cherubos Deum uelle responsa dare, & suis reconciliari: idq; factũ legimus in Numeris. Cumque egrederetur Moses tabernaculum fœderis, & consuleret oracului, audiebat uocem loquentis ad se de propitiatorio. Quod erat super arcam

testimonij. Is erat Mosaici propitiatorij usus: uerus in Christo cœlesti propitiatorio cernitur, & in nuncijs decretorum Dei ueris illis Cherubis. De Christo legimus illud. Quem proposuit Deus propitiatoriũ per fidem, interueniente ipsius sanguine, qui arculam suam Ecclesiam tuetur sub alis Cheruborum suorum & eius peccata tegit, solidè aureus, id est ab omni labe liber, ut arcam mysticam propitiatorium suum totum aureum obtexit. Hinc Psalm: Beati quorum tecta sunt peccata, tecta inquam operculo illo gratiæ & reconciliationis, de quo Iesaias: Et ipse peccata multorum tulit. Tantæ rei admonuit Mosaici propitiatorij tanquam sacrum signum structura contra eos qui meritũ sanguinis reconciliatoris Christi Iesu, sua merita extollentes imminuere student. Quòd uerò ad Cherubos pertinet, hi communiter decretorum Dei sacros nuncios ac legatos denotant, siue ex genijs diuinis, siue ex hominib. prophetis & Apostolis delecti sint, quos nobis tanquam celebres & promptos consiliorũ Dei ad homines declarandorũ nuncios uolucres Cherubi repræsentant. Sic enim in Genesi suprà in Cherubis accipiuntur angeli fulgentibus gladijs minitantes primis hominibus exilium ex paradiso. Sic quatuor animantium figuræ Ezechicli ostensæ, legatos diuinos in terrarũ orbem amãdãdos significant, quas formas Propheta, ut monitum, Cherubos uocat. Quapropter ut Cherubi inter se conuenientes in propitiatorium uultus suos conuertunt: sic legati diuini ad nutũ & arbitrium eius se componunt. de quo uates: Et clamabunt alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum. plena est terra gloria eius. Is autem Dominus Christus Iesus est, filius Dei uiuentis. Hinc Dominus super Cherubos uehi et uolare in Psalmis dicitur, & quadriga qua Dominus feratur 1. Paral. 29. appellantur. Qua in re significatur Deus omnia per legatos suos denunciare & conficere. Vnde qui hic Cherubi, apud Ezechielem quatuor animalia, plena oculis & alis currentia per uniuersam terram: & Seraphim, apud Iesaiam: apud Danielem, ministri eius qui in throno excelso sedet, dicũtur, hoc est Christo ab utroq; latere assistẽtes tanquã expediti ad omnia obsequia assecl æ. Duo autem Cherubi significant utriusq; fœderis oracula in unũ Christũ referri.

Habentem duos cubitos longitudinis.] Magnitudo mensæ. Quare longior arca dimidium cubitum quàm mensa fuit, eadem mensura latior, sed pari altitudine, utpote sexcubitali.

Et inaurabis eã.) Quod habet cũ arcã cõmune.

Labium.) Ornatus mensæ מסגרת margo erat palmæ magnitudine mensam per ambitum claudens. Vnde Hebræa uox ducta, cui margini corona aurea applicata mensam ornabat.

Per singulos pedes eius.] Iosephus monet mensam pedes habuisse à medio ad imum teretes: ea autem parte qua pertinebat ad arcam, quadrato opere fuisse, & singulis pedibus singulos annulos annexos.

Subter coronam.) secundũ marginẽ ac limbum.

Portari.] à sacerdotib. Vsus annulorũ & uectũ.

Acetabula.] קערתין alij scutellas. Hebræi interpretes קערות id est typos quosdam panis, quorum duo genera tradunt: unum ferreorum typorum, quibus formãdus panis impositus in furnũ mittebatur, sin quo pinseretur: alterũ aureorum, in quibus panis iam coctus, & ex furno depromptus, in sabbatũ seruabatur.

Ac phialas.] Cochlearia interpretantur nonnulli, quæ duo fuisse tradunt, et ea thure puro impleta super mensam collocari solita dicunt. Quam suam sententiam confirmant ex Leuitico, ubi quomodo super mẽsam solitũ sit thus poni pro igneo sacrificio legitur.

Thuribula.] מקשיתיו dimidiatos calamos aut fistulas nonnulli reddunt ita paratas, ut spirante uento per eos panes integri ne mucescerent seruarentur.

Et cyathos.) מנקיתיו Hebræis pali terræ infixi sunt fistulas ipsas sustentantes, alijs aliud. Græcus noster, λιβὰς τὰς λιβάδας.

Et pones super mensam.] Vsus mensæ. Velo mystica mensæ deposito, occurrit mẽsa de qua Dominus apud Luc. Vt edatis & bibatis super mẽsam in regno meo. super regiã inquã mensam addit enim, in regno meo. Quò corona regia mẽsæ marginẽ undiq; cingens alludit. Notum enim est quales cõiuuas excipiat coelestis illa mẽsa, de quibus illud Ioan. Et fecit nos reges et sacerdotes Deo et patri suo, qui quoq; soli cœlestis hoc cibo uescuntur, nõ profani, ut Aarõ cũ liberis suis mystico panib. uescebatur. De quibus in Leuitico in hũc modũ legimus: Eruntq; Aarõ & filiorũ eius, ut comedant eos in loco sancto. Nec deest duodecim panũ sua ratio. quod ad panes attinet, legimus: Ego sum panis ille uitæ qui de cœlo descendi. Quod uerò ad duodenarium, occurrit Ecclesia hoc pane nutrienda quæ duodenario tribuũ Israeliticarũ repræsentatur. Ad hæc incensi thuris igneũ sacrificiũ cũ panibus cõiungebatur super mensam, quod memoriã panũ excitaret coram Domino. nec thuris sacrificiũ igneũ deest pontifici nostro cœlesti. Sanctorũ enim oratio flammea & flagrans & in cœlos ipsos penetrãs panis uitæ qui Christus est memoriã apud patrẽ qui nos nutriat & alat uitæ æternæ alimento, fusciteat. thus inquã illud orationis de quo in precatione Dominica, Panem nostrum ἐπιούσιον da nobis hodie.

In conspectu meo.) uicinos propitiatorio, in quo splendor meus habitat. Mensa enim in tabernaculi parte septentrionali collocata fuit, non longè abadyto, ut mox patebit.

Facies & candelabrum.] In fabricatione candelabri magnitudo eius non explicatur. Interpretes Hebræi duodecim palmos altum fuisse tradunt.

De auro purissimo.] Materia candelabri.

Hastile eius.] Numerat corpus, partes, & ornamẽta cãdelabri. corpus erat basis cũ medio scapo: partes ac membra sex calami ac scapi ex laterib. cãdelabri exeũtes. in ornatu scutulæ, globi et flores ponũt.

Hastile eius.) ירך interpretibus basis est candelabri, quam tripedem fuisse uolunt.

Et calamos. חקנה calamum eius, medius scapus est, de una base erectus.

Ac lilia.) Pictura florũ erat. Græcos sequitur et Josephũ qui habẽt λειρία. Rationis germinandi species pra-

præsulit pictura. In hac enim globus clausus, deinde eius apertio figuram patentis calicis præbens, demum oriens ac prorumpens flos offertur.

Tres scyphi quasi in nucis modum] speciem amygdali dimidiatæ præferentes. Paraphrastes: משקדים pro מגביעים reddit, significans scyphos eleganter fictos fuisse.

Ex ipso procedentia.) Ex una auri massa omnia conflata fuisse, corpus ipsum, basem & medium scapum, sexq; reliquos calamos cum suis scyphis, globis, & floribus. Itaque infrà dicitur candelabrum מקשה id est solidum ac integrum esse.

Sphærulæ sub duobus calamis.) Subter tria calamorum paria ex candelabro prodeuntia singendos singulos globos. Calamos rotundos & חלולים id est cauos fuisse tradunt. Nõ dissimiliter Iosephus, qui candelabrum inane fuisse dicit. Si igitur scyphos, globos, flores supputes, in toto candelabro inuenies septuaginta. Quem numerum etiam Iosephus supputauit. Qui numerus quàm sacer sit, multa in sacris literis memorata indicant.

Facies & septem lucernas.] cum septem receptaculis olei & elychniorum.

Vt luceãt ex aduerso.) In frontem candelabri lucernas accẽsas, quæ ante se cuncta collustrarent in tabernaculo. Vsus candelabri & lucernarum cernitur in collustrando. Remota umbra offertur candelabrum Christus, è quo septem lampades lucis ueræ exeunt, de quibus Ioannes: Et septem lampades ignis ardentes ante thronum eius, qui sunt septem spiritus Dei. Spiritus inquam septem uitalis lucis quos Iesaias propheta plenè in Christo residere, & ab eo exire in membra corporis sui, quod est ecclesia, confirmat. Quod est hic sex calamos oriri ex candelabro. Notum enim est illud: De plenitudine eius omnes accepimus. Quod uerò ad ornatum attinet paterarum, globorum & florum, natura atque uis lucis germinantis explicatur, quæ primò in crassis sanctorum hominum animis tanquam in globulo & semine clausa atque abscondita est. Deinde se paulatim profert globo in speciem pateræ patefacto, demum in florem exit fructus afferens. nec ratione caret, quòd omnia ex una auri massa ducta sunt. Nam inde monemur eius rei cuius Apostolus his uerbis meminit: Diuisiones donorum sunt, sed idem spiritus. Item: Hæc omnia unus ille & idem spiritus distribuens peculiariter unicuiq; pro sua uoluntate. Quapropter qui tradunt medio scapo solem reliquis sideribus lumen fœnerantem, & sex reliquas errantes stellas sex calamis & lucernis candelabri repræsentari, hi non expẽdunt illud Apostoli: Hæc sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi.

Talentum auri.] De quo uideris apud Iosephum lib. 3. Iudaicarum antiquitatũ, & de minis libro 14.

IN CAPVT XXVI.

TAbernaculum uerò.] In structura tabernaculi expẽdenda fuerit materia, magnitudo, partes, ornatus, habitacula, rerũ in eo collocandarum ordo, & usus. Materia est byssus, hyacinthus, coccus, pelles caprinæ, arietina uellera, materies cedrina, aurum, argentum, æs. Magnitudo triginta cubitorum longitudine, decem altitudine, & totidem latitudine comprehenditur: partes sunt parietes & tecta. parietes tres ex asseribus cõficiuntur. Meridionalis uiginti habet, totidem aquilonaris: occidentalis sex, orientalem plagam uelum operuit. tectum quadripartitum cernitur. Vnum decem sagis, quibus superna & parietes tegebantur: alterum, undecim stragulis ex caprinis pilis contextum, tertium ex arietinis uelleribus: quartum ex pellibus melium ad cœli iniurias arcendas conflatum est. Ornatum tabernaculo picturæ Cheruborum, & inaurationes attulerunt. Habitacula uerò quibus distinctum fuit tabernaculum, duo præcipuè uisuntur: unum, adytum est, ac penetrale: alterum, cella dicitur ab adyto separata uelo. Tertio loco atrium potest numerari, suis quoq; rebus quas recipiat, destinatum. Ordo rerum in tabernaculo reponendarum in situ arcæ, mensæ, candelabri, aræ, & labri cernitur. Vsus autem qualis fuerit, suo loco indicabitur. Tradunt ueteres mundum, tabernaculum, templum Salomonis, corpusq; humanum eadem mensura atq; ratione fabricata esse, ut aptũ unumquodq; horum diuinitatis ædes in qua uersaretur, foret. Hinc apud Ioannem ciuitas superna, quæ sanctorum Ecclesia est, hominis mensura mensurata dicitur, quæ est angeli. Quis autem nomine angeli intelligatur, pijs non obscurum.

De bysso retorta.) Tradunt interpretes cui usq; aulæi filum ex quatuor generibus istis, bysso, hyacintho, purpura, cocco, textum fuisse. Denarius cortinarum numerus perpendendus fuerit.

Variatos opere plumario.) Hebræus indicat aulæa Cherubis picturata opere phrygionis, quas picturas non acu, sed textura intextas esse dicunt.

Longitudo cortinæ unius.) Quæ in altitudinem tabernaculi extendebatur tegens superas partes, & parietes ex asseribus confectos. Vigintiocto cubitorum numerus constat cubo ternarij, hoc est tribus nouenarijs & uno. In cubo rerum uarietatem, in uno Deum notari. Hæc ut in cœlesti tabernaculo cernantur, perpendunt pij.

Latitudo quatuor.] Quæ in longitudinem tabernaculi extendebatur, quam longitudinem tabularum latitudo quæ continebat quadraginta cubitos, decem cubitis excedebat. Sed de hoc excessu suo loco. Neq; hic prætereundos quaternarium & quadragenarium numeros uolũt. neq; quinarius centrũ denarij in quo coniunguntur ordine negligendus.

Ansulas hyacinthinas.) Quibus uncí ac fibulæ includebantur ad connectenda aulæa in ipsis cõmissuris. Quinquagenarius coniunctionis & placationis numerus hic perpendendus.

Circulos aureos.] Vnci erant ac sphintres, ad fibulationem concinnati.

Saga cilicina.) ex caprinis pellibus confecta stragula.

Tri-

Triginta cubitos.] Hoc igitur operimentum illud superius cuius longitudo est uicenum octonum cubitorum, duobus cubitis superat. Quod ideo fieri dicunt tabernaculi longitudo trigenum cubitorum est, latitudo denum, ut mox ex columnis patebit. priorum igitur aulæorum decem cubiti tabernaculum superne in latitudinē decem cubitos patens tegunt. De lō gitudine igitur uicenum octonum cubitorum cum supersint octodecim cubiti, horum binis pissitatem tabularum quam ferunt cubitalem fuisse, texerunt. reliqui dimittebantur utrinq; octoni, at cum restent duo adhuc asserum cubiti à prioribus stragulis minimè tecti parantur secundi ordinis aulæa duobus cubitis lō giora, quæ quod priora non operiūt, ipsa operiant. Dicas, quid fiet superiorum stragulorum latitudini quæ quadraginta cubitis patent? decem enim illa numero sunt, quorum singula quaternos cubitos in latitudinem occupant. Huic quæstioni ita occurrunt: Triginta illorum cubiti supernè tensi, in tectum tabernaculi triginta cubitos longi, destinantur, reliqui decem occidentali parti inumbrandæ quæ decem cubitos lata est, & totidem attollitur, deseruiunt, unam etiam partem occupante crassitudine asserum quam Iosephus quatuor digitorum, alij cubitalem fuisse referunt.

In fronte tecti duplices.) id est cum stragulum cuiusq; latitudo quaternum cubitorum sit, sexti dimidium in frontem tabernaculi quæ oriens est, redundabit, alterum uerò dimidium in posteriorem tabernaculi partē replicabitur. Hæc in ipso opere aspectu usurpata melius intelliguntur.

Fibulas æneas.] Stragula priora auricis uncis ac fibulis connectebantur, hæc æneis. Itaq; ut quæq; interioribus tabernaculi partibus uiciniora erant, ita magis preciosa & splendida fuerunt.

Quod autem superfuerit in sagis.) Vnam partem hoc est duos cubitos sexti stragulī, in frontē, alteram in tergum replicandam. Frontem igitur oriens, tergum occidens, dextram meridies, sinistram uerò septentrio tenuit.

Et cubitus ex una parte pendebit.) Hactenus de latere orientali & occidentali. Iam quid de alteris duabus partibus, meridionali & septentrionali agendum sit, monet. Hæc est sententia: Prius tegumentum quoniam plures altitudinis tabernaculi in utroq; latere aquilonari & meridionali quàm octonos cum deni sint, cubitos non contegit, hoc igitur alterum operimentum parari, quod sua longitudine reliqua usq; ad bases operiat.

Facies operimentum aliud.] Tertium tegumentum.

Aliud operimentum ex hyacinthinis.) Quartum ex melium pellibus conflatum ad prohibendam tempestatē cœli. Noster interpres Græcos sequitur, qui fortassis quod hoc postremum operimentum hyacintho, id est colore cæruleo ac cœlesti infectum esset, pro pellibus meliū hyacinthinas reddiderūt. Monet Iosephus magnam admirationem istud tegumentum attulisse spectatoribus, quod colore nihil ab iis quæ in cœlis cernuntur, differre uideretur.

Facies & tabulas stantes.) Fabricato tecto, pa rietum fabricationem aggreditur, qui fieri iubet ex asseribus cedrinis, in quibus suas spiras, cardines, annulos, ornatum, repagula cernere licet.

Quæ singulæ denos cubitos in longitudine. Docemur hic altitudinem tabernaculi denum cubitorum fuisse.

In latitudine singulos & semissem.] Itaq; tabernaculum in longitudinem triginta cubitos patuit. Sex cubitalem enim quisq; asserum, qui uiginti fuerunt, latitudinem habuit, quæ mensura trigenum cubitorum longitudinem efficit. Longitudine asserum tabernaculi altitudinē, latitudine uerò longitudinem occupāte.

Duę incrustaturæ.] ידות à Iosepho σχοίνους appellantur, id est cardines appellantur, qui singulis asseribus inerant duabus insiti spinis, & basibus quibus confirmati arrectorij asseres firmos tabernaculi parietes præstabant aduersus uentorum uim. Nam tabernaculum sub diuo fuit huc atq; illuc cum errabundo in deserti Arabum populo migrans & uentis, imbribus, aquisq; solis expositum. Qua in re inter hoc & Salomonis templū quod in uno loco mansit, interfuit. Similiter Iosepho Paraphrastes pro ידידי habet ידידה.

Sex tabulas.] Quæ nouem cubitorum latitudinem occupant singulis habentibus sexcubitalē latitudinē.

Quæ in angulis erigantur.] Cum tabernaculi latitudo denum cubitorum sit, eorum solum nouem sex asseres continent, residui igitur tres cubiti sunt. Hi nus, latitudinis & duos quos asserum spissitas in utroque latere occupat, quibus claudendis duo asseres destinantur tres cubitos conficientes, qui in angularibus tabernaculi flexu explendi sunt.

Erantq; sibi coniunctæ à deorsum usq; sursum.] Sententia: Asseres bene copulandos esse, & in imo & in summo: in imo quidem suis basibus & cardinibus, in summo uerò proximis quibusq; unoquoq; nulo coaptatis, quod sic fieri debere docens: Mediam cuiusq; asseris partem in summo eius excindi iubet, relicta in utraq; eius extremitate cardine digiti altitudine, quos summos cardines proximorum asserum si uno annulo cōplectare, erunt illi firmiter connexi.

Qui mittentur per medias tabulas.) De Meridiano uecte id intelligendum est, quo integer discutiatur per medios asseres. Duo igitur genera repagulorum interpretes tradunt fuisse, unum quo mediarum uectis solidus per medias tabulas traiectus intelligitur, alterum genus dimidiatorum repagulorum ut uerbus ordinibus uectes distinctos fuisse accipias.

Capita aurea.] זהרים unci in summa columnarū parte fuere, quibus pertica imposita uelum portabat. Quamobrem si parium denos cubitos in latitudinem, & tot in altitudinem patuit, ut quod operiret adytum denos cubitos latum, totidemq; longum & altum, quod quadrati operis fuit.

Inseretur autem uelum per circulos.] חחח חקרסים id est, subter uncos ac fibulas cortinarum tabernaculi

uidelicet tabernaculũ operientiũ. Hoc est, sub fibulatura quinq; cortinarum, quæ uiginti cubitos longitudinis tabernaculi occupant, si ab oriente supputes, reliquis quinq; operientibus reliquum latus, & occidentalem tabernaculi partem,

Intra quod pones arcam testimonij.) Tractat res quas diuina sapientia in tabernaculo reponi uoluit. Intra uelum, occidentem uersus, in ipso adyto, oracularem arcam cum ipso propitiatorio collocandam.

Quo sanctuarium.) Vsus uelì. Tabernaculi igitur longitudo in duas partes diuisa fuit: una, adytum seu penetrale: altera reliquum spacium completa est. Hæc sanctuariũ, illa sanctius sacrarium appellatur. Alteram partem sacerdotes quotidie ingressi sunt ad faciendam rem diuinam: in alteram solus pontifex semel solitus est in anno intrare.

Mensamq; extra uelum.] Orientem uersus. Nec ordo deest ijs rebus quæ extra uelum collocatæ sunt. Mensa enim & candelabrum uicina erant sanctiori sanctuario, hoc meridianum latus, illa aquilonare occupante. aurea uerò ara longius ab adyto ad orientẽ remota fuit. Vsus tabernaculi sic declaratur. Hoc extructũ est in quo res sacræ reponerẽtur, propitiatorium, mensa, candelabrum, ara aurea, & in quo Deus habitaret, ut suprà legimus: Et facito mihi sanctuarium ut inter eos habitem. Qua ex re Deũ tribus in rebus habitare cognoscimus: in mundo, in tabernaculo, & in sanctorũ Ecclesia ac cœtu. De mundo ut in eo uersetur Deus, declarat is ipse apud Prophetam: Cœlum sedes mea, & terra scabellum pedum meorum. Etenim præsente Dei numine, omnia in cœlo & in terra sapienter administrantur. Vt tabernaculũ Dei habitaculũ sit, iam expositũ Sancti uerò tabernaculum illud sunt sacrum & uerum in quo Deus propriè per spiritum suum, qui filij spiritus est, habitat. de quo tabernaculo Apostolus his uerbis: An nescitis quòd templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis? In hoc templo uerè habitat Deus, & in eo uniuersa eius diuinitas cõcluditur, ut quæ in Christo & corpore ecclesia plenè quanta sit habitet. Habet præterea tabernaculum Mosaicum suos parietes ex columnis factos, suas bases, suum tectum. nec nostrum suo pariete basibus & tecto caret. si columnas consideres, legis apud Ioannem: Qui uicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. & Paulus Ecclesiam columnam & stabilimentum ueritatis appellat. Nec desunt his columnis bases suæ argenteæ, de quibus istud: Nam fundamentum aliud nemo potest ponere præter hoc quod positum est, quod est Iesus Christus. Quòd autem cuique columnæ duæ bases suppositæ fuere, id ipsum est quod idẽ Apostolus dicit: Superstructi super fundamentum Apostolorum & prophetarum. Notant etiam duæ bases in Christo duas naturas quibus sanctorũ salus nititur. qua de re aliàs monuimus. Quamobrem Christum & hominem & Deũ qui caput sanctorũ sit, agnoscere, ad salutem interest. Hæc basis ex diuina & humana natura constans, parum rectè considerata, omnes ferè errores de salute parit, dum in ea aut humana, aut diuina natura negatur, aut utræque inter se magna perturbatione confunduntur, alteri tributo quod alterius est. Quales errores superioribus seculis multi & à multis designati sunt, & nostris temporibus repetuntur. Atq; hæc agnitio basis est columnarũ cœlestis templi ac tabernaculi, quã nulla uis cõcusserit atq; labefactarit. Tectum autem nostri tabernaculi ex pelle eius arietis concinnatum est, qui inter ucpreta Abrahamo apparuit. Ex pelle uidelicet agni de quo illud: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi: cuius uellere tabernaculum, quod est Ecclesia, contectum aduersus omnes tempestates, id est aduersus peccati, mortis & potestatum tenebrarum iniuriam defenditur. Et hoc tectum suis quoque coloribus uaricgatum est, hyacintho, byssо, purpura, cocco, qui sunt uariæ sacri spiritus dotes suis ligulis in Christo aptè connexæ, ne desit pulchritudo quã uarietas efficit. Hæ ligulæ cernuntur in uinculo charitatis. de quo his uerbis Apostolus: Qui est caput, nempe Christus, in quo totum corpus si coagmentetur & compingatur per omnem commissuram in ædificationem sui ipsius per charitatem. Præterea tabernaculum Mosaicum ornatum cernitur suo propitiatorio, sua arcula oraculari, sua mensa, candelabro, sua aurea ara. Hæc omnia tanto præstantiora in Ecclesia reperias, quanto manufacto tabernaculo non manufactum, terreno cœleste præstat. De propitiario legimus nostri tabernaculi apud Prophetam: Peccata multorum tulit. De mensa cœlesti instructa pane: Et edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. De candelabri lucernis cuncta in Ecclesia collustrantibus: Ego sum lux uera. Item: Vos estis lux mundi. De ara illud Apostoli: Per ipsum offerimus hostiam laudis semper Deo. Velum autem quo adytum à reliquo tabernaculo separetur quid notarit, ostendit illud: Post secundum autem uelum erat tabernaculum, quod uocatur sanctum sanctorum: significante sacro spiritu, nondum manifestatam esse sanctorum uiam, adhuc priore tabernaculo consistente. Item huc uocandũ illud Apostoli: Sed ad hãc usque diem cum legitur Moses, uelamen cordibus illorum impositum est. at ubi conuersi fuerint ad Dominum, tolletur uelamen. Hinc apud Euangelistam legimus ut uenit Christus, & morte sua expiauit peccata, templi uelum à summo usque ad imum scissum fuisse.

Facies & tentorium.] Alterum uelum. Quare in tabernaculo duplex uelum cernitur: unum adyto, alterum ostio tabernaculi orientali oppanditur. Hoc æneas bases, illud argenteas habuit. Quo igitur penitius in tabernaculum candelabri luce præluccnte secesseris, eo augustiori specie omnia tibi spectanda offeruntur, dum in sanctius sanctuarium penetraris, ubi omnia auro puro puto fulgentia inuenies. Quod idẽ usuenit in cœlesti illo tabernaculo. Nam id quoque

duplici uelo à profanis occluditur, externo & interno. Non enim ijs qui in atrio sunt, statim in tabernaculum ingredi licet: nec qui in primo aditu sunt, & in priorem tabernaculi partem admittuntur, statim in adytum ipsum penetrandi ius habent, quos uelum ignorantiæ mysteriorum quæ in arcula quam propitiatorium Christus contegit, recondita sunt, ab eo ingressu remoueat.

IN CAPVT XXVII.

FAcies & altare.) Duæ aræ celebres in sacris literis commemorantur: una aurea, in qua adolebantur suffimenta, quæ in tabernaculo non procul à mensa posita erat. Altera lignea, quæ quoque æneæ quòd ære incrustata esset: & interdum terrea, quòd terra oppleretur, appellata fuit. Hæc uictimis offerendis deseruiens in atrio collocata fuit. In qua ara, materia, magnitudo, figura quæ quadrata erat, cornua, craticula, incrustatio, uasa, & demum usus considerandi fuerint.

Lebetes.) Enumerat instrumenta ad usum aræ necessaria: Cacabos ad cineres, scopas quibus cineres conuerruntur & ara purgatur, pelues quibus exceptus cinis in cacabum mittebatur, fuscinas ac forcipes quibus carbones componebantur, aut de igni aræ extrahebantur, & ipsos batillos siue uasa ad recipiendum aut fouendum ignem commoda.

Reticulamq; in modum retis.) Id opus cancellatim reticulatum alij ornatus gratia ara circumductum dicunt, alij focum præstitisse, qui subter ambitum ac crepidinem positus, ad medium aræ pertingeret.

Ad portandum.) à sacerdotibus, in eum usum ara lignea facta.

Non solidum, sed inanem.] Itaque tabulæ non tam spissæ quàm longæ & latæ erant. Cæterùm huius aræ usus infrà explicatur capite uicesimonono. Deposito uelo offertur Christus ara illa uera super quam sacerdotes regali spiritu uncti offerunt hostias uiuentes, de quibus his uerbis Apostolus: Obsecro uos fratres per miserationes Dei, ut præbeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, acceptam Deo. Si quatuor cornua spectes, nec huic uictrici aræ sua cornua desunt, hoc est potestas quæ omnia uincit. cornua enim animantibus quem usum in pugnando & tuendo se præstent, satis manifestum. Cernitur in Mosaica ara focus opere cancellatim reticulato. nec in nostra ara craticula desideratur, quæ excretis cineribus splendentem ignem foueat, qui satis sit ad consumendam in cineres ueterem naturam, & formandam nouam ad perennem lucem, puritatem & cœlestem uigorem. Nec desunt uectes nostræ aræ, quibus in solitudine huius mundi circumferatur, prædicationis uidelicet uerbi diuini uectes, quibus in cunctos orbis terrarum fines, portetur. Concaua autem erat typica ara & inanis si nostram spectes, legis apud Apostolum: Is enim affectus sit in uobis qui fuit & in Christo Iesu, qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est ut esset æqualis Deo, sed semetipsum inaniuit forma serui sumpta. Sunt item Mosaicæ aræ sua parata instrumenta, cacabi, pelues, fuscinæ, batilli. nec desiderantur id genus uasa in nostra ara, qui sunt Ecclesiæ ministri, quorum interest sacrificiorum ignem purum doctrina & uita fouere, alere, conseruare, & omnia ministerio sacro purgare atq; emundare.

Facies & atrium.) In quo tabernaculum ponitur, & uulgus reliquum uersetur Ecclesiæ Israeliticæ. Itaque in atrio considerare licet quoque huius materiã, magnitudinem, columnas, bases, uncos, reliquum ornatum & usum.

In quibus quindecim cubitorum tentoria. Latus orientale cubitos quinquagenos latum est. Sed differenter hi supputantur. Nam in medio ostium est uiginti cubitorum, & utrinque paries, quindecim.

In latitudine quinquaginta.] Heb. Et latitudine 50. in 50. in hunc modum exponendus ex interpretum sententia is locus uidetur. Quod atrium in parte orientali quadratum esset, legi hic latitudinem quinquaginta cubitorum in quinquaginta patuisse, ita ut fuerit accipiendum: Tabernaculum in medio atrij collocatum in oriente quinquagenos cubitos ab ostio atrij remotum fuit, in occidente uiginti. Nam cum tabernaculum triginta cubitos longum esset, & atrium centenos, ut in occidentali parte discesserit atrium ab atrij occidentali latere uicenos cubitos necesse est. Itaque eadem ratione in oriente ab ostio tabernaculi ad atrij hostium spacium quinquaginta cubitorum interiectum fuit. Nam detractis uicenis cubitis interualli inter postremam partem atrij et penetralis tricenisq; longitudinis tabernaculi, quinquageni cubiti de longitudine atrij qui spacium inter ostium tabernaculi & atrij terminum, remanserit. tot autem atrium etiam latum est. igitur à parte orientali atrij latitudo quinquagenos cubitos quinquagenos patet: hoc est, tam latum est quàm longum, quadrati formam habens, quod esse hic uolunt.

רחב חמשים בחמשים.

Altitudo quinq; cubitorum erit.) Atrij igitur altitudo dimidium altitudinis tabernaculi, & latitudo quinquies illius latitudinem, longitudo uerò atrij eiusdem tabernaculi longitudinem ter & tertiam eius partem comprehenderit. Longè igitur amplius atrium tabernaculo fuit, partibus quoque non paruis. Ab ortu enim latius patuit atrium quàm ab occasu, ut etiam ipsum tabernaculum in orientali parte quæ sacerdotibus accessa erat, longius fuit, augustiorem partem adyto summo sacerdoti penuria occupante. Quæ sacratissima ædis pars omni ex latere denos cubitos patens, denario numero, qui numerorum summam continet, absoluitur, perfectè quadrata figura confecta, qua Dei nomine tetragrammato omnium rerum perenni fonti respondit. Extrij igitur situ & tabernaculi partium distinctione,

tria cognoscimus: primò, ipsos qui in Ecclesia seruantur, ordines: secundò, patefactionis diuinarum rerum auctus ac gradus: tertiò, amplitudinem Ecclesiæ. Quod ad ordines attinet, ut primum locum in atrio vulgus Israelitarum, alterum in priore tabernaculi parte vigenos cubitos longa sacerdotes, tertium summus sacerdos denos cubitos amplũ obtinuit: ita in Ecclesia priorem locum piorum promiscuus cœtus, alterum apostoli, prophetæ, sacrarum literarum interpretes ac doctores, tertium pontifex Christus capuæ Ecclesiæ occupat, à quo apostoli & prophetæ autoritatem oraculis & uerbo Dei administrandi Ecclesiam accipiunt. iuxta illud: Et alios quidem posuit Deus in Ecclesia primùm apostolos, deinde prophetas, tertiò doctores. Quod autem ad gradus patefactionis Dei pertinet, hi sic habent. primò in atrium admittimur, cum in Ecclesiæ consortium uenimus, in quo hostiam Christum super æream aram pro nostris peccatis litatam agnoscimus. Deinde iam initiati fide, & sacerdotes facti, in tabernaculum ipsum, ad sacra facienda Deo, ingredimur. Demum prælucentibus candelabri lucernis, in penetrale & sacratissimam sanctioris sanctuarij partem penetramus, in eo secessu uidentes quæ oculi non uiderunt, & audientes quæ aures (ut propheta testatur) non audierunt. Et hoc ipsum est tertium cœlum, in quod raptus Apostolus confessus est se uidisse quæ fas non sit effari. Nam in hoc subducto uelo ignorantiæ absconditorum Dei, contemplabimur facie ad faciem diuinitatem, quam in atrio & anteriore tabernaculi loco uersantes, oppanso aspectui nostro per ueterem naturam uelamine in ænigmate per speculum cernimus. Postremò quanta Ecclesiæ sit magnitudo ex amplissimo atrij spacio intelligimus, in quo tam periti quàm imperiti rerum sacrarum habitantes, beati diuina sententia pronunciantur. legimus enim apud uatem: Beatus quem elegisti & assumpsisti, habitabit in atrijs eius. Hæc est infirmiorum consolatio, qua sese ex figura atrij consolentur. Quadratum est atrium, quadratum tabernaculum, quadratum sanctuarium, quadratum demum ipsum adytum ad imitationem nominis inuiolabilis Dei, quod quatuor literarum quadrato continetur. Hinc quoque in Apocalypsi ciuitas Dei, quæ est Ecclesia, πόλις τετράγωνος appellatur, propter firmitatem & solidi atem quæ in quadrato cernitur. Hic quadratum pro figura quæ quatuor æquos angulos habet, etiamsi latera paria non sint, usurpatur.

Piloq; contusum.] ac expressum è torculari. Oliuæ nucleum, oleum, carnem et amurcam habent. ex his, cæteris exceptis, seligitur oleum purum putum, quod succus est oliuæ, caloris uim habens, et pinguedinem fouendæ luci aptam. Huius igitur cum duplex usus sit, unus in medicando, alter in alendo lumine cernitur: de priore medici consulendi sunt, posterior nostri instituti est. Hic considerandum nobis proponitur oleum lucernæ, & Aaron qui lucem præparet, sacerdos. sed deposita adumbratione, eadem uerè in nouo fœdere contemplamur De oleo lucem cognitionis Dei afferente occurrit illud: Sed unctio docet uos de omnibus. item: Sed uos unctionem habetis à sancto, & nostis omnia. De lucernis uerò: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Nec pontifex Aaron hic suus deest, Christus Iesus, qui oleum sacri spiritus infuliet ad accendendam lucernam perpetuam, & nunquam extinguendam quæ in Ecclesia sanctorum cuncta collustret. Cæterùm oleum nisi expressum sit è torculari, appositum ad lucis usum non est: sic nec spiritus sancti oleum prius publicè & palàm ad luminis usum adhibitũ fuit, quàm id ex crucis & mortis Christi torculari expressum esset. Quæ mors & glorificatio Christi nobis hoc uitale lucis oleum suppeditauit. de quo apud uatem: Ascendit in altum, et dona dedit hominibus, dona uidelicet sacri spiritus, ad alendam in nobis perennem cognitionis Dei lucem necessariã. Item spiritus nondum erat datus. Nam Christus nondum erat confecta in torculari crucis pressione glorificatus.

Testimonio.] Arcæ oraculari prælucebit accensa fax ingressuris in adytum.

Coram Domino.) ad propitiatorium præsente.

IN CAPVT XXXVIII.

Applica ad me.] Explicata tabernaculi & earum rerum quas tabernaculum continet, fabricatione, & usu: iam sacerdotij, ut ab hoc diuini cultus in sacra æde peragendi cura geratur, institutionem tractabit. In quo sacerdotio primùm delectus familiæ, deinde sacræ uestes & earum genera atque ornatus, tum usus, demum modus initiandorum sacerdotum cognoscendus erit. Vt enim Deus in fabricatione mundi, à fabricando nõ prius uacauit, quàm hominem condidisset, qui laudes suas in tam splendido opificio tanquã sacro templo prædicaret: ita diuina hac æde extructa uoluit eadem illa sapientia diuina sacrarum rerum antistites certo ritu consecrari, qui magnificè cultum suum perficerent.

In gloriã & decorẽ.] Quantus splendor sacerdotalis amictus fuerit, declarat Alexander magnus, qui conspecta summi sacerdotis augusta uestc, ita stupore correptus à Iosepho proditur, ut profanus rex Deum Israeliticæ gentis in summo antistite statim uenerari cœperit, commotus diuinitate in ipso amictu relucente.

Spiritu prudentiæ.) peritia earum rerum quas gemmarij, sculptores, phrygiones, polymitarij, & qui aurum intexunt, netrices, sartores exercent. Locus de uetustate artium. harum quoque cognitionem hominibus diuino beneficio concedit, quam cognitionem hic Moses רוח חכמה id est spiritum sapientiæ, hoc est peritiam artium diuinitus tributam appellat. Cyprios tradunt ferrum & eius temperationem, Cadmum Phœnicem auri metalla, gentem quandam Pæoniæ æris elaborandi purgandiq; ferri artem &

alias gentes alia inuenisse, literis proditum est. At uerò quanta artium istarum antiquitas sit, ex Mose hic cognoscere licet.

Hæc erunt uestimenta.) Generá sacrarum uestium recenset: Pectorale, Ephodum, tunicã talarem, arctius indumentum, interulam, infulam, baltheum.

Accipientq; aurum.] Materia uestium.

Facient autem superhumerale.] Describuntur ordine sacræ uestes, exordio ab Ephodo facto. uox dicta à cingendo.

De auro.] neto, ut intexi eius fila possent.

Duas oras iunctas habebit.) כס פרת humeralia sunt ephodi. sententia est: Ephodum duo humeralia habere ad utramq; extremitatem suam copulata. Nam Ephodus ex duabus partibus, quarum una pectus tegebat, altera tergum, constabat. Quæ partes ideo uocabantur humeralia, quòd humeris utrinque erant impositæ. Vnde à Græcis Ephodus appellatur ἐπωμὶς.

Ipsa quoque textura.] Artificiosum ephodi cinctum, quem alij limbum ac marginem uocant, ex materia Ephodi contexi debere.

Sumesq; lapides onychinos.) שהם Græcis smaragdus est, Iosepho sardonyx: nostri onychẽ reddunt. cuius descriptionem uideris apud rerum scriptores. in hac gemma candorem inesse dicunt similitudine humani unguis. Vnde lapidi nomen. Duas autem gemmas onychas ad insigniendos humeros sacerdotis ope re gemmarij incidi, & sigillari cælatura celari iubet, in utraque uidelicet parte senis nominibus Israelitarum pro ratione ætatis eorum Hebraicis literis inscriptos, primum locum Rubene, alterum Simeone, tertium Leui, quartum Iuda, & c. tenente: dextro humero senioribus, sinistro uerò iunioribus occupato.

Inclusos auro.] inclusos palis aureis. Huiusmodi notat בישבצות זהב.

Portabitq; Aaron.) Vsus gemmarum onycharum. in his sculpi nomina Israelitarum, & eas portari in humeris sacerdotis summi, recordationis selecti populi gratia, quas contemplans Deus in humeris Aaronis Israelitarum recordetur. Primò igitur beneuolentiæ diuinæ est, Israelitas nominatim appellari, iuxta illud: Vocaui te nomine tuo, meus es tu Israel. Secundò paris amoris est, eorum nomina in humeris Aaronis portari in perpetuum monumentum, quod significationem diuini præsidij indicat, quod Deus populum suum tueatur in omnibus rebus aduersis. de quo præsidio infrà Deuteronomij 32. his uerbis: Et assumpsit eum, & portauit humeris suis. Memorabile est quod prodit Iosephus de duabus sardonychis: harum alteram quæ dextrum humerum occupauit, cum probarentur sacrificia Deo, ita splendu.sse, ut fulgor procul appareret.

Facies & uncinos.] aut circulos, ut Iosephus interpretatur, quibus catenulæ inserta connecter. ut extremam oram Hoschênis cũ humerali b. ephodi. Vnde huiusmodi catenulæ opere עבות, id est perplexo ac catenato facto appellantur, quòd ad extremum Hoschênis oram terminarentur certa & definita magnitudine.

Rationale quoq; iudicij.) Græcos sequitur qui habent, λόγιον τῆς κρίσεως, item, προστήθιον, id est pectorale quod pectoris partem Hoschen ambiens tegeret, ipso ephodo tergum, humeros, & eas quæ sub axillis sunt partes & pectus quoque operiente. Nam ut Iosephus annotat, in Ephodo pectoris medium uacuum relictum fuit, cui uacuitati quædam parata pars adhæsit, quam Hebræus hic Hoschên iudicij appellat, quòd Deus responsa & oracula per hac parte redderet Israelitis. Nam ut arca, sic etiam is uestitus diuinis responsis quæ interdum בתומים dicũtur, cõsecratus erat. Legimus enim infrà de Iosua ולו יעמד לפני אלעזר הכהן וישאל לו במשפט האורים לפני יהוה. id est: Et stabit ante Eleazarum sacerdotem, qui pro eo oraculum Vrim consulet Domino sciscitetur. hic Hoschênis, in quo posita erant Vrim & Thumim usus, & quid במשפט sit, explicatur. Nec in alijs locis sacrarum literarum usus Hoschênis reticetur. Nam in libris Regum legimus quod modo neque per somnia, neque per prophetas, neque per Vrim sciscitanti Saulo Dominus responsa dederit.

Ex auro.) Materia. Nam & in Hoschêne primò materia, deinde figura, tertiò magnitudo, & crassitudo, demum ornatus & usus, suæ considerandæ.

Quadrangulum.] Figura.

Duplex.] Duplum, si conferas cum crassitudine pomidis, ut in eo ordines gemmarum firmus cohæreant.

Mensura palmi.) Magnitudo Hoschênis. Iosephus pro זרת παλαιστὴν habet, quæ mensura dodrantalis, hoc est duodenûm digitorum est, qui maior palmus dicitur.

Ponesq; in eo quatuor ordines lapidum.) Quæ numerus quadrato Hoschêni conuenit. tractatur ornatus Hoschênis. Hoschênem quatuor gemmarum ordinibus decorandum. de quarum gemmarum natura, splendore, precio, uideris apud scriptores rerum. Dissentiunt interpretes in explicatione gemmarum. noster interpres Iosephum ut antiquum deserit, eique interpretem & Græcos ipsos sequitur, cuius facti hac in re non improbatur. sed quoniam ferè hic magis coniecturis agitur quàm certis argumentis: ideo nos breues erimus, iudicium deferentes lectori.

In primo uersu erit lapis Sardius.) Gemma rubei coloris, quem Hebræa uox אדם notat: atque eum colorem spectans Chaldæus, סרתר uertit. Huius lapilli speciem minus rubentem, Carneolum nominant: eam uerò quæ in imo onychem habet, sardonychem appellari, quòd ex onyche & sarda sit gemma conflata.

Et topazius.) Similiter Iosephus & Græci. Virentis generis herba. Hanc solam limam sentire, cæteras

ſaxo poliri. Tradũt medici huius grana epota, præſentem atrabile laborantibus medicinam facere. Obuiorem uidetur paraphraſtes ירקן uertiſſe.

Et ſmaragdus.] Iucundiſſimus ſmaragdi aſpectus dicitur ob uiriditatem. Videtur gemma ab Hebræis ברקת appellata à fulgore, qui ſmaragdo non deeſt. Nam is rerum imagines reddere fertur, adeò ut quidam Romanus princeps gladiatorũ pugnas ſmaragdo ſpectarit. Veſtigia uocis Hebr. in noſtra cernere licet. uenenis repugnare hæc gemma fertur: & ueneri adeò infeſta eſſe, ut in coitu interdum fracta legatur, cuius rei rationem tradũt qui in obſcuritatibus naturæ explicandis uerſantur.

Carbunculus.) Chaldæus ſmaragdus. Græci & Ioſephus, ἄνθρακας. ferunt in India carbunculos quos pyropos uocãt, tanta magnitudine & ſplendore eſſe, quo circũ. acta non ſecus atq; ſolis fulgore illuſtrẽtur. Huius gemmæ propriũ eſſe dicunt, animos excitare, alacres reddere, idq; accidere propter lucem quæ natura mentem exhilaret.

Sapphirus.) Retentâ Hebræa uoce à Græcis & Latinis, quo magis mirũ ſit, eſſe inter Hebr. qui adamantẽ interpretentur, ut uerè indicetur, hos unà cum religione uerũ etiam cognitionem & iudiciũ, ut fit, amiſiſſe. Sapphirus diritte eximia eſt, colore cæruleo grato oculis, atq; inde aſpectum reficit. unde mirum non eſt quod phyſici tradunt hanc gemmam epotam melancholiæ mederi, & ſcorpionum ictus ſanare.

Iaſpis.] Similiter Ioſephus & Græci. Viridis eſt hæc gemma. Ex oriente afferri uiridem ſplendentẽ, ſanguineis notis reſperſam. Hanc propter aſtringentem quæ pollet uim phyſici tradunt uentriculum non leuiter corroborare. Eſt in experimentis certis. ſanguinem eadem gemma præcipuè è naribus manantem ſiſti, propter candorem cuius meminimus uirtutem.

Achates.] Pyrrhus habuiſſe traditur Achatem, in qua nouem Muſæ & Apollo citharam tenens ſpectarentur, non arte, ſed ſponte naturæ ita diſcurrentibus maculis, ut Muſis quoq; ſingulis ſua redderentur inſignia. Vario is lapis colore eſt, candidus, rubens, croceus, cinereus, uiridis, niger, cæruleus, ut unum lapidem eſſe non credas.

Amethyſtus.) colore uini & gratia. Hæc gemma creditur alligata umbilico ebrietatem depellere, atq; ſomnia mouere. Quam uim uox Hebræa uidetur confirmare אחלמה.

Chryſolithus.) Aurei coloris gemma, micans, libidini infeſta, quam ualde coercere dicunt: tanta duritie, ut ſapphiro parum cedat.

Onychinus.) Gemma mollior ab unguis ſimilitudine ita uocata ut. Alberto Magno autore lapis is collo ſuſpenſus, uires totius corporis confirmat, uenere quoq; coercita.

Et beryllus.) ישפה Alludere uidetur ad uocem gemmæ iaſpidis. In conſideratione igitur gemmarum hæc fuerint perpendenda: Loca, in quibus naſcuntur: temperatio ex quatuor mundi elementis, terra, aqua, aere, igni: forma atq; magnitudo, facultas, & uis quã habeant: demum ut earum natura cognita, iudicio diuini ſpiritus ad eas gemmas quas Moſaicæ adumbrarunt, accommodetur.

Habebuntq; nomina filiorum Iſrael.) Vſus duodecim gemmarum. His pro numero duodecim filiorum Iſraelis pectorale ſacerdotis ornari debere. Quo ritu ſignificabatur prouidentia quam Deus gereret, erga Iſraeliticam familiam, cui placeret geſtari in pectore ſacerdotis ſummi illorum nomina gemmis inciſa. Ad cognoſcendum autem myſterium quod gemmis continetur, noſſe, ut diximus, illarum originem, uim ac naturam, intercerit.

Facies in rationali catenas.) Repetitur circulorum & catenarum fabricatio: quorum quis uſus ſit, iam exponetur.

Quos pones in ſummitatibus rationalis.) Sententia eſt: Vt ſumma Hoſchênis pars firmiter adhæret humeralibus Ephodi catenarum annulis utrinq; inſertarum nexu: ita effic. endum eſt, ut infimum quoq; Hoſchênis Ephôdo adapteiur in ſuis extremitatib. quod fiet, ſi in ima parte quoq; annuli fabricentur, in quos uitta hyacinthina immiſſa, pectorale cum Ephodo ſuper eius texturam aptè contingat. Supernè igitur catenæ aureæ, pectorale in humeralibus cum epomide, infernè autem uitta hyacinthina coniungit.

Doctrinam & ueritatem.) Hebrææ uoces אורים & תמים lucem & integritatem denotãt. altero uerbo admonebatur ſacerdos lucis ac claritatis doctrinæ, altero integritatis & innocentiæ, quæ doctrinæ reſpõderet. De Vrim & Thumim quid fuerint, uariæ ſententiæ ſunt. alij nomen tetragrammatum, alij ſcripturam שם מפרש, alij quid fuerint, incertum eſſe dicunt. alij arbitrantur nihil aliud fuiſſe quàm gẽmas illas iam memoratas, Vrim quidem & Thumim appellatas, quòd lucerent & integræ nulloq; uitio aſperſæ eſſent. Ioſephus tradit per has gemmas Hoſchêni inſertos Deum ſuis prælium cum hoſtibus inituris uictoriam præmonſtraſſe. Tantum enim fulgorẽ ex illis tum emicare ſolitum, ut Iſraelitæ non dubitarent à ſe ſtare Deum. deſiſſe autem Hoſchênem & ſardonychas ſplendere annis ducentis antea quàm hanc hiſtoriam literis proderet, quòd Deus infenſus populo ſuo factus ob eius rebellionem, lucem hanc oracularem nollet amplius fulgere. Idq; etiam accidiſſe uidetur quòd propè eſſet uera illa lux de qua uates, Dabo te in lucem gentium: fulſura quidem per gemmas non in India & Arabia natas, ſed cœleſti genitura paratas. de quibus idem ille uates: Fundabo te ſapphiris.

Et geſtabit iudicium.) Ex Hoſchêne enim reſponſa reddebantur de iure, quod ſingulæ tribus Iſraeliticæ in promiſſis diuinis haberent.

Facies & tunicam ſuperhumeralis.) Deſcriptio talaris tunicæ.

E cuius medio ſuprà erit capitium.] Medium os collare in ſumma eius parte ad inſerendum per illud caput, unde reliqua ueſtis per humeros ad talos uſq; defluebat.

Sicut

Sicut fieri solet in extremis uestium partib.) Heb. ad modum oris medij loricæ, id est summum tunicæ collare os per oram suam tam firmum assuto limbo texi debet, quàm est loricæ os, ne facile exuendi et induendi usu atteratur.

Mala punica.] In lacinia tunicæ mala punica circumquaque facienda. id est, fimbrias ex huius tunicæ lacinia assuendas, quæ malogranatorum figuram imitantes dependeant. nec non eis tintinnabula alterna interponenda. Admonebatur sacerdos tintinnabulorum clangore officij docendi, & populus auscultandi.

Et non moriatur.) Hinc illa prophetæ seuera reprehensio nata: Speculatores eius cæci omnes, canes muti non ualentes latrare. Itaque Apostolus spectans ad has minas, ne moriatur, dicit: Væ mihi, nisi euangelizem.

Facies & laminam auream.) Adaptanda à fronte galero uitta hyacinthina: quæ quoniam ambiret dimidiũ caput instar coronæ צור חקדש, id est sacra corõna infrà quoque capite trigesimonono appellatur: quæ corona, regalis sacerdotij notam prætulit, & eam dignitatem etiam duo hæc nomina קדש ליהוה, id est sacrum Domino, declararunt. quòd inuiolabilis esset maiestas sacerdotalis tanquam sacra Deo, ut in qua præsens huius numen esset in ipso sacerdote adorandum suis munere sacerdotali placatum, sicut hic legimus: Portabitq; Aaron iniquitates eorum. Ex quo uarium cognoscimus fuisse sacerdotis officium. Vnum quidem erat, cum integritate uitæ docere Dei uerbum, quod Vrim & Thumim & ipsa tintinnabula indicabant: alterum, curam uariam ecclesiæ gerere, quam Israelitarum gemmis insculpta, & in humeris pectoreq; sacerdotis portata nomina indicarunt: tertiũ, arduũ ac sequestrẽ agere, id est sacrificijs et oratione placare diuinã iram ob peccata accensam. At in his muneribus legalis sacerdotij umbra, in Christo res & ueritas cernitur. Nam quod attinet ad docendi munus, legimus apud prophetam de prædicationis Euangelij tintinnabulis: Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritos corde, & prædicarem captiuis libertatem. ad quod munus præstandũ in pectore gerit Vrim & Thumim, id est lucem & integritatem. Quod enim ad lucem attinet, ipse sacerdos dese dicit: Ego sum lux uera. Quod uerò ad integritatem, audiamus spiritum huius sacerdotis ita loquentem per os prophetæ: Eo quòd scelus non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius. Et in Actis: Christus cœpit facere & docere. Si curam sacerdotalem, quod alterum erat officium, consideres, in humeris quidem suis & pectore sacerdos legalis, duodecim tribuum Israelitarum nomina portauit: noster uerò ueros Israelitas, qui spiritu, non carne Israelitæ sunt, ita portat humeris & pectore suo, ut uitam pro eis ponat, sicut ipse de se dicit: Ego sum bonus ille pastor, & cognosco oues meas, & animam meam pono pro ouibus. Atque hæ sunt ueræ illæ gemmæ quas in humeris & pectore gestat cœlestis Aaron, quibus cœlestis illa ciuitas extruitur, de quibus propheta: Et fundabo te in sapphiris, & ponam eryllios fenestras tuas. Viui udelicet lapides sunt, de quibus Petrus: Ipsi quoque uelut uiui lapides ædificamini, domus spiritualis. lapides inquã θεοδίδακτοι, id est diuinitus docti claritate Vrim, de quibus Esaias: Filios tuos doctos à Domino. Hi lapides ut hic dicuntur in humero sacerdotis summi portari, ita apud Isaiam in palmis Iehouæ Christi scribi, & in cœlis nomina eorum signari leguntur, ut significetur, tam bene diuinas has gemmas custodiri, ut eas nulla contraria uis neque peccati, neque mortis, neque portarum inferni conuellat. Atque ut huius ætatis amoris qui erga selectos hos lapides ante conditum mundum geritur, certum testimonium extaret, ut sacer spiritus tanquam pignus deponitur, per quem gemiscendo, inclamando sentiant se genitorem habere qui in ipsis gignendis non utatur pinguis humoris materia, sed firmis illis aquis plenis oleo spiritus diuini. de qua materia summus ipse sacerdos eos in humeris portans: Nisi quis ex aqua & spiritu natus fuerit, etc. Ex qua aqua & spiritu generatæ cœlestes hæ gemmæ nullã ui dissoluuntur, ut ex Arabia & Indiæ allatæ gemmæ facile ad eum usum parato succo dissoluuntur & pereunt. Veritas igitur in his gemmis cernitur, typus & umbra in Mosaicis. Hæc est consolatio eorum qui in cœlestibus gemmis numerati, certo sciunt non magis se posse perire quàm liber uitæ in quo scribũtur, quàm palmæ in quib. notantur, quàm humeris Messiæ sacerdotis benedicti quib. portantur, perenne. Quantum uerò ad tertium officium pertinet, quod in placando Deo uersatur, id tanto uerius spectatur in Christo sacerdote, quanto is excellentior est Aarone. Si enim sacrificium contemplere, is ipse se ultro æstimam sua sponte obtulit pro expiando peccato, juxta illud prophetæ: Oblatus est, quia ipse uoluit. Sanctarationem, idem propheta: Et pro transgressoribus rogauit. Ad hæc tantus est is sacerdos, ut pari dignitate cum Deo patre præditus, iniustos iustos reddat & sacri spiritus munera ipse dispenset, ut habet illud: In scientia sua iustificabit ipse seruus meus multos. & Psalmo: Ascendit in altum, & dona dedit hominibus. Itaque uerè is in fronte gerit hoc insigne, Sanctum Domino, ut cuius maiestas regia & sacerdotalis sit inuiolabilis. de qua ipse apud Matthæum: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra, quia ipse men Dei gerat in fronte, de quo Hieremias: Et hoc est nomen quo uocabunt eum: Dominus iustitia nostra. Et quoniam sancti consortes sunt diuinitatis Christi capitis, de cuius plenitudine omnes sumimus, hi quoque nomen Dei in frontibus in Ioannis Apocalypsi ferre dicuntur: Supra montem Zion stabit agnus, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentia nomen patris eius scriptum in frontibus suis. In quo nomine uno quod clementiæ & gratiæ nomen est, consistit

consistit omnis diuinæ iræ placatio sacerdotali munere peragenda. Accedit postremò ad dignitatem sacerdotij potestas illa in cœtu sanctorum & retinendi, & ex eo excludendi, à qua nec reges ipsi liberi sunt. Exemplo Ozias ex templo & Hierosolyma sacra Dauidis ciuitate eiectus, ut temere occupata sacerdotij functione, lepra affectus esset. Qua sacerdotalis muneris dignitate adumbrata fuit sacerdotalis maiestas eorum sacerdotum, quibus ornatis spiritu Messiæ, hæc ipsa potestas ab eo tributa est: Accipite spiritum sanctum, si quorum peccata remiseritis, remissa erunt: quorum retinueritis, retenta erunt.

Iniquitates eorum quæ obtulerunt.] Id est, culpam quam admiserint Israelitæ in oblatione munerum, aut non ritè offerentes, aut ea offerentes quæ offerre non liceat.

Stringesq; tunicam byssо.] Quartum uestimenti genus, quod suprà uocatum est בתנת תשבץ. Amictus genus fuit cutem attingens, quod nos interulam dicimus.

Et tiaram byssinam.) insulam regio sacerdotio dignam. Nam regale ornamentũ fuisse בציצת, declarat illud: tui רציץ מלוכה צנף אלהנך Adumbratur igitur hic cum suo ornatu regale sacerdotium Christi, potens hostes debellare, & suos ab omni ui tueri. De quo Iesaias: Et fortium diuidet spolia. item Psal. Captiuam duxit captiuitatem, uicto peccato, morte, satana.

Et baltheum.] ad retinendas ne diffluant uestes. Admonebatur cinctu sacerdos strenuitatis & constantiæ in faciendo officio suo. Deposito legalis balthei typo, legimus de uero Christi sacerdotis cinctu apud Esaiam: Erit iusticia cingulum lumborum eius, & fides cinctus renum eius. Et de sanctorum cinctura apud Apostolum: State igitur lumbis circumcinctis baltheo per ueritatem.

Porrò filij Aaron.] Ornato summo sacerdote, iam reliquos quoq; minoris notæ ornat uestitu.

In gloriam & decorem.] Reducto uelo, is uestitus est iusticiæ & salutis quo uestiuntur qui de genere summi sacerdotis Christi sunt. de quo amictu illud: Sacerdotes eius induantur iusticia. Cæterùm tripartitum uestium genus occurrit in sacris literis: Vnum earum quibus conteguntur peccata, de quibus illud prophetæ: Beati quorum tecta sunt peccata. Hæc autem uestis confecta est ex pelle agni qui tulit peccata mundi, quem etiam ipsi induere dicimur: Christum induistis. Alterum genus uestium est, quibus iam tectis nostris delictis, animi nostri ornantur, ut est uestitus donorum sapientiæ, uitæ, iusticiæ, gloriæ agni. de quibus illud: De plenitudine eius omnes accepimus. Hoc genere uestimentorum induuntur qui nuptias ingrediuntur, de quibus Dominus noster Iesus Christus meminit. postremò sunt uestes militares, de quibus Paulus: Induamur arma lucis. Item: Induite armaturam Dei, sumentes scultum fidei, galeam salutarem, loricam iusticiæ, & gladium spiritus.

Et eos ungas.) Tria hominum genera ungebantur, sacerdotes, reges, & prophetæ. Tripartitum hoc genus quoniam in Christo & membris eius cernitur, remota umbra legalis unctionis, Christus qui rex est, sacerdos & prophetarum caput suo merito משיח dicitur. de quo Psal. Vnxit eum præ consortibus. Et sancti quoque uncti iurè dicuntur, qui consortes regij sacerdotij capitis Christi, sacerdotes, reges & prophetæ appellantur.

Et cunctorum consecrabis manus.) ומלאת את ידם id est impleto manus eorum. Est initiationis locutio, quam Chaldæus interpres sic explicat: Offerasq; sacrificia eorum: hoc est, uictimas in manus eorum tradas quas offerant. Hinc implendi manus apud Hebræos phrasis nata pro initiandi.

A renibus usq; ad femora.] Euoluto typo offertur amictus fidei, quæ una pudenda in uetere homine tegit. de qua uestе illud: Beati quorum tecta sunt peccata.

Quando ingredientur tabernaculum testimonij.] ad accendendas lucernas, et disponendos in mensa panes.

Ad altare.] ad adolendum suffimentum.

IN CAPVT XXIX.

SEd & hoc facies.) Explicatur ritus initiandorum sacerdotum, qualis fuerit qui his rebus continetur. primò iam conuocato populo, adductus Aaron & filij eius in atrium ante tabernaculi ostium lauantur: deinde loti uestiuntur sacris quæ suprà descriptæ sunt uestibus: tum oleo perunguntur summi sacerdotis caput: demum sacrificia fiunt, quorum quatuor commemorantur genera. Vnum חטאת, id est piacularis uictima est, quam iuuencus ad expiandam noxam præstabat: alterum עולה, id est holocaustum ad quod aries destinatus erat: tertium זבח שלמים, id est hostia gratulatoria de parta pace ac salute, quam alter aries efficiebat: quartum מנחה est, id est dapale munus quod panibus fermento carentibus, placentis & crustulis oleo perlitis constabat. Hæc sacrificia in ipso textu exponuntur: & quæ eorum lex sit & ratio, Leuiticus liber exinstituto docet. Mysticas eorum lineas explicant prophetæ, & Apostolus in Epistola ad Hæbræos, quas suis locis breuiter perstringemus.

Et arietes duos.) unum pro holocausto, alterum pro uictima de salute. Vterque eum arietem repræsentat, quem aries qui Abrahamo inter uepreta apparuit, figurauit.

Immaculatos.) Veritas in integro & uitij experte ariete. de quo illud: Qui seipsum obtulit per spiritũ æternũ immaculatũ Deo. Nec non carens uitio hostia admonet sacerdotes carũ uictimarũ quas offerant, de quibus illud Apostoli: Obsecro igitur uos fratres per miserationes Dei, ut præbeatis corpora

pora uestra hostiã uiuentem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum uestrum.

Panesq; azymos.) Panis figuratur qui de se dicit, Ego sum panis ille uitæ: quiq; fermento ueteris naturæ peccato obnoxiæ caret, de qua puritate illud: Eo quòd iniquitatem non fecerit.

Oleo lita.) Significatur oleum lenitatis & clementiæ in crustulo quod de se dicit: Discite à me quòd mitis sum:

Ad ostium tabernaculi.) in atrij orientalẽ partem, quæ ante tabernaculi ostium patebat.

Cumq; laueris.] Iam loti sacro amictu induantur. In lauatione Aaronis & filiorum eius umbra: ueritas in ea lauatione cernitur, de qua illud prophetæ: Effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris. Hinc illud Apostoli: Quicunq; baptizati estis, Christum induistis.

Et laminam sanctam.) זר הקדש coronam sacram, quæ suprà lamina uocatur. & sacra dicitur, ut in qua scriptum esset: Sacrum Domino. Notatio regiæ dignitatis mystica.

Et oleum unctionis fundes super caput eius.] solius Aaronis. Hinc Psal. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, in barbam Aaron. Deposito typo, docemur hic solum Christum ut caput plenitudine diuinitatis unctum, cui Deus dederit spiritum sine mensura, reliquos sanctos non ut caput, sed ut membra ungi unctione. de qua illud: Vnctio docet nos omnia.

Postquam initiaueris manus eorum.] Hebræus: Aaronis item & filiorum eius manus impleto. Manus initiandorum solitæ sunt impleri, ut mox patebit, adipe de salute oblati arietis cauda, reticulo iecoris, duobus renibus, armo dextro, portione panis, placenta, & lagano, quæ Domino quaquauersus porricerent, deinde ea in aram posita adolerent.

Vitulum.) Enumerat genera sacrificiorum ordine.

Imponetq; Aaron.] significantes eo ritu animal cui manus imponebant, ad diuinum sacrificium consecratum, & ad alium usum transferri non debere. Sic Leuitæ imponunt manus suas super Leuitas, ea ceremonia declarantes ad Dei cultum illos destinatos. Is ritus retentus etiam est in nouo fœdere ab Apostolis, cum iudicarent discipulos uel ad sacri spiritus dona susciptenda, uel ad publicam Euangelij administrationem obeundam idoneos.

Et mactabis eum.] De huius piacularis uictimæ ratione & lege, Leuitici quarto & quinto capitibus.

In conspectu Domini.] qui ad propitiatorium oraculare aderat.

Sumptum de sanguine uituli.] expiatorio noxæ. Non mirum, in sanguine quæsitam expiandi & mũdandi omnia uim, in quo spiritales uitales, naturales & animales suppeditante, uita posita sit, ut infrà in Leuitico & Deuteronomio docetur. Sed figura de posita, ueræ uitæ, hoc est cœlestis & æternæ uitæ precia in eius sanguine cernuntur, de quo Apostolus: Per quem habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum.

Iuxta cornua altaris.] in atrio collocati.

Sumes & adipem totum.] Adipes epatis, reticulum, renes libidinis & concupiscentiæ sedes, & eis adhærens pinguedo, iussa sunt cremari. ueritas in eo igni de quo illud: Deus ignis consumens. item: Baptizabit uos igni. Dicas, Sed Christus libidine ut noxæ expers caruit. bene quidem, sed ut lueret noxam, multæ noxæ subiectus fuit: data significatione, nos quoque cum eo debere immolari, hoc est ueteri homini mori, siquidem regio sacerdotio fungi uelimus. Quod est hic adipem & renes adoleri super aram. Hinc illud Apostoli: Vetus ille noster homo cum illo crucifixus est, ut aboleretur corpus peccati, ut posthac non seruiamus peccato. Appositè igitur nonnulli בלירת, id est renes à בלח, quod est in loco cõcupiscere ac appetere, appellatos dicunt, ut in quibus libido uersetur.

Carnes uerò uituli.] Extra castra crematur caro, corium, & fimus tauri piacularis. Qua figura significatur, ad Ecclesiam sanctorũ peccatum & maledictionem mortis non pertinere, & Christum peccatum & maledictum factum, ut ad tabernaculum & castra uerorum Israelitarum aditum patefaceret. In carne porrò, corio, & fimo si Christum spectes, expiatio peccati & ignominia crucis indicatur: sin nos, ueteris hominis peccato & maledictioni obnoxia sors ostenditur. de qua Apostolus: Caro & sanguis regni Dei hæreditatem consequi non possunt. & idem ad Hebræos: Quapropter & Iesus ut sanctificaret per proprium sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum, opprobrium eius portantes. Dicas, Caro Christi & sanguis non solum regnum Dei possident, sed etiam nos ad regnum cœlorum ad ueram uitam perducunt, sed non prius caro Christi regnum patris sui possedit, quàm per mortem expiasset peccatum, & per resurrectionem opprobrium mortis abstersisset, à quo ad gloriam suam filium excitari oportuit. ueluti legimus: Et cœpit docere eos quòd oporteret filium hominis multa pati, & occidi, & post tres dies resurgere. Nam oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam, quam glorificatæ carnis igne spiritus ui consecutus mittit salutarem uitæ spiritum, qui suos sacerdotes reges formet. Itaq; sacrificium expiatorium peccati, alia duo sequuntur: alterum holocaustum, alterum de salute, de quibus mox.

Eo quod pro peccato sit.] Hebr. חטאת peccatum pro uictima expiatoria peccati. Ad uerbum חטאת respexit Apostolus, cum his uerbis dicit de Christo piaculari hostia: Eum enim qui non nouit peccatum,

catum,pro nobis peccatum fecit,ut efficeremur iustitia Dei per illum.

Vnum quoq; arietem sumes.) Holocaustum alterum sacrificium parat:de cuius lege uideris Leuitici primo capite.

Et fundes circa altare.) In ara uictimaria circumfundendum sanguinem.

Ipsum autem arietem secabis in frusta.] quo melius adoleatur:totus enim adolendus est.

Et offeres totum arietem in incensum.]Primò lauantur frusta,deinde adolentur. Qua imagine admonemur regenerationis,quæ constat aqua & spiritu igneo.De aquis illud:Nisi quis renatus fuerit ex aquis.De spiritu uerò igneo:Ipse baptizabit nos spiritu,& igni.Quæ autem aquæ hic intelligantur,norũt ij qui partem in regeneratione habent.

Oblatio est Domino.] A Græcis hæc uictima ὁλοκαύτωμα à solida crematione dicitur: ab Hebræis עלה, quòd huius generis hostiæ in ignem conuersæ, in supera ferantur. Si Christum spectes, is à morte sua igneo transformatus spiritu, ascendit in cœlos. De quo ascensu illud: Ascendit in altum. Vt enim quæ ignis corripuit, & in suam naturam conuertit,secum in sublime leuat:ita non diuersa natura est ignis transformatorij,de quo propheta: In spiritu iudicij & ardoris. item: Saluus erit,sic tamen quasi per ignem. Qui est ignis diuinæ lucis sanctos illuminans & purgans ad claritatem suæ naturæ. Quam obrem hic legitur: אשה ליי, id est uictima igneta Domino, quæ nimirum igni perfecta sit. Cuiusmodi uictima qua placet Deo, legitur in textu ריח ניחוח,id est odor suauis,Deum delinieus.

Tolles quoq; arietem alterum.)Tertia uictima pro pace & salute destinata.De cuius lege ac ritu uideris Leuitici 3.& 7.

Sumes de sanguine eius.)Ratio ac ritus, qui in hac hostia obseruatur, exponitur. Duplex sacerdotis officium est. Vnum, auscultare oracula diuina, & ea alios quoque docere. de quo illud: Interroga sacerdotem legem, & respondebit tibi. Alterum, uitæ innocentia, præceptæ & traditæ doctrinæ respondere. Quæ innocentia duabus rebus continetur: puris affectibus, quos pollex dextri pedis denotat: & sanctis studijs ac benefactis, quæ dextræ manus pollex indicat. Pede enim affectus significari, & manibus agendi instrumento facta & actiones, uulgare est in scriptura. Vtrumq; munus, & audiendi oracula Dei,& bene se gerendi,præstant sacerdotes: aure eorum dextra, & dexterarum manuum & pedum pollicibus sanguine sacræ uictimæ tinctis. In quo autem sacerdotio, in quo sanguine, in qua aure & auditu, in quo pollice ueritas sit, sanctis notum. Nos legimus illud: Qui ex Deo est,id est spiritu mei sanguinis tinctus, uerba mea audit. & de fide: Fide purificantur corda hominum. & de benefactis: Fides sine operibus mortua est. Quòd autem dextræ paries tingendæ sanguine seliguntur, non est mirum. In hac enim parte uigor maior consistit, quàm in sinistra. Hinc Hieremias: Maledictus qui facit opus suum negligenter. Eadem ratione filius ad dextram Dei cum sanctis sedere dicitur, qua robur & uis potentiæ, iustitiæ & sapientiæ diuinæ significatur. Quòd ad manus pertinet, hæ diuina ratione ea forma factæ sunt qua ad uarios usus & præsidia homini commodæ essent. Nam multi fidæ sunt,in quibus digitorum flexus ad capiendum premendumq; aptissimus est. In quarum dextra pollex sacræ uictimæ sanguine aspergi iubetur,quòd is breuis & crassus multa ui polleat, premendi continendiq; roborè reliquos æquans.

Tortamq; panis.] Quartum sacrificium dapale. Quatuor quidem fuere sacrificia, sed quæ omnia unum sacrificium Christum, diuersa tamen ratione,adumbrarint. Nam Christus חטאת, id est expiatoria hostia est, cum peccata morte luit. de qua illud: Et ipse peccata multorum tulit: עולה autem dicitur, ut est in altum ignea transformationis ui per excitationem è mortuis sublatus: שלמים uerò hostia cum iam translatus ad gloriam patris,pacem & salutem nobis, hoc est remissionem peccatorum per iustificationem nostri,misso adoptionis in pectora nostra spiritu, parit.de quo munere Apostolus his uerbis: Traditus fuit propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri. Quo loco trium sacrificiorum עולה חטאת שלמים mystica ratio exponitur. Itaque ut Christus in cœlum sublatus uirtute resurrectionis dona mittit hominibus,ut habet illud,Ascendit in altum,& dona dedit hominibus, dona uidelicet sacri spiritus iustitiæ & uitæ:ita de שלמים & de מנחה suus uictus ac alimonia sacerdotibus deciditur. Nam Deus ut sacrificij עולה igneo spiritu suos regenerat:ita eosdem שלמים carne & מנחה cœlesti pane nutrit. de quo illud: Ego sum panis uitæ.& de carne sua hæc ipsa uictima: Caro mea uerus cibus est. Non igitur leuis res agitur in his sacrificiorum ceremonijs, sed in eis tectæ de natura,morte,resurrectione & glorificatione Christi conciones habentur, quæ redemptionem & uniuersum ordinem ac rationem renouationis nostri ad initiationem ueri & æterni sacerdotij continent.

Eleuans coram Domino.]Porricienda Domino esse. Quod est Hebræis הניף Latinis in loco porricere est. sacrificantium uerbum. Ritum fuisse tradunt, ut ea qua offerebantur Domino partim sursum leuarentur, atque hoc dicunt esse תרומה: partim circunquaque mouerentur ad Orientem, Occidentem, Septentrionem, meridiem. quod esse uolunt תנופה. Quo ritu significabatur fore,ut Christi ueræ uictimæ merita & beneficia longè lateq; in omnes mundi terminos prædicationis euangelij beneficio diffunderentur. de qua תנופה illud: In omnem terram exiuit sonus eorum. Nec non hac agitatione Messiæ imperium per uniuersitatem hanc propagandum, præferebatur, ut Messias ipse interpretatur: Mihi data est potestas cœli & terræ.

In holocaustũ) על עולה, id est supra holocaustum

ſtum præter priorem arietem holocauſto deſtinatum, adolenda eſſe quæ hic commemorantur.

Quem de ariete ſeparaſti.] Similiter paraphraſtes pro התרומת uertit ואפרשתא. Eodem modo Septuaginta, ἀφωρέματος armo munere ſeparaticio ſeu excepticio. Armum dextrum & pectuſculum ſacerdoti debere cedere, infrà quoq; in Leuitico monemur his uerbis: Pectuſculum eleuationis & armum תרומת tuli à filijs Iſrael de hoſtijs eorum pacificis, & dedi Aaron ſacerdoti & filijs eius. Huiuſmodi munera תרומת appellata dicunt à leuando, quòd ſurſum à ſacerdote leuarentur.

Iure perpetuo.) dum manet lex Moſaica. Cæterùm in pectuſculo ſapientia, in armo dextro facultas diuina omnia rectè gerendi, quæ Meſſias eſt, notatur. de qua illud Apoſtoli: Chriſtum Dei potentiam & ſapientiam. Admonemur igitur hic ſacerdotis eſſe, præſtare ſapientia & ui quæ ſapienter conſtituit, efficiendi.

Veſtem autem ſanctã.) initialis arietis ſanguine tinctam & oleo ſacro inunctam.

Qui pontifex.) בהן hic pro ſummo antiſtite & ſacerdote.

In ſanctuario) In ſanctiore ſacrario: quod pontifex rem diuinam facturus, ſemel ingrediebatur in anno.

In loco ſancto.] in atrio.

Alienigena nõ ueſcetur.) alienus à genere Aaronis. Depoſito uelo, de Chriſti familia qui ſunt, admittuntur ad conuiuium, de quo Ioannis ſexto, alieni non item. Qui autem de genere Chriſti ſint, declarat illud: Ego pro eis rogo quos dediſti mihi. Prædefinitio ac electio diuina origo huius generis eſt. de qua in epiſtola ad Romanos & ad Epheſios clarè

Quia ſancti ſunt.] קדש carnes quoque attingit.

Septem diebus conſecrabis manus eorum.] Initiationem ſeptem diebus perfici, unoquoque die iterato in uictimam ariete, cum altero ariete in holocauſtum deputato, & cum tauro piaculari.

Ad expiandum.) Sunt qui במררים pro duali numero interpretantur, & על pro עם in hunc modum: Piacularem taurum cum duobus arietibus ad propitiandum immolatis, offerendum eſſe.

Mundabisq; altare.) aſperſo ſanguine digito ſacerdotis. Nam neque ſacerdotium ſine uictimis, neque hæ ſine ara conſtiterint. חטאת pro expiandi uerbo ἀντιφραστικῶς uſurpatur. Annotant interpretes, חטאת propriè eſſe cum ſanguis digito aſpergitur. Ara duplici modo conſecrabatur: ſanguinis aſperſu, & inuncto oleo. Suprà legimus ut piacularis tauri ſanguine ara intingi debeat.

Sanctum ſanctorum.] Depone typum. Hæc ſacroſancta ara Chriſtus eſt, quæ ſuo quoque oleo inungitur. de quo ſæpe. Sed dicas, ut Chriſtus, qui noxa caret, ſanguine expiatur? Expiatur quoque ſanguine, dum pronunciatur diuina patris ſententia per ſuum ſanguinem aptus eſſe qui luat noxam mundi, & eum ſolum eſſe aram in quâ litatæ uictimæ gratæ ſint Deo, in quáque debeat fieri expiatio peccatorum. Hinc quantum deliquerit Achas rex mutata ara ad Dei uerbum extructa, & alia ædificata, quæ ſpectem Damaſcenæ aræ referret, ex libris Regum cognoſcimus. cum quo omnes in aliena ara ſacrificam, qui in expurgando peccato alia quàm Chriſto ara utuntur.

Omnis qui tetigerit illud, ſanctificabitur.] Ad hanc aram qui accedent rei diuinæ faciendæ gratia, conſecrandos eſſe eo ritu qui expoſitus eſt.

Hoc eſt quod facies in altari.] Vſus aræ generalis.

Agnos anniculos duos.] præter piacularem taurum & duos arietes immolari ſolitos in ſacerdotum initiatione, & præter uictimas quæ interlunijs feſtiſq; diebus mactari ſolent. De his duobus agniculis infrà quoque in Numeris fit mentio his uerbis: Hæc ſunt ſacrificia quæ offerre debetis, agnos anniculos duos quotidie in holocauſtum. In his agnus umbra. Veritas in agno de quo Ioannes teſtimonium dat: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Quem agnum, hoc eſt Chriſtum contemplabantur patres in legali agno tanquam in ſpecie & imagine quadam. Sicut Chriſtus de Abrahamo dicit: Abraham exultauit ut uideret diem meum: uidit, & gauſus eſt. Et idem de Moſe: Is enim ſcripſit de me. Agnum quoque agnus ſymbolum fuerit Chriſti uigentis animantis non rebelle, ſed manſuetum & mitte. Quò Ieſaias ſpectans dicit: Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & tanquam agnus coram tondente ſe obmuteſcit. Ab Hebræis igitur agnos כבשים à ſubigendo dictos apparet, qui iniurijs obnoxium & minimè contumax animal ſint. Latini agnum quaſi ἁγνὸν, id eſt caſtum & mundum appellant. Quæ ſignificatio congruit in agnum de quo illud: Ecce agnus Dei. Quòd autem duo agni iuſſi ſunt offerri, alter ſub ueſperam, alter mane: ea re ſignificari uolunt Chriſtum agnum, qui quidem ueſpere offertur, cum per mortem peccato expiato ſanguine ſuo tribunal iuſticiæ placat: mane uerò ſacrificiũ hoc conſiderari quatenus agnoſcitur nobis lumẽ clementiæ patris reconciliati de throno gratiæ oſtendi.

Vnum agnum mane.] Omittit תעשה quod eſt ſacrificantium uerbum, ut in loco facere apud Latinos. Vt ille:

Cum faciam uitulum pro frugibus ipſe uenito.

Decimam partem ſimilæ.] Hæc decima pars Ephi erat gomer ſuprà Exodi decimoſexto appellata. Holocauſto quotidiano ſuum fertum ac dapale ſacrificium, & uini libamen additur, quod deeſt piaculari hoſtiæ, ut ſuis locis monebitur.

Quartam partem hin.] Hin liquidorum menſura erat. Hanc alij quatuor ſextarios, ſeu ſemodium: alij ſextarium, id eſt duodecim cyathos continuiſſe affirmant. fuit autem ſextarius apud Romanos ſexta pars congij, continens duas heminas, cyn habile maſs. Interpretes Hebræi dicunt hinem habuiſſe duodecim lugos, unoquoque lugo habente ſex ouã.

Quarta

Quarta igitur hinis pars trium lugorum fuit, hoc est mensuræ octodecim ouorum. Cum qua sententia conguunt, qui hinem quatuor sextarios continere dicunt.

Et uinum ad libandum.] Cur uinum & oleum in sacrificio holocausti neglectum non sit, norum ij, qui quæ lætitia renouationem igneo spiritu Dei confectam consequatur, experiuntur. Quæ lætitia oleum illud est, de quo propheta: Propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ. item uinum de quo Dominus apud Euangelistam: Dico autem uobis, non bibam de fructu uitis, donec regnum Dei ueniat. De fructu uidelicet illo exhilarate conscientias remissa noxa. Mysterium crucis in holocausto agitur, mortificatio ueteris hominis, ad innouationem noui per flammeum spiritum Christi plenum luce, iustitia, uita, claritate gloriæ Dei.

Iuxta ritum matutinæ oblationis.] ad utrumque agnum adhibendum idem dapale munus ac fertum, & eandem libationem uini.

Vbi constituam.) ארעד responsa dare est. Græci, ὃν ὁς γνωσθήσομαι. Vsus tabernaculi præcipuus in oraculis diuinis cernitur, quæ in eo de propiciatorio reddit Deus. Deposito uelo, occurrit ecclesia, extra quam neque sacerdotium, neque ara, neque propitiatorium, neque oracula diuina locum habent.

Et habitabo in medio.] Finis sacratioris tabernaculi, aræ sacerdotij, ut Deus placatus in suis habitet cum uitæ, iustitiæ, sapientiæ, potentiæ suæ beneficijs.

De terra Aegypti.] dijs alienis profanata. Ex qua Israelitæ liberati sunt, non solum ut scirent ex quanta seruitute uindicati essent: sed ut cognoscerent Aegyptio exuto homine, eum induendum qui legi in Sina tradendæ se conformaret. sic reducto uelo Israelitæ, hoc est in cœlo scripti, meditari debent his lectis, se ex spirituali Aegypto assertos, ut nouam & cœlestem uitam cogitent beneficio legis, quam Ioannes gratiam & ueritatem, Ezechiel spiritum nouum, Hieremias legem in pectore non atramento, sed agni sanguine scribendam, appellat.

Vt manerem.) non dij alieni. Ratio uindicationis ex Aegypto.

IN CAPVT XXX.

FAcies quoq; altare.) Cum duæ sint sacræ aræ, altera ænea faciendis uictimis, altera aurea suffimentis adolendis consecrata: hæc huius est instituti. Atque in ea materia, magnitudo, figura, ornatus, situs, usus, considerantur. materies cedrus est, magnitudo cubitalis secundum latum & longum, bicubitalis secundum altum, figura quadrata, ornatus in corona aurea spectatur suffitoriam aram cingente. De usu suo loco.

Iam craticulam eiu.] את גגרו tectum eius, id est extremitatem ac superficiem eius in qua thuribulum ponebatur.

Vestiet illud.] à deauratis cedris hæc ara aurea, superior uerò ænea ab inducto ære appellatur. Quæ in tabernaculo aureo splendent, foris sunt ærea.

Pones altare contra uelum.) Situs aræ suffitoriæ. Hæc extra uelum collocata fuit inter candelabrum & mensam, inter austrum, & ad septentrionem interiecta.

Quo tegitur testimonium.] arca testimonij.

Et adolebit.] Vsus aræ suffitoriæ, qui bipartitus erat. unus in imagine & umbra, alter in ueritate adumbrata cernebatur. Imago quæ pædagogiæ legali conueniebat, erat suffitum in ea adolere Domino, & semel in anno sanguine piaculari hirci & tauri cornua eius aspergere, & ad eam oratione placare Deum Israelitis. Veritas in Christo est, quem hæc ara repræsentauit, & ad eum suffimentum facientium animos direxit. Nam eorum qui hunc in suffiendo non contẽplabantur suffitus reprobabatur, ut est apud Esaiam: Incensum abominatio est mihi. Item: Qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. Suffitus uerò orationis sacrum symbolum erat, de quo illud: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Igni fidei incensa charitas notabatur, qua flagrans oratio ut fumus nubes penetrabat. de qua illud: Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Assiduam autem orationem debere esse, & indefessam, admonebant suffimenta singulis diebus in ara facta. Huc spectans Apostolus Thessalonicenses his uerbis hortatur: Indesinenter orate. Cornua quatuor, uim & potestatem cœlestis aræ, in qua suffitus orationis sanctorũ aduersus peccatum, mortem, satanam, potẽs fieret, declarabant. Itaq; hæc ara de se dicit: Quæcunq; petieritis patrem nomine meo, uobis dabit. Sanguis præterea quo tincta fuit ara, docebat orationem nihil ualere, nisi in precante noxa sanguine Christi expiata sit: & omnem orationem propter sanguinem sacræ aræ Iesu, gratam esse Deo. Figura autem quadrata firmitatem aræ, quæ conuelli non posset, denotabat. sicut etiam ciuitas Dei τετράγωνος à Ioanne dicitur. Ornatus demum corronæ aureæ regalem dignitatem Christi, & eorum qui in Christo sunt, innuebat.

Quando componet lucernas.) Repurgatis elychnijs. suffitus igitur unà cum lucernis adornabatur. Lumen fidei per charitatem agentis notatur, necessarium orationi.

Quando collocat eas.) רבחעלרת, id est cum accenderit. In Hebræo uerbo natura ignis euolantis in sublime respicitur.

Non offeretis super eo.] alienum suffitum, qui alijs, quàm quæ præscripta sunt, aromatis sit confectus. Hunc parant qui ex fide non orantes, sua, non ea quæ ad Dei gloriam faciunt, precantur. id est, qui nõ orant ut docet hæc ipsa aurea ara orandum: Sanctificetur nomen tuum, fiat uoluntas tua.

Semel per annum.) In mense uidelicet septembri, & decimo eius mensis die.

Quando tuleris summam.] Ratio exponitur expediẽdæ pecuniæ qua tabernaculi sumptus tolerentur. Cẽsum habendũ esse in quo uiritim quisq; pro se uiginti aut amplius annos natus semissem sacri sicli pendat. Quod est Latinis recensere, censum agere, Hebr. dicitur נשא ראש Septuaginta pro ראש ἀναλήμψεως uertunt, & Chaldæus חרשבן.

Dabunt singuli precium.] propiciatorium, quo placato Deo censi à se cladem auertant. In hoc precio umbra, in illo ueritas. de quo Apostolus: Christus Iesus qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus.

Et non erit plaga in eis.] Ratio propiciatorij precij. Hinc colligunt nonnulli pestem tempore Dauidis grassatam, quòd hunc propiciatorium siclum censendi non soluissent. Si ueritatem spectes, clade æterna afficiuntur qui uerè redemptoriũ precium non soluunt, id est fidem Christo redemptori non habent, de qua clade ipsum hoc propitiatorium: Qui uerò non crediderit, condemnabitur.

Quicunq; transit ad nomen] in censum uenit. Verbum transeundi עבר cum agitur recensendi negocium, usurpatur, certo ordine ijs qui numerantur transeuntibus sub manu eius qui recenset: sicut in frà in Leuitico legimus de ouibus, ut hæ numerandæ tempore decimationis sub pastoris uirga transeant. רצאן בל אשר יעבור תחת השבט.

Dimidium siclum.) Iosepho autore, siclus quatuor Atticas drachmas habuit, idem quod stater, qui apud Græcos τέτραχμον erat, semissem aurei nostratis ualens: quo magis mirum fuerit, Septuaginta uertisse δίδραχμον pro siclo in mentione sicli sacri. Cæterùm in dimidio siclo non integro, apparet significari propitiatorio precio Christum, cum duo sint homines, alterum solum hic instaurari, altero cum suis uitiosis affectibus abeunte in puluerem terræ ex quo effictus est. Legimus enim apud Apostolum: Exterior noster homo corrumpitur, interior indies renouatur. At huic reparationi, quoniam hic non absoluatur, non parum congruit dimidius, non integer siclus. Huc pertinent primitiæ spiritus nos tuentes à nece, quas nobis redemptorium precium largitur.

Siclus uiginti obolos habet.] Similiter Chaldæus pro גרה uertit בעין, & Septuaginta ὀβόλους. obolum autem ualuisse Atheſinum cruciferum, docti homines tradunt. Hebræi interpretes non dissimiliter docent, cum dicunt integrum siclum quatuor דרדים ualere, דרד autem olim quinque בעין, id est obolos, postea uerò sex cæpisse habere, nomine דרד accepta drachma Attica, ex sententia Iosephi.

A uiginti annis.] Ab ea ætate requiritur propiciatorium precium quo se à nece liberet, quæ ad usum tum prudentiæ, tum artis bellicæ apta sit. Remoue uelum.

Diues non addet.] Par propitiatorium imponitur opulento & inopi. Depositio typo, occurrit illud Pauli suprà quoque citatum: Qui dedit semetipsum redemptionis precium pro omnibus. Item: Vult omnes homines saluos fieri. Hic enim nèue gentis, nèue sexus, nèue ætatis, nèue fortunæ habetur ratio. In collatione mystici sicli fœminæ in uiris comprehensæ sunt.

In usum tabernaculi.) In hoc libro de duplici תרומת, id est separato munere in sacrum tabernaculi usum fit mentio. Vnum suprà capite uigesimoquinto explicatum est, quod quisque sua sponte exhibebat nullo certo modo eius præstandi præscripto. Alterum munus dimidius siclus est. Bipartitus usus propitiatorij precij unus, quo quisque se à clade uindicat. alter, quo tabernaculo consulitur facta propitiatione. Is est usus ueri redemptorij precij sic singulis consulentis, ut uniuersæ ecclesiæ consulatur.

Labium æneum.] In hoc labro spectanda materies, situs, usus. Materia æs fuit. eius situs in atrio inter aram & tabernaculum uisebatur. usus in abluendis manibus & pedibus uersatus est. Veritas in ea ablutione pedum ac manuum de qua Esaias: Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum uestrarum ab oculis meis. Labrum autem est is de quo illud: Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ.

Ad altare.) suffitorium. illotis non licebat tabernaculum ingredi, & rem diuinam in ara facere. Dr pone typum. Nos legimus in Psalmo Prophetam in hunc modum percunctantem: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui in hunc modum respondit: Qui ingreditur sine macula, & iustè agit. Hanc iustitiam absterſa macula uitiorum conficit aspersa ex cœlesti labro aqua, qui Christus est, de qua propheta Ezechiel: Effundam super uos aquam mundam. Hac abluti aqua, admittuntur ad sacerdotale munus in sacro tabernaculo, quod ecclesia est, peragendum.

Sume tibi aromata primæ myrrhæ.) ראש caput pro præcipuæ ac primæ notæ re. Omittit interpres דרור myrrham eximiam. Qualis fertur esse stagilis, non ponderosa, undiq; sibi concolor, cum acrimonia amara & odorata. Ferum hanc per se unguentum facere sine oleo. Apparet myrrham ab Heb braeis מר ab amaritudine quam habet appellatam. Retinuere cæteræ linguæ Hebræas uoces hic positas, ut uidere licet etiam in קנמן quod cinnamomũ, in קנה qui calamus, in קדה quæ casia. Cæterùm ratio hic unctorij unguenti conficiendi exponitur. In quo materia ex qua componitur, ipsum pondus & usus cõsiderari debẽt. Materia, myrrha, cinnamomũ, calamus aromaticus, casia, et oleũ in quo odores macerabantur, erat. Pondus quantum cuiusq; aromatis fuit, textus explicat. Vsus cernitur in perungendis rebus ad Dei cultum sacratis. Meminere rerum scriptores, eum qui primus inuenerit unguentum, non tradi. Illis temporibus non fuisse. At uerò Moses hic quanta unguentorum antiquitas sit, indicat. Confectio autem unguentorum duplex est, Succus & corpus. Ille oleo

olei generibus ferè constat, hoc odorum: quod nostri instituti est. Petenda aromatum quæ hic commemorantur ex scriptoribus rerum fuerit descriptio. Nam natura, & uires eorum animaduersæ, ad cognoscendam sacram cœlestis unguenti uim, uiam aperiunt. Et cum in stirpibus tria præcipuè perpendenda sint: unum, temperamentum ex quatuor initiorum mundi affectionibus, calore, frigore, sicco, humore: alterum, odor & sapor, tertium ipsa naturæ uis ac facultas: hæc in aromatis ex quibus hoc diuinum unguentum iubetur confici, notata, ad intelligendum quod hoc uelamine tectum est mysterium, magnum momentum affert. Imaginem enim unguentigerit, de quo illud: Vnctio docebit uos omnia. quæ inflammandi charitatis calore sanctorum animos, ueterem hominem expurgandi, ueneno noxæ merendi, uulnera sanandi à peccato accepta, conuulsa conglutinandi, aspera opprobrij crucis leuendi molliendiq; consolatione uim habet. Quas sacrosanctæ unctionis uires aromata, è quorum odoribus typicum hoc Mosæ unguentum componitur, repræsentant.

Oleum de oliuetis.] Oleum oliuum deligendum purum expressum torcular excreta carne, nucleo, amurca. In hoc oleo temperandos iam narratos odores, cuius natura tepefaciens & muniens aduersus algores, molliens item & corroborans corpora, in oleum illud conuenit, de quo Psalmus: Vnxit eum præ consortibus. Oleum ad mysterium olei designandum quo Messias unctus est, & eius electi, unguntur, ualde congrut. præter cætera enim quæ adducta sunt, uidemus oleum ardere, & ardendo gratissimum lumen de se fundere. Sic Deus quorum corda oleo sacri spiritus ungit, ea inflammat, & inflammando lucem elicit longè pulcherrimam & saluberrimã, qua cuncta cernere liceat, etiam ipsam diuinitatem. Hinc Ioannes: Vnctio docebit uos omnia: alludens ad lumen quod inest in oleo. & Apostolus: Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Præterea oleum aliis liquoribus nõ admiscetur. Sic diuinitas ijs quibus sese inserit, non commiscetur, sed eas ungit. Nam is in suis inest citra mixtionem & confusionem naturarum. Quod qui non perpendunt, in Christo ipso aut solum diuinitatem considerant, neglecta diuinitate, aut contrà: aut duas naturas in eo ita cõfundunt, ut in neutra quæ propria habet, minimè cernant. Hæc hallucinatio omnes de Christo errores parit.

Et unges ex eo tabernaculum.) Vsus sacri unguenti. Ordo hic rerum unguento profundendarum perpendendus est.

Caro hominis non ungetur ex eo.] In profanum usum conuertendam non esse confecturam hanc unguensariam. Deposito uelo occurrit unctio illa spiritualis quæ nos separatos à mundo & carne uerè consociat Deo. Et is ipse est precios us unguenti odor quem tantopere sponsa in amatorio illo carmine prædicat: Curremus in odore unguentorum tuorum.

Et iuxta compositionem eius מתת בתת ad numerum aromatum & pondus refertur. Eiusdem significati cum illo מתכנת חלבנים.

Alieno.) à genere Aaronis. Depone uelum: unctionem sacri spiritus ad alienos à genere electorum in Christo non pertinere, impios in illius participatu non esse. Dicas Salomonem unguento illo quoque perfusum à Zodoco sacerdote. Respondent nonnulli, uocula alieno contineri eum qui neque de familia sit Aaronis, neque regiæ dignitatis particeps.

Stactem.] Similiter noſtro interpreti Græci, στάκτη. Hanc scriptores rerũ myrrhæ sudorẽ dicunt esse, quã sponte prius sudare tradũt, quàm incidatur.

Onycham.) Similiter paraphrastes Chaldæus & Græci: Meminere autores reperiri conchulam Indicã à Græcis ὄνυχα appellatam conchulæ purpuræ rũ testis similem, odoratam, & inde suffimentis aptã, in qua nardi odor sentiatur. Vocata autem est ὄνυξ ab unguium læuore ac candore.

Galbanum boni odoris.) Boni odoris, assunt de suo. Galbanum enim non est boni, sed grauis odoris liquor, ferulæ in Syria nascentis. probatissimum thuri maximè simile fertur. Miscetur grauis odor bene fragrantibus, ac suaue olentibus. Ratio sanctis nota. Quid crucis, in qua maximè orationis suffimen ardet, odore grauius? Quid rursus eodem salutarius & Deo gratius? Galbanum incensum serpentes fugare & necare fertur. Quanto galbanum spirituale illud orationis sanctorum præsentius est, quo serpens ille ac draco ueterator fugatur & occiditur?

Et thus humidissimum.) quo una Arabia felix gloriatur. de quo Latinus uates:

India emittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Probatur thus candore, fragilitate, carbone, ut statim ardeat. item ne dentem accipiat, potius quàm in micas frangatur. Ad candorem interpres Latinus respexit uertens lucidissimum.

Æqualis ponderis.] Similiter paraphrastes בר pro מתקל. Nonnulli בר pro לבר singula seorsim parandum, deinde iam parata commiscenda esse.

Cumq; in tenuissimum puluerem.) Deposito uelo, occurrit comminutus puluis aptus in suffimentum gratum Deo. de quo illud: Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Peribit de populo.) Mulcta memorabilis in eos statuitur, qui ad exemplum sacri suffimenti ad fragrantiam, ac suaueolentiam de sua sententia suffitum concinnant. Adumbratur exitium eorum qui orationis incenso abutuntur ad alias res, quàm ad sanctificationem nominis Dei. Hinc seuera illa castigatio nata, qua Dominus ueræ suffitionis author Pharisæos redarguit: Cũ oraueris, nõ eris sicut hypocritæ.

IN CAPVT XXXI.

Ecce uocaui ex nomine.] destinatum opificio meo. Tale est in loco קראת.

Filij Huri.) Is Hur auus Bezalehelis suprà memoratur, Israelitis ad quem causas suas referrẽt præ-

fectus à Mose, cum iam ad Dominum in montem Sinam ascenderet.

Et impleui eum spiritu Dei.] peritiam & artem fabre faciendi opificium meum, afflans diuinitus. Quem cœlestis tabernaculi architectum adumbret is Bezalehel ex tribu Iudæa, declarat illud Iesaiæ: Et requiescat super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, intelligentiæ & scientiæ. sed in quem usum? In usum ædificandi tabernaculi Dei, ut in eodem uate sequitur: Sed iudicabit in iusticia pauperes.

Candelabrum purissimum.] ex auro puro puto.

Vestes sanctas in ministerio.) Duo genera uestium sacrarum hic commemorantur. Vnum, earum quibus tabernaculi apparatus & instrumenta profectionis tempore, inuoluta conseruabantur. Hoc genus indicatur in בגדי שרד uestibus ministratorijs. de quibus legimus his uerbis in Numeris: Mensam item propositionis inuoluent hyacinthino pallio: item: Sument & pallium hyacinthinum, quo operient candelabrum. Alterum genus uestium sacrarum est, quo sacerdotes uestiebantur. quod ostenditur in ראת בגדי הקדש.

In sanctuario.) לקדש ad sacrarium, id est ad sacrarij usum.

Vt sabbathum meum.) Repetit celebrationem sabbati, quod bipartitum est, τυπικὸν & spirituale. Typicum externam uocationem ac feriationem continet. cuius tripartitus erat usus. unus, quo quies fessis dabatur: alter, quo memoria repetebatur eius uacationis qua Deus mundo sex diebus condito, septimo die requieuit. quæ memoria coniuncta erat cum cultu publico, qui in auscultatione uerbi Dei, & reliquis sacris cernitur. Tertius usus positus est in adumbratione ueræ quietis, quam sancti uacantes ab operibus carnis & mundi in Christo celebrant. quod alterum illud uerum & spirituale ex regeneratione natum, sabbathū est nunquam abolescendum, de quo propheta: Erit sabbathum ex sabbatho.

Vt sciatis.] sabbatho tanquam sacro signo admoniti. Depone typum.

Quia ego Dominus sanctificans uos.] separans in cultum mei à studio profanarum rerum.

Pactum est sempiternum.] Veritas in fœdere, de quo idem propheta: Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te. Spiritus uidelicet ille adoptionis filiorū, qui constituta uera quiete nos cum Deo æterno pacis fœdere iungit.

Sex enim diebus Deus.] Sacrum igitur agunt sabbathum qui per creationis & gubernationis fidem canūt cū propheta: Quàm multiplicata sunt opera tua Domine. Omnia illa sapienter fecisti, impleta est terra possessione tua. Qua fide qui carent, Sabbathi sunt profanatores exitio digni. Quales sunt qui dicunt in corde suo: Non est Deus.

Cessauit.] יבפש id est respirauit. ἀνθρωποπαθῶς loquitur scriptura.

Tabulas lapideas.) Notatur cor durum, & intractabile sub seruili & dura legis ferula. Aliæ tabulæ sunt in quibus scribitur non lex Mosaica sed gratia & ueritas. De qua illud per contentionem: Lex per Mosem data est, gratia et ueritas per Iesum Christum exorta est. Hæ sunt tabulæ carneæ, de quibus Apostolus his uerbis: Inscripta non atramento, sed spiritu Dei uiuentis: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis. Vtraque autem inscriptio opus diuinum est. De nouæ enim legis inscriptione prophetat his uerbis: Post dies illos dabo legem meam in uisceribus eorum. De Mosaicis autem legis tabulis inscriptis digito Dei hic. Alteras tabulas creatio ac molitio prima format, altera expiato peccato regeneratio ex aquis & spiritu Messiæ.

Digito Dei.] non hominis. Grauis enim is iudicij diuini digitus est, quo Deus legis iudicium in tabula conscientiæ lapidea scribit, de peccato reprehendens & condemnans. Digitus humanus quo scribi solet, ut cætera membra, Deo affingitur in Christo uero homine & Deo.

IN CAPVT XXXII.

VIdens autem populus quòd moram faceret.) In uerbo בושש consistio notatur, quæ fieri solet absente reipublicæ moderatore. Quem statum Græci ἀναρχίαν uocant. Cum sentiret populus tam diu absente Mose duce, res suas confundi & perturbari, ad nouum spectauit cultum Dei quo se conseruaret.

Surge fac nobis deos.) Exemplum uiolatæ legis, in quam uno ore iurauerant: Non habebitis deos alienos coram me. Hoc exemplo declaratur quid lex Mosaica in renouandis animis ad probitatem posit, quamq; ad innocentiā reparandam & tuendam uim habeat: & omnino uerum esse, non ex lege, sed ex fide in Messiam, iusticiam ueram constare. Sed quæras, quæ hic nomine deorum accipiantur. Non enim tanta cæcitas Israelitis & eorum principibus tribuenda fuerit, ut incognito Deo illo uno fabricatore cœli & terræ, uitulum aureum tanquam diuinum numen adorarint. Nam Aaron hic dicit: Cras solemnitas Domini est. Cognitus igitur erat Dominus ab ijs etiam à quibus uitulus conflatus est. Itaque deorum alienorum nomine accipiuntur aliena sacra Deo quidem, sed non ex eius uerbo ac sententia instituta, cum alia ratione colitur Deus, quàm ipse coli uelit. Talis erat aureus ille uitulus Israelitarum, in quo cum Deū præter eius uerbum colere studuerūt, deos alienos amplecti dicti sunt. Hunc cum Israelitis uitulum adorant, quotquot non contenti cultu diuino, quem sacræ literæ docent, cōminiscuntur noua cōstilia colendi Dei, quib. Antichristi regnū sparsum per totū terrarū orbem plenū est. Præterea in idolis etiā continentur ea, quæ à Deo instituta sunt, si alia quàm is uelit opinione obseruentur. Quo genere idololatriæ delinquunt hypocritæ sacris Dei abutentes, dum in corū cultu salutem ponunt posthabita fide, quæ in eum

eum quem illa adumbrant, collocanda erat. Sic idolo latræ erant in quos propheta, Incensum uestrũ abominatio est mihi.

Qui nos præcedant.] Id est, cultum diuinum excogita, quem respici. ns Deus, nos ducat in terram nobis promissam. Talis omnis cultus est qui extra Christum fingitur ad hæreditatem cœlestem comparandam.

Tollite inaures aureas.] Proponitur noui cultus ratio ab Aarone, quem Deus non selegerat, qui promulgaret legem, sed qui traditam legem populo interpretaretur, ac explicaret. Sic enim suprà quæ sit utriusque Mosæ & Aaronis functio exponitur: Ecce constituo te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus. Bifariam igitur peccauit Aaron. primò, qui legislatoris officium sibi usurpauit, quod ad Mosem pertinebat. Deinde, quòd sacra quæ à Deo non acceperat, instituerit. Hinc & diuinã iram in eum exarsisse legimus in Deuteronomio: Aduersus Aaron quoque uehementer iratus Dominus uoluit eum conterere. Et Moses ad Aaronem: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? Qui igitur excusant hic Aaronem, frustra & iratum Deum illi, & eum temerè à Mose reprehensum affirmabunt. Quo crimine qui se obligant, grauius Aarone ipso delinquere iurè censeri debent. Duo hic insignes loci offeruntur expendendi. unus est, sanctissimos quoque & charos Deo fœdè interdum labi. quod comprobat exemplum Aaronis: reliquos sanctos præterea. Secũdus, nihil tentandum in religione sancienda sine uerbo Dei. humanis consilijs & opinionibus, quamlibet in speciem honestis, nihil permittendum ac tribuendum: curandumq; ne sanctorum existimatio in ijs rebus quæ ad religionem pertinent, nobis hoc genere argumentationis ab autoritate ductæ imponat: Aaron uitulum aureum instituit, quo coleretur Deus, ergo cultus recipiendus fuit. pontifices missas, diuis sacros dies, tot sectas sanxerunt, ergo cultus diuinus est. sed potius sic ducendam rationem putemus: Hi sancti uiri statuunt hoc ritu colendum Deum, quem tradunt nixi uerbo Dei, ergo recipiendus est: non recipiendus, si secus statuant. Est unum uerbum Dei fide usurpatum certa statuendi de uero cultu Dei norma, præterea nullum.

Inaures aureas.) Aurium quibus uerbo Dei auscultare debebant, ornamenta ad conflandum uitulum conferunt humanis consilijs obedientes. quos qui repræsentent, non est obscurum.

Formauit opere fusorio.) Hebræus indicat ornamenta aurium, ut conflata sunt in massam unam in fornace per ignem, configurata fuisse cœlo, & ex eis expressam utult imaginem.

Fecitq; populus quæ iusserat.] Exemplum in falso cultu profusionis opum: quod qui sequantur, declarant cultores regni Antichristi. Simile exemplum cernitur in Iudæis quos prolixè dona sua cœli reginæ conferentes reprehendit Hieremias. Contraria exempla damnantur eorum qui in conseruando Dei cultu maligni sunt & illiberales, quales fuerunt de quibus apud Neemiã conqueruntur Leuitæ, cum ob parcè suppeditatum uictum, templi cultum deserere cogerentur.

Et sedit populus manducare.) Cultus falsi fructus, libido & lasciuia carnis. quem fructum Apostolus in Epistola ad Corinthios reprehendit, & hodie eo filij perditi regnum plenum est.

Peccauit populus tuus.] Accusatio populi de scelere idololatriæ.

Quem eduxisti de terra Aegypti.] ex seruitute in libertatem uindicatum. Exprobratio ingratitudinis. Loci accusationis ordine exponuntur.

Recesserunt.) uiolata fide illa: Omnia quæ locutus est Dominus faciemus.

Citò.) Notatur leuitas & inconstantia.

De uia.] de lege illa: Deos alienos ne habento. Prodita fide ad deos alienos defecisse insimulat, perfidiam exprobrans.

Feceruntq; sibi uitulum.] Explicat perfidiam.

Dixerunt, Isti sunt dij.) transferentes gloriam redemptionis in alios quæ mihi debebantur. Quæ grauissima fuit iniuria. stat enim illud: Gloriã meam alteri non tribuero. Obijcitur igitur crimen imminutæ maiestatis diuinæ. Qui hodie suis Israelitis dicant, Isti sunt dij tui Israel, satis notum.

Duræ ceruicis.) quã legis meæ iugo noluit subijcere. Alluditur ad boues iugum ceruice pertinaciter detrectantes. Reprehenditur contumacia Israelitarum. Leuior noxa foret, si infirmitate delinqueret, sed cum contumaciter detrectat imperium, crimen intolerabile redditur, & furore meo uindicandum. Hanc contumaciam Dominus in Israelitis ijsdem uerbis redarguit apud prophetas: Sciui quòd durus tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea. Hinc duræ ceruici & æreæ fronti conueniunt tabulæ lapideæ, Mosi à Deo traditæ.

Dimitte me.] ἀνθρωποπαθῶς Deus submittit se Mosi, ut cuius fidei & potestati populus esset creditus. Qua in re duo perpendimus. unum, quantum in eos qui parent, ius habeant ex diuinitatis consortio moderatores boni rerũ publicarum. Alterum, sanctorum oratione & fide uelut uinctum Deum teneri, quo minus sæpe clade afficiat improbos. Vt licet uidere hic in Mose, & in illo Ezechielis prophetæ: Quæsiui de eis uirum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam.

Vt irascatur furor meus.] perfidos illos tanquam ignis consumpturus. Tantæ iræ uim innuit חרה אפים. Quæ indignatio uehemens criminis magnitudinem indicat. Grauitatem enim noxæ æstimamus ex grauitate supplicij, à iusto præsertim iudice decreti.

Et deleam eos.) ad internicionem omnes, quod est ראבלם.

Faciamq; te in gentem magnam.] in te præ-

ſtaturus quæ maioribus promiſi, ne datã fidem uelle me fallere uideat. Per occupationem occurrit tacitæ obiectioni: Fidem dediſti Abrahamo te in immenſum auctturum ſobolem Iſraelitarum, quam quomodo ſeruabis, ſi hanc gentem abolere ſtatuiſti?

Moſes autem orabat Dominum.] Defenſio Iſraelitarum quæ nititur comparatione, quam ex aſſumptiua conſtitutione petit. Fatetur quidem Moſes grande ſcelus commiſſum ab Iſraelitis, ſed proponit per comparationem, cogitandum eſſe, utrum honeſtius ſit populum conſeruare, an materiam hoſtibus illo confecto inſolenter ſuperbiendi præbere. Tota defenſio nititur promiſſione diuina, & ſtudio retinendæ gloriæ tum bonitatis tum ueritatis Dei.

Cur Domine.) Interrogatio hæc uehemens, non eſt uocantis in ius diuinam iuſticiam, ſed admonentis Dominum de ſua benignitate, & promiſſionis fide. Qua admonitione hortatur, ut Deus reſpiciat potius quæ ſe digna ſint, quàm quid mereatur ingratus populus.

Contra populum tuum.] potius quàm meum. Reſpondet illi: Peccauit populus tuus. Populus inquã ſemel in gratiam tuam, non meam receptus: & fœdere tibi, non mihi iunctus.

Quem eduxiſti.] non ut eum perderes, ſed ſeruares, cuius beneficij memoria perierit ubi uniuerſa, ſi eum iam funditus extinguas.

In fortitudine magna.] Cuius declaratione celebre tibi pararet nomen in toto terrarum orbe. At hæc gloria illuſtris fortitudinis tuæ iacebit, ſi perdas populum tamã ui liberatum. Itaque ſequitur:

Ne quæſo dicant Aegyptij.) magna tua ignominia, quem primum ſint hoſtes iudicaturi eduxiſſe populum malo dolo, non quem ſeruares, ſed deleres ac perderet. quapropter non perperam uertit noſter ברעה, callidè, ſecutus Græcos qui habent μετὰ πανουργίας. Sunt qui de בזול חרע, id eſt de ſidere maligno ac funeſto hunc in modum interpretantur: Dicturi ſunt hoſtes, ſub infausto ſidere eductos Iſraelitas à Deo, quod uincere quominus ipſi perirent, non potuerit. Hæc aliena ſunt. ſed ſententia ueterum illa memorabilis אין בזול לישראל, id eſt cœli ſideribus Iſraelitas non eſſe ſubiectos, quòd ſancti ſint domini omnium, cœli & terræ, & poteſtatum cœli & terræ.

Quieſcat ira tua.] Concludit.

Et eſto placabilis.] ויגחם pœnitendi uerbum eſt, quod tribuitur Deo humano modo, cum aut eius clementia uertitur in iram ac iudicium, ſicut ſuprà legimus in Geneſi, Pœnituitq; eum quòd feciſſet hominem: aut contrà, cum ira uertitur in gratiam, reuocata ſententia de ſupplicio lata, ut hic. Ideo Græci pro ויגחם, uertunt ἵλεως γενῦ, quos ſequitur noſter.

Recordare Abraham.] A promiſſione facta Abrahamo, quam fallere Deus, qui uerax ſit, non poſſit. Hæ ſunt artes flectendi numinis Dei, nobis quoque hodie neceſſariæ in deprecanda diuina ira per ſæuiſſimos Euangelij hoſtes nobis intentata.

Per temetipſum.] A iureiurando.

Multiplicabo ſemen ueſtrum.] Opponit illi, Et deleam eos.

Et uniuerſam terram.) quam contra promiſſa tua non ſint poſſeſſuri à te, ſi iam in deſertis Arabum conterentur.

Placatus q eſt Dominus.) intermiſſo ſupplicio quod ſtatuerat ſumere de ſontibus. Dicas, mutabile igitur eſt & reuocabile iudicium Dei. Duplex eſt ſententia diuina. Vna ἁπλῆ ὑπόθεσις, hoc eſt ex adiunctione ac certa conditione cum qua pronunciatur: ut eſt ſententia de ſceleratis perdendis, niſi reſipiſcant. Huius generis ſententiæ ſi cauſæ deſinant, mutantur, non quidem facta mutatione in uoluntate diuina, ſed in ijs qui Dei conſilio & ſententiæ ſubiecti ſunt. Talis fuit ſententia qua Deus Iſraelem conficere decreuerat, & qua Niniuitas excindere, niſi intra quadraginta dies reſipiſcerent, ſtatuerat. Alterum genus eſt ſententiarum quæ cauſa carent, ſimpliciter & ſine adiunctione enunciatæ, quas uocant abſolutas & iam promulgatas. Talis fuit ſententia Dei de perdendo mundo per diluuiũ, de delendo Pharaone in mari rubro. Tale eſt iudicium de excindendis impijs ex orbe terrarum cum ipſorum capite Antichriſto. Huiuſmodi ſententiæ ſic certæ ſunt, ut fiat id quod Dominus per Hieremiam dicit, Qui ad gladium, ad gladium: qui ad famem, ad famem: & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem. Et de ijſdem ſententijs ad eundem prophetam: Si ſteterint coram me Moſes & Samuel, non erit anima mea ad populum hunc.

Et factus opere Dei.] ut quæ continerent teſtimonium diuinitatis, opus ſanè non humanum, ſed diuinum. De quo, ſi rem ſpectes, opere, Apoſtolus: Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, ſimul atteſtante illorum conſcientia. Hæ tabulæ utraque parte, id eſt undique ſunt inſcriptæ lege ſacra. Nulla pars eſt quócunque ſe animi ſacræ Dei tabulæ conuertunt, quæ non plena ſit teſtificatione ea de quadem Apoſtolus: Propterea quòd id quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis patefecit.

Scriptura quoq; Dei erat.] Vtrumq; opus, & tabulas & ſcriptionem, diuinum opus eſſe. Qua ex re reducto tabularum uelo cognoſcitur, & animore reducto tabularum uelo cognoſcitur, & animorum & ſcriptarum in eis legum diuinitas. Animos generatos, qui cum Deo coniungerentur intelligentia et amore. Legem datam, quæ ſpiritualis, ut Apoſtolus dicit, eſſet, hoc eſt intimã noſtri cum Deo per amorem coniunctionem poſtularet ac requireret. Hæc in diuino tabularum & ſcriptionis opere perpendenda ſunt. Quæ qui non perpendunt, abuntur & animorum præſtantia, & legis dignitate, ut feciſſe Iſraelitas hic comperimus, & omnes, qui contempto Chriſto, mundum colunt, faciunt.

Ioſue.) Quem ſuprà cõtunctum cum Moſe fuiſſe legimus capite 24.

Non eſt clamor adhortantium ad pugnam.) Sententiam Hebræam his uerbis Chaldæus לא קל גבו

גבריין דגחין בסרבא ראף לא קל חלשין דבתסרין.

Iratusq; ualde.)De neglecta lege:Deos alienos ne habeto.Exemplum laudatæ iræ.

Et confregit eas.)ut quibus quæ ſpiritualem legem continerent, carnalis populus indignus eſſet.

Ad radicem montis.) quæ tradita fuerat in faſtigio montis.

Combuſsit.)Igni exuſtus eſt uitulus qui ex igni prodierat.Diuini iudicij retalio hæc eſt.

Vſq; ad puluerem.) Dignum iudicium uanorum deorum.Hi ſpeciem auream cum exhibuiſſent, in puluerem comminuuntur.quo quæſo quid abiectius?

Quem ſparſit in aquam.) Notatur uanitas populi.Is aquam conſperſam puluere bibere,ut ſerpens ille,cuius conſilia ſecutus fuerat,terræ puluere ueſci coactus fuit. Itaque uitulum aureum quem adorauerunt,in ſtercus redactum cum reliquis excrementis per ſeceſſum eiecerunt.ut ſcirent deos alienos nihil aliud quàm ſtercora & ſordes eſſe: ueluti etiam in ſacris literis ſtercora dij alieni uocantur,ut Hebræa uox indicat גללי. Sunt qui aquam illam eam uim habuiſſe tradunt,ut ſceleris autores qui eam biberent,diſtracto per tumorem uentre perirent.

Dixitq; ad Aaron.] Accuſatio Aaronis,quæ nititur loco illo communi: Grauius peccare qui autores peccati fuerint,& quorum intercrat noxam probibere.Cuiuſmodi ſunt magiſtratus & Epiſcopi.

Peccatum maximum.]defectionem à fide Dei, quam tuum erat cauere, non ea populum nefariè obligare.

Cui ille reſpondit.]Defenſio Aaronis conceßione & criminis translatione nixa.

Ne indignetur Dominus meus.] Agnoſcit crimen.

Nouiſti populum iſtum.] Transfert crimen. Sed cur tuô Aaron ſacerdos & propheta, & tum principis locum tenens, potius populum quàm Dei oracula,quorum interpres eras,es ſecutus?

Quòd eſſet nudatus.) tum ornamentis aureis, tum uerò illo Dei cultu ſpoliatus. Nuditas in ſacris literis contemptum & abiectum ſtatum et Dei cultu orbatum notat,quem ſequitur ignominia,ut habet illud Ezechielis:Quando eras nuda,& confuſione plena. Solet enim ex nuditate ſuboriri ſuffuſo rubore pudor. Itaque coniungitur hic cũ nuditate ignominia לשמצה בקמיהם. Sunt nonnulli qui פר רע pro ignauo & ocioſo interpretantur,Moſem animaduertiſſe culpa Aaronis ex ocio Iſraelitas ignauos reddi-tos,quæ ignauia ac uecordia magnum contemptum & ignominiam illis apud hoſtes pepererit.Eſt enim in loco פרע ociari,& ab opere uacando inertiam ſectari. Huc pertinet luſus ac laſciuia ſuprà reprehenſa.

Et ſtans in porta caſtrorum.) ad ſupplicium more iudicis de ſontibus ſumendum.

Si quis eſt Domini.) à Domino ſtans aduerſus deſertores. Paraphraſtes: מאן דרחליא דיי. Si quis colit ac ueneratur Dominum,non deos alienos.

Omnes filij Leui.) Leuitarum tribus ſacrata ſacerdotio ad ulciſcendã idololatriam in ipſos autores, ſeſe Moſi coniungit.Declaratur utraque poteſtas,regia & ſacerdotalis,in conſeruando uero cultu Dei, & abolenda falſo.Deponendus typus.

Hæc dicit Dominus.) Conciliat uim hortationi à mandato diuino: Non meum eſt mandatum, ſed Dei.

Fratrem & amicum.] Poſthabendos conſanguineos,amicos,et omnia, Deo.Legem igitur de non occidendo moderatur & gubernat primæ tabulæ lex,tanquam ſumma & conſtans rectè agendi regula ac norma: ut eſt in omni rerum ordine aliquid primum tanquam caput,ad quod cætera referuntur: in numeris unitas, in magnitudinibus punctum,in animis primæ illæ noticiæ & ius naturæ continentes, & in legibus primæ tabulæ lex.

Conſecraſtis manus ueſtras.] מלאו implete manus,id eſt ſacerdotio initiamini,uindicato in rebelles flagitio.

Benedictio.) ſacerdotale munus . Explicatur præmium quo Leuitæ ornati ſunt, & ſupplicium quod ſumptum eſt de autoribus ſceleris. Itaque Moſes infrà in Deuteronomio ità docet:Eo tempore ſeparauit Dominus tribum Leui, ut portaret arcam fœderis, & ſtaret coram eo in miniſterio.

Aſcendam ad Dominum.] à quo aſcenſu manſit quadraginta alios dies in monte Sina, ad placandam iram diuinam flagranti oratione, ut infrà in Deuteronomio legimus his uerbis:Et iacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum ſuppliciter deprecabar, ne deleret uos. Item:Proieci tabulas de manib.meis,confregiq; eas in conſpectu ueſtro, & procidi ante Dominum,ſicut prius,quadraginta diebus & noctibus.Qui etiam locus indicat,orationem quæ ſuprà expoſita eſt,non prius factam à Moſe, quàm deſtructo uitulo rediiſſet in montem ad Dominum.Non enim rerum geſtarum ordo ſolliciteè ſeruatur in ſacra hiſtoria.

Dele me de libro quem ſcripſiſti.] Exemplum præſtantis amoris in ſuos & ſtudij aſſerendæ gloriæ Dei.Simile exemplum in Apoſtolo oſtenditur cupiente anathema fieri pro fratribus:ſed longè maximum in Chriſto charitatis exemplum exhibetur,qui ſuſtinuerit maledictum effici pro ſuis . Humano more liber Deo tribuitur,in quo perſonæ & conſilia actionesq; omnes perſcribat.Is autem liber duplex eſt.Vnus longè ampliſſimus,in quo boni & mali,& eorum ſtudia omnia tum bona tum mala conſignantur. de hoc libro Daniel:Et aperti ſunt libri . Alter liber arctiõr eſt,in quo iuſti ſoli annotantur,qui liber,uitæ liber dicitur, iuxta illud: Qui non eſt ſcriptus in libro uitæ,miſſus eſt in ſtagnum ignis. Sunt qui hoc loco freti, pernicioſo errore electionem diuinam in Chriſto mutabilem eſſe confirmant:ut ij quos Deus

ad uitam prædestinatu't. prædestinationis gratia destituti, reprobi ac reiectanei, ex libro uitæ deleti fieri possint. Dicere enim hic Mosem: Dele me ex libro quem scripsisti: cui Dominus respondet, Si quis deliquerit, delebo eum de libro meo. Quæ uerba uidentur clarè indicare, semel scriptos in libro uitæ, ex eo deleri posse: atque ita neminem ad uitam destinari, nisi sub conditione, si ipse ex præscripto legis diuinæ uiuat: à nostra fide, bonis studijs & officijs pendente electione diuina, non contrà ab hac, omnibus ijs quæ Dei bonitate ad perficiendam salutem prouisa sunt. in quorum numero sunt, fides, spes, charitas, crucis tolerantia, bonæ actiones, perseuerantia in professione Christi. Atqui cũ horũ sententia pugnet cum sacris literis, & ea tum à ueteribus, tũ à nostris et à nobis quoque suprà sit prolixè refutata, & suis locis infrà, ubi de libero arbitrio instituetur breuis disputatio, amplius refelletur, non admodum magno negocio locis qui hic ab aduersarijs adducuntur, respondebimus. Quos cum citant, produnt suam infantiam, & rerum sacrarum ignorantiam, cum non leui fidei & spei sanctorum delectione. Audimus hic Mosem dicere, Si non uis, dele me de libro quem scripsisti. Hæc Mosæ uerba trifariam licet interpretari. Primò, qui loquatur non de libro uitæ æternæ, in quo qui semel scripti sint, ut nunquam ex eo deleantur, suprà id comprobatũ est, sed de libro præsentis uitæ, in quo anni quos quisque uiuat, sunt annotati. Vt sit sententia: Si omnino in hac solitudine Arabum interficere uis Israelitas tuos, ne ingrediantur in terram maioribus illorum promissam, me potius interfice. Satius enim fuerit me mori, quàm tuum hunc populum in fœdus tuum ascriptum, & cum tot signis ex Aegyptia seruitute liberatum, magno nominis tui opprobrio, perdere. At hoc modo deleri ex libro uitæ, reprobum & reiectaneum fieri non est, ut documento sunt tot sancti uiri, qui ante tempus uiolentam mortem obeunt, ut ad ueram uitam, in cuius libro ante conditum mundum consignati sunt, transferantur. non cito hic eorum sententiam qui dicunt, hic legis librum intelligi è quo petat Moses nomen suum ne memoretur, aboleri. de hac sententia nihil laboramus. Quid enim magni postulasset Moses, si sui memoriam inter homines abolescere petijsset, reliquis nomen suum ab obliuione uindicantibus? Prior interpretatio uerisimilior est, & præsenti casui atque institutæ precationi magis consentanea. In qua agebatur ne tam miserè Israel in deserto, gladio, fame, peste periret. Atqui ut donemus, quæ altera interpretatio est, de libro etiam uitæ æternæ, Mosæ uerba accipi, quid inde efficietur, num simpliciter ex eo deleri posse qui semel in eo scripti sunt? Absit. non enim hoc affirmat Moses: sed eius uerba cũ adiunctione ac conditione efferuntur. Sic enim ait: Sin uerò non uis, dele me de libro uitæ. quasi diceret: Si uerò nõ uis eis peccatorum gratiam facere, sed omnino statuisti eos perdere, me potius perdito ex libro uitæ cõscripto ab æterno expunctum. Hæc autem uerba non confirmant simpliciter id quod uos decepti rationis cæcæ naturæq; uitiatæ iudicio proponitis: sed cum conditione, Si non uis. Iam uerò Moses Dominum non nelle Israelitas in totum perdere, fide agnouerat, quem fœdus suum & fidem ob illorum delicta minimè uiolatum iri intelligeret. Sic enim eum infrà dicentem introducit: Attamen cum essent in terra hostili, non penitus abieci eos, neque sic despexi ut consumerem, & irritum facerem pactum meum cum eis. At uerò quàm nihil probent huiusmodi connexiones cum conditione ac adiunctione pronunciatæ, pueris ac non ultra artis differendi elementa progressis, notum est. Sed dices, Dominum hic Mosæ respondere: Qui deliquerit me, delebo ego eum de libro meo. Igitur deliquentium eam uim esse, ut scripti in libro uitæ ex eo deleãtur. Qui hoc modo resistunt, iterum nõ animaduertunt in respõsione Domini cõnexionẽ ex additione nectì: Si quis deliquerit. Si quis, inquam, ita deliquerit, ut ad se per pœnitentiã nõ redeat. At hoc modo Israelitæ, hoc est electi ac prædestinati ad uitam æternam non delinquunt. De quibus apud Hieremiam sic loquitur Dominus: Scribam legem meam in cordibus eorum, & timorem mei immittam in pectus eorum, ut non recedant à me. Item apud Ezechielem: Dabo eis cor & spiritum nouum, ut præcepta mea exequantur. & Moses noster infrà in Deuteronomio: Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligatis me ex toto corde. Hæc igitur uerba Domini, Si quis deliquerit, delebo eum de libro meo, non sunt uerba omnino & simpliciter statuentis perdere Israelitas, si deliquerint: sed potius per hanc seueram comminationem eos ad pœnitentiam reuocantis, qua seruentur, non percant. Vt parentes facere solent, qui sæpe mala minantur suis rebellibus liberis, non quos euertant, sed quos ea seueritate in uiam reuocatos saluent. Hæc qui in sacris literis non perpendunt, uerborum solum & literarum angustias persequentes, malos theologos præstant, dum non diuinum spiritum interpretem, sed suam cæcam rationem in rem præsentẽ afferunt, qua utentes in hos errores incidant, et eis alios implicẽt necesse est. Quod si qui hac interpretatione contenti non sunt, tertia occurrit, quæ ita habet, improbos deleri de libro uitæ, non quidem in quo aliquando scripti fuerint. Quæ delendi ratio constanti fidei Dei & perpetuò eius in suos amori minimè cõgruerit, sed idem esse, eradi ex tabula uitæ scelleratos, quod hos non seu tire se esse signatos in tabula uitæ, & cum iustis non scribi, non olim in libro illo iustorum scriptos fuisse, ex quo expungantur. Hanc expositionem Dei spiritus affert Psalmo 69. ubi sic dicit: Deleantur ex libro uiuentium, cum iustis nõ scribantur. Vbi indicat, ex libro uiuentium deleri, esse cũ iustis nõ scribi, & in eorum numero nõ haberi ad possidendã cœlestem hæreditatẽ. Hanc interpretationem sequitur Augustinus, eum Psalmi locũ his uerbis aduersus ueritatis aduersarios

farios explicans: Fratres non sic accipere debemus, quòd quenquã Deus scribat in libro uitæ, & deleat illum. Si homo dixit, Quod scripsi scripsi, de titulo ubi scriptum erat, Rex Iudæorum, Deus ne quem quam scribit & delet? Præscius est, prædestinauit omnes ante constitutionem mundi regnaturos cum filio suo in uita æterna. Hos quos conscripsit ille, continet liber uitæ. Denique in Apocalypsi quid ait spiritus Dei cum de pressuris ab Antichristo futuris loqueretur eadem scriptura: Consentient illi omnes, inquit, qui non sunt scripti in libro uitæ. isti ergo quomodo inde delentur, ubi nunquam scripti sunt? Hoc dictum est secundum spem ipsorum, quia ibi se scriptos putabant. Quid est, Deleantur de libro uitæ, ut ipsis constet, non illos ibi esse. Item: Et delebuntur de libro uiuentium. id est, non ibi se esse cognoscent. Nam uersus qui sequitur, exponit id quod dictum est: Et cum iustis non scribantur. Hactenus Augustinus. Quæ hic de Mose dicta sunt, eadem afferri possunt, ad locum Ioannis, quem sub finem Apocalypsis affert, explicandum.

Qui peccauerit mihi.] Locus de æquitate & iustitia diuina. Non innocentes, sed fontes qui in Deum deliquerint perdendos. Itaq; infrà in Deuteronomio hæc Dei sententia proponitur: Sed quisque propter peccatum suum morietur.

Tu autem uade.] Occurrit tacitæ obiectioni per occupationem: Non propterea quia fontes impunè non ferent, tu tuum deseras munus, sed pergas eò ducere populum, quò ego iussero.

Ego autem ultionis.) Alij de exilio Babylonio, alij aliter interpretantur hanc diuinæ uindictæ diem. uicinum ultionis tempus exponitur de toto illo peregrinationis tempore in Arabum solitudine, quo omnes qui ex Aegypto egressi fuerant, præter Iosuam & Calebum, extincti sunt.

Visitabo.) Vindicandi uerbum est פקד.

IN CAPVT XXXIII.

VAde, ascende.) Hæc dixit cum populus pœnitentiam nondum egisset. Verba sunt plena indignatione & minis non quibus perderet suos, sed ad meliorem frugem reuocaret, & tandem maiore declarata clementia præstaret quæ promisisset. Qui cursus perficiendi promissa perpetuus seruatur à Domino ijs quos semel fœdere sibi iunxit. Duplex igitur indignatio Dei est: una, qua indignatur alienis à suo fœdere quos perdat, qualis ira fuit, qua Pharaonem, quáque Sodomitas deleuit: Altera qua irascitur suis ut pater, non quos conficiat, sed cõseruet. Hac ira succensebat electis suis.

Quia populus duræ ceruicis es.] Ratio negatæ familiaritatis. Igitur ex contrario concluditur inter eos Dominum uersari, qui mollis & tractabilis sunt ceruicis. Cuiusmodi sunt ij de quibus prophe-ta: Ad quem autem respiciam? ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem ad sermones meos.

Audiens q; populus.] Exponitur pœnitentia populi minarum & indignationis diuinæ ui fracti. Hæc igitur Dei cum suis expostulatio non erat odientis, sed amanter suos reuocantis ad meliorem frugem. Qualis expostulatio cernitur in parentibus liberos suos durius asperiusq; obiurgantibus.

Semel ascendam in medio tui.) Contrà suprà: Non ascendam. Habitus indignantis declaratur, qualis in animantium iris cernitur.

Iam nunc depone ornatum tuum.] Depositus corporis cultus pœnitentiæ & confessionis delictorum publicè signum erat, aptum præsenti necessitati & iuuentuti salutare, quo nimirum admonebatur, quantum displicerent flagitia Domino, & quantum pondus ad placandam iram eius pœnitentia haberet. Quòd sanè exemplum cum ieunio, & oratione in omnia secula turbulenta de noxa & delictis obseruabile est, & hoc planè tempore nostro cumprimis necessarium foret, in quo de pristino corporis cultu & luxu tantum abest ut quicquam remittatur, ut etiam subinde is crescat magno & luculento animorum nondum ad pœnitentiam paratorum indicio.

Moses quoq; tollens tabernaculum.) Tentorium suum quod tabernaculi, cuius speciem in monte uiderat, uice erat. Atq; testimonij seu oraculorum tabernaculum appellatum fuit, quòd in eo responsa & oracula diuina redderentur, tantisper dum tabernaculum, in monte commonstratum, extrueretur.

Extra castra procul.) Contraria ratio fuit eius tabernaculi, cuius exemplar in monte uiderat Moses, quod intra Israelitarum castra iussum est tendi.

Qui habebat aliquam quæstionem.) Qui diuina responsa peteret, quod est מבקש יי. paraphrastes igitur scitè tentoriũ Mosæ בית מועד appellat, ut in quo doctrina & oracula diuina aperirentur. Acta pœnitentia Deus redit cum suis in gratiam, responsorum commercio restituto.

Columna nubis.] In qua dicitur apparere Deus, ne eius splendor eos obruat qui cum illo uersantur. At nec nubes in rectione noui Testamenti abest, in lucidiore tamen nube se diuinitate exhibente, de qua illud Euangelistæ: Nubes lucida obumbrauit eos. Hæc nubes non prius recedet, quàm cognitio diuinitatis, quæ hic ex parte, & per speculum in ænigmate formatur, abolita sit, & gloria maiestatis diuinæ se cognoscendam clarè ostenderit. De qua noticia Ioannes: Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit id quod futuri sumus. Scimus autem quòd si apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est.

Loquebatur autem ad Mosem.] Dicas, Quomodo dicitur Dominus allocutus Mosem de facie ad faciem, cum infrà dicat: Non poteris uidere faciem meam? & si non potuit uidere faciem Domini, ut igitur accipiendum erit illud, de quo suprà in Genesi,

Vidi Dominum facie ad faciem. Non uno modo accipitur facies, qua de re in Geneſi. Nam interdum eſt ipſa natura diuina nulla obtecta nube ac uelo. interdū uerò Dei facies eſt, diuina præſentia beneficijs, ſermone & ſignis ſe declarans. Priore modo nemo ſanctorum uiderit Deum in hoc ſeculo. neque prius uiderimus diuinitatem clarè ſicuti eſt, quàm apparuerit id quod futuri ſumus. Altero autem modo uidetur facies diuina, dum præſens nobis uerbo aut beneficio aliquo oſtenditur, quomodo à Iacobo Deus uiſus legitur, & hic allocutus Moſem dicitur, præſens nimirum præſentem, ut ſolent amici inter ſe alloqui & uidere.

Cumq; ille reuerteretur in caſtra.] poſt colloquium Domini cum ipſo habitum. Arbitrantur nonnulli reuerti ſolitum, ut ea quæ accepiſſet, ſeptuaginta ſenatoribus exponeret. quam conſuetudinem ab eo ſeruatam uſque ad diem חמשרים, id eſt, uſque ad eum diem quo tabernaculum oraculare extrui eſt iuſſus. Atque hi ſupputant decimoſeptimo die Iunij fractas fuiſſe tabulas, & ſequenti decimooctauo eiuſdem menſis die exiſtum uitulum, & defectores punitos: decimo autem nono deinceps die in montem ad Dominum rediiſſe Moſem, iuxta illud: Facto autem altero die locutus eſt Moſes ad populum: Peccaſtis peccatum maximum, aſcendam ad Dominum. ubi conſediſſe colligitur ex Deuteronomio quadraginta dies placādæ iræ diuinæ gratia de admiſſo idololatriæ flagitio. Sic enim legitur: Et procidi ante Dominum ſicut prius quadraginta diebus & noctibus. In principio igitur Auguſti iuſſum aſcendere ad recipiendas poſtremas tabulas, ubi quoque quadraginta dies commoratum tradunt, citantes hæc ex Deuteronomio uerba: Ego autem ſtetī in monte Sina ſicut prius quadraginta dieb. & noctib. His autem finitis, cum nouis tabulis deſcendit de monte, curauitq; ut poſt propitiatorium diem qui cadit in ſeptembrem, tabernaculi & inſtrumentorum eius opus pararetur. Atque ita ter in montem aſcendiſſe Moſem, & ſingulis uicibus quadraginta dies ibi hæſiſſe, interpretes tradunt.

Et non indicas mihi quem miſſurus ſis.) quem tamen miſſurum promiſiſti maioribus noſtris. A promiſſo Meßia hortatio. De quo mox, ſed tectè, pro ratione ueteris fœderis, quo ueli, non uultus: umbrarum, non lucis: imaginis, non rei expreſſæ miniſterium tenet.

Præſertim cum dixeris, noui te ex nomine.) A Dei in ſe beneuolentia. in Phraſi Heb. notatur familiaritas & coniunctio: ut alienatio in contraria illa locutione, Nō noui uos. Deus igitur aliter noſcit ſuos, aliter alienos: ſuos ut pater quib. bene uelit, quos ſeruare ſtudeat, & quibus delictorum gratiam, ubi illorum pœnitentiam cœperint agere, ex animo faciat: alienos autem noſcit ut ſeuerus iudex, quos de noxa damnet & perdat. Hoc modo hoſtes ſuos noſcit: illo hic Moſem de nomine, & Iſraelitas filios, hoc eſt ſcriptos in libro uitæ Chriſto Ieſu, qui hic uia, & facies, in qua ſe pater amanter amore nunquam exentiendo declaret, appellatur.

Oſtende mihi faciē tuā.] דרכך id eſt uiā tuam. ſed quam uiam? Viam oſtendi ſibi Moſes petit, quæ de ſe dicit: Ego ſum uia, ueritas, & uita. Atque hæc cum ſola præſtet ut cognoſcamus nos ualere gratia apud Deum, dicit hic Moſes: Doce me uiam tuam quo te cognoſcam, ut ualeam apud te gratia. ſtat enim illud: Nemo cognouerit patrem, niſi filius, & cui uoluerit filius patefacere. per ſpiritum uidelicet ſuum unicum doctorem ueritatis & beneuolentiæ diuinæ. Atqui is ſpiritus nemini datur aliter, quàm ex plenitudine & copia capitis Ieſu Chriſti. De qua illud: De plenitudine eius omnes accepimus, non de copia Moſæ. Qui & ipſe de Chriſti affluentia uitam accipit, et cuius lex non Dei beneuolentiā, ſed iram: non ſalutem, ſed interitum: non abſolutionem à culpa ac remiſſionem peccatorum patefaciat, ſed damnationem, ut miniſter iræ & mortis.

Reſpice populum tuum, gentem tuam.] et ſimul conſidera gentem hanc populum tuum eſſe, cui in fœdus tuum ſemel ſuſcepto te affuturum fidem dedisti, quam fallere, qui uerax ſis, non poſſis. Magni ponderis argumentum, à fœdere & promiſſis Dei ductum.

Facies mea præcedet.] Reuocatur ſententia diuina. Nam qui ſuprà dixerat, Non aſcendam tecum: iam uictus oratione, & ſuis promiſſis, dicit: Facies mea præcedet. Perſanctè igitur Ioannes: Hæc eſt uictoria fides ueſtra. Et longè ampliſſimum genus uictoriæ eſt, in quo Deus uincitur ſuis armis. Exemplo Iacobus eſt, & hic Moſes. Hæc facies autem quæ hic promittitur præceſſura Moſem, & eius populum, Meßias eſt, qui facies Dei apud prophetam uocatur, ubi ait: Ecce ego præmittam angelum meum, qui parabit uiam faciei meæ. Vbi uates præmeum, qui parabit uiam faciei meæ. Vbi uates præmeum, qui parabit uiam faciei meæ. Vbi uates præme

præcuntis & præcedentis, qui est quies & tranquillitas. Quietũ reddam & te & populũ tuum, reddita gloriosa requie quæ in Messia cernitur, & in ijs quos tanquam dux ille regit. De qua requie prophe-ta: Et erit requies eius gloriosa. Si typum spectes, hæc requies cernitur in possessione promissæ hæreditatis quæ Chananæa est. de qua illud: Si introiuerint in requiem meam. Sin rem & ueritatem, occurrit requies quæ in fruitione cœlestis hæreditatis spectatur.

Vt glorificemur.] Finis faciei antecedentis, amplificatio & glorificatio electorum. De quo sine submoto typo Apostolus: Quos iustificat, eos & glorificat. De præstantia gentis Israeliticæ quæ hic in uerbo רגמלני significatur, infrà Moses meminit in Deuteronomio: Et populus sapiens & intelligens gens magna.

Ostende mihi gloriã tuã.] Splendorẽ & amplitudinem maiestatis tuæ. Qui in nube hactenus amanter colloquentem Deum cognouerat, iam fretus intima illa familiaritate, clarius Deum submota nube cognoscere cupit. In qua expetitione duo considerantur. Vnum, quòd in hoc seculo & in hac carne circundatus, splendorem diuinæ amplitudinis uidere uoluit, quem homini uidere fas non sit, quin amittat uitam. Alterum, quòd aspectus gloriæ Dei expetitus sit ab eo qui ministerium non lucis, sed umbræ: non spiritus, sed literæ teneret. In quam administrationem non incidat contemplatio gloriæ Dei, sed in administrationem noui fœderis. De qua contemplatione illud Apostoli: Qui luxit in cordibus nostris ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Iesu Christi. Quo ex loco perspicuum fit, ut uideamus gloriam Dei non præstari Mosaico, sed Christi munere: non lege, sed lucis Euangelij spiritu. De quo spiritu & gloria Dei ostendenda idem Apostolus: Nos autem omnes retecta facie gloriam Domini in speculo repræsentatam ad eandem imaginem transformamur à glora in gloriam tanquam à Domini spiritu.

Ego ostendam omne bonum.] אעביר, id est traijciam. Hæc omnia bona, Dei erant gloria & splendor, ut infrà dicitur: Cumq; præteribit gloria mea. Vera igitur illa bona quæ in aspectu splendoris Dei continentur, cur prætereant Mosem, ratio obscura non est ex ijs quæ memorata sunt. Is splendor Dei Messias est. De quo in Epistola ad Hebræos: Qui cũ sit splendor gloriæ Dei. Et Messias de se: Ego sum lux uera. Et de eo uates Dauid: Et in lumine tuo uidebimus lumen. Hoc autem lumen etiam uetustissimorum interpretum sententia Messias est.

Et uocabo in nomine Domini.] id est, nomen Domini perstrepet in atribus tuis his uerbis, quæ statim commemorabuntur: Dominus, Dominus clemens & misericors. Sed quod est illud nomen Domini, in quo clementia & misericordia declaratur? Messias istud nomen est, qui de se dicit: Ego nõ ueni ut condemnem quenquam sed ut saluem. Nomine autem Iouæ appellari Messiam, indicat Hieremias his uerbis ויבח שבעי אשר יסראו יחרח צדקני. Itaq; qui suprà petijsset ut mitteret mittendum, & ut uiam suam doceret, iam nomen Domini, qui Messias est, in atribus sonaturum promittit uerba clementiæ & misericordiæ. atque qui suprà mittẽdus, uia, facies, splendor Dei uocatur, hic nominatur nomen eiusdem Iehouæ.

Et miserebor cui uoluero.] in Messia meo, qui etiã agnoscit non alios seruari clementia Dei patris, quàm quos is sibi seruandos dederit. Sic enim ait apud Ioannem: Quos dedisti mihi, ego custodio, & nemo ex eis perit. Item: Nemo ad me uenit nisi pater traxerit. Itaque quod tu Moses petis, ut ostendam tibi splendorẽ meum, scito id neq; currentis, neq; uolentis esse, sed miserentis mei, qui in Christo meo gratiam facio, & misericordiam tribuo cuicunque collubitum sit. Præclarus locus est de gratia diuina aduersus eos qui merita humana iactant. Is enim admonet in clementia Dei omnem salutem poni, nullam in natura, humano conatu, & studijs. Quamobrem hoc loco Apostolus, ad deijciendũ fastũ quem parit iusticia operum legis, & ad confirmandam iusticiam quæ in fide Christi consistit, utitur.

Non poteris uidere faciem meam.) claritatem & splendorem relucentem in facie Messiæ mei, reluctante huius contemplationi ministerio tuo: de quo paulo suprà.

Non uidebit me homo.] carnalis & animalis, de quo Apostolus: Animalis homo non percipit ea quæ sunt Dei.

Et uiuet.] nisi amittat uitam hanc naturalem ab Adamo primo terreno homine sumptam, splendorem diuinitatis homine hac carne circundato minimè sustinente. Locus memorabilis de usu mortis nostræ carnis, de animorum nostrarum infirmitate ad cognoscendum Deum, dum corpus hoc mortale & terrenum circumferimus. Qua ex re perpendere licet, quàm miser sit status præsentis uitæ, quam in carne degimus, per quam nimirum fas non sit homini dum uiuit aspicere claritatem Dei. Deinde quàm preciosa res sit mors animalis hominis, quæ nobis ad ueram uitam, hoc est ad aspectum Dei patris, & eius quem is misit Iesu Christi, uiam muniat. Hinc uates: Quàm preciosa est mors sanctorum in conspectu Dei. Et Apostolus: Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore, ut esse possim cum Christo? item, Desidero dissolui, & esse cum Christo. item: Nam uita mihi Christus est, & mors lucrum: ut quæ inuenta sit Dei bonitate, ut per eam animali & terrena uita extincta, spirituali & cœlesti uiuamus: sublatisq; tenebris, uera lux, quæ Deus ipse est, nobis affulgeat. de qua illud: Ego ero eis in lucem sempiternam. Viuo autem iam non ego, uerùm uiuit in me Christus.

Ecce, inquit, est locus apud me.] Ostendit rationem qua Moses prætereunte splendore diuinitatis se tueatur, ne maiestate illius obruatur.

Et stabit super petram.) Depone typum. Petra

nota est. De qua illud: Petra autem erat Christus, in qua Moses iubetur se abscondere tantisper dum præter conspectum eius bona sua olim ostendenda Deus traijciat. Hæc autem bona sunt remissio peccatorum, iustitia, excitatio corporum ex mortuis, gloria & splendor cœlestis regni. Quæ bona quia per Christum tribuuntur, non per Mosem, iubetur se Moses in Christo recondere, ut eius lex per illum impleatur, & ad eum pædagogiæ munere fungatur. neq; qui sub illius ministerio sunt, tuti esse queunt, nisi in Christo abscondant sese usq; ad patefactionem gloriæ splendorisq; gratiæ, iustitiæ, uitæ.

Et uidebis posteriora mea.] Hæc posteriora sunt partim opera diuina, præ se Dei maiestatem ferentia. De quibus his uerbis Apostolus: Siquidē quæ sunt inuisibilia illius ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur. partim signa et portenta, quæ in liberandis electis eduntur. de quibus mox: Signa faciam quæ nunquam uisa sunt super terram, ut cernat populus. partim posteriora hæc quæ Moses uidit, futurorum bonorum quæ Christus ipse, non Moses distribuit, umbræ sunt, quæ corpus quod Christi est, tanquam posteriora sequuntur. De quibus illud: Nam lex umbram futurorum bonorum obtinet, non ipsam imaginem rerum. In his umbris continentur omnia quibus Christus adumbratur, sacrificia, sacerdotium, propitiatorium, ara, candelabrum lucernis splēdens, manna, petra, columna nubis & ignis, & si quæ sunt eius generis. Vt uerè dicatur Christum in administratione legis Mosaicæ uelatum atq; tectum apparuisse, in Euangelij uerò dispensatione reuelatū atq; retectū uideri. Quod est hic Mosæ posteriora Domini nostri Iesu Christi ostendi, faciem uerò illis temporibus de quibus Apostolus: Concluſi in eam fidem quæ erat reuelanda.

Faciem autem meam.) quæ in Christo tempore suo ostendatur, submoto uelo Mosaico, & nube. De quo uelo illud: Nec tollitur uelum quod per Christum aboletur.

IN CAPVT XXXIIII.

AC deinceps præcide.] Israelitis ut redierūt in gratiā cū Deo, denuò incidūtur tabulæ legis diuinæ inscribendæ. Tripartitū igitur genus hominum est. Vnū, eorū qui planè carnales sunt, nulla diuinitatis ueneratione tacti. His omnino sacræ legum tabulæ non magis quàm bestijs prosunt. Alterum genus est eorum quos aliqua reuerentia numinis Dei afficit, & honesti cupiditas ducit. Hi legis diuinæ apti sunt auditores, qualis effectus est Israeliticus populus à pœnitentia mutata uita in melius. Tertium locum obtinent, qui iam satis lege eruditi legalis disciplinæ tanquam pædagogiæ ferula liberari cupiunt, ad altiorem scholam aspirantes, in qua non Moses literæ administer, sed spiritus dispensator Christus agit. Huius generis auditoribus Dei gloria ac splendor tandem ostenditur, qui Mosem & eius discipulos præterit.

Vrattendas statim in monte Sina.] Sunt qui ter Mosem, ut monstratum, in montem ascendisse dicant. Primò, cum acciperet in monte primas tabulas, quas reportaret ad Israelitas. Secundò, cum placandi Dei gratia in montem reuerteretur. postremo hac uice, de qua in textu. & singulis uicibus mansisse illum in Sina monte quadraginta diebus, ex Deuteronomio colligunt.

Inuocans nomen Domini.) De Domino accipiendum est, qui inclamarit atque appellarit nomen suum præteriens: ueluti suprà dixerat se nomen suum inclamaturum. Itaque quæ sequuntur, non sunt Mosæ commendantis Deum, sed Dei naturam suam in Meßia, ut in hoc seculo eam cognoscere liceat, describentis uerba. Similiter nostro interpreti Chaldæus.

Dominator Domine.] Repetitur in Hebræo nomen Domini יהוה quod diuinæ naturæ omnia generantis & conseruantis in Meßia uerbum est, aptum ad descriptionem Dei, quæ hoc diuino colloquio Mosæ proponitur. Quam naturam his uerbis expressit Apostolus: Per ipsum enim uiuimus, mouemur, & sumus.

Deus.] Potentia in אל diuina notatur, ut in יהוה bonitas generatrix, conseruatrix & instauratrix in Meßia omnium. Coniungitur facultas & potentia cum bonitate, qui uelit seruare, & possit.

Misericors & clemens.) Quæ propria nota Dei est: ut aliena, irasci. Sunt etiam homines clementes, sed qui in rebus aduersis maximè nos prementibus, ut est peccatū, mors, infernus, non iuuent. At Deus in filio clementia omnipotente est præditus, qui calamitosos quorum miseretur, calamitatibus liberet.

Patiens.] ארך אפים tardus ad iram, non statim in eos qui deliquerint, durius animaduertens, sed differens supplicia, qui nō cupiam perire improbos, sed potius redire eos in uiam ut uiuant. ut id norunt Israelitæ, ut norunt etiam illorum hostes Amorræi & Aegyptij.

Et multæ miserationis.] חסד beneficum numen Dei esse indicat, & propensum ad benefaciendum. Meßias Dominus noster qui hic nominatur אמת dicit se non uenisse ut iudicet quenquam, sed ut seruet.

Ac uerax.) אמת fidem notat quam seruet Dominus in præstandis promißis. Benefici est, liberaliter promittere munera sua: fidelis aūt ac ueracis, fidem datā præstare. Itaq; hæc duo uerba חסד & אמת. In sacris literis ferè coniunguntur. Hæc Deus sibi tribuit in hac sui descriptione quæ ad consolandum Mosem in tanta trepidatione multū faciebant, Nō est quū uereare ne in his desertis te & populum tuum deseram: natura enim misericors sum & tardus ad iram, pronus ad benefaciendum, & fidus in præstandis quæ promiserim muneribus. Hac una ancora in tempestatibus & maritimis iactationibus huius mundi quassat procellosus spiritus satan commouet, nititur fides.

Qui custodis misericordiam.) in mille ætates beneficentiam meam declarans q, uam Israelitæ tui cognoscent

gnoscens in nepotes & abnepotes suos propter benuolentiam,qua maiores illorum, Abrahamum,Isaac etiam & Iacobum complexus sum. His uerbis ostendit sua clementia superari iram,qui in tertiam & quartam stirpem uindicet parentum culpas,in mille autem ætates usq; clementia utatur.

Qui aufers iniquitatem.] Gratiã etiam desertoribus ac defectoribus criminis perfidiæ faciẽs, quale admisit populus tuus in uituli aurei cultu,si per pœnitentiã ad se redierint. Est enim פשע perfidiæ ac defectionis crimen. ueluti legimus פשע ארם מחחה חיר יהורה Notatur Messiæ munus, de quo Esaiæ 53.& 61.

Nullusq; apud te per se innocens est.] Sententia receptior ac uulgatior huius loci est, Deum sontem non habere pro insonte. Similiter Septuaginta, ἀκέ τὸν ἔνοχον ὡ ἀκάθαρτα. Deus ut clemens est, ita etiam iustum eum esse: qui quamuis ad condonandam noxam procliuus sit, non tamen sic eum remittere crimina, ut sontes pro insontibus habeat, aut criminis deprehensos non aliquo modo emendet, ut resipiscant. Sicut egit hic cum populo suo, cui non prius se reconciliatum significauit, quàm is terrefactus minis diuinis, & conuersus ad luctum ad se redijsset. Nemo igitur abusus mea bonitate impunè, & me uolente peccare se putet.

Qui reddis iniquitatem.] In suos illum clementem esse, in alienos uerò duriorem ac inclementiorẽ, sicubi redire in uiam nolint.

Si inueni gratiam in conspectu tuo.) Pergit precari opem, fretus hac diuinæ bonitatis, clementiæ & æquitatis prædicatione.

Populus enim duræ ceruicis.] Quo magis eget auxilio tuo & clementia, qui dicis te misericordem & clementem esse, & procliuem ad condonandam noxam, occurrit illi: Non enim ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis est.

Vt auferas iniquitates.) ignoscens delictis nostris. Spectat illud נשא ערן, id est, qui procliuus sum ad ignoscendum.

Nosq; possideas.] tanquam hæredes tuos. id sonat רגחאחנו Quò pertinet illud prophetæ: Hæreditas autem mea Israel.

Ego inibo pactum.) Reconciliatus instaurat pactum, renouatis tabulis legis suæ, ut infrà: Scribe tibi uerba hæc, quibus & tecum & cum Israel pepigi fœdus.

Signa faciam.] Moses impetrat quod orauit. Suprà enim orauerat רגמלינו hic Dominus uictus oratione dicit: Edam signa.

Obserua cuncta.] conditiones fœderis. Loquitur in persona Mosæ cum uniuerso populo.

Ego ipse ejiciam.) Qui suprà dixerat, Non ascendam. Iam manens in uetere sententia, quia Chanaanem ad seruitutem damnauerat, dicit: Ego ipse ejiciã. Hæc igitur responsio Domini indicat quid is uolucrit illis uerbis: Si quis deliquerit, delebo eum de libro meo.

Caue ne unquam.] Explicat conditiones fœderis. De hac lege uideris suprà, & in Deuteronomio.

Cum habitatoribus terræ.] Cum alijs gentibus ne fœdera inirent, & matrimonia contraherent, eadem seueritate mandatum non legitur. De fœdere enim inter Hiramum & Salomonem inito, his uerbis scribitur: Erat pax inter Hiram & Salomonem. & percusserunt ambo fœdus. De connubijs autem ut ea cum exteris contrahere licuerit, lex in Deuteronomio tradita docet: Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus in manus tuas, captiuosq; duxeris, & uideris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, uolueriscq; habere uxorem, introduces eam in domum tuam.

Et comedas de immolatis.) alieno cultu te obstringes. Qui enim ad pollinctũ pertracti, uictimas alienis dijs immolatas edunt, sacrarij, id est totius cultus participes se esse declarant. Sic enim apud Apostolũ legitur: Nonne qui edunt uictimas, participes sacrarij sunt?

Ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ.] Exemplum in Salomone, Achabo, & alijs.

Deum alienum.) qui mihi coniugio tanquam sponsa coniunctus sis. De qua desponsatione Oseæ: Sponsabo te mihi in sempiternum.

Dominus zelotes nomen eius.) ritualem non ferens.

Ne cum fornicati.] Ratio uitandi fœderis. Cultũ alienorum deorum fornicationi & adulterio comparat, quo nimirum sacri matrimonij fides uioletur in illo fœdo deorum alienorum amplexu. Huc respicientes prophetæ idololatriam fornicationem appellant.

Deos conflantes.] ut uitulum aureum constaſtis, cuius recens memoria erat. Generi uniuerso subiungit formam.

Omne quod aperit uuluam.] De his legibus suprà.

Solennitatẽ hebdomadarum.] Tria præcipua festa Israelitis mandata sunt: Azymalia, Septimanalia, Conditalia, quæ hic renouato fœdere repetuntur: A mense uerno qui hic אבים dicitur, in quo hordeum metebatur, numerabantur usq; ad aliquam messem septem hebdomadæ. Vnde alterum festum, hebdomadarum festũ appellatũ fuit, in quo duo panes tritici primogeniæ frugis offerri soliti sunt, sicut in pesah festo pro dapali munere hordeaceos panes offerebant.

In primitijs frugum.) Quando offeres primitias messis triticeæ.

Redeunte anni tẽpore.] Vbi suprà legitur בצאת תקופת שנה, id est in exitu anni hic dicitur שנה, sed idẽ est. exitus enim prioris anni, reditus alterius est. Hinc à Latinis uertens annus dicitur, qui ab Hebræis תקופת appellatur. Annum hic à septembri supputant, in quo in horreũ fruges reconduntur, sole in בתלח בראשים ingresso.

Tribus temporibus anni.) tribus illis iam memoratis festis.

Cum

Cum enim tulero gentes.] Occupatione eximit metum. occulta comparatio inest in uerbo Hebræo. Nemo expetet terram tuam, tantum aberit ut eam inuadere & occupare audeant, cum fistes in conspectum meum mares tuos.

In conspectu Domini.] ineo loco quem Dominus delegerit ad collocandum in eo propitiatorium suum.

Verba fœderis decem.] quæ in fœdere nouo uno fidei per charitatẽ agenis uerbo continentur. De quo uno uerbo Dominus ipse: AmaDominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, & proximum sicut te ipsum. Itaq; perfectio legis diuinæ denario cõprehensa in eo cernitur de quo loannes: Deus charitas est. & qui manet in charitate, in Deo manet.

Panem non comedit.] sed pane usus de quo ipse in Deuteronomio: Non ex solo pane uiuit homo, sed ex omni uerbo, &c.

Quòd cornuta esset facies sua.] Radiasse ex diuino colloquio faciem Mosæ. Tropum cornutæ faciei paraphrastes: אורי סגי דיר יקרא דאפרחי, id est quòd multus esset splendor gloriæ uultus eius instar prominentium cornuum fulgore uultus Mosaici emicante.

Timuerant propè accedere.) fulgore illo præstricti. Significatur intolerabilis diuini iudicij, quod lege peragitur, splendor. De quo illud: Ne intres cum seruo tuo in iudicio. Quis enim ferat horrendũ illum legis accusantis & damnantis igneum fulgorem? Contrarius splendor faciei Christi est, in qua amabilis gratia effulget. Locus memorabilis, iusticiam ueram non petendã esse ex splẽdore legis Mosaicæ, qui reformidatur ab Israelitis: sed ex fulgore qui resplendet ex uultu Christi, qui eius lucis splendor est quæ fide excipitur & toleratur. Itaq; Apostolus huc respiciens hoc de administratione legis & gratiæ discrimen attulit: Quòd si administratio mortis in literis, deformata in saxis fuit in gloria, adeò ut non possent oculos intendere filij Israel in faciem Mosæ propter gloriam uultus eius quæ aboletur, cur non potius administratio spiritus erit in gloria? Vbi Apostolus pro קרן, id est cornu, gloriã ac splendorẽ uertit, secuius LXX. quo uertunt δεδόξασται Gloria uultus Mosaici, est gloria ac splendor iudicij legis igneæ intolerabilis extra Messiam conscientijs. De quo splendore Moses eius interpres Deuteronomij trigesimotertio: In dextra eius ignea lex. Ideo sequitur:

Posuit uelamen.) Velaminis obtenti faciei Mosæ mysticam notam explicat Apostolus his uerbis: Sed in hunc usq; diem cum legitur Moses, uelamen cordibus illorum impositũ est: at ubi conuersi fuerint adDominum, tolletur uelamen. Velamen autem est animorum occæcatio, per quam illi nondum cognoscunt patrem in filio. ut idem apostolus: Sed occæcati sunt sensus illorum. Quam occæcationem et quas tenebras obsidentes ac uelantes mentes nostras unus Domini spiritus depellit de quo illud: At transformamur ad eandẽ imaginẽ à gloria in gloriam tanquã à Domini spiritu illata illa luce post submotas tenebras, quæ de se dicit: Ego sum lux uera. Hinc fit, si desit huius lucis spiritus, nihil in nobis nisi horrendarũ tenebrarum uelamentum cerni: deinde lucem illam nativam quæ nobis in ipso ortu innascitur, caliginem & tenebras esse, si conferatur cum luce quam Deus inhabitat, quæq; nobis sublato tenebrarum uelamine illabitur: demum solis regenitis ad nouam uitam, uelamentum illud cæcitatis auferri, cæteris obuolutum esse, neq; ulla aut iusticia aut sapientia mundana tolli. exemplo sunt iustissimi Hebræorum. De quibus Apostolus: Sed occæcati sunt sensus eorum. Salutem igitur & uitã æternã qui quærunt ex lumine illo nativo, ex operibus legis, cuius administratio, mortis administratio est, perinde faciunt atq; si quis ex tenebris lucem, ex morte uitam, ex ira gratiam petat.

FINIS.

MARTINI

MARTINI BORRHAI IN LEVITICVM COMMENTARIVS.

603

CAPVT I.

604

VOCAVIT autem Mosem.] Quæ superiori libro de ratione extruendi tabernaculi, & eius uario apparatu, ut erant arca, propitiatorium, mensa, candelabrum: utræq; aræ, labrum æneum, quæq; de uictimis generatim explicata sunt, in hoc tertio libro speciatim ea quæ ad sacrificia & munus sacerdotale pertinent, exponuntur. Vnde id uolumen à nostris Leuiticus, & ab interpretibus תורת חכהנים appellatur. Atq; in sacerdotum munere cum de mundis & immundis rebus iudicandi facultas comprehendatur, quæ res mundæ immundæq; habeantur, in hoc libro quoque traditur. Adiectus sub finem de Israelitarum uario, quem posteris temporib. habituri sint, statu oraculis. In munerib. autem ac sacrificijs quæ diuina sapientia sibi afferenda delegit, hæc fuerint consideranda, sacrificiorum genera, rerumq; quæ in singulis generibus adhibentur, delectus. tum ratio ac ritus tractandi sacrificia. deinde in quo hæc inter se differãt. Demum usus quem quodq; afferat. Genera hæc ferè sunt: עולה, id est holocaustum. חטאת, id est piacularis uictima. זבח שלמים, id est de salute ac pace, hostia. מנחה, id est dapale munus panibus constãs, cum בכר, id est libamento uini. primitiæ præterea, primogenita & decimæ. Inter hæc munera ut quædam sint קדש קדשים, id est uulgaris sanctitatis, ea de re suo loco monebitur. Delectus autem rerum qualis in unoquoq; genere teneatur, & quæ sit ratio cuiusq; generis sacrificia tractandi, quæq; dissimilitudo in illarum ritu spectetur, mox liquidum fiet. Quod demum ad usum pertinet, is bipartitus cernitur. Vnus externus qui puerili ætati, quam lex moderabatur, congruebat, quæ sacrificio rum umbris tanquam elementis & initijs institutionis sacræ ad amplissimam illam & clarissimam regni Christi lucem exercebatur. Alter interior, qui tum ex Christi in quem omnia sacrificia collimabant, tum ex officij, quod quodq; corporis illius, quæ ecclesia est, membrum præstaret, contemplatione percipiebatur. Nam in Christũ caput, & in ecclesiam illius corpus, omnia referenda esse. Sacræ literæ & earum fides satis docent. Itaque sacrificandi mos iam inde ab inducta in mundum noxa, à patriarchis, Adamo, Abele, Setho, Noa, Semo, & huius posteris, statim recentius fuit, qui uictimis tanquam sacris symbolis Christi ueræ piacularis hostiæ pro delictis mundi immolandæ, admoncrentur. At ut certis legibus patriarcharũ sacrificia comprehenderẽtur, diuina cura Moses excitatus est, qui quæ usu & consuetudine obseruata fuissent, literarum monumentis consignaret: & quædam noua, quæ utilia fore Israelitis iam in maximam gentem auctis cognita diuinitus essent, adiungebat. Atq; id accidit, ut cõstaret certa colendi Dei ratio, quomodo cõsecratus diuinis oraculis populus usq; ad ea tempora sequeretur: quibus submotis rerum futurarũ umbris, corporeq; quod Christi est, repræsentato, in spiritu & ueritate Deum adorare publicè liceret. De quo corpore his uerbis Apostolus: Hæc sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi. Hoc exhibito cedentibus figuris potestas facta est in toto terrarum orbe hostijs Deo litare. De quibus Malachias propheta: Ab ortu solis usq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.

De tabernaculo testimonij.) de propitiatorio inter duos Cherubim. Sic enim in Numeris legitur: Cũ ingrederetur Moses tabernaculum fœderis, ut consuleret oraculum, audiebat uocem loquentis de propitiatorio, quod erat super arcam testimonij inter duos Cherubim. Vnde loquebatur Dominus tanquam ex sacra suorum responsorum ac sementiarum curia. Interpreti nostro similiter Græci, qui pro בירעה μαρτυρίῳ habent. Paraphrastes דמגא, quod statum tempus notat, quo Deus cum Mose uerba fecerit.

Loquere filijs Israel.] Autoritas legum de sacrificijs. Hæc diuino, non humano cõsilio esse tradita. Nec ad quosuis gentes pertinere, sed ad Israelitas, neque æterna illa fore. sed tantisper obseruanda, dum fœdus uetus cum Israelitis ictum duret.

De pecoribus.] Ex duplici genere animantiũ munera offeruntur Deo. alterum terrestrium, alterũ uolatilium est. Nam ex aquatilibus non deliguntur sacrificia. quod qua ratione fiat, expendant sapientes. Huc afferas de imperfectione pisciũ notationes, de quib. supra in Genesi ex historia animantiũ monuimus: neq; ex terrestri quæuis uictimis destinantur, sed solum boues, oues, & capræ, non equi, asini, porci, non feræ, ursi, leones, lupi, uulpes. Adumbrandus enim erat Christus, quem animantia munda benigna, & humanis usibus commoda, non impura, sæua ac efferata, repræsentarint. Reprehenduntur hic quædam gentes quæ humanis uictimis Deo sacrificarũt, ut de Moabo in libris Regum legitur. Scriptores tradunt eundem morem Scythis, Cyprijs, Latinis olim & Gallis fuisse. Sed grauius reprehendendi fuerint Iudæi, quos dæmonijs liberos suos immolasse redarguit uates Psalmo 106.

Masculum.] Mas cur delectus sit in uictimam holocausti, præ fœmina imbecilliore sexu, indicat tum Christus, tum membra illius sancti. Christus quidem, qui חלל factus de peccato, morte & potestatibus tenebrarum, uirili & infracto animo triumphauit. De quo propheta: Et fortium diuidet spolia. Sancti autem

declarant masculam fortitudinem in abolendo exuendoq; uetere homine, & induendo nouo contra insultus carnis, mundi, & principis mundi Satanæ.

Immaculatum.) carentem uitio, ut si cæcus non sit, non fractus, non scabie affectus. De qua integritate his uerbis infrà: Nullum uitium sit in eo, si cæcum fuerit, si fractum, si saucium, si pupulas aut scabiem aut impetiginem habet: non afferto tu ea Domino. Itaque cum attulissent uitiatum animans, audierunt illud apud Malachiam prophetam: Maledictus fraudulentus qui habet in grege suo masculum, & uotum faciens immolat debile Domino. Explicatur delectus & ritus tractandæ uictimæ holocausti.

Ante ostium tabernaculi.) in ipso atrio, sed non in quauis eius parte, nec in quouis loco. Israelitæ igitur hac legis parte uiolata, cum afferrent holocausta non in selecto templi loco, sed in excelsis, lucis, aut alijs profanis quos ipsi delegissent locis, grauissimè reprehensi leguntur. Vt id ex historia Regum & annalibus patet.

Ad placandum sibi Dominum.] Similiter Græci. Hebræum לרצנו indicat uoluntarium debere esse sacrificium. De Christo legitur apud prophetam: Oblatus est, quia uoluit.

Et acceptabilis erit.] Vsus uictimæ. Hac placari Deum, & fauorem eius conciliari. Sic Dauid iram diuinam holocausto sedauit, cum pestis immissa totum populum confectura uideretur. Sic Samuel Philistinis pugnantibus aduersus Israelitas, holocausto Deum flexit, ut remissa ira staret à suis aduersus hostes.

Ponetq; manus super caput hostiæ.) Is erat uictimam domino et ad diuinos usus consecrantium, & de iure suo decedentium ritus. Typus in mystica impositione, ueritas in ea impositione qua fide agnoscitur unus Christus Deo placere qui expiet noxam mundi.

Immolabitq;.) sacerdos.

Coram Domino.) cuius diuinitas repleret tabernaculum. Offeruntur sacrificia iam extructo tabernaculo & ara. Quò pertinet illud Psalmi: Benignè fac Domine in bona uoluntate tua Sion, ut ædificentur muri Hierusalem, tũc accipies sacrificia. Quæ res indicat extra tabernaculum, extra Sionem & Hierosolymam, hoc est extra sanctorum ecclesiam nullum sacrificium probari Deo.

Detractaq; pelle.) Quæ sacerdoti cedebat igni non cremanda. Ratio sanctis nota.

Artus in frusta concident.] quo commodius adoleantur in ara in atrio posita. Totus enim bos adolendus est. Si Christum consideres, hunc totum crucis opprobrio imminutum cognoscimus, ut igni claritatis diuinæ ad gloriam paratam à patre peruenire. Eodem igni sancti membra corporis illius holocaustum facti, transformantur ad eandem gloriam frustulatim dissecti & comminuti. De qua comminutione illud: Cor contritum & humiliatum non despicies.

Ignem.) Hunc ignem non de quouis igne accipiunt interpretes sed de eo qui infrà de cœlo delapsus legitur capite nono. ueritas in spiritu igneo transferente ad claritatem diuinam. De quo suprà in Exodo & mox locupletius. Legimus delecta pecora & boues in sacrificium diuinum, legimus excoriata & concisa in frusta, & super struem lignorum imposita, igni cremanda. Quem morem quoque fuisse apud profanas gentes declarat Græci poetæ ἐκατόμβης, id est sacrificium centũ boum. Excoriatos boues, oues, & caprás, ostendit illud, καὶ ἐδειραν: dissecta in frusta femora, μηρούς τε ἐξέταμον: admotum ignem, κἀπ' ἐπὶ πίσης ὁ γόμφων: celebratum item à peractis sacris conuiuium quod facilitatum est ab Hebræis in hostia שלמים, τετύκον τότε δαῖτα. Quam consuetudinem uidentur ab ipso Noa unà cum propagatione sui, uelut per manus accepisse. Sed longè alius impuris gentibus, alijs Israelitis usus sacrificandi constabat. De quo in ipsa commentatione.

Intestinis.] quæ continent sordes.

Et pedibus.] uersantibus in luto. Imago cernitur regenerationis, quæ aqua & spiritu igneo conficitur.

In holocaustum.] Addit Hebræus אשה. Huius generis igitur uictimæ tum עולה quæ in ignem conuersæ in sublime euolent, tum אשה quod adolentur in ara, appellantur. Ignis natura est, lucere, & ardenti luce omnia probare atque repurgare, aliena consumere, & quæ suæ naturæ capacia sunt in se conuertere secũ sursum referre. Hinc עולה suauiter delectari dicitur Deus. Nam huius generis hostiæ diuinam naturam quæ ignea est, induunt: terrenam, quæ longissimè abest ab igni, exuunt, lucem accipiunt, tenebras amittunt: lucem in quam igneam, in qua Deus se patefacit, qui in igni apparuit Mosæ in rubo, qui ducit suos in columna ignea, qui in igni dedit legem, & cuius spiritus ignis specie missus est Apostolis. Si igitur quæq; sui similibus gaudent, mirum non fuerit hic legi Deum ignita uictima deliniri, qui ignis alicubi appellatur, & præclarissima quæq; ignea ui perficit. quaq; mundus sit renouandus, & regeneratio conficienda.

Et suauem odorem Domino.) Dicas. Si tantopere delectatur isto sacrificij genere Deus, cur ergo dicit apud Iesaiam: Ne offeratis frustra sacrificium mihi. item apud Dauidem: Holocausta non deleciaberis. Si desit res & ueritas quæ cernitur in sacrificio, de quo idem propheta, Sacrificium Deus spiritus contritus, sacrificia legalia ingrata fuerint Deo: sin adsit, grata pro tempore pedagogiæ propter uictimam suauissimæ fragrantiæ. de qua Apostolus: Quemadmodum & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac uictimam Deo odorem bonæ fragrantiæ. Conferenda sunt hic spiritualia cum spiritualibus. Olfactus tribuitur hic Deo, ut cætera humana, quo ad nos diuina trãslata melius intelligãtur. Est spiritualis & odoret olfactus. Deũ nõ secus capi odore quem pietas, innocẽtia, & ipsa obediẽtia de se spargit,

spargit, atq; nos florum odore capimur. Huc spectans Apostolus, & Mosem hic considerans, igneo Dei spiritu renatos, bonum Christi odorem uocat: Christi bonus odor sumus.

De ouibus siue capris.) Cum bobus coniunguntur oues & capræ. Contraria consuetudo Aegyptijs fuit, qui capras & hircos non mactarunt, sed fœdum & immundum animal fuem. Huius quoq; fœtus sacrificio apud Romanos die quinto purus habitus est.

Masculum.) De hoc mare apud Ioannem: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.

Absq; macula.) Veritas in integro agno, de quo Isaias: Eo quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius. & in uictimis quæ illius agni participatu integrum sacrificium exhibent, de quibus illud Apostoli: Sacerdotium sanctum ad offerendas spirituales hostias, acceptas Deo per Iesum Christum. Hæc est κοινωνία, id est communio Christi capitis et corporis Ecclesiæ, tum mortis tum uitæ, tum ignominiæ tum gloriæ. Cæterùm idem ritus fuit immolandi oues & capras, qui boues.

Ad latus aræ.) quæ erat in atrio sub diuo. Exodi uigesimoseptimo.

Sin aũt de auibus.) Terrestri genere explicato, ad uolatilia se conuertit, è quibus non quasuis auium species deligit (non enim anseres, non aquilas, non cornias non ululas) sed turturem, & columbarum natos. Turtur quas dotes habeat, uideris apud scriptores rerum. Sacrata etiam in reliqua scriptura auis Deo. In Genesi turtur delectus legitur, qui non diuisus portenderet futuram Israelitarum ex Aegyptia seruitute liberationem. In Canticis sponsæ, quæ Ecclesia est, genæ comparantur turturis genis. Columbarum laus quanta feratur in sacris literis, non est obscurum. Digna fuit hæc auis quæ de pace nuncium Noæ afferret, missa ex arca, ut quæ mali ingenio, simplici, & dolo carens uolucris habeatur, testimonio etiam Domini: Estote simplices sicut columbæ. Hinc columbæ comparatur sponsa: Oculi tui columbarum. Commendatur item in columbis rectus uolatus. ideo prophetæ: Quis mihi det pennas columbæ ut uolem? Et inter uolucres sola ferè columba pennatos pedes habens non bis aptè diuinũ spiritum repræsentat, qui ardenti amoris affectione, quæ per pedes notatur, ad nos rectà uolat. Nam oracula pacis æternæ denuncians & apperiens, columbæ specie Apostolis missus fuit. Deputata igitur est columba diuino sacrificio, quo tanquam sacro signo admonerentur Israelitæ patientiæ, innocentiæ, simplicitatis, pudicitiæ, pacis & charitatis: quas dotes & ipsi contemplarentur in Christo uictima, & eas imitarentur. fertur enim illis pudicitia prima esse, constans fides coniugij, quam nunquam uiolant, patientia singularis in ferendis imperiosis maribus, amor sobolis magnus. Quas dotes omnes in Christo & Ecclesia comperis.

Et retorto ad collum capite.] Verbum מלק similiter nostro interpreti Græci, ἀποκνίσει. Iugulatio nem illam nõ ferro, sed sacerdotis ungue fieri solitam, ferunt interpretes.

Vesiculam uerò gutturis.) Verisimile est מראתו id est, ingluuiẽ à ראה, quòd promineat ac appareat, sic appellatam ab Hebræis. Hæc cum plumis in cinerarium abijcitur. De ritu tractandi cineris infrà capite septimo.

Ad orientalẽ plagam.] Quæ remotissimè aberat ab interiore sacrario, quòd situm ad Occidentem fuit.

Confringet; ascellas eius.] Hebræus indicarẽ uidetur corpus auium non in frusta dissecandum, sed in alis solum findendum. Est enim שסע idem quod בקע. Dissimilis igitur pecora & uolucres immolandi ritus fuit. In his sexus non habetur ratio, in illis habetur: in alteris caput ferro auellebatur, in alteris uolunt, retortũ digitis extorquebatur & abrumpebatur. pecorũ corpora frustulatim dissecari solita sunt, auium in alis findi, ita conuulso corpore, ut id alis hæreret. Rationem expendant sapientes.

Et oblatio suauissimi odoris.] Tam grati sunt turtures & columbæ exigui precij, quàm boues magni. Vnde cognoscimus, à Deo munera non æstimari magnitudine & precio, sed animo offerentium. Exemplo uidua illa est paupercula quæ cum quadrantẽ misisset in gazophylacium, audiuit illud: Amen dico uobis, quod uidua hæc pauper plus misit, quàm omnes qui miserunt in gazophylacium. Opulenti igitur bouem, mediocres ouem, inopes turturem afferrè poterunt. Itaq; ut in naturalibus non magnitudo rerum sed nis earum ponderatur, sic etiam in ijs quæ uoluntate reguntur, usuuenit. Laudamus enim gemmas & herbas à uirtute: adamantem nimirum, qui omnia frangat: magnetem, cuius exigua pars ferrum ad se trahat: hircinum sanguinem, qui etiam adamantem domet: echinum, nauem sistentem: succum ex helleboro paratũ, cuius parua portio magnam æræ bilis uim pellat: pulueręm illum diuinũ sapientibus notum, cuius modica pars metalla impura ad perfectionẽ adducat.

IN CAPVT II.

ANima cum obtulerit.] Alterum sacrificium quod dapale est, describitur. Hoc proximum holocausto est, cum quo de more coniungitur, ratione non obscura in Christo. Is enim עולה factus, suos ut uitalis panis pascit, de se dicens: Ego sum panis uitæ. Vocatur autem hoc sacrificium מנחה uel ab offerendo, uel à placando. In quo quoq; sua genera, suus rerũ delectus, suus ritus, & demum usus perpẽdenda sunt. Quod ad genera attinet, duo cõmemorantur in textu. Vnũ est farina aut in clibano, aut in craticula, aut in sartagine cocta: alterũ, primitiæ frugum, id est grana triticea aut siliginea è glumis excussa, quæ in farinã comminuta non sint, sed tantum ex recentibus spicis igni tostis manu extrita. De singulis generibus ordine cum ritu sacrificandi & usu.

Simila erit oblatio eius.] Delectus rerum explicatur in hoc similæ sacrificio, ac libamine: farina pura ex tritico, oleum, thus & sal deliguntur. In unuersum hæc quæ è terra nascebãtur, Deo offerebãtur, panis, uinum, oleum, thus, sal. סלת ex farina triticea confici

indicat illud: סלת חסרים. Nec minus continere minham quàm decimam partem Epha, ex alijs locis liquidum.

Et deferet ad filias.] Ritus exponitur sacri peragendi.

Quorum unus tollet pugillum plenum.] Non totam farinam igni adolendam, nisi fortè esset minha sacerdotalis de qua infrà capite 5.

Ac totum thus.] Hoc in omnibus huius generis sacrificijs adhiberi solitum est, præterquã in חטאת id est expiatoria uictima, cum qua simila carens oleo & thure offerebatur. Similiter nec in sacrificio zelotypiæ oleum & thus adiungebantur. Cæterùm thus ab Hebræis לבונה uidetur à candore appellatũ. Nam is præcipuè in thure cõmendatur. Totum thus hic accipiendũ monemur, secus de simila & oleo. Cæterùm quam uim & naturam habeat thus, uideris apud scriptores rerum.

Et ponet memoriale.) Vsus sacrificij ut monumentum esset quo admonitus Dominus placaretur suis legali quidem & mystica placatione, si pædagogiam spectes: uera autem & interiore, remissa uerè noxa, si rem, hoc est Christum ipsum cœleste illud sacrificiũ qui pro nobis oblatus panis ille uitalis est sacri spiritus oleo conspersus, & thus illud benefragrans deprecatorium placans nobis diuinam de crimine iram. Nam thure admonebantur, orationem uim nullam habere quæ non per Christum & in Christo dirigeretur ad patrẽ. Thus enim incensum, orationis symbolũ erat, ut est apud uatẽ: Dirigatur oratio mea sicut incẽsum in conspectu tuo eleuatio manuum mearũ minha uespertina. Itaq; Christus ipse: Amen dico uobis quæcũq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Christus igitur uerum est illud ἀνηρόσωπον quo pater excitatur ut reconciliet se nobis. Hoc monumento qui carent, in ira diuina manent, noxæ nunquam eximendi. Quapropter qui in offerendis sacrificijs in Christum tanquam in scopum non collimabant, audierant illud prophetæ: Qui offert minham quasi qui offerat sanguinem suillum: & qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo.

Super altare.) in ara holocausti.

Quod autem reliquum.) Locus mysticus de communione Christi & ecclesiæ. Manat usus sacrificij ad sacerdotes. Petrus ueros sacerdotes indicat: Vos genus electum, regale sacerdotium. Et Ioannes: Feci uos reges & sacerdotes: Ex holocausto nihil cedebat sacerdoti præter pellem ex alijs sacrificijs suæ partes cedebant. Nam Israelitarum respub. erat à Deo instituta, ut sacerdotes pro sua hæreditate certas sacrificiorum partes, primitias item & decimas acciperent, qui carerent terræ Chananææ portione.

Sanctum sanctorum.) Sacrosanctæ hæ reliquiæ appellatæ, quòd eas comedere in loco sancto solis sacerdotibus liceret.

Cum autem obtuleris sacrificium coctum.) Alterum genus similæ coctæ, quod erat tripartitum: clibanarium, sartaginarium, craticularium. Quæ uaria coctio quem nobis multiplici crucis igni coctum repræsentet, pijs notum.

De craticula.) Similiter paraphrastes, מרחשת, & Græci ἐχάρα.

Qui cum obtulerit eam.] In חריש uerbo adleuandi sacrificij morem spectatur, quo leuabatur prius uelut cœlo inferrenda illius pars, quàm in ara adoleretur.

Absq; fermento erit.) Adhibentur quædam cautiones obseruandæ in sacrificijs. Vna est, omnia sacrificia quæ quidem adoleantur Domino, carere debere fermento. Etenim id fit ex farina aqua macerata, modico insperso sale, dum acorem ducat. Hoc carere debere sacrificia. Nam si naturam fermenti spectes, id massæ immiscetur, non ut panis purior, purgatiorisq; reddatur, sed ut intumescat & turgeat: Præterea fermentũ acorem habet quo res dulces acidæ reddantur. Vtraq; autem hæc uis sacrificijs quæ Deo adolentur, aduersa est. Nam igni tũ sacrificiũ tumorem non fert, sed totum in subtilem ignem abit. præterea suauis extus illi est carẽs omni acore & amaritudine, cuius frantia mirificè capi ac deleniri Deum legimus. Sed hæc omnia clara sunt in Christo & in eius corpore ecclesia. Primò enim Christus uerum illud & cœleste sacrificiũ omni fermento ueteris tum naturæ tum doctrinæ caret, in quo nimirũ sunt omnia nativa, pura, ingenito & eo cœlesti calore uegeta, non ascititio tumida & inflata. eadẽ in sacrificijs quæ offert corpus illius ecclesia cernũtur. Secũdò in Christo omnia primò dura & aspera apparent, sed in exitu ac fine iucunda suauiaq; efficiuntur. ut ipse testatur dicens: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient. Contraria in fermento uis spectatur, quod rebus suauibus acorem affert. Ad quam fermenti naturam Christus respiciens, ei fucatam illam hypocritarum & fastu turgidã doctrinam confert, cum dicit: cauete à fermento pharisæorum. quibus uerbis expositio additur ab Euangelista: Non iussit eos cauere à fermento panis, sed à doctrina pharisæorum. Siquidem hæc non diuino igni suos extenuat, atq; purgat. sed alieno inflat & fastu falsæ opinionis de iusticia turgescit. Exemplum in hypocrita illo superbè iactante: Deo gratias dico quòd non sum sicut cæteri homines raptores, iniusti, adulteri. Contrà fermento carebat publicanus qui procul stans nec oculos in cœlum audens attollere de se humiliter submisseq; confessus est: Deus propitius esto mihi peccatori. A fermenti igitur natura duplex translatio desumpta est: una, ad prauam hypocritarũ doctrinam: altera, ad impiam uitam significandam de qua significatione illud Apostoli: Celebremus festum non in fermento ueteri, nec in fermento malitiæ & uersutiæ, sed in panibus fermento carentibus, hoc est synceritate & ueritate, quæ inflati per hypocrisim fermento cõtraria est. At uerò ut uitiosum fermentũ est quod Apostolus uetus & malitiæ fermentũ uocat, ita etiam laudatũ fermentũ est, nouũ uidelicet illud & probitatis fermentum. In quo quoq; suus calor et uis in quamlibet parua parte maximã molẽ fermentãdi inest. Hoc fermentũ infrà cõmendatur in sacrificijs admissum. Nam nobis id Messiam benedictũ representat, qui suo cum calore, sale, acore masse

se sacræ, hoc est electorum Ecclesiæ insperſus, ut ea charitatis flammeæ ardore, quæ antea frigore iacuerat humi sine sale & acore iners intumescat, efficit. Atque hoc cœleſte & sacroſanctum fermentum quã tam massam breui tempore per fermentoſi Euangelij prædicationem fermentet, declarant Apoſtolorũ tempora, & hæc poſtrema, de quibus illa iactantur teſtimonia: Adorabunt te omnes nationes terræ. Conuertentur ad te omnes fines terræ. Benedicentur in te omnes gentes, &c. Reperitur etiam in occultis naturæ laudabile & admirandum fermentum, sed artis diuinæ adumento ad eum uſum parab.le, quod exigua quantitate, magnum impurorum metallorum materiem ad ſummam puritatem ſuo calore, ſale, acrimonia fermentando adducit. Quòd ut in maximis arcanis ſapientiæ Dei continetur, ita ijs pateſit quos Deus pater amore & beneuolentia ſua complectitur.

Ac mellis.] Altera cautio, nec mel adolendum eſſe in ſacrificio diuino. Eadem fere ratione qua fermentum prohibetur adoleri. Mel enim inflat, & à dulcedine χολὴν, id eſt bilem, amarum humorem in corporibus humanis creat, tum ſatietatem & nauſeam ſi nimium eſum ſit, affert. Quæ mellis natura contrariat eſt minhæ, hoc eſt Chriſto rationibus notis. In melle hic reprehenduntur, quæ ſacrificijs aduerſa ſunt: in alijs locis ſcripturæ ſacræ laudatur, ut eſt cernere in comparatione prophetæ: Qui dulcia ſaucibus meis eloquia tua, & dulciora mellea. Fertur mel exterendi, purgandi, ij ui ualere, quapropter caloris ſui uim quã habet corpora à putredine uindicat. At hæc laudata uis qua multi longã ætatẽ uixiſſe traduntur, non hic, ſed deterior natura à ſacrificijs diſſentanea ſpectatur, ut ſolet in alijs quoque rebus uſu uenire. Alicubi enim in ſacris literis leo in comparando commendatur, alicubi uituperatur. idem iudicium de ſerpente. Aut mel in ſacrificijs repudiatur, quòd in his expiatio quæ crucis amaritudine melli aduerſa non careat, & ueteris hominis mortificatio ſignificatur.

Primitias tantum eorum.] Quas autem primitias fermentatas conueniat offerre Domino infrà docetur his uerbis: Et ſic offeretis ſacrificium nouum Dõmino ex omnibus habitaculis ueſtris panes primitiarum duos, de duabus decimis ſimilæ fermentatæ. Item capite ſeptimo fermentati panes hoſtiæ de ſalute adhibeantur, de dulcibus fructibus alicubi ſcribitur: בכורים.

Et ſale condies.] Tertia cautio, quæ petitur ex ſalis natura. Hæc per ſe ignea cum ſit, diſſoluendi, extenuandi, ſiccandi, repurgandi uim habet, qua corpora à putredine uendicat, ut ita diu permaneant integra. Vnde ſcita alluſione totis corporibus nihil utilius ſale & ſole dicitur eſſe. Nulla enim humanior uita ſine ſale degitur. Hinc ſalis intellectus tranſit quoque ad animi uoluptates. Nam ita ſales appellantur omnis uitæ lepos & ſumma hilaritas: contrà inſulſi qui ab omni abſunt urbanitate. Nec nõ quia ſal tuetur corporũ firmitatẽ, in ſacris literis, ut hic et in alijs locis diuinum fœdus ſalitũ id eſt incorruptũ, inuiolatumq; appellatur. Eadem ratione ſacrificijs deſtinatur propter Chriſtũ, qui cœleſtis ille ſal eſt ſuos uitijs liberans, & ad æternæ uitæ participatum igneo ſuo ſpiritu transferens, abſumpta terreſtri illa et deprauata natura. Huc alludens Chriſtus ignem cũ ſale coniungit dicens: Nã omnis homo igni ſalietur, & omnis victima ſalietur. Eodem modo Apoſtoli ſal terræ dicuntur propter Euangelij doctrinã cum multa uirtute ignei ſpiritus ab eis annunciandã. Non aliter Paulus ſanctorũ ſermonẽ ſale conditũ cõmendat, qui uitam prauam corrigat, et meliorẽ inducat. Ex contrario uerò damnatur ſal infatuatus. De quo illud: Cæterùm ſi uerò ſal infatuatus fuerit, qua re condietis? Neq; in terrã, neq; in ſterquiliniũ utilis eſt foràs proijcium illũ. Qui craſſus ac inefficax ſal eſt ui ignea ſpoliatus, in quẽ Lothi uxor cum Deũ deſeruiſſet ſuas cupiditates perſequens commutata ſcribitur. Tradunt phyſici ex omnibus rebus quæ quidem quatuor mundi initijs conſtent, ſalẽ tum efficacẽ tum inertẽ elici poſſe. Cæterùm ſuprà olei facta eſt mentio, hic ſalis: in altero lenitas in altero acrimonia cernitur. Hæc ut conueniat coniuncta eſſe, declarat prouerbium uulgo iactatũ, Oleũ et ſal oportet emere. Nõ cõmemoro hoc in ipſo etiam ſale ineſſe oleũ, ut norũt ij qui ex ſtirpib. liquorẽ, ſalẽ, et oleũ beneficio ignis exprimere ſciunt. Metallica prætermitto. Qua arte ad res abditas in natura perueſtigandas nihil præſtantius. Cæterùm uetuſtiſſimus mos fuit, etiam apud gentes, ſale litare, quando nulla ſacra ſine, mola falſa confecta leguntur.

Si autem obtuleris munus primitiarum.) Tertiam genus ferti erant grana nouarum frugum è ſpicarum igni toſtarum glumis excuſſa.

Et thus imponens.] Scriptores tradunt tempore Troiano thure non ſupplicatum. Hic quàm uetuſtus mos fuerit illo ſupplicandi, moneris. Græci Hebræam uocem retinuerunt, à quibus thus λίβανος appellatur ut ab Hebræis לבנה.

Torrebas eas igni.] Iam laudatus ignis eſt, ut nuſquã deſit. Et omnia hic ignea et cœleſtis naturæ ſunt, ignitũ ſacrificiũ, oleũ, thus, ſal, odor, & ipſe odoratus ſpirans è naribus ignẽ. Cæterũ גרש ברמל manipuli ſpicarum recentium ſunt comminuti ac contuſi.

De qua adolebit ſacerdos.] Depoſita umbra occurrit granũ illud diuinum Chriſtus qui ſe grano frumenti comparans dicit: Niſi granum frumenti iactum in terram, mortuũ fuerit, ipſum ſolum manet: ſi uerò mortuum fuerit, multum fructum affert. Qua comparatione ſignificatur ampliſſimus uſus, qui ex morte et reſurrectione illius percipitur in hoc ignito ſacrificio & incenſis granulis adumbratus.

IN CAPVT III.

QVòd ſi hoſtia ſacrificiorũ.) Tertium ſacrificiorũ זבח שלמים quod uariã uertitur: ab alijs, pacis, & ſalutis: ab alijs, gratitudinis: à Græcis modò σωτηρίοις, modò τελεστὴς, id eſt initiationis ſacrificiũ, quo ſacerdotes initiabãtur, appellatus. Hæc omnia in uerbo שלם perfectionẽ, reſtitutionẽ, pacẽ et ſalutẽ notat, cõprehẽſa huc quadrãt. Nã ſi Chriſtũ ſpectes, finẽ omnium ſacrificiorũ, is quia ſalutem perfecit, ſemel immolatus, hoſtia שלמים rectè dicitur:

tur: sin animi gratitudinem, qua Deo suum, id est gratiarum actio redditur, qui grati & memores beneficiorum sunt, uictimam שלמים offerunt, cum memoriam beneficiorum, quibus ab hostia Christo affecti sunt, celebrant. De quo sacrificio Apostolus his uerbis: Per ipsum offerimus hostiã laudis semper Deo: hoc est fructum labiorũ celebrantiũ nomẽ eius. Hinc hæc de pace uictima ad declarandam gratitudinem, memoriam sui solennem in panis & uini symbolo fieri iussit, cum mandaret: Hoc facite in mei commemorationem. Sin pacem consideres ac salutem partam, quàm conueniat שלמים hostia in eundem Christũ, indicat illud Apostoli: Quoniam per eum placuit patri reconciliare cuncta, ergo se pacificans per sanguinem crucis eius per eundem siue quæ in terris sunt, siue quæ in cœlis. Itaque tantum mysterium sacrificij legalis ne obscuretur uidendum erit. Hæ quæ recitatæ sunt uersiones magis arridẽt, quàm paraphrastis qui uertit קורשיא, id est sanctificatorum, hoc est mundorum ac à uitijs repurgatorum, potius spectatis ab illo qui sacra uictima uescebantur, quàm uictimæ ipsius usu & dignitate, cum infrà signatè hoc sacrificium שלמים nuncupetur, tum à gratiarũ actione, tum à salute ac pace. Cæterùm in tractatione huius hostiæ delectus ipse primò rerum quæ adhibẽtur: deinde ritus, quo sacrum istud peragitur: tertiò partes adolendæ: quartò, dissimilitudo qua differt hoc sacrificium ab holocausto: demum ipse usus quem habet, perpendenda fuerint. De singulis ordine.

Et de bobus.] Delectus quo boues deliguntur, et pecora. In holocausto adhibentur etiam ex uolucrum genere turtures & columbæ, quæ hic non commemorantur, quibus renes desint, eis pennatis squamosisq; carentibus. Neq; mirum, boues, capras, & oues deligi ad sacrificium de pace. Quid enim boue aratore, qui humanum uictum excolit, placatius & commodius? Labore eius agros colimus, frumenta exterimus, carne uescimur, corio pedes uestimur, stercore agros fermentamus. Quid deinde oubus clementius, & hominũ uitæ utilius, quæ carnem, lac, caseos ad uescendum, uellus ad uestienda corpora, neruos ad conficiendas fides, & ad stercorandos agros simum optimum suppeditant.

Marem siue fœminam.] In holocausto ex pecore mas deligitur, in uictima de pace promiscuè mas & fœmina. Ratio piis nota ex illo Apostoli: In Christo neque mas, neq; fœmina, sed noua creatura.

Ponetq; manum.) Ritus sacrificandi exponitur.

Fundentq; filij Aaron.) Sacerdotale munus, immolare, sanguinem fundere, adolere partem uictimæ.

Adipem.) Omentum uocant Latini, quod pinguis membrana est, intestina in animantibus sanguine præditis complectens. Cuius ortum, usum apud eos scriptores qui de partibus animantium scribunt, cognoscere licet. Numerantur quæ in hac uictima Deo adolenda sint. Adipis qui intestina operit, renum, lũborum, iecoris & omenti, eorum mystica ratio nota est: & quomodo his incensis, in quibus sedes libidinis & obscœnæ concupiscentiæ est, ueteris hominis mortificatio significetur, manifestum. Huc renum explicatio & lumborum cinctus pertinet, & illud prophetæ: Vre renes meos & cor. sed quo igniẽ igni sanere generatore. De quo Apostolus, Si cuius opus arserit igni. In holocausto quæ alia differentia est? omnia cremabãtur, excepta pelle, quæ sacerdoti cedebat: in uictima de pace, tres partes cernere licebat, quarũ una adolebatur Deo: altera sacerdotibus cedebat, ut erat pectusculum & dexter armus: tertia offerenti dabatur, qua is cum familia sua uesceretur. Ratio in Christo non obscura. Nam is ut עולה fuit factus, elatus ad gloriã patris, carnis suæ dapem ad dandam æternam uitam communicauit, pace iam aduersus peccatum, mortem, mundum & postates mundi parta ac confirmata per sacrificium שלמים. Quod agnoscere erat princeps usus sacrificij de pace, cætera umbra erant rerum futurarum.

Et reticulum iecoris.] יתרת alijs fibra, alijs resi duum, alijs aliud est. Est mollis iecori adhærens caro. Itaq; Hebræi nõnulli idem ualere dicunt על הכבר. quod עם הכבר nostri das faul fleysch, alij rot fleysch appellant.

In holocaustum.) על Super aut cian, aut præter sonat. Præter holocaustum quod præcedit, offerendam esse uictimam de pace. Cur præcedat holocaustum uictimam de pace, causa in Christo cernitur, qui prius עולה factus est quàm sacrificium שלמים. Idem ordo spectatur in membris corporis ecclesiæ, quæ tranquillitatẽ nõ antea assequuntur, q̃ holocaustum sint facta. Præcipuæ uitæ naturalis partes, iecur, renes, sanguis, adolẽdæ Deo offerri iubentur. Vetus enim ille homo igni absumendus est, & induendus nouus, diuinæ naturæ quæ ignea est consentaneus. Quod cum fit, igniti sacrificij odor fragrans efficitur. De quo hic: In odorem suauissimum.

Et caudam totam cum renibus.) Volunt interpretes spinam dorsi עצה appellatam, quòd ei adhæreant renes consiliorum carnalium, quæ affectibus reguntur, sedes. Quò referunt illud: Qui probas renes. בלירות uidentur ab Hæbreis dicti à cõcupiscentia. Quorum nomen Latinum à ῥέω uerbo quidam deriuatum arbitrantur, ratione non obscura, quòd genitalis humor libidine excitatus per renes fluat.

In pabulum ignis.] Quod suprà ignitum sacrificium fragrantis odoris uocauit, hic לחם id est dapem opiparam diuino igni excoctam, qua mirificè delectetur Deus appellat, propter panem illum de quo pater testatur: Hic est filius meus dilectus, cui fauco. Alioqui legimus: Si esuiero, non dicam tibi: meus enim est orbis terræ, & plenitudo eius.

Si capra fuerit.] Nec in capra, nec in boue caudæ meminit, ut in agno, cuius cauda uilloſa, pinguis, ac præcipuæ magnitudinis est. Animãtia cætera pinguissima in renibus sunt, oues quidem lætaliter circa eos concreto pingui.

Omnis adeps Domini erit.) Ei adolendus igni quo crassum illud pingue & fluidum, subtile tenuesq;

nuęq; reddatur, in igneam cœlestemq; naturam discedens. Prohibetur hic adipis esus, ratione pijs satis nota, Nam pinguedo ut malè audiat in sacris literis, declarat illud: Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit incrassatus, dilatatus, impingnatus. Obesorum etiam non laudatum nomen uulgò manifestum est. Traduni rerum scriptores, adeps si minus sit aut sensuum, eo obrutis sensibus, animantia suffocari, quæ sensibus præcipuè si ualentes sint et integri, uitam suam tuętur. Sed interdum adeps in bono accipitur, ut cum decimarum selectissima, adeps appellantur, quem etiã à præstantia paraphrastes תרבא uocat. At utra significatio huc pertineat, igniti sacrificij in quo uitia expurgantur, & imperfecta perficiuntur, ratio satis declararit. Idem de lumbis & renibus, & eorũ adipe iudicium. De Christo nihil est quod obijcias, qui infrà חטאת dicitur, & ab Apostolo maledictũ. Vtraq; significatio huc quadrarit Nam adeps ignito sacrificio aptus est, qui multa cum acre & igni propter pinguedinem igneam uim continentem, commutia habet.

Nec sanguinẽ.) De sanguine infrà, & in Deut.

IN CAPVT IIII.

ANima quæ peccauerit.) Quarti sacrificij descriptio, quod חטאת dicitur. in hoc nomina genera, delectus rerum, ritus sacrificandi, dissimilitudo à cæteris sacrificijs, demum usus perpendenda fuerint. Quòd ad nomina attinet, duo hic occurrunt: unum חטאת est, alterum אשם. Vtrumq; expiatoriam noxæ uictimam notat: sed quo discrimine, suis locis monebitur. Genera à personis distincta tria sunt. Aliam enim hostiam sacerdos, aliam princeps, aliam priuatus homo offerebat. Et in priuatis cernere licebat differentiam. Nam sua diuites, sua mediocris fortunæ, sua inopes litarunt.

Per ignorantiam.) imprudentia & errore quod est בשגגה. Nam crimina aduersus legem studio & scienter admissa uictima non expiabantur, sed capitalia erant, ut legimus infrà in Numeris: Si quis per superbiam aliquid commiserit, siue ciuis sit ille, siue peregrinus, quoniam aduersus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo.

Si sacerdos.] Proposita est primò generalis propositio, quæ hic partib. suis explicatur, initio à sacerdote doctore legum & iusticiæ magistro facto.

Vnctus.] summus antistes ac pontifex solenni unctione sacerdotio consecratus. Itaq; Paraphrastes pro משיח habet רבא, magnus. Similiter Græci ὁ ἀρχιερεύς.

Delinquere facietis populũ.) ut solent doctorũ & principũ scelera abire in mores populi. Similiter Græci, quos noster sequitur, τῷ τὸν λαὸν ἁμαρτεῖν. Hebræus, לאשמת, id est in noxam populi. Si sacerdos admiserit noxã, qualis à populo admittitur.

Pro peccato suo.) Vsus sacrificij cernitur in expiando peccato. Vbi tria nobis cognoscenda sunt: unum, legalem sacerdotem non fuisse uerum illum sacerdotem, qui improbos rereconciliaret Deo, ut qui & ipse obnoxius esset uitijs, ut hic legimus, & id Apostolus docet in epistola ad Hebræos: Quandoquidem & ipse circundatus est infirmitate, & propter hanc debet quemadmodum pro populo, ita & pro seipso immolare pro peccatis. Secundum est, uictimas quas obtulere sacerdotes, ueram iusticiam lustrata noxa nequaquam attulisse. Nam quale sacerdotium Mosaicum fuit, talia & sacrificia fuisse indubitatum est. Igitur Apostolus: Non enim potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata. Item: Et omnis quidem sacerdos assistit quotidie sacra peragens, & easdem sæpe offerens hostias quæ nunquam possint auferre peccata. Tertium, si neque in sacerdotio legali, neque eius sacrificijs placari diuina ira potuit: reliquum est, confugiendum fuisse ad aliud sacerdotium & hostiã placantem: ad, sacerdotem uidelicet de quo Paulus: Hic uerò una pro peccato oblata uictima perpetuò sedet ad dextram Dei. Et ad uictimam de quo Iesaias: Et peccata multorum tulit. Reconciliatio igitur legalis externa solum fuit, & ciuilis, carnis puritatem afferens. Vt his uerbis monet Apostolus: Nam si sanguis taurorum & hircorum & cinis iuuencæ aspergens inquinatos sanctificat, ad carnis purificationem, quanto magis sanguis Christi? Carnis purificationem, ciuilem illam & externam σαρκικὴν καθαριότητα mundiciem appellat, qua adumbrabatur emundatio illa spiritualis, quæ spiritu constat, non litera, qua expurgat suos cœlestis sacerdos innocens & impollutus, de quo illud: Talis enim decebat ut esset nobis pontifex pius, impollutus, segregatus à peccatorib. et sublimior cœlis factus. In sacerdote Mosaico tria munera spectabãtur: docere legẽ, sacrificijs placare Deũ, orando arbitrum ac mediatorem agere inter Deum & hominem. si Christum spectes, uera ratione ista munera in illo comperies. Nam is primò non solum legem docet, sed eam etiam digito spiritus sui in sanctorum animis scribit, quam præstent, ut Hieremias alicubi testatur: deinde se pro uictima offert, ac patri Deo immolat, non per sanguinem hircorum ac uitulorum, sed per proprium semel in sanctã ingressus redemptionem expediens. Tertiò sic aduocatum & salutis nostræ arbitrum agit apud Deum patrem, ut ipse ad parẽ cum eo maiestatem constitutus, mittere intelligatur paracletum spiritum, per quem sentiamus non solum nos reconciliatos Deo, sed etiam eodem spiritu reges & sacerdotes, hoc est hæredes & dominos omnium effectos.

Immaculatum Domino.] Addit Hebræus, לחטאת ad peccatum, id est ad piaculum. Apostolus seruat Hebræã uocem, cũ Christum peccatum uocat; id est hostiam piacularem peccatum expiantem.

Inferens illum in tabernaculum.) Secus fit in holocausto & uictima de pace, quæ una est dissimilido. Ratio sanctis nota.

Cumq; tinxerit digitum.) Quem digitum is digitus notet, satis notũ ex illo: Digitus Dei est hic. Item, Si digito Dei eijcio. Hoc sacri spiritus digito sanguis efficax est, ad purgandũ peccatũ, de quo sequit:

In sanguinem.) *Veritas in sanguine illo piaculari, de quo his uerbis Apostolus:* Per quem habemus redemptionem per sanguinem ipsius.

Septies.] *Apud Iesaiam explicatur arcana ratio in septem illis spiritibus purgatorijs qui residem in sanguine surculi enati ex stirpe Isai.*

Coram Domino.) *qui præsens ad propitiatorium testimonium dat piacularem hostiam sibi placere de qua apud prophetam dicit:* Propter scelus populi mei percussi eum.

Contra uelum sanctuarij.] *intra quod propitiatorium tegens arcam repositum erat, in quod sanguis sparsus respiciebat. Itaq; Apostolus propitiatorium cum sanguine coniungit his uerbis:* Quem proposuit Deus propitiatorẽ per fidẽ in sanguine ipsius.

Super cornua altaris thymiamatis.) *Alia dissimilitudo. cur uictimæ piacularis sanguine ara suffitoria imbuta sit, ratio sanctis non obscura, & suprà indicata.*

In basim altaris.] *In ara uictimaria circunfundi tur sanguis holocausti, in expiatoria hostia sanguis ad radicem funditur.*

Et adipem.] *Partium adolendarum explicatio. Qua in re conuenit huic hostiæ cum uictima de pace. Neque ut in holocausto fit, hæc uictima membratim dissecatur.*

Offeret pro peccato.] *In uerbo* חרים *ad leuandi morem respicitur, quo Christus in crucem exaltandus repræsentabatur. de qua exaltatione is ipse:* Et ego si exaltatus fuero à terra, omnes ad me trahã.

Pellem uerò.] *quæ in hoc sacrificio non cedit sacerdoti, ut in holocausto.*

Efferet extra castra.) *secus quàm fit in uictima de salute, & in holocausto. Tria castra erant: unum tabernaculi, alterum Leuitarum, tertium reliqui populi. in nullo horum uictimæ piacularis, corium, caro, fimus, & reliquum corpus exceptis uisceribus cremata sunt. Ratio pijs nota. opprobrio notanda erat uictima, quæ opprobrium peccati erat absterstura. Quid enim ignominiosum magis, quàm extra sanctorum cœtum mactari & indignũ reputari hostia quæ moreretur in sinu ciuitatis diuinæ. Itaque propheta de opprobrio hostiæ nostræ loquens, his uerbis picturam ueteris uictimæ explicat:* Et nos reputauimus eum quasi percussum à Deo. *Primò igitur nos hic discimus quanta fœditas sit peccati, quæ in cœtu populi Dei, nisi uictimæ innocentis sanguine et morte expurgari non posit. deinde declaratur precium & meritum hostiæ piacularis, quæ deriuato in se nostro delicto & opprobrio, nos noxa & exitio liberat. Postremò beneuolentiæ Dei erga nos magnitudo ostenditur, qui ut nos salui redderemur, qui eramus perditi, filio unigenæ non pepercerit, qui eum peccatũ, qui peccatum non fecerat, & maledictum qui natura benedictus erat, pro nobis reddiderit.*

In locũ mundũ.] *Nam erat & locus immundus in quem lapides lepra notati proijciebantur. Item locus cadauerum sepulcris & excrementis destinatus.* Vbi cineres.] *De his infrà cap. 6.*

Quòd si omnis turba filiorum.) *Genus sacrificij quo publica ciuitatis noxa expiatur, quod à priore non differt.*

Ignorauerit.) *Afferendum huc discrimen delictorũ, ut alia sint ἀτυχήματα, alia ἁμαρτήματα, alia ἀδικήματα. De quib. in Exodo copiosius diximus. Notanda etiã dissimilitudo peccatorũ quã ostendit Dominus apud Euangelistã, ubi quandam noxam condonabilem, quandam non condonabilem dicit. Iotem Ioannes de eo qui peccat ad mortem, & non ad mortem.*

Et ponent seniores.] *Senatores loco populi.*

Si peccauerit princeps.] *Genus hostiæ qua magistratus noxa expiatur, in quo quædam consentiunt cum prioribus sacrificijs, quædam dissentiunt.*

Hoc cum de capris.) *Dissimilitudo in delectis hostijs. suprà deligitur iuuencus, hic hircus, qui conuenit in principem. Duces enim & rectores in sacris literis hircis comparantur, ut legimus apud Zachariam: Super hircos uisitabo.*

Vbi solet mactari holocaustum.] *Similitudo.*

Tangens cornua altaris.) *uictimarij, non suffitorij. De sanguine hostiæ pro principis delicto mactatæ, neque in tabernaculum infertur, neque eo ara suffitoria conspergitur: in quo dissimilitudo cernitur. quòd cornua uerò aræ uictimariæ sanguine imbuuntur, in eo similitudo. Aræ cornua sanguine imbuebantur, qua pictura significauit diuinus spiritus aram diuinæ cœlesti sanguine præditæ uim & potentiam, cuius uictricibus cornibus peccatum, mors & potestas mortis & tenebrarum uincantur. Ad quam insuictam potentiam repræsentandam, commodus erat hircinus sanguis, quo adamantis indomitæ alios gemmæ uim frangi in rerum historia est. Tam apta præludia ac progymnasmata rerum cœlestium in his alibus sacrificijs exerceri solita sunt.*

Adipem uerò adolebit.) *Quod etiam in reliquis sacrificijs fiebat. sed quòd eorum caro, caput cesserit sacerdoti, in eo dissimilitudo fuit, qua hæc uictima differebat à uictima aut sacerdotis, aut populi.*

Rogabitq; pro eo sacerdos.) *Sacerdotale munus, supplicare de noxa Deo. Si Christum sacerdotẽ respectes, legis apud prophetam:* Et pro sceleratis rogabit. *Item apud Ioannem:* Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. *At differentia hic spectatur non exigua. Legalis sacerdos precabatur quidem, sed noxam ipse non remittebat. Is autem noster sacerdos & orat & gratiam delicti facit per eam potestatem quam ipse homo & qua parte homo est, à resurrectione accepit. Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Perfusa enim est humana natura in Christo regali & sacerdotali oleo diuinitatis, ut omnia paria cum patris potentia, sapientia, uita, gloria habeat.*

Quòd si peccauerit anima.) *Periphrasis priuati hominis* נפש אחת מעם הארץ *genus uictimæ priuati hominis noxam expiantis. Hæc differt à princi-*

pis

pis uictima in delectu animalis immolandi. Nam magistratus hircum offert, priuatus capram aut ouem. Alter enim populum regit, alter regitur ac imperio paret, ut caprarum grex hirco aut capro paret. In cæteris consentiunt. in capro mare magistratus officij sui admonetur, in capra fœmina populus qui paret. Alluditur hic ad αἴγὸς γαμικὸν, quæ ciuilis imperij imaginem præfert, in quo magistratui populus paret, ut marito fœmina cum liberis ex diuina sententia parêre debet. Duo memorabiles loci notandi hic fuerint: unus est, nullis humanis studijs delicta lustrari, sed uictima piacularj: alter, latißimè patêre expiandi usum in omne genus humanum. Hic enim quatuor hominũ genera commemorantur, sacerdos, ciuitas, princeps, priuati homines, quibus omnibus impetrandæ ueniæ uia per uictimam aperitur. Verum igitur illud: Deus uult omnes homines saluos fieri. Cæterùm quamuis diuersa hic uictimarum genera traduntur, hæc tamen diuersa non sunt, si rem, id est ueram illam uictimam peccata mundi expiantem, spectes, in quam omnia tanquam in scopo collimant sacrificia.

Cremabit super altare incensum Domini.) על אשיים super incensa, præter reliqua quæ quotidie Deo adolentur sacrificia. Paraphr. על קורבניא.

Rogabitq; pro eo.] in בפר עליר precatio expiatoria uictimæ sanguine uixa, continetur.

IN CAPVT V.

Si peccauerit anima.] Generatim expiandæ noxæ ratione explicata, formas aliquot delictorum recitat.

Et audiuerit uocem iurantis.) אלח aut execratio est, aut iuramentũ. Contrahere noxã qui uel dictũ aliquod execrabile, cuius cõscius sit, audierit, & tamẽ non indicauerit: aut qui temerè, falsóq; iuramis iusiurandum celauerit: aut iuramento à magistratu obstrictus, ut quæ scelera nouit, in alio indicet, non indicarit, rei amore, uel aduersarij odio commotus. Locus declarat nõ solum cauendum esse, ne nos delinquamus, sed etiam curam adhibendam, ne alij delinquentes suo crimine cuiq; fraudi sint. Præterea non solum cũ Dei nomine inaniter abuti qui peierat, sed etiam qui ad falsum aliorũ iusiurandũ conniuet, diuini nominis dignitatẽ uiolatã nõ uindicans. Hanc legem aliqua ratione explicat his uerbis Christus: Si peccauerit in te frater tuus, eũ inter te & ipsum argue: si te non audierit, adhibe testes: quòd si nõ audierit eos, dic Ecclesiæ.

Nisi indicauerit.) aut ipsi reo eo reprehenso de noxa, aut ijs quibus conueniat indicare, parentibus, morũ magistris, oraculorũ Dei ministris, magistratui.

Portabit iniquitatem suam.) in noxa erit, pœnam luet peccati. More scripturæ crimen pro pœna criminis.

Anima quæ tetigerit aliquod immundum.) Alia forma. De immunditia in quo posita sit, quæq; res immundæ ac impuræ habeantur, de eo mox infrà.

Reptile.) שרץ nomine accipiuntur omnia humi serpentia & repentia.

Et protulerit labijs suis.) inconsideratè ac temere. Alia delicti forma.

Agat pœnitentiam.) רחחרדח confitendi uerbum. Noxam non expiari, nisi qui eam commisit, confiteatur se peccasse. Tam necessaria est confessio peccatorum ad impetrandam culpæ ueniam, non illa curiosa absurdaq; à bestia quæ ex terra nata est, excogitata, sed qua propheta Dauid usus est: Tibi soli peccaui, & malum ante te feci, miserere mei Deus pro magna misericordia tua. Tradunt interpretes morem fuisse, ut qui deliquisset, manu capiti immolandæ hostiæ imposita, & ea inter cornua inserta, in hæc uerba culpam confitens precaretur: Deliqui coram te, criminis commissi me pœnitet, quod obsecro, Domine, mihi pro clementia tua remittas.

De gregibus.) Si nostram hostiam spectes, de grege Ecclesiæ Christus delectus est, qui ex nostra carne natus, nostræ carnis ferret infirmitatem, nobiscum citra peccatũ per omnia similiter tentatus. Hinc propheta: Morbos nostros ipse tulit.

Agnum.) Hebæus fœminæ meminit. Solet interdum mas, interdum fœmina offerri. In mare uictimæ expiantis uirilis uis spectatur, in fœmina offerentis à peccato conditio. Nos legimus illud Apostoli: Adam non fuit deceptus, sed mulier seducta, obnoxia facta est transgressioni.

Sin autem non potuerit.) Explicatis quibusdam delictorum formis, redit ad institutum, monens si desint pecora, quæ res ad abolendam culpam offerri debeant. Vbi inopibus consulitur, ne ullum genus hominum sacrificio careat, quo culpa deleatur. לא תגריע ירד די שח. Non attingere manum pecus, est non supplere pecus, aut deesse cõparando pecori facultatẽ.

Offerat duas tutures.) Omittit interpres אשבר culpam suam, id est pro commissa culpa uictimam. locus in quo אשם pro חטאת accipitur.

Qui primùm offerens.) חטאת, id est piaculare uictimã holocaustum præcedit, ratione nota in Christo & corpore Ecclesia.

Et torquebit caput eius.) Heb. Hostiæ caput secundum ceruicem interquendum, non auellendum, ut uictimis ex animantibus terrestribus delectis auellitur in sacrificio. ex uolucre caput non auellitur à corpore. Rationẽ expendãt sapientes. Primò notatur cœlestẽ hominem Christũ oblatũ pro piaculari uictima non perire in morte, sed per hunc eum in uitam proficisci, capite, hoc est potestate quam in peccatum, mortem, infernum habet, non conuulsa. Deinde significatur, hunc cœlestem hominem ut caput, siue mortuus sit, siue uiuus, à suo corpore, hoc est Ecclesia nõ auelli maxima piorum consolatione. Porrò in Cantico Canticorum Salomonis occurrit columba Ecclesia, cuius caput Messias sic canit: Vna est columba mea.

Partẽ Ephi decimam.) De mensura suprà. Decimã Ephi partem Gomor continebat. Gomor autem diurni cibi mensura fuit, quæ à Græcis χοῖνιξ appellatur. Tantum offerri iußit legislator, quantũ homini in dimensum diurni cibi satis esset. Farinæ puræ et

fermento carentis oblatio quem adumbret, & cuius officij litantem admonuerit, notum. Nec caret denarius numerus sua ratione.

Non mittet in eam oleum.) Oleo exhilarans uis qua corpora calore suo foueat, & mirificè confirmet, tribuitur. de qua ui Psalmus: Vnxit eum oleo lætitiæ. At utrumque deest piaculari hostiæ & hilaritas, & robur. Christum enim si spectes, submota umbra, de huius mœrore & doloribus legimus apud prophetam: Et dolores nostros ipse portauit, qui de se dixit: Tristis est anima mea usq; ad mortem. De infirmitate uerò idem propheta: Et Dominus uoluit conterere eum in infirmitate. Ad hæc si offerentes expendas, hostia pro peccato, oleo caret, ut quibus in luctu & asperitate litandũ sit. Cõsiderato Ecclesiam, huius membra ut in luctu & mœrore pœnitentiam agant, satis manifestum ex illo Apostoli: Siquidem simul cũ eo patimur, ut unà cum illo glorificemur. Præterea oleũ ardet, & ardendo lumẽ plenũ iucunditate præbet: quo carẽt qui in tenebris rerũ aduersarũ uersant.

Nec thuris aliquid.) in quo adumbretur oratio. In summo dolore cũ esset nostra uictima, destitutã se præsidio diuino cõquestam cognoscimus: Deus meus quid dereliquisti me? Cæteris muneribus ex farina oleum & thus non desunt, huic generi pro delicto desunt. Sic etiam abfuit sacrificio zelotypiæ.

Locutusq; est Dominus ad Mosem.) Cum duo sint expiatoriæ uictimæ nomina, unum חטאת, alterum אשם, quamuis interdũ alterum pro altero accipiatur, tamen inter ea suã dissimilitudinem licet cernere. Nam אשם hoc in loco, ut rectè nonnulli monent, pro eo sacrificio sumi uidemus, in quo præter uictimã qua culpa expiatur, etiam is qui deliquit, ei satisfacere soluta mulcta iubetur, quẽ per imprudentiã defraudauit, cum in חטאת suprà sola expians hostia nulla indicta mulcta spectata sit. Nec caret hoc genus suis formis. Nam inter has quædam est eorum delictorum, quibus Deo sacra defraudantur, quædam quibus in homines studio à nobis circũuentos iniurij sumus.

Si præuaricans.) מעל interdum errore peccare est, ut hoc loco, eyn miß griff thun: interdũ malo dolo agere, aut fallere, ut mox inf. ומעלה מעל ביחיח. Sic legitur de adultera fallente fidem erga maritum. ומעלה בו מעל. Et de Israelitis adulterium cum dijs alienis committentibus uiolata coniugij cum Deo contracti fide. וימעלו באלהים אבותם Itaq; paraphrastes hic שקר habet. Arbitrantur igitur nõnulli מעל à מעיל deriuatum. Quod ut uestis corpora contegit, ita qui malo dolo agunt, suam noxam celent ac fuco tegant.

Quæ Domino sunt sanctificata.] Vt cum imprudenter aut oblitione primitiæ uel decimæ, aut siue sponte, siue uoto Deo sacrata non persoluuntur, aut temerè interuertuntur.

Offeret pro delicto suo.) אשם delictum pro noxali hostia. Quod uerbum Iesaias huc spectans quoque usurpat. אם תשים אשם נפשו. Si posuerit delictum animam suam. id est, Si pro delicto exposuerit uitam tanquam expiatis uictima & pro nobis satisfaciẽs iustitiæ diuinæ persoluta mulcta æternæ mortis, quæ nobis imposita erat, quod est אשם.

Arietem.] inter uepreta Abrahamo uisam, qui immolaretur Deo pro Isaaco. Is aries, qui Christus erat, aduersus peccatum cornibus arietans, uictoriã de hostibus suis reportat. de qua propheta: Et fortium diuidet spolia.

Duobus ficlis.] Dualis numeri שש לרם est. Precium duplicis naturæ in Christo, humanæ & diuinæ innuitur, quod pro luenda noxa persolutum est: altero siclo peccatum per mortem carnis expiante, altero iusticiam per resurrectionem diuinæ naturæ ui confectam largiente. Duos hos sacri ponderis siclos explicat Apostolus his uerbis: Qui traditus sunt propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri. Nã uraq; natura in Christo, humana & diuina: in hoc expiandi & soluendi mulctam usu restituto quod fraude ademptũ fuerat, spectatur. Denotatur item in duobus sielis duplex homo in ipso pro quo noxali hostia litatur, exterior & interior uterq; expiandus à noxa, & pro utroq; mulcta soluenda intelligitur.

Ipsumq; quod intulit damni restituit.] res sacræ interuersa.

Et quintam partem.] Quæ sit ipsa summa restituenda, & quinta pars addẽda, norunt qui quæ in cõsecratis Deo reb. accipiantur, intelligunt, φύσις, sola ἀνθρώπου, νῦς, quæ in homine sacranda Deo uniuersitatem rerũ ambiunt. Hæc detracta Deo, redde da sunt quinta parte addita, quæ in spiritu Messiæ sacro cernitur, quo omnia in nobis ad gloriã Dei accõmodantur: sin homines ipsos, qui secundũ Deũ nobis colendi sũt, spectes, charitas occurrit qua omnia quæ in nobis diuina bonitas deposuit, in usum alterius cõuertuntur.

Anima quæ peccauerit.] Aliud genus delicti, quod in sacrata Deo cõmittitur. Arbitrãtur id esse cũ ignoretur sacrum ne Deo sit quod auertitur, an secus.

Anima quæ peccauerit.) Alterum genus delicti quo in hominem delinquitur, eius uel depositi, uel cõmissis bonis defraudatis. Peccatur in hoc genere aduersus legem, Ne furator.

Et contempto Deo.) quem putet latère fraudem, qua alterum circumuenit cogitans cum illis quos Psalm. taxat, Quis uidebit nos? Huiusmodi מעל unus it. locus etiam monet, si in homines fraus cõmittatur, in Deũ quoq; cõmitti. Nec id mirũ, quòd homines proximi sint Deo diuini generis & originis communicatione. Quam illorum dignitatè declarat architectio, de qua his uerbis in Genesi: Faciamus hominem ad imaginem nostram. Huc spectans Ioannes dicit: Et hoc præceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Itaque ex contrario concluditur, cum qui odit & lædit alterum, Deũ quoq; odisse & lædere, propter affinitatem qua humanum genus Deum attingit. Quod Moses legislator his uerbis innuit: Si quis noxam commiserit in Deum, & depositum alteri negauerit.

Extor-

Extorserit.) עשק & גזל *id est rapina & fraus, scelera sunt, quæ præcipuè detestatur Deus.*

Peierauerit.) *delinquens in legem primæ tabulæ: Dei tui nomen inaniter ne adhibeto.*

Et dimittetur illi.] *agenti pœnitentiam, & fideli merito noxalis uictimæ. Itaq; Deus per Ezechielem his uerbis pœnitentiæ impiorum usum explicat: Si dixero impio, Morte morieris, & egerit pœnitentiam, pignore restituto, et rapina reddita, uiuet, & nõ morietur. Rectè ergo quadã dixit: Nõ agi pœnitẽtiã, si res sublata non restituatur, si restitui quidem possit, sed fingi. Laudatur Zachæus, qui sic dixisse legitur: Si quem defraudaui, reddo quadruplum. In hoc exemplo contemplentur se sœneratores, oppressores pauperũ, & tyranni orbis terrarum, ut cum Zachæo pœnitentiã agentes, ijs quos spoliarunt, satisfaciant, quo in uictimæ sanguine ueniã noxæ supplicatore sacerdote impetrent, cius uidelicet uictimæ sanguine freti quæ amãter Zachæũ allocuta est his uerbis: Et cũ uenisset ad locum, suspiciens Iesus uidit illum, dixitq; ad eum: Zachæe, festinans descende, quia hodie domi tuæ oportet me manere. O quàm consultũ foret nostris fœneratoribus, ut ea cõditione essent qua Zachæus fuit.*

IN CAPVT VI.

Haec est lex holocausti.) *Generibus sacrificiorum generatim explicatis, iam eorum ratio & ritus accuratius exponitur, indicatis quæ suprà omissa sunt. Atque holocausti quod primò tractare cœperat explicationem retexit. At cum bipartitum sit holocausti genus, unum adumbratum, alterum expressum & uerũ, in utroq; hæc fuerint notãda: Res immolanda, ij qui immolant, ara, ignis cremans, & uictimã in suã naturã cõuertens, cura cineris, & utilitas quã uictima affert. Hic ignis & cinerũ quorum suprà breuior mentio facta est, ratio præcipuè habetur.*

Cremabitur in altari.) *Suprà in Exodo legimus, ut iusserit legislator duos agnos quotidie offerendos esse, alterũ in matutinum, alterũ in uespertinũ holocaustũ. Quæ lex hic repetitur & explicatur. Vespertinũ in rogo super aram debere flagrare totã noctem usq; ad mane. Atq; hoc iuge sacrificium sumptu publico fiebat, de quo Exodi 30. Matutinũ præcedebat omnia reliqua sacrificia, quibus illo die litabatur, ut uespertinum omnia claudebat.*

Ex eodem altari.) *Hebræus: In ara ardeat.*

Vestietur tamen sacerdos.] *Expenduntur qui uictimam procurant. Hi sacerdotes sunt sacris uestib. induti. De hoc uestitu suprà in Exodo. At ut duplex genus sacerdotij est, ita duplex uestitus cernitur: alter mysticus, qui hic memoratur: alter uerus, de quo Apostolus: Quotquot baptizati sunt, Christũ induistis. Atque ut in lege unus aliquis summus sacerdos erat, reliqui inferioris notæ: sic in tempore patefactæ gratiæ summus sacerdos agnoscitur Christus. cæteri qui illi per fidem inseruntur participatu unctorij spiritus, sacerdotes sunt: Christus pro עולה se immolauit. Nos partim Christũ per fidẽ Deo offerimus, cũ credimus hunc uictimam nobis proponi ad placandam iram diuinam: partim nosipsos hostiam ardentẽ igni immolamus, conformantes nos ad imaginem mortis & resurrectionis capitis Christi. Quæ formæ mortis et excitationis ex mortuis exhibentur in עולה. De quibus formis his uerbis apostolus: Quoniã quos præscierat, eosdem & præfiniuit conformes imagines filij sui.*

Tollesq; cineres.) *Arbitrantur nonnulli partẽ cineris in תרומה leuatam, quò putant pertinere uerbum רחרים. Quo ritu indicabatur pro sanctis relinquijs habendos esse cineres.*

In loco mundissimo) *In locum purum exportandos cineres, ut in quibus oleũ, sal, ignea uis gratissima Deo, ut norunt naturæ periti homines, insint. Qua figura admonebantur resurrectionis uictimæ Christi, & sanctorũ in Christo ignea & cœlesti uitam quam ex cineribus occultam uitam excitandam. Is locus erat paratus extra castra tantisper dum uersarentur Israelitæ in solitudine Arabũ, & ut hi ingressi sunt in Cananæam, & templum à Salomone extructum est, extra Hierosolymam mundus is locus cineribus fuit destinatus.*

Ignis autem in altari semper ardebit.] *In quo lux, perennis calor, purgãdi, coquendi, purgandiq; uis inest. Sed in hoc igni adumbratio, in altero res ipsa apparet, cuius luce, calore, probãteq; ui quæ in afflictione cernitur, quibus עולה absoluitur. si igneam lucem spectes, legimus de luce: Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt: si calorem purgãtem cõsideres, legis apud prophetam: Cum abluerit sordes filiarum Ziõ spiritu ardoris: Si demum flammeam afflictionũ uim probantem & examinantem, occurrit illud: Igni me explorasti, & non est inuenta in me iniquitas. Hoc est, comperisti me tibi tot asperitatibus rerum aduersarum uexatum, per fidem adhæsisse, neq; unquam diffidentem tuæ bonitati à te auulsum. Harum rerũ, lucis uidelicet, caloris, & crucis admonemur in holocaustorum igni. Nõ minus igitur afflictiones quibus uctus homo crematur, gratæ nobis sint, quàm lux illa læta, eiusq; animans fouensq; ad nouam uitam calor. Legimus enim illud: Et quòd per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum Dei.*

Quem nutriet sacerdos.) *Si nostrum ignem consideres, is concionibus de crucifixo Christo & usu afflictionum fouetur & alitur: ut contrà sopitur & languescit, si desint prophetæ, & absit uexatio, omnibus ex sententia ueteris ac terreni hominis affluentibus. Iuxta illud: Ineraſſatus est dilectus, & recalcitrauit, dereliquit Deum factorem suum, qui ignis lucens, ardens & consumens nostri holocausti est. Morem conseruandi ignis gentes secutæ sunt. Romæ enim Vesta libus uirginibus perpetui ignis nutriendi cura mandata fuit. Chaldæos ignem pro Deo coluisse tradunt, à cuius, quem Vr uocant, cultu liberatum Abrahamum fatentur sacræ literæ; sed alia ratione profanæ gentes, alia Israelitæ hunc cultũ persecutæ sunt: hi in Christo, illi extra hunc. in alteris igitur uanitas, in alteris ueritas cernebatur.*

Hæc est lex sacrificij.] *Repetit legem dapalis sacrificij, quæ suprà exposita est: sed summatim hic quædam quæ ad ritum pertinent, suprà omissa, plenius*

nius explicantur. Vt uidelicet sacerdotes tantum, consecratos mares, non fœminas in loco sancto, non quouis, comedere sacrosancta fas fuerit.

Filij Aaron) non alieni. Typus notus & Aaronis, & filiorum eius.

In atrio.) Extra sanctorũ Ecclesiã panis usum nullũ esse, qui de se dicit: Ego sum panis ille uitæ.

Ideo autem non fermentabitur.) Leges de fermento, melle, sale, suprà explicatæ sunt.

Mares tantum.) Submoto uelo, uirorũ aduersus carnem, mundũ, satanã pugnantiũ, cœlestis panis ille consperſus oleo, sale, thure cibus est, non molliũ & in pugna tergiuersantium: sed in his uiris neq; masculus agnoscitur, neq; fœmina, sed noua creatura, ut habet illud: In Christo nec masculus est, nec fœmina.

Sanctificabitur.) nõnisi consecratis sacra tractãda. Depositio typo pædagogiæ, quos uictimã noui fœderis offerre, eaq; uesci fas sit, notum. Huc neq; rasus uertex, neq; putidũ oleũ, neq; quẽ tineæ corrumpant, uestitus quicquã fecerit, sed unctio illa, de qua Ioãnes: Vnctio docebit uos omnia: et amictus de quo uates: Sacerdotes tui induentur iustitia, quæ Messias est, de quo Apostolus: Christum induistis.

Hæc est oblatio Aaron & filiorum eius.) Descripto generali dapalis muneris ritu adiungi soliti eũ holocausto, speciatim de Minha iam ab eo qui patri in pontificatu succedit, offerenda legem tradit.

In die unctionis.) De qua mox, et suprà in Exodo. Hæc dies octaua erat consecrationis Aaronis dies.

Calidam.) Coctã & comminutam Hebræus habet. De quo ritu uideris suprà. Qualis ignis sit quo nostra Minha coquitur, satis notũ ijs quibus Christi mors & resurrectio fide patefacta est.

Tota cremabitur.] Quod in cæteris dapalibus sacrificijs non fiebat.

Ita est lex pro peccato.) Explicatur ritus solennis in hostia piaculari obseruandus. Quædam quæ suprà omissa sunt, hic exponuntur.

Sacerdos qui offert.) מחטא qui expiat spargẽs sanguinem piacularis hostiæ.

Comedet eam.) cum sint quatuor à personis distincta genera hostiæ piacularis, hic de uictimis loquitur, quæ pro principum uirorum aut priuatorũ hominum delicto expiando immolabantur, quæ totæ cremari solitæ non sunt.

In loco sancto.) fructu afflictionum Christi extra Ecclesiam non manante.

Si de sanguine illius uestis.] ne profanetur sacrosanctus sanguis.

Vas autem fictile.] Duo genera uasorum sunt, in quibus coquitur caro sacræ uictimæ. Vnum fictile, ex terra: alterum æreum, ex metallorũ genere: hoc non frangitur, sed detergitur, illud frangitur. Nos legimus apud Apostolum de duplici homine: Quamuis extemus homo noster corrũpitur, internus tamen renouatur in dies singulos. In metallis enim uim inesse igni resistentem partim aurum et argentũ, partim cætera metalla declarãt. Nã hæc quamuis impura sint, mercurium tamen & sulphur cõtinent ad firmam & igni minimè consumendam naturã diuina sacri lapidis medicina purgentur, non sine certa significatione nostri cœlestis lapidis Iesu Christi, quo in hoc seculo interior homo uas nõ fragile à suis uitijs expiatur, hoc mine exteriore fictili uase confringendo, & in pulverem terræ ex quo fictus est, redigendo.

Hostia quæ cæditur pro peccato cuius sanguis.] ut est hostia quæ pro pontificis aut Ecclesiæ delicto immolatur.

In sanctuario.) In tabernaculo quod קדש hic dicitur collatũ cum atrio, sic etiã pars quæ intra uelum est quoq; קדש appellatur respectu reliqui tabernaculi, iuxta illud: ריצא אחרן אל קדש. Tãto quæq; sanctiora sunt, quanto propiora propitiatorio.

Sed comburetur igni.) Parte in ara atrij crematã, parte extra castra ad cinerarium incenja.

Hæc quoq; est lex pro delicto.) Quid interfit inter חטאת & אשם suprà explicatum.

Offerent ex ea caudam.) arietis. Hæc cũ ijs quæ sequuntur suprà omissa hic exponuntur.

Vescentur his carnib.) Veritas in esu carnis de qua illud: Caro mea uerè cibus est. Hac uescuntur sacerdotio initiati. Itaq; hic, Omnis masculus, de sacerdotali genere.

Sicut pro peccato.] Hebræi in comparando deficiant suum caph באשם בחטאת. Vtriusq; hostiæ eandem rationem ac ritum esse, si spectetur usus uescendi reliquijs. In delectu discrimen cernitur. Nam אשם constat aricte, חטאת uerò boue, capra, hirco.

Sacerdos q̃ offeret holocausti uictimã.] Hic additur quod suprà de pelle omissum fuit, pellẽ hostiæ cedere sacerdoti. Nos legimus illud: Christũ indutis.

Omne sacrificium si mihi.) excepto frito quod in die quo ungitur, summus pontifex, offertur.

Siue arida.) Vt erat Minha cum piaculari hostia oblata, item Minha zelotypiæ.

Cũctis filijs Aaron.] Is erat uictus sacerdotum, qui terræ Chananææ portione carerẽt. Hic monemur interprete Apostolo, par esse ut ij qui in sacrario operam nauant, ex sacrario uiuant. Deinde Christũ quod præcipuè hic spectandũ, cõmunicare ijs qui per fidem ex ipso nati suat, uitã, gloriã, cœlestiũ hæreditatẽ. De hac cõmunicatione his uerbis Paulus: Qui proprio filio nõ pepercit. sed pro nobis omnib. tradidit illũ, quis fieri posit, ut nõ cum eodẽ omnia nobis donet? Huc uocatur & sacrificium: Sed pro nobis tradidit illum, et usus sacrificij: qui fieri potest, &c.

IN CAPVT VII.

Hæc est lex pacificorum.) Quædam suprà sue genera, siue ritum, siue usum spectes, prætermissa hic explicantur.

Si pro gratiarum actione.) Duplex genus sacrificij pro salute est: alterum תודה, id est quod laudis ergò offertur, quo celebrantur beneficia à Domino accepta ad declarandam animi gratitudinem: alterũ genus est נדר או נדבה id uotiuum sacrificium aut uoluntarium dicitur, quod pro fruendo beneficio nondum accepto, sed sperato offertur. Vtrumq; genus ualdegratum est Deo. Alterum propter tum priuatam, tum publicæ

blicam de acceptis beneficijs gratitudinem ac gratiarum actionẽ. De quo illud: זבחי זבח תודה, id est immolate victimas laudis ac gratitudinis. Alterum uerò propter inuocationem Dei, in qua præcipua gloria illius agitur. de quo idem Psalmus: Et redde altissimo uota tua, & inuoca me in die uexationis, & eruãte, & amplificabis me. In quo autem duo hæc genera differant & conueniant, de eo mox dicemus.

Offerent panes absq; fermento.] Tria genera placentarũ hic numerantur, solita cum victima de salute offerri חלות ראיסי סלת Accedit his panis fermentati libatio. Hunc morẽ, profanæ gentes imitatæ, omnibus sacrificijs adhibuerunt libã salsam. Hinc ille: Ante deis homines quod conciliare ualeret,

Far erat, & puri lucida mica salis.

Panes quoq; fermentatos.) Sententia est, cũ placentis etiam panis fermentati libationẽ esse faciendã, על pro עבשרים usurpato, ut in illo ריבראר האבשרים על supra fermentum reprobatur, hic probatur. Pugnantia hæc non sunt. Prohibetur ad adolendum Domino in ara, admittitur autem in cibum sacerdotibus. Illic monemur, gratum non esse ad sacrificium Domino fermentum ueteris naturæ: hic uerò commendatur nouæ naturæ fermentum, in victum sacerdoti, cuius Christus meminit: Simile est regnũ cœlorum fermento, quod acceptũ mulier abscondit in farinæ satis trib. donec fermentaretur totũ. per hæc tria fata pij homines uolunt significari terrarum orbem tribus partibus Europa, Asia, Africa distinctum fermentantis Euangelio sono repleri. Hoc sacri spiritus mortificantis uetere hominem ad generandum nouum, fermentum est, quo actiones & uita sanctorum uniuersa grato Deo fermento fermentantur.

Et erit sacerdotis.) Hic monemur, minham fuisse Dei & sacerdotum, victimam de salute Dei, sacerdotum & offerentium. Holocaustum uerò solius Dei, excepta pelle quæ sacerdotis fuit: de victima autem piaculari neq; sacerdoti neq; offerentibus, quicquam cessisse, sed eius uiscera incensa Deo & reliqua extra castra cremata fuisse. Numerantur hic quatuor genera panum ex singulis generibus. Vnum, cum plures offerentur, libatum Domino, sacerdoti cedere.

Cuius carnes eadem die.] Quo ritu differebat victima gratitudinis à uotiua hostia & uoluntaria, de cuius carne licebat in alterum diem reseruare ad uescendũ, cæterum conueniebat in delectu rerum. Nam liceat boue, capra, oue, in utroq; licebat. Huius generis de salute victimæ in tres partes diuidebantur: pars una incensa Deo consecrabatur: altera, ut pectus, armusq; dexter, sacerdotis erat: reliqua offerentium. Vsus igitur sacræ de salute hostiæ latissimè patuit. Remoue uelum.

Nec remanebit ex eis quicquam.) Hodiernus dies est, de quo Apostolus: Nunc est dies acceptus, Ecce nunc dies salutis. Itẽ: Hodie si uocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Significatur maturè fructu sacrificij salutaris Christi utendum esse citra procrastinationem.

Si uoto uel sponte quispiam.] Alterũ genus sacrificij de salute exponitur.

Sed & si quid in crastinum.] Nota discriminis.

Eadem similiter comedetur die.] ab eo qui obtulit, & à familia eius, & ab omni mundo, ut mox patebit.

Ignis absumet.] non aræ.

Qui potius.) Intentatur pœna, sed genere eius nõ expresso.

Caro quæ aliquid.] Caro sacrificij.

Qui fuerit mundus.] Deposito typo, mundi sunt quos fides mundauerit. de qua mund. cit Petrus: Fide purificauerit corda illorum.

Anima polluta.) aut suo uitio, aut contactu rei impuræ. De utroq; genere infrà. sub moto typo pollu ti sunt, quos fidei spiritus mundos non effecit, quibus Christus interitum affert, ut credentibus salutem.

Interibit de populis suis.] Grauis pœna, quæ uim suam habet ex dissimilitudine illa, de qua Apostolus: Quæ concordia Christo cum Belial?

Adipem ouis.) De adipe suprà.

Habebitis in uarios usus.) ungendi & fouendi lucernas.

Sanguinem quoq;.) quòd in sanguine, ut infrà monetur, uita animantiũ posita sit. Nam sanguis spiritum illũ uitalem præbet, quo animantia spirant ac uiuunt, ut mirũ nõ sit delectũ sanguinẽ quo omnia expientur. Ad hæc partus ipsi sanguine aluntur, & cuncta corporis animati partes sanguine constant: demũ propter caloris uim & igneam cœlestemq; naturam quam sanguis habet, multũ ei cum igni illo sacrificiorum perfectore conuenerit. Sed si uerè iudices, in sanguine animantiũ umbra cernitur, in illius sanguine res expressa. qui dicit: Qui sanguinẽ meũ biberit, habet uitã æternã. In hoc igitur sanguine residet spiritus uitæ æternæ: in sanguine pecudũ terrenæ, mortalis et animalis. De qua his uerbis Apostolus: Animalis homo non nouit ea quæ Dei sunt. item Christus: Caro & sanguis tibi nõ patefecit. Probibitus igitur est ad cibũ sanguis animantiũ ad admonendũ in pædagogia legali de sanguine, qui potus uerã uitã præstat credentib.

Tam de auibus quàm de pecoribus.) piscium sanguine non prohibito. Adeps bouis, capræ & ouis prohibetur ad uescendum, hoc est animantium quæ Deo immolantur: cæterorum, nisi immunda sint, non prohibetur. contrà sanguis omnium animantium terrestrium & uolatilium uetatur edi.

Loquere filijs Israel.) Quæ ex victima de salute sacerdoti cedant, lege cauet.

Qui adolebit adipem.] Adipem in ara adolendũ Domino, pectus autem & armum dextrum sacerdotibus assignandum.

Cedet in primitias.) De victima cedunt præstãtia sacerdotib. munera, pectus et dexter armus: in quorum altero sapiendi & intelligendi uis posita est, ut quod ab Hebræis חזה appellatum sit, & à Græcis φρένες: in altero robur et uirtus. Si ad Christũ referas, legis illud Apostoli: Christũ Dei potentiã & sapientiam. sed quibus? legimus apud eundẽ: Qui factus est nobis sapiẽtia à Deo iusticia q; & sanctificatio et redẽptio. sed quãdo? & quomodo? Nõ antea, nec alio modo

quam per תנופה & תרומה, id est per leuationem & eius in fines mũdi conuersionẽ. De qua legimus: Sicut Moses exaltauit serpentẽ in deserto, ita exaltari oportet filiũ hominis, ut omnis qui credat in eum, non pereat, sed habeat uitam æternã. item: Deus illum in summam extulit sublimitatem. De conuersione uerò ad cardines mundi illud: Si exaltatus fuero, omnes ad me trahã, me uidelicet ad eos per euangeliũ quaqua uersum porrecto. Is est fructus longè lateq; patens sacrificij ex infimis mundi partibus in sublimitatem summam elati. Ad quem usum indicandum, sacerdotibus non prius pectus, in quo cor, uniuersi caloris & uitæ fons, positum est: & dexter armus, in quo præstantissimæ uirtutis uigor incst, cesserunt, quàm leuata quaquauersus fuissent. Dextræ animantium in minus deliguntur, ut à quibus motus oriatur, & in quibus maior caloris uis & uigor cernatur. Admonebat etiam sacerdotes ipsum pectus אורים id est lucis, sapientiæ, fidei, qua regi ipsos conueniret, cuius symbolum in Hoschẽne gerebant. Dexter autem armus תמים, id est integritatis, ut cuncta dextrè, nihil sinistrè facerent. Absurdè igitur leuandi porricien diq; ritum ut aduersarius Dei transtulerit in suum sacrum, satis notum ex illo: Hæc sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi. qui uenit ut legem Mosaicam spiritu & uita impleret, nouas quæ uersarentur in elementis mundi non conderet.

Qui obtulerit sanguinem.] eum spargens.

Et adipem.) eum adolens in ara.

Hæc est unctio.) Præmium unctorum, noto tropo.

Ista est lex holocausti.] Concludit leges sacrificiorum.

In monte Sinai.) Neque enim prius sacrificarunt Deo Israelitæ, q̃ uenissent in montem Sinam, & aram deucto Amalecho in mõte Horebo, qui Sina est, Moses ædificasset. in cæteris desertis nec uictimas obtulisse, nec pesah fecisse leguntur: nec etiam circunciſionem coluisse, ex libro Iosuæ constat.

IN CAPVT VIII.

TOlle Aaron.) Initiationis sacerdotalis ritus describitur, in quo primò quæres in illo adhibeantur, deinde quis usus & significatio, postremò quo differat summi antistitis initiatio à cæterorũ consecratione, expendendum fuerit.

Vestesq; eorum.) Res quæ in ritu initiationis adhibentur, numerantur, aqua, uestes, oleum unctorium, sacrificia.

Duos arietes.] alterum pro holocausto, alterum pro uictima de salute.

Et congregabis cunctum cœtum.] ut cui erat deseruiturum sacerdotium in reconciliando Deo.

Vestiuit pontificem.) Vestitum pontificis primò numerat, deinde reliquorum sacerdotũ. Ad Christũ pontificẽ si referas, hunc puris uestibus exornatũ constat, cuius pectus claritate & integritate, humeri humerali ueste gemmis distincta, caput regiæ & sacerdotalis potestatis insula, frons sacra corona nomine diuino, indice diuinitatis, in illo, insignita, reliquum corpus talari tunica & interula decoratur: ad hæc baltheo fortitudinis diuinæ cingitur. Hoc uestitu innocentiæ, regalisq; sapientiæ & potentiæ, eum conceptus è spiritu sancto, & partus ex uirgine induit. cuius amictus participes sunt, de quib. illud: Abijciamus opera tenebrarum, & induamus opera lucis. item: Sed induamini Dominum nostrum Iesum.

Tulit & unctionis oleum.) cuius compositio suprà in Exodo describitur.

Ac asperſisset altare septem uicibus.) in Exodo legitur utranq; aram perfusam oleo.

Labrumq;.] æreum.

Quod fundens super caput Aaron.) solitus, nõ cæterorũ. in quo discrimen cernitur. Quem caput Aaronis repræsentet, declarat illud: Et eũ dedit caput super omnia ipsi ecclesiæ. Hoc caput primò diuino spiritu inunctũ indicat Ioannes: De plenitudine eius omnes accepimus. item: Cui dedit pater spiritũ sine mensura.

Obtulit & uitulũ pro peccato.) Tractat initiatoria sacrificia, q̃ quatuor erãt. piacularis iuuencus, aries holocausti, aries de salute, Minha cũ libaãmine uini.

In frusta concident.] pro more holocausti.

Tetigit extremum auriculæ.] De mysticæ significationis explicatione in Exodo cap. 29. Solum uictimæ de pace sanguis dextris auriculis & pollicibus manuum & pedum aspergitur. Qui intelligum illud: Nondum enim erat spiritus sanctus, quia Iesus nondũ erat glorificatus, cognitum mysterium habent.

Assumensq; unguentum & sanguinem.) Coniungitur unguentũ cum sanguine, quòd in utrisq; eadem natura similitudo, & affinitas quædam naturæ. si sanguinem consideres, in hoc suam aquam, spiritũ & ignẽ reperias: sin oleũ ex quo unguentũ sacrosanctũ fit, pariter hæc tria in eo inueniuntur. Nam qui olei naturã explicãt, tradunt in eo aqueum humorem & spiritum igneum inesse. ut autem hæc tria, aqua, spiritus, ignea uis, omnium eorum quæ spirant, tanquam primordia præcesserũt: ita aqua cœlestis, spiritus sacer et igneus eius uigor in regeneratione adhibentur, quib. confici tur sacrosancti sacerdotij initiatio. Itaq; sanctus Ioannes cum sanguine coniungit aquam & spiritum, cum dicit tres esse qui testimoniũ dent in terra de Iesu. eũ esse filium & unctum Dei, spiritum & aquam & sanguinem, & hos tres unum esse. Quorum in sanguine coniunctio cernitur.

Coquite carnes ante fores.) Comunij sacerdotalis ex sacrificio שלמים & panũ descriptio. Depone uelum. Hæc de ijs breuiter quæ in ritu initiationis sacerdotũ adhibita sunt. Quam autem eorũ intelligentia nobis utilitatem afferat submota umbra ueteris Testamenti, satis notũ. Nam & sua aqua lustralis, suus uestitus, suum sacrosanctum oleum, sua sacrificia in cõsecratione sacerdotij noui fœderis cernuntur. De quo sacerdotio illud: Vos estis gens sancta, regale sacerdotium. Qua de re suprà in Exodo. Adeò ueteris Testamenti ritus sunt ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, non ἀνθρώπων τῶν πραγμάτων. Aduersarius igitur Dei quibus ceremonias transtulit ad regnum suum, tenebras quas Christo tanquã solari faci inferret, reduxit, cõstituta religione quæ nec Mosaica, quæ expirarit: nec Christiana,

sticiana quæ spiritu, non elementis mundi contineatur, sed quæ sua, hoc est profana & terrena esset. Hæc speciem quidem pietatis in loco sancto ac templo Dei ostentat, sed citra ueritatem. At hi fuci decent illã purpuratam meretricem erroris calice inebriantem omnes gentes terræ, & supra omne id quod est numen Dei se exaltantem, dum aquas suas lustrales pro gratia Dei, putre oleũ pro spiritu sancto, sordidas uestes suas pro amictu iusticiæ uendităt, & commenticijs sacrificijs ad uiuorum & mortuorum noxam expiandam pro unica & semel oblata uictima litat. Qua in re uendicato sibi in inferos medios, & superos imperio, horrenda dementatione piorum animos multis seculis ludificauit.

De ostio quoq; tabernaculi.] Extra tabernaculum nequaquã fieri initiationem sacerdotalẽ, ut quæ tabernaculo erat deseruitura. Depone typũ. In impiorum cœtu neq; sacerdotiũ, neq; sacrificium, neq; uerã unctionem, neq; lauationem, neq; uestitũ. de quo illud: Et induamur opera lucis cerni.

Septem diebus.) Videris in Exodo.

IN CAPVT IX.

Facto autem octauo die.] Dissentiunt inter se interpretes in hoc octauo die supputando. Alij hũc octauũ diẽ interpretantur de octauo initiationis sacerdotij die, & eum primũ Martij diẽ fuisse uolũt quo hæc gesta esse dicunt, secundo ex Aegypto exitus anno. Nam hoc die tradũt iussum Mosem erigere tabernaculũ, hoc est eius erectionẽ absolui, ut Exod. cap. 40. probatum est, sed quod creperit erigi in Februarij 23. die, quo etiã die cœperit initiatio sacerdotij fieri, quæ perfecta sit primo die Martij, quo & confectam tabernaculi erectionẽ & impletã consecrationẽ fuisse cõformare. Sunt alij qui uolunt octauũ diem qui hic legitur, fuisse octauũ & Martij & cõsecrationis & erectionis tabernaculi diem, quod cœpisse quidẽ erigi primo die Martij ex mandato Dei, eius aũt erectionẽ tẽpore initiationis octauo die absolutã tradunt. Atq; ita uno tempore & tabernaculum erectum fuisse & sacerdotio filios Aaronis initiatos qui rem diuinam in tabernaculo iam initiati facerent. Quod eorum munus in litatione, supplicatione & benedicendi officio cernitur. De singulis ordine.

Tolle de armẽto.] Ordine numerat sacrificia quæ iam Aaronis filij consecrati sacerdotio faciãt. primum locũ uictima piaculari, alterum holocausto, tertium hostia de salute, quartum certo ac dapali munere obtinente. Ratio ordinis aliàs indicata est.

Tollite hircũ pro peccato.) Vitulus ad expiandũ sacerdotẽ, hircus ad populi noxã luẽdã deligit. Quod fœdi fœtidiq; hirci malè audiãt in sacris. literi, id conuenit piaculi hostiæ de qua illud, Factus est maledictũ

Bouem & arietẽ.) Vitulus lasciuior, & capri fœtidi piaculari uictimæ: aries, ouis, uitulus holocausto: bos mansuetus & assuetus iugo atq; aries ouũ dux uictimæ de salute & pace destinãtur. In bubulo genere quatuor gradus ætatis Heb. ut Latini distinguũt. Prima ætas uitulorum est, qui עגלים: secunda iuuencorum, qui פרים: tertia boum noticiorũ: quarta eorum est qui שוריים appellantur.

Hodie enim Dominus apparebit nobis.) Præmisso de igni probatore sacrificiorum.

Et immola pro peccato tuo.) Duo hic significantur. Vnum, pontificem legalem noxa non caruisse, quam uictima expiarit: alium igitur amplitem expectandum fuisse, qui innocens & impollutus suorum delicta lustraret pontificem uidelicet qui secundum ordinem Melchizedeci pontifex foret, à quo Aaron in lumbis adhuc Abrahami occultatus, benedictionem accepit claro indicio cũ uerã benedictionẽ nõ attulisse. Alterũ est cum qui aliorum uitia abstergere uelit, prius purgari debere. Qua in re Aarõ Chr. sũ ipsum repræsentauit, qui ipse mundus immundos expurgauit. At quòd Aaron pontifex infirmitate & peccato circundatus, populi noxam expiauit, ea in re Christũ quoq; quadã figura retulit, ut qui maledictũ & peccatum factus, nostra peccata & maledictionem tulerit. Sed in Aarone et Christo hãc differentiã licet cernere. Alter suo uitio noxæ fuit addictus, alter alieno. Ideo sequit de sacerdote: Deprecare pro te, et p populo.

Expiatoq; altari.) ויחטאהו hoc est pro piaculo offeret, ut priorem uictimam obtulit pro expiãda sua culpa, quæ hostia uitulus erat. Atq; hoc est quod legitur hic: בראשרן Hic non legitur uituli sanguine expiatam aram, sed superiore capite.

Pectora eorũ. arietis et bouis sacrificij de salute.

Et extendens manum.] Bene precantis habitus.

Benedixit ei.) Cum sacerdotalis muneris sit sacrificare, supplicare, docere populũ oracula Dei, accedit his benedicere, id est bene precari populo ac prospera optare. At cũ duplex sit benedictio, una uerbis, altera re cõstans, uerbis hic peragitur faustorũ precatio per põtificẽ legalẽ, de cuius formula infrà in Numeris. Reb. aũt constans quædã in externis bonis quæ umbrã gerunt futurorũ bonorũ cernitur, quæ propriè ueteris fœderis ac testamenti benedictio est: quædam uerò in ueris bonis & cœlestib consistit. Hæc Deus pater per filiũ pontificem tabernaculo æterno nõ manufacto, præfectũ, suos ditat. de qua benedictione Apostolus his uerbis: Benedictus Deus & pater Dñi nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestib. Christo. Atq; huius ferè hæc sunt capita Primũ, agnoscere nobis ipsis placatũ esse Deũ patrẽ per filiũ. Hæc fidei de reconciliato Deo benedictio est, ut sensus irati Dei de noxa, maledictio. Alterum, dotatio spiritus sancti qui nobis iam reconciliatis Deo nouam iusticiã, uitam & sapientiã tribuat. Hæc regenerationis & restitutionis amissæ iusticiæ benedictio habetur, & fide nobis in iustificatione nostri cõmunicatur. De qua benedictione illud: Iusticia Dei patefit ex fide in fidem item: Vt in gentes ueniret benedictio Abrahami per Christũ Iesum, ut promissionẽ spiritus acciperemus per fidẽ. promissionẽ inquã spiritus noui q per diuinũ amorẽ fidei luce in nobis accẽsum nos nouos & cœlestes homines efficeret. De quo pphetat: Dabo uobis spiritũ nouũ in corda uestra, ut in

præceptis

præceptis meis uerſemini. Tertium caput eſt benedictionis huius noſtri pontificis, honeſtas actiones & bona opera edere quæ Deo probentur, & eius nomen amplificent. De qua benedictione pōtifex ipſe his uerbis: Luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, glorificentq; patrem ueſtrum qui eſt in cœlis. Quartum, conuerſio omnium rerum, etiam aduerſarum, ut ſunt calamitates, morbi, morſq; ipſa in bonum excitum, ex ea ſententia quam Apoſtolus effert, cum ait: Scimus quòd his qui diligunt Deum, omnia adiumento ſunt in bonum. Demum benedictionis eſt diuinæ glorificatio noſtri, hoc eſt ad gloriā et ſplendorē Dei per excitationē noſtri è mortuis trāslatio. Qui ultimus ille gradus eſt benedictionis, quam affert noſter ſummus ſacerdos. Hæc benedictio uarie adumbrata fuit legali benedictione, et tēpore noui fœderis abundè præſtatur per filiū. Itaq; ברך modò benè precari eſt, modò ditare, & uarijs muneribus exornare: illud præclara optantis ac cupientis ſacerdotis erat, hoc Dei eſt & filij eius Chriſti. In qua benedictione duo notanda ſunt: unum, omnes nos maledictioni obnoxios eſſe per noxam: alterū, à maledictione autem liberari nos nō naturæ ui aut molitione, ſed liberali gratia & clementia Dei. de qua infrà Moſes etiam ipſe in formula benedictionis legalis: Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui.

Deſcendit.] de ara, quæ tres cubitos alta erat.

Ingreſſi autem Moſes.) Ad oſtendendam rationē faciendi ſuffitus in ara ſuffitoria, qui ſolebat fieri reliquis peractis ſacrificijs, ingreſſos deinde etiam apparet ad orandum Dominum, ut exhiberet promiſſum ignem. Quæ enim ratio ſit præſtandi promiſſa ſæpe indicatum.

Benedixerūt populo.] Nō prius benedicitur populo, q̄ litatis uictimis. Deponendū uelum. Quàm praueè aūt ſimia illa purpurata hūc ritū in ſuo ſacro imitata ſit, pius manifeſtū eſt. Nos de Chriſto iam piaculo pro peccato & עולה facto, id eſt mortuo, et à morte per reſurrectionem ad dextrā Dei exaltato, ut ſuis benedixerit, hunc in modum legimus: Aſcendit in altum, & dona dedit hominibus. Quā benedictionem nobis morte Chriſti ſemel oblati, & eius reſurrectione partam, ut in ſacra cœna celebremus, nō iterum pro uiuis & mortuis Chriſtum offeramus ad benedicendum populo, iubemur.

Apparuitq; gloria.) Id eſt ſignum amplitudinis ac ſplendoris diuini qui ignis erat, quo nullum elementorum mundi diuinam uim propius expreſſerit. Quare ſequitur:

Et ecce egreſſus eſt ignis.) probator. De quo munere ignis remoto typo legimus illud: Et cuiuſq; opus quale ſit ignis probabit. Ignea ſacri ſpiritus uis notatur, quo uſu afflictionum exploramur num uerè ſimus holocauſtū Domini, cum quæ de natura Dei ſunt, aurū, argentū, lapides precioſos conſeruat & purgat: quæ uerò non ſunt, conſumit, ligna, fœnū, ſtipulam. De quo igni exploratore Pſalmus: Quoniam probaſti nos Deus, & examinaſti ſicut examinatur argentū. Hoc miraculum cœlitus demiſſi ignis qui probaret ſacrificium, nouum non eſt. Nam ſic etiam ignis miſſus, ut pij & ſapientes homines interpretantur, à primordijs humani generis legitur, qui uictimam Abelis exploraret, & aperto teſtimonio commendaret. Sicq; in dedicatione templi Salomonis ignis deſcendit de cœlo holocauſta deuorans. Nec nō Eliæ hoſtia ignis flamma abſumpta Deo approbata fuit. Contraria legitur de igni, de quo mox. De conſeruato igni illo à Domino profecto, lege ſiue hiſtoriā ſiue fabulam, in ſecūdo Machabæorum libro.

Laudauerant.) Fructus miraculi, celebratio nominis Dei, & commendatio cultus ab illo inſtituti, & per Moſem promulgati.

Et deuorauit holocauſtum.) Holocauſtum Aaronis, & holocauſtū populi, & holocauſtū perpetuū.

IN CAPVT X.

COram Domino.) qui putarent hunc ſuum ſuffitum placere Deo qui in tabernaculo præſens aderat.

Ignem alienum.) Mos erat de ara holocauſti carbones petere, & eos in tabernaculum inferre ad faciendum in ara ſuffitoria ſuffimen. Veriſimile igitur eſt Aaronis filios non de igni cœlitus demiſſo moueri ipſo deterritos accepiſſe, ſed aliunde petaſſe. qui hic dicatur ignis alienus. Ignis igitū ſacer erat, quē Dominus de cœlo miſſum in holocauſti ara accenderat: alienus ac profanus, aliūde acceptus. Apparet autem hæc quæ hic leguntur, octauo quoq; die. de quo ſuprà, accidiſſe. Nam infrà in hoc capite prope finem ſcribitur: Enhodie uictimam pro peccato & holocauſtum Domino obtulerunt. Locus notabilis, in cultu diuino unum uerbum Dei ualere, non hominū, quæcunq; præferatur pietatis ſpecies. Exemplum in uitulo Aaronis aurei, in Gedeonis Ephodo, in Sauli clementia aduerſus Amalechitas contra uerbū Dei declarata. Euoluo typo et umbra rerū futurarū qui uero igni utantur in facienda ſuffitione, quiq; alieno, ſatis compertum eſt pijs in Antichriſti regno. Porrò in luce doctrinæ uerbi Dei, igneo fidei & charitatis ſpiritu & per hunc ſuffitione precationis per filium ad patrem facta uerorum ignis cernitur. In lumine autē intelligentiæ humanæ, eiusq; doctrina, in hypocriſis zelo ignis falſus & adulteratus. Alter enim ignis cōtinet lucem igniti uerbi Dei, de quo uates: Eloquia tua igni examinata. Ité ignitū eloquiū, quo mentes ſanctorū ad uitam & ſplēdorem Dei illuſtrantur. Is item diuinus ignis ueterē naturam mutat & nouā parat claritatis diuinæ conſortem. De qua illud Petri: Vos eſtis conſortes diuinæ naturæ. & de igni illo ipſo uero Malachias propheta, Et ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Alter uerò ignis quē hypocritæ offerunt Deo, ueterē naturā nō immutat, ſed relinquit in ea contemptū Dei, & legem peccati in corpore peccati ſæuientem. De quo igni indolem ueteris hominis nō mutante Apoſtolus his uerbis: Propter quod cum Deū cognouerint, non ut Deum glorificauerūt. Talē ignē etiam ſapientiſſimi & religioſiſſimi in ſua ſuffitione adhibent,

adhibent, si desit ignea lux fidei & spiritus charitatis Iesu filij Dei. Documento sunt filij Aaronis sacerdotes, & lege diuina docti homines.

Et mortui sunt coram Domino.] qui coram Domino alienum ignem obtulissent. Præcesit enim: Offerentes coram Domino.

Egressus ignis à Domino.) Talionis pœna. Igni absumuntur sacro, qui igni profano usi sunt. Seueritatis diuini iudicij exemplum, qui nec suis quos in charis habuit, pepercerit, deprehensis in noxa. Quod igitur suppliciũ maneat impios nõ zelo, sed studio profanantes sacra Dei, ipsi aliquando sentient, eo tempore quo tarditas uindictæ supplicij grauitate cõpensabitur, ac cẽso igni, de quo illud: Ite uos maled. in ignẽ æternũ.

Sanctificabor.] id est, iustus agnoscar ijs mulctatis, qui ex meo mandato non fecerint. Nam sacrum, augustum se Deus tum præmio, tum supplicijs declarat: præmio quidem, cum legi parentes beneficijs exornat: supplicijs uerò, cum rebelles plectit. In altero clementia spectatur, in altero iusticia. Itaq; rectè ille dixit, iudicis integritatem probari duabus rebus, & eis resp. conseruari, præmio & pœna.

In his qui appropinquant mihi.) In בקרבים notantur qui administrandi gratia accedunt ad munera sacra.

Et in conspectu omnis populi.) Vt is conspectis exẽplis iusticiæ meæ in sceleratos editis, assuescat me metuere ac uenerari.

Glorificabor.] amplitudine & dignitate mea aspersa, quod est אכבד.

Tacuit Aaron.] cedens iudicio Dei, qui agnoscebat se sacrorum quæ Deus instituerat non dominũ sed ministrum esse. Græci Aaronis animũ suorũ supplicio perculsum respicientes pro ירדם uertũt λαγενύχθη.

Patrui Aaron.) Nam Vsiel frater Amram patris Aaronis erat, iuxta illud: Filij Caath, Amram, Isaar, Hebron & Vsiel.

De conspectu sanctuarij.) Quod mortuorũ cadauera non ferret, Deo in eo habitante, q uiuorũ, nõ mortuorũ Deus est. Hic atrium קדש appellatur non cum tabernaculo, sed cum castris & locis qui extra castra erant, comparatum:

Capita uestra nolite nudare.) Luctus prohibetur sacerdotibus de mortuis, qui Deo uiuo in tabernaculo seruirent. Itaq; Christus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos.

Et super omnem cœtum.] Si uos pereatis, qui pro expianda populi noxa sacerdotio initiati estis. Locus de periculo & clade qua populus afficitur, si sacra rite peracta non sint ab ijs qui illorum ministri sunt.

Oleum quippe sanctæ unctionis.) Ratio cauendi luctus. In qua duo docemur. Vnum, omnia humana officia cedere debere sacro muneri ac functioni. Itaq; Elizæus cũ mitteret seruũ ad excitandũ puerũ Sunamitidis, mãdauit illi ne quem in itinere salutaret. Sic Christus suis: Neminem in uia salutatote: significãs nõ debere oraculorũ sacrorũ ministros ullo humanitatis officio adduci, ut suũ munus et uocationẽ intermittãt, aut segnius obeant. Quare hic ad delibutos sacerdotalis functionis oleo: At uos tabernaculũ ne egrediamini, qui uncti estis, ut in illo mihi seruiatis, nõ mortuos lugeatis. Alterũ est, sacrificia quæ faciunt sacerdotes, non ad luctũ, sed ad uitam & lætitiam instituta esse. fiũt enim aut ad impetrandã gratiã delicto, aut ad renouationẽ, aut ad comparandam, qua nihil lætius, pacem, aut ad agendas de pace iam comparata gratias, ex qua uictima conuiuium instruitur cum sacris panibus læticiæ oleo perfusis, non ad mœrorem, sed hilaritatem. Atqui hic umbra cernitur, ueritas in oleo exhilarante, de quo Psal. Vnxit eum oleo læticiæ. oleo, inquã, sacri spiritus, quo delibutus Christus pontifex uenit non ad lugendos mortuos, sed ad eos uiuificãdos: cuius munus sit, mortẽ uertere in uitã, luctũ in gaudium, opprobriũ ad gloriã, iuxta illud Iesaiæ legalis olei significationem explanãtis: Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me. Ad annunciandũ mãsuetis misit me, ut mederer cõtritis corde, et prædicarẽ captiuis indulgentiã, & clausis apertionẽ, ut cõsolarer omnes lugẽtes. Sed quæ in Christo capite põtifice considerãtur, ea quoq; in mẽbris illius sanctis inferioris notæ sacerdotib. expẽduntur, hos quoq; mortuos ut unctos oleo sacro lugere mortuos nõ decere. De quibus Apostolus his uerbis: Cæterũ nolo uos ignorare fratres de his qui obdormierũt, ne doleatis quemadmodum & cæteri spem non habentes.

Vinum.) Locus de sobrietate seruanda ministris sacrorum.

Et omne quod inebriare potest.) Vt ex uuis passis, melle, aromatis, ex pomis, tritico, hordeo, & ex huius generis alijs confectus liquor. Nam in huiusmodi concretis ex quatuor initijs mundi rebus, ignea uis inest, quæ arte euocata in parato succo inebriandi uim excitat, aduersam, ut mox patebit, sacerdotali muneri. Huc spectans uates Græcus, uinum ardens uocat, αἰθοπα οἶνον.

Quando intrabitis in tabernaculum.) non quouis tempore.

Quia præceptum sempiternum.) Aeterni hæc instituti in posteros seruandi ratio terminis pædagogiæ legalis concluditur. Nam in nouo fœdere commendatur uinum sacra facturis: Bibite ex hoc omnes. Sed hic hilaritas conscientiæ de facta redemptione probatur, illic libido & intẽperantia prohibetur, sobrietas laudatur, quæ prudentiam parit, ut uox σωφροσύνη Græca indicat, & cum numine Dei sobrios cõiungit, ut dicit ille: τὸς ἢ σώφρονας θεοὶ φιλέσι.

Vt habeatis scientiam.) Ratio abstinendi à uino à præcipuo sacerdotum munere ducta. quod in duabus uersatur rebus. Vna est, ut sacrum à profano, pollutumq; à mundo discernant. Quæ aũt munda & quæ polluta censeantur, mox docebitur. Altera, ut Israelitas instruant ac doceant in omnibus quæ à Deo tradita per Mosem sunt institutis, pollere sacerdotes iudicio dignoscendi bonũ à malo, uera à falsis, sacra à profanis, & docendi quæ recta sunt facultate. de qua propheta Aggæus: Legem de ore sacerdotis require. Atq;

de hoc munere neglecto per ebrietatem expostulat diuinus spiritus apud prophetam, Ipsi pastores exper tes sunt intelligẽtiæ: subiecta ratione ab ebrietate: Ve nite, sumamus uinũ, & impleamur ebrietate. Obruitur enim ratio uino, ut uerè de rebus iudicare nequeat: & libidinem accendit, diuinã animorum lucẽ extinguentem, ut Oseas monet, libidinẽ cum uino cõiungens: Fornicatio, uinum & ebrietas auferunt cor. Hinc uetus illud dictum iactatur: τὸν οἶνον ἂν ἔχειν πονηλάλιαν, id est uinum carere clauo. Ebrietate enim mens pertentata claui prudentiæ usum amittit, quo reguntur sobrij.

Tollite sacrificiũ quod remansit.) à te pro tuo & populi delicto oblatũ, & iam propter mœrorẽ de cõfectis igni filijs acceptũ, comedi neglectũ. Leges de ijs quæ remãserint ex uictimis, quomodo eis uescendũ sit, repetit, de quib. suprà loquũ primò de minha quæ cum holocausto & uictimis de pace solita est offerri.

In sanctuario.) in atrio.

Pectusculum quoq; quod oblatũ.] de uictima pacifica. תנופה uox nota est.

Et armum qui separatus est.] Quæ de uictima pro pace oblata cesserint Deo adolenda, quæ sacerdoti, quæq; ijs qui illa litarunt, ex ijs quæ suprà tradita sunt, manifestum.

In loco mundissimo.] Minha & carnes de hostia pro peccato, cuius quidẽ sanguis nõ funderetur in tabernaculo contra uelũ, in atrio comedebãtur: carnem autẽ uictimæ, de pace etiã extra atriũ in loco mundo non solũ mares, sed etiam fœmellas comedere fas erat. ut legitur hic: Et filiæ tuæ tecum.

Cur non comedistis hostiã.] cuius uictimæ piacularis quam partem legislator adolere Deo, quamq; comedere sacerdotes iusserit, uideris suprà cap. 6. De qua lege neglecta cum Aarone expostulat hic Moses.

Præsertim cum de sanguine illius non sit allatum.) De qua si infertur in tabernaculũ, tota uictima crematur. De qua lege suprà cap. 6. his uerbis: Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij ad expiandum, in sanctuario non comedetur, sed comburetur igni.

Intra sancta.] Interius sanctuarium hic non est intima pars tabernaculi, in qua arca cum propitiatorio et Cherubim collocatur: sed ea pars in qua ara suffitoria aurea cum mensa & candelabro posita est, in qua contra siparium sanguis spargitur suprà cap. 4.

Respondit Aaron.) Responsio Aaronis pro se & liberis, ex locis naturalium effectionum petita. Natura nos miseremur eorum qui nos aliqua necessitudine attingunt, exitio commouemur.

Mente lugubri.] conuiuijs sacris institutis quib. hilares ad hilaritatem, nõ ad mœrorem mœsti fruamur coram Domino, qui in sanctuario habitans, lætitiæ, nõ tristitiæ Deus sit.

Recepit satisfactionem.) quæ humana necessitate niteretur, quam uincere natura non posset, ἀπροσωπίαν in saxa, non in homines cadente.

IN CAPVT XI.

HAec sunt animalia.] Explicato munere sacerdotali quod in facientis sacrificijs cernitur, atq; ipso ritu sacrificiorũ exposito, iã munus qd' in discernẽdis mũdis ab immũdis uersatũ expl:cabit. De animãtiũ aũt mũdorũ et immũdorũ discrimine hæc fuerunt annotanda. Primò, nullum animans per se immundum esse. Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erãt ualde bona. Secundò, ante contractã noxam ea erat corporum constitutio, ut herbæ & arborũ fœtus satisfacerent ad uictum: ut comprobant arbores in paradiso cõsitæ. de quibus his uerbis: Ex omni arbore paradisi comede. item: En do uobis omnes herbas & arbores fructiferas in escam. Tertio, à cõtracta autẽ noxa animãtia etiam concessa leguntur, quibus ad alimõniam uterentur, his uerbis: Et omne quod mouetur & uiuit, erit uobis in cibum. Quartò, at cum sic deprauata essent corpora, ut non quoduis animantiũ genus eis conueniret, quædã statim ab initio iudicata sunt immũda. quæ dere uideris Geneseos cap. 7. ut etiã natura genuib. ipsis naturalẽ quorũdã animantiũ nauseã indidit. Quintò, hoc discrimen animantiũ à patriarchis obseruatũ, à Mose relatũ est in tabulas, ut pleraq; alia. Sextò, at qui sunt animãtia quædã immunda iudicata, nõ quia eorũ cibus noxius esset admodũ ac insalubris: sed quia quasdam tum in corporis mẽbris, tum in quærendo uictu notas præferrent, quæ uitiositatis homines suæ admonerent. et hæc quoq; prohibita sunt Israelitis ad uescendum, ueluti sunt animãtia ex rapto uiuentia, & quæ diuisas ungulas non habent, quæq; cibum non remandunt ac ruminãt. Septimò ex eo licet diuinam curam quæ erga piorũ tum corpora tum animos geritur, animaduertere. Nam si corpora spectes, ostendit Deus quæ animantia salubria sint, quæ insalubria: sin animos, cõmonefacit suos miseræ sortis, in quã humanum genus incidit primorũ parentũ uitio, dum intelligunt corpora ita corrupta esse, ut facile eis labẽ multorum animantiũ esus afferat. Quæ cogitatio tædio afficit præsentis tam fragilis uitæ, & spem excitat futuræ corpora nostra ab interitu assertuæ. deinde in prohibitis animantib. tanq; immundis, subducit suos in contemplationẽ suæ impuritatis, quæ in natura peccato uitiata cernitur. Etenim cum animantia immunda censentur, quæ diuisis ungulis carent, quæq; non ruminant: cum sæua ac immania, cum quæ ex rapto uiuũt, cũ uoracia prohibentur: docemur prudentiã in discernendo malo à bono, profano à sacro, polluto à mundo, rapinã, auaritiam, libidinẽ, immanitatẽ, intemperantiam Deo displicere: contrà moderationẽ, clementiã, sobrietatẽ, iudiciũ de rebus uerũ, iusticiam, fidem, placere. Quarũ uirtutum simulachra apparent in animantibus mundis, & ad cibum concessis, ut in oub. capris, bobus, columbis, turture. Octauò intelligimus hanc obseruationẽ pædagogiã legalẽ fuisse, in qua umbrã rerum futurarũ luci quæ in nouissimis temporib. accenderenda erat, diuina sapientia præludere uoluerit. Quã rationem considerantes sancti homines in lege uersantes, tãtopere abhorruerunt ab immundis. Sic enim Ezechiel

zechiel cum iuberetur uesci placẽta immunda, dixit: Ah Domine Deus, anima mea non est polluta, nec uenit caro abominabilis in os meum. Daniel cum socijs suis maluit uesci leguminibus quàm regio cibo pollui, ut obseruaret etiam inter profanas gentes elementa pædagogiæ Mosaicæ sub spe libertatis olim donandæ per spiritum adoptionis euangelij. In Machabæorum libro primo legimus, Iudæos maluisse trucidari, quàm immundo cibo contaminari. Simule exemplum in Actis de Petro extat. Quæ obedientia tãtisper placuit Deo, dum disciplina tutoria uim suam obtineret ac auctoritatem. At lux Euãgelij ut cœpit illucescere, discrimen illud externum mundorum ut & immundorum animantium exoleuit, & lex de eo antiquata est, ut illa diuina ad Petrum uox delata docet: Quæ Deus purificauit, tu communia ne dixeris. Atque ita in locum pædagogiæ successit dijudicatio illa uera & spiritualis puritatis & impuritatis. De qua illud Apostoli: Porrò manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc: Adulteria, scortatio, immunditia, lasciuia, inimicitiæ, æmulationes. Cõtrà fructus spiritus, charitas, gaudium, lẽtitia, pax fides, temperantia, in quibus rebus mundis & immundis discernendis res ipsa quam Deus in discrimine illo mundorum & immundorum animantiũ adũbrare uoluit, uersatur. Cuius ut admonerемur, hãc historiã in hæc usq; secula nobis reseruauit meditãdã.

De cunctis animalibus.) Tria genera animantiũ recitat Moses, terrestria, aquatilia, uolatilia: & in singulis quibus uesci fas sit docet, exorsus à terrestribus. Reptilia partim terrestribus, partim uolucribus continentur. Quædam sunt ἀμφίβια, id est ancipiti genere in utraq; sede terra & aqua uiuentia, quæ quoq; tribus illis generibus comprehenduntur.

Omne quod habet diuisam ungulam.) Quæcunq; diuisas ungulas habent, & bisulca sunt, si ruminent, concessa esse ad uescendum. Quædam sunt animalia quæ solidas ungulas habent, ut asinus, equus. Quædam diuisas ungulas supernè solum tenent, infernè autem cõnexas, ut cernere licet in urso, cane, catis, quæ immunda censentur. Nonnulla autem supernè et infernè diuisis ungulis sunt, sed cum nõ ruminent, quoque in immundis numerantur, ut est suũ genus. Demũ sunt quæ præterquã quòd bisulca sunt, etiã ruminãt, hæc munda æstimãtur, ut bos, caprinũ ouiumq; pecus. Bisulca autem animantia quorũ admoneant, declarat illud Apostoli: Stude te ipsum probatũ exhibere Deo, operariũ nõ erubescendũ, rectè secantẽ sermonẽ ueritatis. Quib. uerbis discernẽdi, hoc est dijudicãdi spiritualia spiritualiter, et corporalia corporaliter uis accultas notat. de qua idẽ Apostolus: At spiritualis dijudicat quidem omnia. item: Sed quos docet spiritus sanctus, spiritualibus spiritualia comparantes. Habent igitur diuisam ungulam, qui norunt quid inter Mosem & Christum, inter legem & Euangelium, inter naturam & gratiã, inter literam & spiritum, inter fœdus ueterem ac nouum, inter carnalem ac terrenũ, & spiritualem ac cœlestẽ hominẽ interſit, & quæ doctrina terreno homini, quæq; cœlesti congruat, iudicare possunt.

Et ruminat in pecoribus.) גרה Remandere est ac ruminare, uoce, ut uidetur nõnullis à גרון quod gutur est, decisa, in quod tanquam canalẽ ac fistulam per quam cibus demittitur rumanando id quod editur reuocatur. Tradunt rerum scriptores, animantia utrinq; dentata simplicem habere uentrem, atq; ea nõ ruminare, ut sunt equi, muli, leones, canes et reliqua eius generis. Animalia autem utrinq; dentibus non prædita habere plures uentres ut sunt oues, capræ, boues, qui uentres in cõficiendo cibo farciãt ac præstẽt quod inopia dentiũ non præstatur, dum alius ab alio cibum excipit, primus uidelicet inconfectũ, secundus aliquantulum confectum, tertius plenus, quartus pleniſsimè confectum. Quæ uaria cibi concoquendi receptacula à Græcis uocantur λοπάς, λαιμόβδηλος, ἐχῖνος, λίτραιον. In horum animantium numero locum habent quæ ruminant, superiore dentium ordine carentia. Ruminatio igitur quia à natura excogitata est ad conficiendum cibum, cuius facultatis admoneat, pijs non obscurum.

Sicut camelus.) Seruatur Hebræa uox גמל tum à Græcis tum à Latinis. Ruminat is qui superiore dentium ordine careat, ut bos.

Chyrogryllus.) Græc. sequitur. Latinè Erinaceus. Hebræis cuniculus est שפן Et Græci in Psal. cuniculos uertunt sui dissimiles סלעים מחסה לשפנים, id est petræ latibulum sunt cuniculis. Nam hoc genus animantis latebras subterraneas multiſores incolit. Vnde & nomen animali. Qui cuniculi sua in effossa terra reponentes malè audiant, monet D. his uerbis: Ne reponatis uobis thesauros in terra, ubi fures perfodiunt & furantur.

Lepus quoq;.) Coniungitur lepus cum cuniculis, ut qui simillimi inter se sint. Atq; cum animantia masculino ferè genere apud Hebræos efferantur, ratione naturæ, qua mares fœminis præstant, ualde consentanea: lepus tamen fœminino genere hic exprimitur ארנבת quòd ut rerũ scriptores tradunt, utraq; uis insit in lepore, & sine mare æquè gignere.

Et sus.) tam mansuetus quàm ferus: sus tum noxium, quòd fructus quos corrumpat effodit: tum fœdum animal est, quòd procliue ad libidinem sit, & in luto uolutari gaudeat, ut prouerbium illud declarat: Sus ad uolutabrum cœni. Quem qui referant, Petrus docet his uerbis: Verum accidit illis quod prouerbio dici solet: Et ut sus ad uolutabrũ luti. Ad hæc sues quorum uenter calidus fertur, in cœno se uolutantes ignauia & quiete pinguescunt, quos ut uoluptarij & Epicurei ocio & inertia se saginantes, in illo uoluptatũ, in quod se totos immergunt, luto inuẽtur, nõ est obscurum. Hinc Cleanthes aiebat sues animam habere pro sale, ne eorum caro putrescat.

Hæc sunt quæ giguntur in aquis.) Ex altero genere animantiũ quæ in aquis uersantur, describit delectus.

Omne quod habet pinnulas.) quibus pisces innatant. Nam his pinnæ pedum uice datæ sunt, quibus ex luto eluctantes puras aquas petant. Vt igitur serpentes pedibus carentes & in terra repentes dãnantur: sic pisces pinnis destituti, si exuoso corporum impulsu mari utẽtes reprobantur. ut murenæ, anguillæ,

pastinacæ, quæ latitudine natãt. Notatio mystica nota ex illo, Superna quærite: cuoluti uidelicet ex luto cõ cupiscentiæ rerum terrenarum. Sed pisces qui pinnati sunt, nõ unius sunt generis. quibusdam binæ pinnæ sunt, quibusdã trinæ. Binæ omnino longis, ut anguillis & congris. Quare ut serpenti omnũ immundorũ animantium principi lutum pro cibo quo uescatur, datũ est: Terram comedes cunctis diebus uitæ tuæ: sic pisces carentes squamis et pinnis in luto uersantes, claras puras q; aquas quibus nutriãtur, minimè petunt. Quæ illorum impuritatis certa significatio.

Et squamas.] in eas nutrimento superfluo absumpto. Quo nomine etiam pisces squamati salubriores non squamatis iudicantur. Squamis integuntur pisces ut oues suo uellere: quibus qui carent, lubrici sunt. Admonemur hoc in loco Mosem ad nostrum usum transferentes, squamatã loricam placere Deo. de qua illud: Indutus iustitia ut lorica. Quòd autem ad lubrica attinet, quorum ingenium significem lubrici pisces, declarat Salomon: Lubricum os operatur ruinas.

Hæc sunt quæ auibus.] ex tertio genere quod uolucrum est, quæ quadam naturæ consensione coniunctæ sunt cum piscibus. Hi porrò pinnis aquas, illæ pennis cœlum sulcant. Quorum quoq; elementorum tanta similitudo est, ut apud Hebræos שמים uox, id est cœlum, aquas quoq; comprehendat in sua notione.

Aquilam.] Rapacium uolucrum genera recitat. quas Deus cur in immũdis habeat, ratio pijs nota est. Nos legimus illud: Quia ego Dominus diligẽs iudicium, & odio habens rapinã. Cæterùm de aquilarũ generibus quæ sex referuntur, uideris apud scriptores rerum. Animantia igitur siue terrestria siue aquatica, siue uolucria ex rapto uiuentia, quoniam satanam prædatorem & eius catulos impuros sæuosq; spiritus ad rapinam intentos figura quadã repræsentant, quamq; immania illa tyrannorum orbis terrarum ingenia fœda sint, nobis declarant, hic ad esum in eius rei admonitionem prohibentur. Immundos autem spiritus cum immundis animantibus similitudine quadam naturæ coniungi, indicant hi ipsi, ubi his uerbis à Domino petunt in porcos immitti: Mitte nos in porcos.

Et gryphem.] Græcos sequitur: פרס Hebræis accipitris genus est. sed apparet aquilarum formas quasdam hic recenseri, qui uniuersi generis meminisset. infrà de accipitrum genere facit mentionem, & hic etiam de auliæto specie aquilæ sequitur mentio.

Auliætum) aquilæ genus est interpretibus, quod à prædandi ui nomen accepisse uidetur apud Hebr. עזניה enim appellatur. Clarissima oculorũ acie est, librãs se ex alto, uisoq; in mari pisce præceps in eum ruit, & discussis magna ui pectore aquis rapit.

Et miluum.] rapacissimam & famelicam semper alitem. In accipitrum genere continetur.

Ac uulturem.) immũda ipso etiam tactu uolucris est, ut quæ ex cadauerum esu uitam sustentet. Nam uultures triduo antè aut biduo uolare, ubi cadaucra futura sint, tradunt. Hinc prouerbio celebris uultur factus est: Vultur fies, cadauer expecta. Inter aquilas quoq; numeratur genus uulturina specie alis minimis, reliqua magnitudine antecellẽs, sed imbellis est, degener, eadem icunæ semper auiditatis, quæ sola aquilarum exanima fert corpora. De hoc genere fortasis loquatur Dominus apud Euangelistam: Vbicunq; enim fuerit cadauer, ibi congregabuntur & aquilæ. Sed dicas: Si tãtopere uolucres cadauera petẽtes cum ipsis cadaueribus damnantur, cur igitur D. se cadaueri & sanctos aquilis cadaueribus inhiantibus, ut locus iam ex Euãgelista citatus ostendit, comparat? Nihil est in hac rerum uniuersitate tam abiectũ in quo non liceat cernere quasdam notas è quibus similitudo sumi queat rebus diuinis congruens, ut de serpente, leone, formicis & id genus reliquis patet. Eodem modo quoniam sanctorũ salus uersatur in eo ut adhæreant ad mortuum & crucifixum Christum, præquo Apostolus nihil fatetur se scire, hac in parte apta cõparatio quæsita fuit, qua se Christus cadaueribus, & pios uulturibus conferret.

Et omne coruini generis.) Hanc uolucrem quòd inhiare cadaueribus, manifestum. Atque eius in pullos suos inclementia literis prodita est, quam trudunt pullos, cum iam potestas uolandi est, primò ex nido eijcere, deinde regione tota expellere. Et seuum coruum iam ætate affecta à pullis edi. Vnde prouerbium natum: Mali corui malum ouum. Hanc naturæ feritatem in suis minimè ferens diuina benignitas, ut ab hac aue abstinerent, legem tulit.

Struthionem.] Sunt qui בת יענה ululam interpretantur, ab ululatu ac planctu sic appellatam. Notum enim est uerbum יגה planctum igitur magnæ calamitatis sacræ literæ significaturæ huius auis meminerunt. Micheas: Faciam planctum sicut dracones, & luctum sicut יענה Itaq; hæc auis in uastata Babele plena luctu & mœrore habitare dicitur, ut habet illud Esaiæ: וישבו שם בנות יענה.

Et noctuam.) Quæcunq; uolucris sit בחמס ab iniuria insigni & clade quam affert, uocata uidetur. Meminit Aelianus harpæ auis montanæ oculos impetentis & effodientis.

Et accipitrem iuxta genus suum.] De generibus accipitrum quæ sedecim recitantur, multa scriptores. Sunt qui de ardeis interpretantur.

Bubonem.) בוס funesta auis ac feralis appellatur sic, quòd se abscondat & conspectum hominum fugiat, deserta incolens. Bubo igitur non malè huc quadrarit. De qua his uerbis Plinius: Bubo funebris, maximè abominatus deserta incolit: nec tantum desolata, sed dira etiam ac inaccessa noctis monstrum: nec cantu aliquo uocalis, sed gemitu. Hinc propheta desertum se factum & omni præsidio destitutum conquerens בוס se comparat בבוס חרבות, id est, similis sum buboni deserta incolenti. Bubones sunt qui immanes & feri ab omni hominum consuetudine ad quam colendã officijs humanitatis geniti sunt, abhorrent. Hoc hominum genus benè notum est hodie. Quis enim hos ferales Timones ignorat?

Mergulum.) De aue prædatrice piscium interpretantur. Hinc paraphrastes שלגרגא. Alij de seua uolucre abijciente pullos suos, quam inde השלך Et uocatam putant.

Et ibin.) Noctuam multi interpretantur חיננשרת quòd fugiat lucem, & tenebras persequatur. Notum enim est uerbũ נשף quod crepusculũ significat. Quæ cum immũda hic iudicetur, ueniat in mentem illarum noctuarum quas taxat Dominus his uerbis: Omnis qui malefacit, odit lucem: nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipsius.

Et cygnum.) התנשמת à stupore quem affert, dictam putant. Sunt qui de uespertilione accipiant. Græcis porphyrio est.

Et onocratulum.) Alijs pro תאה pellicanus placet, alijs upupa. Videtur uolucris ab euomendo quæcunq; sit, appellata ab Hebræis. Græci sui simules, & hic & psalmo 101. pellicanũ uertunt ex תאה. meminere rerum scriptores platearum quas pellicanos dici tradunt. Has ferunt sefluuiatilibus conchis complere, easq; cum stomachi calore concoxerunt, euomere, atq; ex eis eligere quæ sunt esui.

Et porphyrionem.) רחם à clementia uolucris nomen habet, Græci, λάρος: quidam, pica.

Et herodionem.) Similiter Græci. Cæteris interpretibus ciconia pro חסידה placet. A benignitate uolucris hæc dicta est. Nam parentes senio confectos alere dicuntur ciconiæ, infantiæ suæ uices rependentes. Vnde ἀντιπελαργᾶν uerbum, & uox ἀντιπελαργία & πελαργικοὶ νόμοι à poeta Græco, id est ciconiariæ leges appellatæ. At hic cum immunda iudicatur ciconia, neq; naturæ probitas, neq; prudẽtia quã propheta cõmendat: Ciconia in cœlo cognouit tẽpora sua, sterilis autem, sed obscœnus ex serpentibus uictus reprobatur.

Charadrion.) Alijs birundo est, alijs graculus, alijs miluus, alijs aliud. quæ magna est interpretum uarietas & inconstantia. Hebræa uox uolucrem facilè irritabilem innuit. חבה enim notum uerbum est.

Vpupam.) Similiter Græci, ἔποπα. Cristã plicati illi usenda auis, & odio hominum nidos in desertis locis ex hominum stercore construens. Vpupam imitantur qui ex stercore & reiectamentis nidificant, de quibus Apostolus: Propter quem omnia pro stercore ac reiectamẽtis habeo. Et in upupis doctores habẽtur qui nidos ex his stercoribus parãdos esse docent.

Vespertilionem.) Similiter Græci, νυκτερίδα. Mira uolucris, cum cæteræ ouа pariant, hæc animal parit. Eadem sola lacte nutrit ubera admouens, cui grauissimi in cibo sunt fœtu ex putredine nati culices. Vespertiliones quorum admoneant, non obscurũ. Iesaias uolucris huius lucem auersantis quoq; meminit, in quarum latebras idola sua omni luce indigna, homines olim sint proiecturi.

Omne de uolucribus.) Volucrum duo hic genera numerantur: unum earũ quæ duos pedes habent, in quo genere quædam mundæ, quædam immũdæ habentur: alterum quaternum pedũ est, in quo genere quædam repunt ita super terram, ut saliant, quorum nimirum crura retro longiora sint ad saliendum humi, ut sunt locustarum genera, quæ hic in immundis non numerantur. quædam uerò sunt quæ nõ saliunt, quæ immũdæ cẽsentur, ut sunt apes, uespæ, crabrones, muscæ.

Vt est bruchus.) ארבה genus uniuersum locustarũ, quæ ab Hebræis sic à numeroso fœtu dicuntur. Cæterùm de ortu locustarum & mirabili fœcunditate uideris apud scriptores rerum. Exemplo docuit Ioannes baptista, locustas mundas habendas esse, quæ eas in cibum adhibuit: quæ & Parthis in cibo gratæ esse feruntur.

Atq; ophimachus.) Generi locustarum subijcit formas. Tradunt autores locustis singulis cum libuit necari serpentem faucib. eius apprehensis mordicus, quò uox ὀφιμάχη apud Græcos spectat.

Et quæcunq; morticinia eorum.) cadauera humi serpentium non esse attingenda. Depositо typo, cadauera eorum quæ humi repunt, attingunt qui corporis morti obnoxij affectibus tanguntur, libidine, auaricia, fastu, arrogantia, odio, inuidia. de quibus illud: Affectus carnis mors est. Carnis inquam terrenæ & humi serpentis, neq; in cœlum se attollentis ut mortuæ propter peccatum. Item cadauerum attactus prohibetur, de quibus idem Apostolus: Si quis cum frater appelletur, fuerit fœrtator, aut auarus, aut simulacrorum cultor, aut conuiciator, aut ebriosus aut rapax, cum huiusmodi ne cibum capiatis. In Deuteronomio additur peregrinis morticinium ad comedendum dandum esse: quod quid sit, Dominus exponit: Sinite mortuos sepelire mortuos suos.

Vsq; ad uesperam.) Remota umbra, Christus offertur qui ad uesperam, hoc est nouissimis temporibus repræsentatus uerè suos mundos reddit, absterso omni impuritate.

Hæc quoque inter polluta.) שרץ igitur reperiuntur in uolucrum genere, ut sunt muscæ, apes, uespæ, locustæ, scarabæi, & in aquatilibus quæ שרץ in Genesi dicuntur, & in terrestribus ut sunt que humi serpunt ac repunt, ut serpentes, mures, pediculi, culices, cimices & uermium uaria genera. Quærat fortasse hic aliquis, cur Deus tantam uim uermium & uenenatorum animantium crearit. Non est cur hic in diuinam rationem inquiramus, cui sua in operibus quæ facit, constant consilia. Sic uidetur deciis uniuersi postulasse, ut contempta & uilia quæque efficerentur, quo quæ splendidissima in mundo sunt magis apparerẽt: sic luci celebrãdæ tenebræ, sic impij gloriæ Christi et piorum illustrandæ seruãt. Sicut carpentarius officinam suam instruit non solum instrumentis magnificis, sed etiam uilibus quorũ quis sit usus, ipse nouit. Ad hæc nihil est tã abiectũ in mũdo, quod non cõmoditatem aliquam afferat. Veluti in arcanis mysterijs adumbrãdis usus hic amplissimus in serpentibus & humi repentibus animantib. cernitur.

Mustela.) Similiter Græci, γαλῆ. Gallinis, columbis & ipsis serpentibus perniciosum animal, cum quibus dimicatura primùm rutam edit, deinde fidenti animo ad pugnam tanquã armis tecta procedit. Huius duo genera sunt. alterum syluestre, alterum in domibus nostris oberrat, & catulos suos quotidie transferens, subinde mutat sedem. Animans ab Aegyptijs in deos relatum, & ab eis religiosè cultum. Eadem non solum à Deo reprobata sed etiã à ueteribus inauspicata habita ijs qui haberẽt, domiq; alerẽt,

ut inde prouerbio locus factus sit: γαλῆν ἔχεις, id est, Mustelã habes. Adeò etiã gẽtes ipsæ abhorrent à multis animantib. quæ diuina sapientia immundas iudicat.

Mus.) De murium ortu & natura scriptores multa & uaria. quam perniciem & domestici & campestres afferant, cõpertum. In libro Samuelis priore, ut mures diuina ira excitati uastarint agros Palestinorũ, legitur. Inutile et noxium animal habetur, quod labores hominum consumit, & sui nullum usum præbet. Quorum igitur hi admoneant, intelligant ignaui homines, qui cum nemini prosunt, aliorum etiam opes perdunt ac uastant. De quibus illud: Numeri sumus, fruges consumere nati. Talibus muribus hodie regnum hypocritarum plenum est.

Crocodilus.] Similiter Græci, quod animal ἀμφίβιον est. Cæteris interpretib. bufo est, rana campestris, ut uolunt, quam nonnulli rubetam ranam uocant. in uepribus uiuunt, ob id rubetæ nomine, grandissima cunctarum geminis ueluti cornub. plena ueneficiorum.

Mygdale.) à Græcis nomen uidetur ex mure & mustela conflatum. Interpretes uertunt herinacium. Animal inuidũ. Nã statim ut capitur urina reddita, tergus spinis horridum ac hirsutũ corrumpit, ut quod futurum erat utile, reddat inutile. Mira de hoc animante scriptores tradunt.

Chamæleõ.] paruũ animal, & ideo uersicoloris mutationis. Hinc prouerbiũ, Chamæleõte mutabilior.

Stellio.] Similiter Græc. ἀσπαλαβώτης. Animal circulis depictum ac lucentibus guttis in modum stellarum. Vnde ei nomen, Inuidum animal, ut quod cuiq; suam simulatq; ea exutum est, deuoret, ne utilitatem ex ea homines capiant. Nam illi in comitialibus morbis nihil præferri ferunt. Inde stellionum nomen aiunt in maledictũ translatum, & fraudulentos stelliones appellatos. à quibus etiam criminis stellionatus nomen deductum, quod cõmittunt qui malo dolo alio rum res interuertunt. Sunt qui lacertam uertunt, qua stellio minor est.

Et lacerta.) Similiter Græci σαῦρα. Lacertis memoriam deesse ferunt, quæ oblitæ quo in loco enixæ sint, ouis non incubant. Nonnullis limax à limo dictus pro חמט placet.

Talpa.] animal cæcum, defossum, & sepulto simile. Vnde prouerbium natum, Talpa cæcior. Admoneant herinacei & stelliones fraudem et inuidiã, chamæleon inconstantiam, limaces terrenas cupiditates in luto uersantes, talpæ cæcitatem aduersam luci fidei, displicere Deo. Memores simus illius quod Paulus dicit: Eratis quondam tenebræ, nunc aũt lux in Domino. ut filij lucis ambulate, et ne cõmercium habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum.

Et polluta erunt.) iam tincta aqua.

Vas autem fictile.] quod non mundatur lauando: contrà æneum habet, quod defecando purgatur. Mystica ratio suprà indicata.

Quem comeditis.] qui esui est. id ualet אשר יאכל.

Si fusa fuerit super eum aqua.) tam uas quàm aquam in uase pollui, & quicquid aqua attigerit, uase contentum.

Fontes uerò.] Fontes, puteos, & aquæ affluentiam, ut sunt lacus, stagna, maria excipi, quæ cum purgent immunda, quî ipsa polluantur? Depositio uelo occurrunt aquæ de quibus propheta: Haurietis aquas cum gaudio de fontibus saluatoris. Spiritus sancti hæ aquæ sunt, quæ sordes utiorum purgantes, à sordibus non conspurcantur.

Si ceciderit super sementẽ.] Semen per se purum non inquinari cadauere. Cuius significationem gerat semen, declarat Christus in parabola de semine. Sed cur id aqua aspersum, cadauere polluatur, cogitent pij: perpendant quæ sit illa aqua, & quod & quale cadauer.

Quidquid super pectus.) Priuatum pedib. in nẽtrem ambulans, ut sunt serpentes. in hac damnatione, occurrat nobis antiquus ille serpens, qui satan est, de cœlo in terram deturbatus, & ij qui cum serpente pari execratione sunt, ut ab eorum consuetudine, conspectu, filijs, studijs, abhorreamus, & cum eo copulemur de quo legimus: Secundus homo ipse Dominus de cœlo.

Ego sum enim Dominus.] non alius, non mundus, non princeps mundi satan cui seruiatis per immundiciam. Concludit legem de discrimine mundorum et immundorũ per contentionem, qua declarat Moses legem non esse traditam solum ut cognoscatur, sed ut cognita animo & uita exprimatur. In hunc usum præstãt legis mittuntur interpretes prophetæ à Deo, quidæ legis mittuntur interpretes prophetæ à Deo, qui legem interpretentur, & ut perficiatur, sedulò admoneant, propositis præmijs eam exequentibus, & supplicijs contemnentibus.

Sancti estote.) à profanis rebus & impuris ad cultum mei separati. In sanctitate expẽdenda erunt hæc is qui uocat & sanctificat, qui Deus est: ij qui sanctificantur, qui Israelitæ sunt, hoc est scripti in libro uitæ: & is in quo & per quem sanctificamur, qui filius Dei unigena est Messias benedictus, ut his uerbis indicat Paulus: Quemadmodum elegit nos in ipso ut essemus sancti. Demum finis sanctificationis, qui salus est & gloria sanctorum.

Quia ego sanctus sum.] iustus, benignus, sapiens, uerax, quem uos imitari conueniat ut filios, quos degenerare à patre sit turpe. Huc spectans Petrus sic dicit: Tanquam filij obedientes ut non accõmodetis uos priscis concupiscentijs, sed quemadmodum is qui uocauit, sanctus est, ita ipsi quoq; sancti in omni conuersatione reddamini.

Ne polluatis animas uestras omni reptili. Legimus apud Apostolum: Mortificate igitur membra uestra terrestria, stuprum, immunditiam, molliciem, concupiscentiam malam. Hæ sunt humi serpentes bestiæ quas tantopere Deus auersatur in eo serpente de quo hæc sententia extat: Super pectus tuum gradieris.

Ego enim sum Dominus qui eduxi uos.) A iure redemptionis, Par est ut mihi seruiatis in puritate, qui uos uindicarim ex fœda & impura Aegypto. Hebræus habet, מעלה feci ascendere uos. Quo uerbo opponit ascensum selecti populi Aegypto in decliui sitæ, & humi serpentia animantia

populo ad celsitatem rerũ cœlestium translato, de qua illud: Nostra conuersatio in cœlis. Dominus qui suos Israelitas ex spirituali Aegypto liberat, Messias est. De quo illud: Vnus Dñs Iesus Christus. De cuius sanctitatis formis quas effingere deceat quos liberat, idẽ Apostolus: Quoniã quos præscierat, eosdẽ & præfiniuit cõformes imaginis filij sui. De hac cõformatione hic: Sãcti estote, quia & ego sanctus sũ, inuiolabili uidelicet ueritatis, sapientiæ, iustitiæ, uitæ sanctitate.

IN CAPVT XII.

MVlier si suscepto semine.) Moses exp sita lege de animantibus immundis, iam de impuritate quæ in homine cernitur, monet, seruato ordine quem in creationis mundi historia tenuit: in qua narratione post aquatilium, uolatilium & terrestriũ animantium descriptionem humani generis ortũ exposuit. Leges autem de hominis immundicia traditurus, primum à mulieris partu, qui reliquæ impuritatis origo est, incipit. Duo autem hic docet: unum, suam puerperio iam edito partu, à fluxione menstrui immundiciem esse: alterum, eã expiandam. Sed nobis hic laborandum non fuerit, ut de hominis ortu rationem explicemus, quæ seminis genitalis in mare origo, quæ eius sedes, quæq; natura, num in eo solo fœtus formãdi uis insit: neq; tractanda hic muliebris menstrui origo, sedes, atque unde et quomodo in locos ac uterum ueniat, quidq; præstet ad conceptum & partum, númne solum materiam ad alendum augendumq; fœtum ad iustam magnitudinem ac corporis statum præbeat, an etiam formandi illius uim habeat. Neq; hic docendum accuratius, quomodo fœtus in utero in mẽbra figuretur, quod inenarrabilis diuinæ sapientiæ opus est: quantoq; tempore fingatur in partes, dum moueatur animi sentientis munus præstans, quæq; membra prius formentur: non explicabuntur membranæ, quibus coactus iam humor in coaguli modum obducitur: non cor nativi caloris fons, non uenæ perennes ab eo primũ ortæ, non cerebrũ cordis uehementẽ calorẽ frigoris ui quã tenet, temperans: nõ cætera interiora membra, epar, lien, pulmo, spirandi officina: non uẽter & stomachus, non ossa & nerui, nõ lumbi, renes, uesica, & id genus reliqua, in quorum descriptione diuina solertia admirandum artificium declarauit: sed de ijs monebimus quæ ad cognitionem salutis, hoc est ad ueteris & noui hominis naturam intelligendam necessaria sunt: quam naturam nobis sacer sacræ scripturæ spiritus hic ostendit, cũ indicat quomodo puerpera impura reddatur, edito fœtu: & pura efficiatur, piacularis uictimæ beneficio. Qua in re hæc breuiter annotanda uidentur. Primò. Duplex homo est. Vnus uetus, alter nouus. Vetus ex terra terrenus est, nouus ex cœlo cœlestis. Deinde, ut uetus homo per se impurus non est, quem Deus condiderit ad sui imaginem, quiq; omnia quæ fecit, approbarit, bonũ ea esse pronuncians: sic nec conceptus, nec partus, nec propagatio humani generis quæ opera diuina sunt, per se impura iudicantur. Sic enim legimus in Genesi: Masculum & fœminam creauit eos, mandato illis dato: Crescite, & multiplicamini. Tertiò, ut peccatum initiatum primos parentes, ita etiam conceptus & partus deprauantur, illo dimanante in totam posteritatẽ: ut probat illud: Per unum hominem peccatum in mundum introijt. Quartò, in hac propagatione duplicem animaduertere licet impuritatem, alteram corporũ, alteram animorum: corporum quidem per impurum sanguinẽ: animorum uerò per fœdã concupiscentiã, in qua sacræ literæ omnes prauas affectiones ac cupiditates comprehendunt. Quintò, quàm autem corpora uitiata sint immundo sanguine, declarat ipsum muliebre menstruum generandorum humanorũ corporum materia. Huius enim superuentu acescunt musta, sterilescunt attactæ segetes, moriuntur insita, exurunturhortorum germina, & fructus arborum: quibus insedere, decidunt. Speculorum fulgor affectu ipso hebetatur, acies ferri præstringitur, aluei apum emoriuntur & in rabiem aguntur, gustato eo canes, atq; insanabili ueneno morsus inficitur. Sextò, hæc cum sit materia homini generando, mirum non est impiorum esse & conceptum & partum, prophetamq; meritò conqueri his uerbis: In peccatis concepit me mater mea. quæ uerba declarant ortum sobolis ueteris hominis aduersum iudicari ortui noui. Itaq; Ioannes: Qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt. Septimò, ut biparita est contaminatio, altera corporum, altera animorum: ita duplex lustratio in sacris literis proposita est, una qua pro ratione temporum, puerperij impuritas ciuiliter purgatur, altera qua animorum lues expiatur: illa hostijs pecudũ, hæc uictima rationali conficitur. Dico ciuiliter purgatur. Vera enim illa restitutio corporum ad integritatem, resurrectionis die conficietur. Octauò, hinc ad alterum hominem cognoscendum aditus patefit, ad hominem scilicet cœlestem ac purum à conceptu & partu. Is Christus est filius Dei è spiritu sancto, non humano semine conceptus: et ex uirgine, non ex muliere uiri semine sata natus. Nã quia is erat expiaturus noxam mundi, ut esset & à cõceptu & partu mundus necesse fuit. Etenim si conceptum & partum spectes, dicit propheta: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium. & Euangelista: Nã quòd in illa conceptũ est, à spiritu sancto profectũ est: quòd uerò ad expiationem peccati pertinet, legimus apud eundẽ Euangelistam: Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis. Nonò, qualis autem est is nouus homo, tales sunt qui ex eo nascuntur noua genitura, hoc est cœlestes & filij Dei non ex uoluntate uiri & carnis, sed ex Deo nascuntur. quibus contrarios gignit mulier, quæ hic à partu suo purgari iubetur. Cæterùm receptum est, fœtum in utero sex mensium spacio perfici: unde cognoscimus senarium, qui in mundi maioris creatione obseruatus est, in minoris mũdi qui homo est, generatione quoq; obseruari. Hæc est laus senarij rerum procreationi consecrati. Qui etiam in solis ad genituram stirpium & animantiũ destinati motu obseruatur. Qui per singulas reciprocationes, quæ binæ sunt, singulis sex mens. h. perficitur, quo stirpes moriuntur, & renascuntur.

Susce-

Suscepto semine.) Verbum זרע indicat mulierem instar terræ semen, hoc est materiam suppeditare, quam uirilis seminis uis formet & figuret in membra corporis humani, dum menstruum ipsum semen à maribus coaguli modo in se glomerat tempore ipso animandum corporandumq;.

Peperit masculum.] Marem ut præcipuum sexum præponit fœmellæ.

Immunda erit septẽ diebus.) In quorũ fine pleruncq; morbi inclinatio apparet. Septenarium igitur ex natura ipsa, & mystica diuinorum operum ratio obseruat.

Separationis menstruatæ.) Hoc est, pro ratione spacij quo mulier in languore quem menses afferunt fuerit. Harum enim fluxus fœminas graui dolore & infirmitate afficit.

Et die octauo circumcidetur.) Iam septem impuritatis diebus finitis. Remoue uelum. Circuncisio cordis locum non habet, dum fluit cruor menstrui, de quo propheta huc spectans: In die illa erit fons patens domui Iacob, & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ: ubi fons uitalis aquæ quæ manat ex spiritu filij, aperiendus scribitur pro luenti uitiorum menstruo in ipsius absterſionem.

Triginta diebus.) Exploratum est tanto temporis spacio reliquis octo diebus additis iam memoratis, masculi fœtus figurationem in utero perfici, duplo uerò longiore fœmellæ. Tradunt physici, mares magna ex parte circa quadragesimum diem moueri, fœmellam circa nonagesimum. Consulitur hac in parte muliebri infirmitati, ut amissas in partu uires hoc modo domi se continens recuperet.

Omne sanctum.) Vt sunt munera Deo oblata, de cimæ, panes sacri, uictimarum caro.

Sanctuarium.) atrium. Ratio mystica satis nota est ex illo prophetæ: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui ingraditur sine uitio, & agit iustè.

Sin autem fœminam peperit.) Duplicatur spacium purificationis edita puella. Traditur in utero gratius ferri fœmellam, tardius moueri, et eius partum difficiliorem esse. Sic omnia deteriora fœmina habet, quàm mas ex diuina sententia in illam lata, de qua in Genesi. Neq; id mirum. legimus enim apud Apostolum: Adam prior formatus est, deinde Eua: & Adam non fuit deceptus, sed mulier seducta, obnoxia facta est transgressioni.

Duabus hebdomadis.) Mare edito una assignatur. שבעים dualis numeri est.

Et sexagintasex dieb.) In mare sexaginta tres dies spectantur. si ad sexaginta sex quatuordecim addas, nonagesimus ferè dies existet, circa quem fœmellæ fœtus moueri incipit in utero.

Pro peccato.] חטאת est, sanguine igitur sanguis purgatur. Depone umbram. Vt ueteris genituræ sanguis omnia polluit, ita nouæ in Domino Iesu sanguis omnia purgat. Ideo propheta huc spectans sic ait: Cũ abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauerit. Huc referas nom & ueteris hominis à conceptu, partu, educatione, naturæ, uitæ & moribus discrimen, quod suprà delibatum est.

A profluuio sanguinis.) Vt impurus fons est sanguinis in ea quæ in menstruis est, sic מקור id est uena ac fons purus est sanguinis in eo de quo suprà ex Zacharia: In die illa erit fons patens Domui Iacob in ablutionem.

Orabitq; pro ea sacerdos.) Oratio intelligitur fulta uictimæ piacularis precio, quod innuit כפר. Constat igitur expiatio duabus rebus, uictimæ immolatione, & sacerdotis oratione. De uictima propheta: Tanquã ouis ad occisionem ducetur. De oratione idem: Et pro improbis orabit. Dices: Si Christus innocens illa uictima est, cur ergo Maria puerperij dies quibus se mundaret, obseruauit? Legimus enim apud Lucam: Vt darent hostiam secundum quod dictũ est in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum respondet Apostolus: Factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret.

IN CAPVT XIII.

HOmo.) Facta mentione de impuritate quæ in menstruis cernitur. Leges iam promulgantur de lepra, quæ è uitiato sanguine nascitur. Hic igitur nobis hæc fuerint expẽdenda. primò quid lepra sit, deinde eius genera, tũ quæ lepræ signa sint: quartò, penes quos sit iudicium lepræ, tum quæ leprosorũ separatio: sextò, quæ lepræ causa sit, demum lepra cuius rei significationem præferat. De singulis ordine ex litera.

In cuius cute.) Moses tria genera lepræ à reliquis affectis numerat, corporibus, uestibus, ædificijs. De ea lepra quæ corporis humani cutem uitiat primo.

Ortus fuerit diuersus color.] שאת tumor ex ardore natus in cute. huiusmodi in cute labem uidentur Græci φλόγωσιν appellare.

Aut quasi lucens quippiam.) בהרת à candore uitiũ cutis à Græcis λεύκη et à Latinis uitiligo alba.

Adducetur ad Aaron.) Munus inspiciendi lepræ, de quo & de ea iudicandi ad sacerdotem pertinere. de quo munere hæc breuiter notanda fuerint. Vt bipartita est lepra, altera corporum, altera animorum quæ in illo prurigẽte labe ac uitio natiuo totum hominem depascente cernitur: ita duplex sacerdotium, unum quo de lepra carnali, alterum quo de spirituali iudicatur. De potestate iudicandi carnalem lepram Moses hic statuit. de spiritualis lepræ inspiciendæ facultate quã Christus habet, & suis tribuit, apud Ioannem his uerbis: Accipite spiritum sanctum, quorumcunq; remiseritis peccata, remittẽtur eis: & quoruncunq; retinueritis, retenta erunt. Itaque ut carnalis lepræ cognitio pertinuit ad sacerdotes legales, ita lepra peccati totam ueterem naturam conspurcans à solo pontifice Christo, & ab ijs qui Christi spiritum habent, cognoscitur & iudicatur. Quamobrem qui spiritu Christi, quæ uera sacerdotij unctio est, carent, neque de peccato, neq; de iustitia pronunciandi potestatem sibi uendicare possunt: sicut nec alios quàm sacerdotes unctio sacerdotali oleo sas fuit de lepra carnali iudicare.

Qua

Qua ex re intelligitur quàm absurdè aduersarius sibi ius sumat, tum de peccato, tum de iusticia censendi, cũ eius ministri neq; ex lege Leuitica quæ exoleuerit, et abrogata sit, neq; ex Euangelij sanctione sacerdotes sint, ut qui spiritu Christi careant, & Euangeliũ odio habeant. Vt igitur perperàm ab illo sacerdotium ad imitationem Mosaici institutũ fuit: sic falso, quia Christus ad sacerdotes legales, leprosos misit, quos inspicerent, scrupulosa illa peccatorum, qua ad ficticios illos & rasos sacerdotes fieret cõfessio excogitata est. Non enim uenit Christus nouas ceremonias, noua decreta quæ in elementis mundi, oleo, sale, uestitu, rasura uersarẽtur, sancire, sed legem Mosaicam spiritu et ueritate implere: ut cognosceremus nos iudiciũ lepræ carnalis, figurã & umbram futurorum tenuisse, quæ iudicio spiritus Euangelij uerè iudicantis de noxa mũdi cederet. Quæ sanè potestas longè amplissima haberi debet, ut cui mundus eiusq; princeps satan & maxima quæq; in mundo subiecta sint, iuxta illud: Pater omne iudicium dedit filio, & ijs qui Christo per regenerationem insiti sunt: sicut quoq; maxima authoritas sacerdotij legalis fuit in iudicanda lepra carnali, cui ut obnoxij etiã reges fuerint, declarat ipse Ozias, qui cum factus esset leprosus temere suffitum faciens, statim ex templo à sacerdotib. ut habitaret seorsum, eiectus fuit. Itaq; propter tria sanati leprosi à Messia ad sacerdotes missi sunt. primò ne si secus fecisset, uideretur Mosaicam legem uiolare, ad quam non soluendam, sed implendã præstandamq; uenerat. Deinde ut ipsi sacerdotes de suis miraculis à se editis testimoniũ ferrent, quæ edituram Christũ propheta Iesaias præ dixerat. Denum ut reducto uelo mystici sacerdotij & carnalis lepræ ab eo sanatæ piorum animus ad cœleste sacerdotium de lepra spirituali iudicans, & eo liberans, transferretur.

Et pilos in album mutatos colorem.) Recitat signa lepræ, quorum unum albor est, si pili in affectione commutati fuerint in album. Physici dicunt lepram mutationem cutis esse in candidiorem colorem. Solet enim nasci ex frigido atræ bilis humore.

Ipsamq; speciem lepræ humiliorem cute.] Alterum signum, si depressior sit uitij facies. Tradũt enim lepram altius cutem depascere circularib. erosionib.

Plaga leprę.) נגע affectus, morbus, uitiũ, labes. Græci Hebræam uocẽ spectantes ἀφὴν uertunt. Vt λέπρα apud Græcos latius patet quàm uulgò accipitur, sic apud Hebræos suũ צרעת. Nõ enim sumitur pro affectu quo totus per corporis humani partes sanguis infectus est, sed labes est hic crescens, cutisq; pilos mutans in alborem, & altius illam depascens, ut ex duobus quæ iam indicata sunt, signis liquet. Hoc etiã modo à Græcis definitur λέπρα, quam dicunt cutis mutationem esse in habitum præter naturam altius ac depressius cutem erodentem, & in candidiorem colorẽ discedentem. Quæ ipsorum definitio cõuenit signis lepræ à diuino spiritu hic allatis. Qualis lepra non semper incurabilis est, neque indicia habet, quæ medici de lepra incurabili afferunt, ut est raucedo, raritas capilli, uenæ apparentes in facie & in pectore, fœtidus sudor, sanguis concretus, somnia grauia. Itaq; lepra generalius hic, ut patebit, accipitur.

Sin autem lucens cãdor.] Si signa adsint, sed incerta, quid agendum sit, monet.

Septem diebus.) septimo quoq; die physicorũ sententia morbo inclinante. Apparet hic sacerdotes Mosaicos peritissimos fuisse, & uicem medicorum apud Israelitas præstitisse, quib. lepræ cognoscendæ ius permissum sit.

Vltrà non creuerit.] Hebræis scita metonymia oculus pro מראה, id est specie in aspectum ac oculos cadente, in eorum pupilla rerum imagine ac formis relucentibus.

Si obscurior fuerit lepra.) בהה cõtrariũ est משה

Quia scabies est.) מיסמא igitur lepra non iudicatur, sed pro scabie ducitur. Non igitur quæuis macula ac labes immundum efficit, sed ea solum à consortio hominum separat quæ in corpore serpens cutis pilos in candidum mutat, & altius carnem depascitur. Remota umbra, ut nõ quæuis labes in corpore exorta exitialis est: sic nec omnes qui in animis cernũtur morbi, pernicioſi sunt à sanctorum cõmercio abarcentes. Legimus enim apud Apostolum: Debemus nos qui firmi sumus, infirmitates infirmorũ portare. Sunt enim quædam tolerabilia in Ecclesia sanctorum uitia, ut est rebellio legis corporis peccati aduersus spiritum, si illi non consentias. Feruntur etiam quædam in moribus uitia. Sunt item delicta quæ ferri nequeunt. De his Paulus: Scripsi uobis per epistolam, ne cõmisceremini cum scortatoribus. item: Ne erretis, neq; scortatores, neq; cultores simulacrorũ, neq; adulteri, neq; molles, neq; qui concumbunt cũ masculis, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neque maledici, neq; rapaces regni Dei hæreditatem accipient. Hic legimus corporis affectũ si maneat, nec carnem altius afficiat, in lepra non haberi: sic nec fœdam illam concupiscentiam, si cohibita intra coercentis spiritus terminos, non augescat, neq; proserpat lõgius, capitalem esse, sed ea affectos absolui nostri Aaronis, qui Christus est, sententia. Legimus enim apud Apostolum, non eos qui secundum carnem sed secundum spiritum uersantur à uinculo peccati esse liberos. Sed hoc sanè quid aliud est quàm quod hic de affectu consistente, nec ultrà serpente præcipitur, qui mundus pronunciatur sacerdotis sententia.

Si iterum lepra creuerit.] Depone uelum, adumbratur hic uitiũ peccati natiui sacro Messiæ spiritu nõ repressum. de quo Apostolus: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Item: Si ex carne uixeritis, moriemini. Hanc prurientem labem animi, in cute corporis crescens uitium lepræ, repræsentat.

Ipsa quoq; caro uiua apparuerit.) Expendendum fuerit illud eiusdẽ Apostoli: Debitores sumus nõ carni, ut secundum carnem uiuamus. item: Corpus quidem mortuum est propter peccatum.

Non recludet.) ad explorandum affectũ lepræ.

Sin autem efflorueriit.) ad summam cutem erumpente labe: quod signum sanitatis est. Reducto uelo sa-

nus fiat Dauid confitens, Nõ est sanitas in carne mea: item publicanus ille dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. contrà hypocrita leprosus habitus fuit fœditatis suæ non sentiens, & hunc in modũ noxã celãs: Deus gratias ago tibi, quòd nõ sum sicut cæteri: Hic lepra absolui ac liberari dicitur, cuius summam cutem totam uitium occuparit. contra compositi sunt hypocritæ, in quorũ lepram his uerbis Christus inuehitur: Væ uobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui purgatis exteriorem poculi patinæq; partem, cæterùm intus omnia plena sunt rapina & intemperantia. Hinc etiã illud: Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc aũt cum dicitis, Videmus, peccatum uestrũ manet. Lepra affecti sunt qui per impœnitentiam suorum scelerum sensu nullo tanguntur. Quales describit Iesaias uates: A uestigio pedis usq; ad uerticem nihil est in eo sanum:

In quo ulcus natum est.] Quo genere morbi Aegyptios legimus affectos. Hoc genere supplicij animaduertit Dominus in eos qui uerbum ac oracula sua contempserint iuxta illud: Si uolueris audire uocẽ Domini Dei tui, percutiet te Dominus ulcere Aegyptio. Dicum interpretes ex sanguine adusto ac inflammato huiusmodi ulcera fieri. Itaque in Exodo legimus: שחאין עבעבת.

Septem diebus.) Non temerè pronunciandũ esse de ultio lepræ. Nos legimus de pontifice Christo: Nõ secundum speciẽ oculorũ, neq; secundũ auditũ auriũ, sed secundum iusticiam iudicabit. Est septenarius explorandi probandiq; numerus. Vt legimus de argento apud uatem: Purgatum septuplum.

Vlceris est cicatrix.] Similiter paraphrastes pro צרבת uertit רשום. Hebraica uox indicat adustionis ex qua ulcus natum sit, notam esse.

In capite.) Uiri aut fœminæ.

Vel barba.) In mento uiri barba insigni. Legislator discrimen assignat, quo affectus qui cutẽ afficit, ab eo qui locos capillorum tenet distinguitur, alterũ albo, alterum flauo pilo iudicari.

Quia lepra capitis est.) נתק affectus capitis cutem lacerans ac exulcerans. Notum uerbum est נתק. Porriginem nonnulli à Latinis dici putant, Græci uaria nomina habent, quibus uitia in capitis cute enata efferũt, ψυλάξαι, ἐξανθήματα, ἀχῶρ, σιτυρίασις.

Candor apparuerit.] Quod uitium latini utiliginem albam uocant, Græci λέπυρα ex lenta pituita natũ. Nam est uitiligo nigra quæ ex atra bile oritur.

Vir de cuius capite.) Viri meminit, non fœminæ, ut quæ humoribus abundans non caluescat. Medendo autem caluit o Physici oleum ut uocant tartari adhibent, quòd & cadentes pilos restituat: & qui nati nõ sunt, nasci faciat. Nam hoc oleum & tenue esse ualde, & non exiguã caloris uim habere constat. Calore aũt & humore capillos & euocari & conseruari ut omnia, constat.

Quicunq; ergo maculatus fuerit lepra.] Separãdum esse à cœtu Israelitarũ, ne quos contagio morbi inficiat. Quinq; ergo rebus is notatur. una. est uestimentũ dissolutũ: altera, caput detectum: tertia, os uelatum, quarta, habitatio ab hominũ consuetudine separata: quinta, publica proclamatio, qua immundus proclamatur, ut indignus qui inter Israelitas uersetur. Hæc signa opprobrij & luctus de morbo erant. Vmbra submota, offertur ex cœtu sanctorum exterminatio leprosorum affectorum. de quibus Apostolus: Ne ducatis iugũ cũ incredulis. quæ enim pars fideli cum infideli? Exemplum separationis ostenditur in eo qui cum nouercarem habuit. Si uestitum lacerũ spectes, carent ornatore amictu uitiorũ animi lepra polluti. de quo prophe-
ta: Indutus est iusticia. item, Vestimentũ dissolutũ est, carens cinctu. de quo Paulus: Cincti estis baltheo ueritatis. Sin detectum caput, occurrit nuditas à dotib. diuini spiritus plena opprobrij. de qua apud Ezechielem, Nuda eras, & confusione plena. Velatum aũt os notat fœdum illũ habitũ ac spiritũ pestiferũ prauorum colloquiorum. de quibus Apostolus ex Græco uate: Corrumpũt bonos mores colloquia praua. Huc pertinent falsæ doctrinæ instar cancri per corporis Ecclesiæ membra serpentes. de quibus idem Paulus: Et sermo illorũ ut cancer morbus pastionẽ habebit. Hæc est uera illa lepra quæ quos hoc seculo inficiat, & superioribus infecerit, satis notũ. Hic igitur prudenter legislator leprosi os uelandũ esse monet, ne uenenato halitu cæteros polluat. Neq; desunt exempla eorũ quos Deus ob linguæ intemperantiam lepra affecerit. Vt Maria Mosæ soror documento est. Solitariæ autẽ habitationis umbram exponit Dominus Iesus: Sit tibi sicut ethnicus. Et Apostolus: Cum huiusmodi ne cibum quidem capiatis. Demum quòd proclamatur leprosus publicè, id ipsum est quod Dominus mãdat: Dic Ecclesiæ, id est publicis ministris, qui nomine Ecclesiæ publica sententia publicè scelerato in uiam redire non uolentes Ecclesiæ consuetudine & sacris prohibendi iure habent. de quo iure illud: Quæcunq; alligaueritis super terram, & c. Item: Quorũcunq; remiseritis, & c. Hæc est Ecclesiastica potestas claues regni cœlorum continens, munita spiritu Euangelij. Quæ potestas si in Ecclesijs uiget, bene res habet: sin minus, ministri in Eccclesijs regnũ obtinent sine sceptro. At nec quia Apostolus dicit, Hæc umbra sunt rerum futurarum, corpus aũt Christi: ideo non licet tempore noui fœderis, corporis lepra infectos ex hominum cœtu eijcere. Nã in ceremonijs Mosaicis quædam sunt quæ naturæ iudicio honesta iudicantur, quædam à legislatore liberæ uoluntate natura ea non obseruante, tradita sunt: hæc abolita Euangelij superuentu esse, illa uerò retineri debere, quia naturæ consentanea sunt, fatemur. In hoc ordine sunt quæ ciuilis honestas, ad conseruandum rerumpublicarum integrum statum, commendat.

Vestis linea siue lanea.) Alterũ genus lepræ quod in ueste cernitur. Contagiosa labes erat, quæ uestimẽ-
ta polluens, corpora quoq; facile tentabat, ut mox altero capite patefiet.

IN CAPVT XIIII.

Hic est ritus leprosi.) Lex purificãdi leprosi exponitur. in quo ritu duo genera cæremoniarũ commemorantur. Vnum genus earum est quibus purgatio

gatus leprosus ius ingrediendi in castra Israelitarum consequebatur: alterum quibus expiatus etiam in sacram ædem & domum suam admittebatur.

Quando mundandus est.) Primò hic monemur, leprā uitium fuisse curabile, quæ nimirum eam leprā repræsentaret quam percussus à Deo curaret, de quo Propheta: Iudicauimus eū percussum à Deo, morbos nostros ipse tulit. Deinde, non electos leprosos ut perirent, sed sanati redirent ad cœtum Israelitarum. Remoto uelo legimus illud Apostoli: Tradatur satanæ ad interitum carnis, quo spiritus saluus sit in die Domini Iesu Christi. Hanc traditionem repræsentabat uestitus in leproso laceratus ac dissolutus, caput detectum, os uelatum, separata habitatio. Demum admonemur nō mundari leprosum, nisi expiato lepræ affectu. Quæ expiatio continebat uictimæ immolatæ sanguinem, oleum, aquas uiuas, cedrum, coccum, hyssopum, rasos pilos, auē auolantē, similaginē aspersionē sanguinis.

Adducetur ad sacerdotem.) utroq; munere & soluendi & ligandi ad eum pertinente.

Duos passeres.) Formam pro genere usurpat. Auiculas habet Hebræus, non passeres. Rectè Græci ὀρνίθια, & paraphrastes צפרין. Nō ex terrestribus animantibus petuntur uictimæ quibus expietur lepra ex atra bile terreno humore nata, sed ex uolucrib. in cœlo uersantib. Deposita figura cœlestis hostia Messias occurrit, lepram peccatorū ex terra ortam sanans & expiās. Non referre quo de genere aues accipias, modò uiuæ sint & mundæ. Vitæ quidem, quæ declarēt eum qui mortuus fuerat de lepra, uitæ restituū: mundæ autem, quē mundū qui immundus fuerat, indicēt. Ostenditur hic usus discriminis animantium mundorū & immundorum, de quo suprà.

Et lignum cedrinum.) Cedri laudantur à firmitate, quarum materies fidelis sit aduersus putredinem & uermium iniuriam. sed interdum his comparantur superbi principes & potentes orbis terrarum tyranni. De quib. illud: Cōfringet Dñs cedros Libani. item: Vidi impios eleuatos ut cedros Libani: transij, ecce non erant. Vnde nonnulli commoti sunt ut uelint materiam cedrinam delectam ad significandos eos lepra ferè affici, quos superbia & fastus per cedrum repræsentatus aduersus uerbum Dei extulerit. ut sunt exemplo Maria soror Mosæ, rex Ozias, seruus Elizæi.

Vermiculumq;.] Coccus iteratus qui suprà texendis tapetis tabernaculi adhibetur, hic in mundando leproso à tabernaculo excluso usurpatur. sed interdū labes ac uitium peccatorū cocco cōfertur. de quo mox.

Et hyssopum.) herbā, cuius succus purgando sanguini prodesse fertur à physicis.

In uase fictili.) Lepra quæ uas fictile corporis leprosi inuaserat, uictima in uase fictili mactāda expiatur. Nos legimus de fragili expiatorio uase apud prophetam: Attritus est propter scelera nostra.

Super aquas uiuentes.) Leproso mundando, cuius sanguis mortuus fuerat, adhibentur aquæ uiuæ. De uerè purgantibus aquis legimus apud prophetam: Effundam super uos aquam mundā, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris.

Alium autem uiuum.] Viua auicula sub dio, & in cœlum dimissa, sacrum symbolum erat leprosi uitæ, & pristino iuri libertatis restituti, qui exclusus à consortio hominū & in solitudinem relegatus fuerat. Monet cœleste animans in sanguinē uolucris uictimæ immersum, sanctos repurgatos à lepra peccati, & renatos ex aqua et spiritu sanguinis Iesu, cœleste hominem conuersationem suam in cœlo habentes effici. De qua illud: Nostra autem conuersatio in cœlo.

Cum ligno cedrino.) Aspergillū fit ex cedro, cocco, hyssopo in sanguinem uictimæ tinctis. Sic piacularis uictimæ sanguis efficax fit ad purgandum ac expiādum, in se suscepto cocco de quo Iesaias: Si peccata uestra fuerint ut coccus, quasi nix dealbabuntur.

Quo asperget illum.] De uera aspersione legimus illud Apostoli: Per sanctificationem spiritus, et aspersionē sanguinis Iesu. & de hyssopo pœnitētiæ et renouationis nostri illud Prophetæ: Asperges me Dñe hyssopo, & mundabor. Hæc hyssopus spiritus Euangelij est per afflictionem ueteris hominis mundans impuritatem. Aegyptiorum postes hyssopo in agni sanguinem tincta aspersos suprà legimus, ut à grassatore angelo Israelitæ tuti forent. Impura igitur Aegyptiorū superliminaria, & lepra pari ratiōe purificantur.

Septies.) Mystrium satis notum ex Iesaia.

Radet omnes pilos.) qui ex nigro in candorem mutati lepræ indices fuerant. Deposito uelo occiurit illud: Exuistis ueterem hominem, & induistis nouum.

Purificatus.] ad uesperam.

Die octauo.] Alterum genus ceremoniarum describit, tres uictimas continens. Vnum אשם, alterum חטאת & אשם, tertium עולה de discrimine חטאת suprà capite 5. Et meritò hic fit mētio אשם. Nam in purganda lepra, ad noxalem uictimam multa leproso indicitur, quam pendat ignominiosè ab Israelitarū cœtu separatus. Nominatur hic octauus dies qui quod æqualiter ad unū usq; diuiditur, iusticiæ quæ æquabilitatem in omnibus seruat, tribuitur. Hinc octo homines in arca seruati leguntur, & octauo die Abrahami soboles circumcisa. Prouerbium illud non commemoro, ἄπαγε τὰ ὀντά.

Tres decimas similæ.] cuiq; uictimæ cū tres sint, decima Ephi parte destinata. Ab Hebræis Gomer, à Græcis Chœnix dicitur.

Quæ conspersa sit oleo.) excepta piaculari uictima, cuius Minha oleo caret.

Oleiq; sextarium.) לג uocem aliàs nō reperias. Mensura fertur fuisse quæ sextam congij partem contineret, hoc est duas heminas. Hebræi sex oua complexum lugum dicunt. Græci λοτύλην.

Auriculæ dextræ.] Vt audiat legem Dei, cui cum nō obtemperatur, lepra rebelles Deus afficit. Exempla paulo suprà adducta sunt.

Et super pollices.) Mysticôs, doctrinam Euangelij operibus charitatis declarandā. Aures igitur imbutas noxalis uictimæ sanguine non habent, de quibus Propheta: Obdura aures populi huius, neq; pollicem tum manus tum pedis dextrū tinctū habent ij in quos illud dicitur: Non quisquis dicit mihi, Domine, Domine,

ne,intrabit in regnum cœlorum:sed qui fecerit uolumtatem patris mei qui est in cœlis.

Super sanguinem.)super locum sanguinis qui est auris dextra sanguine tincta.aut infrà legimus:Super locũ sanguinis. Vtrũq; igitur cũ altero in purgãdo leproso coniungitur,atq; neutrum sine altero pderit.De sanguine legimus illud: In quo habemus redemptionẽ per sanguinẽ.De oleo uerò id est sacro spiritu liberante lepra natiua peccati:Nam lex spiritus uitæ perChristum Iesum liberum me fecit à iure peccati & mortis:

Decimamq; partem similæ.)solum uno nimirũ agno noxali libato .secus suprà,ubi tribus agnis tresdecimæ Ephi deputantur.

Cumq; ingressi fueritis terram Chanaan.) Tertium genus lepræ,quod cernitur in domibus terræ Chananææ. Omnia pura in populo sancto debẽt esse corpora,uestes, domus,cibi,uasa. Nec id mirũ,ut in quo Deus habitet,qui de se dicit:Ego sanctus sum.

Si fuerit plaga lepræ.) Hebræus indicat domus terræ Chananææ lepra à Deo infici.Quos historicos Iosephus reprehẽdat literis prodentes,ideo Israelitas ex Aegypto expulsos, quia lepra affecti essent, apud eum libro tertio Antiquitatum Iudaicarum uideris.

IN CAPVT XV.

VIr qui patitur fluxũ seminis.)Hebræi, Græci & Latini interpretes fluxionẽ hanc de gonorrhœa interpretantur. Quod uitiũ genitali semine sine uenere,sine nocturnis somnijs destillantet,abe nisi desinat,hominem ipsum conficit.At uidetur hic triplex fluxus indicari:unus generalis, quo de quacunq; parte corporis sanies defluxit:alter,quo ex uiri corpore genitura effluit:tertius,muliebris menstrui est.

Immundus erit.) Verius immundus quẽ defluens ex concupiscentia carnis sanies conspurcarit . De qua impuritate Petrus his uerbis : Qui carnẽ sequentes in concupiscentia pollutionis ambulat.

Adhæserit carni.) siue defluet corporis fœdus humor,siue corpus præclusum erit. רר est instar saliuæ fluere . Nam ריר saliua est,iuxta illud in Samuele: וירדר ריררו עלזקנו Qui de gonorrhœa interpretantur, dicunt genituræ ex mẽbro genitali interdũ tenuius instar saliæ fluere,interdũ crassius.genitale mẽbrum præcludens. Nã interdũ semẽ tenuius ac frigidius effluit,quod infœcundũ esse fertur:interdũ crassius & calidius,quod fœcundũ est.A qua crassiore spuma seminis pleni animali spiritu et fœtifico,ueteres uenerem ἀφροδίσιον appellarunt.Hebræis תחתים obsignandi uerbum pro præcludendi . Solent enim quæ obsignantur claudi.

Omne stratum in quo dormierit.) Omnia ista fluxione contaminari,lectũ,uasa,uestes,homines.Notum est illud:Immundis omnia immunda.Hæc est purulentæ concupiscentiæ ueteris hominis immundicies, quæ primo animò, deinde omnia in quæ defluxerit eius sanies,polluit.Vt sunt scortationis,adulterij auaritiæ,iræ,ambitionis,fœda exempla.

Si sanatus fuerit.) Exponitur lex purificandi, quæ cernitur in abluendo,in obseruatione septem dierum, qui ad purificationem sunt numerandi cum certis uictimis quibus litetur.

Et lotis.]Prophetа ueram lotionem explicare dicit:Lauamini,mundi estote,auferte malũ cogitationũ uestrarũ ab oculis meis. Ciuilis illa, & externa mutatio præsentis uitæ præmia habebat :interior illa & spiritualis æternæ habet.de quibus illud: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt.

Duos turtures.]Cœleste animal ad expiandã significatur. Notatur uictima illa piacularis de qua Apostolus:Secundus homo de cœlo cœlestis.

Vir de quo egreditur semen coitus.] Alij interpretantur de eo cui genitale semen ex concubitu aut aliter:alij de eo cui noctu in somnio defluxerit שכבת interpretibus hic שפבת defluxio est.Suprà lex traditur de eo qui perpetuo fluxu seminis laborat: hicde eo ex quo ad tempus semen effluxerit.Huius immundi dictiã partim ortus,partim qui ex eo gigni fœtus, partim libido ac cupiditas in carne aduersũ spiritũ sanctũ mõstran.Si conceptũ & fœtũ spectes,legimus:Quod natum est ex carne,caro est, caro aũt ut audiat,ostendit illud:Caro & sanguis regnũ Dei possidere nõ possunt.Sin ortum,nascitur genitura ex sanguine ultimo animantiũ alimento,qui ut corruptus sit in uetere homine,indicat Ioannes:Qui non ex sanguinibus, Huius fœditatis cognitio excitat ad aspirandum,ad regenerationem,qua in nouum & cœlestem hominem renascamur ex puro & immortali semine uerbi Dei,quod Christus est ab ortu,conceptu & partu mundus fœtus, uera illa hostia piacularis, omnia quæ genitura prioris Aadmi amissa sunt,reparans,iusticiam,integritatem,uitam.Meminere hic sacræ literæ duorum principiorum generationis humani generis, maris & fœminæ:huius quæ à menstruo,illius uerò qui à genitalis seminis fluxu impurus sit:ut cognoscamus,quæ ueteris hominis origo & natura sit,quisq; noui & cœlestis ortus.In libris Regum ut coitus cum muliere impuritatem suam habeat, docet sermo Dauidis ad Abimelechum sacerdotem: Etquidẽ si de mulieribus agitur, iam tertium diem cum his nullum cõmercium habuimus,sunt seruorum tuorum corpora casta.

Mulier quæ redeunte mense.]Exponitur menstrualis fœminæ lex.Menstrua ad lunarẽ, quo omnes humores gubernantur, motũ fluentia fœminis,copiam cruoris minus concoct,iphysici tradunt esse. Vnde minus non est,ueneno muliebria menstrua infici, & impura haberi.In homine aũt quoniã caret ijs partibus in quas in cæteris animantibus uertitur excrementũ, ut sunt cornua, ungulæ,rostra, pili per totum corpus sparsi, & si quæ eius sunt generis,genitura copiosior est,in fœmina tamẽ maior uis defluit,in mare minor, In hoc enim caloris ui superfluus humor magis digeritur,in illa minus.unde fœminæ quoq; infirmores uiris ut calore minus uigentes,iudicantur.Hæc est materia homini generando,quã fœmina præbet, genitalẽ uim quæ materiã immundã formet,& in corporis partes figuret mare subministrante. Hinc præstantior quoq; sexus mas,deterior fœmina cẽsetur.ut ipsi materiæ ineptæ hac rerũ uniuersitate mouẽs et efficiens causa accelerat.Atq; eã ob rẽ mari hic tribuitur genitale semẽ gigen-

gnantem ſpiritum continens, fœminæ autem menſtrualis ſanguis materiam alendo fœtui præbens. Nam de uiro legimus: Vir ex quo genitale ſemen efſluxerit. de fœmina autem: Mulier quæ patietur menſtrua. At ut Latinis menſtrua à menſibus quos luna regit, ita à Græcis καταμήνια dicuntur. Quæ decreſcente lunari lumine potius mulieribus defluunt, quòd hoc tempus frigidius ſit, & humidius propter ſideris defectionem.

Si coierit cum ea uir.) De cubatu intelligitur quo uir cubarit in eodē cum muliere mēſtrua patiente lecto, nō de coitu. Nā de hoc infrà alia lex ſancitur his uerbis: Qui cōcubuerit cū muliere in fluxu mœnſtruo, & aperuerit turpitudinē eius, ipſaq; aperuerit fontē ſanguinis ſui, interficientur ambo de medio populi ſui.

Duos turtures.) Seliguntur ad uictimā expurgantem impuri humoris fluxionē, quæ natura calidiore et ſiccioreq; magis ignea ui præditæ ſunt aues. ſiccæ aūt & calidæ naturæ indicium eſt, quòd ouа teſta contecta edunt.

Docebitis ergo.) uos ſacerdotes quorū munus ſit diſcernere inter profanū & ſacrū, inter mūdū & immundū. Hebræ. רחדר תם habet, quod eſt ſeparabitis. Vindicandos eſſe à rebus immūdis Iſraelitas. Concludit legem de fluxione.

Et quæ menſtruis temporibus.) Mēſtruorū impuritatis ſæpe meminere prophetæ. Ieſa. Et diſperges ea ſicut immūdiciā mēſtruatæ, idolis mēſtruo cōparatis. item: Facti ſumus ut immūdi nos omnes, et quaſi pānus mēſtruatæ uniuerſa iuſticia noſtra. Humana iuſticia comparata pannis menſtruo pollutis.

IN CAPVT XVI.

Poſt mortem.] Deſcriptio publicæ expiationis qua tria ut ſolenniter expientur, indicātur, ſummus ſacerdos cū domo ſua, ſanctuariū cum ara aurea ſuffitoria, & populus ipſe. In qua lege hæc conſiderāda fuerint. primò, quæ uictimæ adhibitæ ſint à ſummo ſacerdote in expiatione tum ſui, tum eccleſiæ Iſraelitarum: deinde, quis ritus obſeruatus in litando: tertiò, quo tempore ſacra paracta ſint: demum, quæ ſignificatio horum ſacrorum fuerit. De ſingulis ſuis locis.

Non omni tempore.] ſed certo tempore à Deo conſtituto. Loquitur de illa parte tabernaculi in qua penitius ſacrariū eſt arcā oraculārē continens, in quā ſemel in anno ingrediebatur pontifex, et tum cum certa erant mouēda ad complicanda ea quæ in ſanctuario erant, ueluti ex Numeris patet.

Vt non moriatur.) exemplo filiorum.

Niſi hæc antea fecerit.) Exponit uictimas quib. ſacerdos expietur. Hebræus habet: Sed cum his ingrediatur Aaron in ſanctuarium cum iuuenco.

Pro peccato.) Pontifex primò ſua delicta expiat, deinde populi. Par eſt enim prius purgatū reddi interceſſorem ſacerdotem, q̄ populum pro quo litatur. Ratio in Chriſto arbitro & interceſſore nota. Quæ aūt in hoc & Aarone diſſimilia & ſimilia ſpectentur, aliàs indicatum.

Tunica linea.] Omittitur hic mentio Hoſchenis, Ephodi & מעיל. Suprà enim his uerbis meminit illorum: Vt audiatur ſonitus quādo egreditur & ingreditur in ſanctuariū. Quo ueſtitu noſter pontifex amiciatur expiaturus noxam mundi, & placaturus iram Dei, oſtendit eius conceptus è ſpiritu S. & ex uirgine natiuitas.

Suſcipietq; ab uniuerſa multitudine.] Exponit uictimas quibus populus expietur. Hi duo hirci erant piaculares, & aries holocauſto deputatus.

Cumq; obtulerit.) ad portam tabernaculi.

Vitulum.) iuuencum de ſuo pro ſuis peccatis.

Et orauerit pro ſe.] confeſſus ſuper piaculari hoſtia ſua, & ſuorum peccata. In בפר quæ res contineantur, ſuprà indicatum.

Mittens ſuper utrumq; ſortem.) Interpretes monent hanc fuiſſe conſuetudinem. Arculas habebant in quibus duæ ſchedæ erant, in quarum una ſcriptum legebatur ליהוה, in altera לעזאזל. Quam igitur dextra extrahebat, eius hirci index erat, qui à dextra ſtabat: quam uerò ſiniſtra, eius qui à ſiniſtra. De uocula עזאזל controuerſia eſt, alijs interpretantib. pro proprio montis propinqui Sinæ nomine, alij pro malorum depulſore. ἀποπόμπαιος enim θεὸς, alio nomine ἀποτρόπαιος et ἀλεξίκακος, quaſi malorum ac calamitatum depulſor appellatur. Si interpreteris עזאזל idē ſonat quod עז id eſt capra אזל, id eſt abijt.

Quod de prunis altaris.) uictimarij in atrio poſiti. De cuius latere occidentali quod tabernaculi oſtiū reſpiciebat candentes carbones ſumebantur. Itaq; legitur hic quod omittit interpres מעל פני יי.

Et hauriens manu.) Vtriuſq; manus uolas odorato ſuffimento impleri ſolitas, ut quidā interpretantur, indicat dualis numeri uox חפניו. Quæ manus uolæ oſtendūt orationem niſi fidei ſanctis ſtudijs ac actionibus ornata ſit, nullā uim habere. Legimus enim illud: Longè eſt Dominus ab impijs, & precationem iuſtorum exaudiet,

Compoſitū thymiama.) Primò ad faciendū ſuffitum carbones tollit ex ara uictimaria: deinde cū ſuffimento intrat intra uelum ad propitiatorium incenſa nube operiendū. Primò igitur hic ſignificatur ſine precatione ſummi antiſtitis Deum non placari. de qua Eſaias: Pro improbis orabit. item apud Ioan. Pontifex noſter: Non pro eis tantū rogo, ſed & pro ijs qui creditури ſunt in me. Incenſum aūt orationis ſymbolū eſſe declarat illud: Et aſcendit fumus incenſorū de precib. ſanctorū è manu angeli corā Deo. Deinde monemur, preces nullam uim tenere niſi fiant ad propitiatorium. Legimus igitur apud Euangeliſtam: Quæcunq; petieritis nomine meo à patre, dabit uobis. Tertiò, ut nobis hic ſalutis oracula aperit Deus per nubem, ita in ſuffiminis nube noſtram orationem penetrare ad diuinas aures, dum uenerit id quod perfectū eſt, ubi omni abſterſa nube, coràm contemplantes Deum, potiemur omnibus ad quæ per incenſorum uaporem delata oratio aſpirauit. Demum cognoſcimus hic, niſi ex uictimaria ara ſumantur prunæ, Deo gratum ſuffimentum non confici, quod eius iram de noxa placet.

Qua in re indicatur, unius immolatæ hoſtiæ, quæ

Christus est, beneficio nobis uiam muniri ad supplicatorias suffitiones.

Et positis super ignem.]Idem ignis qui holocausta perficit, suffitum fragrãtia sua suauem Deo parat: Ratio euoluto typo sanctis nota.

Nebula eorum & uapor.) Hoc loco utuntur qui illud superius, Quoniam in nube apparebo, de suffiminis nube propitiatorium obtegente exponunt.

Tollet quoq; de sanguine.]Iungitur cum incenso tauri piacularis sanguis, sine quo nimirum oratio nihil ualeat. Aaron cum sanguine ingreditur in sanctuarium cuncta expians: noster quoq; pontifex cum sanguine ingreditur. sed is per proprium sanguinem, ille cum hircorum & taurorum sanguine: alter in sanctuarium terrenum & manu factum, alter in cœleste & sine manu extructum. Vterq; igitur in sanctuariũ ingreditur, uterq; sanguine cuncta purgat, uterq; uestitur sacerdotali amictu, uterq; incensum ac suffitum facit: sed quo discrimine id fiat, ex unctione discimus.

Ad Orientem.) ubi uelum est, quod ad Orientem ipsi sacrario erat. Ad hoc autem uertebat se sacerdos expians interius sanctuarium.

Et expiet sanctuarium.) interius, quod decem cubitos longum erat, & totidem latum. Eadem ratione reliquum tabernaculum purgandũ, quod latum decem cubitos & longũ uiginti erat. Hoc similiter sparso sanguine contra propitiatorium, & super cornua aræ suffitoriæ expiandum esse.

In medio sordium.) Dominum non dedignari habitare inter impuros, sed quos puros ac mundos sanguine sacræ uictimæ reddat. Locus is plenus consolatione est. Itaq; Christus: Non ueni ad uocandos iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Explicatur hic quid sit expiari sanctius sacrarium.

Nullus hominum sit in tabernaculo.) Summũ sacerdotem unum expiare omnia. si nostrum spectes, legis illud: Vnus enim Deus, unus etiam conciliator Dei & hominum Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. item: Qui factus fuit pro nobis sapientia à Deo, iusticiaq;, & sanctificatio.

Donec egrediatur tabernaculum.) Expiatis omnibus, reliquis quoque sacerdotibus in tabernaculum ingrediendi potestatem fieri. Ratio nota erit reducto uelo.

Cumq; autem exierit ad altare.) uictimarum in atrio positum. Nam paulo suprà suffitoria expiata legitur.

Et sumptum sanguinem.) Ad mysticam rationem pertinet hircini sanguinis uis expensa. Nam ada mantis inuicta uis duarum uiolentissimæ naturæ rerum ferri ignisq; cõtemptrix hircino rũpitur sanguine: sed longè potentior nostri hirci sanguis qui peccatum, mortem & potestates mortis ferreas uincit. De qua ui his uerbis Apostolus: Expoliatosq; principatus ac potestates ostentauit palàm triumphãs de illis per semetipsum.

Confiteatur omnes iniquitates.]Hic notandum fuerit, confessionem peccatorũ necessariam esse ad expiationem: deinde illa in hircum conferenda: demũ in terram uastam hircum cum delictis dimittendum. Si Christum spectes, is aliena peccata pro suis confitetur cum dicit: Delicta mea nõ sunt à te abscondita, qua in re ab Aarone differebat, qui & sua & aliena super hirco confessus est peccata. præterea nec deest hircus in quem congeruntur delicta de quo Prophẽta: Et iniquitates eorum ipse portabit. Item: Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum. Cernitur & desertum in quod is hircus dimittitur à feris, hoc est sceleratis interficiendus: in quorũ numero est princeps mundi scribæ item, Pharisæi, & pontifices ministri principis mundi. de quibus feris in solitudine grassantib. illud: Hiant super me ore suo ut leo discerpẽs et rugiẽs. Itaq; sunt qui Azazel interpretati sunt immunda potestate quæ satã est serpens ille antiquus solitudinis huius mundi præses. Huius ludibrio expositum piacularem hircum. Deserti igitur nomine, crucis & calamitatis status accipitur, in quem ablegatus noster hircus noxam mundi expiauit. Vasta terra aquis, mansuetis animãtibus, urore caret. In sua igitur solitudine cum esset Christus caper, clamauit omni tũ humano tum diuino præsidio & consolatione destitutus: Deus meus cur dereliquisti me? In hanc solitudinẽ abeundum quoq; est relicto huius mundi splendore, his qui participes huius capri uolunt esse. ut monet Ioannes: Ne diligatis mundum, neq; ea quæ in mũdo sunt.

Per hominem paratum.] idoneum & commodum qui suo tempore, hoc est decimo die Septembris laxet hircum. Tale sonat עתי.

In loco sancto.) in atrio ubi labrum erat.

Induatur q; uestibus suis.) pontificijs, exutis uestibus lineis in quibus prius sacra fecerat.

Holocaustum suum.) qui aries erat ut & plebis.

Et adipem.]tauri & hirci.

Lauabit uestimenta sua.) Dicas, quomodo qui ob mandatum Dei immundus redditus est? Quòd mandatum obijt, mundus erat: quòd appropinquauit uerò impuro Azazel, immunditiem contraxisse dicitur.

Mense autem septimo.) Hoc ipsum est quod suprà legitur: Non quouis tempore in sacrarium ingrediendum esse pontifici, sed certo quod hic indicatur. Est & suum expiationi noxæ mundi constitutum tempus, de quo illud Apostoli: At ubi uenit plenitudo tẽporis, emisit Deus filiũ suum factũ ex muliere. Septimus autem mensis seligitur, quod septenarius quietis acplacationis numerus sit. Hinc septem dies Noa expectasse legitur, dum emitteret columbam pacis nunciam ex arca. Sic hic septimo mense Israelitæ expiato peccato piacularis uictimæ beneficio quietem placato Deo adipiscuntur. sed ueritas in quiete ac pace uersatur de qua illud: Iustificati ex fide pacem habemus erga Deũ per Dominum nostrum Iesum Christum.

Decimo die.] Denarius numerorum perfectio est & finis. conuenit in placatorium sacrificium, quod expiato peccato in cruce, dixit: Iam consummatum est.

Affligi-

Affligite animas uestras.] Periphrasis ieiunij, in quo omnis earum rerum quæ carni uoluptatem afferunt, abstinentia continetur. Itaq; Hebræi dicunt quoties loco ubi ponitur עברי ciũ נפש significari ieiuniũ & abstinentiam. Sic enim aiunt רחבלל כל עברי שיבוצא במקאא דבק עם נפש חיא צרם. Locus mysticus qui declarat piacularis uictimæ Christi beneficia ad eos pertinere qui ueteris hominis cupiditates refrenãt, ac eius studijs nuncium remittũt: Hinc illud Ioannis baptistæ hunc locum explicantis, Pœnitentiam agite, in propinquo est regnum cœlorum: id est publica remissio peccatorum per Dei filium peragenda. Et illud Iesaiæ: Nónne hoc est ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis. frange esurienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domũ tuam. cum uideris nudũ, operi eum. Tunc auroræ modo lux tua erumpet, & præcedet te iustitia tua. Et hoc ipsum est quod hic legitur, tempore expiationis peccatis animos affligendos, hoc est ueterem hominem, castigandum ac mortificandum esse susceptæ pœnitentiæ, sine qua nulla constat remissio peccatorum. Itaq; hic non falsa quæ legis iudicio sine fide constat, qualis in Cainis, Pharaonibus, Saulis, Iudis & cæteris impijs inuenitur, sed uera pœnitentia commendatur, quæ & lege & fide conficitur: lege quidem peccatum tanquam pædagogo ostendente, & id accusante damnante; fide uero indicante agnitæ noxæ medicinã, quæ partim in remissione peccatorum, partim in dono spiritus sancti quo uetus homo cum uitijs suis deleatur, & nouus instauretur, beneficio meritorũ uictimæ D. nostri Iesu Christi. In pœnitentia igitur hæc ponderantur: lex, ostendens peccatum: & fides, nobis remissionem delictorum sanguine hostiæ conciliatam, communicans. Donum spiritus sancti nos renouantis, abstersis ueteris naturæ uitijs, amplificatio misericordiæ Dei & meritorum uictimæ reconciliantis nos Deo. præmia demum in cœlesti regno pœnitentibus suorum scelerum proposita. Ex hac explicatione pœnitentiæ error aduersariorum refellitur, cum tria in pœnitentia requirunt: compunctionem cordis iustam, confessionem omnium delictorum. quæ ore ad sacrificuli aures confitentur, satisfactio pro peccatis à sacrificulo imposita. Qui error quàm absurdus sit, & perniciosus conscientijs, aliàs monstratum, et ab alijs copiose indicatum.

Nullumq; opus facietis.] Depositæ umbræ, expiatoriæ uictimæ consortes non sunt qui ex operibus legis ex naturæ irrito conatu moliuntur iustitiam & condonationem delictorum assequi. Hic legimus enim feriandum esse ab operibus Israelitis tempore quo expiatis delictis placandus sit Deus.

Siue indigena, siue aduena.) Locus mysticus de uocatione gentium. Hic enim legimus pœnitentiæ & piacularis uictimæ Christi Israelitas & aduenas participes esse.

Semel in anno.] Remoto uelo legis illud: At Christus accedens pontifex futurorum bonorũ, per maius & perfectius tabernaculum ingressus est semel in sancta.

IN CAPVT XVII.

Si occiderit bouem.) *ad sacrificium. Vbi sit sacrificandum, traditur.*

Quas occidit in agro.) *Quas hactenus in agris ac quouis in loco soliti estis immolare.*

Ante ostium tabernaculi.) *posthac certo in loco à Deo constituto. Causa autem cur certus locus sacrificijs destinatus fuerit, non una est. Prima, ut suus honos & autoritas sacerdotio constaret, cognito non decere à quouis & ubiuis sacra fieri. Secunda, ut intelligerẽt Israelitæ se uerbo Dei, non sua opinione & consilio duci debere ex fœderis cum Deo initi conditionibus: nullumq; cultum illi placere cognoscerent, quem ipse non constituisset. tertia, ut certa existeret umbra in ἐνιαυσιαφίαι legali, quæ indicaret in una ecclesia quæ tabernaculo Mosaico repræsentatur, sacra grata fieri Deo: & extra hanc neq; uictimas, neq; supplicationes, neq; expiationem scelerum illi probari, atq; in una illa remissionem peccatorum in Christo Iesu propitiatorio locum habere.*

Et immolent.) *per filios Aaronis sacerdotes: quorum erit munus, mactare uictimas, et earũ sanguinem spargere. itaq; suprà: Loquere Aaroni & filijs eius.*

Dæmonibus.) *sed Deo. Satyrorum uox non multum dissentit à uerbo Heb.* שעירים. *Qui dæmonib. sacra faciãt, notum in regno bestiæ. Noster interpres paraphrastem sequitur, qui uertit* לשירייר *Hebræa hircos notat. hinc translationem ad dæmones factam uolunt, qui hircorũ instar, hirsuti appareant: uel quòd eis quibus apparent, pilos erigant præ metu. Nã* שער *pilos significat. Cæterùm de natura dæmonum qui in aere nobis circumfuso uersantur, quid statuendum sit, simplici ne natura sint, an ut nõnulli uolunt cõflati ex elementis, aut an in uniuersum omnes genij tam inferi quàm superi, & cœlestes simplices spiritus sint, ea quæstio præsentis disputationis non est.*

Cum quibus fornicati sunt.] *uiolata fide erga Dominum Deum, qui Messias est maritus suæ sponsæ ecclesiæ. Scita translatio de idololatria in meretricandi uerbo. Stulta persuasio, putare præter Deũ cœli et terræ conditorẽ, esse deos qui uel commodare uel incommodare possint, præsertim in homine proximo diuinæ naturæ opificio, & maximè in Israele oraculis Dei populo inclyto.*

Obfirmabo faciem meam.) פני *ultus pro ira, ut in quo tanquã indice ira & cæteræ animi affectiones appareãt. Itaq; paraphrastes* ך פני *habet* ברגזי.

Quia anima carnis.] *Duas causas affert diuinus spiritus prohibiti sanguinis ad comedendũ: Altera à precio uitæ collocatæ in sanguine: altera à uiexpiante & placante petita.*

In sanguine est.) *Qui ex corde fonte uitalis caloris scaturiens, & per uenas toto corpore sparsus diffusus, uitã, sensum & motũ subministrat, sed uerius uitã cõseruat sanguis Christi D. nostri, qui spiritũ uitæ æternæ & sensus cœlestes præbet. de quo apud Ioannem, & aliquoties suprà. Is sanguis edi prohibitus non est. Alter, in quo animalis uita consistit, edi prohibitus*

est,

est qua uita prædîti audiunt illud: Animalis homo non percipit ea quæ sunt Dei.

Vt expietis.] Altera causa, sed quæ uerius cernatur in sanguine piaculari, de quo illud: Quē proposuit Deus reconciliatorem per fidem in eruenienie ipsius sanguine. Quoniam legimus hic sanguine confici expiationem, cognoscimus primò omnia peccato impiari, cuius fontes in uitiato sanguine ueteris & animalis hominis cernuntur. Hinc illud: Omnis caro corrupit uiam suam. Item: Caro & sanguis non possidebunt regnum Dei. Deinde intelligimus opus nobis esse sanguine cœlesti puro puto à uitio per conceptum è spiritu sancto ad luenda purgandáq; uitia animalis & terreni sanguinis, qui est sanguis benedicti Messiæ, de quo illud: Pacificās per sanguinē crucis eius siue quæ in cœlis siue quæ in terris sunt. Is innocēis agni sanguis nostris cordib. aspersus efficit, ut liberemur ab omni crimine quod nobis ab accusatore satana ad tribunal iusticiæ Dei obijcitur, de quo illud: Proiectus est accusator fratrum nostrorum.

Et operiat illum terra.) Contrà cum sanguine agitur expiatorio, qui funditur super aram, non terra obruitur, quo nimirum adumbratur sanguis ille cœlestis supernæ & æternæ uitæ expiata noxa autor, non terra obruendus, sed in cœlum unde uenerat recipiendus. de quo ipsi sanguis: Nemo ascendit in cœlum, nisi, &c.

Morticinum.] Suprà nullum cadauer eorum animantium, quæ immunda sunt, tangenda esse monuit: hic morticinum quorumcunq; prohibet ad uescendū.

Vel captum à bestia.] Verius à cadauere illo cauendum fuerit de quo Apostolus: Quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? quod efferatæ illæ bestiæ libido, ambitio, ira, auaritia, inuidia miserè dilaniarunt. Notum enim est illud eiusdem Pauli: Nam affectus carnis mors est.

Vsq; ad uesperam.) De nota mystica si prà.

IN CAPVT XVIII.

LOcutusq; est Dominus.] De coniugio leges tradet. intelligebat enim legislator duabus reb. resp. contineri, religione & ciuili societate. Religio quibus in rebus uersetur, prolixè docuit, & mox summam repetet. Ciuilis autem societas cum matrimonijs coaleſcat, ut hæc sanctè habeantur, quorum coniunctione iniri debeant, legibus cauet. Maris enim & fœminæ, quos in prima molitione mundi arctissimo uinculo constrinxit Deus, prima societas est, ex qua ciuilis cōmunio tanquā ex surculis propagatur. A prima stirpe igitur rectè remp. suam formaturus Moses, ut coniugia turpi libidine uitata, ritè procurentur, leges sancit. Vt autem suorum animos ad leges quas traditurus est, attentiores reddat in hunc modū diuinā hortationem instructā locis honesti & utilium, exponit.

Ego.] non dij Aegyptiorum.

Dominus Deus uester.) iure redemptionis quo uos ex Aegypto uindicaui, cui uos posthac pareretis, non Aegyptiorum institutis. Hortatio nititur loco communi: Redemptos in iure ac potestate redemptorum atq; assertorū suorū esse, Et in nouo fœdere ad libertatem ex regno tenebrarū & translatos ad lucis regnum hoc modo ab Apostolo instituitur monitio: Christus pro omnibus mortuus est, ut qui uiuunt, posthac non sibi uiuāt, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.

Iuxta consuetudinem terræ Aegypti.) Est in historijs, apud Aegyptios fas fuisse fratris sororem in uxorem ducere. Quod exemplum ne sequantur Israelitæ, monet legislator. Vanitas Aegyptiorū & à superstitione & à rerum præpostera gubernatione hijsce rijs nobilitata est. Si superstitionem spectas, Aegyptij ea dementia adducti sunt, ut etiam cepas & alliam pro dijs coluerint. Gubernatio autem rerū quàm pernicioſa fuerit, & naturæ dissentanea, declarat, quod proditum est literis in Aegypto uiros muliebria opera, & mulieres uirilia tractasse.

Et iuxta morem Canaan.) De falsa Cananæorum religione & prauis moribus clarum in sacris literis extat testimonium. Quod ad mores attinet, legimus: Ne polluamini in omnibus his quibus contaminatæ sunt gentes, quas ego ejiciam coram uobis. De idolatria autem: Aras eorū subuertite, statuas confringite, lucos succidite, & sculptilia comburite.

Ad quam ego.] meis oraculis, templo, sacerdotio, regno, inclytam futuram.

Facietis iudicia mea.) Mea iura exequimini, non Aegyptiorum & Chananæorū. contentione hortationem illuminat.

Ego sum Deus uester.) Repetit rationem ab æquo ac honesto, hoc est à iure assertionis & fœderis ductam.

Quæ faciēs homo uiuet in eis.] Ab utili, eos uitaturos, id est saluos fore & præclarè habituros, qui iura Dei obiuerint ac seruarint. At ut duplex est iusticia & legum obseruatio, altera ciuilis ac moralis animi iudicio natiuo freta legem externè seruans, altera è fidei spiritu orta: ita duplex est præmium, unum præsentis uitæ, alterum futuræ. si ciuilem iusticiam spectes, hæc tum remp. integram, tum ciuium opes saluas in hoc seculo tuetur. Reip. enim status incolumis manet, si iura & leges magistratus cura & diligentia uigeant, ut propheta monet his uerbis: Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam: si uolueritis & audieritis hæc, bonis terræ uescemini. Quod etiam Græcus uates intellexit:

τὸ γαρ τοι σωζειν ανθρωπων πολεις
τυτθον ὁταν τις νομῳ σωζῃ λαλῶς.

Priuatos autem homines uitam suam defendere sartam tectam seruatis legibus, contrà amittere eis spretis, ciuilis potestas declarat, quæ diuinitus instituta est, ut fontes suorum scelerum dent pœnas, & insontes seruentur. ut est apud Apostolum: Dei enim minister est, tibi in bonum, & ultor ad iram ei, qui malum est fecerit. Præterea eos qui legem externè præstiterunt, suis præmijs in hoc mundo ornatos legimus, ualetudine, liberis, opibus, rerum gerendarum peritia, prosperitate. Exemplo sunt non solum Israelitæ, sed etiam cæteræ gentes, Assyrij, Persæ, Græci,

Græci, Romani, quos ratione duce naturalem legem uita & moribus pro uirili exequentes præclarè muneratos à Deo, est manifestum. Exempla quibus omnes historiæ tum Græcæ tum Romanæ plenæ sunt, non profero. sin uerò iusticiam & eam obseruationem legum, quæ spiritu Christi perficitur, consideramus, ut iusticia hæc quæ fide constat, non est huius mundi, nec ueteris hominis, sed alterius mundi & noui hominis: ita præmium uitæ cœlestis & æternæ propriè ad eos pertinet, qui in diuinis legibus seruādis fide ducuntur, de quo præmio Dominus apud Ioannē: Si quis in me crediderit, habet uitam æternam. Dixi propriè. Nam iusticiæ fidei proposita etiam sunt præmia præsentis uitæ communia & iusticiæ legis, ut est apud Apostolum: Pietas ad omnia utilis est, ut quæ habeat promissiones uitæ præsentis & futuræ, 1. Timot. 4.

Omnis homo ad proximum sanguinis.) Confirmato iure Dei ad Israelitas, aggreditur leges de coniugio exponere: indicans à quorum nuptijs abstinendum sit: à generali exorsus lege, cum propinquis non esse cōtrahendum matrimonium. Bipartita autem est propinquitas: una in spiritu eiusdem religionis & fidei cernitur, altera in carne: hæc nostri instituti est, illa alterius. De nuptijs enim agitur quæ maris & fœminæ coniunctione in unam carnem contrahuntur. De qua hoc in Genesi: Hoc os ex ossibus meis, hæc caro ex carne mea. Carnalis aūt necessitudo duplex est. una ex sanguinis colligatione nascitur, ut est ea quæ inter parentes & liberos, inter fratres, sorores, cum amitis, materteris, patruis, auunculis & ex his progenitis intercedit. Altera ex affinitate oritur, qualis cum genero, nuru, uxore patrui & auunculi contrahitur. De utraq; suæ dabuntur leges.

Non accedet.) Verecundo concubitus notatio in לא תקרבו לגלות ערות per antiphrasim ab Hebr. pudenda corporis parte appellata ערות quam nudare ac detegere pudor sit. Qui pudor ex originis peccato ortus est in parte illa fœda libidine maximè pruriente: quam cum sentirent primi parentes, texisse has partes leguntur: Cumq; cognouissent se esse nudos, cō fuerunt folia ficus. contra uerò pudor aberat, iusticia in illis uigēte. ut in eodem loco: Erat autem uterq; nudus, Adam scilicet & Eua, & non erubescebant.

Ego Dominus.) Cui in selecto ad oracula mea populo honestas ac sanctitas placeat, quæ iudicio uero de rebus constat, quo sacrū à profano distinguitur, & in matrimonijs cōtrahendis cognoscit quid parentib. liberis, nepotib. quid sororib. & fratribus, quid amicis, materteris, patruis, auunculis tū in honorū, tum in hæreditatum distributione tribuendum sit. de quibus iudicandi ratio tolleretur omnis, si propinquitatis in coniugijs meundis nulla cura haberetur. Quam perturbationem ac rerum confusionem profanæ etiam gentes reprobarūt, ut ille apud Græcum uatem: τοιοῦτος ὢν τὸ βλάβερον γένος, πατρὶ τε θυγατρὶ, παῖς τε μητρὶ μίγνυται λέχεσι' ἀδελφῷ. Sed incidunt aliquādo tempora, ut neglecta hac lege necessitati parendum sit, uelut in primordijs propagādi generis humani, & in reparando eo à diluuio, connubia fuere miscenda inter consanguineos. At huiusmodi necessitas naturalem legem non antiquat, nec contrariam confirmat. Cæterùm cum tres nobis hic occurrant legislatores, Moses, Romanus imperator, pontifex: meritò in quæstionem uocatur, quis hic potissimum sequendus sit. Si dicas, ex Mose iura petenda: at is abrogatus est. si ex Romano imperatore: at is se subiecit pontifici: sin uerò Romanum pontificem consulendum putes, at is nullum, neque de sacris, neq; profanis rebus ius habet statuendi quia legislator legitimus nō sit. Nam cū triplex sit potestas diuina ratione tradita, œconomica, ciuilis, & ecclesiastica: nullam harum iurè pontifices sibi uendicarint. Quod enim ad prudentiam domesticā quæ οἰκονομία est pertinet, hac carēt qui connubia tū contrahere aspernantur, tum alios contrahere uetant. Est enim domesticum imperium, quo maritus in tuenda re familiari domi erga uxorem, liberos & seruos fungitur. Quod imperiū obtinere non possunt qui quamuis obscœnam libidinem persequi malunt, quàm castis matrimonijs uti. Qua de causa nullo iure leges de matrimonijs dederint, q matrimonijs tantopere iniqui sunt. Cialis autem administrationis, qui se pro Christi uicarijs uenditent, ijdem illi expertes sunt. Christus siquidem Dominus noster politicum magistratus munus sibi neq; sumpsit, neq; apostolis suis tribuit. Nō enim uenisse in hunc mundum se dicit, ut ciuilem rectionem obiret: qui cum rogaretur ut hæreditatem inter fratres diuideret, respondisse legitur: Quis me constituit iudicem? item: Regnum meum non est de hoc mundo. id est, non est, ciuilis ac urbana gubernatio quali principes huius seculi funguntur: sed cœlestis, qualis geritur per spiritum sanctum inter eos qui cœli ciues sunt, non terræ. sed potius Christus se potestatibus mundi subiecit, ut uectigal quod Cæsari soluit, declarat. Apostoli uerò quam acceperint potestatem, indicant hæc uerba: Ite in uniuersum orbem, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Non dicit, Gubernate resp. condite leges ciuiles, imperate regib. subijcite uobis regna. Nouerant item illud: Scitis quòd principes gentiū dominantur illis: et qui magni sunt, potestatem exercent in eas. Non ita erit inter uos, sed quicunq;, &c. Atq; huius doctrinæ apostoli memores, cum suū numus exequerētur, ipsi se magistratib. subdiderunt, nō eis præiuerunt imperio & dominatu. quorum etiam his uerbis edita extat doctrina: Subditi estote cuiuis humanæ creaturæ propter Dominum. Pontifices igitur si se iure iactant uicarios Christi, & imitatores Apostolorum, ciuilem potestatē nullā gerent. At ut huius sunt euersores, qui se legitimis magistratibus subijcere nolint, imperiū sibi in omnia uendicantes, ita multo magis ecclesiastica rectione carebunt. Nam Euangelio regni cœlorum sunt infesti, quo uno nititur Ecclesiastica potestas. In prædicatione enim Euangelij de mortuo & elato ad dextrā Dei patris Christo, cuius mors peccata delerit, & resurrectio ex mortuis iusticiā Dei communicarit, uersatur omnis Ecclesiastica gubernatio. At hanc doctrinam pontifices non solū nō docent,

ſed nec etiam alios docere ferunt. ſola enim fide iuſtificari nos Chriſti, ut eum prophetæ indicarunt, & apoſtoli prædicarunt, non ex operibus noſtris, apud illos pro peſtifero errore habetur: ut apud ſanctos pro ſalutari doctrina, & unicè ad uitã neceſſaria. Itaq; cũ nulla poteſtate legitima, neq; œconomica, neq; ciuili, neq; eccleſiaſtica fungãtur, imò potius omnẽ deuaſtãt: efficitur primò, nullum ius illos, néue nouas ſtatuendi leges, nêue ueteres abrogandi habere: atq; nulla decreta ſiue domeſticæ, ſiue ciuilis, ſiue eccleſiaſticæ prudentiæ ad eos de quibus ſtatuant, referenda eſſe. Secundò conſequitur, imperatores Romanos imprudenter, ne quid durius dicam, ſe & ſuas leges pontificum arbitrio ſubiecíſſe, qui nullã poteſtatem à Deo profectam obeant, ſed omnẽ labe factent. Vnde quoq; clarũ fit, illos merito beſtiæ cũcta uaſtantis nomẽ tueri, cuius Ioannes in Apocalypſi ſua his uerbis meminit: Et uidi de mari beſtiã aſcendentem, & dedit illi draco uirtutem ſuã. Si ita res habet, ex quo igitur hodie legislatore matrimoniorũ iura petemus? Recurrendũ eſt ad ius naturale. ſed cum nõ cuiuſuis ſit legem naturæ exponere, quæ doceat qui gradus in propinquitate obſeruandi ſint, repetẽdus eſt Moſes, & Romanæ leges quæ ſuo imper.o reſtituendæ ſunt ex tyrannide pontif.cũ uindicatæ. Nam nobis Moſes iuris naturalis fontẽ aperit, cuius riuulos ſectãtur Romanæ leges. Sic enim apoſtolus eum qui cum nouerca rem habuit, ex ſententia naturalis legis quam gentes ſequebantur, inceſtus redarguit. ſi dicas, Moſem abrogatũ eſſe, uerum id quidem eſt in ea parte quæ in ceremonijs uerſatur, non ubi naturale ius docet, quod perpetuum eſt & æternum, ut id etiã gentilis uates his uerbis indicat: ὃ γαμ́ τι νεῦ γε λαχβές, ἀλλ' ἀεί ποτε.

Turpitudinem patris tui.] Generalẽ legẽ membratim ſubiectis partib. tractat, initio à patre origine generis facto. Prima ſentẽtia hæc eſt, cũ ea rẽ nõ habendã cũ qua pater rẽ habuit, ſiue legitimo, ſiue illegitimo cõcubitu. Altera ſentẽtia, nõ eſſe fas neq; liberos parẽtib. iungi matrimonio, neq; cõtrà parẽtes liberis, ſed inceſtus nuptias cõfici alterutris ſe alteris miſcentibus. Moſes quãuis hic nominatim nõ recenſeat auos, proauos, atauos, abauos, ſed contẽtus ſit proximos ſolum, parentes & liberos meminiſſe: illos tamen quoq; cõprehenderit lege ſua, ut numero parentũ habitos, ne putes hic illũ à iuriſcõſultis diſſentire. Apud quos uetus tractatur canon, nuptias non poſſe contrahi inter eos qui parentũ & liberorũ ſunt numero ſiue proximi, ſiue remotiores gradus ſpectentur. Idcirco ut fas non eſt, filiã nubere patri: ſic fas non fuerit eam nubere auo, proauo, atauo. Item, ſi patri non licuerit ducere in uxorem filiam, nec neptem, nec proneptẽ, nec ab neptem licebit ducere. Hinc dicitur, Adamum ſi uiuuiſſet, non reperturum quam in uxorem duceret.

Turpitudinem uxoris patris tui.) De nouerca intelligitur, quæ quia matris nomen obtinet, eius concubitũ inceſtum habendũ, conſentientibus etiã profanis gentib. Pauli teſtimonio: Omnino auditur inter uos ſtuprum, & huiuſmodi ſtuprum quod nec inter gentes nominatur. Sceleratà igitur uox nouercæ Antonini Caracallæ fuit. is cum propter pulchritudinem illã deperiret, ut cuperet cum ea matrimoniũ contrahere, ac ingemiſcens diceret, O ſi liceret: reſpõdit improba mulier, Si libet, licet: princeps legem dat, non accipit. Atq; hæc iurè reprehenſa ſunt, quæ prætulerit naturæ legi nullius principis autoritate mutabili, obſcœnam libidinem.

Turpitudo enim patris tui eſt.] cuius pudendum detegat pater, cum ea rem habens.

Turpitudinẽ ſororis tuæ.] Cum ſorore matrimonium non iungedum, ſiue ex utriſq; parentibus ſoror ſit, ſiue ex altero tantum: ſiue domi, id eſt legitimè nata ſit, ſiue foris, id eſt illegitimè. Non fas eſſe rem habere cũ ſorore quocunq; modo ex patre nata ſit. Nec deeſt tranſgreſſoribus huius legis graue ſupplicíũ, de quo infrà his uerbis: Qui acceperit ſororem ſuam filiam patris ſui, occidentur in conſpectu populi. Atq; quemadmodũ ſoror ducenda non eſt, ſic nec filia ſororis, nec neptis et proneptis ducẽdæ fuerint. eanã enim uulgatus eſt: Cuius filiã nefas eſt ducere, eius quoq; nẽ nefas fuerit ducere. Qua quoq; in re Moſes à Romanis legib. nõ diſſenſerit. At nõ ut ſororem ne ducat, lex prohibet: ita ne tuus filius ſororis tuæ filiã ſibi coniugio iungat, eadẽ prohibuerit, ſiue Moſaicas ſiue Romanas leges ſpectes. Quod ſi dixeris, licebit igitur fratris & ſororis liberos matrimonio inter ſe copulare, ac deuincire. Reſponſio, nõ ſolũ hîc ſpectandũ eſt, quid liceat per naturã, ſed etiã qd deceat in ea rep. in qua uerſaris. In matrimonijs enim contrahendis præter ius naturale, cõſuetudo etiã honeſto ciui in ea rep. in qua ciuem agit, conſideranda eſt, ne quid is non ex ſententia legitimi magiſtratus agere uideatur. Quantũ igitur hac in re delinquũt etiã principes uiri magna offenſione rerump. ſatis eſt manifeſtum. Qui non publicæ honeſtatis, ſed priuatæ rei rationem habent, confirmante eorum cõſilia beſtia: cui cum omnia uenalia ſunt, probitas probro, improbitas laudi dicitur.

Turpitudinem filiæ filij tui.) Redit ad rectũ consanguineorum ordinem, quo parentes liberi, nepotes ac neptes continentur. Neptis tum ex filio, tum filia pudendum detegendum non eſſe.

Turpitudinẽ filiæ uxoris.) Repetitur ſuperior lex cõfirmandi cauſa, ſororis pudendũ non nudandũ eſſe. In qua quoq; lege generatim accepta, nouercæ filia ſi ex patre genita ſit, comprehenditur: ſi uerò ex patre tuo genita non ſit, ut eam ducas, lex non prohibuerit. Mariti enim filius ex alia uxore, et uxoris filia ex alio marito, non uetantur inter ſe coniugium iungere.

Turpitudinem ſororis patris tui.) Amitæ nuptias prohiberi. Eadem lege prohibentur etiam amitæ magnæ & maioris matrimonia. Contentus eſt Moſes ad proxima ſubſiſtere, ne quis putet hic Moſem diſcrepare à iuriſconſultis. Atq; quemadmodum uetantur nuptiæ amitarũ, ſic uetantur etiã nuptiæ patruorum. Nam hæ perſonæ parentum loco ſunt, ut ſororum. Nam hæc perſonæ parentum loco ſunt, ut fratris ligio ſit filium cum ſorore patris contrahere matrimo-

nium,

nium,religio quoq; fuerit, filiam fratri patris nubere. Moses marem in arboris consanguineorum trunco collocat,qui mulieris caput sit. Itaq; fœminas tantum recenset. Sed id nihil intererit ad propinquitatem. Quanta enim necessitudo inter marem & amitã suã intercedit, tanta etiam inter fœminam & patruum interfuerit. Qua in re quoq; cum iurisconsultis fuas personas describentibus Mosæ conuenerit.

Turpitudinem sororis matris.)Hæc est matertera.Eadem lege auunculi nuptiæ incæstæ sunt.Similiter quoq; quas numerãt iurisconsulti,matertera magna & matertera maior in nuptijs uitantur.

Turpitudinem patrui tui.) Cum uxore patrui matrimoniũ contrahendũ nõ esse. quod Romanis legibus signatè non prohibetur. דודה propriè patris soror est, sicut דוד patris frater. Hic tamen pro uxore patrui sumitur,quod sororis patris loco sit.Non meminit hic uxoris fratris materni. Nihil enim referre meminisse. Nã facile ex uxore patrui accipitur quid de illa statuendum sit.infrà uxoris auũculi fit mentio. Quia prà leges de consanguineis posuit, hic leges de affinibus ponit.

Turpitudinem nurus.)Lex prohibet inter socerum & nurum, inter socrum & generum fieri connubium. Nec caret capitali pœna legis transgressio: Si quis cubuerit cum nuru sua,uterq; moriatur.

Turpitudinem uxoris fratris tui.) Hæc lex uabet fratre uiuente. Nam eo mortuo absq; liberis,alia lex est, quæ ut frater superstes ducat uxorem fratris mortui præcipit.De qua in Deuteronomio. In hac lege Romanæ leges à Mosaica dissentiunt. Dicã, quid opus erat præcipere, ne quis cum uxore fratris dum uiuit rem haberet,cum generalis lex extet:Cum uxore proximi tui rem ne habeto. Dicunt etiam ne repudiatam quidem à fratre ducendã esse Sunt qui etiam in eo legem in Deuteronomio positam legi Leuiticæ hic explicatæ repugnare nõ uolunt,quod quæ in Deuteronomio scribitur, non iubeat fratrem ducere fratris mortui uxorem tanquam suam,& propriam,sed eam tanquam fratris esset tenere. Atq; id hac ratione probant.Nam eos qui ducunt uxorẽ tanquam suã & propriam, ex ea sibi illos non alteri generare sobolem,quæ suo nomine non alterius censeatur.id autem non fieri in ea coniunctione qua frater ex fratris mortui uxore prolem gignit.

Turpitudinem uxoris tuæ & filiæ eius.)Néue priuignam, néue filiam eius, néue filiam priuigni fas esse ducere.

Sororem uxoris tuę.]Vxoris sororem ea uiuente non esse ducendam, ut cum ea rem habeat.Ratio redditur ne ea res uxori molestiam ac dolorem afferat, quod in coniugio Iacobi accidisse palàm est. Itaq; factum sancti patriarchæ in cõmunem legem abire nõ debet.Nititur hæc lex sententia diuina de matrimonio iam mare & fœmina creatis, lata : Non expedit Adamum esse solum. Qua sententia quoniam societas maris & fœminæ iucũda & commoda iudicatur, prohibetur hic ne duæ sorores uni marito ad cauẽdas rixas & simultates nubant. Notum illud uulgo iactatum : Acerbæ fratrum iræ. Hactenus de legibus matrimoniorum,quæ propinquos attingunt,siue consanguinei sint, siue affines. in consanguineis hæ personæ uetantur ad contrahendum cum eis coniugium. Matres sorores,neptes siue ex filio siue ex filia,sorores parentum. In affinibus autem numerantur uxor siue patrui siue auunculi, nurus,uxor fratris,priuigna & eius filia,sorores uxoris.

Ad mulierem quæ patitur menstrua.] Aliæ de fœdo concubitu leges ponuntur. Suncitur lex de coitu,ut is moderandus sit inter eos qui legitime coniuncti sunt,quam partim honestas,partim utilitas legislatori expressit. Honestas quidem, quæ monet fœditatẽ fugiendam qualis cernitur in impuro menstrualis fœminæ fluxu,quo grauia & torpentia mulierum corpora immundi sanguinis effusione per singulos menses releuantur. Vnde & Apostolus:Vt nouerit unusquisq; possidere uas suum in sanctitate & pudicitia. Vtilitas uerò in eo apparet, quòd tempore menstruorum si uir coierit cum muliere,dicuntur concepti fœtus, leprosi nasci. Non enim leuis tum est in mulieribus impuritas omnibus membris ex quibus defluit menstruatum inquinatis. nec etiam uiri qui cum uxoribus menstruo pollutis rem habent,à periculo grauiũ morborum,quos ex uenenoso menstruo contrahant,liberi sunt. Lex ergo hæc præcipit uiris ut certa concubitus seruent tempora,& memores sint eius doctrinæ quam Ecclesiastes affert:Est tempus amplexandi,& tempus uitandi amplexus: non enim matrimonium propter libidinem quam expleas,sed ad communicandos labores,ad gignendam sobolẽ,& eam educandã, ad ueru Dei cultum, ad commonefaciendũ eius matrimij quod inter Christũ alterũ Adamum & Ecclesiam cœlestẽ illam Euã initur diuina ratione institutũ est. Nec caret hæc lex si neglecta sit,sua pœna:Qui dormierit cũ muliere in fluxu menstrui, interficiẽtur ambo.De qua infrà cap.22.Quamobrẽ hæc lex etiam in administratione noui fœderis à pijs obseruatur, in qua naturalis honestas doceatur, & qua quæ naturæ commoda sint,si seruetur:incõmoda & noxia,si negligatur,ostendantur.

Ad uxorem proximi tui.)Prohibetur adulteriũ capitali supplicio puniendũ : Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, moriatur & mœchus & adultera. Infrà in Deuteronomio bello capta excipitur. Neq; immeritò tantopere damnentur adulteria. dissipant enim societatem inter marem & fœminã in prima creatione confirmatã, Masculũ & fœminã creauit eos.item:Relinquit uir,& c. Deinde ciuilẽ coniunctionem uiolant,quæ promiscuam libidinem,in certos liberos & confusas hæreditates ferre nequit.Quocirca Romanæ leges adulteria capitali supplicio plectũt, ut declarat lex Iulia de stupro & adulterio. Demum ut ecclesiasticam communionẽ lædant adulteria tum exemplo, tum uiolatione sacri matrimonij inter Christum & ecclesiam contractũ, iudicat admonitio hæc Apostoli ad Ephesios facta:Suam quisq; uxorẽ diligat

tanquam seipsum, sicut & Dominus ecclesiam, quoniam membra sumus corporis eiusdem. Quapropter ut Platonica respub. in qua uxores communes habentur, hac lege damnetur, satis liquet.

Moloch.) Cum adulterio idololatriam coniungit. Nam et hæc adulterij, sed spiritualis crimine notatur. de quo illud: Scortati estis post deos alienos. Ammonitarũ fuisse idolum illud, liber Regum tertius declarat his uerbis: Tũc ædificauit Salomõ fanũ chamos idolo Moab, in monte qui est contra Hierusalẽ & Moloch filiorũ Ammon. Qualis aũt Molochi cultus fuerit, indicat Moses in Deuteronomio in hunc modum: Omnes enim abominationes quas auersatur Dominus, fecerunt dijs suis, offerentes filios & filias comburentes igni. item apud Ezechielem: Cum traducitis filios uestros per ignem. Tradunt igitur hunc morem fuisse: Parentes liberos suos sacerdotibus tradebant, quos ad comburendum per ignem traijcerent Molocho. Ab Abrahami, qui Isacum filiũ Deo obtulit, exemplo impium cultum manasse dicunt. Cuius consuetudinis meminere etiam tragici uates. Sunt qui uolunt hoc idolum principatũ tenuisse inter cætera idola: atq; id indicare uerbũ imperãdi regnandiq; מלך à quo nomẽ idoli illius sit deductũ. Huc spectantes Græci uertunt ἄρχοντι sic enim habẽt: ἀπὸ ἀσθματός σου ἐς δώσεις κατοχὴν ἄρχοντι. Eò demẽtiæ uenerũt uesanæ gentes, ut dijs suis homines immolare non sint ueriti, quos Deus condidisset nõ qui mactarentur per immanem feritatem, sed ad societatem colendam amore seruarentur tanquam diuinæ naturæ uiua simulacra & imagines. Est in historijs, Aristomenem Messenium Ichometi Ioui trecentos mactasse, Tauros populos qui circa Tauricam Chersonesum habitabãt, hospites suos qui mari aberrassent, Tauricæ Dianæ immolasse. Ioui mactari solitos homines à Lesbijs. Tradunt item Erechtheũ Atticũ filias suas sacrificasse. Calchas legitur iussisse Agamemnonis filiã immolari. & Tiresias Creõtis filiũ mactari uictimã pro patria. Messenijs Delphicus dæmõ promittit uictoriã contra Lacedæmonios, si uirginẽ ex Aepytidarũ familia deo immolarẽt. Is est prodigiosus deorũ alienorũ cultus, quẽ pernicialis humani generis hostis excogitauit, ut hominũ pariter corpora & animos perderet.

Nec pollues nomen Dei tui.) consecrando sobolem meo fœderi sacram, profano idolo. קדש רחלל cõtraria inter se sunt. Vt sanctificatur nomen Dei, cũ ex eius uerbo ac sententia, diuina potentia, iusticia, sapiẽtia, bonitas fit celebris: sic polluitur ac profanatur cũ secus fit. ut fit sanctificari nomẽ Dei, diuinitatẽ sanctè coli: pollui uerò et alieno cultu coli, in quo diuino numini suus honor detrahitur, et alijs tribuitur. Ideo sequitur:

Ego Dominus.] quem ex fœdere unum colere conueniat, non deos alienos.

Cum masculo.) condito qui genitura fœminam grauidam reddat, tanquã mouens principiũ non genitura neq; à mare neq; à fœmina recipiat cõtra creationis legẽ. de qua illud: Masculũ & fœminã creauit eos. Apostolus in ea epistola quã ad Romanos scripsit, inter supplicia neglecti ueri cultus Dei numerat hoc genus fœdi flagitij. Intueare regnũ bestiæ quæ plena est hac obscœnitate. Hæc digna sanè est cum sanctè cõmunibus uti nolit, ut cum cinædis & bestijs turpiter cõmisceatur.

Cum omni pecore.) Contra hanc creationis legem: Quæcũq; in genere suo fœtificent. Contra quam legem delinquere, est rerũ ordinẽ peruertere. Supràin Exodo supplicium intentatur: Moriantur. hic paulo infrà: Peribit de medio populi sui.

Quia scelus est.] תבל aptè huc cõuenit. Nam uox confusionẽ notat, quæ fit ubi huiusmodi scelera cõmittuntur. Notum enim est uerbum בלל. Quod uerbum competit in Babyloniam meretricẽ omnes leges diuinas confundentem.

Nec polluamini in omnibus his.) Proposito supplicio deterret, qui suprà seruantib. ira, præmia proposuisset: Quæ faciens homo uiuet in eis. Dehortatio igitur contrarijs locis utitur. In qua legislator propositis pœnis, metum incutit: qui nisi insit ijs quibus pronuntiatur leges, frustra has sanciri dicas, ut uerè etiam Græcus uates indicauit:

ἐ γαρ᾽ αὖ ποτ᾽ ἔτ᾽ αὖ σὺ νόμοι ἐκκλῆς φόβον τ᾽ αὖ σὺν βίᾳ μὴ ἐκθεσφάτοις θέες.

Vt euomat.) Per prosopopœiam affingit personam euomentis ipsi terræ. Tropus à nauseantibus maluatus, quorum stomachus cibum quem concoquere non potest, per uomitum ejicit. Paraphrastes igitur pro euomendi uerbum habet רקצה Releuari terram tanquam graui onere, si sceleratis liberetur. Sic enim scelera oneribus comparantur in literis sacris. Suprà in Genesi: Aggrauatum est peccatũ eorum. & in Zacharia iniquitas plumbo grauissimo metallo cõfertur.

Custodite legitima mea.) Concludit dehortationem confirmatam exemplo.

Peribit.] uel ciuili gladio, si palàm aduersus leges meas deliquerit: uel me uindice nimirũ aut peste aut fame, aut alia, quacunq; clade, si clàm commiserit.

IN CAPVT XIX.

QVia ego sanctus sum.] A` suo exẽplo. Itaq; Apostolus: Sitis imitatores Dei tanquã filij dilecti & ambuletis in dilectione. Charitas igitur gubernata luce fidei illa sanctitas est qua Deus sanctus exprimitur. de qua illud: Deus charitas est, qui manet in charitate, in Deo manet.

Deus uester.) quem repræsentari à uobis ut à liberis parentem conueniat.

Vnusquisq; patrem suum.) A` parentibus enim exorditur qui altera tabula cõtinentur, idq; recto ad præsens ordine. Qui enim suprà matrimonia honesta commendasset, & turpia damnasset, hic liberos ex legitimo matrimonio natos docet qualẽ gratiã parentib. reponãt. Lex hæc naturæ apud profanas etiã gentes celebris est. Apud Græcum uatem ille legem pulcherrimam dixit esse obtemperare patri:

νόμον ἐκκλησον ἐξουρόντα πειθαρχεῖν πατρί.

Timeat.) In loco timendi uerbum יראר uenerandi est ac reuereri, quod declarat כבד in Exodo ubi patẽ. כבוד את אביך. Venerantur autem liberi parentes

cũ his ortũ, uitam, educationem debere se agnoscunt: deinde cum intelligunt à Deo eisdem imperium tribu tum quo ipsi regantur, & cui iure obediant: demum si fateãtur eosdem illos dignos esse, quibus paria, si res postulet, humanitatis officia rependant in illorum imbecillitate iuuanda, & inopia releuanda. Hinc apud tragicum infœlix dicitur qui parentibus uicissim nõ inseruit, & in amore respondet.

τοῖσδε τεκοῦσι γοεῖ.

Δίκαιος ἔφυς μὴ ὅτι ἄβλαβὲς τέκνων.

In Exodo legi additur promissio præmij: Vt sis longæuus super terram,

Sabbata mea custodite.] Repetit legem Decalogi quartam ex prima tabula, ad formandos religione animos eorum qui legitimè nati sunt. Sabbati cultum interpretatur Iesaias: Qui custodit sabbatum, ne polluat illud. Qui custodit manum, ne faciat malum: item, Si reuerti feceris in sabbato pedes tuos, ut non facias uoluntatem tuam.

Nolite conuerti ad idola.) Repetit legem alterã Decalogi: Ad me conuertimini, non ad idola quæ nihil sunt. Sed uana imago, in qua Dei numẽ non appareat. Nam mei una ac uera ac expressa imago est, quam adorare fas sit. Christus unigena meus filius, non ulla effigies quacunq; arte efficta. Sapienter igitur diuinus spiritus idola appellat אלי לים quæ falso Dei numen mentiantur. Quò spectans Apostolus in priore epistola ad Corinthios dicit idola nihil esse, οἰδαμεν ὅτι οὐδὲν εἰδωλον ἐν κόσμῳ.

Ego Dominus.) In quo omnia subsistunt, uiuunt, & mouentur, quod indicat uox יהוה.

Deus uester.) non idola, non dij prophanarũ gentiũ, qui nec motu, nec sensu, nec ulla ratione uigent, et ita inepti qui iuuent suam opem implorantes. Itaq; luculenter in idola propheta, Oculos habent & non uident, aures & non audiunt, pedes & non ambulant, atq; manus nec palpant. Magis ergo uana spectra sunt in hac rerum uniuersitate qui idola uenerantur, quàm ipsa idola quæ coluntur. Quæ uanitas inest in bestia cui serpens antiquus uirus suum dedit, & in ijs qui bestiæ charactere insigniti sunt.

Cumq; messueritis segetes.] Lege de cultu Dei explicata, de charitate qua homines inter se diligant, leges proponit. Exorditur autem à cura qua inopes & peregrinos ope nostra egentes complecti deceat, propter hos extremum fundi non esse permetendum, spicilegium messis non faciendum, uineam nequaquã racemandã, nec uuas relictas relegendas, sed pauperi et peregrino eas relinquẽdas. In Deuteronomio ad duntur pupilli & uiduæ: Sed aduenas, pupillum, & uiduam auferre patieris. Adiuncta inibi promissione præmij: Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Aptè qui de sacrificijs meminisset, finem legis proponit qui charitas est, ac beneficentia. Huc spectans Dñs apud prophetam dicit: Misericordiam uolo, non sacrificium. Hac igitur Mosaica lege admonentur diuites homines, uiduas & pupillos suæ curæ à Deo creditos esse, quos suis opibus iuuent & reluent: sciant sibi non ut possessoribus, sed ut dispensatoribus diuitias adsignatas. Nam sicut cibus stomacho creditur, quem concoctum cæteris membris distribuat, ita diuites homines habent. Hinc illa: Date eleemosynam, & omnia munda erunt uobis. item: Eleemosynis peccata tua redime. Proinde ut dispersus fimus in agro multũ fructũ affert, ita dispersæ in multos diuitiæ uberes fructus edunt. Quò spectat hæc Mosaica lex sub parte beneficentiæ uniuersum genus benemerendi de altero nobis repræsentans.

Ego Dominus Deus uester.) quem sanctum populum benefaciendo imitari fas sit, qui pauperes, peregrinos, pupillos & uiduas peculiariter curæ habeo. Psalm. Clamorem pauperũ exaudit. item, Pupillos et uiduas suscipit. Locus præclarus de cura diuina quæ erga omne humano præsidio desertos, geratur. Huius misericordiæ exemplum cernitur in Messia qui hic dicit, Ego sum Dominus Deus uester. is enim, ut miseros consolaretur & seruaret, in hunc mundum uenit pauper & pupillus factus.

Non furtum facietis.) ut contrarium charitati.

Non mentiemini.] כחש fallere & dolo negare res depositas & creditum. Hinc fit ut כחש iungatur cum furto.

Nec decipiet unusquisq; proximum.] Ne mentiantur alius alij præcipit, ut fit, cũ nos ut augeantur res nostræ alios defraudamus. Ex contrario præcipitur ueritas ac fides, alterum de Dei ingenio est, alterum de Satanæ, qui mendax dicitur et mendacij pater.

Non peierabis.) Hæc primæ tabulæ Decalogi lex nota est, falso per nomen Dei non esse iurandũ. Quæ lex cum furtis appositè coniungitur. Solent enim ad obtinendas res alienas sæpe periuria committi. perpendi sunt hic gradus, quos diuinus spiritus proponit. Qui furantur, primò denegant quæ compilarunt reddere uelle, deinde mentiendo fraudem machinantur, postremò falso iurant. Vbi in utranq; tabulam delinquitur. Nam Dei nomen contaminatur, dum isto per falsum iuramentum fraus tegitur, & proximus læditur, eius rebus per mendacium defraudatis. Rectè igitur orator ille: Nihil interest, inquit, inter periurum & mendacem. Qui mentiri solet, peierare consueuit. Quem ego ut mentiatur inducere possum, ut peieret exorare facile potero.

Nec pollues nomen Dei tui.) eo malè audiente si in populo diuino fœdere & oraculis insigni mendacia, fraudes & perfidia notentur: cõtrà bene audiẽte, si contrariæ uirtutes uigeant, ueritas, integritas fides. Huc illud Apostoli pertinet: Ne nomen Dei & doctrina malè audiat.

Non facies calumniam proximo tuo.) Fraudẽ per uim alteri nõ faciẽdã quæ ui facta fraus in עשק & גזל accipitur. Cohæret hæc lex ad superiorem de furto. Hoc genere sceleris se obstringũt potẽtes homines inopes p iniuriã opprimẽtes. quales sunt iniurij homines & tyrãni orbis terrarũ. Hoc genere flagitij fœneratores quoq; comprehẽduntur, qui usuris egenorũ facultates cõplant atq; euertunt, uerius sæuæ bestiæ quam homines appellandi. Quid enim aliud est usurã exercere, quàm ut ille dixit, hominem iugulare? At tales

les iugulatores hodie non solum non puniuntur, sed etiam honoribus exornantur. in quos hæc apud Salomonem sententia dicitur: Qui calumniatur pauperē, ut augeat diuitias suas, dabit ditiori, & egebit. item: Væ prædanti, quia uicißim spoliaberis. Quæ iusta retalio est ex diuina iusticia manans. Itaq; multa hic afferuntur quæ leges Decalogi in Exod. propositas explicāt

Opus mercenarij.] Hæc fraus superiore continetur, ut forma in genere. quæ enim maior rapina fuerit, quàm mercenarium fraudare manupretio suo, quo suam & suorum uitam sustenteet? Hinc illud: Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.

Vsq; mane.) In Deuteronomio: Eadem die reddes & precium laboris sui ante occasum solis. Locus de bonitate diuina, huic etiam contemptißima in mundo curæ esse.

Neq; maledices surdo.] Qui purgare quorū arguitur, crimina non posit. Huc etiam absentes pertinent. In legem quoq; hanc peccarint qui in dicta causa quemq; damnarint.

Nec coram cæco.) Qui impedimenta sibi opposita cauere nequeat, continentur hac lege etiam imperiti ac imprudentes, qui malis consilijs seducti facilè corruunt. In impedimentis igitur cæco oppositis numerantur mala consilia, prauæ doctrinæ, turpior ac impurior uita, quibus imperitiores offensi miserè læduntur ac pereunt. Referri hæc lex ad Decalogi legem, Ne occidito, potest.

Sed timebis Dominum.] qui quod in surdos peccatur, audit: & quod in cæcos delinquitur, uidet. Stat enim illa Salomonis sentētia: בכל מסרים עיבי יחרח: צרפרת רע ושוברים. Ad hæc is Dominus in carne in mundum uenit, ut surdis auditum, & cæcis aspectum reddat.

Quia ego sum Dominus.] uindex miserorum, & ultor sceleratorum.

Non facies quod iniquum est.) Hæc lex iudices format, ut se gerat in iudicando. Personæ non esse habendam rationem, sed iuris.

Pauperis.] ne eius inopia commotus, à iure declines molliter indulgendo. Extra iudiciū pauper clementer tractandus est: in iudicio æquitas ponderanda causæ, persona inopis relinquenda. Quod apud Latinos persona est, apud Hebræos מגי facies, translatione nota.

Nec honores uultum potentis.) ut fontem metu ipsius, insontem pronuncies, aut inopem innocentem damnes, à rectè iudicando deterritus potentia diuitis. Propositus iudicibus pro exemplo Deus esse, quem imitentur, debet. qui ad nullius scelus connuet, & fontē neminem insontem pronuuciat. Vt enim commune cū Deo nomen obtinent iudices אלהים appellati, ita ingeniū eius in iudicando referre debent. Hinc Iosophatus rex iudices à se constitutos his uerbis admonuit: Videte quid faciatis. Non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini. Nisi enim caueat iudex ne falso iudicet, reus sit eius culpæ, qua fontem liberat atq; absoluit. Vt si absoluat furem, furti, si adulteram adulterij, si latronem latrocinij crimine se obligat.

Non eris criminator.] Calumniandi & deferendi alios studium prohibetur. Lex ex charitatis fonte manat, à qua suprà incæperat. Solet Hebræa uox רכיל cum eundi uerbo sæpe poni, ut in Proverbijs: הלך רכיל יגלה סוד: item in Hieremia: רכל רע בעמיו תרלך רכיל: mercatore tropo mutuato. Nam ut negociatores terras peragrant merciū causa, ita delatores omnia perlustrant, ad quærendum quod deferant. Nec malè huc congruerit, ut nonnulli uolunt, translatio pharmacopolæ uarias aromatum species miscentis: cui similis est delator uarios rumores quos deferat, captans, ac explorans.

Non stabis contra sanguinem.) ut solent delatore acs calumniatores sanguine eorum quos deferūt imminere. Hinc propheta delatores cum ijs qui alterius uitæ insidiantur, coniungit: Viri delatores fuerūt in te ad effundendum sanguinem. Lex igitur hæc continetur lege Decalogi, Ne occidito: item: Ne furator: item, Falsum testimoniū ne dicito. Imminet igitur sanguini alterius primò qui innocētes uirulenta lingua proscindens, ut eorum sanguis fundatur, autor est: deinde si se ijs adiungit, qui effundere insontem sanguinem studeant. Si homicidas priuato & publico iudicio defendit, legi Noæ & Mosi de puniendis homicidis late se opponens: Quicunq; effuderit humanum sanguinem, ipsius sanguis per hominem fundatur.

Ego Dominus.] qui dico per prophetam. Virum sanguinarium abominatur Deus.

Ne oderis fratrem tuum.) Fontem malorū quæ alius in alium machinatur, indicat. Is fratrum contemptus est & odium. Quod in lege, Ne occidito, comprehenditur. Quam legem in Exodo positam hic Moses exponit. Ex hoc fonte odiorū manant furta, rapinæ, mendacia, fraudes, periuria, delationes, calumniæ, falsa iudicia, insidiæ, cædes & omnes tum priuati tum publici motus, omnem domesticam & ciuilem cōiunctionem euertētes. Huc spectans spiritus diuinus apud Ioannem cum odio coniungit homicidium, dicens: Qui odit fratrem, homicida est. Itaq; hanc legem de cauendo odio præcepit lex de abstinenda manu à sanguine alterius: Sanguini alterius ne immineto. Qua ex re intelligimus Christum non nouā legem tradidisse, cum ait, Quisquis irascitur fratri suo, obnoxius erit iudicio, sed ex sententia Mosæ ueterem legem ad redarguendos Pharisæos explicasse, qui facta & operanumerantes, animi malas affectiones non ponderabant.

Sed argue eum.) Personam diligens, uitia, odia prosequens exemplo Dei, qui in suis crimina detestatur, personas diligit. Vt qui dicat, Nō uem propter iustos. Hæc lex docet tā pestiferā esse assentationem ac indulgentiā qua fratrū delictis indulgemus. q̄ pericu losum odiū est, quo eosdē illos persequimur. Atque ratio sit, ac modus arguendi fratrū peccata cū omnis reprehensio per se molesta habeatur, norūt prudētes, hoc est occasionum, personarum, & ingeniorū humanorū periti homines. Cum aūt duplex sit scelerū casti-

gatio

gatio, altera priuata, altera publica: hæc episcoporũ, illa amicorum priuatim admonentium. Vtriusque suæ prudentiæ leges & exempla quæ sequantur, proposita sunt, quæ continentur hoc uno uerbo: Omnia ædificandi studio fiant.

Ne habeas super illo peccatum.) ne propter illum peccata luas. Hebraismus, portare peccatum pro dare pœnas peccati. Locus memorabilis de periculosa & graui intermissione castigationis iudicum in fratribus: horum scelera nisi redarguamur, in nos recidere. Huc pertinet seuera illa apud Ezechielem admonitio ex hac lege Mosaica deprõpta: Si me dicẽte ad impiũ, impie morte morieris, nõ fueris locutus ut se custodiat à uia sua mala, ipse impius in impietate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram.

Non quæras ultionem.) Condonandas iniurias, quas ulciscimur, si odium & iram ducem sequimur, non charitatem. Reuocandum id ad superiora: Fratrẽ ne oderis. Latè explicatur lex: Ne occidito. Dicas, Si ultio omnino petenda non est, quid ergo faciemus illi apud Ioannem: Reddite illi sicut & ipsa reddidit uobis & reddite ei duplicia? Respondeas, hic Mosem loqui de Israelitis: ab his ultionẽ petendã nõ esse ut sui generis hominibus. Ioãnem autem loqui de hostibus exteris ut est antichristus et impij ministri eius. Si ita, ut igitur occurremus Dñi uerbis, ubi generatim monet de hostibus uindictam quærendam non esse, sed eis benefaciendum: Diligite inimicos uestros. Duplex genus uindictæ est: alterũ, quo malum malo rependitur, hoc genus abesse debere: alterum, quo malum bono reponitur sub uindice Deo, qui dicit, Mihi uindictam, & ego rependã. Hoc genus ultionis exercent sancti homines: de quo illud apud Salom. Si esurierit inimicus tuus, da ei edere: si sitit, da ei bibere. Nã carbonibus incendes caput eius, & Dñs repẽdet tibi. Atque de hoc genere uindictæ loquitur diuinus spiritus apud Ioannem, & eam Dñs probat, cum ait: Bene precemini deuouentibus uos. Nam Ioannes non docet malum malo pensandum esse: sed Babylonis scortii doctrinas falsas ueris et sanctis refellendas ac refutandas, & uitam honestam pro turpi reponendam. Quod est apud illum, reddere duplicia. Duo autem sunt quamobrẽ ultionem de altero non liceat sumere. Vnum est, quòd neminem qui habet superiorem iudicem, liceat suæ causæ disceptatorẽ & iudicem agere. Alterum, quòd Deus uendicet sibi uindicãdi ius tanquam omnino uerus et iustus iudex, qui in iudicando neq; fallit, neq; fallere queat. Itaq; cũ ultionem de altero quærimus, duplex crimen admittimus: unũ, quod Dei quæ sunt, nobis usurpamus. Alterũ temeritatis uitium est, quo & nobis & alteri in quẽ ultionẽ molimur, cõtra diligendi legẽ incõmodamus.

Nec memor eris.] non solum uindictam petendã nõ esse, sed etiã omnem acceptæ iniuriæ memoriã ex animo deponendam. Consentit cum Mose Dominus in oratione Dominica: Dimitte nobis debita nostra, ut nos, &c. Dicas: At id natura sub peccatum uendita nõ potest efficere, ut deponat odium in hostem qui malè facit, ut conqueritur his uerbis Apostolus: At ego carnalis sum uenditus sub peccatum. Si uterem bonitatẽ spectes, is odium non reliquerit, dum uult. Sin nouum, is per legem spiritus, qui fidei in Christũ & charitatis spiritus est, reliquerit. Quocirca fatis primò fit in hoc seculo Deo, si in interiore homine, spiritu Christi imbuto, uteris ac externi hominis cupiditates perosi, hostibus nostris non solum iniurias quibus nos afficiant, condonemus, sed etiam de eis benemereri studeamus: secundò, si in eodem homine legem perfectionis inchoantes Christũ caput, finem & perfectionẽ uniuersæ legis, nostrã perfectionem esse agnoscimus, qui suam iusticiam & perfectionẽ nostram & nostra peccata in se transferens, sua esse uelit. Tertiò si in pugna aduersus carnem, mundum, satanam, refrenentur affectus ueteris hominis, ne uincant & superent. Demum si in spe sumus, fore aliquando, ut plenè legi diuinæ de amando Deo & diligendo altero in utroque homine parcamus. Quod cõtinget illo tempore, quo cum corpore excitato è mortuis, mens coniungetur adeõ cordiam in utroq; homine constituendam, in qua omnia in nobis cum uoluntate Dei consentiant.

Diliges amicum tuum.] Vt supra odium prohibetur, sic hic ex contrario dilectio alterius mandatur. Caput uniuersæ legis Decalogi, quæ dilectio est, ã Mose hic exponitur. Vt etiam Christus Mosæ interpres exponit, dicens: Hæc est lex & prophetæ. item Apostolus: Nemini quicquam debeatis, nisi hoc, ut inuicẽ diligatis, quæ naturæ lex est in omnũ animis inscripta, docẽs quemq; alterum diligere debere ut seipsum, cum sint cuncta paria, corpora, sensus, ratio & apta ad diuini spiritus usum natura, idẽ deinde Deus, idem Christus, idem spiritus, eadem hæreditas. Naturalis autem ratio docet pari dilectione diligendos esse qui pari dignitate & nobilitate præditi sint: sicut magis diligitur Deus quàm quicquam aliud, qui omnibus antecellit amplitudine: minus plãtæ quam animantia: & his ipsi homines præstantiores iudicantur, qui proximè accedant ad diuinitatẽ. Pari igitur amore ut inter nos alius aliũ persequamur, iubet diuina lex, quòd pari diuinam naturam ratione attingimus, dilectione ad rerum perfectionem sese attemperante. Vnde intelligitur qui gradus in amore obseruandi sint. Qui aũt in proximis à nobis amãdis numerentur, ostendit Christus in parabola de Samaritano. Quo ex loco cognoscimus tum amicum, tum inimicum, tam eos qui de nobis benemerentur, quàm qui malè merẽtur, hoc est omnes qui nostra ope egent, in proximis habendos esse. Neq; etiam contra naturam sed secundũ eam est, inimicos diligere. Nam si hostes nostri boni uiri sunt, hos nemo qui sapit, oderit quod enim nobis infesti iudicantur esse, in causa nostra uitia fuerint, nõ eorũ improbitas. Sin uerò mali sint, & improbi, hos ut oderis nulla ratio est. Sicut enim eos qui laborant aduersa corporis ualetudine, non odio sed miseratione dignos censemus: ita odio habendi nõ sunt sed potius tolerãdi, quorũ animos omni corporũ morbo deterior tenuerit, afficerit q; improbitas. Cõsiderãdus is qui de se dicit: Nõ ueni propter iustos. item: Attritus est propter scelera nostra.

Sicut

Sicut teipsum.) Duo intelligimus hic. unum est. amorem sui quo quisque se diligit, à Deo probari. Hic enim legimus, Alterum ut te diligito. Nam saxa & stipites nos geniti non sumus, ut nullos motus sentiamus, quibus ad ea quæ nobis salutaria sint expetenda, & ad contraria quæ exitium afferant, fugienda moueamur. Hæc indicant amorem quo quisque ea quæ sibi saluti intellexerit esse, parare & conseruare studet, Deo probari. De quo more Salomon in Prouerbijs his uerbis meminit: מרגח לב אוהב נפשו, id est qui cordatus est, animam suam, hoc est se ipsum amat, hoc scilicet honesto amore quo Deus ut summum bonum super omnia amatur, & secundum Deum nos ut proximum diuinæ naturæ opus, & alios ut nosipsos, pari gradu perfectionis Deum attingentes diligimus. Alterum est quod hic discimus, eum amorem nostri à Mose prohiberi, quo nos ita amamus, ut præ nobis neglecto Dei amore, alios non curemus. Hunc uitiosum amorem quem nobis originis uitium aspersit, natura ipsa detestatur, & lex Mosaica manans ex fontibus naturæ prohibet: eumq; Dominus noster Christus his uerbis mortificandum esse monet: Qui uoluerit animam suam seruare, perdet eam. hoc est, affectiones in ea aduersas legis diuinæ spiritu Messiæ abolebit, & amittet. de qua mortificatione Apostolus: Quod si spiritu facta carnis mortificetis, uiuetis. O beatum odium sui quod uitam affert per amorem eum de quo sequitur. Qui igitur hic se odiunt, etiam se amant odiẽdo se amantes, et amando odientes, ut qui isto sui odio se conseruent ad uitã. Sic etiam amore sui non carent, qui uitam suam pro Christo & ouibus eius profundũt. Nam uitam & mundum hunc ueterem perdentes, nouam uitam & mundum plenum luce & uita diuinitatis in nouo homine & cœlesti Christo Iesu adipiscuntur. Sicut caput sanctorum Christus tradens animam suam pro ouibus suis, nullum detrimentum capit, imò ex illo maximo amore nostri præmium retulit. Nam hunc ut ipse de se fatetur, pati mortis iniurias oportuit, ut in gloriam suam ingrederetur.

Ego Dominus.] Qui de me dico: Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et conrà de odio: Qui non diligit, nõ nouit Deũ, quoniam Deus charitas est. Quare ut primus homo effictus est ad imaginem Dei, qui eius sapientiam, iusticiam, bonitatem referret: sic ut ille ab imagine ad quã expressus fuerat, recessit, misit Deus imaginem suam qui Christus est, in mundum, qui aditum ad diuinam speciem effingendam restituta integritate patefaceret, hoc est uim tribueret diligendi Deum & inter nos amandi. Quæ dilectio si nobis constat, legem uniuersam perfecerimus, quæ hoc capite cõtinetur: Ama Deum toto animo super omnia, & proximum ut alterum te. Nam tali amore Deo tribuimus quæ Deo, & hominibus quæ hominibus competunt. Quæ summa est illa ex fide nobis communicãda perfectio & iusticia quam Deus ab homine requirit, ad quamq; is spiritu filij renouatur: Qui spiritus in hoc seculo hanc ipsam perfectionem in altero homine inchoatus, in utroq; per resurrectionem ex mortuis absoluet.

Leges meas custodite.] Attentionis gratia repetitur generalis admonitio.

Iumenta tua non facies coire.] Neglecta lege in creatione rerum sancita, quodq; cum sui generis animante sociatum, sui simile procreare debere. Nam degenerare ex diuersi generis animantium coitu pro creata, indicat mulus & mula, quæ sterilis esse feruntur. Obseruatũ enim è duobus diuersis generibus natã, tertij generis fieri, & neutri parenti esse similia: eaq; ipsa quæ ita nata sunt, non gignere in omni animalium genere. Nec tamen ignoro quàm uaria apud naturæ interpretes hac de re sit disputatio. Lex hæc docet homini fas non esse nouam speciem in mundo sua imente diuina idea carentem uelle cõdere, quæ in creati mundi formis cum donatæ fœcũditatis sententia expressa non sit. Itaque mirum non est, cur mula sterilis sit, quòd hæc nequaquam à Deo condita quæ sui similem gigneret, sed ab Hana cum patris sui Zibeonis asinos pasceret, in solitudine reperta legatur. At uerò mirum non sit, mulam dissentaneam diuinæ rationi atq; idææ ab Esai sobole in solitudine inuentam, à qua progenie etiam Deus ipse dissentiat: Esaum odio habui. Quapropter in huius generis rerum confusio sit ac perturbatio, quod id Deo careat ordinis autore & conseruatore: contraria hic præcipiuntur familiæ lacobeæ, in qua Domino placet decus, ordo, constantia.

Agrum diuerso semine.] hoc agri & culturæ spem frustrante. Vt quod ab hac de benedictione diuina sententia dissentiat, Germinet terra, fertilitatem impediente dissimili cultu, ac diuersis maturescendi temporibus. Huc spectans Solon Atheniensium legislator legem tulit ut consiturus oleam, aut ficum, à uicini agro spacium nouem pedum interponeret: quidnis autem aliud, quinq;. Si mysticam rationem spectes, monemur in cœlestem animorum nostrorum agrum diuersæ religionis et doctrinarum semina spargenda non esse: quod qui faciunt, non est obscurum.

Veste quæ ex duobus texta est.) שעטנז est id est, ex diuersis consarcinata uestis. His legibus de diuersi generis animantibus non admittendis, de agro farragine non conserendo, de uestem ex lino & lana minimè texenda, monemur rerum confusionem displicere Deo, placere uerò iudicia quoq; re suo loco utamur. In has igitur leges submoto uelo mystico peccant qui noui et ueteris fœderis iura, literam & spirirum, cœlestia et terrena, philosophiã & oracula fidei, ciuilem & Ecclesiasticam gubernationem inter se commiscent. Itaq; agrum diuersis seminibus conserunt, in quos Apostolus: Quòd si circumcidamini, Christus nihil uobis proderit. item: Quicunq; per legem iustificamini, à gratia excidistis.

Homo si dormierit cum muliere coitu semenis.) Hebraismus, si quis rem habuerit aut coierit. Alij de Chananæa serua, alij de Israelitica, alij promiscuè de utriusque generis ancillis interpretantur. De quo genere accipias, nullum fuerit periculum.

Nubi-

Nubilis.) בחרפה *alijs desponsata, alijs addicta ad seruitutem. In eo uerbo scutè opprobrium seruilis cõditionis notatur, in quo sit quæ libertatis iure non utitur. Contraria enim est seruitus dignitati humani generis, quod conditum est ad libertatem, nõ ad seruitutem. Legimus enim: Dominamini. A' qua dignitate discedũt serui. Ad opprobrium obnoxiæ sortis accedit, quòd qui seruili sint statu, mente etiã & ratione, hoc est libero animi usu ac functione priuãtur, qui nõ sibi, sed ijs quibus seruiunt, sapiunt. Hinc ille apud uatem:* ἢ γὰρ χθιζοὶ· οὐδέα δῶλον, ὅτε ἐλευθέρας γυναικὸς ἀμώνειν.

Probrosa igitur seruitus non naturæ, sed culpæ imposita fuit, per quam ut morbi, calamitates, mors, ita etiam seruilis conditio humanum genus inuasit. Hæc igitur quàm grauis sit, declarat causa noxa ipsa. quæ efficit, ut uerissimè seruus sit is, de quo illud: Omnis qui facit peccatum, seruus est. contrà uerè liber de quo idem Dominus: Si filius uos liberos reddiderit, uerè liberi eritis. Ignominiosam ergo esse seruitutẽ, indicat uerbũ בחרפת. *At hæc ignominia uertitur in gloriam ac decus, si libertas qua peccato, morti, mundo & principi mundi imperamus, accesserit. Inuenias igitur liberos homines qui serui sunt, & seruos qui liberi. Vt uerum sit illud: in Christo neq; liber, neque seruus. Proinde aliter seruitutem Moses, aliter Christus expendit. Mosaico uelo subducto, legimus apud Apostolum: Non accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed spiritum adoptionis per quem clamamus Abba pater. Vt igitur qui cum ancilla ad famulatum alicui destinata coit, peccat: ita qui in Christo liber factus est, rursus seruitutis legis subdit, à culpa immunis non est. Huc pertinet illud Apostoli: Itaq; fratres mei uos quoque mortificati estis legi per corpus Christi, ut iunge remini alteri, nimirum ei qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. Rectè igitur ueteres dixerunt, per inde esse si quis liber rem habeat cum serua, atque si agrum uarijs seminibus serat, & uestè ex diuersis consarcinata utatur. Vnde occasionem promulgandæ huius legis uolum desumptam.*

Et tamen precio non redempta.) *neq; à patre, neq; à propinquis.*

Nec libertate donata.) *à domino cui seruit datis, ut mos erat, manumissionis literis.*

Vapulabunt ambo.] בקרת תיחת, *alij inquisitio fiat, inquiratur in scelus à magistratu. Huc Græci spectãt,* ἐστιν ὅταν ἐγκαλῶσι. *Alij, uapulabit, uidelicet fœmina stuprũ sibi inferri passa, notato in* בקרת *loro bouino. seruos uerberibus cædi, publicus mos fuit.*

Et non morientur.) *Secus si uxor esset & libera, cum adulterium, ut mox indicabitur, capitale sit.*

Pro delicto autem suo.) *ut solet aries pro* אשם *offerri. de quo ritu suprà. nam qui ancillam uitiauerit, dominum eius iniuria affecerit. Verberibus seruus castigatur, liberi hominis noxa arrete expiatur. Deponendum uelum.*

Quando ingressi fueritis terram.] *Vt suprà quæ in immundis animantibus habeantur, docuit: ita hic quæ profana ac impura in arboribus numerentur, monet, ne desint usquam sacra rerum & fugiendarum & expetendarum symbola.*

Auferetis præputia earum.] *Nomine præputij in sacris literis res profana ac polluta notatur. Sic tribuitur labijs & animis suum præputium. per triennium arborum fructus profanos habendos. Ferũt physici, primos arborum fœtus tanquam excrementicios insalubres esse. Ideo eos uelut præputium impuri membri amputari abijciq; debere. Qua in re arborum quoque firmitati & fœcunditati consulitur, decussis primis fœtibus. At hæc ciuilia sunt. Mysterium notum ijs qui regenerationis initia norunt in homine, qui ut minor quidam mundus quatuor perfectionis gradibus notis sanctis, censetur, quorũ quartus iam circumcisorum animorum sacer Deo est: quintus in usu rerum spiritualium cernitur.* ערל *Hebræis clausum & obturatum est, inde ad præputium membrũ tegens, claudens transfertur. Hic quaternarius & quinarius centrum denarij numeri perpendendi fuerint. Quinarius notatur in litera* ה *quæ ex quaternario* ד *et* י, *id est iodo denario constat. Quem autem uterq; numerus declaret, pijs non ignotum. Nam Deus & omnium rerum perfectionem continet, & eam cæteris ad usum communicat.*

Quarto autem anno.) *Hoc anno omnem fructum consecrandum Deo esse ad gratiarum actionem. Is fructus sacerdoti cedebat publicè gratias nomine populi agenti Deo.*

Congregantes poma.] *In uerbo* להרסיף *largæ & liberalis ubertas ac copia notatur: qua quod quatuor annis ademptum est, quinto diuina benignitate farciatur. Refertur ad illud: Quarto autem anno.*

Ego Dominus Deus uester.) *solus uos locupletans, erga quem gratos uos esse conueniat.*

Non comedetis carnem cum sanguine.) *Aut repetitur generalis lex, aut specialiter uetat, nõ prius carne sacrata Deo uescendum esse, quàm sanguis arã imbuerit: sicut non antè fas est uesci fructibus arborum, quàm eorum primitiæ Deo consecratæ sint. Ad uersus hanc legem deliquerunt Israelitæ in bello Palestino. Vertit se populus ad prædam, tulerunt q; oues & boues & uitulos, & mactauerunt in terra, comedit q; populus cum sanguine.*

Non auguramini.) *Diuinatio superstitiosa in populo Dei oraculis consecrato damnatur, qua contra primam Decalogi legem delinquitur. Diuinatio autem ac præsensio rerũ futurarũ, bipartita est: altera uera & laudata, altera falsa & reprobata. Vera est in qua ex certis signis aut à natura aut à moribus ac uita hominum, aut à diuino instinctu ac impetu oblatis, ad usum humanæ uitæ & pietatis futura præsentiuntur. Falsa quæ ambigua & falsa signa ad labefactandam fidem & religionem superstitiose persequitur. Vtrumque genus latissimè patet. Nam si laudatum prædictionum genus spectes, hoc tum in Physicis, tum in moralibus, tum in sacris uaticinijs cernitur. In physico genere præbentur signa agricolis, me-*

dicis,gubernatoribus,lex terra, aquis, aere,uentis, & signis cœli:ut sunt defectiones solis & lunæ,cometæ,et aliæ igneæ affectiones. Futuram quoq; tempestatem, pluuias,serenitatem ex ipsis animantibus naturali ratione præuidemus, ut monet uates de mergis, fulicis, & ardea:

Cum medio celeres reuolant ex æquore mergi,
Clamoremq; ferunt ad litora,cumq; marinæ
In sicco ludunt fulicæ,notasq; paludes
Deserit,atq; altam supra uolat ardea nubem.

Contrà serenitatẽ portendi,si corui plures gregatim uelut gaudentes uolent.de quibus idem uates:

Iam liquidas corui presso ter gutture uoces,
Aut quater ingeminant,& sæpe cubilibus altis
Nescio qua præter solitum dulcedine læti,
Inter se solijs strepitant,iuuat imbribus actis
Progeniem paruam,dulcesq; reuisere nidos.

Nec nõ ex nebulis,ex mẽstrua luna,ex ortu & obitu solis,ex aurora, ex terræ habitu apparent signa: quæ quoniam naturalem significationem habent, non improbantur. Christus Pharisæos futuram tempestatem prædicentes ex aurora & uespertino tempore, non redarguit: redarguit autem qui cum cœli faciem iudicare scirent,tempora aduentus sui ex diuinis oraculis iudicare nescirent.Moses in cœlo & in terra sterilitatem et morborum signa collocauit, cum minatur Israelitis cœlum ferreum,& terram æream. Dominus in luna, sole & stellis signa fore immutationis mũdi præmonuit. Deus in prima molitione rerum iussit in cœlo luminaria existere,quæ earũ rerum quæ sub cœlo fiunt,signa forent. In quibus temporum colendi agros,conserendi arbores,putandi uites,ablaqueandi, materiem cædendi,stercorandi,physicæ significationes ac præsensiones continentur, non solum non prohibitæ,sed etiam cõmendatæ pijs diuina institutione, modò tractentur fide,non superstitione:per quam etiã rebus in natura præstantissimis abutimur,si in natura potius,quàm in Deo,qui rerum naturã fabricauit, hæreamus. Alterum laudatũ præsentiendi futura genus in moribus & hominum uita positũ est. Vnde sæpe futuram mutationem in rebus ciuilibus exercitati homines prospiciũt:ut de Atheniensi Solone literis proditum est,qui ex statu suæ ciuitatis orientem tyrannidem multo antè præuidit. Tales uates quamuis prudentes propriè dicas, diuinos tamen aliqua ratione quoq; dixeris.Cuiusmodi uates hodie præsens rerũ status multos efficit. Nemo enim ferè est,cui animus nõ præsagiat propter scelerum,quibus orbis terrarũ scatet,grauitatem,propter ingratitudinem,propter securitatem carnalem,cum summa contẽptione Euangelij Domini nostri Iesu Christi coniunctam,insignem aliquam inclinationẽ rerum omnium fore. Tertium genus,sacrum illud & uerè diuinum genus est uaticinandi,in quo uersantur qui Dei instinctu futura prænunciant:ut sunt sancti prophetæ,quorum alij uisis inuolutis,alij clariore & magis explicata diuini spiritus luce collustrantur ad prædicenda ea quæ nobis ad gubernandam uitam,& ad salutem comparandam sint necessaria. Huiusmodi muneris prophetandi caput Christus est,ad quem ut fontem uerorũ oraculorũ omnia nostra consilia,actiones,omnis euentorum expectatio referri debet,sic de ipso testante patre:Ipsum audite, & de eodẽ apud Mosem infrà:Sed suscitabit ille prophetã de gente tua,& de fratribus tuis.Hunc audies. Hæc breuiter de laudato genere.Alterũ quod falsum est, atq; hic prohibitum,cernitur uarijs in reb. in terra,aere,aqua,igni,plantis,animantibus,mortuis,uitãtibus:& tam latè quæritur, quàm amplè mundus conditus extenditur. Tanuis est discessus humani generis à Deo rerum cõditore.Primò igitur id in uolatu et cãtu auium exercetur:quæ ars augurium & auspicium appellatur,cuius magna uanitas est. Quid enim uanius,quàm ad regendas nostras actiones,obseruare in quam partem uolent alites,num in hac,num in illa se occultent, num à dextra,num à sinistra parte canant obscinesut cornix à sinistra,à dextra corus auspicũ faciat ratum. Vnde etiam hac disciplina à suis professoribus sæpe neglecta fuit, qui fatentur neq; diras aues,neq; auspicia pertinere ad eos qui quanq; remq; gredientes obseruare se ea negauerint. Laudandus igitur fuerit heros ille qui apud Græcũ uatem dicit,optimis auspicijs geri quæ pro reip.salute geruntur:

εἰς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Scitum illud Carthaginensis ducis responsum est,quod dedisse legitur Prusiæ regi negãti se audere pugnare quòd exta prohiberent. At tu,inquit,carnuculæ uitulinæ mauis quàm imperatori ueteri credere.Hinc fulmina omnia ex ostentis & fulgur.bus, lactuq; fulminum,ut si fulmen dextrum sit,aut sinistrum.Secundò uersatur in inspiciẽdis extis, quæ ars latinis aruspicina dicitur:ut cum aruspex considerat quid fissum in extis, quid fibra, quid incisus pulmo,quid fel gallinacẽ,qd tauri opimi iecur aut cor naleat.Huc refertur omnis obseruatio earũ rerũ, quarum nulla ratio, cur ita obseruẽtur in natura subest,ut si quem bucella exore cadens,sal in mensa effusus sollicitũ de cuẽiis reddat:item si quis ad leporem obuiam factũ tanquam infaustum omen trepidet. Sicut Augustus iudicabat dirum,si mane sibi calceus sinister pro dextro indueretur. In quo numero ponuntur signa quæ quis sibi constituit,dicens:Si hoc aut illud mihi euenerit,faciam quod proposui:sin minus,non faciam,nisi propositum diuinus sit signũ.quale fuit quod Eleazaro Abrahami seruo oblatum legimus in Genesi:Erit igitur ut puella ad quam dixero,Inclina quæso hydriã tuam ut bibam,illaq; dixerit,Bibe,quin et camelis tuis potum dabo:ea sit quam destinasti seruo tuo Isaaco, & ex eo intelligam te erga herum meum benignitate uti. Apud Hebræos augures,aruspices, horarum obseruatores,sulgiratores,sortilegi,& qui alia signa ad capiendũ experimentum & coniecturam de euentis quales futuri sint,explorant,communi nomine מנחשים appellantur. נחש enim periclitandi & experimenta sumẽdi uerbum notum est.Præter hunc modum perseuerãdi futura,ferunt etiam diuinandi morem fuisse ex ligno altera parte decorticata.Nam in utram partem

lignum

lignum in altum proiectum, siue cortice contectum, si ue eo nudatum cecidisset, rerum futurarum præsensio nem accipi solitã tradunt. quam diuinationem ῥαβδομαντείαν dicunt appellari. Huc referunt illud de quo apud Oseam: Populus meus in ligno interrogat, et ba culus annunciat ei. Tertium genus falsæ diuinationis in incantatione, carminib. & sortib. exercetur, quod genus קסם uocari: & eo usum Bileamum filium Beo ris, à Balaco Moabitarum rege accersitum, tradunt. Huc referuntur fanatici homines qui malorum genio rũ præstigio decepti, imagines quascũq; in speculis, crystallo, ungue, aquis apparentes persequuntur, è quib. futura prænuncient. Aut quæcunq; aliæ formæ ac imagines fuerint, quæ ad hunc usum accommodatæ si sint, iure refelluntur. Quales nonnulli putant fuisse Theraphim, quibus Laban Syrus augur traditur de rebus futuris diuinasse. Quartò, damnantur qui ex mortuorum ossibus uaticinantur, quæ νεκυομαντεία ars est: qua continetur uana illa mortuorum ex inferis euocatio, quæ à Græcis ψυχαγωγία dicitur, in qua mortuorum periculosa interrogatio per pythonis spiritũ continetur. Quæ ab Hebræis דרש הבדאים uocatur. Quo genere uaticinandi usus legitur Saulus Samuelis animum euocans in prio re Samuelis libro. De hoc genere quærendi responsa, infrà in Deuteronom. extat lex: Neq; à mortuis quæ rat ueritatem. Quintum genus est, quo malorũ genio rum responsum petitur, cuiusmodi Pythia, Dodonæa, Hãmonia fuerunt oracula. Sextũ, in quo curiose tempora obseruantur, in qua diuinatione Chaldæi, genethliaci, natalitia prædicta notantes & astrologi uersantur. Hi cum sidera consulunt, & stellarum significationes superstitiosius interpretantur, Deum siderũ rectorem negligunt, è cuius unius cultu & sacris de rebus gerẽdis responsis homini totius mundi principi pendendum erat. Qui hoc modo curiose tempora, horas & momenta in cœlo rimantur, ad res agendas עברים dicuntur, & lege hac, quæ hic ponitur, לאת תעוננו reprehenduntur. Dico curiose. Nam est quædam temporum obseruatio laudata, de qua suprà meminimus. Appellatos autem עוננים uolunt, uel à tempore quod obseruant, uel à nube seu ære quem cõtemplantur. Nam tales censent perinde ut temperatus sit aer, ita pueros oriẽtes animari atq; formari, excoq; ingenia, mores, actiones uitæ, casus cuiusq; et etiã tus fingi. Pro falso etiã præsentiendi futura genere habentur somnia, nec à Deo oblata, nec eius spiritu interpretata. Hoc est, omnia quæ aut à Dei cultu auocant, aut ut posthabita fide, nostra consilia sequamur, hortantur. Atq; detestabiles sunt talium somniorum coniectores ac interpretes. Contraria somnia sunt de quibus Ioel propheta: Senes uestri somnia somniabũt. Hæ breuiter de utroque, uero & falso diuinandi genere. Quæ duo genera per omnia inter se contraria sunt natura, causis, euentis. Nam si causas spectes, uerè diuinationis causa efficiens est diuinus spiritus Christi, qui uerax ille spiritus est, uerorum inspirator. de quo Ioel propheta: Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri et filiæ uestræ. Falsæ autem diuinationis causa fuerit spiritus ille mundi satan, spiritus mendacij & eius pater, qui in filijs suis per uitium corruptæ naturæ omnes errores & fraudem machinatur. Hoc afflantur qui prohibita uaticinandi genera persequuntur. Quæ tota inuenta sunt fallacijs, aut ad quæstũ, aut ad superstitionem, aut ad errorẽ. Hinc efficitur, ut sicut causæ cõtrariæ sunt, ita etiam naturæ effectaq; utriusq; generis inter se aduersa sint, ac contraria. in uero genere alitur & conseruatur pietas ac uerus cultus Dei, qui est, ab uno Deo pendêre, ab unius filij eius responsis et oraculis gubernari. de quo pater ipse dicit: Ipsum audite. Contrà pietas labefactatur, cum homines commutata dignitate sua responsa & ueritatem à malo genio patre menda cij quærunt, quos spiritus ueritatis liberos & dominos omnium reddidit. Quæ naturæ summa peruersio est. Altero igitur genere magnificatur Deus, & filius eius Christus, cum agnoscitur hunc in sinu patris residentem solum nobis enarrare salutaria, & ad uitam tum præsentem cùm futurã necessaria. Quæ maxima gloria est illius & honor. Nam ei à quo responsa petuntur, quibus regamur ac gubernemur in omni uita, imperij in cuncta & potestatis honos tribuitur. Principum enim est sancire leges & decreta edere quæ in rebus expetendis, & contrarijs fugiendis, sequamur. In altero autem genere carnis, mundi & principis mũdi satanæ, gloria perficitur, dum huic quæ diuinitatis propria sunt, perfidè & præposterè adsignantur: ut est futura certò prænoscere, rerũ gerendarũ responsa dare, humanos animos oraculis gubernare, in eos quos soli Deo subditos esse cõueniat, & in cætera omnia dominatũ tenent, imperium exercere. Vnde etiam utriusq; generis dissimilis est exitus: altero paratur exitium, altero salus: exitium, ijs qui satanæ cuncta uastanis mendacijs credunt: salus autem, ijs qui uno spiritu Christi reguntur & gubernantur. de his legimus: Etenim quicunq; spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei, ad gloriã uidelicet & salutẽ destinati. De illis uerò: Et propterea mittit illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio, ut iudicentur, id est condemnentur omnes qui non crediderũt ueritati. In hac cõdemnatione est ipse satan & caput plenitudine errorũ satanæ impletũ antichristus cum suis membris tum dæmonibus, tum impijs hominibus.

Neq; in rotundum attondebitis comam. Vertice non esse tondendũ, uel falsæ religionis gratia, ut mos est hodie monachis impuræ bestiæ ministris: uel lugendi, ut solitæ sunt profanæ gentes, caussa. Proditũ est literis. Aegyptios in funere barbam euellisse: & Persas, cum lugerent Masistium ab Atheniensibus interfectum, rasisse non se tantum, sed etiam equos & iumenta. Lex igitur hæc promulgata est Israelitis, ut à profano gentiũ ritu in lugendis mortuis abstinerẽt, quæ futuræ uitæ spe carentes, comã & barbam à Deo ad ornamentũ homini tributam temerè deturparent. In quo prauo more redarguitur primò, quòd ornamenta diuina turpiter deprauãtur: deinde, quòd secus sentitur de animis corpore solutis & eorum immortali statu quàm deceat, qui hoc Salomonis dicto compre-

bensus est: Et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Quam sententiam etiam gentilis ille Calanus Indus intellexit, sic diuinans cum ascenderet in rogum ardẽtem: O præclarum, inquit, discessum è uita, cum mortali corpore cremato in lucem animus excesserit. Tertiò, quòd qui ita lamentantur suorũ mortẽ, iniqui sunt diuinæ iusticiæ morte ipsam noxam plectenti. Non igitur obitus immoderatè plangendus fuerit, sed æquè ut pœna peccato debita ferendus, & tanquam traiectus ad æternã uitam & lucem boni consulendus. Demum de resurrectione & suscitatione corporũ ad uitam malè statuum: quam si agnoscerent, æquè ferrent mortalis & tot iniurijs obnoxij dum ad uitã excitantur, dissolutionem. Ad quam longè præstantissimã salutem repræsentandã, ac figura quadam ex natura ipsa adumbrandam, diuina sapientia nobis metalla, stirpes & animantiũ carnem, ossa, medullas proposuit, ex quibus illud cœleste & diuinũ temperatione quatuor elementorum inditũ non prius apparet, quàm hoc adhibitaui quæ certa ratione parata sit, ui soluẽte à terreo separetur. Sic ex metallis diuinam illam quintam naturã, ex stirpibus liquorem, succum, oleum, sal beneficio dissolutionis terrenæ materiæ elicere licet.

Et super mortuo non incidetis.] qualẽ morem Amorræis fuisse tradunt. Corpora quæ decora ac uenusta fabricauit Deus, turpiter in funere lacerãda nõ esse, neq; in eis notas inurẽdas, quod est hic in Hebræa lingua: רבתבת סעקע לא תתגר בבם Nõ omnino igitur hic luctus prohibetur sed immoderatus. Nam cum duplex est dolor, alter naturalis, quo natura dolẽt nobis ea quæ tristia sunt & aduersa, ut sunt parentum, liberorum, propinquorũ & amicorũ calamitates, morbi, interitus: alter modo & ratione carens, qui fide nõ regitur. Naturalẽ nõ prius deposuerimus, quàm ipsa natura mortalis nostri corporis expirarit, in qua naturales affectiones, dolor, lætitia, spes, metus, nonnisi cũ uita hac animali abolendæ hærent, quibus motib. nec sancti ulli, nec Christus caput sanctorũ caruit: quib. qui carent, aut potius simulant se habere, ἀπαθεῖς appellantur, & ab Apostolo in epistola ad Romanos reprobantur. Itaq; tolerantur hi motus in natura, si moderati sint, & fidei charitatisq; spiritu gubernentur. Sic luxere patriarchæ suos, ut exemplo est Abrahamus, Isaacus, Iacobus, & cæteri. Sed alter ille intemperatior ac nimius luctus quo mortui tanquã penitus intereant, lugentur, hoc loco damnatur, & ab Apostolo his uerbis reprehenditur: De ijs qui obdormierunt, nolo uos ignorare, ne doleatis, quemadmodũ & cæteri spẽ non habentes. Huiusmodi plãctus ac lamentationis indecoræ in corpore fœdè notato signa apparent hoc loco reprehensa, ueluti sunt, euulsa barba, rasus uertex, genarũ, & pectoris laceratio, & in reliquo corpore inustæ notæ doloris indices.

Ego Dominus.] qui decus in meis requiro, & dedecus odio habeo. Itaq; in Deuteronomio sic monet Moses: Filij estote Domini Dei uestri.

Ne prostituas filiam tuam.) Contra legem Decalogi, Ne adulterato: ex qua manat hæc lex tanquam riuulus ex fonte. Nam nomine adulterij, omnis obscœna libido & eius autores prohibentur. Vt sunt parentes filias suas ad meretricandũ prostituẽtes, quales procul dubiè fuere Chananæ gentes, quas expulsurũ erat Israelitæ à nefaria libidine sæpe in sacris literis damnatæ. Est in historijs, publicũ Cyprijs morem fuisse, uirgines ante nuptias statutis diebus dotalem pecuniã quæsituras prostituere. Locrenses putarunt se prostitutione suarum filiarum gratum Deo cultum præstare. Tanta est legis etiam naturalis obscuratio, uitio originis inducta. Quid enim magis secundum naturam fuerit, q̃ illibata uirginum pudicitia? Hanc si cuiuis licebit uiolare, quæ sancta matrimonia cõtrahentur? quæ stupra, qui incæstus in rebus publicis non habebuntur cum? Consideremus bestiæ regnum, in quo Episcopi ut sint lenones, non est obscurum. Hinc illa calamitas Ecclesiæ nata est, quam tot seculis experti sumus, & etiamnum in tanta quæ exoritur luce experimur, & lamentamur. Sed magis horrenda est prostitutio, qua liberi prostituuntur meretricationi, de qua Propheta, Spiritu fornicationis seducti sunt: cuius hodie mundus plenus est.

Ne contaminetur.) scortatione. Legitur enim לא תזנה species pro genere, hoc est pro quauis obscœna libidine.

Terra.] in qua conueniat sancta coniugia uersari, non fœdam libidinem. Itaq; hæc sceleribus degenerata suos habitatores dicitur euomere tanquã graue onus.

Piaculo.) זמה, id est scelere ac flagitio. Quo nomine leue crimen notatur, sed quod cogitato admittitur, ac de industria.

Sabbata mea.] Putant nonnulli hanc primæ tabulæ legem repeti propter mentionem de mortuis factam, quos sabbatis lugere ac sepelire non licebat. Ad hæc qui nimium mortuos lamentantur, sabbatum profanant, in Deo quietem, hoc est animi tranquillitatem non tuentes. Caput enim sabbati celebrati est, conseruare in omni uita peccatum animum aduersus calamitates, morbos, mortem, inferos, & inferorum potestatem Satanam.

Et sanctuarium uestrum.] in quo ego uersor.

Metuite.) ob mei & meorum oraculorum præsentiam reuerentiã.

Non declinetis ad magos) אוב uertitur spiritus ex mortuis diuinans. Exemplum de Saulo habemus, de quo priore Samuelis libro his uerbis legimus: Dixitq; Saul seruis suis: Quærite mihi mulierem בעלת אוב, id est, præditam spiritu pythonis. Qualis autem fuerit spiritus אוב ut is uersatus sit in euocandis mortuis, declarat textus qui inibi sequitur: Dixitq; ei mulier: Quẽ suscitabo tibi? qui ait, Samuelem mihi suscita. Huc congruit illud in Iesaia propheta: Et cum dixerint ad uos, Quærite à pythonibus, & à diuinis qui mussitant: respondete eis, Nunquid non populus consulet Deum suum? num pro uiuis ad mortuos refugiendum fuerit? Huc pertinet illud Christi: Habent Mosen & prophetas. hos audiãt. ideo sequitur: Ego Dominus. Cæterùm uocula אוב nota est quæ lagunculã significat, ut illud in Iobo indicat ארבת חרשים quòd genio malo correpti responsa reddãt obtusa uoce perinde ac

de ac ſi è lagunc̃la laquerentur. quò pertinet muſitã di uerbum apud Ieſaiam מצפצפים. Græci uertunt hic ἐγγαστριμύθους, id eſt uentriloquos, qui uel uentris, qui ipſorum Deus eſt, cauſa uaticinentur: uel ex uentre maligno ſpiritu inflati, ore clauſo oracula ſua edant, Tertulliano interprete.

Nec ab hariolis.] ידעוני uerbum à ידע deciſum uidetur, ſignificans diuinos qui rerum futurarum prænotionem ac præſensionem ſibi arrogant. Græci igitur interdum γνώστας habent.

Vt polluamini ab eis.) mendacijs.

Ego Dominus.] à quo reſponſa ſciſcitari conueniat, qui uobis in ſanctuario inter Cherubim ad propitiatorium ad reddenda oracula præſtò ſum. ideo præceſſit: Sanctuarium meum reueremini.

Coram cano capite.] Lex de reuerenda ſenectute iuuenibus memorabilis. In ſenectute enim ſpectantur hæc Dei munera, longior ætas promiſſa pijs, peritia rerum ac prudentia quam tempus & rerum magiſtra experientia, ut rectè ille tempus σοφώτατον dixerit, parit. Demum ætas ab animi perturbationibus libera & uicina ad uitam omni labe uacuam. His de rebus ſenectutem in honore habendam, & canis aſſurgendum, lex monet. Hinc γερουσία apud Græcos publicum conſilium & ſenatorius ordo apud Latinos, atq; זקנים à ſenio ualente prudentia & rerum uſu ſenatores, & eorum cõſulta ſenatuſconſulta appellantur. Sapienter igitur ſapiẽs Salomon iuuenum uires decus, & canitiem ſenũ maieſtatẽ uocat תפארת בחורים וזקנים שיבה. בחכם רחוק

Et time Dominum.) In ſenibus cum uenerare, ut & tu ad ſenectutẽ peruenias, in qua tibi honos præſtetur. Sed monentur etiã hac lege ſenes, ut memores ſuæ ætatis ſic ſe gerant, ut meritò eis honos exhibeatur. Nam ſi huic ætati intẽperantia acceſſerit, duplex malum eſt, quòd & ipſa ſenectus dedecus concipit, & facit adoleſcentũ impudentiorem intemperantiã.

Nolite facere iniquũ.] Confirmatur hac lege legitima rerum diuiſio quæ manat ex lege illa Decalogi: Ne furator. Legitima autem rerum diuiſio eſt quæ cuiuſq; gentis publico conſenſu ac conſuetudine approbatur. Atq; hæc quatuor in rebus conſiſtit, in iudicio, dimenſione, pondere, menſura.

In iudicio.) Iudicium eſt cum cuiq; ſuum tribuitur, ſiue perſonarum cum quiſq; ſuo præmio & honore exornatur, ſiue rerum perſonis neglectis habeatur ratio: ut cum mercis & precij æqualitas retinetur, & cum iudices ad quos referuntur controuerſiæ, de rebus diudendis æquas ſententias ferũt, cuiq; ſuum adſignãtes. Vbi duplex iuſticia cernitur: altera, ut uocatur, diſtributiua, quæ præmia geometrica ratione ſua cuiq; tribuit: altera commutatiua, quæ arithmetica ratione rerum æqualitatem ſeruat, qualis uerſatur in rebus empris, uenditis, locatis, mutuis, depoſitis: & ut hic Moſes tradit, in dimenſione, pondere, menſuris.

Regula.] במדה in dimenſione. Hæc iuſta cenſetur quando fraus in ulnis aut urgis quibus rerum magnitudines metimur, non committitur.

In pondere.] iuſto, quod conſuetudine approbatum ſit domi, non adulteratum. in quo lance per dolum nuſquam impulſa, fraus nulla admittitur. Mox enim pondo cum trutina coniungitur.

In menſura.) quæ duabus in rebus uerſatur, in aridis & liquidis. Aridorum menſura איפה, liquidorum הין dicitur. Hac igitur lege cauetur, ut iuſtæ ſint menſuræ, congij, acetabula, heminæ, cotylæ ſextarij.

Ego Dominus.) iuſticiæ amans, & eam præmio ornans. Vt legimus: Pondus iuſtum habeat, ut longo tempore uiuat.

Qui eduxi uos.) ut ſeruatis legibus meis iuſticiæ ſtuderetis mei imitatione, non Aegyptiorum & earum gentium quas coram uobis exterminabo.

IN CAPVT XX.

SI quis dederit.) Suprà leges tradidit, iam pœnas quas dent qui in illas deliquerint, perſequitur, ne quid deſit inſtruendæ reipublicæ, in qua planè idem eſt nullas habere leges, & multas quidem ſcriptas habere, nullis uerò uti, aut in eos qui uti neglexerint, non animaduertere. Confirmatur hic magiſtratus ciuilis, cuius tria ſunt munera: unum, συμβουλεύειν, id eſt reipublicæ dignitati conſulere, & ea quæ ex re illius ſunt, in deliberationem uocare. Alterum ἐπιτάττειν præcipere ac cauere edictis ex antegreſſa conſultatione quæ agere aut omittere conueniat. Tertiũ ἐφορᾶν, iudicare, hoc eſt ſontes plectere, & inſontes à malorum ui defendere. Quod eſt cuſtodem legum præſtare. In quo quoq; manere uerſantur ij qui à Græcis νομοφύλακες, & à latinis cenſores dicuntur. Quod officium ſanè neceſſarium eſt, & hoc loco à Moſe tractatur.

De ſemine ſuo.] Semẽ pro ſobole, tropo noto, quòd in ſeminibus fœtus integri magno diuinæ uirtutis miraculo contineantur.

Idolo Moloch.) Incipit à cultu deorum alienorũ lege hac prohibito Decalogi: Deos alienos ne habeto. Tradunt interpretes, idolum Molochi bouis magnitudine fuiſſe cum ſeptem occultis receptaculis, in quos pueri reciperentur, illi conſecrandi: quorum lugubris clamor ne audiretur, tympana pulſari ſolita. Atque hinc locũ illum תפת à תפף quod pulſare eſt nominatum. Veluti legere licet apud Hieremiam. Qui etiam quòd Hebræi ibi ſe poſteris temporibus ſepelierunt, mortuorum ſepulchrum appellatus eſt. Ibi Iudas fertur laqueo uitam finiuiſſe. Eundem Chriſtus Dominus noſter Gehennam ignis uocauit. Vnde quidam colligunt, quòd dare ſemẽ Molocho ſit illud deſtinare igni æterno, qui illo loco adumbretur: ut in ualle Ioſaphat iudicium illud uniuerſale adumbratur, ſtante iudice in monte Sion habente ante ſe uallẽ Ioſaphat, & à latere ſiniſtro locum hunc in quo Molocho liberi conſecrabantur. Semotis umbris iudicanda hæc fuerint ſpiritualiter, non ſuperſtitioſe tractanda, ſed quatenus fidei omnia ad ampliſicandam Chriſti gloriam & ad uſum eccleſiæ referentis iudicio conſentanea ſunt.

Lapidabit eum.) *iudicium iudicio damnatum. Eodem supplicio puniuntur qui Domino maledicunt: de quibus infrà capite uigesimoquarto: item qui quæ Deo deuota sunt, interuertunt, Iosuæ septimo. Et qui sabbatum profanant, Numeri decimoquinto. Merentur ut lapidibus obruantur qui lapidē spernunt de quo Psal. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et Dominus apud Lucam: Omnis qui ceciderit super lapidem illum, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum. In Christum autem uiuum lapidem ut delinquant, qui Molochum hodie satis notum colunt, et scelera iam numerata designant, satis manifestum est.*

Sanctuarium meum.] *in eo solo me, non extra colendo.*

Quòd si negligens populus.] *Locus memorabilis, tam culpæ affines esse qui ad scelera conniuent, quàm qui scelera committunt. Exempla in Heli, Salomone, Manasse nota sunt. Manasses Molochum coluit. & Hierosolyma ciuitas conniuens ad tam nefarium cultum, in Chaldæorum manus tradita fuit. Similiter regnum Israeliticum magna populi conniuentis clade diuisum legitur, ut Salomon impunè Molochi fœdum idolum ueneratus est.*

Vt fornicaretur.) *Aptè pœnæ eorum qui deos alienos colunt, cum obscœni concubitus pœnis coniunguntur. Cæterùm* זנה אחרי מלך *est cõniuere ad facinus. utrinq; enim turpis libido est & adulterium, hic adumbratum, illic expressum & uerum. Quod enim uerius adulterium, quàm Christo marito fidem fallere, ac uiolare?*

Qui maledixerit patri suo.) *Vt uita longior reuerenti parentes suprà promittitur, sic ex contrario breuior & exitium intentatur dehonestanti illos.*

Morte moriatur.) *Iusta pœna ex talione diuinæ æquitatis nata, ut uita spolietur, qui eos quibus uitā debet, dehonestat. Quam uitam lumini Salomon, & mortem tenebris scitè comparat, dicens: Qui maledicit patri suo & matri, extinguetur lumē eius in medijs tenebris.*

Sanguis eius super eum.) *Repetit pœnā. Hebraismus est, Pœnas dato ac luito.*

Si mœchatus quis fuerit.) *Capitale esse adulterium Moses ostendit, nec Romanæ leges dissentiunt, quæ adulteros gladio puniunt. Nos hodie non solum hos capite non plectimus, sed etiam inter senatores et iudices ferimus. At ut bipartitum est adulterium, alterum quod cupiditate cõmittitur ac concupiscentia, de quo Moses in decalogo, Vxorem alterius ne concupiscito: & Christus, Quicunq; aspexerit uxorem alterius ad concupiscendam eam, iam adulteriū commisit cum ea in corde suo: alterum externum, quod opere perficitur: ita duplex supplicium cernitur, alterum ciuile quod per magistratum irrogatur, alterum reseruatum iudicio Dei, liberum à magistratus animaduersione, qui ius in facta habet, non in animos: contrà in utrūq; Deus, qui opera & animos iudicat. Ciuilis igitur pœna hic agitur, qua castigatis adulterijs sanctius matrimonia habeantur ad conseruandam honestatem ciuilis uitæ. Quæ nisi scelera puniantur, & boni defendātur à ui malorum hominum, conseruari nequit. Hinc illud Apostoli: Nam Dei minister est, ultor ad iram ei qui quod malum est, fecerit. Rectè igitur ij qui de rebus ciuilibus scripserunt, tria respublicas proposita habere tradiderunt: partes, finem, & res quæ ad comparandum finem referuntur. Partes ciues sunt, ex quibus coalescit ciuitas, quorum alij senatorum, alij iudicum, alij ducum, alij antistitum religionis, alij aliud munus obeunt. Finis ac extremum illud* εὐδαιμονία *est, id est optimus status, qui est, uiuere uirtuti consentaneè, & ijs rebus abundare quæ ad honestè uiuendū commodè sūt: ut est ualetudo, robur, opes, animi uirtutes, ueneratio numinis diuini, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia: in ijs autem quæ ad optimum reip. statū comparandum tuendumq; referuntur, legitima matrimonia, educatio liberorum, parandarum earum rerum quæ ad uictum pertinent, studia, magistratus, leges et custodia legum, hoc est præmia quibus ornentur boni, & pœnæ quibus puniantur mali, continentur. Hinc ueteres remp. & humanam societatem* εὐεργεσίαν, τιμὴν & τιμωρίαν, *id est beneficentia, honorum tributione, & puniendi fontes cura custodiri dixerunt. Hæc quidem in rebus p. terrenis spectantur. In rep. illa cœlesti quam Israelitica adumbrauit, eadem. sed meliore nota perpenduntur. Nam si huius partes spectes, cives esse offerunt, de quibus illud: Iam igitur non estis hospites & incolæ, sed ciues sanctorum & domestici Dei. Ex his deliguntur apostoli, prophetæ, doctores: finis* εὐδαιμονίαν, *ea integra apparebit, cũ excitatis corporibus ad uitam, omnibus ad fœliciter uiuendum bonis affluemus. de quibus propheta: Quæ oculus non uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentib. se. Res uerò quæ ad hunc finem cœlesti ciuitati propositum conferendum conferunt, doctrina uerbi Dei est, spiritus fidei, spei & charitatis: dona spiritus sancti, ut est prophetia, & noticia oraculorum Dei, matrimonium sacrum cum sponso Christo contractum ad propagandā sobolem de qua uates: Omnes filioi tuos doctos à Domino: pœnæ præterea eorum qui legem fidei & dilectionis labefactare student.*

Morte moriatur.] *Dicas: Cur Deus iubet interfici sceleratos, qui alicubi de se dicit: Nolo mortem peccatoris? sanguinarius igitur ne is fuerit, & sibi contrarius? Absit. Per se enim ut moriatur improbus non curat, quem mallet uiuere. si ita res ferret, hoc est noxa, non obstaret, quæ efficit ut ille pereat: non periturus, si ad se rediret, pœnitentiam sceleris agens, ut sese exponens in eodem propheta diuinus spiritus injicit: Nolo mortem impij, sed ut cõuertatur à uia sua, & uiuat. Per se igitur & sua natura benefacit Deus,* ἰδίᾳ ὁσιότης *uerò, id est, certa posita causa, plectit ac punit. Hinc apud prophetam Esaiam, alienum opus Dei, punire: proprium, benefacere iudicatur. Quòd igitur scelerati pereunt uarijs modis, sua culpa pereunt, non Dei malignitate, sed æquitate.*

Quod

Quòd etiam natura ipsa fatetur, ut licet uidere apud Græcum uatem:

αἰτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀταθαλίῃσιν ὄλοντο.

Cæterùm quàm fœdum sit crimen adulterium, matrimonij in paradiso instituti dignitas & usus indicat. de quo quia áliàs meminimus, retexere quæ dicta sunt, nihil retulerit. Hoc tamen dixerimus, nõ leue, uia naturæ peruersa, in adulterijs furtum committi, ubi uterque alteri coniugi suum corpus, cuius potestatem non habet alienandi, furatur iniuria in cœlum usq; penetrante, in quo coniugalis hæc fit coniunctio.

Qui dormierit cum masculo.) contra naturæ institutum & ordinem, quo mas cum fœmina commiscetur, non mares cum maribus ut id ex Genesi patet. Accedit huc, nefas esse semen serere, ubi intelligas id frustum ferre per naturam non posse. Quantum igitur scelus committant, qui in hanc legem delinquunt, natura ipsa ostendit & pœna in istud flagitium intenta: Morte moriantur. Tãto sceleratior est bestia illa sanctis nota, quæ damnatis matrimonijs quæ probat Deus, mares cum maribus impunè coniungit. In cuius regno inueniãs qui scriptione edita tam nefarium scelus defendere audeant, magna iniuria publicæ honestatis, et ordinis diuini semel à Deo in cœlo decreti, & in terra promulgati.

Qui cum iumento & pecore coierit.) similiter inuersa ùia naturæ, dum seritur ubi nihil nascetur, aut monstrum nascetur: quod naturæ institutioni dissentaneum est. Taceo quòd in hoc flagitio homo à dignitate sua deficit ac degenerat, dum cum bestijs se inferioribus commiscetur: unde lex mandat ut simul etiam inuenta uelut polluta occidantur, in tam spurco coitu admiscentibus se immundis spiritibus polluentibus utrumque.

Ne faciam rem.] חסד Per antiphrasim pro scelere, maleficio, ac probro. Quemadmodum etiam uerbum חסד in Prouerbijs usurpatur בן יחסרך, id est ne forte probris afficiat te. Itaq; paraphrastes uertit, סלגאא. Et Græci ὄνειδος.

Qui duxerit uxorem fratris sui.) Intelligitur lex de uxore adhuc uiuentis ab ipso repudiata, & ab altero fratre rapta: quales fuere nuptiæ Herodis & Herodiadis, quas cum reprehendisset hac fretus lege Ioãnes Baptista, capite mulctatus est. Dico intelligi de uxore fratris adhuc uiuentis. Nam alia lex est quæ de functi fratris absq; liberis uxorem à fratre duci iubet. de qua lege etiam suprà ex Deuteronomio, unde uocula ערוה hic usurpatur, qua notatur ad tempus prohibitus concubitus, ut est menstrualis fœminæ. nam incidit tempus quando fratris uxorem ducere licet.

Absq; liberis erit.] Similiter Græci, qui ערירים ἄτεκνοι uertunt & paraphrastes ולא ולד non mulctãdos supplicio capitali hos dicit, sed orbitate, quæ Deus hoc sit puniturus. sunt qui dicunt etiam liberos quos habituri sint, hæredes non fore.

Et abominatus sum eos.) תאסף à spinis sumpta metaphora, quas ne lædant, fugimus, aut à סף, id est fine rei, uidelicet cuius tædio afficimur. sic in Genesi, סיגתי ברית

Vir siue mulier.) Si clàm huiusmodi facinus designarit, pœna ברת erit, id est Dei iudicio peribant: sin palàm, gladio iudicis: sin casu & imprudenter, חטאת expiantur.

Custodite leges.) Hortationem repetit, æquitate & exemplis armatam, atq; contentione amplificatam.

IN CAPVT XXI.

Loquere ad sacerdotes.] Vt se gerere debeant sacerdotes, tum summus, tũ inferioris notæ in funeribus suorum, & in contrahendis matrimonijs, præcipit. Vbi nobis primò cognoscenda est lex, deinde legis usus, postremò error aduersarij: qui falso Mosen imitatus, sacerdotium noui fœderis obscurauit. De singulis suo loco.

Nec contaminetur sacerdos.) Exponit legem, exorsus à uulgaribus sacerdotibus. contaminari in funeribus lugentes mortuos, notũ est ex eo quod suprà de cadauerum immunditia traditum est. Vsus igitur huius legis primò in pædagogia cernitur, quod hoc modo sibi cauentes sacerdotes à funerib. quæ in lege immunda habita sunt, dignitatem sacerdotalem inter suos tuebantur, cuius contemptus etiam sacra Dei contempta redderet. Secundus usus in adumbratione sacerdotij noui fœderis spectatur, qua admonentur sancti sacerdotali spiritu Christi perunctli. se ad spem uitæ per professionẽ resurrectionis ex mortuis uocatos nõ ad luctũ mortuorũ, quib. expendendũ illud Apostoli: Nã si credimus q. Iesus mortuus est et resurrexit: sic & Deus eos qui obdormierunt, per Iesum adducet cũ illo. Quæ spes & professio resurrectionis ad uitam contra noxam & mortem noxa contractam, unicum insigne est sacrorum Deo sacerdotum. Cuius resurrectionis mysticæ hoc loco tractantur apud Mosem conciones. Aduersus utranq; iam explicatum usum, quàm delinquant aduersarij, satis manifestum, qui in nulla re magis occupati sunt, quàm in curandis funeribus quòd quæstuosa sint, idq; missarij sacrificuli suis uigilijs, missis nundinarijs, anniuersarijs ad lucrum comparatis testantur. Ex quo funebri mortuorum luctu, & ad hãc rem uano excogitato purgatorio, tantas illi opes congesserunt, quantas mirentur Cræsi & Crassi. Atq; hi commenticij sacerdotes cum falso se per Leuiticos sacerdotes figuratos iactitant, neq; hos imitantur, & Christum quantum in ipsis est pessundant, non parentes nimirum illi: Sequere me, & sine ut mortui mortuos sepeliant suos. Nisi arbitrere seruari ab illis Christi monitionem, qui cum uerius mortui sint, quàm uiui, mereantur ut cum mortuis rem habeãt ueræ uitæ spe destituti.

Nisi tantum in consanguineis.] Exceptio à lege. Hac in re minoris notæ sacerdotes differebant à summo sacerdote, quem nulli funeri licebat interesse.

Et sororem uirginem.] marito nondũ desponsam,

ſam, quòd quæ elocata ſit in matrimonium, in mariti ius tota tranſeat, nõ reputãda hac ratione de familia amplius ex qua nupſit, ex ſententia illa ſemel lata: Hæc caro ex carne mea.

Sed nec in principe populi ſui.] *Similiter paraphraſtes* רבא *pro* בעל *habet.*

Non radent caput.] *more profanarum gentium. Eſt in hiſtorijs, apud quoſdam ritũ eſſe in funere proximi capita deglabrare. Aegyptios ſacerdotes in funeribus ſinere capitis crines creſcere, barbam tantum tondere.*

Nec barbam.) *Quæ uirilis roboris unà cum capitis capillis ſignificationem habet. Sic Sampſonem fortitudinem ſuam in capillis declaraſſe legimus Iudicum decimoſexto. Et Hanun Ammonitarum rex ut indicaret ſe Dauidem uigore ſuo ſpoliare, dimidiam barbæ nunciorum illius partem deraſit. Hinc Pſal. Sicut unguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaronis. Diuina enim ſapientia barba ornauit uirum, qua à fœmina imbecilliore ſexu diſtingueretur. Quocirca in magno ludibrio habebatur alicui barbam uellere, ut abierit in prouerbium, Barbam uellere. Sed dicas, Cur igitur Apoſtolus monet, ne uir comam nutriat? prohibet ne tam longam nutriat quàm fœmina, quòd prolixior crinis fœminæ datus ſit pro uelamine.*

Sancti erunt.] *à profanis curis liberi.*

Deo ſuo.) *qui uiuentium Deus ſit, non mortuorum. iuxta illud: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Deus autem non eſt Deus mortuorum, ſed uiuentium.*

Incenſum enim Domini.] *ut erant holocauſta & cætera ſacrificia in ara cremata Deo, in quibus per igneam uim adumbrabatur læta reſurrectio in nouum hominem uetere abſumpto lamentationi funebri aduerſa.*

Et panes Dei ſui.] *Vt erat minha, id eſt dapale ſacrificium, panem illum ſignificans qui de ſe dicit: Ego ſum panis uitæ.*

Scortum & uile præſtibulum.] *Explicata funebri lege, coniugia tractat ſacerdotalia. A tribus autẽ mulierum generibus ut caueat ſacerdos lex iubet: à* זרוּת, *id eſt meretrice: ab* חלוּלה, *id eſt profana: & à* גרושׁת, *id eſt repudiata à uiro. In profanis habentur tum uitiatæ quocunq; caſu, tum uiduæ à ſacerdote nõ relictæ. Nam ſi quam uiduã reliquiſſet ſacerdos, eam fas erat minoris notæ ſacerdotibus ducere, non item quæ à ſacerdote relicta non eſſet. iuxta illud Ezechielis: Et uiduam & repudiatam non accipient uxores, ſed uirgines de ſemine domus Iſrael: ſed & uiduam quæ fuerit uidua, à ſacerdote accipient.*

Quia conſecratus eſt Deo ſuo.) *labem in ſuis unde ipſe malè audiat, & ſacrorum contemerationem non ferenti. Aſpergitur autem ſacerdotibus labes à coniuge uitioſa, à liberis prauis, à familia deprauata. Huc referas quæ Apoſtolus de epiſcopo qualem eum & eius familiam eſſe deceat tradit.*

Sit ergo ſanctus.) קדושׁ, *id eſt ſacrum habeto. Hoc eſt, ut profanis & impuris rebus ſe non immiſceat curato, uel in honore illum tanquam ab immundis ſegregatum, habeto.*

Flammis exuretur.) *Scortatio igni, idololatria lapidibus expiatur. itaq; capitali pœna plectebantur Molochi cultores, maledicentes Deo, magi, uiolatores ſabbati, res ſacras & deuotas Deo interuertentes, adulteri, obſcœna libidine ſe & familiam polluentes homines ac rebelles, proterui liberi, homicidæ.*

Pontifex.] *Hactenus de inferioris ordinis ſacerdotibus: iam de ſummo.*

Super cuius caput.] *oleum lætitiam, non luctum afferens.*

Et cuius manus.) *ad ſeruiendum mihi, non ad proſequenda funera.*

Veſtituſq; eſt ſanctus, &c.) *In quibus Vrim et Thummim, quæ luci & uitæ, non funeribus apta ſunt, continentur.*

Et ad omnem mortuum.) *contrà quàm uulgares. Depoſito typo ſi conferas uitæ perennem fontem Chriſtum pontificem, cum cæteris ſanctis morti & noxæ per ueterem hominem obnoxijs, rem intelliges.*

Super patre quoq; ſuo.) *Ne in parentum quidẽ funere fas eſſe, ut funeſtetur, in quo adumbrat pontificem qui dicit apud Euangeliſtam: Quiſquis fecerit uoluntatẽ patris mei qui eſt in cœlis, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt.*

Nec egredietur de ſanctis.) *è ſacrario funeris exequendi gratia.*

Nec polluat ſanctuarium.) *cura funebri, in ſacrario nimirum Deo uiuente habitante.*

Quia oleum ſanctæ unctionis.] Hebræus בּיגוֹד שׁבּן, *quia corona olei. Lamina coronæ ſpeciẽ præferens ſignificatur quæ frontem ornans inſcripta erat: Sacrũ Domino. Qua corona notabatur regium ſacerdotium Chriſti pontificis ueri filij Dei uictoris onnium peccati, mortis, & poteſtatum mortis. Hoc ignitur modo magna piorum conſolatione contrariorum ui ſubnixum argumentũ ducitur: Geſtat ſummus pontifex regalem coronã uictricem mortis, beatricem uitæ, mors igitur lugenda non fuerit.*

Ego Dominus.] *uiuentium, non mortuorum.*

Virginem ducet uxorem.] *Hæc uirgo eſt ſubmoto typo de qua Apoſtolus: Adduxi uos uni uiro, ut uirginem caſtam exhiberetis Chriſto. Dicas, Chriſto deſponſatur quæ antea corrupta fuerat: tu autem fornicata es cum amatoribus multis. tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego recipiam te. bene quidem, ſed quæ meretricata eſt, Chriſto pro ſponſa non adiungitur niſi uirgo ſit facta per regenerationem ueterem naturam aboleſcente. Hic iterum occurrũt paſtoris ſtulti damnandi errores: unus quidem, quo ſacerdotum in nouo fœdere coniugia cum uiduis contracta, quòd hic præcipiatur, Sacerdos uirginem uxorem accipiat, reprobantur. Alter uerò error eſt, quòd uetat, quoniã hic legitur, Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum, ne ſui ſacrificuli uxores ducant. Quo in decreto quàm foedè erret, ſatis manifeſtum. Nos legimus ſummum ſacerdotem iuſſum uirginem ducere, beſtia Leuitica legem*

ad

ad omnes suos ficticios sacerdotes refert, quæ tamen uiduam in uxorem minoris ordinis sacerdotibus permittit. deinde Moses legislator sacerdotibus suis uxores ducendi potestatẽ facit, decretum pastoris stulti omnem illam adimit, prohibens suos matrimonium cõtrahere. Postremò pro libidine in sanciendo ludens, iam Mosaica in statuendis legibus autoritate nititur, iam eam reijcit. Reijcit autem, ubi recipi illam ac imitari conueniebat: imutatur, ubi eam relinquere oportebat. Leges enim ceremoniales abrogatæ sunt super uentu lucis Euangelij, ex quibus in noui fœderis administratione statui nihil potest, quanto minus missarij illi & rasi sacrificuli contra legem diuinam ex Leuitico sacerdotio confirmabuntur. Naturalis autẽ lex Decalogo comprehensa qua adulteria prohibentur, à bestia impudenti sacerdotes à coniugijs abarcente reijcitur, quam honestas publica seruandam esse suadet: & ut seruetur, oracula diuina iubent: Habeat unusquisq; uxorẽ suam ad uitandã scortationem. Sed quid hic facias? par est ut sacerdotio quod ex Deo originẽ non ducit, sed ex dracone, omnis institutionis diuinæ uastatore, sua uita, mores, studia respondeãt: hoc est ut scortatione, stupris & non cõmemoranda libidine decus suum declaret, nõ sanctis matrimonijs honorem & decus tueatur.

Sed puellam de populo suo.) De gente sua uirginem ducẽdam. subducto uelo occurrit sponsa ecclesia de qua Apostulus: Quoniã membra sumus corporis eiusdem, & ex ossibus eius. item illud: Vos estis consortes diuinæ naturæ.

Ne commisceat.] לא יחלל Ne progeniẽ suã prophanet, ducendo uidelicet uel scortum, uel captiuã, aut quocunq; modo prophanam uel indignam sacro sacerdotio. Sancti pontificis progeniẽ sanctam nasci conuenire ex sancto matrimonio. Accommodes ad Christum pontificem, ad ecclesiam & ad liberos ex illorũ coniugio generandos.

Homo de semine tuo.) Hæc quæ sequuntur, cohærent cum capite sequẽti. primò lex de integritate corporum sacerdotalium traditur. Eum fas non esse libare Deo in cuius corpore uitium insit. Quo ritu seruabatur autoritas sacerdotij Leuitici et sacrorũ eius, et repræsentabatur ea adumbratione sacerdotium integrum & omni uitio carens Christi pontificis & sanctorum membrorum illius. De Christo notum est illud: Eo quòd iniquitatem non fecerit. De ecclesia sacri sacerdotis capitis sui cõsorte illud: Vt exhiberet sibi ipsi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquã huiusmodi. Omnium iudicio hominũ iudicantur imperio digniores esse eleganti corporis forma præditi, q̃ deformes & uitio aliquo deturpati, ut sunt mutili, claudi, luscioſi, cæci, nani, spadones. idq; fieri naturæ lege arbitrantur, quæ uelit pulchros animos pulchris corporibus circumdare, seruiles autem abiectosq; turpiore corporum forma includere. Nam etiam in corporibus diuina sapientia uoluit suam diuinitatem apparere, & eius certas notas extare. Hinc Latinus quidam nates negabat Claudium Deum fieri, quòd non esset corpore ad diuinæ maiestatis cõsortium apto. Atq; Græcus poeta Thersitem deformem hominem paribus animi uitijs præditum describit. cõtra idem regem suum ita depingit:

λαλὸν δ' ὅτῳ ἐγὼν ὅτῳ ἰδὸν ὀφθαλμοῖσιν
δὴ ὅτῳ γέροντ, βασιλῆι καὶ αὐδηὶ ἐοικεν.

Sed nonnunq̃ accidit, ut ij quorum corpora uitio aliquo notata sunt, gerendis rebus idonei magis existimentur fallente corporum specie. Exemplo est Agesilaus ille Spartanus altero pede claudus. de quo cũ Lacedæmones deliberarent, imperiõne eum præficerẽt, tandem statuerunt satius esse incessu ducem, quàm ducis exercitum claudicare.

Si cæcus fuerit.) Submota figura reijciuntur cæci qui carent spectandæ lucis facultate. de qua Dominus: Dum lucem habetis, credite in lucem. similiter reijciũtur in legis Dei obseruatione claudi. Itaq; Dauid legitur non prius occupasse Sionem sacrum Euãgelio montem, q̃ eiecisset claudos et cæcos. Hinc illud: Claudi ambulant, cæci uident. Idem iudicium de lippo et eo qui uitiosos habet oculos quamuis cæcus nõsit. Notũ enim est illud: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit: sin autem tenebrosus, totum corpus tenebrosum erit. Eadem ratio de eo qui mutilus manu est aut pede. Quid enim manus & pedes notent, non est obscurum.

Si uel paruo uel grandi.) חרום de mutilo non inscitè nonnulli interpretantur. Nam uerbum חרם notum est צרר, item de redundanti cui sit superfluum membrum.

Si gippus.] Sunt inter Hebræos interpretes qui eleganter גבן de nimis ac portentose procero exponunt, ut sit eiusdẽ significationis cum חרים גבורים, id est montium excelsorum, cui contrarius sis דק humili modo nanorum corporis statura.

Quæ offeruntur in sanctuario.) Hebræus indicat ueſci fas esse tum sacrosanctis, tum uulgariter sanctis. In his numerantur primogenita, decimæ & caro uictimarum pro salute: in illis panes in sacra mensa dispositi, caro noxalis uictimæ.

Vt intra uelum non ingrediatur.) in interius sacrariũ, in quo omnia sunt pura puta & sacrosancta, propitiatorium, Cherubim, arca oracularis.

IN CAPVT XXII.

LOquere ad Aaron.] Monet lex quibus hominibus sacros uesci non liceat. Vitijs quæ suprà cœpit commemorare, iam quædam alia addit, quæ sacrorum tractationem impediant. quæ summatim hoc modo licet perstringere: Alia cernuntur in personis, alia in rebus quæ consecrantur. Personæ ad usum sacrorũ ineptæ, quædam sacerdotales sunt, quædam prophanæ. In sacerdotalibus uitia alia insunt, quæ functionem & administrationẽ sacram impediunt: ut si quis uel claudus, uel cæcus, uel luscioſus, uel gippus sit. quædam à uescendis rebus sacris abarcent, ut si quis leprosus sit, si genituræ fluxione laboret, si funebre inquinamentũ aut pollutam siue bestiam, siue hominẽ attigerit. Prophanæ autem personæ sunt, quæ sacerdotali gente non

censentur, ut sunt extranei, mercenarij, & filia sacerdotis peregrino nupta, & eius liberi. Hoc quidem hominum genus uesci sacris est nefas. Vitia autem in rebus ad sacrificia destinatis hæc sunt: Si boues aut pecora mutilata uel cæca, uel confracta, uel uerrucosa, uel scabiosa, aut mentiginosa, aut contusis, uel excisis testibus sint, his non esse litandum. At uerò hic qualis sit censura adhibenda, non est obscurũ. Depositа τῶν μελλόντων σωμάτων & imagine, sacerdotium noui fœderis spectandũ, & uictima Christus, atq; hostiæ quas sancti Deo uiuentes offerunt. de quibus sæpe suprà.

Vt caueant.] tempore quo immundi sunt.

Et non contaminent nomen.] Hebræus duo indicat, non profanandum esse nomen Dei sacrum, & ea quæ consecrauerint Israelitæ.

Ego Dominus.] sacer.

In sanctuario.) addit de suo, quod sequatur בִּי יְחַלֵּלוּ Itaque sunt & alij præcipui interpretes, qui מִקְדָּשׁ innui dicunt.

Omnis alienigena.) de familia Aaronis non natus. At hæc lex interdum cedit necessitati. Dauid enim qui non erat de familia Aaronis, sed de tribu Iudæ, sacros tempore famis comedit panes, quos fas non erat edere nisi sacerdotibus. Si mystica species & imaginem, sub nouum fœdus lex non ualet: sin rem & ueritatem, ex Ioãnis sexto capite, qui uerè sint alienigenæ, quiq; in gente cœlestis Aaronis censeantur, & idonei qui uescantur sacro sancto cibo, cognosces. De quo cibo uictima ipsa sacra: Caro mea uerè cibus est. cõuiuæ autem sacri conuiuij sunt filij Dei de genere Christi diuino. de quibus illud: Vos estis cõsortes diuinæ naturæ, per spiritum uidelicet regenerationis fidei. Ioannis 1. & 3.

Inquilinus sacerdotis.] qui sit alterius tribus, sed in domo sacerdotis habitans תּוֹשָׁב Hebræis auriculam perfaratam gerens à tempore quo seruituti se sua sponte addixit, ubi'æo manumittendus.

Et mercenarius.] De seruo accipiunt ad sex annos mancipato seruituti. Generatim qui ad quærenda necessaria ad uitam, operam suam sacerdoti elocat, accipitur. Vmbra submouenda est, & corpus quod est Christi, intuendum. qui serui, quiq; mercenarij abarceantur à uescendis sacris, indicat illud: Nõ accepistis spiritum timoris ad seruitutem. item: Non sumus ancillæ filij, sed liberæ. Et de mercenarijs: Ei uerò qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. porrò ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides ad iusticiam. Hinc illud Christi: Mercenarius fugit, quia mercenarius est, & oues non sunt illi curæ.

Quem autem sacerdos emerit.) tanquam peculium adoptatum in familiam suam, in qua perpetuò maneat. Sacerdotis tum liberos, tum emptos precio, et natos domi eius, uesci posse sacris. Nos legimus: Nam empti estis precio. & clarè in Apocalypsi: Hi empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo & agno.

Si filia sacerdotis.) quæ extraneo nupta in alienam coniugij iure familiam transeat.

De his quæ sanctificata sunt.) De תְּרוּמַת ut erat pectus & armus dexter.

Sin autem uidua uel repudiata.] liberata iure maritali alienæ familiæ. Deposito typo, occurrit uidua & liberis carens quæ uesci possit sacris, de qua his uerbis Apostolus: Itaque fratres & uos quoque mortificati estis legi per corpus Christi, ut iungeremini alteri, nimirum ei qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo.

Omnis alienigena.) ne filius quidem filiæ sacerdotis ex marito alterius familiæ natus.

Qui comederit per ignorantiã.) Nam qui sciẽs ederit, luet pœnam suprà intentatam: Peribit coram Domino.

Addet quintam partem.) cõsecrato quod temerè absumpsit. Hæc est noxalis pœnæ ratio de qua suprà capite quinto.

Homo de domo Israel.) Lex de uitijs quæ cernuntur in rebus consecrandis. Hic typus, in Christo integra uictima ueritas.

Si cæcum fuerit.] Vera hostia de se dicit: Ego sum lux mundi, ut qua nostra cæcitas expianda erat.

Si fractum.) De se eadem illa: Venite ad me omnes qui laboratis, cæci, claudi, leprosi, surdi, fracti. Itaq; apud prophetam: Vt mederer contritos corde.

Quod uel contritis.) Fœcunda, non exectis testibus sterilia, deligi animantia. De nostra uictima facunda numerosam sobolem ex sponsa ecclesia generãte propheta: Gaude sterilis quæ nõ paris, item: Vniuersos filos tuos doctos à Domino.

Bouem & ouem aure & cauda amputaris.] Hebræus neque aurem neque caudam habet, sed de boue atque balante, cui aliquod uel maius uel minus membrum sit quàm pro naturæ consuetudine. Tale enim sonat שָׁלוּחַ שִׁלֻּחִים Huiusmodi animalia sacerdoti, ut uolũt interpretes, pro uoluntario munere ex cuius precio templum sarciat, aut eius supellectilem reficiat, tribui posse: ex eo uerò uictimam uotiuam ad sacrificandum confici non posse, sacra ara integra requirente, malè affecta respuente.

De manu alienigenæ.) Duo indicantur. unum, alienigenas etiam fas esse Deo uictimis litare: aliorum, sed non nisi integris. Qui locus ostendit, à gentibus quoque Deum nunquam alienum fuisse, ut iàm indicat Pharao Aegyptius, cui benefacere Deus per Iosephum uoluit, Iethro, Naeman Syrus, Hiram, Niniuitæ. Atqui is locus nõ de quibusuis alienigenis exponetur, sed de ijs quorum aut præputium amputatum sit, translatis eis ad religionem populi sacri: aut ut uoluit qui legẽ naturalẽ Decalogo comprehensam, & præcepta liberis Noæ data seruabant, ut erat, iura publica colere, de beneficijs gratias Deo agere, abstinere à stupris, homicidia uitare, caucre rapinas, idolorum cultum fugere. De quibus his uerbis Apostolus: Nam gentes quæ legem non habent, naturæ quæ legis sunt, fecerint, & legem non habentes sibijs sunt lex.

Non offeretis panes.) אֶת לֶחֶם reddi potest, sunt panes,

pane, hoc est dapali munere quod minha est. sententia est, huiusmodi uitiosas uictimas non offerendas cum minha nomine alienigenarum. aut לחם generatim קרבן est, ut paraphrastes uertit.

Et quicquid aliud dare.) Hebræus accipit de uitiosis & corruptis, de quibus mentio facta est.

Bos ouis & capra cum genita fuerint.) Vitium & in ætate cerni. Si septem dies non habeat. Septenarij ratio nota. Veteres interpretes propter sabbatum ante octauum diem in sacrificium recens genita diligere fas non esse: sabbato enim robur & perfectionem concedi. Nam sabbato cultum Dei in quo salus & fœlicitas constat, contineri. Addunt hi, tribus rebus mundum conseruari, lege, hoc est uerbo Dei & eius prædicatione, cultu Dei ueri, & beneficentia ac benefactis ex charitate proficiscentibus. sic enim aiũt, על שלשה דברים העולם עומד על התורה ועל העבודה ועל גמילות חסדים Submoto typo mystico ætatis tam ad robur aliquod accedentis, occurrit Messias aptus sacrificio de quo Iesaias: Virum dolorum et infirmitatis scientem.

Cum fœtib. suis.) ne imminuatur de benedictione diuina sententia in creatione mundi lata: Crescite & multiplicamini. Ad hæc discrimẽ firmorũ aut infirmorũ faciendũ esse hic discimus. Eódem pertinet lex illa: Non capiendam auem cum pullis suis. Nam pullorum conseruatione consulitur generis perpetuitati.

Custodite mandata mea.] animo.

Et facite ea.) in actiones animo, per fidem & charitatem prodeunte.

Ego Dominus.) qui utrunq;, & animum reuerentem mei per fidem, & actiones bonas ex illa proficiscentes requiro. Hinc illud: Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem.

Ego Dominus qui sanctifico uos) à carne, mundo, & principe mundi uos separatos, uerbo meo consecrans.

Et eduxi.) præstanti fortitudine tot signis declarata in deleto Pharaone & exercitu eius.

De terra Aegypti.] ergastulo uestro.

Vt essem uobis in Deum.) uos liberos redditos meis legibus formarem, quibus ad glorificandum me pareretis, non dijs alienis ad deturpandum nomen meum uos subijceretis.

IN CAPVT XXIII.

HAe sunt feriæ.] Solennitates Israelitarum describuntur, quarum duo genera erant. unum, hebdomadarium, quod singulis hebdomadis septimo die celebrabatur: Alterum anniuersariũ, quo Pesah, Pentecoste, solennitas clangoris, festum propitiatorium, feriæ tabernaculorum continebantur. In solennitatibus autem his hæc expendenda fuerint. Primò ij qui feriabantur, deinde is cui feriabatur, tum quibus de rebus, quartò sacrificia quæ cuiq; festo deputabantur, demum à quibus rebus uacabatur. De singulis suo loco.

Quas uocabitis sanctas.) Solennitates diuinitus institutas, in quibus agatur conuentus Israelitarum sacer religionis ergô. Qua ex re agnoscimus ecclesiasticos conuentus, in quibus communi studio colitur Deus, laudem mereri quos fieri Deus præceperit, & ad eos agendos Israelitas suos spiritu ornauerit, & orationis compotes fecerit, quibus duabus in rebus uinculũ omnis ueræ coniunctionis positũ est. Nam spiritu cœlestis mentis intelligitur uerè colendi Dei & diligendi alterius ratio, oratione uerò explicamus oracula diuina de recto Dei cultu, ut is fide & amore quo homines inter se ament constet, quibus in rebus uniuersa religio uersatur, quam tuentur & conseruant sacri à Deo hic instituti conuentus. Quo magis damnanda fuerit μισανθρωπία illa in superiorum seculorum & nostri temporis peruersis hominibus, qui quadam asperitate & naturæ immanitate falsæ religionis retinendæ studio congressus Ecclesiasticos fugitarunt, & etiamnum exorta tanta luce, fugitant, cum noctuis, uespertilionibus, busonibus tenebras persequentes, odio lucis quæ sola in sanctorum cœtu ac ecclesia lucet, extra quam nimirum nulla uita, nulla salus, nulla uera bona cernuntur. Hinc illud celebre ueterum dictum: חבואזה את חבורתה אין לה חלק לעולם חבא.

Sex diebus.) Ad recordationem sex dierum quibus Deus mundum creauit, & septimo requieuit. At ut duplex Israelita est, cui feriæ mandantur, ita bipartitum sabbathum, opus bipartitum à quo uacandum, bipartitum genus rerum quarum in sabbatho recordatia agitur, & duplex ratio eius cui feriæ celebrantur. Est Israelita carnalis, fœdere in carne designato, cũ Deo cõiunctus est Israelita ex spiritu, ut sunt renati è spiritu fœderis noui, quod in circumcisione præputij cordis cernitur. Est sabbatum exterius, fessis concessum ad reficiendas uires. est sabbathum interius, quod peragitur in uacatione ab operibus ueteris naturæ. sunt præterea sua opera à quibus is qui in carne est Israelita, feriatur. ut est fuere, nere, texere, fabricare, serere, putare, metere, & id genus alia, quæ tum domi tum foris perficiuntur, opera, sunt item res à quibus ij qui spiritu Israelitæ sunt uacant, ut sapere secundum carnem, à mundo non à Deo pendere, ambitiose agere, irasci, fraudem alteri intendere, exitium machinari, libidinose se gerere, rebus aduersis deijci, & secundis insolescere, & si quæ sunt reliqua ueteris hominis studia: in quibus numerantur etiam natiuæ mentis uires per se non malæ, à quibus omnibus eum qui è spiritu sacro renascitur ad participatum diuinæ naturæ, suo sex dierum opere exantlato, ut uerum Deo sabbathum celebret, uacare aliquando oportebit. Res autem de quibus sabbathum agitur, id est quarum dum feriæ aguntur, recordatio cogitatioq; mentem uoluitur. sunt, si legale sabbathum spectes, opera sex diebus à Deo fabricata, extructio ipsius ueteris mundi, ut cœlum, terra, maria, ut lux illa fœtifica, ut metalla, stirpes, animãtia diuina arte condita, ut homo demum ipse mũdi caput generatus sit, & hoc facto Deus à fabricandis nouis rerum generibus sabbathum

consecrans quieuerit: sin uerò interius illud sabbatum spectes, opera quæ nouus Israelita considerat, sunt cognoscere noui mundi structuram, nouos cœlos, nouam terram, nouas aquas, nouam lucem, nouum hominem: quæ eius origo, natura, uis, studia, quæ quam adeat hæreditas, qui dominatus, quod regnum, & quale: quod discrimen inter nouum & ueterem Adamum, ab ortu, ingenio, studijs: unde alteri sua iusticia, alteri iniusticia, quid interfit inter utriusq; sobolem. Quod demum ad rationem eius cui feriæ celebrantur, attinet, in legali sabbato Deus, qui ueteris mundi creator & administrator, & legum Mosaicarum promulgator sit, animo perpenditur & colitur. sic enim ratio agendi sabbati ad ueterem Israelem exposita est: sex enim diebus Deus cœlum & terram & maria & omnia quæ in eis sunt, fecit. In nouo autem sabbato & spirituali ab interiore Israelita in Christo noui mundi architecto Deus remoto ueteris legis uelo & umbris quæ operibus prioris mundi continentur, colitur. In altero igitur Israelita & eius circumcisione, terra, ferijs solennibus typus, umbra: in altero ueritas & res ipsa, in qua sub tempus exhibiti corporis quod est Christi, solennitates & sabbata quæ hic commemorantur, tanquam tenebræ exorta luce disparuerunt. unde illud: Ne quis uos iudicet in cibo & potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbatorũ, quæ sunt umbra rerum futurarum: corpus autem Christi, in quo nouum & æternum sabbatum quieti & pacati animi aduersus peccatum, mortem, mundum & principem mundi, ueteri successit. de quo Propheta: Erit sabbatum ex sabbato. hoc est, erit perpetuum & perenne in omnem æternitatem sabbatum.

Vocabitur Sanctus.) מקרא קדש. In sabbatis igitur deprecandi, gratias agendi Deo, & sacra oracula explicandi causa soliti sunt congredi Israelitæ. Hinc illæ celebres scholæ & synagogæ, in quibus Israelitæ docendi & discendi gratia Mosaicæ disciplinæ oracula, confluebant, sunt natæ. De quibus & earum usu his uerbis Iacobus apostolus in Actis: Moses enim ab ætatibus antiquis in singulis ciuitatib. habet qui ipsum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.

Mense primo.] Descriptio Pesah à tempore, uictu, conuentu solenni, ferijs, sacrificijs, atq; ab ipso usu. Quod ad tempus attinet, primi mensis decimusquartus dies huic solennitati fuit destinatus. Mensis autẽ is primus, quem modò אביב à primis frugibus, modò ניסן sacræ literæ uocant, uernus mensis est. Martio respondens. Aptus sanè mensis quo ad florentem libertatem ex squalida seruitute sacer populus uindicaretur. Cæterùm Pesah uictima erat ex agnis delecta, quæ in monumentum ac memoriam liberati populi ex Aegyptia seruitute immolabatur, qui unus usus erat: alter in adumbrando Pesah, de quo alio loco ex Apostolo meminimus.

Phase Domini est.) Victima nomine rei cuius admonebat appellata, more sacramentalis sermonis. sic circumcisio fœdus diuinum, cuius memoriam excitare, & in noui fœderis scriptura, panis corpus Christi, calix sanguis, baptismus lauacrum regenerationis uocatur, ratione pijs nota, & usu fidei probata.

Solẽnitas azymorum.) A' quibus Pesah nonnunquam azymorum festum appellatur. Descr. bitur uictus in Pesah adhibendus, qui erat caro uictimæ, & panes fermento carentes. Mystica ratio satis nota, interprete Domino apud Ioannem, & ex Apostolo ad Corinthios.

Sacrificium in igne.) Holocaustum notatur de quo mox, & זבח אישה ex. Cæterùm in uniuersum qua ratione his sacrificijs quæ hic proponuntur litatum sit, in Numeris explicatur capite uigesimooctauo & uigesimonono.

Cum ingressi fueritis.] Hæc cæremonia astringitur ad terram promissam.

Et messueris.] De messe hordeacea accipitur quæ in Chananæa in Martium & Aprilem incurrebat. Est enim eius regionis temperatio lucis, quæ uicinorem solem habeat, ut quæ propius à conuersione æstiua & æquinoctiali absit, quàm loca ad aquilonem remota. Nam trigintaduabus partibus Hierosolyma supra finitorem aquilonarem uerticem eminentem habet.

Feretis manipulos spicarum.) Hordei עמר aut hic manipulus est, aut decima Ephi pars: id est tantus granorum hordeaceorum numerus, quantus sufficit ad diurnum uictum. De genere minhæ quod constat ex manipulis spicarum, præcipitur hic unà cum Pesah afferri. de quo suprà cap. 2.

Primitias messis.) Vt primogenita in animantibus, sic etiam primitiæ frugum placent Domino, propter eum de quo Apostolus: Primogenitus uniuersæ creaturæ. Hac igitur litatione partim monebantur Israelitæ, ut grati essent erga beneficia diuina, aguoscentes pecora, fœtus arborum, fruges diuina benignitate, non suo merito & industria nasci: partim primitiarum admonebantur, de quibus iam suprà. Cæterùm ter singulis annis offerebantur primitiæ, primò in Pesah, de nouis granis: secundò in Pentecoste, de nouis panibus: tertiò in Septembri, de fructibus.

Vt acceptabile sit pro uobis.) ad comparandum uobis fauorem Dei. id ualet לרצנכם. Vsus sacrificij, cuius ueritas nota.

Altero die sabbathi.] altero Azymalium die.

Agnum immaculatum.] Præter agnum Pesah conuungitur de more cum holocausto minha. Ratio alias exposita.

Duæ decimæ similæ.) Suprà solum una decima de gno deputatur: hic duæ, numero duplicato.

Quarta pars Hin.) pro more. Libamen uini non duplicatur ut ferti.

Polentam.) קלי tostæ fruges sunt.

Et pultes.) De כרמל suprà capite 2. primis fructibus

ctibus non fas esse uesci, priusquàm Deo primitiæ allatæ sint.

Numerabitis autem.) Altera anniuersaria solennitas Pentecostes.

Ab altera die sabbati.] ab altera die Azymaliũ. Hebdomadas septem.) Hinc hoc festum etiam hebdomadarum festum dicitur שבתות sabbata prohebdomadis. Septenarius is quadratus quadragintanouem efficit, qui Iubilæi numerus est remissioni & placationi diuinæ destinatus.

Vsq; ad alterum diem.) quo quadragintanouem diebus, quas septem hebdomadæ conficiunt, addito quinquagenarius editur, quæ Pentecoste est celebris lege in Sina monte promulgata. Nã quinquagesimo ab Aegypti exitu die Moses legislator leges sanciuit quibus respublica Israelitarum constitueretur: quæ antea Aegyptiorum legibus ut serui paruerant, cuius beneficij ut essent memores festum istud restitutum fuit. Sic enim in Deuteronomio legimus: Celebrabis diem festum hebdomadarũ Domino Deo tuo. & statim: Recordaberis quòd seruus fueris in Aegypto, id est tanquam seruus tyranni edictis parueris, non tuo iure, tuis legibus uixeris, qui unus fuit Pentecostes usus. alter erat, admonere eius Pentecostes qua Christus nouam rempublicam et cœlestem ædificaturus, legem spiritus sancti esset promulgaturus. Sic enim apud Lucam legimus: Cum compleretur dies Pentecostes, erant omnes unanimiter in eodem loco, et factus est repentè de cœlo sonitus, repleti sunt omnes spiritu sancto. Hæc Pentecoste clara est restitutæ libertatis quæ in iusticia non legis, non naturæ sed gratiæ, & in ademptæ seruitutis peccati & mortis, in nouarũ item frugum, hoc est cœlestium bonorũ messis memoria, quã Christus morte et resurrectione sua suis parauit, cernitur: quæ Pentecoste sacra suis primitijs, durat dum decimis, hoc est plenitudine cœlestium bonorum frui licebit. de primitijs legimus apud Apostolum: Sed & ipsi qui primitias spiritus habemus. De decimis uerò, hoc est plenitudine, idem: Ex parte nunc cognoscimus: est ubi uenerit quod perfectum est, tum quod ex parte est abolebitur. Quid igitur inter utranque Pentecostem interest facile cognitu est ex discrimine quod est inter legẽ Mosaicam et legem Euangelij, inter Sinam montem & Sionem, inter horribilem spiritum fragore suo Sinam montem concutientem, & eum spiritum qui conuocatis Apostolis Hierosolymis à recepto cum maiestate in cœlum Christo flauit: inter terribilẽ ignem in Sina fulgentem, & eum ignem qui in dissectis linguis apparuit in noui fœderis sanctione, qui ignem illum diuini amoris significauit, quo Apostolorum linguæ inflammatæ denunciaturæ essent non legem & literam occidentem: sed legem Euangelij per spiritum Christi uiuificantẽ, æternamq; pacẽ, salutem, & gloriã afferentẽ. De quibus linguis uates: Quàm speciosi sunt pedes euãgelizantiũ pacem. Horũ linguæ in nouæ Pentecostes die expeditæ, prõptæ, amabiles & suaues quas Israelitæ in cœlo scripti ciues ferrẽt, redditæ sunt, quæ in animos illorum doctrinam plenam pace, salute, uita, gloria, uelut stilo imprimerent. De qua lingua, quæ Messiæ lingua est, bis uerbis uates: Lingua mea uelut stilus est notarij uelocis. Contrà lingua Mosæ legislatoris fuit, lingua tarda & impedita, ueluti ipse de se in Exodo conqueritur, lingua inamabilis, dura, insuauis, à qua abhorrerẽt Israelitæ, ut suprà id in Exodo explicatum est.

Et sic offeretis sacrificium nouum.) Noua Minha ex pane triticeo in nouam nouæ reipublicæ legem et fœdus congruit, de quo Hieremias: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouũ item de lege: Dabo legem meam in uisceribus eorũ. Hæc lex spiritus lex est in Pentecoste data, atq; quinquagenarius accommodatus numerus est indicendæ libertati per legem spiritus sacri restitutæ. de qua illud: Vbi spiritus, ibi libertas. Nã septenarius numerus in se ductus addita unitate, quinquagenariũ efficit libertati dicatum numerũ. Sic quinquagesimus annus, Iubilæus erat, in quo possessiones uenditæ ad uterem redibant dominũ, remittebantur debita, libertate donabantur serui.

Similæ fermentatæ.) Hic fermentum probatur, suprà reprobatur. De scrupo suprà capite 7.

In holocaustum.) Hæc solennitas insignis erat omni genere sacrificiorum, holocaustũ, expiatoria uictima & hostijs de salute, ferto, & libatione uini. Veritas in Christo, qui hæc omnia sacrificia factus, spiritus sacri legem cœlestis Sionis ciuibus sanciuit. de qua Iesaias: De Zion exibit lex.

Et uocabitis hunc diem celeberrimum.] In Pentecoste quoq; sacrum conuentum indicendum esse. legitur enim מקרא קדש. Nos de nostra Pentecoste conuentu legimus: Erant omnes unanimiter in eodem loco.

Opus seruile.] quo iumentorum & seruorum opera ea quæ ad uictum necessaria sunt, quæruntur, ut est arare, suere, texere. Cõtrà liberalia opera sunt, meditari, docere, disserere de rebus honestis, auscultare uerbo Dei, quæ ut in בעשת עברדת non numerantur, ita hic non prohibentur.

Deus uester.] uos locupletans: ut diuites facti, beneficentia qua bene mereamini de pauperibus, referatis.

Mense septimo.) Is Septembri respondebat, in quem autumnale æquinoctium incidit. Describitur tertia solennitas, quæ זכרון תרועה, id est, monumentũ clangoris dicitur, quo nimirũ excitati Israelitæ parabantur ad eas solennitates quæ mense illo septimo celebrabantur. Vt erat propitiatoriũ festum & feriæ tabernaculorum. Is unus usus festi tubarum, suo ritu sacrificijs, tẽpore celebris erat, alter in adumbratione uersabatur clangoris tubæ propheticæ & Apostolicæ. de qua illud: Exalta tanquã tuba uocem tuam. Et Zacharias: Dominus Deus tuba clanget. tuba uidelicet Euangelij, qua suis propitiationem, id est remissionem delictorum salutarem denunciabit in fi-

l. orege Zionis, de quo in eodem loco idem propheta: Ecce rex tuus ueniet tibi iustus & saluator ipse. Tubæ igitur concionatoriæ significabantur in hoc festo ad propitiationem sentiendam Ecclesiam conuocantes. Nec deest similitudo, siue tubicinem, siue materiē tubarum spectes. Nam quòd ad tubicinem pertinet, ut is nisi flatu suo regat buccinam, hæc nihil sonat. & ut buccinæ tantum clangunt, quantum tubicen eas inflarit: ita prophetæ & Apostoli ea sonant quæ Deus buccinator animis eorum & ori inspirarit. Vt habet illud: Ecce ego dedi uerba mea in ore tuo. Sin uerò materiem consideras, argenteas fuisse tubas in Numeris docemur, quæ materies consentanea rebus fuit, quæ tubis Euangelicis erant ebuccinādæ, hoc est uerbo Dei. De quo Psalmus: Eloquia Domini, eloquia pura, argentum igni examinatum. Cæterum tubarum quàm latè patuerit in classico canendo & conuocanda ad concionem multitudine usus, infrà in Numeris exponitur, capite decimo. Veteres interpretes hoc festum institutū uolunt in memoriā liberationis Isaaci suppositio pro eo ariete ad immolandum. Quam rationem cum hic sacræ literæ reticent, nos quoq; prætermittimus. Recipi tamen posset, si intelligeretur, submoto typo, hoc festo celebratā clangore tubarum memoriam arietis pro peccatis mūdi offerendi, de quo illud: Peccata nostra ipse tulit, & eius à morte uindicandi per excitationē è mortuis, quā liberatio Isaaci adumbrarit.

Decimo die mensis huius.) Describitur solennitas diei propitiatorij, de qua etiam suprà capite decimosexto. Hæc clara erat suo conuentu sacro suis sacrificijs, otio, ieunijs, & cæremonijs capri emissarij ingressuq; summi sacerdotis in interius sacrarium.

Affligetis q; animas uestras.) condonationis noxæ resipiscentes, & scelerum pœnitentiam agentes participes esse. Hinc Ioannes: Pœnitentiam agite: in propinquo est regnum cœlorum. In hac afflictione continetur ieiunium in quo uis refrenās carnis libidinem & cupiditates inest, sine qua & oratione pernicioſiora dæmonia nequeant eijci, ut Dominus ipse apud Euangelistam docet: præsertim si accedat illud ieiunium de quo Iesaias meminit: Dissolue impietatis nexus, quassatos dimitte liberos. Esurienti frange panem tuum.

Et offeretis holocausta.) apta pœnitentiæ propter igneam in sacrificio uim. Quò illud pertinet: Baptizabit uos spiritu & igni.

Omne opus seruile.) expiatione nostra opera recusante, & diuina in nobis requirente & conficiente. Notatur ueteris hominis mors quæ tempore propitiatorio contingit, & noui hominis in Christo uita noua, iustitia, in qua uerum sabbatum cōsistit. Ideo sequitur:

Nam dies propitiationis est.] Ratio feriationis.

Vt propitietur nobis Deus.) Vsus solennitatis & sabbati. Ciuilis conciliatio fauoris diuini, & remissio noxæ in legali solennitate: uera in ea de qua illud: Misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris, cernitur.

Peribit de populo.] præmatura morte delendus de suorum numero, si legem spectes: sin Euangelij tempora, æterna morte mulctandus, qui pœnitentiam non egerit.

Et quæ operis quippiam fecerit.) ut sunt, si typum deponis, mundi sectatores, iusticiæ operum ostentatores, hypocritæ, sapientes huius seculi, qui feriis Domino non celebrantes in noxa manent. In seruilibus igitur operibus submoto uelo numerantur studia carnis mundi, sapientiæ carnalis, & generatim omnia quæ Deus spiritu filij sui in nobis non efficit.

A` uespere.) à sex horis post meridiem ab Hebræis inchoari solito, qui à uespere præcedentis diei suas solennitates inchoarunt. Notantur nouissima eius propitiationis tempora, de quibus sæpe.

A` quintodecimo die.) Describitur solennitas tabernaculorum, quæ iam conditis frugibus & confecta uindemia celebrabatur, quæ suo usu, de quo mox, & ceremonijs insignis fuit, festo septendiali, sacrificijs, extructis tabernaculis, conuenitibus sacris, frondium ex certis arboribus delectarum gestatione, & lætitia qua solennitas peragebatur. Mentio huic fit diei, qui numerus ex septenario & octonario constituitur, quorum alter quietis, in qua Deus à suis uacauit, ut nos à nostris uacemus operibus: alter iusticiæ, qui primus solidus numerus sit, admonet. quorum uterq; sanè in hanc solennitatem conuenerit. Nam in ea & quies quæ iam finitis laboribus sumitur, & iusticia quæ facta propitiatione regnat, cernitur.

Dies primus uocabitur celeberrimus.] Conuentum sacrum indicendum, qui maximus agebatur. Vtrum de apud Ioannem magnus dies festi uocatur. Cuiusmodi etiam die octauo celebratur.

Est enim cœtus atq; collectæ.] עצרת feriæ notat, quibus à laboribus diuinus cœtus cohibetur. Nota uox עצר est.

Offeretis q; in eis.] Recenset sacrificia, quæ erant holocausta, minha, uictima de salute quæ notatur in uerbo זבח, genere pro forma usurpato, & libamentum uim.

Fructus arboribus pulcherrimæ.] Hebræa expressit interpres cū Græcis qui reddūt, λαμπρὸν ξύλον ὠραῖον. sed interpretes de citreis malis interpretantur quæ in uino aduersus uenenū bibi utiliter, traduntur à medicis. Paraphrastes habet אתרוגין. Qua uoce citrus arbor notatur, de cuius fructu, oleo, uideris apud rerum scriptores.

Spatulas q; palmarum.] Quæ perpetuò uirentes frondibus, & ponderibus nunquam cedens, uictoriæ symbolum sunt, ea ratione solennitati tabernaculorū congruentes, in qua uictis malis parta uictoria, ut mox docebit Moses, celebratur.

Et rami ligni densarum frondium.) Hebræus quoq; habet ramos עץ עבות id est ramis perplexæ. Sed interpretes de myrti arboris olei & uimi fertilis ramis exponunt: qua quoq; arbore uictores insigniebā-

baiantur, ut lairo, olea, apio. Tradunt scriptores rerũ, uirgas myrteas gestatas manu uiatoris pedibus prodesse in longo itinere. Cuiusmodi iter fuit Israelitico populo in deserto peregrinanti, cuius in hoc festo sub tabernaculis confectis læta memoria agitur. Beneficia quibus Israelitæ in solitudine affecti sunt, memorantur Deuter. cap. 2.

Et salices de torrente.) quibus nullam aquaticarum utiliorem dicunt esse: eiq; arbori tertiũ in æstimatione ruris dant locum qui de agricultura scribunt.

Et lætabitur coram Domino.) memoriã exantlatorũ malorum celebrans. Dies expiatorius noxæ, afflictionis dies est. Festus autem is umbraculorũ dies, lætitiæ dies. Deposito uelo, uera lætitia cernitur in ea solennitate tabernaculorum, qua decurso spatio miseræ huius uitæ more peregrinantium in tugurijs transactæ, & promissa hæreditate assignata in regno cœlesti lætitiam agitabimus. De qua prophetæ: Et serui mei lætabuntur atem: Ecce ego creo Hierusalem exultationem, & populum eius gaudium.

Vt discant posteri.) Ratio institutæ solennitatis.

INCAPVT XXIIII.

1 VT afferant.] Digreditur ad explicandam rationem sacrorum panum, lucernarum, candelabri, et mensæ. In candelabro autem duo expenduntur: alterum structura eius est, in qua materia & partes quæ sunt basis, scapus, scatulæ, globi, flores atque ipsa comprehenduntur uasa: alterum, usus qui suprà Exodi uigesimoseptimo tractatus, hic repetitur. atque cernitur is in inflãmandis lucernis quæ ardeant perpetuò ante Dominum. in quo usu considerandæ fuerit olei natura: deinde ij qui oleũ afferunt: tertiò, qui affuso oleo faces parant perennes: demũ splendoris lucernarum usus & ratio. De singulis suo loco.

Oleum.) aptum accẽdendis & fouendis lucernis, in quo igneam uim liceat cernere. Sunt enim pinguia, aereæ & igneæ naturæ. Legimus hic: Præcipe Israelitis. Non quiuis igitur sed delecti ad fœdus diuinum oleum afferunt. Reducto uelo, occurrũt uirgines de quibus Dominus: Prudentes sumpserant oleum in uasis suis unà cum lampapibus, uidelicet spiritus fidei & dilectionis, quo ardescit lampas ac lux quæ de se dicit: Ego sum lux mundi. Vas autem in quo sumitur oleum ad illucendum nouus homo est, de quo illud: Qui luxit in cordibus nostris. Ex contrario non afferunt oleum, qui in sacro electionis diuinæ fœdere non continentur, quales habentur uirgines fatuæ, de quibus idem Dominus: Quæ erant fatuæ, acceptis lampadibus non sumpserant oleum secum. oleum mysticum in terra promissa suppeditasse fœdus Dei cum Israelitis sanctum constat. Vt infrà in Deuteronomio: Introducet te in terram olei & mellis.

De oliuis.] De oliuis oleum, oliuum de olea arbore seligitur, cuius folia nunquam decidunt, quaq; uictores coronari soliti sunt.

Purissimum.) ab amurca repurgatum. Nam oliuæ constant nucleo, oleo, carne, amurca.

Ac lucidissimum.) Hebræus כתית למאור id est, expressum ad illucendum. De mystica nota iuideris in Exodo.

Extra uelum.] contra mensam in latere tabernaculi meridiano sitam. Prælucere lucernas ad ingressum interioris sacrarij, in quo propitiatorium collocatur. Qui usus ceremonialis erat lucernarum. Veritas nota.

In tabernaculo fœderis.) In Ecclesia solum lucere Dei lucernas, non extra.

Ponetq; eas Aaron.) Aaronis officium, faces accendere, ut luceant. De Christo legimus: Neque patrẽ quisquam nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius patefacere. Non philosophi, non sapientis huius mundi fuerit lampades inflammãre, ut luceant ad cognoscendum Deum, sed Aaronis Christi, qui de se dicit: Ego sum lux mundi. ignem ueni mittere in terram, & quid uolo nisi ut ardeat? Aaron legales lucernas quæ uenturæ lucis umbram præferebant, quæq; ad manufactum sacrarium aditum patefacerent, ardere fecit. Noster pontifex facem accendit, cuius lux uitam æternam affert, & uiam ad sanctuarium æternum manu nulla elaboratum aperit. Quo magis reprehendendi fuerint qui ad imitationem Leuitici sacerdotij quod exoleuit, in administratione noui fœderis faces perpetuò ardentes in fictitijs suis templis adornant, ignorantes illud: Hæc sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi. item: Vos autem templum Dei estis, in quo lucere debet is qui de se prædicat: Ego sum lux mundi.

Coram Domino.] præsente ad arcam & propitiatorium oraculare.

Super candelabrum.) Veritas in candelabro Christo, in quo septem lucernæ ut splendeant, atque omne sanctorum lumen ad illum referatur, tanquam ad fontem & caput uniuersæ illustrationis, aliàs indicatum.

Mundissimũ.) ex solido aureũ opus, de cuius põdere in Exodo. fuisse & ferreum perhibent. illud Beseelis opus fuit, hoc, ut dicũt, aliorum pro tempore extructum. Puritas cur auro & argento tribuatur, ex physicis notũ. Tradunt interpretes dimidium לוג olei singulis lucernis adhibitum fuisse. De לוג autem mensura suprà capite 14.

Accipies quoq; similam.) Coniungit sacrorum panum usum, & mensam in latere tabernaculi aquilonari sitam, cum lucernis & earũ candelabro. Ratio in Christo nota & sanctis. De structura mensæ ex ligno cedrino, de eius inauratione, corona, magnitudine uasis, uideris suprà in Exodo. Ex pura farina cõficiuntur sacri panes. De ueri & cœlestis panis ortu legimus: Conceptus è spiritu sancto. item apud Prophetam: Eo quòd iniquitatem non fecerit.

Duodecim panes.] Placentas Hebræus habet, quæ oleo de more Minhæ conspergebantur.

Duas decimas.) mensuræ Epha, quæ duæ decimæ duo Gomor erant, septem cotylas Atticas, Iosepho authore, continentes. De Epha Exodi decimosexto. Denarij ratio expẽdenda hic fuerit sanctis. Nos legi-

legimus de pane nostro plenitudine olei sacri spiritus consperso: Caput uniuersæ perfectionis spiritualis. uē: In eo habitat plenitudo deitatis corporatè.

Quorum senos altrinsecus.] Hebræus indicat his uerbis שתים מערכת uersu duplici senos in mensa apponendos panes. Duodenarij numeri ratio negligenda hoc loco nõ fuerit. Vnus quidem panis est ille uitæ Messias noster benedictus. sed quoniam is Ecclesiæ quæ duodecim sanctorum tribubus continetur, distribuendus est, in duodenarium abit. cœlestis est is numerus conuiuarum cœlestis mensæ copiam acfrequentiam indicãs. Nam primus is à denario absolutè perfecto numero crescit fœcunditati sacer. Ad hæc cœlestis is panis duodenario Apostolorum mundo distributus est.

Coram Domino.) Itaq; Græci interdum uertunt, ἄρτος ἐνωπίου, interdum προθέσεως, interdum πρόσωπα.

Et pones super eos.) Hebræus monet utriq; uersuas plenum thure imponendum. Duæ igitur phialæ erant aureæ thure repletæ, quas Hebræi uocant בזכרים. Similiter Iosephus, ὥσπερ δὲ τῶν ἄρτων ἐπιθεντο φιάλας δύο χρύσεας λιβάνου πλήρεις. De thuris natura aliàs.

Vt sit panis in monumentum.] Thus quod sit אשה, id est incẽsum, efficere, ut panis gratus sit Deo, & in eius memoriam ueniat, quòd sine illo igni diuino & cœlesti nihil Deo, qui ipse ignis sit plenus genitali calore & perenni luce, probetur. Notatur igitur hic in thure incenso deprecatorius spiritus cuncta Deo grata reddens. Iubetur autem thus apponi, quòd ex cõsuetudine Minha solita sit oleo conspergi, & thure fragrans effici. Videris suprà.

Erantq; Aaron & filiorum eius.) Ratio pijs nota est ex Petro. Nec sabbati ratio obscura quo renouantur panes, & eis uescendi sacerdotibus ius fit.

In loco sancto.) in atrio tabernaculi.

Ecce egressus filius mulieris.) Exemplum mulctæ in conuiciatore nominis diuini.

De uiro Aegyptio.] nõ degenerante sobole à parente Chamo. Verum est igitur illud uulgo iactatum: Malus coruus, malum ouum.

In castris.) paci sacratis, non discordiæ: & in quibus habitet Deus autor concordiæ, non dissidij. circumstantia loci crimen augetur.

Cum uiro Israelita.] fœdere pacis diuinæ insignito. Grauatur noxa ab attributo personæ.

Cumq; blasphemasset.] contentione, ut fit, progressa ad nominis diuini contemerationem. Hebræus habet ויקב quo uerbo, ut nonnulli uolunt, indicatur Deum eius nomine expresso à maledico blasphematum. Hinc paraphrastes ברש habet. & paulo infrà Græci pro נקב, reddũt ὀνομάσῃ τὸ ὄνομα κυρίου id est maledicto est, qua bona detrahuntur, et mala asignantur: ut benedictio est, qua bona tribuũtur. Maledicitur igitur nomini Dei, cum is aut iniustus culpatur, malis nos afficiens, qui bona sperabamus: aut cum omnino negatur eius prouidentia, qua sapienter cuncta regat, bonos defendens, & malos perdens. qualis maledictio eorum est quos taxat uates: Dixit insipiẽs, Nõ est Deus. Aut maledicitur Deo, ubi uerus eius cultus pro falso pronunciatur, aut cum eius uerbum pro humano, & humanum pro diuino ducitur. Talibus maledictis & conuicijs plena est bestia. Sic maledixit Assyrius ille Deo Hierosolymæ: Nunquid non sicut fecit Samariæ & idolis eius, sic faciam Hierusalem, & simulachris eius? Aut blasphematur nomen Dei, si is eos quos amamus, iniquè plectere, uel quos odimus, iniustè beneficijs ornare dicatur: aut cum expresso nomine diuino mala precamur ijs quos Deus amat, & charos habet. Qua autẽ in parte ex Aegyptio patre natus Deo maledixerit, contentio ipsa & iurgia cum Israelita agitata, indicarint. Quòd ad grauitatem criminis attinet, grauissima culpa est, cum eius nomini maledicitur, quo tanquã à perenni fonte omnis benedictio manat: item præter hominem maledicta in Deum iacere, quẽ nobis naturalis lex & fœdus ipsum amicitiæ diuinæ arctissimo uinculo coniungit. Quæ diuini nominis turpis abusio contra utramq; tabulam committitur. contra primam quidem, qua præcipitur: Nomẽ Dei in uano ne usurpato: contra alteram uerò, qua mandatur, Alterum ut te ipsum diligito.

Adductus est ad Mosem.) tanquam ad magistratum. Locus indicat, priuatim neminem ob crimen capite plectendum esse, nisi diuersum moueat Dei instinctus peculiaris, quali Moses in occidendo Aegyptio, et Pinehas in interimendo scortatore Israelita egerunt. Qui singulares & heroici motus ac impetus in legem communem non transferãtur, nisi quòd admonẽtur hic boni uiri sui officij, quod est, nihil sua causa facere, sed omnia gloriæ Dei asserendæ & reipublicæ conseruandæ studio. Quod hic Pinehas fecisse legitur, qui sui commodi rationem minimè ducens, cum suo periculo priuatis rebus publicas antepossuit. Qui diuini censoris munus præstitit, quòd non solum in literis ipsarum legum, sed etiam factis hominũ obseruandis, ad legesq; reuocandis uersatur.

Extra castra.] quæ cadaueribus pollui nephas erat. Extra castra etiam ducebatur tanquam execrabilis.

Et ponant omnes.) ad testificandum de crimine. De quo testificãdi ritu infrà in Deuteronomio capite octauo uideris. Tanquam uictimis legumur hic testis manus imponere flagitiosis diuini nominis uiolatoribus. Nam apud prophetas scelerati capitali supplicio affecti terram expiare, tanquam uictimæ dicuntur.

Et lapidet eum.) Aequũ iudicium ut lapide obruatur, qui in lapidem deliquerit. de quo uates: Lapidẽ quem reprobauerunt ædificantes. Qui lapis est illud sacrosanctum nomen Dei de quo Petrus: Non est aliud nomen sub sole. Et Hieremias: Hoc est nomen quo appellabunt eũ יחרת צדקנו. Qui ergo nomini Dei maledixerit, is dixerit, Christo Domino & seruatori maledixerit, quo & per quem Deus se nominat, hoc est enarrat & explicat. legitur enim: Vnigena filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit, & in mundo ab initio omnem salu-

salutem, uitam, benedictionem declarat.

Homo qui maledixerit.] Ex hypothesi constituitur thesis, conuerso mulctæ maleduci exemplo, in legem communem.

Qui percusserit & occiderit hominem.) Leges quædam talionis repetuntur. Vna est: Vita priuandum qui alterum uita priuarit. cuius supplicij ratio in Genesi est exposita, quòd hominem qui lædit, imaginem Dei læserit, ad quam homo conditus est.

Morte morietur.] Si antegressa deliberatione, nõ casu, cædem fecerit. ut enim æquitas hanc legem interpretetur, suprà in Exodo est explicatum.

Qui percusserit animal.) Altera: Dominium igitur quod homini tributum est in animantia, gubernari debet dilectionis lege, quæ monet rerum dominia exercenda esse citra iacturam alterius.

Animam pro anima.] Animal eiusdem generis pro animali, uel precium ex arbitrio iudicum.

Qui irrogarit maculam.) Tertia, talione eum eo agendum qui læserit alterum. מוּם uitium est quo membra corporis, manus, pedes, oculi, nares, os corrumpuntur ac uitiantur.

Sicut fecit, sic fiet ei.) Quo uitio alterũ quis affecerit, eodem ipsum afficiendum. Hæc lex priuatis qui pro libidine animi se uindicent, non datur, sed magistratui. Itaque eam non abrogauit Christus cum dicit, Audistis quòd dictum fuerit, oculum pro oculo, & dẽtem pro dente. At dico uobis: Ne resistatis malo: sed explicauit, falsa de illa lege sententia refutata.

IN CAPVT XXV.

Locutusq; est.) Redit ad tractationem feriarũ. Atq; harum cum duplex genus sit, alterum dierum, alterum annorum: de festis diebus suprà, de annis iam, in quibus septimus terræ sabbato destinatur, quinquagesimus communi libertati & restitutioni omnium. De eo septimo anno qui priuatim seruis Hebræis, ad uindicãdum se in libertatem dabatur, suprà Exodi uicesimoprimo. Hic septimus annus publicè fisus & terræ sabbato sacer agitur, quo terra uacans à satu & cultu feriabatur.

Septimo autem anno.) ut per quietem hoc sabbatario anno pristinam fœcunditatem senario absumptam, recuperet. Eo etiã anno, ut Moses in Deuteronomio indicat, non licebat nomina appellare, ac debita exigere. Hæc enim sunt Mosæ uerba: Septimo anno facies remissionem, quæ hoc ordine celebrabitur: Cui debetur aliquid ab amico uel fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini. Et tam seuerè septimi anni obseruatio præcepta fuit, ut eius profanationem minetur Dominus se gentis extermination uindicaturum. Quo de supplicio uideris infrà capite uigesimosexto. Anni igitur septimi feriatione cõsulebatur terræ fertilitati, & ære alieno oppressis, quæ ciuilis causa sabbati terræ sanctæ erat: altera spiritu cernebatur. In hoc anno licebat primò agnoscere Dei prouidentiã, cui agri, iumenta, serui, aduenæ, pauperes, ære alieno obnoxij homines curæ essent. Secundò agrorũ fœcũditatem non naturæ, sed Dei uerbo tribuẽdam. Nã cum cæterarum gentium agri, alij tertio anno, alij quarto, alij alio tẽpore cultu & satu uacẽt, terræ Chananææ fundus septimo anno sementem & aratrum non sensit: qui quod sex annos fructum ferre potuit, diuinæ id benedictionis munus erat, qua ea terra præ cæteris insignis fuit. Tertiò sabbati terræ usus in eo apparuit, quòd illo Israelitæ admonebantur culpæ à primis parentibus contractæ, & in posteros uelut per manũ transmissæ, ut hac terræ sua benignitas, ad quàm primò condita fuerat, adempta esset, & malignitas contracta ac accersita. de qua illud: Maledicta terra in opere tuo. Postremò adumbrabatur sabbato terræ ea quies, quæ in noua terra per Christum secundũ Adamũ condenda, & à sceleribus, laboribus, & doloribus, à calamitatibus, bellis liberanda cernetur. De qua nouæ terræ sub regnaturo Christo futuræ quiete Propheta: Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, sed gaudebitis & exultabitis in sempiternum in his quæ ego creo. Quod ut quadraturus sit septimus millenarius, expletis sex millenarijs mundi, non huius instituti eius rei tractatio est, reseruãda ea fuerit ad prophetas, & Apocalypsim Ioãnis, & ad illud Apostoli: Nolo uos ignorare fratres mysteriũ hoc, ut ne sitis apud uos, etc.

Quæ sponte gignet humus.) Communes debere fieri quos terra anno septimo fuderit fructus. In quo sabbato & eius communitate rerum ueritas spectetur, pijs notum. Cæterùm nota est metalepsis in uoce מסיח quæ ad grana priore messe caduca & terræ adhærentia ad fructificandum hic transsumitur. מסח enim sociari est, & adhærescere.

Et uuas primitiarum tuarum.] Non longè dissimiliter Græci, τὸ ἀγιάσματός σου. Nazaræi enim ut Deo sacrati fuerint, infrà patefiet. Quò interpres respiciens, uuas intellexit septimo anno Deo consecrari communi, non priuato usui cedentes. Notatur in hoc sabbato pariter omnib. qui in diuino fœdere sunt, terræ fruges communicari, quorum pars antea sacerdotibus tamũ fuisset sacrata. Cæteri interpretes in hunc modum: Vuas נזיריך, id est quas antè tuo usui selegisti, iam hoc anno communes facies. Paraphrastes habet שבחת quas dimisisti, id est quibus tum non adhibuisti.

Et erunt uobis in cibum.) Hebræus habet sabbatarium annum uictui fore, in eo Dei benedictione, non cultorum laboribus terra necessaria ad uictum suppeditante. Quæ septenarij diuina benedictio est. Sic legimus suprà in Genesi, diei septimo Deum benedixisse, Benedixitq; diei septimo: ut quo cœperint res generatæ benignè dotes suas & uires in creatione acceptas explicare.

Iumentis tuis & pecoribus.] pariter cicuribus & feris animantibus. quod indicat ולבחמת ולחיה.

Numerabis quoq;.] Explicato sabbatario anno terræ sacræ, iam quinquagesimum libertatis & restitutionis omnium exponet. Visum nobis est hic quid in uniuersum de Iubileis sentiendum sit, hoc scripto indicare: ut & ueritas ipsa clarius patefiat, & aduersarij error de commenticio Iubileo firmius refellatur.

Hoc autem quo commodius à nobis fiat, cognoscendum primò erit, unde nomen Iubileus traxerit: deinde quot Iubileorum genera sint, quiq; eorum ortus, natura & usus. Demum ij refellendi, qui falsum Iubileũ cum magna iniuria Christi, & fraude piorum hominũ excogitarunt. Singula ordine & summatim in hunc modum perstringemus. Quòd attinet ad uerbũ ac uocabulum ipsum, Iubileus ab Hebræa uoce יובל quod arietinum cornu sonat, ductũ est, cuius clangore Iubilis annus apud Hebræos edicebatur. Vel ut nõ nulli uolunt, à bonorum, quibus is annus abundabat, affluentia nominatus est. de quib. mox mentio fiet. יבל enim ferendi fructus uerbum notũ est. Quantũ ad genera Iubileorũ attinet, Primũ Hebræis in usu fuit: alterũ à Christianis frequentatur. De origine & usu prioris generis, his uerbis Moses hic monet: Et numerato septẽ annorũ sabbata, id est annos septies septem, quibus anni quadraginta nouem cõficiuntur, tumq; clangore tubæ decima mensis septimi die, quæ propitiatoria est, edito, annum illum consecratote, annum in quâ quinquagesimũ, libertatemq; per terram omnibus incolis edicitote. Ex his uerbis primò intelligimus, Iubileũ ex quadrato septenario, qui plenæ remissioni propitiationiq; sacratus numerus est, conflatũ fuisse: deinde, eum emisso tubarum sonitu, in omnibus Israelitarum finibus denunciari solitum quo proposita libertatis & remissionis, tum noxæ, tum seruilium onerũ beneficia cognoscerentur. Atq; is erat præcipuus Iubilei Mosaici usus, qui tribus in rebus spectabatur, restituta libertate, in nominum ac debitorum remissione, demũ in reditu ad gentilitatẽ & pristinas possessiones. Hoc unum genus Iubileorum est, quod Hebraicum fuit à Mose institutum. Alter uerò Iubileus est, quem Christus, ut ex mortuis ad amplitudinem paterni regni eius est sanciuit, & per Apostolos in omnes nationes diuulgauit. de quo his uerbis apud Iesaiam uatem: Vt denunciarem captiuis libertatem, misit me. Quales autem hic captiui, qualisq; libertas accipiatur, ea de re mox monebitur. Atqui quo utriusque Iubilei uis ac natura planius intelligatur, alterum cum altero hunc in modum conferre licebit. In Leuitico Iubileo umbra non res: imago, non ueritas: litera, non spiritus, cernebatur, qui nimirũ à Mose ministro literæ traditus fuerit. In altero ueritas cernitur, ut quem Christus instituerit. de quo Ioannes: Gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est. Veritas autem hic intelligitur, ut opponatur non mendacio, sed ueteris Testamenti umbris ac figuris. Secundò, Mosaicus ijs qui ex carne sunt Israelitæ: Christianus Israelitis ex spiritu, id est omnibus scriptis in libro uitæ ac fidelibus traditus est, ũ quibus neq; Iudæus, neque Græcus, neque mas, neque fœmina, neque seruus, neque liber. sed noua creatura in Christo nouo & cœlesti homine, locum inuenit. In hoc autem homine locum inueniunt, quotquot ueteris hominis spiritu, hoc est deprauata ratione & naturæli intelligentia non reguntur, sed Dei spiritu, qui pretiosi sanguinis & sacrosanctæ carnis filij Dei uiuentis spiritus est, gubernãtur. Tertiò, Mosaicus Iubileus buccinarum sonitu in angustis Chananeæ finibus edicebatur: noster tubarum Euangelicarum clangore in toto terrarum orbe edicitur. de quo eius autor à resurrectione sua his uerbis: Ite in uniuersum orbem, & prædicate Euangelium omni creaturæ. similiter uates: In omnem terram exiuit sonus eorum. qui sonus non est humanæ, sed cœlestis doctrinæ atque legis sonus. de qua lege uates: Ex Zion exibit lex, & oracula de Hierosolyma. At uerò is clangor sua spacia habet, ac interualla. Initia Apostolicæ conciones habuerunt, quæ usq; ad profanationem spiritualem templi ac loci sancti durauerunt. de qua profanatione Apostolus in altera quam ad Thessalonicenses scripsit, epistola: Ne quis uos decipiat ullo modo, quoniam non aduenier Dominus, nisi defectio uenerit prius, et patefactus fuerit ille sceleratus, filius perditus, qui est aduersarius, & effertur aduersus omnem qui dicitur Deus, aut numen, adeò ut in templo Dei sedeat. Vt aũt is in templo Dei iam multis annis sederit, reuocatum ex profundis tenebris Euangelium manifestè indicat. Huius enim luce manifestatum est, ut aduersarius omnem diuinam ordinationem euerterit: œconomicam, prohibitis matrimonijs, in eorum locum admissa quauis turpissima libidine: ciuilem, negata magistratibus obedientia: ecclesiasticam, sublato Euangelio, & eius cultoribus misere uexatis. Media autem tempora salutis Israelitis & gentibus promissæ clarissima patefactio continet, toto terrarum orbe edendo clangore. de quo Dominus apud Euangelistam: Prædicabitur hoc Euangelium omnibus gentibus in testimonium. Huius Iubilei uocem pij hodie cum magna sua salute incipiunt percipere, idque in non leui temporum difficultate, in qua ut impleantur uaticinia Prophetarum, cœlestis Hierosolyma instauranda, & filij perditi ex abysso et terra orta ciuitas, quæ magna illa Babylon est, destruenda erit. Finis uerò, cum restituta corporum integritate per resurrectionem ex mortuis electi in cœleste regnum transferentur euocati per Iubilem archangeli tubam, de qua Apostolus: Quoniam ipse Dominus cum hortatu & uoce archangeli, & tuba Dei descendet de cœlo. In quo instaurationis omnium quæ in cœlo & terra cõtinẽtur, Iubileo, canetur illud prophetæ: Absorpta est mors in uictoriã. ubi tua inferne uictoria? Beati, qui huius Iubilei participes sunt. Quartò, in Leuitico Iubileo publica peccatorum expiatio atque condonatio celebrabatur. Cadebat enim is in decimam septimi mensis, quæ propitiatoria erat, diem, sicut suprà indicatum est his uerbis: Decima mensis septimi die clangorem edito. Hoc autem die, ut delictorum expiatio facta sit, declarat illud in eodem hic Leuitico: Decimo die mensis huius septimi dies expiatorius erit celeberrimus. Christianus Iubileus ut propitiatorius sit, legitur in Actis: Huic omnes prophetæ dant testimonium, quòd remissionem peccatorum acceptarus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Hic ostenditur ueri Iubilæi autor, qui Christus est, regalis sacerdos, & sacerdotalis rex, non angeli, non ulli in terra homines sancti, multo minus.

Boni-

Bonificij malefici, & Clementes inclementes. Ostenditur etiam, qui remissionis criminum sunt cõsortes, hos esse credentes filio, non decreta aduersarij profitentes, non iusticiæ operum suorum, non meritis suis fidentes, non prædicantes sui arbitrij uires, sed uires eius qui mortuus & excitatus è mortuis, nouam in nobis mentem, nouam uoluntatem creat, donato uerè liberi arbitrij spiritu, de quo sæpe. Et ut propitiatio in Mosaico Iubileo nulla fiebat sine sanguine: ita in noui fœderis Iubileo peccatorum expiatio conficitur, non brutarum pecudũ, sed cœlestis agni sanguine: quo animi electorum aspersi, sentiunt quid hoc uatis uelit: Beati quorum remissa sunt peccata. Quintò, in Leuitico Iubileo non erat ius appellandi & exigendi nomina: in eo Iubili anno quem Christus promulgat, quóque sæuo exactori satanæ ius ac potestas nulla fit diuitus debita exigendi. Debebamus nos illi corpora, animos, uitam: eramus mortis & potestatis tenebrarum miserrima mancipia, eramus toti in nexu inferni, intra portas eius ferreas inclusi. At ab hoc crudelium nominum durissimo iure sumus liberati per eum qui in peccatũ, mortem, & infernum imperium habet. Nam pro nobis persoluit precium, is de quo Iesaias: Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Peccatores ergo in hoc Iubileo locum tenent, iusti non item. Sic enim Dominus dicit: Non ueni propter iustos, sed propter improbos ad uocandos eos ad pœnitentiam. Discedant igitur hypocritæ longius, cum Pharisæo illo arroganter de se prædicantes: Deus gratias ago tibi, quòd non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri. Quales sunt omnes qui spreta ea ratione soluendi æs alienum, quæ in filij fide cernitur, nouam quærunt, & eam inanem, quæ in sale, oleis, uestitu, templis, aris, misereq; consutis Missis uersatur. Accedant contrà, qui cum publicano pectus concutientes, orant: Deus propitius esto mihi peccatori. Sextò, in utroque Iubileo libertatis restitutio soluto seruitutis iugo cernitur. In Mosaico enim Iubileo, qui antea seruierãt, in seruitutem uenditi ob rerum angustiam, in libertatem quinquagesimo anno asserebantur, ut hic legitur: Libertatemq; omnibus incolis edicito. In Christiano Iubileo restitutio ltbertatis consideratur, de qua illud Apostoli: Vbi spiritus, ibi libertas. Vbi spiritus inquã Christus, qui spiritus adoptionis filiorum Dei spiritus est, uerè nos liberos reddens à iure seruili. de quo illud: Qui eripuit nos è potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij sibi dilecti. item: Nam lex spiritus uitæ per Christum Iesum liberum me reddidit à iure peccati & mortis. O fratres, quàm præclarum donum Dei est hæc liberatio, quàm ampla patris benignitas, qui ut sic uindicaremur in libertatem, unigenæ filio non pepercerit. O quàm præstantia merita filij, qui mori sustinuerit pro sontibus flagitiosis, ut his iusticiam & uitam daret. Intelligimus autem ab hoc ipso nos à iure peccati & mortis absolutos, cum sentimus nobis peccata in quæ uenundati fueramus, nocere amplius non posse, & mortem in uitam, iram in gratiam conuersam esse per reconciliationem, qua filius nos patri reconciliauit per sanguinem suum. item cum sentimus nobis post amissam iusticiam Adamæ primi uitios donum iusticiæ nobis Adami secundi merito reparatum, & de affluentia eius tributum, donato spiritu, de quo Apostolus: Emisit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem, Abba pater. Itaque iam non es seruus, sed filius. In hoc igitur Iubileo locum non habent, qui Christi spiritu carentes, aduersarij spiritu, qui serpentis ueteris, mundiq; spiritus est, seruiunt. Vt sunt primò omnes, quos his uerbis taxat Apostolus: Quomodo conuertimini denuò ad infirma elementa, quibus iterum ab integro seruire uultis? Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos: deinde quotquot subdubitantes de beneuolentia Dei patris erga se in filio, doctrinã quæ docet nos certos per fidẽ in filiũ fieri de promissa salute, ferre reformidãt. Hos enim seruilis spiritus agit, nõ libertatis, de quo Apostolus: Non enim accepistis spiritũ seruitutis, uterũ ad timorem, sed accepistis spiritũ adoptionis, qui testatur unà cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei. Tertiò excluduntur ab hoc Iubili anno, qui ore profitentes Euangelium Christi, ueteris Adami carnalia opera persequuntur, uitam luxu, ambitione, auaritia, libidine, crapula, odijs, inuidia conterentes. Stat enim illud Apostoli: Nam affectus carnis mors est, in qua seruitus illa ponitur, qua liberat nos Iubileus à Christo institutus. Nam qui facit peccatum, seruus est peccati & mortis, ut Dominus dicit. Faceſſant igitur procul hinc Epicurei nostri seculi ore crepantes Euangelium, pectore spirãtes Sardanapalos, uitaq; eos exprimentes, contra quos his uerbis Dominus inuehitur: Non quisquis dicit, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit uoluntatem patris mei qui est in cœlis. Postremò prorsus nullum locum reperiunt in nostro Iubileo, qui libertatis uerè iurati apertiq; hostes sunt, seruitutem quæ sub peccato, morte, legeq; degitur, gladijs, igne, ueneno, fulmine, aquis, diris q; omnibus defendentes. In quorum numero bestia est, cum suis falsis prophetis, quam cornua agni, & draconis os habere, sanctus Ioannes in uiso suo animaduertit. Septimò, in Leuitico Iubileo potestas dabatur, redeundi cuique ad uenditam possessionem in Chananæa per tribus descriptam. In nostro Iubileo ad cœlestem hæreditatem, quæ primorum parentum uitio amissa est, recuperandam per Christum, aditus ac liberum postliminium aperitur. De qua restitutione Dominus ipse: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. contraria ratio est eorum de quibus idem Dominus: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui impiorum feralis hæreditas est, in qua, ut Ioannes dicit, habitatio est dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, hæreditas est, in qua mors & tenebræ regnant. ut ipsi Deo carent, luce & uita in Christo, quẽ odio habent. Octauò, in Mosaico Iubileo terra sacra ocium

suum & sabbatum celebrabat à satu & cultu libera. At nec nostro Iubileo sabbatum suum ac quies deest, quo à cunctis laboribus uacet: sabbatum, in quã, illud perenne, de quo Propheta meminit: Erit sabbatũ ex sabbato. Vt contrà sabbato ac requie locus impijs destinatus, qui infernus est, caret. de quorum molestis laboribus uates: Impius sicut mare æstuans est. Carent enim impij Deo, in quo uno uita, quies & tranquillitas sita est. Nonò, fruges quas Chananæa in Iubili anno sua sponte ferebat, communes erant omnibus. Si nostrum duúmum & cœlestem Iubileum spectes, in hoc ipso per Christum in Ecclesia, corpore illius, omnia sacri spiritus munera communia efficiuntur. de qua communione Apostolus: Vnum corpus, & unus spiritus, & unus Dominus, & una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium, qui est super omnia, & in omnibus nobis. Itaq; hoc Iubileo communicationis bonorum, quæ in cœlesti regno spectantur, priuantur ij, de quibus Paulus: Quod consortium Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? In quorum numero comprehenditur primò diabolus peccati, mortis, & inferni autor. Deinde eius ministri cùm dæmones, tum impij homines, et corũ caput antichristus, qui nullam communionem cœlestium bonorum cum Christo conditore Iubilei huius, & cum illius cohæredibus habent. Hæc de utriusque Iubilei ortu, natura, & usu, quorum uterque à Deo originem ducit, uterque oraculis diuinis confirmatus est: sed ita, ut Mosaicus illius quem Christus instituit, superuentu, tanquam tenebræ, quæ exorta solari luce discederent, euanuerit, uero Iubileo explicato. Reliquum est ut de futili, inani & commenticio illo, quem pernicioſa conscientiarum ludibrio & opprobrio ueri Iubilei, pastor ille stultus de suo excogitauit, admoneamus. Is sanè neque Leuiticus est, neque Christianus, sed eius de quo Daniel uaticinatus est: Sermonem contra excelsum loquetur, & putabit se posse mutare tempora & leges. Etenim Leuiticum non esse, documento est, quòd in eo neque serui libertati restituuntur, neque ære alieno obnoxijs nomina remittuntur, neque agri ad familiam à qua ueniere, reuertuntur, neque terra eo tempore quo ille agitur, cultu & satione uacans fruges in communi profert. Quod si etiam omnia quæ Leuiticus complexus fuit, complecteretur, neque propterea minus uituperandus esset. Abrogatus enim Leuiticus cum fuerit per Euangelij splendorem, à nullo deinceps repeti, retexiq; debuit. Firma enim est hæc Apostoli sententia: Hæc sunt umbra rerum futurarum. Corpus autem Christi. item, Nam lex umbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam expressam rerum speciem. At multo minus Christianus fuerit Romanus ille Iubileus. Nam Christianus à tempore uulgati Euangelij per Apostolos cœpit denunciari, & tantisper durat, dum Euangelium clangorem suum edit, ad nulla neque tempora neque loca affixus. Aduersarij uerò Iubileus & tempore & loco definitus cernitur. Tempore quidem, cum alij centesimo quoque anno, alij quinquagesimo, alij alio tempore celebrandum illum statuerint: loco uerò, qui Romæ ad impetrandam peccatorum ueniam, ad limina summam, uolui dicere peccatorum ueniam, ad limina Apostolorum institutus sit, contra hanc sententiam Christi: Regnum cœlorum non ueniet cum obseruatione, personæ uidelicet, temporum, locorum. Item, contra dictum illud ad Samaritanam Mulier crede mihi, ueniet hora, quando neq; in monte hoc, neque Hierosolymis adorabunt patrem: sed ueniet hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem spiritu & ueritate. At aduersarij Romæ ad limina Apostolorum propitiationem, & peccatorum condonationem quærendam docent: non animaduertentes, à Christo regali sacerdote, ab elementis mũdi, loco, persona, temporibus & cæteris externis rebus libero, & apud patrẽ uersante in cœlis, delictorũ remissionem postulandã esse, ut est apud Ioannem: Filioli mei, si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum, iustum. Non dicit, Romæ apud pontifices, qui quales sint, doctrina eorum & uita comprobat. Quòd si Hierosolymæ, quæ à Deo cultui nominis sui destinata fuerat, noxæ uenã, simulatq; Christus patefactus est, amplius petere non licuit, quã to minus Romæ, ubi ex uaticinijs prophetarum, aduersarius Christi sedem suam tenet, petere licebit? Præterea in Christiano Iubileo gratia peccatorũ fit gratis: in aduersarij quæstus quæritur, & lucrum, apud quem peccatorum remissio iusticia, cœlum, infernus, coniugia, sacramenta, sacerdotia, profana & sacra, propter inexplebilem auaritiam, uenalia sunt. De cuius, & eorum qui illum ipsum adorant, detestabili cupiditate, uerè prædixit sanctus Petrus: Fuerunt, inquit, & pseudoprophetæ in populo, quemadmodum & inter uos erunt falsi doctores, qui etiam inducent sectas periculosas, etiam Dominum qui illos mercatus est, abnegantes, accersentes sibi ipsis celerem interitum, & pleriq; sequentes illorũ exitia, per quos uia ueritatis maledictis afficietur, & per auaritiam fictis sermonibus de uobis negociabuntur, quibus iudicium iam olim non tardat, & exitium illorum nõ dormitat. Hæc Petrus cuius se pontifices successores fatentur, in horum temporib. patefactam, protulit. Vt igitur Christianorum Iubileus confirmatus est uoce angelorũ, denunciatus tuba Euangelij per Apostolos repletos spiritu sancto, corroboratus prodigijs ac ostẽtis ueris: ita filij perditi Iubileus dæmonum sententia & falsis signis comprobatus, per eos edicitur, à quibus meritis humana pro meritis Christi, pro iusticia cœlesti, quæ fide in filium percipitur, iusticia terrena quæ humanis operibus nititur, tenebræ pro luce, elementa mundi pro ueris bonis, seruitus misera cõscientiæ pro libertate admirabili extolluntur atq; amplificantur. Ad quã libertatem reparandã quoniã Deus pater pro sua benignitate inenarrabili Euãgelij sui æterni suauissimã lucẽ ex altissima caligine reuocauit, cuius buccina salutarem clan-

clangorem in toto terrarum orbe emitteret: omni studio & ope elaborandum est piis & electis Dei fidelibus, ut discant intelligere ad ædificandum regnum Christi & ad destruendum imperium antichristi, quid illud sit: Exite de Babylone meretrice illa magna, cum qua scortati sunt reges terræ, & de cuius scortatione uino biberunt omnes gentes, ne participes sitis delictorũ eius, et de plagis eius ne accipiatis: quoniã peruenerunt peccata eius usq; ad cœlũ, & recordatus est Deus scelerum eius. Quod ut à nobis fiat, præstet Messias sacrosanctus seruator piorum, & iudex impiorum: Cui sit gloria in æternum, Amen:

Et clanges buccina.] sunt qui uolunt תרועה, id est clangorem buccinæ uocari, ita quòd Iubilis annus Israelitis, hoc est sanctis lætus sit & omnium malorum destructor, hostibus autem eorum funestus & exitialis. Notam enim esse רעה uocem unde is clãgor תרועה dicatur. Cæterùm Iubilæus conficitur septenario in se ducto, hoc est septies sumpto, in qua replicatione circuli species exprimitur. Atq; hoc fit, partim ut indicetur in Iubilæo omnia redire in principia & originem suam, ut in circulo idem principium & finis agnoscitur: partim uerò ut plena remissio ac liberatio quæ in septenarijs quieti & remissioni sacratis cernitur, ostendatur.

In uniuersa terra uestra.] non extra promissam terram & Israelitas Iubilæo locum esse. Deposito typo cognosces primò extra latitudinem cœlestis hæreditatis non euagari ius libertatis ueræ, & remissionis noxæ: secundò, idem ius solum edici electis & scriptis in libro uitæ, non scriptis in tabula mortis & inferorum. iuxta illud: Quos prædefiniuit. item: Venite benedicti patris mei, item discedite à me maledicti.

Et uocabis remissionem.] דרור Vocandi uerbum pro edicendi ac denunciandi publicè. Edicte libertatem. דרור enim libertas est, ac manumissio. Eadem uoce usus est Iesaias in descriptione Iubilæi Christiani לקרא לשבוים דרור, id est ut denunciarem captiuis libertatem.

Ipse enim est Iubilæus.) Qui, si uerum spectes, is iusticiam deleta iniusticia, uitam absorpta morte, libertatem depulsa seruitute peccati & satanæ, dignitatem & gloriam abstersa ignominia restituit.

Ad possessionem suam.] ut constaret sua cuiq; tribui ac gentilitati quam in diuisione terræ acceperat, hæreditas, ad certum familiarum discrimen conseruandum, & ad prohibendam agrorum terræ sacræ confusionem, & eorum de una tribu in alias translationem, innuenta est hæc cautio, ut in quinquagesimo anno diuenditi agri ad pristinos suos dominos redirent. De quare etiam in Numeris fit mentio. Itaq; in republica Mosaica reditus ac proueneus uendere licebat, rerum proprietatem non item, agris uenditis, quantũ ad reditus attinet, redeuntibus in Iubileo ad familiam suam.

Non seretis.) Sabbatum suum quoq; eo anno terræ agente, ut in septimo. Neq; sementem faciendam, neq; sua sponte restibilia demetenda, neq; undemiam faciendam.

Ob sanctificationem Iubilæi.] uitatis in eo prophanis laboribus. Noster Iubilæus quo sabbatho sacer sit, norunt qui Dei opera in se sentiunt. sua negligunt.

Ne contristes fratrem tuum.) In contrahendis rebus malum dolum abesse debere. Ne decipitote uos inter uos, aut ne inclementius ac durius agitote alter cum altero. Quod innuit Hebraica locutio, אל תרגר איש את אחיו. Manat hæc lex ex Decalogi lege: Diligas alterum ut te. item: Ne furator. item: Ne alterius res concupiscito.

Sed iuxta numerum annorum.] Exponitur æqua contrahendarum rerum ratio pro numero annorum Iubileum sequentiũ emendum ab altero quappiã esse, precium pro annorũ numero aut augendum, aut minuendum.

Tẽpus eñ frugũ uẽdet tibi.) מכסר, id est numerũ prouentuũ debere uendi, non proprietatem agri.

Nolite affligere.] Repetit hortationem confirmandi causa.

Sed timeat Deum suũ.) Hebræus more suo mutat numerũ & personã. Ad uerbũ: Itaq; ne fraude agito te inter uos, sed timeto Deũ tuũ cui iniuriæ fraudes, maliq; doli displiceant, probitas & fides placeat.

Quia ego.) nemo alius, quem æquitate imitari ex fœderis iure conueniat. Ab honesto. Cæterùm metus ac timoris Dei frequenter in uetere fœdere fit mẽtio, in nouo spiritus adoptionis. Rationem indicat puerilis ætatis & adultioris, administrationis legis & Euangelij discrimen.

Dominus.) iuuans eos qui innocentiæ student, quæ cernitur in metu mei & amore alterius. Nomẽ enim beneuolentiæ est יהוה.

Deus uester.) seuero iudicio puniens iniustos. quod innuit אלהים iudicij uerbum. A periculo.

Facite præcepta mea.] Concludit hortationem. perficite igitur instituta mea, & iura.

Vt habitare possitis.) Ab utili. Honesta igitur studia ex ueneratione Dei per fidem edita & ad testificandam de nostra in Deum fide, & ad usum benedictionis diuinæ ualent.

In terra.) innocentiæ & iusticiæ consecrata.

Et gignat uobis fructus.] Itaque alligatur ad iusticiæ studia, secura terræ possessio atque agrorum fertilitas.

Quid comedemus.] per προσωποποιίαν. sollicitum ueteris hominis ingenium de uictu exprimit.

Dabo benedictionem meam.) ציויתי iubendi uerbum est, quo innuitur terræ fertilitatem, ut omnia in præcipientis Dei iure ac manu posita esse. Locus memorabilis de cura diuina in eos qui uersantur in munere diuinitus impositio. Nos nõ debere laborare de uictu, Deum curaturũ omnia quæ ad uitæ cultũ necessaria sint. Hinc illud: Quærite regnũ Dei et iusticiã eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Alter locus est: Victum non consistere in cura & laboribus humanis;

ſed benedictione diuina. Sed hæc Dei erga nos, non humana ratione quæ ſua induſtria nititur Deo diffidēs, ſed una fide comprehenditur, in Meſsiā. In quo omnes patris promiſsiones ratæ firmæq; ſiunt.

Terra quoq; non uenderetur.) Exponuntur leges contrahendarum rerum de emendis & uendendis agris, domib. de mutuo, de tractandis ſeruis, in quibus præter ciuiles contractus, quæ notæ adumbratoriæ rerum cœleſtum hic deſignentur, ſapientibus notum. Atq; hæc myſtica pars Moſaicæ reip. peculiaris fuit. Exorditur primò ab agris, horum prouentus uendendos, proprietatem non uendendam.

In perpetuum.] לצמיתת, id eſt ad internitionem, quòd perinde ſit terram in perpetuum alterius ius uenire, atque ueteri domino perire. Terra ſacra in perpetuum non uenijt, Aegyptia uenijt quæ urgente egeſtate iuris regij facta eſt. Depoſito uelo, recuperaturos electos amiſſam ad tempus hæreditatem cœleſtem, neque hanc poſſe in perpetuum abalienari piorum magna conſolatione, quæ ex firma illa ſupernæ hæreditatis in ſanctorum tribus diſtributæ diuiſione naſcitur, dum cuiq; ſua pars, ut ſunt multæ manſiones in domo patris cœleſtis, certa & indubitata Dei fide cedet.

Quia mea eſt terra.) creationis & gubernationis iure, à quo ductum argumentum. Eius enim rei quiſque dominus eſt quam fecit & gubernat. Præ cæteris autem terris Iſraelitarum terra Dei eſſe dicitur, partim propter ſanctos patres, & prophetas, qui in ea habitarunt: & propter Chriſtum ipſum, qui in ea naſcendus erat: partim propter oracula & ſacra Dei inſtituta, in quibus de Meſsia promiſsiones continebantur: partim propter portenta & oracula quæ in deletis Chananæis gentibus, & conſeruatis Iſraelitis edita ſunt: demum propter typum quo cœleſtis hæreditas præfigurabatur.

Et uos aduenæ.) cum uiatoribus uestris Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, ut Abrahamū de ſe dixiſſe legimus, Aduena ſum & peregrinus apud uos. Alterum argumentum: Aduenæ ac peregrini eſtis in terra, ergo ueſtri iuris non eſt, ut eam pro arbitrio uendatis.

Si attenuatus fuerit.) In מוך magna ac grauiſsima egeſtas notatur.

Frater tuus.) Hebræorū more fratris nomine generatim conſanguinei continentur.

Et uoluerit propinquus eius.) Vindici propinquo rem à conſanguineo uenditam redimendi ius eſſe, in גאל redimendi ius ſignificatur.

Et ipſe precium ad redimendum potuerit inuenire.) Hebræus ויחשיגת ידו, id eſt: Et apprehenderit manus eius. pro quo latinè: Et tantū facultatis ſuppetet. item pro דמצא ברי גאלתו, id eſt ut inueniat quantum ſatis ſit ad redimendum: ut ſit redimendo.

Computabūtur fructus.) Exempli gratia, agro uendito triginta minis, totidemq; annis reſidui ad Iubileum reſtent, iam ſi emptor trium annorū reditum perceperit, qui tres minas ualebit exemptis his à triginta minarum quibus ager uenijt, ſumma, reliquæ uigintiſeptem minæ emptori perſoluentur, agro ad ueterem dominū poſtliminio reueniente. Excuſſa myſtica nota, Iubileus gratiæ & reſtitutionis omniū notus, notus itē creditor & debitor, nota poſteſto ut hæc abalienata ſit, & per quem demum ſinedicem ius ſanctis ſit eam redimendi. quidq; ad emptorem redeat, & quo precio uindicare amiſſam hæreditatem fas ſit.

Qui uendiderit domum.) Lex emendarum & uendendarum domuum. Harum bipartitū genus eſt, alterum urbanarum, alterum paganarum: has redimendi ſemper ius eſſe, illas non item, quòd ut uidetur, in illicis pecora & fruges ex agris collectæ ad uictum neceſſariæ conſeruentur: urbanæ autem habitandi ſolum commoditatem teneant, quæ ſi tranſeant in ius emptoris, nō tantum iacturam faciat uenditor, quantam ſi pagorū domus trāſeant, facturus ſis, quas pro rure habendas eſſe legis lator dicit.

Donec unus impleatur annus.] priuſquàm emptor eam ædificet, & ut ſolet fieri, mutari. In textu eſt ימים dies pro anno qui ex diebus conficitur.

Reuertetur.) pro quo Egrediendi uerbum יצא apud Hebræum eſt.

Aedes Leuitarū.) Has uendi poſſe, ſi urbanæ ſint: uendi non poſſe, ſi ſuburbanæ. Hebræus indicat urbes & domos Leuitarum eodem iure contineri.

Quia domus urbium.] Ratio legis. qui careant agris in terra Chananea, ſi typum deponas, qui uerè ſint ſacerdotes Leuitæ, quæq; eorum domus, quas abſit nunquam uendere liceat, aut ſemper redimere ius ſit, non eſt obſcurum. Nos legimus apud Ioannem: In domo patris mei multæ ſunt manſiones.

Si attenuatus fuerit.) Lex de mutuo & fœnore. Iuuari debere ad egeſtatem redactos ſine uſura.

Frater tuus.] De extraneis in Deuteronomio: Nec fœnerato fratri tuo, ſed alieno. De ratione legis aliàs.

Et infirmus manu.) רמושת ידו Et nutarit manus eius: pro, defuerint neceſſaria ad uictum. Tropus notus.

Et ſuſceperis eum.) ותחזקת בו erigendi ac firmandi uerbū reſpondet ex cōtrario uacillandi, משה. Nutantes enim præbita manu ſuſtentamus ne corruant.

Ne accipias uſuras.) Neque pecuniam, neq; uictum fœnerandum. Vſura definitur lucrum quod ad mutuum accedit, ubi ſupra ſortē ſoluitur aliquid propter mutuationem: quòd quàm ſit diſſentaneum naturæ, aliàs diſputatum. Genera à Moſe indicantur, ipſuram tum à pecunia, tū ab ijs rebus quæ ad uictū pertineat, capi. Lex quā Moſes ſancit ſeruata, præmio dignitus promiſſo nō caret. De quo Pſal. Dñe quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui pecuniā ſuam nō dedit ad

ad usuram. Itaq; ex contrariorum collatione efficitur, eum in tabernaculo Dei non habitaturum, qui ab altero cœperit usurã. primò, quòd in diuinam naturã delinquat, quæ gratis & liberaliter oppressos iuuat, sua commoda non spectans. Hinc Christus: Mutuum date, nihil inde sperantes. & terram creauit, quæ cum fœnore reddat fruges suas, non pecuniam. Deinde legem charitatis de diligendo altero euertit, quam naturalis ipsa ratio in sublenandis ijs quorum res egestate accisæ sunt, comprobat: tum quòd usura inuentæ pecuniæ usum auferat. Nam hæc excogitata ab initio est non quæ se augeat, sed qua res ad uictum commodæ comparentur. Hunc propositum rei numariæ finem tollunt ac labefactant, qui ex ea mercem faciunt. Postremò, æqualitatẽ tollunt in contrahendis rebus, qui lucrũ ex sola mutuatione quærunt. Quæ enim æquabilitas, qua una omnis tum priuatæ tum publicæ uitæ communio seruatur, retinebitur si tu mihi, exempli gratia, tres farinæ modios mutuò dederis, et quatuor recipias? si sestertium mutuò acceperim, & denarium reddam? A legislatore igitur Mose contractus in rebus uendendis & emendis non prohibetur, usura in mutuo prohibetur: quòd in emptione æqualitas precij & rei uendendæ cernitur, in mutuatione lucrum si accedat forti, æqualitas non cernatur. Quam in æqualitatem tanquam omnis societatis pestem ea iustitia quæ in contrahendis rebus uersatur, ferre ne quit.

Neq; amplius quàm dedisti.] In תרבית uoce ad usuræ in immensum crescentis naturam diuinus spiritus respicit, quò solent Græci in suo τόκος, & Latini in fœneris uerbo spectare.

Time Deum tuum.) qui beneficus natura, beneficentiam amat, & contrarium uitium odit, quem referre ut filios patrem conueniat. Hinc D. Estote misericordes sicut pater uester misericors est.

Vt uiuere possit.] tua clementia ad imitationem Dei declarata. Hortatio nititur honestatis & exempli locis.

Ego sum.) non mammona iniquitatis.

Qui eduxi uos.) ut me timeretis, & inter uos diligeretis.

De terra Aegypti.) in qua & uos aliquando misere tractatos fuisse meminerit is.

Vt darem.) ex liberalitate.

Vobis. Iselectis ad fœdus meum.

Terram.] abundantem omni rerum copia, per quã beneficere tenuitate oppressis possitis.

Et essem uester Deus.) meam bonitatem uobis imitantibus & manentibus in fœderis conditionibus, quæ in metu mei & obseruatione legũ mearũ cernuntur. Magna dignitas terræ sacræ, ut q̃ destinata sit cultui uero Dei, & in qua Deus suis peculiariter faueat. Hinc illud celebre apud ueteres: כל בארץ ישראל מוכנת בערב עברה זרת אלהים כל חיוצא מוכנת בערב עברה זרת.

Si paupertate compulsus.) Lex de tractandis seruis, definitur autem seruus instrumentum ratione præditum, quod per se munus suum separatum ab alijs obire possit, non sui iuris, sed alieni. Bipartita uerò eum sit seruitus, una quæ uictoris lege imponitur ijs qui fuere liberi, altera cui qui liberi sunt homines sua sponte se addicunt præ egestate. De utraque hac suis locis fit mentio. Duplicis autem generis hominum meminit hic Moses, qui seruiunt, quidam Israelitæ sunt, quidam ex alijs gentibus. Quàm autem dissimilis utrorumq; tractatio sit, iam exponitur.

Non eum opprimas seruitute famulorum.] Non seruili timore in Israelitas imperandũ esse, ut imperatur in eos in quos ius necis et uitæ sumitur, aut qui ita alienæ iuris fiunt, ut eis redimendi se potestas nulla relinquatur. Quæ dura ac obnoxia conditio naturam non integram, sed uitio primorum parentum corruptam ut cætera mala, bella, exitia, morbi, mors consecuta sunt diuino iudicio, ad deprimendum fastum ferocium & superborum hominum, & ad usum cõseruandi imperij humilis in prudentia domestica: demum ad significandum quàm dura ac grauis sit seruitus illa, de qua Apostolus: Ego carnalis sum uenditus sub peccatum. Quæ uera seruitus est, illa imago & umbra seruitutis.

Sed quasi mercenarius.] seruili more nemini addictus.

Vsq; ad annum Iubileũ.) Dicas, Cur igitur in Exodo sancitur lege, ut Hebræus sex annos seruiat, & his finitis liber reddatur? Nonnulli hoc modo obiectioni occurrunt, seruos Hebræos sex quidem annos seruire, si in sex seruitutis annos Iubileus non incurrat: sin secus priusquam illi finiantur, ius esse seruo se in libertatem uindicandi, etiamsi unum aut alterum annum solum seruierit.

Cum liberis.) non cum opibus quas comparauit, quæ iure seruitutis domino cedunt.

Mei enim serui sunt.] cui æternùm seruiant, non hominum, idq; iure redemptionis. Hanc manumissionis legem ut Sedechias non seruasset, grauiter à Hieremia Propheta reprehensus fuit.

Per potentiam.] Asperius ac durius imperium prohibetur his uerbis לא תרדה בו בפרך. Si Israelitis fas non fuit suii generis hominibus durius dominari in uetere tabularum saxearum fœdere, quanto minus licebit Christiano in Christo nos asperiore imperio uti, qui fœdere tabularum carnearum continentur. In quos autem fas sit seruitutem eam quæ necis & uitæ iure comprehenditur, exercere, belli iustè suscepti in hostes lex docuerit: & quos item Israelitis licuerit in perpetuæ seruitute retinere, iam monebitur.

Seruus & ancilla.) aut empti, aut bello capti.

Quæ in circuitu uestro sunt.] ut erant Moabitæ, Ammonitæ, Edomitæ, & finitimæ Syrorum & Aegyptiorum gentes.

Ac possidebitis in æternum.] Quantum discrimen inter gentes & Israelitas? Hi liberati destinantur temporiam seruitutem patientes, illæ perpetuæ seruituti addicuntur. In electis & maledictis submoto uelo ueritas apparet. Alioqui uerum illud: In Christo neq; Iudæus, neq; Græcus, neq; liber, neq; seruus, sed nouæ creatura.

IN CAPVT XXVI.

NOn facietis idolum.] Repetuntur legũ præcipua capita cũ argumentorũ quib. obedientiã legum persuadeat, explicatione. Nomine autem אלילים omnia quibus extra Dei numen spe & fide nitimur præsidia, & omnis ratio colendi Dei oraculis diuinis non explicata, continentur.

Nec titulos.] מצבה de aris interpretantur idolis sacratis ad sacrificandum.

Nec insignem lapidem.] משכית de figurato saxo exponunt, translatione ducta à cogitatione cordis quæ figuretur mentis artificio.

In terra uestra.) meis oraculis, non falsis dijs sacrata.

Vt adoretis eum.) Me in nulla imagine quæ quidem sit humana arte & opera fabrefacta, adorando, quem nulla species ac effigies referat, præter eam quæ mea manu efficta omnem meam diuinitatem repræsentat, de qua illud: Qui cum sit splendor, gloria et expressa imago substantiæ illius.

Sum Dominus.) unus, à quo cuncta naturam, motum & uitam habent. Legitur enim יהוה.

Deus uester.) unus in mundo iustus omnium & fortis iudex. hoc innuit אלהים.

Custodite sabbata mea.) per abnegationem uestri, in qua ueritas sabbatorum.

Et pauete ad sanctuariũ meum.) quod ego cum oraculis meis inhabito, non ad templa gentium falsis dijs profanata. In uerbo תראו cultus ac ueneratio diuinitatis indicatur.

Ego Dominus.) nullus alius quem colatis, qui serui mei sitis, ad id ex Aegypto redempti, ut mihi gloriã ueri Dei & Domini cœli & terræ tribuatis. Itaq; præcessit: Mei enim sunt serui Israelitæ quos eduxi de terra Aegypti.

Si in præceptis meis.) non humanis. Parat exhortationem quam munit argumentis ex locis commodorum et incommodorum ductis, dum benedictionem, hoc est omnia fœlicia fore legem seruantibus promittit, infœlicia uerò negligentibus. Benedictionis autem hæ ferè numerantur partes, tempestiuæ pluuiæ, terræ ubertas, usus frugum ad satietatem, securitas de hoste & feris, victoria de hostibus, soboles numerosa, abundantia & ueterum & nouarum frugum, habitatio diuinitatis apud legum cultores. cõtraria in maledictione cernuntur. Dicat aliquis: Beati igitur erunt, qui hæc terrenæ benedictionis munera consequuntur: & miseri, qui eis carent? si ita, quid ergo faciemus illi, Beati qui lugent. item, Beati qui persecutionem patiuntur? quam fœlicitatem exemplo etiam suo comprobarunt Prophetæ & Apostoli, & caput beatorum Christus Iesus, qui de se dixit: Filius hominis non habet quò reclinet caput. Et de eodem propheta Iesaias: Non est species ei, neq; decor. Deinde in hoc mundo secundæ res improbis eueniunt, & aduersæ plerunq; probis, ut uates Dauid audeat propemodũ cum diuino iudicio expostulare: Mei autem penè moti sunt pedes, quòd uideo impiorum pacem. Itaq; si ita res habet, Quomodo, quæret aliquis, cõueniet Mosæ cum Christo? quorum alter in dimissis, alter in egestate, alter in tranquilla ab hostibus uita, alter in persecutione collocat beatitatẽ? Neuter pugnat cum altero. Non enim idem spectat uterq;. Nam alter legalem, quæ umbram uerorum bonorum ex ueteris opificio sumptam continet: alter ueram & cœlestẽ, quæ Euangelij spiritu patefit, fœlicitatem considerat: Alter item ueteris Israelis, qui ex carne talis est, & mystici fœderis, quod carnales promissiones complectitur: alter eius qui ex spiritu regenerante Israel est, & noui fœderis promissionibus de hæreditate cœlesti insignis, rationem habet. Veteris igitur fœderis benedictiones à Mose describuntur, noui à Christo, quas Mosaicis adumbrari diuina sapientia uoluit. iuxta illud: Lex umbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. At obijcias: Moses hic ijs qui seruarint legem, cœli & terræ benedictionem promittit: seruant autem, qui spiritu amoris Dei & proximi ducuntur, non carnis: ijs autem qui Dei spiritu feruntur, abesse, in hoc mundo res prosperas, aduersas adesse, Christus fatetur. Bipartita est seruatio legis Mosaicæ. Vna ciuilis & moralis, qua prælucente lege naturæ lex tentatur perfici: altera, qua spiritu Dei duce pij in illa præstanda uersantur. Vtraq; seruatio sua præmia habet. Nam Deus ut est omnis remunerator iusticiæ, beneficia eius cuncti quæcunq; naturæ iura & præcepta custodierunt, percepisse constat. ut id tum ipsæ resp. tum priuati homines qui in illis uersati sunt testantur: quorum nomina notata, nequaquam necesse fuerit recensere. Ea autem legum conseruatio quæ spiritu autore fit, solum piorum est. His dicas fortasse Christi sententia abesse res prosperas, & adesse aduersas. Duplex spiritus est, alter metus ac timoris puerili ætati, alter adoptionis adultiori cõpetens. Huius publica dispensatio in Euãgelij tẽpora ille in legis administrationem, qua puerilis ætas duriore disciplina elemẽtis mũdi subdita regitur, adiit. De altero in hæc uerba Apostolus: Nõ accepistis spiritũ seruitutis iterũ ad timorem. de altero idem: Sed accepistis spiritũ adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. Et de tempore puerilis spiritus: Dico autem, quàm diu hæres puer est, nihil differt à seruo, quum sit dominus omnũ, sed sub tutoribus est usq; ad tempus quod pater præscripserit: sic & nos quum essemus pueri, sub elementis mundi eramus in seruitutem adacti. De tempore uerò quo adoptionis spiritus per Euangelij manifestationem fusus publicè uiget, his uerbis: At ubi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret, ut ius adoptionis filiorum acciperemus. Itaq; ut duplex ætas est, altera puerilis, pædagogiæ legali subiecta, quam Moses pædagogus regit. Altera adultior, quam Christus Euangelio gubernat. Duplex item spiritus, alter timoris puerilis, alter adoptionis. duplex demum seruandæ legis studiũ, unum quod puerilis ætas adhibet, à seruis parum differens: alterũ, quo spiritus ille grandioris ætatis, qui libertatis spiritus est, legem diuinam per fidem in Messiam iam publicè manifestatum, perficere nititur. Vt inquam sunt hæc quæ iam

tam meminimus, pro ueteris & noui fœderis discrimine inter se distincta, ita cum altera ætate & eius spiritu benedictio puerilior, qualis in terræ fœcunditate, abundantia frugum, auctu liberorum, tranquillitate, bona ualetudine, robore, pulchritudine, ingenij celeritate, cognitione rerum, & sapientia ea qua Salomon floruisse legitur, consistit, copulata est: cum altera uerò illa maturiore ætate & spiritu adoptionis uerè illæ ac grauiores, hoc est supra cœlestes benedictiones cõunctæ sunt. Quæras hic: Si huius generis benedictio in dispensationem noui fœderis tradit, hac ne igitur caruere, qui in priore uixere Testamento? pro ætate & modo legalis pædagogiæ, per spem uulgo illius consortes fuerunt, ut pueri hæreditatis sub tutoribus gubernati, quam suo tempore adeant sunt consortes. Nam nos de spiritu plenioris benedictionis, hoc est patefactionis gratiæ legimus: Nondum erat spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Et Apostolus: Concluſi in eam fidem quæ erat patefacienda. Vbi Euangelista & Apostolus de spiritu & side loquũtur per comparationẽ, hoc est de eo statu benedictionis diuinæ qui à mũdi elementis et seuere disciplina legis liber est, quiq; cõtinet apertas de remissione peccatorũ, de uita æterna, de cœlesti hæreditate, de regno Christi, de resurrectione ex mortuis, de extremo iudicio, de antichristi imperio & eius interitu conciones, sublatis quas uetus fœdus complectitur tenebris, & umbrarum inuolucris. Qui manifestationis mysterij, tum ueritatis, tum erroris status à resurrectione Christi cœpit existere. Sicut legimus ab ipso Christo Domino nostro arcana Mosæ & Prophetarum quæ antea abscondita fuerant, oracula suis discipulis ab excitatione è mortuis cœpta aperiri. Qua de re his uerbis Lucas: Tunc aperuit illorũ mentem, ut intelligerent scripturas. Et Apostolus: ux ta patefactionem mysterij temporibus æternis taciti, manifestati uerò nunc. Has singulares & cœlestes Euangelij benedictiones, de quibus hunc in modum Paulus: Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus Christo, uaria crux & calamitas consequitur, idq; ob pugnam quæ cum sæuissimis hostibus, satana, mũdo sponsa satanæ cum antichristo sancta inetunda est, qui hostes repræsentatum Christum regem super omnia constitutum, & eos qui hunc adorant, ut regni sui euersores ferre quum recusant, coguntur tamen tolerare, capitali odio flagrãt, quo si bi & exitium afferunt, & sanctis dum hoc modo eorum fides aspero prælio corroboratur, salutem certã cõficiãt. Hinc illud Christi: Beati qui lugent. Beati qui perfecutionem patiuntur. Beati inquam ea beatitate quæ in diuitijs sacri spiritus, hoc est in condonatione peccatorum & in tranquilla conscientia, à seuero iudicio Dei in cœlestis sapientiæ, iustitiæ, uitæ, gloriæ diuitijs, non in huiusmodi opibus quas Moses suæ legis cultoribus promittit, cernitur. In hac igitur de fœlicitate peruagata quæstione, si rectè iudices, uera beatitudo neq; in indolentia & uacuitate dolorum, neq; in uoluptate, neq; in affluentia tripartiti generis bonorũ, animi, corporis, fortunæ, neq; in uiuẽdo ex uirtute quã lex format, neq; degẽdo naturæ conuenienter uita, neq; in cõtemplatione ueritatis & rerũ in natura occultarum, præluceme face naturalis intelligentiæ. Sed si præsentem uitam & mundum spectes, in conciliata beneuolentia Dei per sanguinem filij ad uersus graue iudicium legis, aduersus tyrannidem peccati & mortis, & in donis iustitiæ, sapientiæ, uitæ quæ proficiscuntur à spiritu Messiæ, collocabitur. De qua beatitate uates: Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Sin uerò futurum mundum consideres, felicitas in ea instauratione ad imaginem Dei quæ Christus est, quã excitatio ex mortuis ad gloriã regni cœlestis perficiet, ponetur. Quæ Mosaica beatitate adumbrat, & per doctrinã noui fœderis in Christo & aperiendã et absoluendã, explicatur. At uerò ne quis hic erret, ne quaquam perpetuum est, pios qui in uetere uixerũt fœdere calamitatibus caruisse, atq; eos qui in nouo uersantur Testamento cœlestia bona solũ sentientes, terrenis priuari, ut sũt, ualetudo firmior, pax, liberi, amici, longior uita, clementia cœli, ubertas terræ. Quas enim ærũnas tulerint in uetere Testamento sancti homines, declarant patriarchæ, prophetæ, pij iudices & reges. in nouo autem fœdere legimus quid Apostolus de pietate dicat: At pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissiones habeat uitæ præsentis & futuræ: qui item hortatur suos, ut pro potestatibus mundi quo ecclesia tranquillè habeat orent. Non commemoro illud Christi: Amen dico uobis, nemo est qui reliquerit domũ propter regnum Dei, qui non sit recepturus multo plura in hoc tempore, & in seculo uenturo uitam æternam. Itaq; neutræ benedictiones alteris contrariæ sunt, sed accidunt sua in utroq; fœdere & pacis & afflictionis tempora tum pijs tum impijs diuinitus destinata. Si uetus spectes, tranquilla tempora senserunt pij Salomone regnãte, difficilia sub iudicibus & Dauide, & sub reliquis qui subsequuti sunt regibus: sin nouum, nota sunt angusta persecutionis tempora in quibus Apostoli uixerant, & qui secuti sunt. sancti martyres. Nota item nostra, in quibus sub aduersario iam in lucem ueniente per Euangelij claritatem, quæ ob professionem Christi pericula pij adeant, & quibus incipiant iactari aduersitatum procellis: contra uerò quanto fastu impij de rebus secundis efferantur, res ipsa docet. Quo autem seculo tranquillitatem per suum sabbatarium annum, deleto filio perdito cum impijs, ecclesia adipiscetur, ea de re suo loco & tempore, sicut alterius loci et instituti est explicare quid interfit inter nouum & uetus Testamentum à testatore, à conditionibus, à morte confirmatrice, ab hæredibus, & ab ipsa legata hæreditate, quodq; munus sit Mosæ & quod Christi, nec non quid differat spiritus timoris à spiritu adoptionis, quæq; sit utriusq; natura, atq; ut uterq; in pios, pficiscaẽ ex electionis gratia. pergamus.

Dabo uobis pluuias.) diuina ratione paratas, quibus terra ad fructificandum fœcunda reddatur. Sicut legimus apud Prophetam: Qui operit cœlum nubibus,

bibus, & parat terræ pluuiam. Hæ sunt aquæ cœlestes quas Deus in altero creationis mundi die uberandæ terræ distinxit ab ijs quæ infra cœlum sunt aquis. In his pluuijs umbra, ut in toto uetere opificio: ueritas in imbribus oraculorum Dei, de quibus illud: Concrescat in pluuiam doctrina mea, quæ in benedictione spirituali continetur.

Et terra gignet.) Vsus imbrium exponitur. Sequitur ordinem qui in opere creationis mundi seruatus fuit. Vbi secundo die paratis imbribus, tertio deinde terra in siccum redacta, iussa est fructus suos edere.

Et pomis arbores.) Nec desunt in benedictione spirituali arbores uberes fructus ferentes, de quibus Dominus: Aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos. item Propheta: Et erit tanquam arbor consita ad riuos aquarum, quæ tempore suo edit fructum.

Apprehendet messiũ tritura.] Periphrasis ubertatis agrorum & uinearum.

In saturitate.) Cibum ad satietatem eos sumpturos. contrà fit temporibus famis. Non satis esse abundare uictu, sed ad hunc diuinam quoq; benedictionem requiri, qua cibus in uiscera traiectus, nutriat. Tam latè patet prouidentia Dei: quam agnoscere, fidei opus est. Nec deest suus esurientibus in altera benedictione panis qui de se dicit: Ego sum panis uitæ.

Et absq; pauore.) hostilis incursionis. De pace uera ab hoste satana, peccato, morte, & horrendo iudicio Dei aduersus peccatum illud: Iustificati ex fide pacem habemus erga Deum. item: Hæc locutus sum uobis, ut pacem in me habeatis. quæ sæpe cum externa afflictione quam hic Moses suis abfuturam dicit, coniuncta est, ut in eodem loco sequitur: In mundo afflictionem habebitis.

Auferas malas bestias.] Tanta uis est obedientiæ legum, ut Israelitis cœlum, terra, fruges, hostes, feræ, & omnia pareant, restituto imperio quod primo Adamo tributum fuit: Dominamini piscibus maris. Feræ autem quas Christus in sua benedictione exterminat, sæuæ illæ ac immanes in uetere homine aduersus spiritum grassantes bestiæ sunt, cupiditas, ambitio, auaritia, ira, odium, inuidia, & immanes illi hostes, mundus, satanas, princeps mũdi, antichristus cum ministris suis.

Persequemini inimicos uestros.) Et si bellum erit gerendum, victoria penes uos erit. Victoria in altera benedictione occurrit, de qua illud: Hæc est victoria quæ uincit mundum, fides uestra. Hostes autem debellandi exponuntur ab Apostolo: Potestates mundi, rectores tenebrarum, spirituales nequitiæ. Armatura autem qua uincuntur, baltheus ueritatis, thorax iusticiæ, euangelium pacis, scutum fidei, gladius spiritus, galea salutaris, precatio, pœnitentia.

Persequentur quinq.) Facilis uictoriæ duce Domino reportandæ promissio. Numero quinario, qui dimidia denarij perfecti numeri pars est, notatur iustum & perfectum exercitum à paucis profligandum. sed qui sint sphæræ ex denario confectæ quasi centrũ, ut quinarius centrum est ex denario confecti orbis, sicut alio loco indicatum. par perfectio in millenario, & denis millibus cernitur.

Respiciam uos.) Metalepsis elegans in uerbo פנה, qua aduertere uultum, pro fauere, apud Hebræos usurpatur, quòd eos quos charos habemus, aspectu nostro dignamur: contrà ijs quos aspernamur, tergum obuertimus. Hinc illud apud Latinos, in oculis ferre.

Et crescere faciam.) ad præstandam sobolis copiam, quam Abrahamo pronuntiauerat: Ponamq; semen tuum sicut puluerem terræ. De altera benedictione qua spiritualis soboles augetur, uideris apud prophetam Iesaiam capite 54.

Firmabo pactum meum.) præstaturus quæ iam promitto.

Comedetis uetustissima.] Cum auctu liberorum coniungit abundantiã frugum, occurrens tacitæ obiectioni, præ copia uetera nouis cessura.

Ponam tabernaculum meum.) Typicum tempore Salomonis, uerum tempore patefacti cœlestis Salomonis, qui Messias: ipse est omnibus numeris præsentis diuinitatis expletus.

Ambulabo inter uos.] præstans benedictionis quæ omnes reliquas continet, promissio, Deum uelle familiariter inter suos benefaciendo uersari. Is Deus Messias est, qui præsens sub typis angelorum, nubis, propitiatorij, uaticinarũ, sacerdotij, regni inter Israelitas uersatus est, benedictionem eis pro ætate puerilli largiens: sine autem typis & umbris ipse hominis forma palàm apparere cœpit tempore noui fœderis, beneficijs mortis & resurrectione ex mortuis clarus, quæ in uarijs donis spiritus sancti, quem militi electis suis, cernuntur. De qua Messiæ Domini Dei nostri inter suos consuetudine Esaias his uerbis: Ecce Deus noster iste, quem expectauimus. Deus inquam Messias, qui ab initio promissus, expectatus à patribus, & in nouissimis temporibus mundi seruator & redemptor repræsentatus inter suos præsens spiritu Euangelij uitæ & gratiæ uersatur.

Ego Dominus.) Concludit hortationem.

Et qui confregi catenas.) מטה עלכם iora iugi uestri. Venustè iugo boum Aegyptiam seruitutẽ comparat, qua uelut iugo depressi, diuram seruitutem sentierint.

Vt incederetis erecti.] Opponitur demisso sub iugo incessui.

Quòd si non audieritis.) Contraria argumenta ab incommodis. Exponitur quæ rebelles infelicitas consecutura sit. Huius partes hæ ferè sunt: morbi, uastatio hostilis sementẽ uastãs, exiliũ, seruitus, sterilitas, cœlo ferreo reddito, et terra ænea, noxiæ animantes, obsidio, fames, ac rerum omnium inopia: & quæ maxima clades est, abalienatio Dei.

Et ad irritum perducatis pactum meum.] fœdere meo uiolato, in cuius conditionibus cautũ est, me uobis Deum fore, si uos meã iura seruetis, in quæ iuratis promittentes: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus.

In egestate.) בחלחה *terror ac horror est. Omnia futura terrore plena rebellibus. Partes maledictionis tam ordine explicabuntur. Opponitur* בחלחה *trã quillitati quam iustitia affert.*

Et ardore.) שחפת *nonnullis est λαχεξία, id est mala & infirma corporis affectio, ac ualetudo: cui cõtraria est εὐεξία. alijs ulcera sunt & pustulæ. Græcis ψώρα, id est impetigo ac scabies est. Hanc uocem non temerè aliàs, quàm hic & in Deuteronomio reperias.* קדחת *morbos denotat, quibus corpora inflã mantur, ut sunt febrium genera.*

Fruſtra ſeretis.] *hostibus omnia absumpturis & deperdituris. Contrà suprà: Apprehendet messium tritura uindemiam.*

Ponam faciem meam.] *In* מבני *ira notatur, quæ in uultu ut reliquæ affectiones appareat: ideo paraphrastes pro* מבני *habet* ברגזי.

Et corruetis coram hostibus.) *Contrà in benedictione est suprà: Persequemini inimicos uestros. Tã aduersa inter se afferunt iusticiæ & iniusticiæ studia sub iusto iudice Deo Messia, cui Deus pater dat omne iudicium.*

Fugietis.] *malè uobis conscij. contraria uis bonæ conscientiæ, quæ sola fortes uiros facit.*

Septuplum.] *Vt septenarius placationis diuinæ et expiatorius noxæ numerus est, ita contraria uindictam interdum uindictæ suus septenarius est, sicut septem bonis spiritibus alicubi septem mali genij opponuntur: ut probat illud Domini: Tunc uadet, & sumet septem alios spiritus nequiores se. Et apud Ioannem legimus: Draconem magnum habere capita septẽ. Numerus septenarius declarat plenam uindictam fore, qua diuina iustitia populi sui scelera persequatur.*

Duriciæ uestræ.) עזכם *cõtumaciæ uestræ: in malo uoce sumpta, sicut apud Danielem* מלך עז מגרים *pro cõtumaci ac impudenti. Sunt qui his uerbis* גאון עזכם *sanctuariũ ac templum indicari putãt, de quo apud Ezechielem legitur:* חנני מחלל את מקדשי *את גאון עזכם, id est ecce ego polluam sanctuariũ uestrum, superbiam fortitudinis uestræ.*

Cœlum ferreum.] *negans tempestiuos imbres. Contrà suprà: Et dabo tempestiuas pluuias. Nota duritiei ferri. Minatur sterilitatem. Quod hic ferreum cœlum est, alicubi clausum cœlum dicitur, ut in libris Regum, Clausum si fuerit cœlũ. Huius maledictionis exemplum extat 3. Regum 17.*

Et terram æneam.) *suos malignè laturam fructus, similia in maledictione spirituali reperias, male dictam terram fructus suos non ferentem, de qua Dominus, Discedite à me maledicti, carentes nimirũ imbribus oraculorũ Dei et fœtifica luce quæ de se dicit: Ego sum lux uera.*

Consumatur incassum.] *cœlo & terra uobis infensis. Hæc est maledictio à peccato exorta ãduersus quod rerum uniuersitas armatur. sic in maledictione spirituali hypocritæ nequaquam uires suas ad comparandam æternã uitam consumentes audient illud: Non quisquis dicit, Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum. Laborant & hi, sed fruſtra, destituti siquidem eo, in quo solo omnis labor, actio & studia fructuosa sunt: de quo apud Apostolũ. Cõduti in Christo Iesu ad bona opera quæ præparauit Deus, ut in eis ambularemus.*

Bestias agri.) *Minatur agrestium ferarum incursionem. Contrà suprà: Auferam malas bestias. Et in nouo fœdere exempla sunt sanctis noxias animantes non nocuisse. Exemplũ de iupera extat in Actis. Hinc clara apud Esaiam prophetam promissio de sanctorum potestate in feras habetur. Oraculũ hoc Mosaicum repetitur ab Ezechiele: Immittam in uos famem & bestias pessimas usq; ad internitionem.*

Quæ consumant uos.] אכלחן *orbent uos liberis, absumptis uidelicet à feris. Cernuntur etiam in altera maledictione sui lupi, ursi, leones, pardi, dracones, omnia in ecclesia grege Dei peruastantes. De lupis in Actis: Ego enim noui quòd ingressuri sunt post discessum meum lupi graues in uos nõ parcentes gregi. De dracone Ioannes: Et proiectus est Draco serpens antiquus qui uocatur diabolus, seducens totum terrarum orbem. Occurrit item & sæua bestia pedes ursi, os leoni, cætera uerò pardo similis, cui draco uirtutem dat omnia in ecclesia disperdendi, qui antichristus est. de qua bestia Daniel, Christus ipse, & Apostolus, & Ioannes in Apocalypsi meminerunt.*

Sed ambulaueritis ex aduerso mihi.) *Hebraica phrasis cõtumaciæ phrasis est. Itaq; Chaldæus pro* קרי *habet* בקשי.

Gladiũ ultorem.) *Contrà suprà: Gladius non inuadet in terminos uestros. Si statum ecclesiæ qui sub antichristo degitur spectes, & eos qui in hac Euangelij postliminio reuocati luce tam ingratos aduersus Christi beneficia adeò turpiter uiuendo se gerunt, facile cognoscetur, eas quas Moses rebellibus Israelitis intentat maledictiones, ad nos quoq; pertinere. Monet enim alicubi Apostolus: Hæc omnia in figura contigerunt illis, scripta autem sunt propter admonitionem nostri, in quos termini ætatũ inciderunt. Itaq; nõ est mirum tot calamitatibus ecclesiam hodie infestari cœlo ferreo, terra ænea, sterilitate, tot et tam uarijs & sine exemplo morbis, publicis motibus & bellis. Sic sunt scelera nostra & iustum Dei iudicium, quod is semper solitus est manifestato uerbo suo in sceleratos exercere. Bipartitũ igitur cum sit maledictionis diuinæ genus, alterum externum, alterum spirituale, in utrunq; Israelitarũ gens destituta regno & sacerdotio, & Christianorum sub antichristo omnia pol luente, ecclesia incidit.*

Vltorem fœderis mei.) *ueteris in Israelitas qui ex carne circumcisa tales sunt, noui in eos qui spiritu circumcisos se Israelitas gloriantur.*

Cumq; confugeritis in urbes.) *metu hostium. contrà suprà: Persequemini inimicos uestros.*

Mittam pestilentiam.) *ut solet hostilem gladiũ dum omnia absumuntur, & urbes obsidione cinguntur, fames, & hanc pestis consequi. Meminit trium communium cladium, belli, famis, pestis. Exemplum*

niſerrimæ obſidionis & famis, quarto libro Reg. capite ſexto legitur.

Baculum panis.) Baculis ne labamur greſſus noſtros fulcimus & regimus. Iude tropus ad præſidũ mutuatus. Paraphraſtes igit̃ pro מטה habet סעיד. Sic alibi apud Prophetam panis משען appellatur.

Decem mulieres.] ſolitæ panes pinſere. Veluti apud Samuelem legimus: Filias ueſtras faciet ſibi unguentarias, forarias, panificas. Vſurpatur hic denarius qui ſit סה חחשבון.

Ad pondus.) ob annonæ anguſtiam, in qua ponderantur, non numerantur panes, contrà fit in uilitate. Grauis hæc eſt maledictio, ſed longè grauior altera in qua fames ſentitur, de qua Amos Propheta: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & mittam famem in terram, non famem panis, neq; ſitim aquæ, ſed audiendi uerbum Domini. Intueamur noſtra tempora.

Et non ſaturabimini.) Eſt fames quæ cibo modico ſedatur: eſt item quã uix copioſo ſarcias. Atq; hæc præcipuè in maledictione diuina eſt.

Carnes liberorum.) Horrendũ ſupplicium. Huius exemplum in libris Regum narratur, & in lugubri Hieremiæ carmine. Manus mulierũ miſericordiũ coxerunt filios ſuos. Idem accidit Hieroſolymis in poſtrema obſidione à Romanis facta. Meminit Ioſephus libro ſeptimo de bello Iudaico, mulierem quandam nomine Mariam tempore obſidionis Hieroſolymitanæ filium præ fame coctum comediſſe. Procul dubio hanc calamitatẽ Moſes magnus Propheta prædixit.

Excelſa ueſtra.) aras dijs falſis extructas.

Et ſimulacra.) Soli ſacrata. Sic interpretantur חמנים uerbo ab חמה qui ſol eſt deriuato.

Atq; cadetis inter ruinas.] Ad irridendam uanitatem falſorum deorum. Hos cadaucra uocat, & eos גלולים id eſt ſtercora contẽptim appellat. enim huiuſmodi eſt, ut ex libro priore Samuelis patet.

Et abominabitur.) Contrà ſuprà: Et non abominabitur.

Et deſerta faciam.] Contrà in benedictione: Ponam tabernaculum meum apud uos. Direpti templi & incenſi à Nabuchodonoſore exemplum extat in libris Regum, & uaſtatæ Hieroſolymæ cum templo à Tito Veſpaſiano hiſtoria nota eſt ex Ioſepho. prædixerat hanc uaſtationem Daniel. ſed quam longè antea prædixiſſet uates Moſes, ut meritò hunc fontẽ Prophetarum appelles. Atq; umbra in ueteris templi à Salomone extructi euerſione, ueritas in profanatione eius tẽpli in quo antichriſtus ſedet profanator, de quo his uerbis Apoſtolus: Adeò ut in templo Dei ſedeat, loquens de filio perdito. Qui locus Apoſtoli explicat deteſtabilis uaſtationis ſignificationem cuius Chriſtus ex Danielc meminit: Cũ uideritis abominationẽ deſolationis q̃ dicta eſt à Daniele ꝓpheta, Stantẽ in loco ſancto. Iſraelitæ igitur q tẽplo deſtructo et Hieroſolyma uaſtata à terra ſua per terrarum orbem miſerè diſperſi uagantur utriq; maledictioni obnoxi ij ſunt, terrenæ & ſpirituali. Alterã ſentiunt tanto exilio et tam diuturno oppreſſi: alterã dum Chriſti euangelio carentes, bonam conſcientiam tueri nequeunt.

Odorẽ ſuauiſsimũ.] ſacrificiorũ, deſtructis aris & ſanctuario, ablato ſacerdotio cũ toto eius cultu.

Et ſtupebunt ſuper ea inimici.] Scita agnominatio in ושממתי & וישממו. At in alijs ſtupor, de quo Moſes hic: in alijs ſubſannatio, de qua Hieremias: Et mouerunt capita ſua ſuper filia Hieruſalem: Hæcine eſt urbs, dicentes, perfecti decoris gaudiũ in uniuerſa terra. Cæterùm cum tripartita ſit adminiſtratio, domeſtica, ciuilis, eccleſiaſtica ſingulas deuaſtan das minatur: domeſticam quidem, re familiari & liberis diſſipatis, cuiulẽ ciuibus in exilium miſsis, & reb. uaſtata: Eccleſiaſticam, ſacris deletis. Conſiderata profanatione ſpirituali per antichriſtum inuecta, ut is œconomicam, ciuilem, & eccleſiaſticã poteſtatem labefactet, in confeſſo eſt, & ſuprà indicatum.

Vos autem diſpergam in gentes.) Exilium Iſraelitarum apud Aſſyriorum gentẽ, & Iudæorum apud Babylonios notam: ſed longè miſerrima Iudæorum in omnes orbis terrarum fines diſperſio, in quam etiãnum ſunt, facta eſt per Romanos, de qua ex Daniele apud Lucam: Et cadent acie gladij, & captiui ducentur in omnes gentes.

Tum placebunt terræ.) Nonnulli תרצה pro expiabit. Expiabit culpam neglectorum ſabbatorum in iſto toto uaſtitatis ſuæ tempore. Atque ſic uindicata noxa in rebelles, placabit iram diuinam. Citant ſimile locũ ubi תרצה ualeat תשלים ex Iobo בשביד יומר.

Dabo pauorem.) Contrà ſuprà: Et abſq; pauore habitabitis. Hebræus מרך, id eſt molliciem exprobrat, qualis in eſt pauore affectis.

Terrebit eos ſonitus folij.) Hypotypoſis trepidantium in fuga.

Reſiſtere.) depreſſi iugo ſeruitutis, ſub quo erecturos ſe non eſſe.

Peribitis inter gentes.) donec harum temporã impleantur. Legimus enim apud Lucam, Calcabitur Hieruſalẽ à gentib. donec impleantur tempora gentium. Quid aũt ſit impletio gentium, quidq; Hieroſolymæ calcatio, & quam diſperſionẽ Iſraelitarũ diſſerſio adumbret, unctio doceat. Referendus huc locus Apoſtoli: Donec plenitudo gentium aduenerit, & ſic totus Iſrael ſaluus erit.

Et hoſtilis nos terra.) quos ueſtra terra non potuit ferre.

Et propter peccata patrum ſuorum.) eorum imitantes perfidiam. Alioqui uerũ manet illud: Filius non portabit iniquitatem patris ſui.

Donec confiteanti.) per domiti uarijs calamitatibus ad uos redeuntes tandem recepto euangelio Chriſti, quem hac acclamatione excipietis: Benedictus qui uenit in nomine Domini. Huc pertinet illud Apoſtoli: Sic & iſti nunc increduli facti ſunt, ut & ipſi miſericordiam conſequantur.

Donec erubeſcat.] בגע deijciendi uerbum aptum pœnitentiæ, opponitur cõtumaciæ, quæ ſuprà

Incir-

toties damnata eſt.

Incircuncisa mens.] præputio errorum & peruicaciæ in malo obducta. Detegitur figura præputij carnalis.

Et recordabor.) patefacto filio meo Messia.

Fœderis mei.) sed uetere, quod uiolarunt commutando in nouum, quod non uiolabūt. De quo illud, Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel: post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in uisceribus eorum. Exponitur ratio expediendæ salutis electorum, primum locum tenente fœdere electionis diuinæ: alterum, uocatione ad pœnitentiam fractorū afflictione: tertium, reconciliatione quæ fide capitur ad sanctificationem, & innouationem nostri per spiritum charitatis: quartum bonorum quæ reconciliationem sequantur, præstatione. De singulis uideris in textu.

Quod pepigi cum Iacob.) me eorū posteris Deū affuturum. Huc referatur illud Apostoli: Secundū Euangelium quidem inimici propter uos, secundum electionem autem dilecti propter patres.

Terræ quoq; memor ero.) iam uastæ. quæ ubi Israelitarum gens mihi conciliabitur, quoq; nitori restituta reflorescet, in eam reuocato ex cunctis terræ finibus selecto populo. quo aūt id Dei consilio futurū sit, de eo aliàs. Carnales aūt benedictiones cū spiritualibus non pugnare, suprà indicatū. Nos legimus illud: Subiecit omnia pedibus eius. Dicas, Danielis oraculum omnia uastata fore usq; ad finē monet. De quo alio loco.

Attamen etiam cum essent.] Correctio plena cōsolationis. Suprà intentarat: Et abominabitur uos anima mea: hic non penitus abiecit eos. Exponuntur parentum in liberos affectus, qui in media indignatione clementiam suam celare nequeunt. Hæc repudiatio nō odio in uos quos totos contererem, profecta est, sed amore, ut sic castigatos reducerem in uiam. Nam quos elegi in patribus odisse nunquam potero, ut per me pereant. Hinc Apostolus: Nam dona quidem & uocatio Dei huiusmodi sunt, ut eorū illum pœnitere nō possit. Locus de cōstantia diuinæ electionis & stabili electorum salute nunquā neq; peccato, neq; calamitatibus, neq; morte, neq; ulla cōtraria ui potestatū cōcutiēdo. Hinc illud: Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? quis separabit à dilectione Dei? nū afflictio, nū angustia, nū pſecutio? imò hæc omnia cedere in bonū ijs quorū nomina scripta sunt in fœdere diuino, declarat præsens Mosæ uaticinium, & illud Apostoli: Scimus aūt quòd his qui diligunt Deū omnia simul adiumento sunt in bonum, nimirum his qui ex proposito uocati sunt. Hæc electionis nostri fides animos confirmarit de nunquam interuertenda salute aduersus omnes tēntationes, de qua Dominus: Sed gaudete quòd nomina uestra scripta sunt in cœlis.

Ipli rogabunt.) ירצו, id est, expiabunt peccata sua igni tantarum & tot calamitatum purgati, agnita una expiatoria hostia Christo, quem tandem aliquā do sospitatorem mundi profitebuntur, proclamantes: Benedictus qui uenit in nomine Domini. De qua Israelitarū conuersione ad Euangelium, Oseas claro oraculo sic prædicit: Posthæc reuertentur filij Israel, et quærent Dūm Deū suū, & Dauid regē suū. itē Ezechiel: Et seruus meus Dauid rex super eos, & pastor unus erit rex eorum. Quæ recōciliatio amplissimas diuitias notitiæ Euangelij mundo allatura erit. de quibus illud Apostoli: Quòd si lapsus illorū diuitiæ sunt mundi, & diminutio illorum diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo illorum?

Vt consumerentur.) Qui dico apud prophetam: Nolo mortē impij sed ut cōuertatur à uia sua, et uiuat.

Ego enim Dominus.] bonus, qui deserere meos in filio nequeam: potens, qui præstare possim quæ promisero: & uerax, qui fallere fidem semel datā nequeā. Atq; in hac confessione quæ fidei est, consistit iusticia, omnisq; sanctorū salus, et amplificatio nominis diuini.

Fœderis mei pristini.] primò cū Abrahamo icti, deinde in monte Sina renouati, demum in nouissimo tempore eodem nouo reddēdo animis uestris filij spiritu circumcisis, nō carnis præputio amputato. Vt infrà Moses habet: Circuncidet Dominus Deus cor tuum.

Quando eduxi uos.) Ab exemplo pristinæ redemptionis.

In conspectu gentium.) Aegyptiorū & Arabū, in oculis eorum propter uos, & ad nominis mei maiestatem declarandam maximis ostentis editis.

Hæc sunt iudicia.) iura quæ in uos iuraſtis: Facietis omnia quæ Deus locutus est.

IN CAPVT XXVII.

Homo qui uotum fecerit.] Vota tractantur hic & decimæ: quorum utrumq; ad tuendum sacerdotij cultum magnum momentū habebat. Quod ad uota attinet: Votū consecratio erat uoluntaria qua aut se aut res suas ad fruendum quod expeterēt, beneficio Deo consecrabant. Nā hic נדר, id est uotū & חרם, id est cōsecratio pro eodē sumūtur, ut ex textu patet. Dicitur uoluntaria. Etenim uota sic spontanea erant, ut omitti citra noxā possent. Vt infrà Moses dicit: Si uerò nolueris uotū nuncupare, absq; peccato eris. Quod inijciur, ex oraculorū Dei sententia. Quæ igitur dijs alienis fiebant uota, minimè in uotis censebantur. Duo aūt uotorū genera in lege cōmemorantur: unum, quo certū ad capiendā aliquā à Deo opē, sacrificiū uouebatur, eius redimendi ratione nulla habita: De hoc genere suprà. Alterū genus erat consecratio, qua quis aut se, aut liberos suos, aut agros, aut domos. sed quorū redimendorū ius esset, cōsecrabat. De hoc genere in præsentia. Distinguebantur huius generis uota à reb. quæ Deo uouebantur, hominibus, pecore, agris, domibus. Atq; hæc ut genere ipso discrepabāt, ita etiā redimendi iure. Neq; in eodem genere eadem redimendi lex cernebatur. Sed si homines spectes, in ætate & sexu: si pecora, in uitio & integritate discrimen seruabatur. Erant quædā quæ omnino uouere fas non erat, nonnulla quæ uota quum essent, redimere non licebat. De singulis suis locis. Quòd uerò ad usum attinet uotorum, is bipartitus erat: unus, in inuocatione nominis diuini ad obtinendas res expetitas: alter, in conseruatione Leuitici sacerdotij si eclabatur. Sic enim diuinæ sapiētiæ placuit, ut ex primitiis

frugibus, spontaneis donis & sacrificijs, atq; ex decimis sacerdotalis Leuitarum gens, cui in terra Chananæa nulla ad uictũ portio cederet, aleretur. At consecrationibus legalibus ex altera parte unica illa in nouo fœdere nostri per pœnitentiam consecratio respondet, qua Christo initiati per baptismũ, nos & nostra omnia per illum Deo nostra sponte consecramus. De qua nuncupatione Apostolus his uerbis: An ignoratis quicunq; baptizati sumus in Christum Iesum in mortem eius baptizati sumus, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. His uerbis signatè explanatur consecratio ad nouam uitam. Huius consecrationis usus ac finis est gloriosus status, atq; transformatio nostri in diuinã naturã, & amplificatio Dei in Christo, quæ illud ultimũ & extremum diuinorũ operũ ad quod omnia referantur, censeri debet. Quare ut in legalib. uotis, qui se uouissent Deo, redẽpti precio gratũ uotũ nuncuparunt. ita in Euangelicis quoq; uotis Deo deuoti sancti homines in Christo uero illo redemptorio precio acceptam sui consecrationem faciunt. In consecrationibus igitur Mosaicis quantũ ad externa, ad ipsa uidelicet sacrificia, preciũ redemptionis attinet, umbra: in Christianis ueritas & res ipsa deposita umbra spectatur. Quò magis in aduersarij regnoiquæ tradita est & suscepta uouendi consuetudo, reprobanda fuerit. Nam hæc neq; Mosaica lege quæ abrogata sit, confirmatur: neq; Euangelio, quod liberũ est à mundi elementis, cõsentanea sunt, imò contraria omnia nouo fœderi ac regno Christi habent. fœdus enim nouum in animis sancitum sacrificiorum, uestitus, ciborum, temporum respectum nullum tenet. idem de de regno iudicium de quo legimus: Regnum Dei non uenit cum obseruatione, rerũ uidelicet externarũ, sed ut Apostolus interpretatur, iusticia est, pax, et gaudiũ, in spiritu sancto, non uestitus, potus, cibi. Huius generis igitur uota nõ solum salutaria non sunt, sed etiã culpam habent. Nam cum uerbo Dei nullo muniuntur, etiã ex fide quæ solo Dei uerbo nititur, fieri nequeũt. Hac aũt consilia, studiaq; nostra destituta, ut in noxa sint, docet his uerbis Apostolus: Quicquid ex fide non est, peccatũ est. Dicas: Sacræ literæ monẽt uouẽdũ ex fide esse, & maturè quæ uoueris, præstãda. Sic enim legimus: Vouete & reddite. itẽ, Si quid uouisti Deo memineris reddere. bene quidem monent uouendum esse, sed ita ut uoueas ad normam ac præscriptũ uerbi Dei non hominũ: sicut in lege uouebatur ex sententia legis Mosaicæ, & in nouo fœdere pœnitentiæ consecratio nuncupatur in baptismo, & præstatur à nobis uersantibus in nouæ uitæ studijs per fidei et charitatis spiritum, idq; ex lege Euangelij qua hæc consecratio sanctis commendatur.

Domino.] ad usum sanctuarij.

Animam suam.) Pluralis numerus נפשות homines et pecora cõplectitur. Legitur enim: Si fuerit mas. item, Si fuerit iumentum.

Sub æstimatione.] ex censu à sacerdotibus facto, quorũ munus erat rerũ Deo consecratarũ precia æstimare. Infrà enim legimus: Adducetur ad sacerdotem. Hinc dicunt nõnulli legi בערכך nõ בערך relatiuo secundæ personæ sacerdotem nobis referente. Veritas in Christo sacerdote cernitur, cuius est sanctorum dignitatis censum agere, & persolutũ precium in sacrarij sui usum conferre. Duplex hominũ census legitur in sacris literis. Vnus, quo quisq; uiginti aut amplius natus annos dimidio sicli se redimebat: alter, qua uoto obstricti redimebantur. de hoc in præsentiarum, de illo in Exodo capite 30. mentio facta.

A uicesimo anno.) à maribus ut præcipuo sexu, & ab ea illorum ætate quæ ad militiam expeditur, incipit. De qua suprà in Exodo. De uero precio legimus: Precio empti estis. In quo uoti per baptismum grati redduntur Deo. iuxta illud: Quicunq; baptizati estis in Christum Iesum.

Ad sexagesimum.) Quo militaris ætatis uigor debilitatus apparet, sanctorũ militia aduersus carnẽ, mundum, satanam, in sui nuncupatione per pœnitentiæ baptismum satis nota.

Quinquaginta sicli.) Quinquagenarius redemptionis et placationis diuinæ numerus sicli redempcionis conuenit: de quo paulo suprà ex Apostolo. Quinquaginta siclos anni quadraginta qui fluunt à uicenario ad sexagenarium conficiunt. Quarta igitur supra annorum sortem siclorum pars additur. Nã quinquaginta continent, & quartam eorũ partem qui denarius est. Ratio sapientibus perpendenda fuerit. Quadragenarius annorum qui fluunt à uicenario ad sexagenarium, numerus pœnitentiæ sacratur & afflictioni. Sic quadraginta dierum & noctium pluuia per diluium, cui pœnitentiæ baptismus interprete Petro respondet, mundum purgauit. Sic Israelitæ quadraginta annos in deserto miserè afflicti sunt priusquam terram obtinerent promissam.

Si mulier triginta.] Fœmina igitur dimidiũ uirilis census continet, & decimam eius partẽ. Triginta enim 25. siclos complectuntur, qui dimidia pars sunt quinquagenarij, et insuper quinq; siclos decimã quinquagenarij partẽ. Proinde fœminæ supra annorũ sortem nihil penderint, quarum perfectio in uiro conteneatur, quam decima pars indicat. Depone uelum, occiarret Christus & ecclesia.

A quinto autem anno.] Creseit census prouoboris & uirium incremento ad uicesimum, qui militaris est annus. A quinto aũt anno ad uicenariũ quindecim anni labuntur, qui in uiginti continentur, cum tertia sua parte qui quinarius est. Pondus igitur quinquaginta siclorum tanquam plenum redemptionis precium pro modo facultatis cuiusq; adhibetur adrecidendum. Si Christum precium consideras, occurrit illud: Vnicuiq; nostrũm data est gratia, iuxta mensuram donationis Christi.

Ab uno mense.) Itaq; infra mensem nulla fit æstimatio. In hac ætate masculo supra annorum sortem, census non augetur. Pueri non suo, sed parentum uoto consecrantur Deo. exemplo Hanna est, quæ Samuelẽ priusquam natus esset, Deo uouit.

Pro

Pro fœmina tres.) Qui census uirilis dimidiam partem continet, & decimam quinarij partem.

Sexagenarius.) Senilis ætatis numerus, in qua ut uigor, ita etiam census minuitur.

Fœmina decem.) Hic fœmina mari propinquior fit. Supputes numeros. At remota umbra legimus: In Christo neq; mas est, neq; fœmina, sed noua creatura.

Si pauper fuerit.] Paupertatis habetur ratio. Deposito uelo, cognoscimus ex electis neminem esse cui precium redemptorium Christus quo se redimat, negatum sit. Huc refer as talentorum rationem.

Animal aũt quod immolari potest.] Munda animantia Deo cõsecrata per uotũ, redimi nõ posse. Veritas in Christo pura puta hostia apparet cuncta redimente, & à nemine redimenda. Hominem igitur quẽ immolare in ara nefas sit, redimi: animantia in hostias destinata non redimi. De Ieph. hæ uoto infrà in libro Iudicum meminerimus.

Animal immundum.) Hoc redimi ad expiandam noxam, ineptum sit. Quæ sint impuræ animantes redimendæ precio, declarat Propheta: Propter scelera populi mei percussi eum.

Quintam partem.) De mystica ratione quintæ partis alias. Quinarius denarij qui decimis dicatur, dimidia pars est.

Qui dijudicans.] Præclarum sacerdotij munus. Quomodo falsò aduersarius auricularem cõfessionem ex his quæ hic traduntur, constituerit, manifestius est quàm ut interfit probare.

Venundabitur.] יקרם, pro יעבד. Sic sacerdotis æstimationi standũ tropo noto: stare, pro ratum esse.

Si triginta modijs hordei.) Sententia: Agrũ qui coro seminis hordei conseritur sic quidã: alij, qui corũ seminis quotannis ferat, quinquaginta siclos valere. Iosepho autore corus decẽ Atticos modios continet. Paraphrastes pro חמר habet כר qui corus est. similiter Græci, λόγος.

Quinquaginta siclis.) Ager si Deo consecratus fuerit à principio Iubilei, numerandi erunt quinquagemi sicli à redemptore: sin post Iubileum, subducta annorũ qui ad illum residui sunt ratione ineunda æstimatio, singulis annis siclo soluta.

Sin autem post aliquantulum temporis.] Vt si quis, exempli gratia, uigesimo à Iubileo consecrarit agrum suum Deo, pro annorũ qui residui erunt ad Iubileum numero pendat preciũ, hoc est triginta siclos, & quintam eorũ quæ sex siclos efficit partẽ. Quãobrem omnia Deo sacrata sine usura nõ redimuntur. Mysterij partem aperit Christus in sermone de talentis.

Et possessio consecrata.] חרם in textu est, qđ de notat rẽ Deo deuotã, & ab omni humano usu abdicatã. De qua uoce mox. Quædam igitur in deuotis rebus erãt, quæ sacerdotũ usui cedebant, in aliũ nõ trãsferenda, quædam quæ omnino disperderentur.

Adius pertinebit sacerdotum.) ut omnia anathemata. iuxta illud: בל חרם בישראל לך יהיה. Locus de præstanti dignitate sacerdotij, cui cedant quæ Domino consecrantur & deuouentur: qui alio loco Leuitarum partem se uocat. In quo sacerdotio ueritas, rẽ uoluto uelo notum.

Si autem ager emptus est.) Interesse aliquid inter agros empticios & hereditarios. Horũ possessionẽ & fructus si redempti ante Iubileum non sint, in Iubileo sacerdoti cedere: illorum fructus solum, non possessionem, hac ad eum iuxta communem Iubilei legẽ qui primùm uendiderit, redeunte.

Omnis æstimatio sicli sanctuarij.) eo quatuor drachmas Atticas continente, quas dicunt semissem aurei nostratis ualere. uocatur & stater. At de siclo suprà in Exodo.

Viginti obolos.] qui quatuor drachmas Atticas ualent, quos Hebræi גרה & בקע appellant.

Primogenita.] tam ex hominibus, quàm ex pecoribus. quæ ut sibi delegerit Dominus, patet ex Exodo 13. Vt autem primogenita ex hominibus redimi solita sint, in Numeris docebitur.

Domini sunt.) iam antea iure primogenituræ. intuendus Christus primogenitus uniuersæ creaturæ & primitiæ de quibus illud: Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & agno. Apocalyp. 14.

Quòd si immundum animal.] De asino legitur, ut sit redimendus oue. Sunt qui hæc non de immundis animantibus primogenitis intelligunt, quæ, ut ipsi uolunt, nusquam precio redempta leguntur. alij aliter, redimi illa precio solita, addita quinta parte.

Omne quod Domino consecratur.] חרם res Deo cõsecrata est, nõ leuiter, sed deuota cũ execratione eius quã in alium usum uertat, ab excindendo uoce ducta. Sic Israelitæ gentem aliquã deleturi, ex mandato diuino eam cũ animantib. & opib. suis Deo execrabundi deuouebant. Huc spectãs Apostolus Paulus חרם explicans dicit: Optarim anathema esse à Christo pro fratribus meis. Atq; apud ueteres anathema dicti sunt sacri homines quorũ capita dijs inferis deuota essent.

Siue homo fuerit.) Scelerati Deo deuouebantur ad exitiũ, quos nec uendere, nec redimere licebat. Hoc modo Amalechitæ deuoti fuere. Sic deuotus Achan filius Charmi, qui de anathemate Hierichuntino clàm surripuisset. Sic deuouit gens Israelitica Aradum regem Chananæum: Si tradideris populũ istũ in manum meam, delebo urbes eius. Numeri 21.

Siue animal.) Sic pecora Amalechitarum deuota fuere: quibus cum Saul pepercisset, exitiali crimine se obligauit.

Omnis consecratio quæ offertur.) Si homines spectes, de sceleratis intelligitur, quos ius sit ex diuina sententia deuouere, non de probis. In utrisq; igitur, & pijs et impijs, gloria Dei agitur: in his, si cõmendata iustitia diuina, iustè pereãt: in illis bonitas, si seruentur: alteris ad exitium iusto Dei iudicio deuotis, alteris ad salutẽ bonitate eiusdẽ destinatis. Vnde accipimus etiã sacros illos qui uasa iræ diuinæ sunt deseruire usui sanctorũ, ea lege cuius meminit Apostolus his uerbis: Tulit multa animi lenitate uasa iræ apparata in interitum, ut notas faceret diuitias gloriæ suæ erga uasa misericordiæ quæ præparauerat in gloriam.

Omnes

Omnes decimæ terræ.) Locus de decimis, quarum primò ortus ac antiquitas, deinde genera, postremò usus considerandus fuerit. Antiquitas decimarũ nota est ex Genesi. legitur enim Abrahamus decimas spoliorum suorum pendisse Melchizedeco regi Solymorũ. Simile de Iacobo extat exemplum, qui opum suarum quas parauerat apud Labanem decimas Bethele soluit, quas uouerat cum fugeret iratum in se Esaum. Est in historijs profanis quoq; gentiũ principibus ut Herculi decimas tribui solitas. Quem morem proculdubio à patriarchis acceperunt, ut hic Mosem non nouam de dandis decimis legem tulisse. sed ueterem consuetudinẽ in literas relatã repetiuisse intelligamus. Quod ad genera attinet, tria decimarum genera cognoscuntur. Vnum, earum quæ Leuitis singulis annis ab Israelitis dabantur: alterũ, quod Leuitæ pendebant Aaroni pontifici de ijs decimis quas ab Israelitis acceperant, de quibus mox in Numeris: tertiũ, quod præter generales decimas tertio quoq; anno ad pauperum ad Leuitarum & peregrinorum inopiam subleuandam reponebatur. De quo in Deuteronomio: Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi, & reponas intra ianuas tuas. Quòd demum ad usum attinet, is tribus in rebus cernitur. una est, agnoscere omnia quæ tum è terra eduntur, tum ab animantibus procreantur, diuina bonitate ad nostrum usum gigni, quod testabãtur pendentes decimas Deo, eo tanquam principe & gubernatore agnito, in quo omnia bona in nos proficiscerentur. Sic Abrahamus decimas dans Melchisedeco, cum & regem & sacerdotem Dei, & ita maiorem se agnouit, à quo & ipse cum posteris suis fuit benedictus tanquam minor à maiore, ut Apostolus his uerbis indicat: Porrò nemo negat quin id quod minus est, ab eo quod maius est benedictionem accipiat. Alter usus erat conseruatio ordinis sacerdotalis, qui destitutus hæreditate in terra Chananæa, ut decimis sustentaretur, uisum est Deo. Tertius in adumbrandis spiritualibus decimis, quas Deo pendunt sancti, spectatur. Primò enim admonemur decimarũ figura, ut eam perfectionem Deo exhibeamus, quam commendat nobis Dominus his uerbis: Eritis ergo uos perfecti, quemadmodum pater uester qui est in cœlis perfectus est. In quo autem posita sit hæc perfectio, et quomodo præstetur, ea de re alio loco. quæ perfectio denario numero qui summa numerorũ est, indicatur: Secundò monemur ut de ijs quæ nobis sunt diuinitus tributa, numeribus, primitias & decimas spirituales pendamus. Primitias quidem, fatendo Deum omnium quæ in nobis sunt bonorum originem esse: & Christũ primogenitum uniuersæ creaturæ, in quo & per quẽ omnis salus ad nos dimanet: decimas uerò, cum fatemur Deum, ut principiũ est omnium ita finem esse qui denario numerorũ fine significatur. Vltra hunc enim numerũ nulla ingenij uis, nulla gẽs progreditur. Deũ quoniam principiũ & finis est omnium, legimus apud prophetam de se dicentem: Ego sum primus & nouissimus. Deinde decimas damus, cum agnoscimus omnem usum profectum, & perfectionem rerum in nobis præstantium, ad Dei gloriam & amplificationem debere referri, siue corporis fuerint dotes, ut sunt valetudo, pulchritudo, robur, agilitas: siue externa bona, ordo, pulchritudo, robur, agilitas: siue externa bona, opes, potentia, gloria, liberi: siue animi munera, ut ingenij celeritas, memoria, prudentia: et quæ in eo sunt spiritus sancti munera, fides, sapientia, noticia mysteriorum crucis & regni cœlorum, peritia docendi res sacras pertinentes ad comparandam uitam æternam. Itaq; Pharao quũ contemptim interrogaret de Deo Israelis, dicens, Quis est Dominus ut audiam: decimas nequaquam soluit Deo, neq; Assur ostentans potentiã suam & fortitudinem aduersus Hierosolymæ Deum primitias & decimas suas Deo sacrauit, superbè iactans: In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi. Simile exemplum cernitur in Nabuchodonosore, Antiocho & eius generis superbis regibus. Sed omnium minimè Deo primitias & decimas suas pendit aduersarius ille in omnia, in infera, terrestria, supera principatu sibi uindicato, qui ausit iactare sub typo Nabuchodonosoris: In cœlum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum. De quo Apostolus: Extenditur aduersus omnem qui dicitur Deus aut numẽ. Atq; is non contentus suas decimas Deo non tribuere, alienas etiam ab hominib. extorquet, quos in hominũ male feriatorum usum distribuat. Qua in re duplici nomine peccat: uno, quòd fretus Mosaicæ legis quæ una cum sacerdotio translata sit, illas exprimit. Sancit enim lege sua: Decimæ à Deo constitutæ sunt per Mosem Leuitis, debent igitur & nobis persolui. In qua lege non perpendit illud Apostoli: Hæc sunt umbra rerum futurarum. Corpus autem Christi. item: Lex & prophetæ usq; ad Ioannem. Altero, quod eas largitur hominibus ad ministerium uerbi Dei prorsus ineptis: Dicas: Ergo in administratione noui fœderis omnino decimæ pendendæ non erunt? Debent quidem pendi, sed non ex autoritate legis Mosaicæ, ut aduersarij uolunt, sed ui consuetudinis inueteratæ ad cauendos motus ciuiles, & ad conseruandas legitimas Ecclesiæ functiones, hoc est, administros uerbi, ad scholarũ magistros, ad uiduas & pupillos alendos. In quorum cultum ac uictum olim publico consensu in Ecclesiarum ministeria fouenda decimæ sunt assignatæ. Quare siue sextæ, siue octauæ, siue nonæ, siue decimæ, siue duodecimæ tribuantur noui Testamenti ministris, nihil refert, dum ueritas uerarum decimarum retineatur. In decimis igitur quæ hodie soluũtur, cognoscendum fuerit illud Apostoli: Nemo uos iudicet in cibo aut parte diei festi. Nam quemadmodũ nihil retulerit ad cultũ Dei, quo cibo uescare, qua die feriias agas: ita nihil interfuerit, siue septimas, siue decimas pendas, modò ministris Ecclesiarũ uiduis & pupillis prouisum sit. Stat enim illud Apostoli firmũ: Sic enim Dñs ordinauit, ut qui Euangelium annunciant, ex Euangelio uiuant. item: An nescitis quòd ij qui in sacris operantur, ex sacrificio uiuunt? Huc etiam pertinet eiusdem Apostoli sententia de potestate ciuili: Propter hoc enim & uectigalia soluite, siquidem ministri Dei sunt. Regibus aũt ut decimæ soluantur, iure gentium receptum est.

De

De quo iure in libro Samuelis priore his uerbis Dominus: Sed & segetes nostras & uinearum reditus decimabit. Quod igitur in decimis ceremoniale fuit, abrogatum est: quod uerò iure gentium receptum, non abrogatum.

Quæ sub pastoris uirga.) Quia in recensendo decima quæq; ouis solita fuit notari. עבר transeundi uerbum nota metalepsi pro recensendi usitatum. de quo suprà uideris in Exodo.

FINIS.

MARTINI BORRHAI IN NVMERORVM LIBRVM COMMENTARIVS.

IN CAPVT I.

OCVTVSQVE est Dominus.) In primo libro mundi creatione, ex cuius operib. lex quæ in ceremonijs uersatur, sanciẽda erat exposita: deinde culpa à primis parentibus contracta, quã Decalogi per Mosem tractanda lex reprehenderet & damnaret, enarrata: tum promißionibus de Christo secundo Adamo, noxæ expiatore, discrimine itè sobolis primi Adami, & fœdere quod Deus cum Abrahamo & posteris eius percußit, explicato: demum Iacobi de ijs quæ in postera tempora selecto ad maxima mysteria patefacienda populo, euentura erant, cũ uaticinijs de regno Christi enunciatis. In altero autem libro qui Exodus uocatur, gentis Hebrææ in immensum auctæ incrementis, cladibus in Aegypto acceptis, liberatione eius, & in solitudinem superato mari rubro laborioso ingressu: legum insuper promulgatione, nouæ reip. constitutione, tabernaculi cum suo apparatu extructione, & sacerdotij ad diuinum cultum consecratione, descripta: in hoc quarto libro seruato historiæ sacræ ordine, partim quæ antea commemorata sunt, ad ea clarius explananda repetuntur, partim noua quædam attexuntur, ut est descriptio ordinis militaris tribuũ sub suis ducibus, itinera per deserta reliqua Arabum usq; ad Chananæorum fines confecta, bella aduersus hostes gesta, lex de uotis Nazaræorum, intestina Leuitarum aduersus Mosem seditio, fœdi prophetæ Balaami aduersus Israelitas conducti uaticinia, Chananææ descriptio, & alia quædam, quæ in historiæ contextu prodita sunt. Liber autem is à Græcis ἀριθμοὶ, & à Latinis Numeri inscribitur, propter Israelitarum sub ductam summam ac peractum militarem censum. Ad quam rationem: itinerum quæ accuratè in hoc libro commemorantur, sacri numeri adiunguntur.

In tabernaculo fœderis.) Iam ædificato ad usum edendorum ex eo oraculorũ. Cœpisse autem id extrui priore ab exitu ex Aegypto anno, iam finito Dei colloquio in monte Sina cum Mose habito, & prima Martij die anni secundi erectum in Exodo traditur. Hoc autem iam erecto die prima secundi mensis, qui nostro Aprili respondet, uerba hæc Dominus ad Mosem fecit.

Tollite summam.) Tripartitus census per singulas Israelitarum capita habitus legitur: unus, de quo Exodi tricesimo capite, ex quo tabernaculi bases iussæ sunt confici: alter, de quo in præsentia: tertij mentio habetur infrà capite uicesimosexto. Quod Latinis summa, Hebræis ראש & בלל est: sed & Latini dicunt censere capita. Et quod Latinè dicitur subducere summam, Hebræi efferunt נשא ראש. militaris census Israelitarũ ducitur iam ædificato tabernaculo, & exposito eius cultu, promulgata lege, constituta rep. & quando proficiscendum per infestas & contra infestas gentes Chananæam fuit. ratione pijs nota. Nec obscurum consilium de ordine militari recensiti exercitus, qui sub Christo duce meret stipendia, in quo suæ quoq; tribus ac classes, sui duces, munera militaria, arma, hostes, sua fortiter militantibus sub signis proposita prænùa cernuntur. Si tribus spectas, Ecclesias in suas donorum Dei classes distributa occurrit, de quibus Apostolus: Varia habentes dona iuxta gratiam nobis datam. Sin duces, legimus: Et alios quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, & c. Arma autem ex epistola ad Ephesios, nota sunt, & sanctis usu ipso comperta. Quæ arma induuntur ad defendendũ tabernaculũ in quo Deus cum oraculis legis habitat. de quo illud: Vos estis templum Dei. Hostes uerò sunt aduersus quos strenuè pugnandum est, quorum meminit idem Apostolus: Quoniam non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus rectores tenebrarum mundi huius. Nec gnauiter decernentibus sua desunt præmia hæreditatis in cœlis aßignatæ ante condita sæcula, de qua illud: Quæ sit spes ad quam ille uocauit, & quàm opulentia gloria hæreditatis illius in sanctis.

Quicquid sexus est masculini.) Mares recensentur. Militia enim & castrorum metatio describitur, in qua uiri sub militarib. uexillis militãt, non fœminæ. De uera militia Apostolus: Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo. De uiris autem idem: Donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenæ, adultæ Christi. Est & hostib. sua militia. de qua illud: Abstinete à carnalibus concupiscentijs quæ militant aduersus animum. Viri igitur qui hos hostes uincant, non imperiti ac imbelles pueri, non molles fœminæ, neq; alieni, sed Israelitæ armantur. Electorum enim & scriptorum in libro uitæ est hæc militia, qui circunciſi cordis fœdere continentur. Non igitur fortitudo, non sapientia mundi huius, non opes efficiunt, ut ij qui his florent, in sacrum hunc & diuinum numerũ ac censum ueniant, sed fœdus Dei quo soli Israelitæ cõprehenduntur, huius sacri numeri origo est. In quo ce-

tiam qui sunt, uerè amantur à Deo: qui non sunt, odio habentur. De alteris legimus: Capilli capitis uestri numerati sunt. itē, Pastor proprias oues uocat nominatim. de alteris uerò: Non noui uos. Beneuolentiæ diuinæ igitur est numerari Israelitas ac recenseri, & nomina eorum in tabulas referri. de quibus tabulis illud: Gaudete, quòd nomina uestra scripta sunt in cœlis. Numerantur in Apocalypsi Ioannis Israelitæ per tribus suas signati in frontibus suis diuini nominis signo: Et audiui numerum signatorum, centum quadraginta-quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Hinc Christus pauperis & pij Lazari nomen expressit, diuitis impij non item. Quæ res Messiam benedictū agnoscentibus fide, summā consolationem affert. Itaq; absurdū fuerit dicere, propterea Israelitas numeratos esse, ut cognosceret Dominus, an ne illorum numerus ac uis satis esset ad hostium impetum sustinendū, cum is sciret uerā esse hanc sententiā: Aeque facile est Domino seruare paucis atq; multis.

A uicesimo anno.) Quæ ætas militiæ apta est.

Virorum fortium.] כל יצא צבא, id est, omnis qui proficiscatur ad militiam. Omnes ad militandū aptos, quiq; arma ferre possunt, recēsendos. In huiusmodi futuri temporis uerbis facultas indicatur. In terra exercitus Dei sacer, Israelitæ sunt, hoc est, Ecclesia sanctorum sub duce Christo, & eius militaribus crucis signis militans, in cœlo sub aspectum cadente descripti stellarū ordines: in cœlis aūt diuinis qui sensib. nō percipiuntur, sancti genij suis legionum classibus definiti.

Eruntq; uobiscum.) יעמדו assistent, suam nobis operam communicantes in recensendo & consecrando militari ordine.

De tribu Ruben.] A primogenito Iacobi filio incipit, numerans duces ex familia filiorū Liæ. Hi erant Ruben, Simeon, Iudas, Issaschar, Zabulon, Leui exemptus est, de quo mox.

Filiorum Ioseph.] Horum meminit iam commemoratis liberis Liæ, priusquàm meminisset liberorum ancillæ illius propter Rahelem, quæ dignitate ut domina ancillis præstabat.

De tribu Ephraim.) Ab Ephraimo incipit exemplo Iacobi, qui suprà in Genesi prius Ephraimo, quàm Manassæ bene precatus fuerat. Et quoniā hi duo loco Iosephi numerantur, ideo coniunguntur, Beniaminem minorem natu fratrem præcedentes.

De tribu Dan.) Numerata dominarū sobole Leæ & Rachelis, exordiuntur à Balæ ancillæ Rachelis primogenito Dane: deinde Aseris, qui militaturus erat sub signis illius, meminit.

Recensentes eos.] Nonnulli scitè pro יתילדו habent צבתבר תלדות, id est, annotata est ætas eorum. Vestigandum enim erat, qui uiginti aut amplius annos nati essent.

Sexcentatria millia.) numeratis solum maribus qui uiginti annos excederent. Amplissimus exercitus ostenditur. Sed non minor eorum Israelitarum numerus est, de quibus Propheta: Dilata locum tentorij tui. Itē, In scientia iustificabit ipse iustus seruus meus multos.

Leuitæ autem.] selecti ad cultum tabernaculi, nō ad prælia. Tametsi sacerdotis munus erat, hortari eos qui prælium inituri erant, ut fortiter dimicarent, sicut infrà in Deuteronomio patet. Nec tamen nefas erat etiam Leuitas pugnare, si ita ferret necessitas. Vt exēplo sunt Ionathas & Simon frater eius.

Et cuncta uasa eius.) ut erant mensa, candelabrum, aræ utræq;, uictimaria & suffitoria, labrum, et quæ ad hæc pertinebant instrumenta. de quibus suprà in Exodo.

Deponēt Leuitæ.) amotis uectibus & columnis.

Quisquis externorum.) alterius tribus.

Accesserit.) Leuitarum munus sibi uendicans.

Per gyrum tabernaculi.] ne ad id alienus temerè accedat.

Ne fiat indignatio.) in eos sacra tractantes. ut de Vsia rege exemplum extat, qui quanta clade affectus sit, ut arcam attigisset, historia Regum testatur. Locus de uocatione ac munere, quod suum quisq; sedulò in Ecclesia sequatur, alienum non occupet. Sunt & alieni in quos uates: Peccatori autē dixit Deus: Quare tu enarras iusticiam meam, & assumis testamentum meum in os tuum.

IN CAPVT II.

Singuli per turmas.) על דגלו ad uexillum cuiq; suum, castra facienda. In uexillis in signa gentilicia ac patria notata erant, quæ hic אתת uocantur. Tradunt ueteres in Rubenis uexillo mandragoram pictam fuisse, quā ille in agro collectam matri Liæ attulerat. In Iudæ uerò leonem, cui illum in benedicendo pater Iacobus contulerit: Catulus leonis Iudas. in Ephraim uerò uexillo bouis species. de quo infrà in Deuteronomio legatur: בכרכר שורו. in uexillo demū Danis serpentis imago, qui serpenti ac colubro à Iacobo comparatus sit: fiat Dan coluber in uia. sit fides pernes autores. Nec desunt Ecclesiæ in suos ordines descriptæ, uexilla & signa militaria, sub quibus qui classibus illis continentur, militant. Vexilla, inquam, prædicationis Euangelij de Christo, ut Iesaias habet: Et ponam in eis signum, et mittam eos qui saluati fuerint, ad gentes in mare, & annunciabunt gloriam meam gentibus.

Ad orientalem Iudas.] Primā aciem Iudas tenet, de cuius fortitudine à Iacobo prædicta extat illud: Catulus leonis Iudas. In huius castris duo minores natu fratres militarunt, Issaschar & Zabulon ex Lia deformiore nati. Atq; primos ordines ducentes pericula primi adierunt sub duce Iuda. ex quo quis & qualis dux natus sit, notum, quem his uerbis indicat Micheas: Ascendet enim pandens iter ante nos, & transibit rex coram eis, & Dominus in capite eorum. Huius ductu & auspicio Ecclesia gubernata in militia sua, omnia uincit, ut qui uicerit mundum, & principem eius: Sed bono animo sitis, ego uici mundum. Hinc in nomine יהוה diuinum nomen includitur, inserta quinta litera daleth: quæ quid significet, sapientibus perpendē dum reliquero.

Centum octoginta sex millia quadringenti.) Tantus numerus cæterorum ordinum fuit.

Filio-

Filiorum Ruben.) primogeniti Liæ, cuius sex cum essent filij, Ruben, Simeon, Leui, Iudas, Isaschar, Zabulon, exempto Leui, quinq; duo uexilla tenuerunt sub duobus ducibus Iuda & Rubene, Gado non Liæ, sed eius ancillæ Zelpha primogenito filio in Leui locum assumpto.

Leuabitur autem tabernaculum.] Hebræus indicat tabernaculum oraculare in medijs Israelitarum castris proficisci solitũ, unde ad Israelitas sacra quib. regerentur, oracula cõmodè peruenirent. Necnon et Leuitarum tribus medium nacta locũ est, eingens tabernaculũ, ex quo reliquo populo doctrinæ & exemplorum integritatis lux affulgeret. De qua Dominus noster: Vos estis lux mundi. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem uestrũ qui est in cœlis. De sacerdotibus ex Leuitarum gente selectis legimus: Labia sacerdotis custodiant scientiã, & legẽ requirent ex ore eius.

Filiorum Ephraim.) Ephraim, Manasses & Beniamin, qui ad Rachelem formosam, & præcipuè dilectam pertinent, ab occasu tendebant castra, ad eum tabernaculi cardinem ubi sacrosanctũ sacrarium erat, arca eũ propitiatorio, ut Iudas ad ostia. mysterium sapientibus notum. De Iuda legimus: Ego sum ostiũ: per me qui introierit, seruabitur. Quẽ ingressum ille morte sua parauit. Hinc Iudas deformis Leæ filius cognoscitur. de quo Propheta: Despectus & nouissimus uirorum. contrà Rachelis formosæ Ioseph speciosus filius ad pulcherrimam tabernaculi partem castra posuit, in quam Christus à resurrectione sua indutus specie, de qua Psalmus, Speciosus forma præ filijs hominũ, amoto uelo penetrauit. patefactis thesauris sapientiæ, uitæ & gloriæ suæ. Cæterùm Ephraimus & Manasses pro patre Ioseph numerati explent duodecim tribus, è quib. Leui separatus fuit. sed Ephraimus primũ locũ habet, qui à Iacobo prior benedictus fuerit. Hinc apud Hieremiam: Et Ephraim est primogenitus meus.

Filij Dan.] Qui natus Racheli fuit ex Bala ancilla, sinistram occupat, ut Ruben dextram ex domina Lia natus. Duodecim igitur tribus in quatuor uexilla distribuuntur, quoq; suum mundi cardinem, qui quadripartitus est, obtinente. Iudæ uexillo orientalem, Rubenis australem, Ephraimi occidentalẽ, Danis aquilonarem. Dextra autem mundi pars meridies, sinistra septentrio, facies ac anterior oriens, posterior ac tergũ occasus dicitur. Intra quatuor hos mundi fines mediã aciem Leuitæ sequentes in profectione Iudam cum ipso tabernaculo tenebant. Qui ordo longè decentissimus fuit. Proinde duo loci hic memorabiles notãdi fuerint: Vnus, de ordine quo cuncta in Dei exercituritè apparata sunt. de Ecclesia ut in ea omnia rectè composita esse debeant, legimus illud Apostoli: Omnia decenter & secundum ordinem fiant. Alter, de Dei præsentia in medio Ecclesiæ, quam oraculis suis, siue quiescat, siue pergat, tueatur, dum ad promissam hæreditatem perueniat. Addi queat tertius de figurata Ecclesiæ amplitudine, quæ ad ortum, occasum, meridiem, & septentrionem se sit extentura, iuxta illud: Dico autẽ uobis, quòd multi ab oriente et occidente uẽturi sunt, & accumbent in regno Dei.

Castra metati sunt.) quadratæ formæ, ut quæ quatuor ordinibus, quorũ singuli tres trib. habebant, constarent. Eadem forma taberuaculi fuit, & eorum quæ in illo uersabantur. ut arcæ, mensæ, altariũ, quòd hæc forma firma iudicetur & stabilis. Qui de re militari scribunt, quadratam castrorum figuram cõmendant. Hinc in Apocalypsi Ioannes ciuitas Dei τετράγωνος dicitur, καὶ ἡ πόλις τετράγωνος κεῖται, propter τὸ ἑδραῖον καὶ πάγιον, id est solidum et firmũ. Ad hæc quaternarius denarium ipsum perfectum numerũ cõtinet, subducta unius, duorũ, triũ & quatuor ratione quæ in quaternario cõprehensa conficiunt denariũ. Vnde perfectio etiã & præstantia diuini illius tetragrammati nominis æstimatur. Cæterùm de castrametatione uideris etiam ea quæ Iosephus memorat libro tertio, capite decimoquinto.

IN CAPVT III.

Hæc sunt generationes.) Hæc est tum de genere, tum de rebus gestis Aaronis & ijs quæ acciderunt, historia. Tantùm enim ualere uocem תולדות uolunt. Quũ quatuor munera in rerũp. rectione præcipua cernãtur, συμβουλευτικὸν, διναστικὸν, πολεμικὸν, ἱερατικόν, id est senatores, iudices, duces, & sacerdotes. Hic postremum explicat. Quæ maxima & præstantissima functio est, qua nimirũ una religio, sine qua nullæ resp. consistunt, conseruatur. Hinc in rep. Israelitarum tanta in honore Leuitarũ tribus habita est, ut eam Deus suam partem uocarit, & immunem esse uoluerit. quò spectãtes ueteres, nõ ex abiecta, sed præstãtissima ciuium parte sacerdotes deligẽdos esse statuerunt, ut quidam dixerit regem debere esse bonũ γραμματικὸν & διναστικὸν & ἱερέα. Tãta semper sacerdotij ob religionem habita cura fuit.

Mortui sunt autem Nadab.) quem sua primogenitura neq; à noxa, neq; ab interitu tuita est, ut omnis carnalis primogenituræ dignitas caderet, & sua constaret gloria primogenito carenti omni culpa. de quo illud: Primogenitus ex mortuis.

Ignem alienum.) De holocausti ara non sumptũ ad faciendum suffitum. At cum Nadabo et Abio ignẽ alienum offerunt: primò, qui aliã quàm igneo spiritu filij probatam doctrinam afferunt. De qua illud: Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. Secundò qui tentant placare Deum suffitu de precationis facto ex alio igni, quàm qui sumptus sit ex igni fidei per charitatem flammeæ cremante ueterẽ hominem in ara Christo. Demum qui in administratione noui fœderis commiscuntur elementalem ignem qui purget animos, obliti spiritualis ignis de quo Dominus apud Matthæũ: Baptizabit uos spiritu et igni. & de quo Propheta: Et sedebit conflans & emundãs argentum, & purgabit filios Leui. Hunc ignem igitur non sapientia huius seculi, non iustitia hypocritarum parat, sed sacerdotiũ Aaronis ex ara uictimaria: quæ quam aram nobis referat, pijs notum.

Absq; liberis.) ne ullum in posterum concitandæ

ſeditionis de cultu Dei ſemen extaret malos parentes ferè liberis imitantibus, cum rarò contingat ut parentum probitatem liberi referant, ut ille apud Tragicũ:

εὖα γὰρ οὐ πολλοῖς ἴσως
σοφοῖς αὖ ὄφις ἐστὶ μὴ χείρων πατρός.

Applica tribum Leui.) quæ ad tabernaculi curam gerendam in Sina monte delecta fuit, ſtatim ut fractis à Moſe tabulis prioribus, uituli falſum cultũ ulta eſſet. Qua de re infrà in Deuteronomio, & ſuprà in Exodo. Ante igitur extructũ tabernaculũ primo anno tribus Leuitarum miniſterio conſecrata eſt, & eo erecto prima die martij ſecundi anni ab exitu ex Aegypto recenſita, antè etiam Iſraelitarum cenſu habito, in quo ſingula hominum qui uiginti aut amplius nati annos erant capita, dimidium ſiclũ perſoluerunt: in quo cenſu Leuitæ ut immunes cõprehenſi nõ legũtur.

Vt excubent.) Explicatur miniſteriũ Leuitarum, quod eſt gerere curam partim ſummi ſacerdotis, partim reliqui populi, partim tabernaculi. Sacerdotis quidem, exequendo quæ is mandaret: populi aũt, rite procurando religionẽ ad illius ſalutem. Tabernaculi quæ cura gerẽda ſit, mox patebit. Quid autem inter ſacerdotem & reliquorũ Leuitarũ munus interſit, ſparſim in Moſaicis libris & in priore Paralipomenum libro indicatur. Aaronis liberi ſacerdotes uncti interius ſacrarium curabant, ſuffitus faciebant, lucem quæ in tabernaculo ſplenderet perpetuam conſeruabant, panes ſacros parabant, ſanguinem ad expiandum ſpargebãt, preces publicas fundebant pro populo. Leuitæ aũt reliqui reliqua munera obibant, utenſibilia portabant, ſacerdotibus in ſacrificando miniſtrabant, inſtrumenta ut munda eſſent curabant, Pſalmos canebant, excubias agebant, & ianitorũ officiũ præſtabant, legi item & ſapientiæ ſtudijs per ocium quo affluebant operam dabant, eius doctrinæ luce honeſtæq; uitæ exemplis reliquis Iſraelitis præeuntes.

Externus.) alienus à genere Aaronis, quod unũ ſacerdotio conſecratur. Metuant ſibi hypocritæ carentes unctione de qua Ioãnes: Vnctio docebit uos omnia.

Ego tuli Leuitas.) ex cæteris Iſraelitis, ut idololatriam uituli ulti fuiſſent. Locus de electione diuina, huius ui ſacerdotium et omnia ſacra munera cõſtare, non contrà hæc illius cauſſam eſſe.

Pro omni primogenito.] Duo notantur hic: unum, pro primogenitis haberi Leuitas, quæ huius tribus maxima dignitas eſt: alterum, primogenitos cæterorum Iſraelitarum, qui iure occiſorum primogenitorum Aegyptiorum Dei eſſent, Leuitis redimi, his ſolum tabernaculi miniſterio deſtinatis ex tota Iſraelitarum multitudine.

Meum eſt enim omne primogenitum.) tum ex hominibus, tum ex pecore. In primogenitis parentum robur ac genitalis uis primò declaratur. unde his tantus ſemper honos habitus. Itaq; Iacobus de Rubene: Principum roboris mei.

Ex quo percuſsi primogenita.) Memorabilis contentio: Diſperduntur primogenita Aegyptiorũ, cõſeruantur primogenita Iſraelitarum Deo conſecrãda. Sic uirtute, robore & dignitate regni tenebrarum deleta, fortitudo regni lucis apparet & eluceſcit.

Hi poſt tabernaculum metabantur ad occidentem.) Prope Ephraimitas, munera quæ Leuitæ tribus familijs diſtincti, Gerſonia, Caathina, Merarina obeunt, explicat, & à Gerſonijs exorditur, quorum procuratione hæc continebantur. משכן erant decem cortinæ inferiores. אהל undecim ſaga ſuperiora exactarum pilis confecta. מכסה pelles arietinæ rubro tinctæ, quæ cũ pellib. meliũ reliqua tegebant. Numerantur gẽtilitates Leuitarũ quaq; earũ ad ſuũ munus deſtinata, ſed quæ Aaroni ſummo antiſtiti parèrent.

Et quicquid ad ritum altaris.) על משכן רעל מזבח, id eſt, quod ad tabernaculum & altare erat. Accipitur de atrio quod cingebat tabernaculum, & aram in uictimariam extra tabernaculum poſitam.

Funes tabernaculi.) non atrij. Huius enim funes in Merarianæ familiæ cura erant. Vtenſilium non fit mentio in Hebræo, ſed indicãtur funes quibus utilis opus ſuſpẽdebatur, procuratione Gerſoniorũ mãdati.

Generis maſculini.] non fœminini, quòd fas non ſit publica munera obire. Hinc Apoſtolus. Mulieri docere non permitto.

Ab uno menſe & ſuprà.) Quæ eſt ætas conſecrationis primogenitorum.

Ad meridianam plagam.) propinquo uexillo Rubenis, qui ad auſtrum ſua caſtra tendit. Hinc ut ſuprà traditur, noxæ rebellionis Coræ, quidã de gentilitate Rubenis ſe ſocios præbuerũt. Caathinæ familiæ dignitas hic notatur quæ dextrum teneat præſtantem mundi cardinem, & præcipuis curandis rebus præfuerit, arcæ, menſæ, candelabro, aris, & ſacri miniſterij ſupellectili, uelo; interioris ſacrarij בל עבדת, id eſt totum eius opus. de ſumibus accipitur.

Principum Leuitarum.] Qui tres ſunt ad numerum filiorum Leui. his præficit Eleazarum.

In plaga ſeptentrionali.) Vt Dan ancillæ Rachelis filius, Gerſone, ut primogenito Leui apud Ephraimenſes natos ex Rachele caſtrametante.

Ad orientalem plagam.) Ad ingreſſum tabernaculi prope Iudæ, Iſaſcharis, & Zabulonis caſtra, ad ſignificandum cum eius regno, qui ex Iuda naſcendus erat, ſacerdotium coniungendum fore. de cuius regno propheta: Et fortium diuidet ſpolia. de ſacerdotio: Et pro tranſgreſſoribus rogabit.

In medio filiorum Iſrael.] לבוש מרחק, id eſt ad cuſtodiendos Iſraelitas, ne quis ad ſanctuarium accedat. Sequitur enim: Quiſquis alienus acceſſerit.

Vigintiduo millia.) Si ſubducas rationem, inuenies duo milia & trecentos. Nam Gerſonia familia ſeptem millibus quingentis capitibus cenſetur. Caathina octo millibus ſexcentis. Merariana ſex millibus duocentis. ſubducta iam ſumma, numerus uigintiduorum millium & trecentorum naſcetur. cur igitur trecenti in cenſum non uenerunt? Dicunt interpretes non numeratos q, primogeniti eſſent, nõ Iſraelitarũ primogenitos Leuitarũ primogenitis quæ per ſe Dño ſacra ſint, redimi. Itaq; infrà reſiduos ducentos & ſeptuaginta

gentatres primogenitos Israelitarum precio redimi, non illis trecentis quæ de summa uigintiduorum millium supersunt.

Numera primogenitos.) Exponitur ratio redimendi primogenitos Israelitarum: quæ bipartita fuit. una, qua Leuitæ pro primogenitis suscipiebantur: altera, qua capita primogenitorum quæ residua erant quinq; siclis redimebantur.

Et pecora Leuitarũ.) Mũda redimi non sunt solita, sed immolari: immũda redimi solita sunt pecunia, excepto asino qui ut oue cõmutaretur, lege cauũ. sed cur pro pecoribus Israelitarum primogenitis habeantur pecora Leuitarum, ipsi expendunt pij.

Mei.) ad sanctuarij mei cultum destinati. Primogeniti deliguntur qui Deo ministrent. Deposito typo legimus apud Apostolũ: Sed accessistis ad concionem primogenitorum qui conscripti sunt in cœlis. sed cur electi renati spiritu primogeniti dicantur, perpendant qui in hac primogenitura per Christum & in Christo primogenito omnis creaturæ partem habẽt. Propter hos in Christo omnia conduntur. Deinde horum regnum est & sacerdotium, quæ primogenitis cedere solita sunt, ut Petrus habet: Gens sancta, regale sacerdotium.

In precio aũt ducentorũ septuagintatrium.) Precio redimuntur residui qui Leuitis redimi non poterant. In utrisne igitur grata est Deo primogenitura Israelitarum, in Leuitis et precio redemptionis.

Et dedit eam Aaroni & filijs eius.] ad quos pertineat precium. Nos legimus apud Ioannem: Redemisti nos Deo per sanguinem tuum. sed in quem usum? sequitur: Et fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes.

IN CAPVT IIII.

TOlle summã.) Repetitur descriptio munerũ, quibus gẽtilitas Leuitica fungatur, noua facta per familias eius recensione, & ea quidem apta tabernaculũ & eius utensilia portandi ministerijs. Hic igitur primò ordines in quos Leuitæ distributi sunt, deinde ministeria quibus obeundis quisq; ordo præfectus est, tum subducta à tricesimo anno summa, & quæ horum ratio sit & usus, expendẽda fuerint. De singulis suo loco.

Caath.) Primum ordinẽ ducũt Caathini Gersonijs prælati propter Aaronis familiam ex Amarano filio Caathi natam.

A tricesimo anno & supra.) Noua recensendi ratio. Tripartitus igitur numerãdi Leuitas modus fuisse legitur. Vnus, in ætate unius mensis. alter, in ætate uigintiquinq; annorũ, de quo infrà capite octauo: tertius in tricesimo anno cernebatur. Quare primus numerus consecrationi statim ab infantia ad institutionem sacram accommodatus erat: alter muneri sacro iam obeũdo: tertius portandi onera ministerio seruiebat. Quocirca in Israelitis reliquis uiginti annorum ætas ad militiam expediebatur, in Leuitis triginta, ut rilis nimirum ætas ad ferenda in humeros elata pondera idonea. Qui ex numeris philosophantur, dicunt tricenarium huc congruere qui ex trib. denarijs constatus, ad uirilis roboris perfectionem notandã appositus iudicetur.

Vsq; ad quinquagesimũ.] quieti sacrat ũ numer ut festis est Iubileus. Hinc in eo anno etiam uirili uigore deficiẽte, uacatio ab onerib. ferendis Leuitis tanq; emeritis dari solita fuit, ut infrà legitur: Cumq; quinquagesimũ ætatis annũ impleuerint, seruire cessabũt.

Vt stent.] Heb. לצבא militandi uerbũ habet, quo significatur suã etiam Leuitis militiã esse, sed in tabernaculi cultu faciendam. Vt infrà traditur לצבא צבא בעבדת אהל מועד, id est ut militiam faciat in ministerio tabernaculi testimonij. Græci pro לצבא habent λειτουργεῖν.

Et ministrent.) in portandis oneribus sacris.

Sanctum sanctorum.) ut erat sanctius sacrariũ in quo area propitiatorio cõtecta uersabatur. Adnumerant nonnulli mensam, candelabrũ, aram suffitoriam quæ cõparatione cæterarũ rerum extra tabernaculum positarum קדש קדשים habeantur.

Aaron & filij eius.] Cum in quatuor ordines genus Leui distributum esset, priorem Aaron cum filijs suis, alterum Caathini reliqui, tertium Gersonij, quartum Merariani obtinuerũt. Caathina familia in duas diuisa classes fuit.

Et deponent uelum.] Sanctioris sacrarij obtensum, ἀπόκρυφον.

Arcam testimonij.] ne pateat profanis. Obseruãdus ordo fuerit. sacerdotis munus erat, primò in sanctuarium ingredi, deinde structurã illius soluere, tum sacra obtegere, demum obtectas sacras res ministris portandas imponere, tantisper dum quies peragratis desertis & deuictis hostibus comparata foret. futurarum rerũ typi eximẽdi fuerint. Nã ut pateãt nostro summo sacerdoti, qui secũdũ ordinẽ Melchizedeci sacerdos est, omnia in suã arculã, quæ ecclesia est, oracula reposita, manifestũ. de quo legimus: Qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Deinde idẽ quo uelamine hanc arcam tegat, declarat illud Apostoli: Cernimus nunc in ænigmate per speculũ. Demũ ut humeris suorum ministrorum hanc cum cæteris sacris imponat, norũt oneris grauitatẽ qui portãdi illud munere funguntur. Quæ cura durat dũ cœlestis arca diuinis oraculis ornata ab hostibus suis mundo & potestatibus mũdi liberata sit: neq; prius desinet portari, q̃ ad uerã requiẽ translata sit, peragrata solitudine huius seculi, in qua feræ grassant, & sæuæ bestiæ sanctis satis notæ. Itaq; his uerbis legimus in libro Paralipomenõ: Dixit enim Dauid, Requiẽ dedit Dñs Deus Israeli populo suo. nec erit officij Leuitarũ, ut ultrà portent tabernaculum, & uasa eius ad ministrandũ. Nulla igitur trãquillitas, dũ in huius mũdi solitudine inter agrestes feras, et immanes beluas tabernaculũ ecclesia uersatur, sperẽt, nec ullam quietem eius ministri ferendis, perpetuis oneribus occupati expectẽt, cum hic omnia plena sint hostib. & onerib. quæ portãda sunt donec cœlestis Dauid Christus in suo quinquagesimo anno uacationẽ tribuat suis Leuitis, dicẽs: Deus pater dedit Israelitis suis requm. igitur posthac mei Leuitæ taber-

naculum humeris suis impositum non portabant. Demum ut suis classibus ministeria Leuitarum distincta sunt, ita nec suis ordinibus carẽt Ecclesiæ ministeria, de quibus suprà.

Velamine hyacinthinarum pellium.] Super uelum tegmen de pellibus תחש positum fuisse ad arcendam cœli iniuriam. Vt uarient in interpretatione pellium תחש non est opus meminisse. Germanorum lingua in bestiola quam Taxo appellant, & à Latinis melis uocitatur, תחש uidetur appellationem retinere. sicut penè in omnib. linguis Hebrææ linguæ, quæ prima iudicatur, signa quædam ac uestigia notare licet.

Et inducent uectes.) nõ arcæ quidem, ex qua detrahi soliti non sunt, sed humeris eorum qui illam portaturi erant. sic enim de uectibus arcæ legimus in Exodo: Qui semper erunt in circulis, neq; unquam extrahentur ab eis. Sic ferè interpretes.

Mensam quoq; propositionis.] Ad tegendam arcam tria admouebantur, uelum hyacinthinũ, stragulum, pelles melium: uelum quidem, ad tegendum ne patèret profanis: hyacinthinum stragulum, ornatus gratia: tegmen ex pellibus melium, ad prohibendam iniuriam cœli. Quibus tegminibus sacra nostri tabernaculi & ornentur & teganturr aduersus tempestates in sua militari profectione pij. notum. Similiter tria mensæ operiendæ adhibebantur, duo hyacinthina stragula & pelles ex melibus. Sed candelabrum texit unum stragulum hyacinthinum, & tegmen ex pellibus melium. non secus ara tecta fuit.

Thuribula.) De instrumentis ad usum mensæ & panum pertinentib. suprà in Exodo. Thuribula huc non pertinent.

Panes semper in ea erunt.) etiam proficiscentibus castris, sed inuoluti unà cum mensa. תמיד, id est perpetuo pane nunquam deserendam mensam, significatione nota. Est uerus & perpetuus, quo sancti uiuuntur, panis qui de se dicit: Ego sum panis uitæ.

Et inducent uectes.) qui candelabro non leguntur fuisse suprà in Exodo. Intelligitur igitur hic admotas palas quibus candelabrum impositum Leuitarum humeris ferretur.

Sed & altare.] aram uictimariam. Hanc ארגמן purpura tegebat, cæteris sacris solitis hyacinthino stegi. Sunt qui arbitrantur id factum ad significandũ in ea perpetuò flagrantem ignem, quem subluces in modum ignis purpuræ color referat.

Omnia uasa.) De instrumentis aræ uictimariæ Exodi uigesimoseptimo.

Ista sunt onera.) Cõcludit munus Caathinorum.

In tabernaculo fœderis.] Nam אחל et בישכן procurationis, Gersoniorum fuerunt.

Super quos erit Eleazar.) ad conseruandum ordinem.

Nolite perdere populum Caath.) temerè ad sacra intuenda & contrectanda gentilitate Caathina admissa, quorum splendorem solum sacerdotis uncti acies ferat. Veritas in unctione de qua illud: Vnctio uos omnia docet: uera scilicet, sacra, declarans q̃ in cœlesti sanctuario Christo & corpore eius ecclesia continentur. Locus, sacerdotalis muneris esse eam re ne secreta Dei quibusuis patefiant, ne alieni incon sultò admissi, rerum sacrarum aspectu intereant. Vt sequitur: Ne moriantur: quemadmodum Bethsamitæ interierunt conspecta arca, ut libro priore Samuelis legimus his uerbis: Percussit autem Dominus de uiris Bethsamitis, eo quòd uidissent arcã Domini, & percussit de populo septuaginta uiros & quinquaginta millia plebis. Similiter Osa filius Aminadabi interfectus legitur à Domino, cum arcam tetigisset nudam.

Vt portent coronas tabernaculi.) decem insuriora saga.

Et tectum fœderis.] saga ex caprarum pilis.

Operimentũ aliud.) ex pellibus arietinis rubro tinctis.

Velamen hyacinthinum.) stragulũ ex melium pellibus.

Tentoriumq; quod pendet.] uelũ est ostij tabernaculi, quod in tabernaculũ prospectum aditumq; prohibebat. Tria igitur uela fuisse leguntur, unum ostium arcæ, separãs sanctius sacrarium à reliquo tabernaculo, quod portarunt Caathini: alterum ad ostium tabernaculi ab oriente suspensum: tertium atrij ingressum claudens. Hæc duo procurationis Gersoniorum erant.

IN CAPVT V.

VT eiiciant è castris.) Descriptis castris Israelitarum, hic quos hæc minimè serant, explicatur. Horum tria genera recensentur, leprosi, fluxu laborantes funere polluti. Sed cum tria numerentur castra, unum ipsius atrij ambitu circumscriptũ, in quo Deus præsentem uersari se dicit: alterũ extra atrium à Leuitis occupatũ: tertium reliquorum Israelitarũ: leprosos in nullo horum tolerari: fluxu affectos in castris Israelitarũ ferri, non item in reliquis duobus: funere uerò contaminatos ab atrio & tabernaculo arceri.

Leprosum.] De lepræ natura, causis, generibus, de uniuersa eius significatione suprà in Leuitico.

Et qui semine fluit.) De fluxus immundi generibus & mystica ratione Leuitici quinto.

Cum habitauerint uobiscum.] Ratio exponitur cur munda debeãt seruari castra, ut in quib. Deus habitet qui sanctus sit, impuros non ferens. Duo hic docemur: unũ, inter sanctos suos Deũ familiariter uersari, præsentẽ spiritu oraculorũ suorum, qui uerum sunt tabernaculum. de quo illud: Nónne & uos templũ Dei estis? Et Propheta: Ad quẽ autem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu? Alterum, sanctis hunc finem propositũ esse, ut puritate referant Deum inter ipsos habitantẽ, de quo suprà: Estote sancti, quia ego sanctus sum. sed ultimum illud ac extremum est, glorificatio Dei, de quo D. apud Euangelistam: Vt uideant uestra bona opera, glorificẽtq; patrem uestrũ, qui est in cœlis.

Vir siue mulier.) Repetitur mulctæ lex, de qua Leuitici

Leuitici 5. qua ui mulctandus sit is, qui alterius res uel ui, aut furto aut quouis malo dolo interuerterit, ad ciuilem societatem conseruandam, indicatur.

Et per negligentiam transgressi.) Heb. למעל במעל. De uerbo aliàs.

Confitebuntur peccatum suum.) Exponitur ratio expiandæ noxæ, quæ tribus in rebus consistit, confessione culpæ, uictimæ, restitutione rei interuersæ cum quinta eius parte. Confessio peccati ad Deum fiebat, qui offensus de neglecta lege, Ne furator, fuerat. uictimam sacerdos faciebat ad expiandum delictum. Restitutio iniuria affectum placabat. sed hæc tria in unum timorem Dei ac fidem cadunt, qua nimirum pœnitentia scelerum tētatur per confessionem, quáq; bene sentitur de Deo uictimæ merito reconciliato, & qua demum is qui læsus est, charitatis studio reconciliatur. Itaq; confessio hic commendatur qua ingenuè peccata coram Deo exponuntur præeunte fide, quā gratia ueniáq; peccatorum uictimæ merito impetrā da creditur. In confessione igitur hæc ponderātur: lex ostendens delicta, & fides agnitæ damnatæq; noxæ medicandæ medicinā monstrans, qua uita in melius emendetur, & clementia diuina meritáq; hostiæ Mosaica adumbratæ, de qua Esaias, Oblatus est quia uoluit, celebrentur. Hæc igitur cōfessio nisi extet, neq; peccatorū remissio, neq; integritatis restitutio consta bit. legimus enim hic: Confitebantur peccatum suum. & apud Euangelistā, Baptizabantur in Iordane confitentes peccata sua. Dauid delicta sua confitens dixit: Peccaui tibi. item: In peccatis concepit me mater mea. Hac confessione carentes superbi illi pharisæi dicuntur: Gratias tibi agimus, quòd non sumus sicut cæteri homines. At hac confessione à Deo repudiantur. Publicani autem delicta sua non celantes, in gratiam recipiuntur. De quibus Messias ipse his uerbis: Publicani & meretrices præcedent uos in regno Dei. Nam hi peccata sua confitentes misericordiā Dei, meritáq; insontis uictimæ amplificant, fastum carnalis iustitiæ & sapientiæ deijciunt, diuinam extollunt. contrà impij faciunt, qui aut cum pharisæo illo sua uitia non agnoscunt, aut ea agnoscētes clementiæ Dei detrahentes, & sanguini hostiæ derogantes, qui satis non sit ad luendā mundi noxam, cum Caino dicunt: Maior est iniquitas mea q̄ ut remittatur. Hinc fit, ut aliter impij cōfiteantur crimina sua, aliter pij. In his enim confessio ex lege & fide, in illis ex seuero legis iudicio tātum, quod desperationem & odiū, non amorē Dei gignit, nascitur. Itaq; hi cum Caino, Pharaone, Saulo, Iuda in sua confessione pereunt, illi cum Dauide & publicano seruātur. Atqui nō unū genus est cōfessionis: unū publicū, alterū priuatū. publica cōfessio est cum aut præeunte ministro uerbi Dei in sanctorū cœtu confitemur peccata nostra Deo. de quo genere suprà in Leuitico aut cum is qui coram Ecclesia quam offendit sceleratiore uita, sua delicta palàm ad redeū dum cum ea in gratiam confitetur. priuata autem confessio coram Deo fit, aut coram fratre, uel ad eum reconciliandū si læsus sit, uel ab eo consolationis ex uerbo Dei capiendæ gratia. De quo confessionis genere illud: Confitemini inuicem peccata uestra. Quæ confessio non est illa scrupulosa uitiorū enumeratio, quæ ad sacrificulorum Baal aures conficitur, quā ipsi cum cordis compunctione & satisfactione ab illis iniuncta ad peccatorum remissionem necessariam esse dicunt. Nam id genus confessionis neq; à Mose, neq; à Christo traditum est, sed à pastore stulto ad quæstū & conscientiarū carnificinā, non medicinam, excogitatum. Atqui neq; etiam uerbi Dei ministris, peccata aliter indicantur, quàm ut consolatio ab eis accipiatur, quā ipsi ex libera Euangelij doctrina afferant, non ex ullius elementi mundi ui ostendant. Doctorū enim spiritu Dei hominum est in consolandis conscientijs & remittendis delictis, Christū unum salutis arbitrum & aduocatum in cœlis apud patrem regnātem proponere, qui ad nulla mundi elementa affixus per sacerdotale & regiū suum munus confitentib. peccata sua remittat, & receptorū in gratiā pectora spiritu suo corroboret. Qui spiritus unica illa σφραγὶς est omnium promissionum diuinarum, qua de beneuolentia Dei sanctorum corda confirmentur. Hinc illud: In quo etiam posteaquā credidistis, obsignati estis spiritu promissionis sancto. Huc si spectent in docendo ministri oraculorū Dei, muneri suo in condonandis delictis satisfaciunt: & ij qui eorum doctrinæ fidem habent, certò criminum suorum ueniam adipiscuntur. Stat enim illud: Prædicat Euangelium omni creaturæ: quicunq; crediderit, saluus erit: in eum uidelicet si crediderit, in quo Dauid peccatorū adeptus est remissionē confitendo illa precans: Asperge me Domine hyssopo spiritus tui sacri ueterem hominem per pœnitentiæ amaritudinem mortificantis, & laua me innocentis agni sanguine, & supra niuem dealbabor. Quantus igitur usus & laus sit ueræ confessionis, id ab autore spiritu Dei, à natura confitente, qua nulla in hac rerum unà uersitate præstantior est, à fructibus item qui ex illa proficiscuntur, ut sunt peccatorum condonatio, communicatio iustitiæ per fidem uictimæ Iesu Christi: Mosaicis uictimis adumbratæ, amplificatio demum diuinæ clementiæ, et aditus ad uitam splendoremq; regni cœlestis per Christum Dominū nostrum. Cui sit gloria & honor in æternum, Amen.

Et reddet ipsum caput.] Ad uerbum, Et reddat mulctam eum summa sua: id est, damnum reddita summa ac sorte & addita ad eam quinta, resarciat. אשם id est noxa pro damno: quod per noxam alteri datum est, nota metalepsi. Græci pro ראש ἀφάλαιον.

Quintamq; partem.] Si sua sponte confessus fuerit noxam, alia mulcta indicitur ijs qui adhibitis testibus sceleris conuicti sunt, dupli uidelicet quā reddant mulcta, de qua Exodi uigesimosecundo. Sunt qui de שתי חמישית, id est duabus quintis interpretātur. Sic enim aiunt: ראם יש ערים על יר יוסיף שבי חמישית. Qui de peccato per imprudentiam commisso accipiunt hanc legem, non expendunt quæ Leuitici quinto capite sub finem mandantur.

Sin autem non fuerit qui recipiat.) Si carcat hæredi-

hæredibus ac propinquis, hoc est, si ille cui illatum est damnum, mortuus fuerit, nec habuerit propinquum redemptorem cui restituat quæ mortuo iam abstulit, ea sacerdoti cedent.

Et erit sacerdotis.) hoc omnia ex consecratis cũ Deo communia habente, quæ est sacrosancti olei dignitas. Veritas nota. Hæc in Leuitico cap. 5. reticentur, ideo lex de multa ociose hic nequaquam repetita est.

Excepto ariete.) præter arietem expiatoriũ qui de more solitus fuit offerri ad expiandam noxam. In Leuitico additur quomodo sacerdos oblata victima orationem ad Deum de condonando delicto habeat. Qui orabit pro eo coram Domino, & remittetur illi.

Omnes quoq; primitiæ.) תרומות munera à more quo leuari solita sunt, sic uocitata. Huiusmodi omnia sacrata Deo sacerdoti cedere debere, uitata in eis reddendis omni fraude. de cuius multa quoq; Leuitici 5. Cæterùm Exodi 22. dona Deo consecrata in ædem sacram iubentur inferri: hic additur, illata donaria sacerdotis usui debere inseruire.

Vir cuius uxor errauerit.] de recta uia declinans, quod est, תשטה בעלה . iuxta illud: שטח בעליר ,עברו sed quæ est illa recta uia? fides coniugalis est q̃ nitiũ hac diuina sententia, Relinquat maritus patrẽ suũ & matrẽ suã, & adhæreat uxori suæ. Quã uiam declarat etiam decalogi lex: Ne mœchator. Traditur hic zelotypiæ lex suprà non commemorata, qua quid cum suspecta de adulterio agendũ sit, explicatur. In qua primò adulterij grauitas, deinde qualis ægritudo sit animi zelotypia, quã Latini obtrectationem uocãt, et unde nascatur: tũ ratio quæ sit explorãdi adulterij in suspecta de illo: demum, quæ uis adhibiti sacrificij culpæ indicis, perpendendum.

Maritũq; contẽnens.) בעל uerbũ in aduterã malo dolo mariti fidẽ fallentẽ cõgruit. Est enim peccatum quod in רבר מברסה, id est in re latente committitur, ut cũ uel per imprudentiã peccatur, uel facinus malo dolo celatur, quale adultera designat. Sic in libro Iosuæ clàm ablatis rebus Deo deuotis ac sacratis, de Israelitis legitur quod ירבעלו.

Cum altero uiro.] dispitata ordinatione diuina, in qua uni corpori unum solum caput destinatur, non plura: sed multo grauiore noxa delinquitur, si sponsa ecclesia marito suo Christo, qui riualem nullum fert, coniugalem fidem uiolet, qui de se dicit: Ego enim Dominus Deus tuus fortis zelotes.

Sed latet adulterium.) ut solet submotis arbitris id cõmitti. Hinc Iobus: Oculus adulteri obseruat caligi nem. Ad hæc ad concinnandam fraudem malæ fœminæ aptæ sunt, et ex serpentis ingenio ad technas compositæ. Vt alicubi Tragicus uates habet: δειναὶ γὰρ αἱ γυναῖκες σὺν δόλοισιν τέχνας.

Quia non est inuenta.) Quod Latinis deprehensum, id Hebræis נתפשה est.

Sed spiritus zelotypiæ.] Quod Latinè motus, perturbatio, afflictio ab Heb. רוח dicitur, id est spiritus ac flatus, quo res ut solent cõmoueri ac cõcitari, ita animi perturbationibus cõmouentur. At quoniam adulteria domesticam societatem & familiarẽ rem euertũt, maximũq; dedecus maritis, liberis, parẽtibus totiq; familiæ afferũt, de eis suborta suspicio non leuis ægritudine animum affecerit. Qualis est zelotypia quæ nascitur ex eo quòd alter potiatur quod nos concupiscimus, in quo fruendo ex naturalis coniunctionis maris & fœminæ iure nolimus socium ferre ac cõsortem. Causa igitur zelotypiæ fuerit cupiditas retinendi eam quam ita nostram sentimus esse, ut eius perdi putemus, si alteri communicetur. In qua affectione expenditur à zelotypis sua, liberorũ totiusq; familiæ dignitas, quam arbitrantur se conseruare uxore pudicitiam suam integram tuente: contrà amittere, si uxoris pudicitia uiolata sit. Itaq; de fœmina honesta Solomon: Mulier strenua corona mariti sui est. contrà de inhonesta: Putredo autem in ossibus uxor מישיבת, id est ignominia notata. Quæ mala diuinus legislator considerans, aptas ad explorandum adulterij crimen in ea quam illius suspicio attingit, ceremonias adhibet. De quarum singulis partibus libamẽto carente thure & oleo, aqua dira, puluere in aquã iniecto, capite nudato, iuramento, suis locis exipsa litera monebitur.

Concitauerit.) עבר transierit, pro peruaserit, sit Latini dicunt, opinio quæ per animos gentium barbararum peruaserat. Non leuis etiam motus in עבר notatur, sed talis qualis in ira accensis cernitur. Nã & עבר furor est, quo indignabundi concitati exardescunt. Huc respicit interpres noster.

Adducit ad sacerdotem.) Explicatur ratio explorandi adulterij, quæ in sacerdotale munus cadit. Nos legimus de spiritu ueri sacerdotij: Spiritus omnia scrutatur. item: Omnia dijudicat.

Farinæ hordeaceæ.) non triticeæ ac ex similagine. Ex hac enim מנחת in monumentum beneuolentiæ diuinæ ad bonum, in illa iræ ad malum cõficitur, qua nimirum uestigetur adulterij crimen adulteræ exitio: altera placanda Deo, altera condemnandæ suspectæ de adulterio destinatur. Volunt hordeum selectum, quòd pabulũ sit iumentorum. In quorum naturam fœminæ degenerent, uiolata fide coniugali, qua una honestatem & dignitatem suam tueantur. Tradunt autores, panem ex hordeo antiquis usitatũ, uitam damnasse, quadrupedumq; traditisse refectib.

Non fundet super eam oleum.) Quod significationem lucis & hilaritatis habet. Contraria in hac libatione plena tristicia & luctu spectantur. De oleo enim legimus apud Prophetam: Oleũ gaudij pro luctu. item: Vt exhilaret faciem in oleo.

Nec imponet thus.] grati & suauis incensi. Hic enim pro adulterio expiando per deprecationẽ non libatur, sed adulterij explorandi sacrificium dirum offertur. suprà Leuitici capite secundo cautum est, ne minhæ suũ desit oleũ & thus, sed duo sacrificia excipiuntur, quibus illa non adhibentur: חטאת & sacrificium zelotypiæ. de altero hic, de altero suprà Leuitici 5.

Offerat

Offerat igitur eam.)Alij de sacrificio,alij de fœmina interpretantur.

Et statuet coram Domino.] ad aram,si de libamento accipitur:sin de fœmina, porta ædis orientalis intelligitur:Vbi duo grauiter terrebãt: alterum, sisti ad tribunal Domini: alterum, coram populo undiq; ad tam lugubre spectaculum confluente tam miserè traduci.

Assumetq; aquam sanctam.)ex labro æreo inter tabernaculum & aram uictimariam in atrio posito,quod,ut in Exodo traditur, ex honestarum mulierum speculis fabricatum fuit, ut solent honestæ matronæ deposito ornandi se studio ornamenta sua Deo consecratæ in sacrum usum conuertere,sicut matronas Israelitas factitasse legimus, eas uidelicet turmatim ad tabernaculi ostium orandi gratia confluxisse.

In uase fictili.] Id terreni hominis fragilis et peccato obnoxij indicium erat.

Et pauxillum terræ.)Huius pulueris peccati originem indicabat in suspecta de adulterio hærete in terreno,nõ cœlesti homine. De quo Iesaias:Eo quòd peccatum non fecerit. contrà de terreno homine Apostolus: Mortificate igitur membra terrestria,stuprum, immunditiam, mollitiem, concupiscentiam malam. Hinc legimus Christum in terra scripsisse peccata eorum qui allatam adulteram adulterij accusabant,congruente in naturam peccati elemento graui & inerti per se & obscuro. Sic noxa est.Itaq; rectè apud Iobum terra impijs in qua uersentur, & in Genesi scripti quam edat, dicitur tributa: ut cœlum sanctis in quo cognoscant se ciues scriptos,assignatur.In monumentum igitur originis naturæ peccati, pulueris terræ in diram aquam mulieri bibendam,inditur.

Mittet in eam.) Alios luto maceratus humor sanat,ut de cæco apud Ioannem extat exemplum:alios aqua puluere temperata malè afficit, ut hic patet. Quemadmodum hic aqua puluere conspersa adulteræ bibenda propinatur,sic suprà aqua commixta puluere in quẽ aureus uitulus ab Israelitis cultus dissipatus fuerat,bibi iubetur à gente quæ à Dei mariti fide commisso adulterio defecerat.

Discooperiet caput eius.) ad ignominiam.Nam caput mulicbre uelamen honestat, ut detectum caput uirum ornat.de quo uideris apud Apostolum. Recte hic adulteræ caput nudari iubetur,quæ ex mariti potestate fracta cõiugali fide exiisset, cuius obediẽtiæ symbolum uelamen habetur.

Et ponet super manus illius.] Terribile erat inter manus de adulterio suspectæ diuinum iudicium uersari,quod libamento hoc erat exercendum.

Sacrificium recordationis.) culpæ indicium faciens palàm corã populo,quam culpam adultera tum mariturn,tum populũ putauit se celare posse,sed frustra,crimen suo tempore prodente eo, de quo uates: ipse nouit abscondita cordis. & hæc patefacit & indicium. Vocabatur igitur hoc sacrificium,recordatio nis sacrificium,non quo crimen expiaretur,sed in memoriam populo reduceretur.Itaq; Græci hunc sensum exprimentes uertunt, ἐστὶ τὸ ὕδωρ τῆς ἐλεγμῆ τὸ ἐπιπατερώμενον τοῦτο.

Aquas amarissimas.) Hebræus מי המרים המאררים aquas amaras, diras,ac plenas execrationc,quib. si conscia sceleris esset,& id celasset, exitio deuoueretur à sacerdote.sunt qui tradunt eas amaras appellatas עלסרתם id est ab exitu,diris in comperta noxæ aquam dulcem in amarã conuertentibus.Citant quod paulo infrà legitur: ורבאר בח חמרים חמאררים למרירם, id est conuertantur in ea aqua dira in amaritudinem.

Adiurabitq; eam.] ut respondeat,Amen amẽ,ad propositam iuramenti formulam diras continentem. Quæ responsio uim iuramenti habebat quo illa adigebatur, si maritus rem mecum habuit alius quàm meus maritus.

Det te Dominus in maledictionẽ.]id est pro calamitosæ & diris deuotæ exẽplo statuat te in gente tua.ut si qui male imprecaturi sint, dicant:Si istud commisi, eadẽ mihi accidant mala, quæ adulteræ illi acciderunt. Similis imprecationis formula legitur apud Iesaiam:Et dimittetis nomen uestrũ in iuramentũ electis meis. Quod ualet: Electi mei in malum erunt uestri memores imprecantes: Statuat idem de te Deus quod in impios illos statuit. secus de iustis: Memoria iusti in benedictionem. Itaque לשבוע hic ut apud Iesaiam, uim חאלה, id est execrationis obtinet,quæ in iureiurando continetur. Vt si quis dicat: Si id feci,hoc aut illo malo peream. Atq; ita quoque hic iuramentum quo obstringitur de adulterio suspecta חאלה, id est dirarum ac maledictionis uocatur iuramentũ. Duplex formula iurisiurandi in Hebræa lingua traditur:una, qua mala certa non exprimuntur,quæ frequenter usitatur:altera,qua exprimuntur,ut est quæ hic adulterij suspectæ proponitur.

In populo suo.)ut is discat tuo exemplo quanto, pere honestas placeat Domino, & turpitudo displiceat:quamq; is matrimonia sanctè haberi uelit in suis sanctitati,non libidini consecratis.

Putrescere faciat.] נפלת Similiter paraphrastes, מסריא,id est putridum. Vt solent quæ putrescunt dissoluta concidere. Nam Hebræum caducum sonat.intentat decutiendum & luxandum femur.

Et tumens uterus.) Imprecatur distentum & inflatum uterum. Tale sonat צבה pro quo paraphrastes גמרח. Quo significato aliàs hoc uerbum non reperias.Retalionis iustæ est hoc Dei iudicium: ut quæ turpiter femore & utero alteri communicatis deliquerit, in femore & utero pœnam luat. Hac clade ut pereant cogitent se mereri quotquot maritis suis suppositiciũ fœtum supponere perfidè student. Quo scelere & domestica & publica honestas labefactatur:quæ nisi matrimonia munda conseruentur, retineri nequeat.

Amen amen.] Confirmationis uerbum reddunt Græci, γένοιτο γένοιτο.

Scribetq; sacerdos.] Iosephus tradit nomen Dei

ſcriptum in ſchedula: Apparet in formula iuramenti Dei nomen & diras ſcriptas fuiſſe.

Et delebit ea aquis amariſsimis.) diras in aquã congeſtas ex libro in quo execratio ſcripta erat. ſubmoto uelo notatur Meſsiæ iudiciũ in tabulis ſcriptum aduerſus adulterium ſponſæ ſuæ, non prius ſentiri, quàm id in uentrem tranſmiſſum ſit, conſcientiæ aquis exploratorijs tẽperatũ, de quib. uates: Intrarũt aquæ uſq; ad animã meam. Sic liber Dei adulterij Iſraeliticæ gentis plagas cõtinens, in uentrẽ Prophetæ traiectus ſenſu futurarũ calamitatũ quibus adultera punienda erat, amarus redditus fuit.

Et dabit ei bibere.) Nõ ſeruatur rei geſtæ ordo. prius enim ad aram libatur, & pugillus in monimentum culpæ mulieris incẽditur, quàm indicatiuũ adulterij poculum propinatur. Vt mox legitur: Et ſic potum det mulieri aquas amaras.

Vt prius pugillum ſacrificij.] In Leuitico indicatur ut de minha tollendus ſit plenus pugillus in ara adolendus, reliqua parte cedente ſacerdoti.

Et inflato uentre.] Exitus poculi probatorij, cuius uis tum apparet, cum minha ad aram admota incenſa conflagrarit, in igneam & cœleſtẽ naturã conuerſa. De noſtræ minhæ ut cremata eſt ui iudicatrice illud: Sin autem abiero, arguet mundum de peccato.

Omni populo.) Vtilitas exploratorij ſacrificij quæ in exemplo miſerè traductæ adulteræ cernitur, quo populus admonitus matrimonia ſanctè coleret: nosq; quãuis Moſaicæ pædagogiæ ſubiecti non ſimus, debere tamẽ cogitare, nec nobis defuturas iuſtas quas Deo pendamus pœnas, ſi ſtupris & adulterijs, poſthabito honeſtatis ſtudio, inquinemur: imò tãto grauiores daturos, quanto maiore in luce, quam noui fœderis adminiſtratio affert, uerſamur. Quæ una eſt utilitas quæ percipitur ex conſideratione legis zelotypiæ: altera in eius adulterij meditatione cernitur, quod ab eccleſia aduerſus maritũ Chriſtũ comittitur, dũ ſe in deorum alienorum complexum ſtuprandam tradit. Quod ſtuprum q̃ horribile ſit, quãq; acerbis & amaris pleniſq; dirarum aquis pateſiat, teſtantur ſub antichriſto alieno marito tranſacta tempora, de quibus Chriſtus obtrectator his uerbis apud Ioã. exprobrat: Ego ueni nomine patris mei, nec recipitis me: ſi alius uenerit nomine ſuo, illum recipietis.

IN CAPVT VI.

Vir ſiue mulier.) Tractatur lex de uoto Nazaræi prius non tractata, à quo neuter ſexus excluditur, utroq; ad abſtinentiã à cupiditatib. huius mundi conſecrando. In hoc autem deuouendi ſe Deo ritu hæc perpendenda fuerint: primò res quæ dum conſecratio duraret, deuitatæ ſunt, ut erat raſura comæ, uinum, ſicera, acetum, attrectatio funerum: deinde ſacrificia quibus peracto tempore uoti litari ſolitũ fuit: tum expiandi uitij tẽpore uoti cõmiſsi ratio: demum ut ſubducto uelo totus ritus ad profeſsionem pœnitentiæ eorum qui ueri ſum in Chriſto Nazaræi referatur, uidendum fuerit. De ſingulis ſuis locis.

Cum fecerint uotum.) In uerbo נדר, non leuis nuncupatio uoti Nazareatus, ſed miranda notatio, qualis eſt eorum qui renunciantes cupiditatib. uetteris hominis, Deo ſe totos conſecrant. ſuſcepto nouo & cœleſtis hominis ingenio. Hoc autẽ uoto quæſo quid admirabilius in hac rerũ uniuerſitate? Chriſtus Nazir ille admirabilis eſt à conceptu & partu, nos in illo Nazaræi efficimur per nouam genituram, à uetere profani & polluti. Chriſtus enim ſuũ Nazareatum & ſuorum explicans, ſic dicit apud Ioan. Quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo.

A uino.) in Nazareo ut Deo addicto ac ſacrato requirũ ſobrietas qua iudiciũ diſcernẽdi uera à falſis, ꝓfana à ſacris, bonũ à malo cõſeruatur. quã iudicãdi facultatem perturbat ebrietas. Hac enim obruta ratio rectè de rebus cenſere nequit, & libido accenditur, diuinam animorum lucem extinguens. Notum enim eſt illud: Ne inebriemini uino, in quo eſt luxus. item illud Oſeæ: Fornicatio, uinum & ebrietas auferunt cor. hoc eſt, ucrè iudicandi & fortiter gerendi res poteſtatem labefactãt. Quod etiam non ignorauit uates Græcus his uerbis ducem detrectantem uinum inducens:

μή μοι οἶνον ἄειρε μελιχρονα φῶτα μήτηρ,
μή μ' ἀποαγώσης μόνεος δ' ἀλυσῆς τε λάθωμαι.

Dicas, ſi uinum tam noxium habetur, cur ergo tantopere aliàs commendatur? Recipitur id interſacras libationes, eius largi ſit ꝓmiſsio ad Iſraelitas, in Canticis comparantur ſponſæ ubera uino, ſapiens Salomon dandũ eſſe triſticia affectis uinum iubet, quod lætum terræ fructum Græcus poeta uocat, καὶ οἶνος ἄνθρωπον ἱκρηνὸν ἀφύσσει. Et Latinus: Adſis laticemque Bacchus. Nazaræi hic arcentur à uino adſignificandum eos qui Deo conſecrantur ab omni libidine & intemperantia quam uinum accendit, alienos eſſe debere. Vinum igitur aliàs laudatum, haerens in Nazaræo reprobatur ſub myſterio mortificationis ueteris hominis. Neq; mirũ eſt unã aliquã rẽ alia ratione cõmendari, alia improbari. Exempla in leone, ſerpente, canibus, thure, melle, fermento, oleo clara ſunt. præterea eſt uinũ humanæ ſapientiæ, quo inebriati audiunt illud: Perdam ſapientiam ſapientũ. cum quo ſapientiæ uino cõiuncta eſt arrogantia atq; ſuperbia quã in ſuis Nazaræis diuina ſapientia ferre nequit, ut declarat illa ſeuera apud Prophetã comminatio: Væ coronæ ſuperbiæ ebriorũ Ephraim. Hac parte typus in uino Nazaræis prohibito recipitur, diuerſa parte uinum alijs locis commendatur.

Et omne quod inebriare poteſt.) Vt eſt uinum, ceruiſia quam Aegyptij zythum uocant, ex aroma, ceruiſia quam Aegyptij zythum uocant, ex aromatis item & uuis paſsis confectus liquor.

Acetum ex uino.) quod gulã irritat & uãres labefactat. Nam cibos & ſapores non alius magis ſuccus cõmendat, aut excitat, & id uerius nocere in confeſſo eſt. Cõmune nomen aceto eſt & fermento, quod in ſacrificijs reijcitur. Apud Heb. enim חמץ utrumq; notat. Nequitia etiam aceti cognoſcenda eſt ex ſcriptoribus rerum.

Et ex qualibet alia.] Nam ex omni qui ebrietatẽ affert,

affert, succo acetum cõficere licet. Tam est acor cum dulcib coniunctus. Quid enim dulcius uuis, pomis, frugibus, melle? at ex his ut inebrians liquor paratur, ita etiam acetum. de cuius ui miranda non opus est hic meminisse. Tradunt eo infuso saxa rumpi, & margaritas dissolui. Vnde ut ueruis istud noceat, facile colligitur.

Ab uua passa.] חצרורים acini sunt, דג uerò uinacea. Quæ uerba aliàs non reperias. solet ex uinaceis maceratis secundarium uinum, quod loram uocant, confici. Hoc quoq; in potum interdici Nazaræo.

Nouacula.] Sic infra Sampson: Et ferrum nunquam ascendit super caput meũ, quia Nazaræus sum. In pilis considerandus ortus, uarietas, usus: qui in præsidio & ornatu cernitur. Hic uerò præter hæc etiam duo expẽdenda fuerint. Vnũ, cur robur in capillis capitis residere dicatur: alterũ, qua ratione hic Nazaræus pilos alere, Leuitæ infrà eos radere iubeantur. De posteriore suo loco, hic de robore. si quis ortũ capilliorũ considereret, fortassẽ illũ non latebit, cur robur capillis tribuatur. Hic enim capillorũ uirilium materia humore & calore tẽperata occurrit, in qua tẽperatione omnis naturæ uisac robur cõsistit. Hinc quoq; uiri barbam habẽt, qua carent mulieres et spadones. In illorũ quoq; capite caluicies cernitur propter humoris defectionẽ, quæ in spadonib. & mulierib. non cernitur, in his nimirũ abundante humore, non item calore, qui unus naturalẽ uim excitat, qua carẽt calore destituti. Huc spectans Dei spiritus apud Esaiã minatur hostium Assyriorũ caput nouacula radendum, barbã cum pilis pedũ euellendã. Qua allegoria omne regũ hostium robur imminuendũ portendit. Eôdem pertinet illud quod de capillis Nazaræi cœlestis legitur: Caput eius & capilli eius candidi uelut lana alba. In capillis ergo robur indicatur, ut testis est idem Sampson: Si rasum fuerit caput meũ, recedet à me fortitudo mea. ubi apparet ratio exposita nutriendæ comæ in Nazaræis. Deposito hic uelo significatur, omnem molliciẽ abesse debere ab ijs qui Deo consecrati sunt: adesse uerò robur oportere, quib. nimirũ pugnandum sit fortiter aduersus mundum, carnem, & contra omnes in mundo uanitates, cuius pugnæ in forti Nazaræo Samsone mysticum exemplum exhibitum fuit. Huc referẽda barba de qua Psal. Sicut ungentũ Aarõ, quod descendit in barbam Aaron. Vnguentũ uidelicet regiæ fortitudinis & sacerdotalis dignitatis, cuius imago in pilis cernitur. Hac autẽ submota, ut uerũ est in cœlesti Nazaræo neq; fœminam neq; marè esse, ita quoq; in eodẽ neq; pilis præditum, neq; eis carens ac glabrum corpus locum habere, sed nouam creaturam. contra capillati Sampsonis & Messiæ benedicti à uirilis roboris capillis Deo patri probati exẽplum, aduersarius nõ sine ratione rasum caput gerit. Nam is fortitudine priuatus, ad omnem ignauiam, luxum, libidinem, molliciẽ abiectus est. unde fit ut in sacris literis non uiri, sed mulieris, neq; cuiuslibet mulieris, non enim honestæ & pudicæ, sed meretricis nomẽ teneat. Hæc si quidẽ prostituta mundo, quem fœdum & turpem adulterum & scortatorem maritum habet, his uerbis describitur: Et in fronte eius nomen scriptum mysterium: Babylon magna meretrix scortationũ & abominationum terræ.

Vsq; ad completam uiam.) Voti Nazaræi spatium in alijs certo tempore, in alijs per totam uitam durabat, ut in Sampsone licet cernere & Samuele.

Super mortuum.) Depositio typo, quæ funera et quos mortuos ueri Nazaræi uitare debeant, Apostolus uerus Nazir hac exclamatione declarat: Quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? In Nazaræis igitur legalib. mundi elementis subiectis, umbras in Nazaræis uerò noui fœderis qui ab elemẽtis quæ cernuntur in uitando uino, nutriendis capillis, cauendis funerib. liberi sunt. ueritas et corpus quod est Christi spectatur. De quo corpore & ueritate his uerbis Apostolus: Quemadmodũ est ueritas in Iesu deponere iuxta priorẽ conuersationẽ ueterẽ hominẽ qui corrũpitur cõcupiscentijs errorũ, renouari uerò spiritu mẽtis uestræ, & induere nouũ hominẽ qui iuxta Deũ cõditus est per iustitiã. Hæc est ueritas & res ipsa q̃ altera ex parte umbris legalis Nazareatus respõdet.

Quia consecratio Dei sui.) Siue נזר pro cõsecratione, siue corona interpretere, non erit periculũ. nã uox Heb. separationẽ, consecrationẽ & coronam notat, quæ singula in Christũ cœlestem Nazaræum & cæteros mẽbra illius Nazaræos congruit. si separationẽ spectes, legimus, Ego nõ sum de hoc mundo: sin consecrationem, Quem pater sanctificauit. & de sanctis, Sanctificati estis: si coronã regiam, occurrit illud, Rex regum & dñs dominantium: & de sanctis, Fecit eos reges & sacerdotes. Quæ regia fortitudo quæ pugnatur aduersus cõcupiscentiam, uoluptates & delicias mundi, in Nazaræis cernitur.

Sin autem mortuus fuerit subitò.) Redeũdi ad Nazaræatum potestatem fieri ei qui pollutus funere ex improuiso fuerit: sed ita, ut uictima piaculari lustretur. Accommoda ad rem. Casus sanctorum notus, nota item eius sarciendi ratio ex illo Ioannis: Si quis peccarit, &c.

Caput.) sanctitate quæ in capitis cæsarie apparet amissa. Neq; uerò mirũ est in capite consecrationem Nazaræi cerni, quòd sensuum & mentis in quæ diuinus spiritus uersatur. sedes sit, unde etiã prouisum est, ut cerebrum admirandum Dei opus tam firmiter munitũ sit. ealuaria enim id tegens ea, suis futuris contextum, firmitate est, ut auri instar ignem ferat: & ea medicãdi ui prædita ut in puluerẽ redacta, cerebri uitiosas fluxiones, & ex his ortos morbos, ut sunt uertigo, morbus comitialis, paralysis, sanet.

Quod radet.) Quid enim sacro cum profano? regiæ coronæ cum seruitute?

In septima.] Immundus septem diebus habetur, ut menstruo polluta.

Duos turtures.) Adhibentur sacrificia, sine quibus nulla fiebat expiatio ac purificatio. Terrestris funeris macula cœlestis animantis sanguine purgatur. Considerandæ ueritas quæ in Christo ostenditur.

Vnum pro peccato.) *Vnus turtur piacularis est uictima, alter holocaustũ. Vtriusq; significatio in Nazaræũ congruit, cuius par sit purgatã esse noxã per turturẽ, de quo Propheta: Iniquitatẽ multorũ tulit. et in eo igneũ spiritũ holocausti ingere, qui cupiditates ueteris hominis ueri funeris, aboleat. de quo illud: Et sanguinẽ Hierusalẽ lauerit spiritu iudicij et ardoris.*

Sanctificabitq; caput eius.) *denuò crescente cæsarie in ad Nazaræatus dignitatem ad misso.*

Et consecrabit Domino.] *Hebræus habet, tempus consecrationis Deo denuò destinandũ, hoc est repetendũ amissi Nazaræatus tẽpus iam lustrato, superiorib. dieb. irritis factis cõtrectato funere. Quod latinè dicitur irritũ fieri, Heb. efferũt uerbo concidendi* בעלו. *Tropum similiter paraphrastes* יבטלו.

Ista est lex consecrationis.) *Explicatur lex sacrificiorũ cõpleti uoti tẽpore seruanda. Cũ quatuor sint sacrificiorũ genera, piaculũ, holocaustũ, uictima de salute, fertũ cum libatione uini, singula hæc adhibẽtur peracto Nazaræatus spacio. De significatione in Exodo & Leuitico. Si spectemus noui fœderis Nazaræos, quo ordine hi ad perfectũ statũ confecto Nazaræatu perueniãt, satis Nazaræi ipsi experiuntur, qui ab expiata noxa uictimæ piacularis, qui Christus est, beneficio admortificationẽ ueteris hominis et renouationẽ noui per igneũ eiusdẽ Iesu ueri holocausti spiritũ procedunt, et ab hoc holocausto ad uictimã de pace ex uictoria noui hominis de peccato parta, usq; ad minhã panẽ illũ oleo sacri spiritus unctũ qui de se dicit, Ego sum panis uitæ: nec nõ ad libationẽ uini progrediuntur. de quo Dñs ut iã erat cũcta sacrificia legalia impleturus: Dico aũt uobis, non bibam posthac ex hoc fructu uitis usq; in diem illum cum illud bibã uobiscum nouum in regno patris mei.*

Ad ostium tabernaculi.) *Orientale, quod unum patebat, ad occidentem tabernaculo clauso.*

Agnum anniculum.) *marem ex more holocausti, quod fœmellam respuit.*

Et ouem anniculam.) *Agnam fœminam piacularis hostia non aspernatur.*

Hostiam pacificam.) *perfecto iam Nazaræi uoto, hoc est cõparata salute & pace post confecta cum uitiosis ueteris hominis affectionibus prælia.*

Azymorum.) *Horum significatio congruit in Nazaræum fermento malitiæ carentem.*

Vncta oleo.) *Vt minha solita sit deũgi oleo, ea de re suprà Leuitici capite secundo.*

Ac libamenta singulorum.) *Sic ex consuetudine coniungebatur minha & libatio uini cum sacrificio de salute ac pace, nec id mirum. quid enim salute & de hostibus parta pace hilarius?*

Et libamina.) *Libamen arietis.*

Tunc radetur.] *in argumentum perfecti uoti.*

Et ponet super ignem.) *Ne sacri capilli proijciantur profanandi, per ignem more sacrificij Deo consecrantur. Notatur perfectio Nazaræi iam completo cursu abstinentiæ: quam etiã sacrificiũ* שלמים *indicat, cui cæsaries iuncta fuit.*

Sicut pectusculum.) *pro more uictimæ de salute, eius dextro armo cum pectore cedente sacerdoti, adpe solito in ara concremari.*

Et femur.) *Hebræus armum habet.*

Post hæc potest bibere uinum.) *Qui tẽpore abstinentiæ & pugnæ cum uoluptatib. mundi aquã biberat, iam peracto pugnæ spacio, uino lætitiæ exhilaratur. Huc pertinet quod Christus in cõuiuio nuptiarum aquam in uinũ conuerit. quo significauit in nuptijs quas ipse cum sponsa sua, quæ cœlesti Nazaræatu insignis est, celebrat, aquas uariarum afflictionum quæ per pœnitentiã tolerãdæ sunt in illa secessione à mundo & eius uitiosis illecebris in uinum lætitiæ & gaudij Euangelij commutandas esse. De quo uino Iesaias: Venite, emite uinum absq; argento.*

Sic benedicetis.) *rite oblatis & peractis sacrificijs. Sic suprà in Leuitico omnibus ordine lustratis, Aaronem sublatis manibus populo felicia precatum legimus: Et expandens manum ad populum, benedixit ei: adhibita uidelicet formula bene precandi diuinitus accepta. Quæ quoniã in Leuitico explicata nõ fuit, hic exponitur. Atq; in hac primò ij quibus bene precatur sacerdos, deinde bona q̃ precamur, tertiò is per quẽ Deus bene precaĩ & fortunat, cõsiderandus uerit. Bene precãs sacerdos est: Aaron quidẽ, si uetus fœdus spectus: sin nouũ, deprecator sacerdos, de quo Iesaias, Et pro transgressoribus orauit. Bona autẽ quæ optantur, distinguuntur at fœderum diserimẽ, de quo sæpe. ij aũt quibus fausta precatur sacerdos, in uetere Testamento sunt Israelitæ, in nouo electi ac scripti in libro uitæ. De quibus illud: Nõ aũt pro mundo, sed pro ijs oro quos pater mihi dedit.*

Benedicat tibi.) *augens te bonis.*

Dñs.] *pro sua potentia & fide qui uerax sit, & pro bonitate ac clemẽtia separãte omnia opera eius.*

Et custodiat te.] *tuens et cõseruans sua in te collata beneficia ac munera, ne qua ui labefactentur. Tria igitur agnoscũtur hic: Vnũ, nos omnes in maledictione esse, quibus opus sit diuina benedictione: alterum, ab uno Deo omnia bona manare ac proficisci, in qua noticia perit omne præsidium deorum alienorũ: tertium, eiusdem Dei prouidentia sola ea quæ in nos proficiscuntur bona, conseruari.*

Ostendat.) יראה, *id est faciat lucere, hoc est illustret te uultu suo. Quæ phrasis beneuolentiã declarat & amorẽ: Beneuolũ se tibi præbeat, præstãs quæ ex sententia illius cupieris. Sic in Prouerbijs:* באור פני מלך חיים, *id est in luce uultus regij uita, luci quam nihil suauius, comparata beneuolentia. Sicut ex contrario abs ondere uultum, irati est, ut est apud Iesaiam: Abscondisti faciem tuam à nobis. Cæterùm in luce uultus diuini lumen sapientiæ oraculorum cæteraq; bona quæ ex splendore eius nobis affulgente ad nos proficiscuntur.*

Et misereatur tui.) *condonatis tibi delictis tuis. Neq; propterea quòd peccato obnoxius es Dei dissimilis, aspernetur te, sed parcat uitijs tuis considerans fictor tuus sit, tu eius fragile lutũ, & opus manuũ eius*

eius infirmũ. In hac precatione Deo gloria misericordiæ per quã nobis omnẽ salutẽ expediat, tribuitur: uobis aũt miseriæ, nisi ipse releuet, imbecillitati, iniusticiæ obnoxia conditio assignatur. In qua confessione capita nostræ salutis posita sunt.

Conuertat Dominus uultum suum.) פנים, id est leuet ac superferat tibi uultum suum tanquam præsidiarium ac tutelarem, quo respicere te nunquã desinat, quocunq; te uertas. Cura diuina pro suis hac phrasi explicatur. Sed quæ est illa conuersa ad nos facies Dei? Hæc facies Messias benedictus est. De qua apud Malachiam: Ecce ego mittam angelum meum, & parabit uiam faciei meæ. item Oseas: Et uiuemus ante faciem eius, quæ est rex Messias.

Et det tibi pacem.] Pacis meminit, qua nihil in rebus humanis salubrius, ut bello nihil exitiosius. Pace enim reliqua bona in lege promissa continentur, fertilitas terræ, copia frugum, liberorum copia, quorũ altrix est pax, ut ille dicit: εἰρήνη λιπορτρόφος θεά, sed uera pax in pace, de qua illud: Fide iustificati pacem habemus erga Deum, de sæuo peccati & mortis iure.

Inuocabuntq; nomen meum.) ut memores nominis mei fuerint, ego benefaciam eis. Scita paronoma sia in רישרר שברי, id est, Et ponent nomen meum. hoc est, cum meũ nomen super Israelitis nuncuparint, ego benefaciam eis. De hac bene precandi formula loquitur, fore statim ut hæc à sacerdote usurpata sit ipse Israelitæ sit fortunaturus. Itaq; paraphrastes ויתברכה שבי עלבני ישראל, id est, Et proferent benedictionem nominis mei. Precationi attexitur promissio, illam irritam non fore, sed exaudiendam. Hæc est uis precationis sacerdotalis. At quãtore ipsa bene facere præclarius est, q̃ uerbis solũ fausta precari, qd' Aaron solitus est facere, tanto præstantior noui fœderis põtifex ueteris pontifice iudicari debet. Is enim et bona suis precatur à patre, & ea tribuit qui sit seruator noster & redẽptor laudatus in secula. Hic legimus in bene precandi formula, non aliud quàm Dei nomẽ nuncupari, non angelorum, nõ patrũ, non ullius creaturæ. Sed nomen de quo Petrus: Non est aliud nomen sub sole, in quo oporteat saluum fieri. Hoc uerbũ & nomen Messiam esse indicat uates: Mittet uerbum suũ & sanabit eos: Et Oseas propheta: Et domui Iudæ miserebor, et saluabo eos in Deo יהוה. ubi Messias יהוה appellatur nomine sacrosancto. de quo hic in benedictione sacerdotali, Et ponent nomen meum. Quod qualenus sit, explicat Christus ipse: Quidquid petieritis nomine meo.

IN CAPVT VII.

Factũ est autem in die.) De hoc tempore Exodi quadragesimo. In hæc uerba: Mense primo prima die mensis eriges tabernaculum. item: Et assumpto unctionis oleo, unges tabernaculũ cum uasis suis: Quo etiam tempore muneri sacerdotali consecratus est Aaron cum familia sua. Vt in eodẽ loco legitur: Applica bisq; Aarõ et filios eius. Atq; hæc omnia cœpta sunt fieri anno altero ab exitu populi ex Aegypto prima mensis primi qui Martius erat, die: octauo aũt die completa initiatione sacerdotali. Benedictionem diuinã ad populũ, quæ iam cõmemorata est, expositã Leuiticus indicat & Exodus. Tũ principes Israelitarũ peracta consecratione ac initiatione sua, munera attulerunt.

Sex plaustra.) Vno plaustro à duobus, cum ad numerum ducum & tribuum, duodecim essent, bobus tracto, binis ducibus singula uehicula, & singulis singulos boues offerentibus. Senarij et duodenarij numerorum ratio pijs nota. Vterq; in plenis numeris habetur. Ducibus aptum munus boues, & plaustra, à quibus onera populi cui præsunt, portantur. Veritas in Apostolis ducib. noui fœderis duodecim: qui quos boues, & quæ plaustra præbeant, quibus tabernaculi pondera ferantur, nõ est obscurũ. Huc referenda sunt quæ libro tertio Regũ capite septimo de duodecim bob. tradũtur:

Tecta.] ut essent à cœli iniuria quæ portarentur defensa. Nec desunt sua operimenta plaustris, quæ ferunt tabernaculum Ecclesiam, operimentũ uidelicet consolationis diuinæ in oneribus afflictionum. de quib: Apostolus ad Corinthios in hæc uerba: Qui est pater misericordiarũ, & Deus omnis cõsolationis consolans nos in omni afflictione. Nec boum munus minus cõuenerit principibus Israelitarum. His agricultura exercetur, coluntur agri, triturantur fruges, onera uehuntur. Sic duces sancti populi sunt. Hinc Apostolus de bobus legem Mosaicam, Non obligabis os boui trituranti, ad duces Apostolos noui fœderis transferens, dicit: Propter nos enim hoc scriptum est.

Et ea trades Leuitis.) selectis tabernaculi ministris, quibus prosui cuiq; muneris ratione dona principum distribuebantur. de quorum diuersis muneribus uideris capite quarto.

Et onera proprijs portat.) arcam, candelabrum, mensam, aras.

De tribu Iuda.] Quæ ut primam aciem ad orientem tenuit, ita dux eius primò munus suum attulit. Ordo in donis afferendis seruatur qui in ponendis castris seruatus est.

Acetabulum.) Recensentur ordine munera quæ paria omnes duces contulerunt. Atq; hæc erãt, מזרק בת in horum interpretatione inter interpretes non conuenit.

Arietes quinq;.] Arietes & hirci in sacrificia allati congruunt ducibus, qui hircis & arietib. cõparantur, ut est apud Zachariã: Super hircos uisitabo. Sic Leuitici quarto capite principes pro expiando delicto hircis litare iubentur.

Cumq; ingrederetur in tabernaculum.] Iam eo consecrato & dedicata ara. Itaq; sunt qui putant cœpisse Dominum loqui de tabernaculo ea à quibus Leuiticus incipit: Vocauit autem Mosen, & locutus est Dominus de tabernaculo testimonij. Ne obest quod illic legitur de tabernaculo locutum Dominum, hic autem de propitiatorio. Vox enim quæ inter Cherubim de propitiatorio exibat in tabernaculo à Mose extra uelum sanctiori sacrario obtentum, uersante audiebatur. Legitur hic de propitiatorio edita oracula. de nostro cœlesti propitiatorio legimus: Filius unigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Tria ergo hic eo

gnoscuntur: unum, à Deo proponi Christum, quo tanquam uero propitiatorio arcam Ecclesiam tegat & suis reconcilietur, de quo uideris apud Apostolum huc respicientem: alterum, de nullo alio responsa dari ac arcana patris aperiri: tertium, ea oracula in tabernaculo audiri: notato extra Ecclesiam nullum locum esse neq; propitiatorio, neq; diuinis responsis uitam & salutem afferentibus.

IN CAPVT VIII.

Loquere ad Aarõ.] Cuius unius erat accẽdere lucernas quæ in tabernaculo cuncta collustrarẽt. De nostro Aarone legimus, ut se lucem accendat, quæ luceat in tabernaculo. de quo Iesaias: Surge, illuminare Hierusalẽ, quia uenit lumen tuũ. Sed quod lumen? Sequitur: Super te autem orietur Dominus. Dñs inquam, qui de se dicit: Ego sum lux uera. de hac antea prædixerat uates: Quoniã tecũ est fons uitæ, et in lumine uidebimus lumen. sed quæ sint illæ septẽ lucernæ quas is Aaron fulgere faciat, ea dere in Exodo.

Cum posueris.] בהעלתך accendere est hic, tropo à flammis in altum euolantibus sumpto. Rectè igitur paraphrastes באר לקרהך.

Contra eam partem quam candelabrum respicit.) אלמול פני חבונרח, id est, ita accensas lucernas, ut quæ à fronte & ante candelabrum essent posita, collustrarent. Sunt qui hic candelabrum de medio scapo interpretantur quẽ lucernæ respexerint. Quod sit hic אל מול suprà Exodi uicesimoquinto alijs uerbis, sed idem significantibus effertur: יהאירו על עבר פניה.

Auro ductili.) malleis & incudibus subacto. sic ferè interpretes. Verbum Hebræum solidũ & id quod induruit, notat. Itaq; Græci uertunt ἐλατόν. Ex solido auro omnes eius partes elaboratas. Cæterùm de materia candelabri, de corpore & partibus eius, base, medio, scapo scyphis, globis, floribus, de usu item, in Exodo uideris.

Iuxta exemplum.] effictum ad exemplar diuinũ monte Sinæ uiso, aut oraculari lumine repræsentatũ. quod indicat uox מראה: Conciderint igitur quæ ad Dei cultũ humanis artib. excogitãtur, aut ad imitationem Mosæ, cuius ceremoniæ tanquam umbra disparuerint, ad abolendã gloriã Christi statuuntur. Qualia statui solent à bestia, corni hodie nota.

Tolle Leuitas.) Suprà ut selecti sint Leuitæ ex Israelitis, indicatur: sed hic ratio eos purificandi traditur. His autem rebus peragebatur lustratio, aqua piaculari, rasura pilorum, lotione uestium, sacrificijs.

Aspergantur aqua lustrationis.) מי חטאת aqua piacularis est, quæ sic appellata uidetur à uacca piaculari, de cuius cinere in illum solito indi infrà capite decimonono traditur. His aquis adumbrabãtur aquæ per mortem Christi lustratoriæ. de quibus Apostolus: Abluti estis, sanctificati estis. Item Zacharias: In die illa erit fons patens Domini Iacob & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris. His lustrati consecrantur ad mũnisterium cœlestis tabernaculi Leuitæ, de quibus Malachias: Et purgabit filios Leui, & erunt Domino offerentes sacrificia in iust. cia.

Et radant omnes pilos.) In Nazareis pili nutriũtur, in Leuitis raduntur. discrimen expendant pij. Nõ eadem significatio pilorum est utrinq; illic uirile roebur in barba & cæsarie notatur aptũ Nazaræis: hic ueteris hominis indoles indicatur, quæ exuenda sit in consecrandis muneri sacro. Sic iubebatur totum corpus radi ijs qui lepra affecti fuissent. & in Deuteronomio lex extat, ut tractãda sit alienigena quæ in bello capta sit, ab eo qui illã in uxorem ducere uellet, cæsaream uidelicet ei tondendã, ungues præscindendos, & captiuitatis uestem exuendam, significatione nota ijs qui norunt illud: Exuite ueterem hominem, & induite nouum.

Tollite bouem.] Tractãtur sacrificia. Duo iuuenci adhibiti sunt: alter, pro holocausto: alter, pro piaculo. De ætatibus bubuli generis: בני בקר שנים aliàs.

Et libamentum eius similam.) De more holocausti. Nam ferri in oleo subacti libatione, uictima pro piaculo caret. De mystica nota alio loco.

Conuocata omni multitudine.] Cuius approbatione Leuitæ ad munus sacrum reciperentur. in deligendis igitur ministris rerum sacrarum, sic statuitur primò electio diuina: deinde purgatio aptos ad ministrandum reddens: tertiò, approbatio Ecclesiæ: demum, certorũ quæ gerantur munerũ demandatio. De electione diuina legimus hic: Secerne Leuitas. & de Hieremia, Priusquã te formarẽ in utero, noui te: & ante exires de uulua, sanctificaui te. Prophetam in gentibus dedi te. Similia de Ioanne baptista, & Paulo, traduntur. Cuiusmodi diuinæ electionis uim sentiũt monitore Dei spiritu, qui ad sacrũ ministerium uocantur. Vt de se uates: Credidi, propter quod locutus sum. Et Apostolus: Et nos credimus, quapropter & loquimur. Purgari autem ministros Dei priusquã fungantur munere suo, testis est Iesaias: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, & peccatũ tuũ mundabitur. Sic Apostoli accepto in Pentecoste lustratore spiritu sancto, Apostolico ministerio suo deinceps cum dignitate cœperunt fungi. Approbatio Ecclesiæ ut adhibetur tum in deligendis, tum in delectis à Deo ministris, satis notũ. Necnõ & munerũ quæ uaria sunt in Ecclesia, distributio perspecta. Notũ est illud Apostoli: Diuisiones ministeriorum sunt: Vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad id quod expedit.

Ponent filij Israel.) probantes hoc testificandi ritu munus.

Et offeret Aaron.) Leuitas habitos pro התנופה quos Aaron ad quatuor orbis plagas cõuerteret, significata in omnes partes diffundendi ministerij amplitudine.

Supra capita boum.] Quo imponendi manus ritu duo indicabant: Vnum, se peccato obnoxios esse: alterum, peccata uictimis expiari.

Pro primogenitis.] Vt eorum loco sacris operẽtur, sacerdotij & regni ius primogenitis iam ueteri more sibi uendicantibus.

Vt ministrent.] לעבא צבאו ad faciendam militiã. Ministerij Leuitarum sedulam procurationem militiam appellat, qui per turmas suas sub suo duce, qui summus antistes erat, munere suo fungerentur.

Cumq; quinquagesimum annum.) quieti & uacationi destinatum. Quinquagenarios rude tanquã emeritos donari. Locus de diuina prouidentia, qua cuiusq; ætatis quid ferat, habeatur ratio.

Seruire cessabunt.) à ferendis oneribus uacantes.

Eruntq; ministri fratrum.) cæteris Leuitis agnatis suis in ijs quæ senium ferat, inseruientes: ut est cõsilium dare, iuuare in colligendis sarcinulis, claudendis portis, cantandis Psalmis & si quæ sunt eius generis. Nulla ætas igitur suo officio uacabat in administratione tabernaculi. Depone typum.

IN CAPVT IX.

Mense primo.) Quæ hic traduntur, ordine rei gestæ præcedunt ea quæ primo capite narrantur. Hic enim quæ mense primo, illic quæ secũdo facta sunt, commemorantur.

Phase.) Repetit legem de faciendo paschate, idq; nequaquam ociose. Quædam enim quæ in Exodo non sunt exposita, hic explicantur. Vt uidelicet polluti se gerant tempore celebrandi paschatis.

Iuxta omnes ceremonias.] De ritu Exodi duodecimo. in quo hæc fuerint perpẽdenda. Victimæ genus, qui agnus erat. qualitas uictimæ, agnus uitij expers et mas. Tempus item, quo immoletur & edatur: hoc erat crepusculum decimiquarti diei mensis primi. Prætera quæ res cum agno comedebantur. hi erant azimi panes, & amaræ quædam herbæ. & quomodo coctus edatur, assus ne an frixus, aut elixus. tũ personæ, quæ edant. & locus, quo edatur. Non enim quibusuis paratur is cibus. sed Israelitis, & apud hos degentibus peregrinis. Demum usus uictimæ, qui cernebatur in memoria liberationis ex Aegypto, et in adumbrando paschate agne, de quo Apostolus: Nam & pascha nostrũ immolatus est Christus. Vt autem is & quo tempore & quomodo & à quibus & in quem usum edatur, ijs non obscurum.

Iustificationes.) Notæ sunt uoces חקות & משפט: altera, ritus ac instituta quæ ceremoniæ dicũtur: altera generatim iura denotat.

Immundi super anima.) Phrasi Hebræa polluti ex funere. Mundos admitti ad conuiuium paschatis, non immundos. Agni nostri cœlestis carne uescuntur puri. de quib. Petrus in Actis: Fide purificantur corda.

Accedentes ad Mosem & Aaron.) ut ad interpretes legis & oraculorum Dei, quos in rebus dubijs consulere conueniat. de quibus Malachias propheta: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius.

Quare fraudamur.) Paraphrastes pro נגרע habet נחבצע prohibemur.

State ut consulam.] עמדו Stare pro expectare. Sic paraphrastes חדרכר. Reuocata hypothesi ad thesim, memorabilis locus nascitur, in religione sine uerbo ac oraculo Dei ex propitiatorio edito, nihil esse statuendum. cui omnia subiecta esse debent, antistites, & potentissima quæq;.

Siue in uia procul.] remoto itinere prohibente ne faciat pascha in delecto loco, de quo in Deuteronomio: Non poteris immolare pascha in qualibet urbium tuarum, sed in loco quem elegerit Dominus.

In gente uestra.] דור commoratio est & spaciũ temporis quo eorum qui terram incolunt, uita durat. Inde pro certi seculi hominibus & posteris qui ex nobis propagantur, noto tropo usurpatur.

In mense secundo.] Luna ad eundem quo priore mense fuerat, cardinem reuersa, ad cuius conuersionẽ festi dies peragebantur. In plenam hoc festum incurrebat lunam: cuius rei quæ ratio sit, docti spiritu perpendant. Quorum luminium sol & luna significationem habeant, aliàs indicatum.

Cum azymis.) fermentum maliciæ & uersutiæ ueteris hominis respuente agno. de quo Propheta: Eo quòd scelus non fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius.

Et lactucis agrestibus.) מרורים amaras, sed salubres herbas notat. Mysterium crucis indicatur.

Et os eius non confringetis.] Vsurpatus locus à Ioanne Euangelista. Eius agni ossa comminuere nephas erat. de cuius fortitudine Propheta: Et fortium diuidet spolia. Qui confringant ossa agni, satis notum, in aduersarij regno. Ossium robur notum, quæ subiecta corpori mirabiles commissuras, & ad stabilitatem aptas, & ad artus finiendos, atq; ad omnem motum & corporis actionem accommodatas.

Si quis autem mundus est.) Explicatur pœna in transgressores legis. Submota rerum spiritualium umbra, in numero sanctorum non numerandos, qui pesah Christum non celebrarint, id est, pro uictima lustrante peccata mundi, nõ agnouerint, & eius carnẽ nõ ederint sua spreta, ambulantes in spiritu hominis cœlestis, depositio spiritu hominis terreni & animalis. Pesah legale certo tempore, loco, personis affixum fuit. Pesah noui fœderis liberum est ab elementis mundi. quod sub uesperam nouissimi temporis perpetuò & continenter in fide ueterem hominem mortificante & nouum generante, celebratur. In qua fide neq; Israelita, neque Græcus, neque mas, neque fœmina, neq; seruus, neq; liber, sed noua creatura continẽtur. Tria igitur in celebratione nostri pesah cernuntur: Vnum, ut agnoscamus nos peccatores miserè perditos esse & profligatos. alterũ, ut Christum innocentem agnum pro uictima piaculari, quæ nostra peccata expiarit, habeamus. tertium, ut eundem Christum pro capite uniuersæ perfectionis spiritualis ducamus, in cuius carne plenitudo diuini spiritus citra modũ resideat, è qua manet cuique membro uitalis uis qua alatur & conseruetur ad uitã æternã. Hoc credere & sentire, est carnem Christi edere, & sanguinem eius bibere. Nimirum experiri illud: De plenitudine eius omnes accepimus. Quod agnoscere, est carni Christi glorificatæ, uereq; sanctos alenti, & à loci circũscriptione, à tẽpore, et ab omni aduẽticia affectiõe liberæ eã

glo-

gloriã dare, quam à resurrectione sibi asseruit, dicẽs: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Horũ in sacra cœna, in cœtu sanctorũ celebrẽ memoriã celebramus, confitentes, & Christum hostiam delentem noxam nobis, & eius carnem plenam esse diuinitate uerè nos nutrientem. Sed cum hæc delendi condonandiq; noxam uis in Ecclesia corpore illius solum locum habeat, non extrà, additur quartum, cuius in celebratione nostri pesah meminisse oporteat, Ecclesiam esse sanctorum communionem, cuius is agnus caput sit à Deo patre destinatum, cui Ecclesiæ natus sit caro, cui mortem obierit, factus uictima piacularis, cui excitatus è morte, cœlos penetrarit, factus holocaustũ & uictima pro salute, ad mittendum carnis suæ salutarem spiritum, & iustificatorem, & consolatorem in omnibus angustijs & ærumnis. Sic in Exodo ad admirandum testimonium de Ecclesia præcipitur ex grege deligendum esse hœdum. Quam adumbrationem explicans Iesaias pro scelere populi Dei percussum agnum cœlestem confirmat, cuius scientia multi sint iustificandi. Atq; hæc scientia fidei scientia est, ab agno ut capite in nos tanquam membra corporis illius profluens. Hanc autem membrorum in corpore cum capite Christo coniunctionem atq; compagem, quam spiritus charitatis nobis à fide cõmunicatus, efficit, agnoscimus in fractione panis sacri. De qua compage Apostolus: Vnus panis, unum corpus multi sumus. Atq; hac cõmunicatione panis, admonemur à nobis in celebratione nostri pesah abesse debere omnia quæ uinculum hoc societatis dissoluunt, fermentum odij, inuidiæ, ambitionis, sectarũ, auaritiæ, ut etiã in Mosaico pesah pagendo nephas erat adhiberi panes fermentatos. Itaq; si rem ipsam spectes, & interna, perpetua est pesah noui apud sanctos celebratio. de qua Apostolus: Itaq; festum celebremus, non in fermento ueteri. Sin externam commemorationem quæ sacri symboli usu exercetur, hæc ex instituto diuino, tempus certum & locum admiserit, ut externa sanctorum coitio tempore & loco circumscripta est & definita. Quòd autem ipsa symbola nominibus rerum nominantur, ut agnus nomine pesah, & Christi corpus nomine panis, eiusq; sanguis nomine calicis, hic minimè naturæ cõtunctio, sed sacramentalis accipienda fuerit, ut fit in locutionibus mysticis & sacramentalibus, atq; dijudicatio huc adhibenda erit spiritualis, qua ut Apostolus monet, spiritualia spiritualiter, & corporata corporatè dijudicentur, hoc est, spiritualia cum spiritualibus, et corporata cum corporatis conferantur. Quod quale sit, pijs satis intelligent, si panis confectionem, naturam, usum cum corporibus quæ pane nutriuntur, aluntur, augentur, conseruanturq;, & corpus atq; sanguinem Christi cum sanctorum animis quibus illa alimoniam & nutrimentum cœleste & æternum præbẽt, contulerint. Quæ comparatio si fit, rectè iudicamus panẽ esse corpus Domini, quod quem usum corporibus nostris præstat terrenus panis, eum in suo genere præstare sentimus corpus Christi animis piorum. similiter rectè iudicamus panem terrenum esse communicationem corporis Christi, quòd ut uno pane uescimur multi in sacra cœna, ita unius corporis Iesu Christi nutrientibus sacri spiritus alimur quotquot per fidem ei insiti sumus. Quamobrem omnino Christum in hoc conuiuio mystico præsentem esse confitentur pij ea præsentia quam spiritu experiuntur ad usum non terrenæ, sed cœlestis sapientiæ, iusticiæ, uitæ. Veluti etiam ijs quibus ueteres fœdere pesah uescebantur, idem Messias affuit qui est hodie, heri & ab æterno. sed pro mensura spiritus sacri, ætati puerili cõueniẽte. At hac de re alias.

Peregrinos.) Eodem iure peregrinos, siquidem cõsenserint in religionẽ à Mose præscriptã, & indigenas teneri.

Iuxta ceremonias.] Quod est Latinis ex, idem sit apud Hebræos suum caph כחסח, id est ex ritu.

Igitur die qua erectum.) De hac die in Exod.

Operuit illud nubes.) Narraturus profectiones Israelitarum, castrorum ducem primò exponit. Hæc nubes erat. Nec mirũ, hanc delectam, cuius ductu castra mouerentur, & figerentur, ut in qua diuinitatis ipsa magnus operibus declaret. Nam ex nubibus terræ pluuiæ parantur, quibus cuncta floreſcunt & pubeſcunt fruges animantibus pabulum & uictum suppeditantes: quas quoq; pluisse mannam Israelitis legimus apud Psalmum: Expandit nubes in protectionem eorum, & ignem ut luceret per noctem. Quæ nubes ne corum, & ignem ut luceret per noctem. Quæ nubes ne eorum, & ignem ut luceret per noctem. Quæ nubes ne eorum, & ignem ut luceret per noctem. Quæ nubes ne eor

regenerationem aquis,quæ nube continentur et igni, confici: & lucida ac ignea nube Christum & eius discipulos uerum illud Mosaico adumbratum, tabernaculum obumbrari.

Ad imperium Domini.] פה, id est os Hebræis. Sententia est,nutus, præscriptũ,imperium. Locus ad monet electos ad præscriptum Dei uiuere, & in hoc peregrinationis deserto militiam suam aduersus mundum & eius principem ex sententia diuina instruere non de sua,ut Deo duci omnis victoriæ & eius angelo Christo constet gloria. Qui igitur nubem pluentem mannam uerbi Dei ducem,in qua diuinitas habitat,nõ sequantur,satis notum. Est nubes carens aquis,quà se quuntur,de quibus Iudas: Nubes aquas non habentes.

Vel lõgiore tempore.) ימים pro anno interpretantur alij,qui citant illud, ימים יחיה גאלתו.

IN CAPVT X.

FActibi.) Tubarũ fabricatio explicatur,in qua hæc notanda fuerint: numerus, materia,clãgor, genera,usus. de singulis ex litera.

Argenteas.) Materia non plumbum,cuprum,stannum,sed argentum erat purum & sonorum metallũ. Vtrunq; tubis uerbi Dei congruit. si puritatẽ spectes, legis apud uatem: Eloquia pura,eloquia Domini,argẽtum igni examinatum. sin sonorem, offert se illud: In omnem terram exiuit sonus eorum. In quo conueniat argento cum auro periti metallaris artis norunt.

Ductiles.] ex solido argento. Græci sui dissimiles מקשה hic uertunt ἐλατὰς, qui suprà uertissent σφυρήλ.

Quibus conuocare possis.) Vsus tubarum ostenditur. unus erat, quo cõcio cogebatur: alter,quo castra mouebantur. Vterq; usus ad legalem pædagogiã pertinuit. De mystica notatione suprà in Leuitico & mox.

Cumq; increpueris tubis.] Ad duarum clangorẽ multitudo cogebatur, ad unius principes ac duces. Sicut legitur hic ראם אחת, id est, si una tuba clangetur. Noster,si semel. Rectius Græci, ἐὰν ἓν σάλπιγξ. Locus de uetustate buccinarum.

Sin autem prolixior.) Duplex tubarum clangor erat. Vnus inæqualis & uarius תרועה appellatus,uel à iubilo, ut paraphrasti placet: uel à fracta uoce ut nonnullis alijs. utrũq; enim תרועת est. alter uerò sonus simplex ac æqualis. is ad concionem cogendã edebatur,illo classicũ ad mouenda castra canebatur. Qua lis clangor solet esse uehementior & prolixior, quòd maiores spiritus ac animos profectiones sub militaribus signis contra hostes requirant, q̃ quietæ & pacatæ quæ domi habentur, conciones: his cogendis satis est clangor simplex, & summissior: illis uarius et cõcitatior aptior,magisq; ad excitandos animos necessarius. Deposito Mosaicarum tubarum uelo, tubæ ad expeditionẽ contra hostes occurrunt, de quibus legimus apud prophetam: Deus in tuba canet.

Filij autem Aaron.) Sacerdotalis functionis est tubis clangere. Itaq; in altero Paralipomenum libro: Sacerdotes cœperunt laudes Deo canere, et clangere tubis. De tubis sacerdotij noui fœderis laudũ Dei prædicatorijs Petrus: Vos autem genus electum,regale sacerdotium, ut uirtutes prædicetis illius qui ex tenebris uos uocauit in admirabilem suam lucem. Sunt & tubæ,quibus denunciantur calamitates & ærumnæ ijs qui scelerum nulla pœnitentia ducuntur. De quib: crebrò apud prophetas fit mentio. Hæ sunt seueræ illæ propheticæ tubæ castigatrices scelerum. de quibus apud Iesaiam: Clama, ne cesses, exalta uocem tuam quasi tuba, & annuncia populo meo scelera sua. item Zophonias: Dies tubæ & clangoris. Sunt tubæ rursus consolatoriæ, quibus ex ærumnis filij Dei uocãtur ad lætitiam. Hæ sunt Euangelij tubæ, de quibus idem Iesaias. Et erit in die illa,clangetur in tuba magna,& uenient qui perditi fuerãt,et adorabunt Dominum in monte sancto Hierusalem.

Et erit recordatio uestri.] Explicatur usus tubarum qui in uictoria hostium cernitur. Sic infrà buccinis clangentibus muri Hierichuntis corruerunt: De uitrice Euangelij tuba Apostolus: Non enim pudet me Euangelij Christi, potentia siquidem est Dei ad salutem omni credenti,contra hostes peccatum, contra legem uirtutem peccati, contra mortem & contra potestates tenebrarum infirni. de quorum hostium uictoria Oseas: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos,& ero mors tua,ô mors: morsus tuus,ô inferne. Sub plenam uictoriam quæ conficietur in resurrectione mortuorum ad uitam audietur clangor tubarum. de quibus Euangelista: Mittet angelum suum cũ tuba & uoce magna.

Et quãdo habebitis epulum.) Exposito genere conuocationis,iam partes persequitur: tubarum clãgore conuocandam multitudinem in gaudijs, diebus festis,calendis initijsq; mensiũ. In gaudijs quidem,de sublata fame, peste, & hostili calamitate,ut tempore Ezechiæ,& alijs contigit. Festi dies erant solennitates tum hebdomariæ,cuiusmodi fuerunt sabbata: tum anniuersariæ,ut erat pesah, pentecostæ, solennitas propitiatoria,feriæ tabernaculorum,de quibus in Leuitico. Calendæ uerò in interlunia incurrebant, ad lunæ motum mensibus & ferijs supputatis. Hinc mensi apud Hebræos à noua luce sua appellatio: & in Genesi lunã in cœlo collocatam discimus, quo מועדים id est stata solennitatum & rerum gerendarum tempora regantur.

Super holocaustis & pacificis.) Quibus temporibus lætis in nouilunijs & solennitatibus litari solitum fuit, additis fertis oleo conspersis,& libamento exhilarantis uini.

Vt sint uobis in recordationem.] Tubis ad sacrificia facienda uos cohortantibus,& sacrificijs recordationem uestri apud Deum commouentibus. Veritas in Christo holocausto et uictima de salute uera,in quo ut Deus nos excitatos tuba Euangelij amanter respiciat,experimur fide: atque ut nos holocausta sanctos in Christo holocausto gratos habeat,declarat illud: Sacrificium Dei,spiritus contractus.

Ego Dominus.] propensus ad uos audiendos ex

electionis qua uos in meũ populũ selegi, fœdere quod fallere à uobis sollicitatus nequeo.

Accedit autem anno secundo.) Cum iam propè annum unum, non, ut quidam arbitrantur, annũ et quatuor dies, aut ferè biennium uersati apud Sinã mõtem fuissent. Nam mense tertio primi ab egressu ex Aegypto anni, uenerunt ad Sinã montem: & mensis secundi uicesima die anni secundi relicto Sina, in Pharanem profecti sunt. Hoc annuo ferè spacio leges sancitæ sunt, extructũ tabernaculum, consecrati sacerdotes, descriptus in classes exercitus Israelitarum.

Vicesima die mensis.) Iam prima die militari censu habito, ad profectionem contra hostiles gentes necessario.

Per turmas suas.] ordine seruato quadrati agminis in quatuor militaria signa distributi. de quo suprà.

Moueruntq; castra primi.) ברשונה non ad ordinem classium, sed temporis refertur, tum primã profectionem à Sina in Pharanẽ factã esse. Noster Græcos sequitur: λαοὶ ἐξῆραν πρῶτοι.

Portantes sanctuarium Dei.) In מקדש quod Caathini portarunt, quæ contineantur, uideris suprà capite quarto. Præcipuum locum arca habet, post hãc mensa, candelabrum, aræ.

Tam diu portabatur.) Hebræus indicat Gersonios & Merarenses præcedentes in aduentum Caathinorum tabernaculũ erexisse, in quo iam erecto poneretur sanctuarium ab Aarone detectum, quod à solo illo nudum uideri fas erat.

Nouissimi castrorum omnium.) Postremò profectum esse agminis Daniorum signum מאסף, id est congregans, hoc est, claudens totum exercitus agmen.

Dixit Mosi Obab filio Raguel.) Dissentiunt hic interpretes, alijs tradentib. Hobabũ hunc filiũ Iethronis fuisse soceri Mosæ, & fratrẽ Zephoræ uxoris Mosæ, ex quo suprà in Exodo legitur: Quæ cũ reuertissent ad Raguelẽ patrẽ suum. unde effici, Zephoram filiam Raguelis fuisse, cuius & hic Hobabus filius dicitur: atq; hunc חתן id est, affinem uocatũ, quòd ea uox communis sit ad puellæ patrem & fratres. Alij uerò uolunt hunc Hobabum fuisse Iethronem socerum Mosæ, patrẽ Zephoræ, filiũ Raguelis: neq; obstare, quòd is suprà in Exodo pater Zephoræ dictus sit, quòd patrum etiam nomine aui contineantur. sicut Iacobum dixisse legimus, Patris mei Abraham. Nonnulli arbitrantur & Iethronẽ Raguelem dictũ, quòd mos sit liberos præsertim primogenitos, parentum nominibus appellari, ut de Ioanne Baptista constat: Et uocabant eum nomine patris sui Zachariam.

Proficiscimur ad locum.] Hortatio instituitur suis consultationis munita locis.

Vt benefaciamus tibi.] qui in hac solitudine rerũ copia destituti parem gratiam referre non potuimus. Ab utili.

Quia Dominus bona promisit.] Vtilitatis spem confirmat promissione diuina, quæ fallere nequeat.

Sed meam terram.) quemq; suæ patriæ spe teneri, in qua parentes, liberi, amici, cognati, aræ, foci, hæreditates, quibus nihil suauius, ut ille apud Græcũ natẽ, ὡς ἡδὺ γλύκιον ἢ πατρίδος, ἠδὲ τοκήων γίνεται.

Noli nos relinquere.) Repetit hortationem.

Tu enim nosti.) Ab æquo. Par esse, ut amici amõ cos, cognati cognatos in rebus angustis & difficilibus iuuent. Locus memorabilis, cum præsidio prouidentiæ diuinæ non pugnare amicorum mutuã opem: sed hãc commendari ut suus usus constet charitati & dilectioni. In Deo omnem spem ponendam, & amicorũ ac fratrum studia non aspernanda, hominib. conditis & ad legẽ dilectionis, regenitis ut inter se ament, et mutua officia charitatis declarent, ad imitationem Dei, cuius amor & beneuolentia in omnem hanc uniuersitatem diffunditur.

In quibus locis per desertum.] tam horridũ ac squalidum, in cuius peragratione, tanto exercitui opus sit sapientium uirorum consilio & consolatione, satis perspectum habes. Vt igitur hactenus nos iuuãsti sapientia tua, ne posthac ut nos deseras contra infestas gentes proficiscentes fas fuerit: sed potius ut sis לעינים, id est, oculorum uice sapientiæ tuæ luce nos illustrans, æquitas postulabit, quo possimus tantã multitudinem in tam sterili solitudine moderari. Seita ætatio, uice oculorũ esse, pro ducem se præbere & consilijs iuuare. Oculi enim tanquam speculatores alijs mum locum obtinent, qui multa circumspicientes præclarè funguntur munere suo. Quod ergo hi præstant corporibus id sapientum consilia præstant rebus.

De monte Domini.) oraculis ostentisq; Dei in eo editis claro. Duo montes Dei nomine insignes sunt, Sina & Sion: alter, propter legem Mosaicam: alter, propter legem de qua Iesaias: De Sione exibit lex. Itaq; ut lex Mosaica pædagogus est ad Christum, ita Sina mons uicinus est ei qui uocatur Sion. Contermina enim est Petræa Arabia Iudææ. Hinc Ioãnes: Lex per Mosen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est.

Arcaq; fœderis Domini præcedebat.] Dicãs, Si præcessit arca, cur ergo Caathini portantes arcam secuti leguntur Gersonios & Merarenses? alij duplicem arcam fuisse tradunt. unam, fractas à Mose tabulas continentem, quæ præcesserit: alteram, quam Caathini portarint: alij unam tantũ statuunt, quæ hac solum uice præcesserit, alijs temporibus secutam Gersonios castris Israelitarum cinctam.

Cumq; eleuaretur arca.) בנסע proficiscente arca, ut quam tegeret propitiatorium, in quo omnis aderat Israelitarum salus.

Surge Domine.] ostendens fortitudinem tuam aduersus hostes tuos. ἀνθρωποπαθῶς institutur oratio ad Dominum, qui tanquam gnatus dux classico excitatus ad pugnam se paret. Eôdem toties illud in Psalmis usurpatum, spectat, קומה יי.

Et fugiant.] de more acie primò hostium exercitum dissipante, deinde in fugam uertente.

Reuertere.) persequutus dissipatos & fugientes hostes, & iam quete ab his data. Nam etiam interdũ שובה

שרבב idem est quod בחח. citatur illud ex Iesaia: בשרבב רגחת תרשיעה.

Ad multitudinem exercitus Israel.) רבבות אלפים uerti potest, Aut multa milia, aut עשרת אלפים decem milia. Numero eo immensis Israelitarũ copijs significatis. Nam & denarius summa numerorum est, & millenarius cubus denarij. Quantæ autem sint copiæ Israelitarum scriptorum in cœlis pro quibus Christus dux orat, ut uictoria de hostibus suis potiantur, patefaciet dies Domini.

IN CAPVT XI.

INterea ortum est.] Describitur grauis tentatio qua populus iam sanctis legibus, & constituta republ. ad Sinam montem, cum ab hoc primum mouisset castra in Pharane solitudine tẽtatus fuit. In qua tentatione legis à Mose promulgatæ uis & natura, populi noxa, mulctatio noxæ, precatio Mosæ ad Deum, & eius exauditio: demum ut hæc ad statũ terreni & ueteris hominis in electis accommodentur, cognoscendũ fuerit. De singulis ordine suis locis.

Murmur populi.) Iuana meditantis & expostulantis improbè de præsenti rerum statu. Verumque notatur in uerbo מתאוננים nota enim est uocula, און, unde uerbum illud deciditur.

Contra Dominum.] באזני יי in auribus Domini, quibus omnia patent. Coram eo quem præsentẽ in nube ad propitiatorium habebant, tam tuquè conqueri non ueriti sunt, cuius antea tot beneficia senserant, & eius legibus iam formati fuerant. Qua ex contumaci rebellione quid lex Mosaica quamuis sancta sit præstare posit, intelligimus, nimirum illud quod Apostolus dicit: Sed occasione accepta, peccatũ per præceptum genuit in me omnem concupiscentiam, quæ mox describetur. Exemplum ingratitudinis & contumacis rebellionis proponitur, quod impunè non habuit, ut sequitur.

Iratus est.) non leuiter. Legitur enim ויחר אפו quod est incandescentis furoris igni è narib. micante.

Et accensus est in eos ignis.] qui in legem delinquerant dilectionis Dei, ignea lege mulctãtur. de qua in Deuteronomio: In dextra eius lex ignea, cuius in sceleratos iudicium igneum sit. Ignis igitur qui bonis se ducẽ cũ nube præbet, ultorẽ scelerũ malis quos cœlitus demissus consumat, se ostendit, ut sequitur.

Deuorauit postremam.) in qua promiscuum uulgus remotum à sanctuario erat.

Et absorptus est ignis.) Locus de ui deprecationis sanctorum.

Vocatum'q nomen loci incensio.) תבערה diuinitus multis locis indita nomina, ut monumentum in eis extaret ad posteros diuinæ uel iustiçiæ, uel bonitatis ad illa declaratæ.

Vulgus quippe promiscuum.) à puero Aegyptiorum institutis & uictu assuetum. Quam assuetudinem oracularis disciplina à Mose promulgata in alienigenis hominibus uincere non potuit. Tantum uatet consuetudo & educatio. Ad hæc in magnis exercitibus effrenis multitudo uersari solet. Vt ille:

οὐ γαῤ μυείῳ ῥᾳστα σώματι
ἀνόλαγος ὄχλος.

Iunctis sibi pariter filijs.) ex conuersatione cum promiscua plebe depraua tis, neq; dum detritis ueteris uictus & educationis Aegyptiæ uestigijs. Reuocanda ἀναθέσεις ad consultationem seu locum communem.

Quis dabit nobis.) Describitur contemptus mannæ, & carnium concupiscentia. Semel igitur & iterũ legitur populus is quòd carnib. careret, iniquius in auribus Dñi conquestus. Primò cum in desertum Sinem, quod est inter Helma & Hormam, decimoquinto die mensis secundi nemisset. de qua expostulatione uideris Exodi decimosexto. secundo hinc profectus ex Sina monte in Pharanem. Ideo hic uidetur legi: דרשבר ריבבר.

Carnes.] Adumbratur hic ueteris hominis natura in electis, carnalia expetens, non spiritualia. Is porrò in Aegyptũ in decliui sitã cum Israelitis respiciens dicit: Quis nos carne pascet? quis ueteres, quibus oblectati fuimus, mundi delicias exhibebit? contemplare præsentia tempora. contrà nouus homo in promissam à Deo hæreditatem in alto sitam prospectat, cogitans, illud: Itaq; si resurrexistis unà cũ Christo, superna quærite ubi Christus est ad dextram Dei sedens: supernæ quærite, non terrestria. Terrenus item homo de cœlesti cibo nausea concepta, pisces, cucumeres, pepones, porros, cepas, allia Aegyptia cœlesti mãnæ præponit & hanc nauseans dicit: Nihil aliud nisi manna obuersatur oculis nostris. Contrà nouus ille & cœlestis homo unicè mãnam expetit. de qua manna ipsa cœlestis: Hic est panis ille qui de cœlo descendit, si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum.

Gratis.] aut uili precio, hoc est in loco חנם nusquam placidè sonans.

Arida est.) contabescentibus nobis præ carnium cupiditate, cui si non suppetit, quod uehementius expetitur, corpora tabe confici ac exarescere constat.

Nihil aliud respiciunt oculi nostri.) Contemptus mãnæ. Graue delictũ iniquè expostulantis populi describitur. In quo reprehenditur quòd neq; præteritorũ beneficiorum per ingratitudinem, neq; præsentiũ, neque futurorũ bonorum promissione terræ omni rerũ copia affluentis in dubiũ uocata, rationem duxit: sed sic cõpositus est terrenus & Aegyptius homo, de quo homine his uerbis Dominus: Qui ex terra est, terrenæ sapit, & loquitur. Et Apostolus: Animalis homo non percipit ea quæ sunt Dei.

Erat autem Man.) Digreditur ad descriptionem mãnæ. cuius ut ortus, natura, forma, usus, notanda sine, ea de re suprà in Exodo.

Quasi semen coriandri.] Nõ coloris qui albus erat, sed figuræ comparatio est. Similiter Iosephus pro גר habet, τῷ λογιώδει σώματι.

Coloris bdellij.] Qui color albus erat, ut ex Exodo liquet. Hic bdellij fit mentio, illic coloris albi, nõ bdellij. Suprà in Genesi inter gemmas numeratur, בדלח. Scriptores rerum in arborum generibus ponũt bdellium. de cuius descriptione apud illos uideris. Græ

ei diſſimiles ſui ſunt, quibus בדלח pro in Geneſi carbũculus placeat, hic cryſtallus, cui albore mãna ſimilis eſſet, figura coriandri exiguis & globatis granulis.

Frangebat mola.] Ratio parandæ in cibum mannæ in Exodo prætermiſſa.

Panis oleati.) לשד חלחח חגכבות חצרלח לשד לטעלח בכל שמן id eſt liquor melior eſt olei ſupernatãs. In mãna omnia cernuntur præcipua, quæ in minha inſunt. In hac porrò ſpectatur farina triticea. in mãna ſua quoq; farina in mola contuſa ſimilaginis uicem præbens. Minha panes depſiticos oleo cõſperſos præſtabat, eoſdem ex manna paratos hic legimus. Nec ignis unicè in ſacrificijs Deo gratus hic abeſt. legitur enim, Coquens in ollis. Hic mannæ ſapor comparatur ſapori placentæ oleo perfuſæ, ſuprà in Exodo ſapori placentarum ex melle.

Ros.) Cum rore mannam deferri ſolitam. Vt cum rore ſuo manna noſtra coniuncta ſit, indicat illud: Caput meum plenum eſt rore. ſed quo rore? legitur infrà: Fluat ut ros eloquium meum. Imo Dominus noſter Chriſtus mãna & ros dicitur. Nã rori eũ cõparari indicat Oſeas propheta, cũ ait: Ero quaſi ros Iſraeli. ubi Chaldæus interpres: Erit uerbũ meũ ſicut ros Iſraeli. Et id ueteres Hebræorũ interpretes de Meſſia interpretantur. Multis aũt de cauſis Chriſtus Dominus noſter rori confertur. Primò enim ut ros deſcẽdit in ſinũ terræ ad eam fœcundandam, ſic Chriſtum deſcendiſſe de cœlo apud Ioãnem legimus. Deinde ros noctu de cœlo deſcendere occultè intelligitur. Sic Chriſtus mũdo uerſante in tenebris deſcẽdens, cõceptus eſt ſpiritu ſacro, et natus ex Maria uirgine, abſcõditis ipſi naturæ modis. Tertiò, ut ros noctu delatus in terrã ea quæ ſol interdiu caloris ſui ui arefecit, reficit, ita cœleſtis ros Meſſias benedictus habet. Qui de ſe prædicat: Venite ad me omnes qui laboratis, ego uos reficiam. Quartò, ros ſuo officio in terra perfunctus, ſummis herbarum partibus inſidens, originem ſuã petit. Sic cœlũ ex quo deſcendit Meſſias repetit ad gloriam cœleſtem rediẽs. Huc pertinet illud Ieſaiæ cap. quadrageſimoquinto. חרימפר שמים ממעל ושחקים ידלו צדק תפתח וארץ ויפרו ישע צדקה יצמיח. Hic negligi non debet rorem neq; gelu, neq; ardoribus, neq; uentis, ſed ſerenis tantum noctibus exiſtere.

Cur afflixiſti ſeruum tuum.) Expoſtulatio Moſæ cum Deo, nata ex muneris quod ſuſtinebat graui onere, & populi contumacis rebellione, non ex acerbitate animi in Deum quem obſeruabat.

Iratus eſt furor Domini.] carnales affectiones in ſuis non ferens. de quibus illud: Propterea quòd affectus cærnis inimicitia eſt aduerſus Deum.

Quare non inueni gratiam.] Cur mihi gratificatus non es, cum orarem ut mitteres idoneum aliquem ad fungendum tanto munere?

Porta eos in ſinu tuo.] Quod meæ imbecilitatis non eſt ſeo quæ potentiæ, qui dcte dicis. Et aſſumpſit atq; portauit humeris ſuis.

Nunquam ego concepi.) parentum uicem præſtans, quam nõ ego, ſed tuobis, qui dicis alicubi: Factus ſum Iſraeli pater. Itẽ: Nunquid non ipſe eſt pater tuus qui poſſidet te, & fecit & creauit te?

Non poſſum ſolus.) niſi ſtu farcias quæ mihi deſunt. Cauſatur imparem facultatem. Septuagenarius ut conſtet ex ſeptenario & denario, notæ perfectionis numerus in ſe ductis, notum.

Grauis eſt mihi.) Comparatio ineſt in מכבני. eſt enim grauior quàm quem ego feram. Scitè grauis uox reſpondet uerbo לשאת & oneri לברשא.

Interficias me.) gratiore mihi futura morte, quàm ut in oculis feram populum aduerſus te tam contumaciter peccantem propter earum rerum inopiam quas ego præſtare non poſſum, & præter te nemo poteſt. Hæc expoſtulatio tacitam petitionis uim habet. Exemplum in Moſe grauis & difficilis conditionis ſeruorum Dei.

Congrega mihi ſeptuaginta.) Exauditur Moſes. Septuagenarius deligitur numerus celebris multis alijs rebus, nimirum ſeptuaginta hominibus, qui in Aegyptum deſcenderant, ſeptuaginta palmis in deſerto Helim repertis ſeptuaginta annis exilij Babilonicè ſeptuaginta hebdomadis de quibus Daniel, iniquitatis finem ſuum afferentibus. Tradunt ad poſteros gentis Iſraeliticæ morem manaſſe, ut in ſingulis ſynagogis ſeptuaginta ſapiẽtiæ doctores eſſent, Scribæ à Chriſto in Euangelio appellati: necnon & ſeptuaginta ſenatorij ordinis, qui in ſingulis ciuitatibus uis diceret conſtitutos quos Hebræi סנהדרים uoce à Græcis mutuata appellant. Notæ enim hæ uoces ſunt σύνεδρος & συνέδριον. Itaq; Chriſtus ipſe quoq; ut ſua ſeptuagenario dignitas conſtaret, ſeptuaginta diſcipulos qui Euãgelium de regno cœlorum in ciuitatibus Iſraelitarum prædicarent, habuiſſe legitur.

Et auferam) ראצלחי id eſt, & deſumã de eo, qui penes te eſt ſpiritu. Deciſum enim eſt uerbum ab אצל uoce nota. Sentẽtia eſt eo ſpiritu quo ornatus es, etiam ſeptuaginta illos ornabo. Sic legimus Heliæ ſpiritũ requieuiſſe ſuper Helizæum. & Ioannẽ baptiſtã uenire in ſpiritu & uirtute Heliæ. Non igitur quod dicitur hic de copia ſpiritus Moſæ, qui Dei ſpiritus erat, hauſtum et immiſſum ſeptuaginta, ille imminutior factus eſt. Vt qui lumen de ſuo lumine accendit, facit ut nihilominus ipſi luceat, cum illi accenderit. Hæc eſt illa inexhauſta uis & perẽnis diuini ſpiritus fons. Aliud aũt eſt, de Chriſti ſpiritu accipere: aliud de Moſæ accepiſſe ſeptuaginta. Alter enim ut caput uniuerſæ perfectionis ſpiritualis ipſe impartit cuiq; ſuum ſatis ſpiritus modum, ſicut dicit de ſe: Mittam ſpiritum. Alter non item.

Et non ſolus graueris:) Reſpondit illi: Non poſſum. Dicas: Cur conqueritur quod ſolus ferat omnes moderandi populum, qui ex Iethronis cõſilio decanos quinquagenarios centuriones qui ſecum remp. regerent, delectos haberet. de quo cõſilio ſuprà in Exodo. Iethro quidem deligendos eſſe, qui in rebus ciuilibus tractandis operam ſuam communicarent, fuaſit, rerũ autem ſacrarum curam omnem Moſi obeundam. De hac cura longè difficillima hic conqueri Moſem, quam gere-

gere solus nequeat. Igitur hic: Auferam de spiritu tuo, et infrà: Quis tribuat ut omnis populus pphetet?

Sanctificamini.] Rectè paraphrastes אדרמצו id est parati sitis. Sicut apud Hieremiam: Sanctifica eos in die occisionis sunt qui ἐφευρετὰς usurpatum lu strandi uerbum ac sacrandi המדישו uolunt. Qui nimirum impuri non sacri malo suo, non bono carnibus cup ditatem erant expleturi. Locus notabilis, non semper clementiæ diuinæ indicium esse, nos exaudiri. Exemplum sunt Israelitæ. Sed interdum Deum satisfacere nostris cupiditatibus, ut inde queritationis iniquæ pœnas sumat, & nos plagis emendati moneamur salutaria nobis & gloriosa Deo postulanda esse.

Non uno die.) Omnia duplicantur, dies, decem dies, dum à uigesima ad menstruam diem ueniat quæ perficitur, confectis à luna menstruis sui cursus in signifero spacijs. significatur igitur plenum satietatis tempus. Quare sequitur.

Donec exeat per nares.) Phrasis nauseandi. Itaque paraphrastes רתסרצו, id est dum fastidiatis. In naribus olfactus sedē habet, qui in nausea affectis, ab odore carnium abhorret.

Et uertatur in nauseam.) זרח eleganter quidem interpretantur, non pro dispersione, sed pro re aliena quæ homini fastidium pariat, uerbo deducto à זר & Aleph loco He posito, ut fit in ברא & alijs. Iustæ talionis exemplum, ut cupiditates carnales nausea consequatur, & uoluptatem molestia.

Eo quòd repuleritis Dominum.] Violata fœderis fide, qua ad Sinam montem uos illi obstrinxistis, dicentes. Omnia quæ locutus est Dominus faciemus.

Qui in medio nostri est.) nos oraculis suis regens & conseruans.

Sexcenta millia peditum.) Suprà capite primo numerantur sexcenta tria millia quingenti, quinquaginta. fortasse non anxie repetit hic numerū, semel memoratum: aut qui hic nō recensentur: sunt illi quos ignis absorpsit. Hæc non dubitantis de diuina potentia uerba sunt, sed admirabundi interrogatio, quæ culpa caret: ut caruit etiam in sacra uirgine cum per interrogationem responderet angelo: Quomodo erit istud, quando uirum non cognoui.

Nunquid manu.) Responsio Domini, qua admirationi Mosæ occurrit commemoratione potentiæ suæ minimæ contractæ. Græci uertunt ἐξαρκέσει, manum Domini sibi satis esse ad omnes defectus sarciendos, qui sit uera illa αὐτάρκεια, qua ipse sibi satis sit nulla re egens, & ad cætera quoq; conseruanda satis uirium habeat.

Venit ergo Moses.) egressus ex tabernaculo ac cepto diuinitus responso. Est enim יצא.

Cumq; requieuisset.) Dignitas sanctorum, in quibus solis requiescat ac consideat diuinus spiritus, tanquam in apta sede, nimirum consorte diuinæ naturæ.

Prophetarunt.] Admonendo, castigando, uaticinando, & interpretando sacra oracula, laudando Deum, hoc est obeundo omnem curā quæ in regenda Ecclesia cernitur. Quam latè enim Prophetæ nomen pateat, ex alijs sacræ scripturæ locis notum.

Nec ultrà cessauerunt.) sine intermissione suo munere functos. Similiter paraphrastes לא מסיסרו Aliter alij, semel tantū pphetasse. In qua sententia sunt Græci ἐκ τὸ μὴ ἔτι προσθεῖναι τὸ. Sed quid opus erat septuaginta deligere ad iuuandum Mosem in sacra functione non persecuturos.

Duo uiri.] Interpretes referunt ex singulis tribubus senos delectos, conscriptosq; in tabulis, explesse numerum septuaginta duorum, ex quibus in castris duobus relictis septuaginta solum Domino ad tabernaculi ostium repræsentati sint. Sic enim habent אמרו חבמי חול שלשח בשח בכל שבט ששח רחנה שנים רשבעים ובעברו שאמר לו חשם שבעים איש חגיח חשנים.

Et non exierant tabernaculum.] de castris in tabernaculum cum reliquis.

Prohibe eos.] Præposteri studij in discipulo erga magistrum exemplum quo ecclesiæ salus impedebatur, nec magistro consulebatur. Rectè ergo studium istud à Mose ut sequitur, reprehensum.

Quid æmularis pro me.) Moderationis memorabile ad imitandum ministris Dei, exemplum, in Mose dona sacri spiritus boni consulente in alijs, non inuidente. Num tu pro me inuides, qui nemini inuideam Dei dotes, quas scio populo huic quibus regatur, necessarias esse, & mihi ad muneris quo fungor, tam graue onus releuandum commodas. Ideo sequitur: Quis tribuat? Implet legem charitatis Moses, de qua Apostolus: Charitas patiēs est, non inuidet. Noluerat Moses hanc mansuram, prophetandi munere abolito: Charitas nunquam excidit, siue prophetia abolebitur, siue linguæ cessabunt.

Quis tribuat ut.] ad prædicandam gloriam Dei, quam par sit ab omnibus celebrari. Optantium phrasis est apud Hebræos: Quis tribuat? pro utinam tribuat.

Et det eis Dominus spiritum suum.) quo præditi & inter se doceant & admoneant, & fœdis cupiditatibus rerum carnaliū quæ exitium afferunt, abstineant. Quam carnalium affectionum perniciem declarant concupiscētiæ, de quibus mox, busta.

Ventus autem.) Exauditur Israelitarum fletus, sed ipsorum malo, ut mox patebit. uento quo uolucrū flatus in hoc spirabili aere dirigi solet, usus est in aduehendis coturnicibus Dominus, ne operum suorum, ad quem condita fuerant usum, contemnere uideretur. Tradunt autores, Arabicum sinum magnam coturnicum uim habere. Vnde fortassis delatæ sunt in castra Israelitarum. quò pertinet, ut uidetur, uerbum ascendendi in Exodo usurpatum רתעל חשלו, id est & ascendit coturnix. Alioqui ut tradunt scriptores rerum, coturnices duce ἡγεμονήτρα uolant aquilone uento flante uitato humido austro propter corporum molem.

Coturnices.) Genus uolucris pro corporis mole non altè uolitās. Opponit mannæ cœlesti terrenā uolucrem. Hæc in Exodo ascendisse, illa descendisse

legitur. Confer duos homines inter se, cœlestẽ & terrenum, & duo genera ciborum, quorum altero terrenus, altero cœlestis homo nutritur, lineas discrimi nis noui & ueteris hominis hic ductas intelliges.

Decem coros.) Contra gomerem unum mannæ in singula capita collectum in Exodo indicatur. Hoc est, tantũ quantũ satis esset ad præsentem diem ad uescendum.

Et nocte.] De uictu in crastinum diem, contrà quàm fas esset, solliciti. secus mannæ collectio habebat, de qua in hæc uerba: Colligat unusquisq; quantũ satis sit ad uescendum. Notatur hic impotens cupiditas in Aegyptio Israelitarum homine.

Arreptas.] Hebræum uerbum רגד notat maris littus nudatũ coturnicibus, quasi tonsum apparuisse.

Ecce furor Domini.] Punitur fœda cupiditas. sed quo genere cladis cupidos affecerit, non explicatur.

Vocatusq; est ille locus.) in monumentum ad posteros iusti iudicij Dei, cuius exemplo nos qui in finẽ mundi incidimus, admoneremur, eos qui in carne sunt, id est affectiones carnales sequuntur, Deo placere non posse. Itaq; idem Apostolus: Sed plures illorum non approbauit Deus, prostrati enim sunt in deserto. Hæc autem figuræ nostri fuerunt, ne nos simus cõcupiscentes rerum malarum, quemadmodum & illi concupierunt: sed studeamus sobriè uiuere, uictum cultumq; corporis ad ualetudinem & ad uires, non ad uoluptatem referentes.

Egressi aũt de sepulcris.] quæ in Pharane erãt.

IN CAPVT XII.

Locutusq; est Maria & Aaron.) Exemplum inuidiosæ oblocutionis in Maria sorore Mosæ & Aarone fratre obloquentibus Mosæ, ne qua diuino uiro etiam à suis tentatio abesset. Hæc est sors sanctorum seruorum Dei, sed in qua etiam Christus caput sanctorum fuerit, qui de suis apud uatem in hæc uerba conqueritur: Filij alieni mentiti sunt mihi. Indignũ est contumelijs ab alienis affici, indignius à propinquis. acerbũ est à bonis lædi, acerbius ab ijs qui in sacro munere tecum uersantur. Primò igitur hic noxæ genus, quod calumnia inuidiæ plena erat, deinde mulcta, quæ lepra fuit, expendenda fuerit.

Aethiopissam.) Prætermitto uarias de Aethiopissa hac sententias, quas alij referunt. qui planè interpretari & rectè se sentire putant, de Zephora Iethronis Madianitæ filia exponunt, quæ Aethiopissa appellata sit, quòd Medianitæ inter Aethiopes, non illos qui ultra Aegyptum habitant, sed qui Arabiæ uicini sunt, numerãtur. Sic enim legitur in altero libro Paralipomenum: Et Arabum qui confines sunt Aethiopib. Ad hæc Madianitæ in tentorijs sub dio pastoriciã uitã degentes, solisq; calore deformati, similes nigro re Aethiopibus erant, de quibus apud Prophetam in hæc uerba: ירגזו יריעות ארץ מדין. Vbi noster: Turbabantur pelles terræ Madian. Sed quæ causa oblocutionis & detractionis de dignitate Mosaica fuerit, alij aliter. Causa in litera exponitur.

Num per solum Mosem.) Explicatur inuidiæ morbus in Maria & Aarone, quo qui alios aut opib. aut pulchritudine, aut sapientia, aut alijs præclaris dotib. similes sibi uident, laborant. Itaq; Maria & Aaron præstantes prophetandi dono in hæc uerba inuidenter obloquuntur: Solumne cum Mose colloquitur Deus, an non nobiscum quoq; colloquitur? Sic magnos uiros inuidia comitat: solet ut umbra corpus. Sic ut ille apud Sophoclem dicit: πρὸς γὰρ τὸν ἐχθρὸν ὁ φθόνος ἕρπει.

Erat autem Mose uir.) Laus Mosæ affertur ad grauandum inuidentiæ crimen in aduersarijs, & ad tuendam eius innocentiam aduersus uirulentas illorum linguas. Nec intererit ad fidem historiæ, Moses ne hæc de se literis prodiderit, an alius quispiam, cum hæc diuinitus annotata sint bono nostro.

Mitissimus.) A mansuetudine laus, qui nec diuinis quibus excellebat dotibus, insolesceret, nec alienis bonis inuideret, nec ullis hominum malorum opprobrijs commoueretur ad se uindicandum, sed in omnibus facilẽ, benignum, mitẽ, lenẽ se exhiberet. Quod in uiro illo diuini spiritus munus erat: suis charitatis non fucatæ expletũ numeris. de qua charitate in hæc uerba Apostolus: Charitas patiẽs est, benigna, & nõ inflata, non fastidiosa, non cogitans malum. Atq; hæc omnia in uno uerbo עני cõprehenduntur. Exemplũ insigne mansuetudinis editum aduersus contumaciẽ populum legitur suprà in Exodo in hæc uerba: Aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Sed quæ ad tantã mansuetudinem Mosem perduxerunt? Duo sanè. alterũ est commerciũ illud et frequẽs colloquiũ cũ Deo: alterũ, usus crucis, quæ duo etiam ferrea & durissima pectora leuire ad mansuetudinem possunt. usus inquam crucis, & colloquiũ cum eo qui dicit: Tollite iugum meum super uos, & discite à me quòd mitis sim & humilis corde. Vbi procul dubio à Christo usurpata fuit uox עני quæ mitẽ & שפל id est demissum animo notat. cui contrarius est superbus & crudelis animus. Indicatur etiã qua uirtute rerũp. rectores præcipuè uigere debeant. Hæc mansuetuoo est coniuncta cum scientia oraculorum Dei ex qua creatur: quæ efficit, ut sanctis uiris ex se ipsis apta sint omnia quæ ad bene uiuendum conferunt. qui neq; aliorum de se opinione, neq; ex fortuitis aliorum casibus & euentis, sed ex uno numine Dei & eius uerbo pendentes nullum theatrũ probitatis conscientia maius esse existimant, & ad ueram gloriam quæ uirtutem tanquam umbra sequitur compendiariam uiam esse si quis id agat, ut qualis haberi uelit, talis sit.

Statim locutus est.) Studiũ asserendæ innocentiæ Mosaicæ festinatio in Domino indicat מהרה ut quidam uolunt. eiusdem sunt גדרת quod simplices & imperiti omnia subitò & inconsultò agunt.

Egredimini.) ex suo quisq; tentorio.

Egressi.] ex tabernaculo.

Descendit.) ad uindicãdam autoritatem serui sui Mosæ, punita Maria.

Prophe-

Propheta.) In hoc de uera prophetia loco explicando, primò quid prophetia sit, deinde eius generà notanda fuerint. Prophetia igitur diuina earum rerum quæ ad amplificandam gloriam Dei faciunt, atque ad salutem sanctorum, & ad castigationem malorum pertinent, patefactio est. In quo uocis ambitu cõprehenduntur tum de futuris rebus oracula, tum horũ interpretatio quæ cõmoda sit & salutaris sanctis, & terrori impijs, & Deo gloriosa, ut prophetare sit uoluntatem Dei cognitam tenere, & ex hac posse admonere, castigare, consolari, terrere, & quæ referat Ecclesiam cognoscere, declarare. Tam latè patêre prophetiam, declarat Apostolus his uerbis: Cæterùm qui prophetat, hominibus loquitur ædificationem, & exhortationem, & consolationem. De generibus ex ipso textu.

In uisione apparebo.] in primo genere prophetiæ מראה, id est uisa continentur, quæ cum; siue uigilantibus, siue dormientib. diuinitus exhibentur. Cæterùm ut Latinis uisa à uidendo, sic Hebræis quoq; dicuntur. Notum enim uerbum ראה est.

Vel per somnium.] Alterũ חלום, id est somniũ, de quo laudato genere & eius usu, Iobus in hæc uerba: Per somnium in uisione nocturna quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tum aperet aures uirorum, & erudiens eos instruit disciplina, ut auertat hominem ab his quæ fecit, & liberet eum à superbia. Qui locus indicat חזיון לילה id est uisionẽ etiam dormientibus contingere. sic enim apud Iobum legimus בחלום חזיון לילה. Exemplis somniorum ejus posset declarari. At quia res perspicua est, eorũ citatione supersedeo.

At non talis.] Comparatio. Mosæ cum alijs prophetis, ad amplificandam laudem illius, à singulari et intimo commercio eius cum Deo.

In omni domo mea.) populo Israelitico eius fidei permisso.

Fidelissimus.] A fide laus, quæ ministerium earum maximè commendat. Itaq; Apostolus: Quod superest autem, illud requiritur in dispensatoribus, ut fidus aliquis reperiatur. In fide autem duo cernuntur. Alterum, studium glorificandi Dei est: alterum, cõsulere saluti eorum ad quos mittuntur. Contrà perfidi gloriæ suæ student, & ecclesiæ salutem negligunt. Vt erant doctores legis, quos Dominus reprehendit in hæc uerba: Quomodo uos potestis credere qui gloriã à uobis inuicem accipitis, & gloriã quæ à solo Deo proficiscitur, non quæritis. Talibus hodie bestiæ regnum plenum est.

Ore enim ad os.] planè & apertè & sine interprete. Is est tertius modus prophetiæ, cum Deus affatur prophetas uoce distincta & articulata. Talem uocem in tabernaculo audire Moses solitus fuit.

Palàm.) מראה hic non uisum est, sed facies ac species præsentis Domini, Coràm loquor cũ Mose: sicut suprà de Iacobo legimus, Vidi Dominum facie: ut noster uertit, Ad faciem. hoc est, coràm, ac præsens præsentem.

Et non per ænigmata.] Quartum genus ænigmatis conficitur. Obscurum genus oraculi est, qualè fuit cum iuberetur Hezechiel uolumen comedere, quod dulce in ore, & amarum in uentre esset.

Et figuras.] Quintum genus, quod constat rerum imaginibus ac simulacris, in quo sub imaginibus rerum cadentium sub aspectum arcana Dei significantur. Vt est prophetia qua prophetis figuræ animalium, rotarum, alarum, throni, ignis, scalarum offerũtur. Cuiusmodi formas licet cernere oblatas Isaiæ, Ezechieli, Danieli, & alijs. At præter hæc genus est longè præstantissimum prophetiæ, quod neq; uisis, neque ænigmatis, neq; simulacris, neque externa aliqua clara uoce cõstat, sed manifestatione interna sacri spiritus, cum interdiu uigilantibus nobis Deus per spiritum filij aperit arcana sua, tam familiariter cum suis colloquens sermone interno, quàm homines inter se colloquuntur externo sermone. Hoc genere patefactionis se Apostolis declarare cœpit in die Pentecostes, dato spiritu sancto: & simili modo omnibus ijs se aperit, qui in numero eorum sunt quos Iesaias doctos à Domino appellat: quiq; in animis scriptam legem habẽt, de qua Hieremias: Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Hoc genus piorum proprium est. alia etiam improborum communia, ut cernere licet in Labane, Balaamo, Saulo, & alijs, quibus quoq; prophetandi lumen affulsisse legimus.

Quare ergo non timuisti detrahere.) Cõmendato Mose, accusatio adornatur in obtrectatores, qui uirtutes illius probatas Deo, minuere studuerunt.

Super tabernaculum.] ad ostium tabernaculi, σωρενδοχικῶς.

Et ecce Maria.) Lepra affecta est, quæ obloqui sancto uiro cœperat: ut solet muliebre genus calumniandi uitio obnoxium esse, ut etiam ille apud tragicũ uatem indicat:

φιλόψοφον γὰρ χρῆμα θηλέων γένος ἐφυ.

Congruit supplicium noxæ. ut enim lepra corpus quod semel corripuerit, sensim ambedit, dum totũ inficiat: sic linguæ inuidorum hominum uirulentia paulatim serpens contagione sua omnia longè lateq; occupat. Ex pœna cognoscitur quantum uitium sit inuidia, & ex ea nata obtrectatio. Quæ quanta sit labes, melius intelligetur, si cognitum sit qui homines inuidiæ maximè sint obnoxij, & quib. de rebus inuideãt, & cui hominum generi. de quo alias.

Obsecro Domine mi.) Confessus Aaron crimẽ, ad deprecationem animum conuertit, ignosci sibi postulans & Mariæ.

Clamauitq; Moses ad Dominum.] Exemplum mansuetudinis in Mose suprà celebratæ, qui pro ijs qui malefecerant orat, imitatus eum de quo Propheta: Et pro transgressorib. rogauit. Formula precationis apta ad mouendum, in qua geminatur precandi uocula אנא ad uehemẽtẽ orãtis affectũ exprimendũ.

Si pater eius spuisset.) A minore.

Separetur septem dieb.] more lepræ affectorũ.

IN CAP:

IN CAPVT XIII.

Mitte uiros.] Qui ut mitterentur, rogauerant Israelitæ his uerbis: Acceßistis ad me omnes, atq; dixistis: Mittamus uiros qui considerent terram, & renuncient per quod iter debeamus accedere. Quam petitionem quamuis laudaret Moses, ut in eodem loco legimus, Cumq; mihi sermo placu sset: tamen inconsulto Domino ne quid de sua sententia faceret, exploratores memorabili exemplo ministris Dei mittere noluit.

Vocauitq; Oseæ filium Nun.] Addito ueteri nomini הושע prima tetragrammati יהוה Iodo. Mysterium in Christo uero יהושע hoc est saluatore notum. De quo apud Euãgelistam: Pariet filium, & uocabunt nomen eius Iesum. Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis. & de eius diuinitate idẽ Euangelista ex Iesaia: Et uocabunt nomen eius Emanuel. Similiter Hieremias יהוה צדקנו. Typus igitur in Iosua filio Nauis, ueritas in Iosua Christo qui à conceptu Dei, à partu uerò Mariæ & Dauidis filius est, cernitur: altero, qui Israelitas carnales in hæreditatem terrenam & mysticam: altero, qui Israelitas ex spiritu in cœlestem hæreditatem adduceret, delecto. De qua hæreditate his uerbis Apostolus: Quàm opulenta gloria hæreditatis illius in sanctis. & de eius benedictione spirituali: Qui benedixit uos omni benedictione in cœlestibus Christo. Itaq; quod ad nomen attinet, hic licet cognoscere, quàm diuinarum rerum & cœlestiũ admoneant nos nomina diuinitus indita. Cœlestis & omnibus modis necessaria res est à perdito statu, reparatio salutis. At huius admonet dinum nomen יהושע dum in hoc agnoscimus Christum uerũ sospitatorem, & suorum Israelitarum in cœlestem hæreditatem translatorem.

Per meridianam plagam.) Non castrorum, sed terræ Chananæ hic fit respectus, cui ad aquilonem uergenti Aegypt us, mare rubrum, desertum, & susceptum iter Iudææ ab austro uicina erant.

Considerate terram.) Alijs aliò profectis ad cõmodius illam & sine suspicionis de proditione periculo, speculandam.

Vtrum fortis sit, an infirma.) ut cõstet pugnandi cum hoste, & cum uincendi ratio. Depone uelum, sic explorandi priusquam nostram hæreditatem cernamus, hostes nostri fuerint, quos partim lege, quæ peccati pernicialis hostis cognitio est: partim spiritu filij, qui profunditatem satanæ aperit præeunte rimamur. Nec desunt duces exploratores Apostoli ad eam rem ornati spiritu, de quo legimus: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. Tales exploratores fuerunt, Petrus, Iacobus & Ioannes, qui in monte Thabore uiderunt ea de quibus Ioannes dixit: Vidimus gloriam eius quasi unigenæ gloriam à patre. Sic Paulus explorator fuit, qui uidit arcana Dei raptus ad tertium hæreditatis sanctorum cœlum. explorator etiã fuit Stephanus qui dixit: Ecce uideo cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris uirtutis Dei.

Pinguis, an sterilis.) Ex altera patre solũ ne pingue an macrum sit, cõsiderare iubet: ut propositæ ste utilitatis, fortius aggrediantur pericula.

Ipsa terra bona.] cœlo clementi, aquis salubribus, animantibus commodis, non uenenatis prædita.

An absque muris.] Similiter paraphrastes חבמחנים. Hebræus חבמחניהם. An ne in castris, id est an ne intentorijs more Arabum degant.

Confortamini.] in exploranda hostium potentia. Itaque suprà non uulgares, sed primarios & fortißimos singulos ex singulis patrijs tribubus uiros delectos legimus.

Erat autem tempus.] Notatio temporis, quo missi sint. is erat Autumnus, maturis fructibus qui asferri iußi sunt, insignis.

Cum ascendissent.) montem Amorræi. de quo in Deuteronomio: Cumq; uenißemus in Cades Barne, dixi uobis, Venistis ad montem Amorræi.

A' deserto Sin.) Quod & Pharan, in quo & Azeroth & Cades, & quædam aliæ solitudines.

Vsq; ad Rechob intrantib. Hemath.) Alijs Antiochia est, alijs Epiphania Phœniciæ urbs. Vt nonnulli annotant, Hamathia montana regio fuerit inter Sidonem, aut Tyrum, & Damascum, quam Ituream uocant.

Et uenerãt in Hebrõ.) In tribu Iehudæ sitã urbẽ sacerdotalẽ, et fugitiuorũ asylũ. de qua apud Iosuam clara incola Abrahamo, eiusq; & Saræ sepultura habetur, nec nõ prima regia Dauidis sede, legitur in Hebræo ויבא. Et uenit, uidelicet Calebus. De quo Moses in Deuteronomio: Terrã quam calcauit pes tuus.

Vbi erant Achimam.) Hos tres filios ab Enacho prognatos, & à Calebo prostratos, in Iosua traditur.

Hebron aurẽ annis.) Antiquitas Hebronis. Quã Thanem Græci & paraphrastes uocant, Hebræi Zoan nem appellant, quæ posterioribus Thanis uocata est. regia olim regum Aegypti, teste etiam Iesaia: Erant enim, inquit, in Zoane principes tui. Vnde nomen ostio Nili Thaniticum, in quo Thanis posita. In hac urbe tradũt portenta cœpisse edi, de quibus in Exodo. ad quàm omnia plena sunt lacubus & paludibus ex restagnante Nilo & mari natis.

Vsq; ad torrentem Eshol.] Anticipatio. Nam sic ut textus habet, fluuius appellatus posteris temporibus ab uuarum palmite, qui Hebræis אשכול dicitur, quem à duobus palo impositum portatum hic legitur. Numerantur ordine fructus ex terra Chanagitur. Numerantur ordine fructus ex terra Chanæa allati, botri, malagranata, ficus. Qui fructus etiã in Deuteronomio memorantur ad laudem promissæ terræ: Terra frumenti hordei & uinearum, in qua ficus, malagranata & oliueta nascuntur. Cæterum נחל & fluuius & uallis est in Hebræa lingua, quod ferè utrunq; cum altero soleat esse commũtiũ, torrentibus in uallibus decurrentibus. Cæterùm quid botri, mysticæ uitis, quid malogranata, quid dulcissimæ ficus significent, expendant ipsi pij huc ex Prophetis & nouo fœdere ad hanc omnia rerum futurarum illuminandam allata luce.

Quod est in Cades.) Barnes, sic enim uocatur in Deuteronomio. Post

Post quadraginta dies.] Annotandus quadrage narius explorationis terræ sacræ numerus. Cui infrà diuina iustitia quadraginta peregrinationis in deser to uoluit respondere annos.

Venimus in terram.) Narratio exploratorum, qua breuiter quæ ad laudem terræ pertinent, narrantur.

Sed cultores fortissimos habet.) Longior narratio fit earum rerum quæ populum à spe occupandæ terræ deterreant. Commemorantur enim fortissimi incolæ, maximæ & munitissimæ urbes, Enaquini, Amelechita capitalis Israelitarum hostis, Amorræus uallatus montibus, Chananæus mari munitus, gentes fortissimæ, & fatali odio generi Abrahami infestæ. Hac igitur narratione ut perterrefactus sit populus, ea quæ sequuntur, docent.

Inter hæc Caleb.] Cæteri exploratores fide nutante, Calebo & Iosua unis constantiam tuentib. quorum alter Iosephi pulchri ex pulchra Rebecca, alter Iehudæ ex deformi Lia nati, filius fuit. In Christo res ipsa cernitur, in quo ut pariter uterq; habitus et deformis & speciosus salutem suis cõparans spectetur, utiq; hoc duce uno promissa in cœlis hæreditas sanctis ueniat, manifestum.

Compescens murmur populi.) obliti & promissionis diuinæ et exemplorũ fortitudinis pro se editorum. Hæc est ingratitudo ueteris & Aegyptij hominis.

Ascendamus.) Plena fidei & cõstantia hortatio & digna Calebo nobis referente Christum, cœlestem hominẽ, quo duce incitamur nos eo ascẽdere, de quo illud: Superna quærite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens. superna curate, non terrestria.

Quoniam poterimus obtinere eam.) A facili. ea enim quæ fieri nequeunt, in deliberationem nõ ueniunt. locus potentia & fide promissionis diuinæ nititur.

Alij uerò qui fuerunt cum eo.) Dehortatio aliorum exploratorũ locis contrarijs fulta. Horum perfidia Dei potentiam pensi non habebat, & suas uires spectabat, illorum fides contrà composita erat.

Quia fortior nobis est.) at non Deo, qui se promiserat ab Israelitis futurum. Promissa igitur Dei & eius potentiam, non populi imbecillitatem explorato res considerare oportebat, qui diuinitus delecti & missi fuerant, ut referrent de explorata terra nunciũ non ad terrendum populum, sed ad animandum eum spe hostis debellandi.

Detraxerunt terræ.) probatæ Deo. Rectè igitur Apostolus: Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stulticiæ siquidem illi sunt. Quod dicunt consumptricem terram esse incolarum suorum, alij referunt ad crudelitatem gentis, alij ad cœli inclementiam ac grauitatem. Vtrunq; uero dissentaneum non est. Nam Amorreorum improbitatem apparet omnia rapinis, cædib. tyrrannide oppleuisse, et cœli grauitatem ob scelera ad fastigium perducta contractã. Vt solent se cœlũ & terra ad incolatũ ingenia, mores, studia attemperare sub uindice Deo. qui bonis benignum, malis noxium ac malignum cœlum parat.

De genere giganteo.) Locus de gigantibus, quos apparet à diluuio illic & natos, & in tempora hæc quæ hic memorantur remansisse. quos ante diluuium uicina loca occupasse ex Genesi licet cognoscere. quæ de re aliàs. Qui cur נפלים uocati sint, eorum crudelitas omnia prosternens satis declarat. Præcessit: Deuorat incolas suos.

Quasi locustæ.) Hyperbole inest comparationi ad amplificandum terrorem quæsita.

IN CAPVT XIIII.

IGitur uociferans omnis.] territus perfidorum exploratorum nuncio. Exponitur alia rebellis populi aduersus Mosem expostulatio, in quæ duo loci notandi proponuntur. Vnus, perfidia malorum doctorum est eos qui illos audiunt, corrumpi, ut uerum sit illud: Sicut sacerdos, sic populus. Inspiciantur superiora & nostra tẽpora. Alter, ueterẽ hominẽ promptiorẽ esse ad credendũ malis doctorib. quàm bonis. Exemplũ in Israelitis spectatur, quos hic legimus pcliuius fidem habuisse nuncijs mendacibus, quàm ueris, Iosuæ & Calebo, et sancto uiro Mosæ de gente hac optimè merito. Hæc est in hoc seculo dum regnat aduersarius, fœlicitas malorũ prophetarũ, & infœlicitas bonorum, de quibus apud Prophetam: Quis credet auditui nostro?

Vtinam mortui fuissemus.] Præferunt mortem Aegyptiam uitæ in sacra terra obtinendæ. Sic compositus est Aegyptius, hoc est uetus homo, cui Aegyptia id est terrena placent, cœlestia laboribus fidei comparanda sordent.

In hac uasta solitudine.) Heb. aut in hac solitudine, quam quoq; præferunt bene cultæ terræ, ut sequitur.

Et non inducat nos Dominus.) in quam ut introduceret, ex Aegypto liberati fuerunt. O cæcitas: eam terram contẽnunt quæ una salutẽ miseræ genti afferre potuit, ut in qua sola templum, sacerdotium, regnum & omnia sacra uigere, & saluatorẽ mundi nasci diuino consilio oportebat.

Constituamus nobis ducem.) qui in Aegyptũ nos referat ex qua Moses extulit. Vtroq; igitur & ducem & Deum in duce, ingrati homines aspernati sunt. stat enim illud: Qui uos spernit, me spernit.

Ceciderunt proni in terram.) Is demittentium se coram Deo habitus erat congruens deplorantibus miseriam miseri populi, & ueniam criminis humiliter petentibus.

Sciderunt uestimenta sua.) Indignantium id signum erat de imminuta gloria Dei quam amplificatam à gente tot beneficijs affecta oportebat. sic Ezechias cum animaduertisset notatũ opprobrio Deum Hierosolymæ, quoq; legĩ abrupisse uestes suas. Quimos cum seruaretur etiã ab hypocritis, ut de Caipha exemplũ extat, à Iohele propheta transfertur ad animi uerum dolorem de contemptione honoris Dei, cum monet: Scindite corda uestra.

Terra quam circuiuimus.) Hortatio Ioſuæ & Calebi.

Terra bona eſt.) Ab utili.

Si propitius.) Vnius Dei fauore ac beneuolentia terram illam poſſideri poſſe, non humano conſilio ac ui. Vt uerum ſit illud: Non eſt currentis, neq; uolẽtis, ſed miſerentis Dei.

Nolite rebelles eſſe.) diffidentes eius potentiæ & fidei.

Neq; timeatis populum.] deſtinatum à Deo exitio pro pter uos, qui uos ex Aegypto uindicauit ut illorum terram occuparetis.

Quia ſicut panem.) freti fauore & præſidio diuino. A' facili. Ad uerbum: Quoniam panis noſter ipſi. Interpres ſententiam commodè reddit. Similiter alibi, Comedentes populum, comederunt panem. id eſt, ſicut panem abſumpſerunt.

Receſsit ab eis omne præſidium.) ex ſententia illa ſemel in hanc gentem lata, Maledictus Canaan: eaq; pro uobis, Benedictus Sem.

Dominus nobiſcum eſt.) tam bonus, qui uelit: & tam potens, qui poſſit nobis tribuere promiſſam terrã: & tam uerax, qui fidem ſuam fallere nequeat credentib. ſibi. Notandus tropus in צלם umbra pro præſidio, quòd umbra tueatur nos ab infeſta caloris ui. Sic alio loco: Sub umbra alarum tuarum protege nos. Vmbra hæc erant conſilium militare, fortitudo, periti duces, exercitatus miles. Quo præſidio regna nudata, patent hoſtium uictoriæ. Itaq; Ieſaias Hieroſolymæ exitiũ intentans, in hæc uerba eam præſidio ſuo ſpoliandam uaticinatur. Auferet Dominus à Hieroſolyma & Iuda, fortẽ, uirũ peritum belli, iudicem, conſiliarium & ſapientem.

Et lapidib. eos uellet opprimere.) Ioſuã, Calebum & Moſem, recta monentes contra falſa ſuadentes. Hæc eſt ſors fidorum miniſtrorum Dei.

Apparet gloria Dei.) in nube ad defendendos inſontes, & ad puniendos ſontes.

Vſq; quò detrahet.) Accuſatio contumelioſi populi. Hebræis utrunq; eſt נאץ & contumelijs affice re, & ad iram prouocare, quod iracundia ſoleat excitari contemptione & contumelijs. Sic apud Græcum uatem ille quòd contemptus fuiſſet ira ſe commotum fatetur:

ἀλλά μοι ὀιδαίνεται μεγαλίῃ χόλῳ ὁππότ' ἐνείνω
μνήσομαι, ὅς μ' ἀσύφηλον ἐν ἀγγείοισιν ὄρεξεν.

Quouſq; non credent.) Exprobratur incredulitas, qui maximus eſt contemptus Dei, ut qua de dignitate potentiæ & bonitatis diuinæ detrahatur, ſicut contrà fide eadem illi tribuuntur.

Feriam igitur eos peſte.) Sententia in admiſſum rebellionis crimẽ. Accuſator igitur Deus eſt, rea gens Iſraelitica, noxa de qua inſtituitur accuſatio, rebellio, ſententia in noxam, peſte contumaces afficiendos eſſe.

Te autem faciam.) Occurrit tacitæ obiectioni. promiſerat enim Iſraeliticam gentem in immenſam auctam poſſeſſuram Chananæam.

Et ait Moſes.) Occurrit Moſes ſententiæ diuinæ interceſſione fide plena, qua dehortatur ab exequenda ſententia, fretus locis inhoneſtis. In Deuteronomio legitur quadragima diebus uerſatum in precatione.

Vt audiant Aegyptij.) ut audiuerint Aegyptij, è quorum poteſtate hunc populum uindicaſti, & perceperint Chananææ incolæ te Iſraelitas, quos hactenus tot beneficijs ornaſti, deleuiſſe, dictitabũt te quia nequiueris hanc gentẽ in terram ei promiſſam introducere eos, in Arabum deſertis perdere uoluiſſe: quod tibi quoniam ignominioſum erit, quæſo appareat illa magna & illuſtris potentia tua.

De quorum medio.) tua fortitudine ac ui. Additur enim in Hebræo בכחך.

Populum iſtum.] tibi ſædere coniunctum.

Et habitatores terræ huius.] tua olim ſententia ſemel exitio deuoti.

Et facie uideare ad faciem.) Exponere licebit uel de gloria Domini, quæ ſenioribus in Sina monte apparuit, uel de ſplendore qui Iſraelitis in nube ſolutus eſt exhiberi. Cõmemorat beneficia uaria quæ omnia fruſtra in hanc gentẽ collocata uideri poſſint, ſi eam iam euertere uelit. Cum tamen diuina munera huiuſmodi ſint, quorum Deus pœnitudine duci neque at. Vt Apoſtolus alicubi: Nã dona Dei, & uocatio huiuſmodi ſunt, ut eorum illum non pœniteat.

Quaſi unum hominem.) Hebraiſmus. Latinè, ad unum deleuiſſe.

Et dicunt, Non poterat introducere.) Quid autem tibi turpius fuerit, quàm te haberi pro eo quæ uelis & decreueris facere, efficere non poſſis. Non dicent quòd propter delicta hunc populum in deſerto conficeris, ſed quòd cum nequiueris in Chananæam introducere: cum tamen tu in hoc genteм hanc ex Aegypto eduxeris, ut in Aegyptios & eorum deos potentiã tuam quanta ualeres, declarares. Cuius laus omnis perierit, ſi in hac ſolitudine populum hunc conficias. Hoc exemplum Moſaicæ precationis ut noſtris temporibus congruat, nõ obſcurum.

Pro qua iuraueras.) tua etiam fide in diſcrimen uentura, qui quæ iuraueris maioribus, non præſtes.

Idcirco occidit eos.] tanquam pecora macta uit, eſt enim, שבט quod uerbum conuenit in errantes in ſolitudine eos tanquam pecora pro noxa immolandos. Quò pertinet illud Hieremiæ: Congrega eos quaſi gregem ad uictimã, & ſanctifica eos in diem occiſionis.

Magnificetur ergo.) Concluſurus hortationem, enumerat argumenta quibus Deus bonitatis ſuæ & fidei admoneatur.

Fortitudo tua.] quæ aduerſus hoſtes tuos eluceat, qui illã imminuere ſtudent, magno dedecore tuo, & noſtro exitio. Nota eſt tibi hæc promiſsio iam olim à te edita: Poſſidebit ſoboles tua portas inimicorum tuorum. Aut oſtendatur fortitudo tua, qua reprimatur concepta in gentem hanc ira tua, in qua ſedan-

da &

da & remittenda noxa facilitatem declarasti in Sina monte his uerbis:

Dominus patiens.) Dei uerba hæc sunt supra ad Mosen exposita, quibus nixus Deum ad lenitatem reuocare studet. Cæterum solent ad iracundiam tardi, præstare frenandæ iræ fortitudine: igitur aptè primò fortitudinis suæ Deum quam exhibeat, commonefacit.

Et multæ misericordiæ.) per quam ad conseruandos tuos, nõ ad perdendos propensus sis, qui de te prædices: Nolo mortem peccatoris. Hæc uerba opponit illis: Conficiam eos peste.

Auferens iniquitatem.) Condonabis igitur & his culpas, & peccata. Argumentis ad persuadendũ aptis utitur ex loco testimoniorũ expromptis, quæ nimirum nitantur Dei ipsius uerbis fallere non potemibus. Itaq; ut is suis armis uictus sit, declarat id quod sequitur: Remisi ad uerbum tuum. Hæc est uera sanctorum uictoria, quam fides præstat.

Nullumq; innoxium derelinquens.] Dissimilis sui est interpres, qui uertat Exodi trigesimoquarto: Nullusq; apud te per se innocens est. Occurrit temerè ac impudenter abutenti b. bonitate sua hic prædicata. se quamuis bonus sit, non tamen propterea sontes pro insontibus habere, sed horum delicta in tertiã & quartã usq; stirpem persequi parentũ scelera imitantem. Quod Mosæ non aduersabatur, qui non rogasset ne in Israelitarum contumeliã Deus animadueretur, sed ne uniuersam gentem deleret: & si punire illius cõtumaciam statuisset, ita puniret, ut ei tanquam à patre castigato patêret tandẽ in promissam terram ingressus.

Secundũ magnitudinẽ.) Pro magnitudine clemẽtiæ tuæ, q̃ de te prædices: Ad clementiã ppensus sum.

Sicut propitius fuisti.) Admonet ueteris & solitæ lenitatis.

Vsq; ad locum hunc.) הנה modò temporis, modò loci aduerbium est.

Dimisi iuxta uerbum tuum.] Sed dicas, quomodo remisisse indicabitur delicta, cum omnibus peremptis in solitudine fuerit, qui rebellionis crimine se obstrinxissent? Remisit quidem noxam, non quam impunitam contumacibus relinqueret, sed ne per hanc tota gente euersa, aditus nullus in promissam terrã posteris foret: sed undicta intra quadraginta annos expleta, deinceps contumacium liberis in Chananæam potestas ingrediendi fieret.

Viuo ego.) Iurisiurandi formula: Sicut ego uiuo, ita uerba mea rata erunt, nullum ex his qui in me contumelioſi fuerunt, terram uisurum.

Et implebitur terra gloria mea.) Bifariam interpretantur: Vno modo, sicut uiuo ego, & terra gloria mea implebitur, sic, &c. Altero, hoc faciam ut totus terrarũ orbis iustitiæ meæ maiestatem intelligat, punitis rebellibus, & declarata bonitate mea in eos qui bus promissa mea perficere statui ad liberandam fidem patrib. datã de terra posteris ipsorum adsignanda. In quam uos editis ostentis potentiæ meæ introducam. Quod sit hic: Gloria mea terra implebitur.

Tentauerunt per decem uices.) Decies pro sæpe. Sic usurpatur denarius qui סך חחשיבין est. Interpretes decem tentationes numerant, de quibus, si ita placet, apud eos uideris.

Non uidebunt.) Heb. אם יראו Si uiderint. Iuramenti formula hic absoluitur: Viuo ego, si uiderint. de qua alias.

Seruũ meũ Caleb.) Laus Calebi, & præmium.

Qui plenus alio spiritu.) diuino inquam spiritu & cœlesti. Bipartitus igitur spiritus est, alter malus & Aegyptius, hoc est carnalis: alter bonus & diuinus. altero Deũ sequimur, & ex eius arbitrio uiuimus cum Caleb, de quo hic legimus: ימלא אחרי id est plenè secutus est me, uerbis meis fidem habens. Altero Deũ spernimus. Altero in promissam hæreditatẽ curã & animũ cõuerti, altero Aegyptũ cogitari. Nec pares sunt utriusq; spiritus exitus, altero salutẽ, altero exitiũ afferẽte. Rectè igitur Apostolus: Affectus carnis mors est, affectus uerò spiritus uita & pax. Legimus hic de spiritu Calebi, quo plenè is secutus sit Deũ. De spiritu eius cuius umbram prætulit Calebus, apud Iesaiam: Et requieſcet super eum spiritus Domini. & de obedientia: Oblatus est quia uoluit, & non aperuit os suum. Plenũ obediendi Deo cor in Calebo declarat etiam eius nomen qui כלב uocetur, quòd כבל לב secutus sit Deum.

Et semen eius possidebit eam.) Cui Hebronem cessisse apud Iosuam legimus cap. 15.

Quoniam Amalechites.) de genere Esai. Dehortatur ne adoriantur promissam terram.

Et Chananæus.) Qui et Amorræus de genere Chami. Nam Amorræos prognatos esse ex Chanaane, liber Geneseos testatur.

Habitauit in uallibus.) aptis ad insidias, in quas si incideritis, clade afficiemini, diuina ope deserti.

Per uiam maris rubri.) Qui dixistis: Satius est reuerti in Aegyptum. Hebraismus, pro uersus mare rubrum.

Vsq; quò multitudo hæc.] Repetitur accusatio & sententia diuina in sceleratos.

Sicut locuti estis.) Vtinam mortui essemus in Aegypto, aut in solitudine hac. Sic solet utriusq; euenire, bonis & malis quæ expetunt alteris malum, alteris bonum, ut sequitur.

In solitudine hac iacebunt cadauera uestra.) Non occupatur promissa terra priusq; omnes qui rebelles fuerant, in solitudine mortui sint. In quo cuius mysterij admoneamur, notum. Legimus apud Apostolum: Caro & sanguis regni Dei hæreditatẽ consequi non possunt. Vetustas igitur Aegyptia tota exuenda, & in hac solitudine per uarias afflictiones quadragenarius pœnitẽtiæ sacratus numerus antea explendus fuerit, quàm promissa hæreditate fruamur. Ad hoc mysterium designandum usa est diuina sapientia incredulitate tum exploratorum tum Israelitarum, ut sit illud firmum: Conclusit omnes sub incredilitatem, ut omnium misereretur, sicut misertus est etiam eis

qui in deserto obierint, paruulis ipsorum seruatis.

Omnes qui numerati estis.] A' iuramento igitur Domini, ut monent nonnulli, excepti sunt Leuitæ, qui exploratorem non dederunt, & in uigesimi anni censum non ueniunt, qua de re suprà.

Super qua leuaui manum meam.) iurans eam uobis. Humano more loquitur scriptura. Paraphrastes: Qui iurauí uerbo meo.

Prçter Caleb.) Deposita figura, in quo ueritas cernatur, apud Ioannem indicatur.

Paruulos autem uestros.) His per promissionis fidem terra seruanda. Deponendus paruulorum typus ex uerbis Christi apud Matthæum: Sinite paruulos ad me uenire, talium est regnum cœlorum.

Erunt uagi.] ירעים innuit instar pastorum qui subinde cum pascuis sedem mutant, uagos fore. Itaq; alias באחל רעים. Mysticus locus est, quo monemur in huius mũdi solitudine squalida, inculta & plena feris, nos uagabundos errare cum Israelitis, & in una hæreditate regni cœlorũ requiem cerni. Opponitur igitur hic error quieti, de qua infrà Iosua: Dominus Deus uester dedit uobis requiem, & omnem terram, &c.

Portabunt fornicationem uestrã.) dabunt pœnas rebellionis uestræ, qua uolentes alium creare ducem, à Deo defeci is, fœderis fide uiolata. Quam defectionem meretricationi comparat, nota similitudine. Nec liberi omnino fuere dissimiles parentibus. Stat enim illud: Filius non portat iniquitatem patris sui. Nec etiam minus ratum est, quod paulo suprà legitur: Vlciscor in natos usq; ad tertiam aut quartam generationem parentum delicta.

Et quadraginta annis.] Notabilis quadragenarius numerus luendis peccatis, ut pœnitentiæ afflictionisq; sacratus numerus, ut testatur præsens in deserto peregrinatio, & quadraginta dierum & noctium pluuia, qua mundum purgari oportuit.

Et scietis ultionem meam.) תבראתי uox prohibitionem notat: Experiemini an ne iuramentũ meum de prohibendis uobis aditu terræ irritum sit futurum. Hanc sententiam quæ sequuntur confirmant. Clemens quidẽ ego sum natura & facilis ad remittendã noxam, sed ijs qui demisso sunt animo & humili, non contumacibus & pertinaciter rebellibus. erga eos equidem placabilis sum & lenis de quibus apud uatem: Ad quem autem respiciam? nisi ad pauperculum & contritum spiritu & trementem ad sermones meos.

Igitur omnes uiri quos miserat.) Supplicium perfidorum exploratorum, quod exemplo diuina iustitia uoluit esse omnibus falsis legatis & apostolis à fide auocantibus ad perfidiam.

Et luxit populus.) Exemplum nimis seræ pœnitentiæ.

Parati sumus ascendere.) Parant se suo consilio, qui diuino consilio parati esse noluerunt. in utramq; igitur partem rebelles peccant. Qui enim recusarunt terram adoriri, cum id per Dominum liceret: iam contrà uolunt illam petere, id eodem illo prohibente & inuito. Quæ est peruersitas uetuis & terreni hominis qui diuinæ legi subijci ac consentiri nequeat. Iuxta illud: Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum. Nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem.

Cur transgredimini.) rebellionem rebellione cumulantes.

Verbum Domini.] De quo suprà: Cras mouete castra, & reuertimini. item: Non intrabis terram.

Quod nobis non cedet in prosperum.) Vno uerbo Dei omnia nostra consilia & studia nobis prospere cedere: sine eodem, malè. Itaq; uates de eo qui ex Dei uerbo & lege uiuit: Quæcunq; faciet prosperabuntur. Qui communis locus exemplis illustrandus est. Accusatio paratur rebellis populi addita dehortatione nixa periculorum & earum rerum quæ fieri non possunt, locis.

Non enim est Dominus uobiscum.] Deo auerso, infœliciter pugnari: propitio, bene, ne quid nostris consilijs, uiribus & potentiæ tribuatur.

At illi contenebrati.) Alij וירפלו decidunt ab עפל. ut sit sententia: Sed illi pertinaciter montem superare contendunt. Vi ac robore pro pertinacitate usurpato. Alij, quos noster sequitur, cæcos ruisse in diuersum, ut solent consilio destituti, & luce legis diuinæ. Litera A in Aleph loco posita. Vtram uersionem sequare, non est periculum. Ex utraq; licet intelligere, nisi præluceat nobis fax oraculorum Dei, in nobis nihil præter tenebras & pertinaciam inconsultam indubitatã perniciem afferentem existere ac nasci. Exemplo sunt Israelitæ hic, suprà Pharao, & qui hos referunt quocunque seculo carentes Deo homines.

Arca autem testamenti.) ut in qua Dei numen præsens esset, auersum à contumacibus.

Et Moses) quem ducem & eius consilium spreuerant.

Et percutiens eos.) qui erant tandem uincendi, primò uincunt. Hæc est uicissitudo memorabilis operum Dei.

Vsq; Herma.) Vnde nomen hoc sortitus sit locus is, infrà capite uigesimo primo indicatur, et Iudicum capite primo. Huiusmodi nominum etyma in sacris literis non temerè sunt negligenda.

IN CAPVT XV.

LOcutusq; est Dominus ad Mosem.) Hanc de sacrificijs legem aut in monte Sina cum cæteris traditam apparet, priusquam ab illo matis castris Pharanem profectio facta esset, aut post accusatam damnatamq; contumacis populi rebellionem iam reiectam, uel repetitam illam, ut consolatione alicuius rebellium liberi reficerentur, spe de possidenda terra concepta per hæc uerba: Cum ingressi fueritis.

Quam ego dabo uobis.) considerãs quid mea bonitate,

bonitate & fide dignum sit, non quid uestra perfidia mereatur.

Et feceritis oblationem.) אשה, id est, ignitum sacrificiũ, ut erat holocaustum, & quæ ex cæteris sacrificijs Deo adolebantur.

Aut uictimam pacificam.) Heb. אר זבח שלא נדר אוהבנדבה id est aut sacrificiũ uoluntũ, aut sponte susceptum, seu uoluntariũ. Quæ sacrificia שלמים di cuntur. Suprà enim capite septimo Leuitici bipartitũ genus sacrificij de salute traditur: unum, quod celebrãdi à Deo accepta beneficia fit gratia. Alterum, uoluntariũ ac uoluntariũ hic נדבה appellatũ, quod pro fruẽdo beneficio nuncupatur. Huius fit hoc loco mentio.

Adolentes odorem suauitatis.] Interpres adolẽdi uerbum usurpat pro לעשרת is enim odor ex incensis fiebat, quo Dominus suauiter afficeretur. De quo suprà in Leuitico. Neque sine igni ullus odor qui placaret Deum, conficiebatur.

De bobus siue de ouibus.) ex quibus in solennitatibus sacrificia Leuitici uicesimotertio parabantur.

Quicunq; immolauerit uictimam.] Exponitur ratio tractandi sacrificia uictimaria, quantus simile, olei & uini ad libandum modus adhibendus sit.

Conspersam oleo.] Igitur in sacrificijs hæc usurpari solita sunt, panis, caro, uinum, oleũ, exceptis sacrificijs piacularibus, & ijs quæ pro zelotypia ac obtrectatione offerebantur, in quibus Minha oleo carebat.

Decimam partem Ephi.) quam ut minimum dapale sacrificium Hebræis Minha dictum, continet. Interpres de suo addit Ephi, & id rectè. Similiter Græci τῆς ἐφὶ.

Hin.) De hac liquidorum mensura in Exodo. Hi sacri numeri denarius & quaternarius quid notent, perpendendum sanctis ex Christo in his sacrificijs & numeris adumbrato.

Per singulos agnos.] Ad superiora pertinet, cum sacrificio ex agno coniungi modum simile, olei et uini iam expositũ. Ex ariete uerò uictimæ simile duas decimas, trientem olei, trientem item uini libandi. Quid autem inter agnum & arietem ex genere balantum interst, ex Grammaticis notum. Aries mas ex ouillo genere est adultior ac grandior natu ad generandum aptus, cui contrarius est ueruex, mas castratus. agnus autem minor habetur. Qui igitur inter capras hœdi sunt, inter oues agni dicuntur.

In odorem suauitatis.] Super arã Minha incẽsa.

Quando uerò de bobus.) iuuenco siue is holocausto, siue sacrificio de salute aut gratulatorio aut uoti uo destinetur, adhibendam Minhã quæ superet duabus decimis Minham agni & una fertum arietis: בן בקר minor natu uegetus & integer bos est, qui פרים ab Hebræis dicuntur, à Germanis pfarrẽ, retinentibus uestigium Hebrææ uocis.

Vt impleas uotum.] Quod est Latinis nuncupare uotum, Hebræis est מלא נדר idem quod פרש. Vsque quod ad Minham attinet, eadem eius lege tenẽtur holocausta & sacrificia de salute ex iuuencis.

Et agnos & hœdos.] Ex Hebræorum igitur lingua liquet, שה genus esse commune ouillo & caprino gregi, & idem institutũ congruere agnis & hœdis. Interpres canonẽ in adhibendo simile, olei & uini modo pro numero et genere sacrificiorum seruandum omittit, qui his uerbis exponitur במספר אשר תעשה לאחד במספרם בכח תעשה לאחד במספרם, id est pro ratione ac numero uictimarum numerum ac modum simile, olei & uini adiungendum esse.

Quam peregrini.) ciuitate & religione Israelitarum donati. Mysticus locus est de consortio Israelitarum & gentium. qui ut sint in Christo uero illo holocausto, uera de pace & salute uictima, uera Minha coniungendi, declarat propheta: Et fluent ad eum omnes gentes. Atq; is Christus Minha illa est oleo cœlestis spiritus conspersa, et uino exhilarante tristia pectora ornata. de quo idem uates: Venite, emite uinum absq; argento. Atq; in eodem sacrificio Christo oleum & unum cernere licet, quibus uulnera quæ nobis latro ille & spoliator satan per peccatum fecit, sanantur. De qua curatione parabolicẽs apud Euangelistã, & sine parabola apud Isaiam legitur.

Et unum præceptum erit.] Omittit interpres תהחל in qua uoce Heb. alijs est סמן הקריא, id est, uocandi nota, ὁ cœtus: alijs non uocandi signum, quo dicunt Hebræam linguam carere. sed He. תרועת, id est certæ sententiæ notam. Ecclesiæ ex Israelitis & peregrinis conflatæ unum ritum ac institutum, quo in posterum utantur in sacrificando, debere seruari.

Si ueneritis in terram.] Quam uobis datarus sum ut in ea dignitatem meam & beneficia quibus uos amplissimis augebo, deprædicetis. Ideo sequitur:

Sicut de areis primitias.) De quib. suprà in Leuitico, in quo sicut traditur ut ex primis frugib. in areæ repositis àmesse Deo consecrari debeat: sic hic ex prima subactæ farinæ massa placentã Deo libandã lex iubet, quod illic non iussit. Iussæ autem sunt primitiæ offerri, partim ad declarandam animi gratitudinem, qua agnoscerẽt omnia quæ ad uictum necessaria sunt, ab uno Deo proficisci: partim ad usum sacerdotij, quod primitijs & decimis conseruari placuit diuinæ sententiæ: partim uerò ut extaret arcana notatio primitiarum, de quibus aliàs sæpe.

Quod si per ignorantiam.) Vt expientur peccata, quæ multitudo per imprudentiam commiserit. De hac lege uideris in Leuitico, ubi totus ritus sacrificandi exponitur. Diuina iustitia discrimen in delictis obseruat, aliter plectens peccata quæ errore per imprudentiam commissa sint, aliter quæ quis sciens ac imprudens fecerit. Hæc uictima expiabilia non esse, illæ esse. Alterum genus uocatur שגגה, alterum רשע.

Offeret uitulum.] Hebræus iuuencum habet, de quo paulo suprà. In Leuitico conuersa ratio est sacrificiorum. Iuuencus pro piaculo seligitur, bircus uerò pro holocausto. Vnde intelligitur nihil hac in re interesse inter iuuencum & hircum.

Hircumq; pro peccato.) Marẽ nõ castratum ex genere caprino offerendum qui peccatũ expiet. Nota

mystica significatio in Christo peccati, mortis & potestatem mortis forti triumphatore.

Et rogabit sacerdos.] Cuius munus sit sanguinẽ spargere cuncta lustrantem & pro noxa supplicare. Veritas nota ex Iesaia.

Et aduenis.) in Leuitico capite quarto non memoratis.

Quòd si anima una.) Priuati erroris expiandi ratio.

Capram anniculam.) Fœmella hic deligitur, suprà más, ratione non obscura pijs ex Iesaia.

Et dimittetur illi.) Manifestum reducto uelo. solos scriptos in libro uitæ ueniam noxæ impetrare per uictimam Christum in eum illis per imprudentiam, non studio in spiritum sanctum committentibus. Nam tales nunquam sua sponte deliquerint, in quibus numerũ semper aduersus legem peccati in mortuis membris grassantem pugnet spiritus sacri lex in mente sanguine huius hostiæ scripta, qua lege sola uasa gratiæ ornantur beneficio electionis diuinæ. sed de hoc arguitẽ to aliàs. sequitur igitur:

Anima uerò quæ per superbiam.) Eorum qui studio & de industria deliquerint, culpam hostia non lui ut uenia carentem, sed eos de suorum numero eximendos. Qui hic significentur, declarat Christus ubi mentionem facit de peccato in spiritum sanctum incõdonabili. Et Ioannes quædam peccata mortem afferre, quædam non afferre dicit. Qui autem huiusmodi sint atque definiantur, non est huius instituti ea disputatio.

Peribit de populo suo.) conuictus testibus. stat illud: In ore duorum aut trium consistit omne testimonium. Quod latinis est studio ac de industria, & Græcis ἑκ τῆς προαιρέσεως, hoc est antegressa deliberatione ac consultò delinquere. Hebræus effert יד רמה manu excelsa peccare. Notatur ea phrasi arrogans contumacia plena diuinæ legis contemptu.

Nescientes quid super eo.) Dicas: Si ignorarunt quid uiolatori sabbathi faciendũ esset, cur igitur Exodi tricesimoprimo legitur: Qui uiolarit, capitale esse. item: Qui fecerit in eo opus, excinditor de numero suorum. Excindendum quidem esse lex iudicabat: sed quo genere supplicij esset delendus, indicatum nondũ erat. de quo consuluit Moses Dominum priusquam lignantem in sabbato ex populo excinderet, ne quid de sua sententia sanctius uir facere uideretur. Capitales igitur in reos sententiæ in hoc populo diuina oracula erant.

Obruat eum lapidibus.) Quo supplicio etiã qui Molocho suos liberos cõsecrasset, & qui Deo maledixissent, mulctabantur. Submoto uelo dignus est qui in altero Adamo sabbathũ nõ seruat, profana ueteris Adami opera pſequens, ut lap. de obruatur. de quo illud: Lapis quẽ reprobauerunt, &c. Prophana aũt opera sunt, omnem spẽ salutis in Christo nõ reponere, fidere suæ sapientiæ, fortitudini, opib. & humanis præsidijs & in rebus aduersis quietẽ in Dño per fidẽ non tueri. Prophana opera sunt, de quibus Apostolus, Adulterium, scortatio, immunditia, lasciuia, simulachrorũ cultus, ueneficiũ, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, seditiones, sectæ, cbrietates, quales omnes lapis Christus, ni ad meliorem frugem redeant, obterit.

Extra castra) ut sancta.

Vt faciant sibi fimbrias.) Vt his admoniti memoriã meæ legis non deponãt, ut deposuit uiolator sabbathi. Locus de perpetua memoria legis diuinæ agitãda, cuius admoneam fimbriæ in limbis ueſtiũ factæ. Apud Euangelistam φυλακτήρια uidentur appellata, quæ custodiendæ legis monerent.

Nec sequãtur cogitationes suas.) sed Dei. locutis, uno uerbo Dei & eius spiritu efficit, ut rectè sapiamus & uiuamus, docet.

Et oculos..] Meminit & oculorum, quòd hi nuncij sint & exploratores rerum uanarum, quas animis nostris denuncient.

Fornicantes.] Notatur meretricationis uocabulo deorum alienorum amplexus. Amoris illices oculi habentur, hinc horum fit mentio. De quibus præcesserat: Ne sequamini oculos uestros.

Sed magis memores præceptorum.) ut in mandati fidẽ manentes. Quò hortatur color hyacinthinus, quem cœli colorẽ referre dicunt interpretes. Vt intelligerent Israelitæ, cœlestia sibi ut diuino populo curæ debere esse, non terrena qui legem cœlitus promulgatã accepissent, terrenas Aegyptiorum leges deseruissent. ideo sequitur:

Sintq; sancti Deo suo.) submoti à profanis carnis & mundi aduersis legi meæ studijs.

Qui eduxi uos.] ut mihi fingerem uos nouum populum lege & oraculis meis, quarum admonitrices fimbrias ut geratis in ueſtibus ueſtris, iubeo.

IN CAPVT XVI.

Ecce autem Chore.) Exponitur nouũ seditionis exemplũ Choræ, & eorum qui cum illo contra Mosem conspirarunt. Hanc seditionem ortam in Sinai monte nonnulli uolunt, cum Leuitæ permutatis primogenitis Aaroni & familiæ eius à Mose donati essent, quòd ab eo ut illustraret genus suũ, suo ipsius consilio, non ex Dei decreto factum interpretabantur. Leuitis autem conspirasse quosdam primarios ex Rubenis tribu homines uerisimile est, quòd suspicarentur se à Mose cõtemptos, ablata Rubenensi familiæ primogenitura. Cæterùm יקח ꝑ secedẽdi uerbo. Itaq; Chaldæus יתבלג. Segregatus est. id est, Core à suo consilio secessit, ac à cæteris Israelitis se disiunxit. sic enim habent interpretes: לקח עצמו לצד אחד להיות חלק מיוחד מערד על חבריהם.

Filius Isuar.] יצהר. Vnus ex quatuor filijs Caath fuit, qui suprà hoc ordine recẽsentur: Filij Caathi Amram, Iechar, Hebron & Oziel.

De filijs Ruben.) Quorum castra uicina erant castris Caathinorum, utrisq; ad meridianam plagam tentoria sua tenentibus. Quæ uicinitas conturbationem adiuuabat in hominibus ambitiosis, & inuidis.

Viri proceres.) non uulgares, quo grauior extitit seditio. Non satis erat, populi ferre grauissimas

mas expostulationes, nisi etiã primarij & celebres in multitudine uiri aduersus Mosem tumultuarẽtur. Hæc difficilis & aspera sancti hominis conditio erat. Cæterùm loquendi modo Hebræo, urgere pro coniurare ac conspirare.

Sufficiat uobis.] Dura accusatio, qua Mosi & Aaroni ambitionem affectati sacerdotij & imperij obijciunt, ad quod ipsi aspirabant. Hæc mendacij hypocritarum peruersitas erat, quæ omnibus temporibus sui exemplum edit, referens ingenium parentis sui serpẽtis quæ ab initio mendax fuit, & mendaciorum architectus. Miseri non cogitabant similiter eos facere qui inter se cõtenderẽt, uter remp. administraret, ut si nauæ inter se certarent, quis eorum potissimum gubernaret: sed sic sunt ambitiosi homines comparati, ut cum pernicie reip. gloriam & honorem singulis punctis colligant.

Quia omnis multitudo sanctorũ.) satis sit uobis quòd uniuersa multitudo sacris hominibus constat ex colloquio, quod Deus in Sina monte cum illis habuit. Vnde nõ est cur uos efferatis super cæteros Israelitas. Vani homines non perpendebant, cuius administratione populus sacer factus esset, qui nisi fuisset Moses, lege & oraculis, in quibus sanctitas collocata est, cãruisset.

Et in ipsis est Dominus.) tabernaculo eius intra Israelitarum castra uersante. Sed ô rebelles, cuius cura & opera tabernaculum diuinum extructum est, & sacra eius uobis tradita?

Cur eleuamini.) sacerdotio & imperio à uobis usurpatis uestra libidine, non Dei arbitrio. Inuidi ad contumelias se conuertunt. Sapienter igitur ueteres dixerunt, inuidiæ ac maleuolentiæ iuliam esse maledicentiam. Quare non leuiter hic delinquunt aduersarij Mosæ: primò quidem, quòd sacerdotiũ nõ ex Dei uerbo, sed animi libidine affectant: deinde, quòd Dei responsa & oracula in Mose & Aarone non pro Dei oraculis, sed pro humano uerbo & doctrina habent, dum Mosem et Aaronem temerè sibi uendicare sacerdotalẽ dignitatem & imperium in Israelitico populo dicunt. Postremò peccant quòd tanta beneficia Dei per Mosem in Israelitas collata per inuidiam ingrati & immemores contemnunt. In quo criminis genere ostendit satan malas ingenij sui artes, quibus molitur primò ministros Dei in contemptum adducere, deinde per hos despectos redditos uerbũ Dei ex animis hominum excutere, cum persuadet aut id non esse uerbum Dei quod docent, aut illis non fuisse commissum ut doceant: sed quod docent, humanam, non diuinam doctrinam esse.

Mane, inquit.) luce prophetiæ illustratus hæc præmonuit. Defensio Mosæ Dei sententia nititur, qui sit declaraturus quisnam Dei sit, qui sacer, & cuius sit sacerdotio fungi.

Qui ad se pertineant.] Quæ tribus gratior Deo sit. Respõdet Dathani & Abirano & primarijs multitudinis hominibus qui primogenitura efferebantur.

Et sanctos applicabit sibi] ראת תקרישׁ Et quis sacer ad obtinendum sacerdotium summum, quòd tu Chora affectas.

Et quos elegerit appropinquabit ei.) Explicat quid קרב accedere ad Deum Hebraica phrasi pro sacerdotio fungi, libare Deo, suffitum facere, supplicare, & lustralem sanguinem spargere.

Erit sanctus.] pro sacerdote habendus, cuius significationem in cæteris igni & suffimentis repletis diuina sapientia uoluit dari.

Multum erigimini.) רב לכם id est hæc satis sit uos in præsentia monuisse. Vel ut nonnulli, satis est uobis dignitatis Leuitæ, q̃ præ cæteris tribubus selecti estis qua tabernaculi, in quo præsens Deus adest, munus geratis. Hanc sententiam confirmant quæ sequuntur: Num parum uobis est quod separauit.

Ad Chore.) ut autorem seditionis. Post Aaronis & Mosæ familiam nõ erat in tribu Leuitica præstantior familia quàm Caathitarum, quæ præstantiæ similitudo inuidiæ causam præbuit, quæ inter impares ac dissimiles non nascitur.

Num parum est uobis.] Falsa conuicia uera reprehensione confutat, ambitionis crimine notatis Leuitis, quo ipse falso notatus fuerat.

Contra Dominum.] non contra nos. Nam quod nos agimus, non de nostra sententia agimus, sed Dei. Itaq; sequitur:

Quis enim est Aaron.) Quid is peccauit, cui sacerdotium diuinitus oblatum fuit, non suo consilio, Israelitarum publico bono, non malo.

Non ueniemus.) Rebellionis aduersus legitimum magistratum exemplum, sed quod impunè non abierit, ut mox patebit. Tantum fastum primogenitura Rubenensibus, & ea adempta odium in Mosem excitauit.

Quæ lacte & melle.] Aegypto tribuit quæ diuina sententia sacræ terræ tribuerat, quæ maxima Dei & Mosæ contemptio in illis erat.

Nisi & dominatus fueris nostri.) Accusant affectatæ tyrannidis.

Reuera induxisti nos.) Reprehendunt mendacij, qui falsis promissis induxerit populum, ut relicta Aegypto perirent fame & siti in solitudine, nullo modo in terram scatentem lacte & melle inducti ut promissum fuisset. Tale innuit אף לא. alijs placet ironia.

An oculos nostros uis eruere.) ut non uideamus quibus dolis et malis artibus nobiscum agat, neq; intelligamus tua in nos pernitiosa consilia.

Iratusq; Moses.] affectus iniuria Dei gloriã minuente, cuius nutu & arbitrio omnia fecisse se sanctum uir sibi conscius erat. Laudatæ iræ exemplum.

Ait ad Dominum.) qua quamuis legitimũ magistratum gereret, crimen tamen læsæ maiestatis uindicari non à se, sed à Deo in rebelles uoluit. Exemplũ moderationis in sancto uiro.

Vt respicias sacrificia eorum.] Vt nec Caini sacrificium respexisti, qui placaris piorum muneribus, non impiorum. Vt de te dicis: Ne offeratis ultrà sacrificium frustrà, incensum abominatio est mihi.

Tu scis quòd nec asellum.] per tyrannidē quā mihi exprobrant. Diluit apud Dñm obiecta crimina.

Coram Domino.) ad tabernaculi ostium, ubi pro tribunali iudex Deus sedebat.

Gloria Domini.) sontibus supplicium irrogaturi, liberatis insontibus.

Separamini.] Vt quos par erat disiungi à periculo & clade, ut innocentia ab illis disiuncti erant. Iubet facessere Mosem & Aaronē à seditiosis cum quibus ni mirum unà aderant ad taberuaculum audituri sententiam diuinam ex adyto dicendam.

Proni in faciem.) ad orandum, ostendentes hoc habitu humanum genus puluerem terræ esse fragilē, omnibusq; malis obnoxium, & unum Deum uitalem spiritum omnia uiuificantem. Vnde oratio quæ sequitur ad placandam iram Dei, ne pariter in uniuersam multitudinem desæuiat, commoda, petita est.

Fortissime Deus.] et nos debile figmentum & infirmum ex luto opus, ut est apud Iob: Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus est quoniam puluis sumus. Tuæ igitur fortitudinis fuerit tuorum infirmitatem ferre & subleuare. Quæ uis indicatur in אל diuinæ fortitudinis uocula. Itaq; sequitur:

Spiritum uniuersæ carnis.] cui omnia uiuentia uitam & motum debeāt. Vnde Apostolus: In ipso uiuimus, mouemur et sumus. Nomine igitur רוח, id est spiritus uis animans & uiuificans accipitur, quæ quoniā à terra maximè bruto & inerti elemento dissidet, nō huius, sed stabilis ac spectabilis naturæ nomine effertur. Quò conueniunt nomina quæ animos significant à spirando ducta, ut apud Hebræos נפש, apud Græcos ψυχή, apud Latinos animus quasi ἄνεμος.

Nam uno peccato.) contra laudem tuæ pristinæ tum æquitatis, per quam cum sontib. in sontes perdere nō sis solitus, tum clementiæ, qui de te prædicas: Deus clemens & facilis ad condonandas culpas. Vbi dicit: Nū uno peccante. Notatur Chora autor secessionis & concitatæ aduersus Mosem & Aaronem multitudinis.

Præcipe uniuerso populo.] Exauditur oratio æquitatis, & bonitatis diuinæ locis instructa, in qua formula rectè precandi cernitur.

Abiron & Dathan.] ut semel exitio destinati, quales reuocari ad meliorem mentem recusant. Exemplo homines diluuio absorpti, Sodomitæ & Aegyptij.

Non ex proprio corde.) non de mea sententia, sed Dei ornantis summo sacerdotio Aaronem & ducem me Israelitis præficientis, contrà quàm falso mihi obiecistis, Nisi et imperium in nos exerceas. item: Cur effertis uos supra populum Domini. In inficiali statu uersatur: Non feci.

Sin autem nouam rem fecerit Dominus.] pro quo Hebræus אם בריא יברא ubi in בריא rectè nouum quiddam antea non conspectum. Cuiusmodi fuere opera in molitione mundi effecta. Et cuiusmodi sunt ostenta ac signa antè non edita.

Aperiens terra.) ultrix sceleris uestri, qui terreni, non cœlestes estis. Quærat hic aliquis, quì potuerit precari Dominum Moses, ut terra uiuos hostes suos deglutiret, qui suprà legatur cæteros homines clementia superare? Non precatus est ut se ulcisceretur, sed ut gloriam suam Dominus uindicaret. Itaq; nō egit cum his tanquam cum hostibus suis, sed tanquā cū hostibus Dei, cuius gloriæ omnia ceduns.

Os suum.) Affingitur os terræ sceleratos degluttientis instar ferę prædam deuorantis. Qui maledicto ore conuicia iecerant in Mosem horrendo terræ hiatu absorbentur.

Descenderunt uiui.) Conuenit uerbum descendere in terrenos noxæ damnatos homines, contrà ascendere in nouos & cœlestes.

In infernum.) in infimas partes terræ, quod est שאול propriè, à quarum obscuritate, caligine & sæditate שאול ad eum statum transfertur, in quo diuina luce & uita carentes homines uersantur. Digni autem erant ut tenebris obscuræ terræ absorberentur, qui splendorem cœlestis legis ferre recusassent, et Dei perennem illam lucem superbè spreuissent. Vtrūq; igitur infernū impij illi experti sunt: alterum, corpore: alterum, animis. שאול autem tenebras & horrorem, ut Iobus scitè describit: apud eum uideris.

Et scietis quòd blasphemauerint.] Vsus signorum, declarare iusticiam diuinam & iniusticiam sceleratorum hominum, ius confirmare, legitimam uerorū ministrorum Dei functionem.

Dirupta est terra.) Supplicium in impios decernitur, discessisse terrā, et hiatu suo eos deuorasse. Quod est apud Hebræos תבקע rumpi terram, latinè dicunt discedere terram ac desidere. Vt ille: Gyges qui cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit.

Cum tabernaculis suis.) In אהל familia comprehenditur, ut erant uxores & liberi.

Descenderunt uiui.) Abiramus & Dathan. Nam Coram ignis extinxit, ut colligitur ex capite uicesimo sexto huius libri, & ex Deuteronomio atq; Psal. centesimoquinto. Sic nonnulli alij aliter. Superstites autē filios remansisse docet, idem Numerorum tam citatus locus. Explicatur horrendum seditiosorum et ambitiosorum hominū supplicij, & ad omnē posteritatem memorabile. Quo indicatur iudicis Dei seueritas, & immensus in ambitiosos hypocritas seditiose in sacrum ministerium coniurantes animus. Hoc supplicij exemplū aduersarij Euangelij ut resipiscant ne cum Cora & eius gregalibus pereant, perpendant. Simili ambitionis uitio laborans satan de cœlo ad inferos detrabatus est. Hæc est superbiæ sedes, quam cœlum sedes diuinitatis, neque superiores, neque pares ferens, minimè tolerat.

Sed & ignis egressus.) è tribunali Dei, quod Messiæ thronus est igne circundatus, ut est apud prophetam: Thronus eius flammæ ignis. Is ignis diuini iudicij ut seruator ac restaurator est sanctorum, ita perditor impiorum. Tantum malum rebellio est, ut ad hanc insontibus ulciscendam & asserendam gloriam Dei arripiamur elementa ipsa mundi, terra, aqua, ignis. Terra quidem,

quidem,quæ debiscens,deuorauit impios:aqua uerò, quæ diluuio contumaces in malo deleuit:Ignis autem, qui Sodomitas absumpserit.

Qui offerebant incensum:]Iusta talione perierunt igni,qui alienum ignem libarunt.Qua ex re admonemur, primò legitimis, hoc est sacris Dei uerbo confirmatis operandũ esse.Secundò,quemq; suo quod Deus imposuerit,munere fungi debere,alienũ non inuadere. Suprà in Leuitico igni absumptos legimus qui alienum suffimentum non alieni,sed de genere Aaronis fecissent,hic uerò alienos.

Quoniam sanctificata sunt.]in usum declarandæ iusticiæ diuinæ,& comprobandæ innocentiæ Aaronis & Mosæ consecrata.

In mortibus peccatorum.)בנפשם, id est in animas eorum,hoc est necẽ ac interitum, adempta eis uita.Locus admonet,omnia tum impiorum,tum piorum consecrari Domino ad usum amplificandæ gloriæ eius,uitam,mortem,præmia,supplicia.

Et affigat altari.)æneam ac uictimariam arãm in atrio positam acerris in laminas diductis incrustãdam esse.Nota uox בפרר.

Pro signo.] Vsus incrustationis אות pro monimento.

Murmurauit autem multitudo.) non deterrita nouo & horrendo supplicio impijs irrogato.Detestabilis contumaciæ in rebelle populo exemplum.

Vos interfecistis.]Humanum supplicium interpretantur hiatu terræ absorptos sceleratos, & cœlesti igni absumptos,quod diuinum erat.

Populum Domini.)Coram & eius gregem Dominis iudicum,cui lux pro tenebris, bonum pro malo ducitur.In quos propheta: Væ qui dicitis malum bonum,& bonum malũ:ponentes tenebras lucem,& lucem tenebras. Sic sunt omnes cõpositi qui Dei uerbo regi nolunt. Quàm uehemens enim multitudo sit ac procliuis ad seditionẽ, præsertim si nacta sit duces seditiosos nouit,etiam uates Græcus:

ἀλλὰ δὶ πολλοὶ λαλίεργοι ὄταρ ἔχωσι προφάτας.

Sed tabernaculum.) tanquam salutis propugnaculum,& arcem præsentia diuini numinis muniam.

Nubes.] defensura insontes.Locus de præsidio diuino, hoc Deũ tẽpore rerũ difficillimarũ adesse suis.

Cũq; iacerent in terra.) uenerantes maiestatem diuinam in cœlo uersantem,coram qua homines in terra degentes submitti conueniat.

De altari.]ex ara uictimaria.

Vt roges pro eis.) Exemplum mansuetudinis in Mose orante pro inimicis. Ideo suprà:Erat autem Moses uir mitissimus. Aliter igitur in multitudinẽ imperitam,aliter in duces & doctores rerum peritos cõpositus fuit sanctus uir Moses:hac in re Deũ imitatus,qui delicti in delictis pro æquitate sua facit.de quo suprà Moses meminit.

Obtulit thymiama.) destinatum orationi,iuxta illud:Dirigatur oratio mea sicut incensum apud te.Ideo sequitur:

Pro populo deprecatus est.]fungens sacerdotis munere. In quo nobis refert eũ sacerdotẽ de quo Propheta:Pro improbis orauit.

Et plaga cessauit.) Vis orationis sacerdotalis.

Fuerunt autem qui percussi sunt.] tanquam uictimæ reliquæ multitudinis noxã expiantes. sic enim impij consecrata Domino uictima apud Prophetas appellantur: Gladius acutus est & limatus,ut cædat uictimas.Ex hac narratione discimus quàm diuina & salutaris res sit consensio inter eos qui præsunt, & eos qui imperio parent.Nam hac consensione resp.conseruantur,ut contraria dissensione ac discordia euertuntur,siue domesticum,in quo maritus & uxor,parentes & liberi,dominus & serui cernuntur: siue ciuile imperium,in quo magistratus & subiecti imperio continentur:siue Ecclesiasticã potestatẽ,quæ apostolos,prophetas,doctores & eos qui docentur, & cœlesti doctrina reguntur,complectitur,cõsideremus. Atq; hæc imperia non rerum quas continent, dissimilitudo,sed una dissensio dissipat, ut mundum hunc non partium dispar natura.sed discordia dissueret. Quod in Numeris etiam uidere licet, quos concentus uarius ex sonorum interuallis constatus commendat,non dissoluit.

IN CAPVT XVII.

Et locutus est.]Cohærent hæc ordine rei gestæ ad superiora:Reuersusq; est Aaron ad ostium tabernaculi.

Virgas.]Hæc obseruanda hic fuerint:Virgarum significatio: genus arboris, quæ erat amygdalus: ratio germinis,florum & fructuum uirgæ Aaronicæ:postremò usus conseruationis illius in tabernaculo ante oraculum. De singulis ordine.

Et una uirga.) & sacerdotali genti,& cæteris Leuitis administris sacerdotum, ita nonnulli. Contrà Cora Aaronis sceptrum,cui cæteri Leuitæ subiecti essent,agnoscere cum suo grege renuit.

Coram testimonio.) ante arcam oraculorum, id ערות est,quòd in arca lex posita de uoluntate diuina testimonium daret:aut quòd oracula ad eam redderentur. Duæ autem cum sint tabernaculi partes,in adyto uirga collocata fuit,ut epistola etiã ad Hebræos scripta,indicat.

Vbi loquar ad te.) Futura Hebræa habitum ac consuetudinem innuunt: Vbi uobis oracula soleo reddere ac responsa dare.

Quem elegero.) Neq; currentis igitur,neq; uolẽtis,sed eligentis Dei esse,sacerdotali fungi munere. De Christo sacerdote summo legimus: Iurauit Dominus,& non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternũ. & de sceptro huius sacerdotis: Virgam uirtutis suæ emittet Dominus ex Sion,sceptrũ Euangelij conscientias regens,& eas confirmans aduersus peccatũ,mortem,mundum,& principem mundi.

Germinabit uirga eius.]iã arida. Omnia parent potentiæ diuinæ.arida per hunc,in solo ab omni cultu remoto, florent, maria exiccantur,petræ fundant aquas,terra solida ad nutum eius debiscit,ignis qui natura sursum fertur,descendit.

Absq; uirga Aaron.) Hebræus indicat duodecim uirgas fuisse, & inter eas medium locum tenuisse Aaronis uirgam. Duodecim igitur solum uirgæ fuerunt ad numerum duodecim tribuum, in quibus & Leuitica tribus numerata est, Iosephi familia pro una tribu reputata, quæ in distributione terræ in duas diuisa fuit. Notatur hic principatus quem habeat uirga Aaronis super cæteras. Solent enim principes non in extremis finibus, sed in media ditione imperij sui, sedem tenere.

Inuenit germinasse.] Hic igitur germen, flos צִיץ id est crassum illud quod defloreſcente arbore relinquitur, demum fructus proponuntur ad cognoscendum. Apposita similitudo est: Sic primo germine pullulauit sacerdotium Aaronis in deserto, uario hypocritarum & principum fremitu infestatum, & iudicum regumq; tempore floruit, dum fructus extructo templo Hierosolymæ uberes ederet. sed ueritas in sacerdotio Christi cœlestis Aaronis elucet. Huius sacerdotale sceptrum cum antea aridum in mundo fuisset, ut cœperit à morte & resurrectione ipsius fruticare, & Euangelij in terrarum orbe fructus ferre, idq; satis properè, perspicuum est. de qua celeritate uates: Velociter currit sermo eius. Quò amygdali arboris significatio pertinet, quam maturè fructus suos edere constat. Vnde etiam ei ab Hebræis nomen שָׁקֵד inditum. Neq; amygdala sceptro crucis parum congruunt. Nàm ut in his duos cortices & dulcem nucleum & eum salutarem cernere licet: ita etiam in ijs fructibus quos sacerdotalis Christi uirga profert, eadem usu uenire uidemus. corticem enim in illis alterum amarum, alterũ durũ spectamus. De amaro quidem legimus: Vos flebitis, & dolebitis. de duro autem: Arcta uia est, nimirum aspera, salebrosa, sentibusq; obsita, quæ ducit ad uitam. Dulcis autem amygdalorum nucleus ille de quo Dominus apud Ioannem: Tristicia uestra uertetur in gaudium. In Canticis igitur sponsa in hortum fœcundum nucibus descendere legitur, quæ bipartitum statum experitur, alterum crucis, alterum gloriæ. Necnon legis ministerium uirgæ amygdalinæ fructibus repræsentatur. Nam corticibus amygdalorum partim durissima iræ & mortis administratio, quam lex continet, partim regni cœlorum adumbratur, intus latente nucleo longè dulcissimo & saluberrimo Christo esu fine sacerdotij Aaronici & uniuersæ legis.

In tabernaculum testimonij.] Meritò seruatur in sanctiore sacrario uirga Aaronica ad arcã oraculorem, quæ eius sacerdotis florẽs sceptrum repræsentat, qui in cœlesti sacrario sedet sacerdos æternus, sceptro sacerdotij sui regalis, regẽs omnia in cœlo et in terra.

Dixerunt autem filij Israel.] Iam Core cum suis gregalibus extinctis, & multitudine peste absumpta.

IN CAPVT XVIII.

Tv & filij tui.) Sacerdotio Aaronis per interitũ illius, & ostento florentis uirgæ confirmato, leges iam quas seruent sacerdotes & cæteri Leuitæ explicantur, propositis præmijs, quibus tum ipse summus antistes, tum inferioris notæ sacerdotes, tũ Leuitæ sacerdotij administri ornentur.

Et domus patris tui.) aui Caathi, cuius familiæ sacrarij, de quo hic fit mentio, gestatio mandata fuit.

Portabitis iniquitatem sanctuarij.) præstantes neglecti sacrarij culpam, sic ubi uel à uobis eius cultus prætermissus, aut non rectè curatus fuerit, uel negligẽtia uestra alieni ad illius administrationẽ accesserint.

Sacerdotij uestri.) ritè non gesti. De cuius ritu in Exodo & Leuitico. Exemplũ autem posthabiti ritus in Abio & Nadabo cernitur.

Sed & fratres tuos.) agnatos & tribules Leuitas ex familia Gersonia & Merariana. Patris nomine hic Leui notatur.

Præstoq; sint.) In וילוו alluditur ad לוי nomen hic cooptari est: Qui tibi cooptati administrẽt.

In tabernaculo.] soli non adiunctis cæteris Leuitis, quibus fas non erat ingredi in tabernaculum, nisi eum motis castris uasa illius sacra pannis inuoluta portarent essent.

Ne & illi moriantur.] exemplo Corę.

Et uos pereatis simul.) uestra incuria alienis ad sacrarium admissis. Exponitur illud: Portabitis iniquitatem sanctuarij. De more linguæ duplicatur גם pro quo Latinè, tum ipsi, tum uos.

Alienigena.] ex Leui genere non prognatus.

Excubate in custodia sanctuarij.) Sacerdotes Leuitas in suo officio retinebant, Leuitæ Israelitas, ne sacrum tabernaculi munus inuaderent, prohibebant.

Ne oriatur indignatio.] Suprà conquestos legimus Israelitas se interire ut quisq; ad tabernaculũ accessisset: hic cladis amoliendæ consilium aperitur.

Ego dedi uobis fratres.) sacro muneri destinatos, quòd scelus culti aurei uituli cum Mose uindicassent. Spectandus ordo quem diuina sapientia in Israelitica Ecclesia sanxit, primum locum Aarone summo pontifice obtinente, alterum sacerdotibus, tertium ministris sacerdotij Leuitis, quartum Israelitis suo quoq; muneri delegatis, cuius fines prætergredi nefas esset, & capitale, ad uitandam confusionem in rep. diuinitus instituta. Atq; huius ordinis similitudo in corpore humano & membris eius cernitur. Nam oculi in corpore non ieserunt aspectandi munus audiendi temerè sibi uendicato. Munus pedum munere minimè sibi usurpato, suum persequuntur. sic Deus multa & uaria membra in Ecclesiæ Israeliticæ corpore descripsit, quorũ quodq; suum officium faceret, alienum non inuaderet, ne ordo munerũ perturbaretur. Idem in Ecclesia notæ fœderis sub capite Christo uero illo Aarone ordo seruatur, de quo ex Apostolo aliàs. Ad hæc in corpore membra sic composita sunt, ut singula singulorum beneficia sentiant. Os excipit cibum, sed quem exceptum decoctũq; stomachus omnibus impertiat, manus omnibus laborant, oculi uident, aures audiunt: non secus Ecclesiæ membra ad charitatis usum inter se officia sua communicant. quod spectare licet hic in Aarone, eiusq; filijs sacerdotibus & Leuitis toti Israelitarum genti seruientibus docendi & reconciliandi & supplicandi munere.

Si quis

Si quis externus accesserit.] Exemplo Ozias rex lepra affectus, ut attrectasset arcam. Dicas, Quid igitur Samueli faciemus? quod in hoc accidit חראת שעה erat. idem de Gedeonis facto statuendum.

Quæ ad cultum altaris pertinent.) Vtriusq; & uictimarij & suffitorij, ut erat immolare, sanguinem spargere, suffitū facere, supplicare, uasa tempore profectionis obtegere.

Et intra uelum sunt.) in quod summus pontifex quotannis semel & solus ingrediebatur, ad supplicandum in propitiatorio die, populum Deo reconciliaturus. In quo adyto arca, propitiatorium, Cherubim, urna mannam continens, et Aaronis quæ germinauerat, uirga reposita erant.

Ecce dedi tibi custodiam.] curam eorum quæ mihi ab Israelitis sacrata erunt. Explicata lege proponuntur munera quæ cuique ordini tribui debeant, Leuitis, sacerdotibus, pontifici.

Pro officio sacerdotali.] לְמִשְׁחָה interpres non absurdè pro unctione גְּדֻלָּה, id est dignitatem & officium sacerdotale uertit. Similiter paraphrastes לְרִבּוּ.

Hæc ergo accipies.) Ordine quæ cedant ex consecratis pontifici & sacerdotibus filijs illius, exponuntur, piaculares & noxales uictimæ. Minhæ, donaria, deuota, ac anathemata, primitiæ olei, fumenti, musti, primores terræ fruges, primogenita tum hominum, tum cæterorum animantium. de quorum ratione & usu aliàs.

De his quæ sanctificãtur.) מִקֹּדֶשׁ הַקָּדָשִׁים, id est hæc cedere debere sacerdotibus ex sacrosanctis, quæ igni superfuerint, & ab eo consumpta in ara non sint: Sic paraphrastes מִבְּתַר בֶּן הָאִשֶּׁה, in hoc genere ut sequitur, numerantur hostiæ tum piaculares, tum noxales & Minhæ. Hæc sacrosancta dicuntur comparatione uictimarum pro salute, quæ קֹדֶשׁ dicuntur q, his alio quàm sacro loco etiam fœminæ uescerentur, illis mares solum in tabernaculo. Quæ autem ex uictima piaculari & Minha cremari solita sint, suprà in Leuitico indicatum.

Quicquid pro peccato.) Non memoratur holocaustum, quod totum in ara abolebatur, ex eo præterpellem nihil ad sacerdotes redeunte.

Atq; delicto.) De ritu קֹדֶשׁ id est noxalis uictimæ suprà in Leuitico capite quinto.

In sanctuario comedes illud.) קֹדֶשׁ קָדָשִׁים hic non est sanctius illud sacrarium intra uelum, sed altera pars tabernaculi, quæ sacrosancta uocatur comparatione atrij quod leuius sacrum habebatur.

Mares tantum.) Secus de uictima salutis, in hac nec sexus, nec loci respectus fit, qui in piaculari uictima fiebat. Ratio nota sanctis, de qua in Leuitico.

Primitias autem quas uouerint.) Hebræus monet omnia donaria quæ ab Israelitis porriciantur & leueneur Deo, sacerdotum esse, in quibus comprehenduntur uictimæ de pace tum uotiuæ, tum quæ ad gratitudinem significandam offeruntur.

Qui mundus est.] De mundicia & immundicia legis suprà in Leuitico. Cuiusmodi quædam ex rebus externis, ut erant animantia immunda & cadauera, quædam ex internis, ut erant menstrua, lepra, corporum fluxiones, contrahebatur.

Omnem medullã olei.) חֵלֶב, id est adipis nomine significantur præstantißima in oleo, frumento & musto. Itaq; paraphrastes pro חֵלֶב habet שֹׁרֶב. Oleũ יִצְהָר à splendore & puritate appellatur. Nota enim est uox צָהַר. Vnde à luce apud Hebræos meridies צָהֳרַיִם dicta. Magna sacerdotij dignitas, cuius sint quæ Dñi sunt. Nam legis hic: Quicquid offerunt primitiarũ Dño. Summoue umbram. Est & in animantibus pingue suum natiuũ, quo & temperato calore uita conseruatur. Atq; id etiam חֵלֶב nomine continetur. Hoc non solum in animantibus, sed etiam in stirpibus cernitur. Et tanto quodq; animans longiore uita est, quanto hoc pingui magis abundat, et de eo minus deteritur. Hinc fit ut tanti in sacris literis fiat חֵלֶב quo adumbratur illud pingue, cuius beneficio conseruatur uita illa cœlestis, quod pingue illud olei est, de quo uates: Vnxit eum præ consortibus.

Omne quod ex uoto.] Anathemata quoque ac deuota Deo, in sacerdotum conuerti usum. חֵרֶם enim legitur: Qua de re suprà in Leuitico capite ultimo.

Vt pro hominis primogenito.) Non de primogenitis Leuiticæ tribus lex accipitur, ut qui destinati tabernaculi ministerio, non redimebantur, sed de cæterorum Israelitarum primogenitis. de quorum duplici redimendi ratione suprà capite tertio.

Et omne animal quod immundum est.) quod quidem liceat redimere. Nam erant quæ non redimebantur pecunia, sed oue, ut primogenita asinorum. de quo in Exodo.

Cuius redemptio erit post unum mensem.) De primogenitis hominum loquitur. de quorum bipartita redemptionis ratione suprà capite tertio.

Primogenita autem bouis & ouis.] Consilium notum in oue de qua propheta: Tanquam ouis ad occisionem ducetur. Quomodo enim redimeretur quod ipsum cuncta redimit, & sanguine suo omnia expiat? Ideo sequitur: Sanguinem eorum fundes super altare. Secus de homine à partu & conceptu polluto, & de immundis animantibus, quæ meritò redimuntur nihil redimentia.

Sicut pectusculum.) ex hostia de salute, quod cũ armo dextro sacerdotum erat, nota significatione. Itaq; cum tres partes huius uictimæ essent, una Deo in ara adolenda, altera sacerdotibus, tertia offerentibus cedebat.

Omnes primitias sanctuarij.] Concludit legem de sacerdotali munere. Omnia ab Israelitis Deo consecrata sacerdotum esse.

Pactum salis est.) Firmitas inuiolabilis notatur in salito fœdere. Natura salis corporũ conseruatrix satis cognita, quam in cunctis ex quatuor mundi elementis concretis rebus fusam licet cernere, metallis, stirpibus, animantibus. Vt ueteres uerè iudicarint nihil esse sale & sole utilius. de quo uideris in Leuitico.

Sempiternum.) Veritas in æterno ac in inuiolabili fœdere, quod cũ sacerdotio sancitur. de quo Petrus: Vos genus electum, regale sacerdotium. Cum quo fœdus diuinum initum uerè salitũ fœdus est. Primò, quia firmum & inuiolabile. Secundò, quia eos igneo spiritu purgat, cũ quibus sancitur. Inest enim in sale ignea uis qua ea quibus aspergitur, purgantur: & expurgata, à labe uindicantur. Sic Dei fœdus sacrum sacerdotes suos, igneo suo sale purgat, renouatq;, absterſa uetere natura ad stabilem & æternam firmitatem: De qua ignea fœderis salitu uirtute Malachias propheta: Ipse enim quasi ignis conflatũ purgabit filios Leui. Quàm igneæ autem natura præditũ sit sal, norunt ij qui ex illo liquorem cuncta mætalla dissoluentẽ elicere sciunt. Atque sic purgati sacerdotes quoq; sal efficiuntur, de quo Dominus: Vos estis sal terræ. salem spiritus diuini fœderis redolentes, & eum docendo auditorib. ad immutandam ipsorum uitam aspergentes.

In terra eorum nihil.] Vt qui necessaria ad uictũ & cultum uitæ ex terræ suæ prouentibus ijsq; opimis tibi suppeditent.

Ego pars & hæreditas tua.] dũ tibi mihi sacrata in uictum cedũt. Hic primò cognoscitur sanctorum præmium Deum esse. Vt de Abrahamo legimus: Ego ero merces tua magna nimis. item apud Prophetam: Et Dominus corona gloriæ, & sertum exaltationis residui populi sui. sed quo id fit nexu ac coniunctione? Hanc Christus Dominus noster his uerbis indicat: Vt omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te. Atque hoc unum participatum diuinæ naturæ in spiritu Messiæ complectitur, de quo Petrus: Vos estis consortes diuinæ naturæ, quæ fatetur hic se hæreditatem sacri sacerdotij esse. Quæ quãuis infinita sit, definito tamen modo, ad mensuram uidelicet donationis capitis Christi, si se suis impartit. Secundo intelligitur, à cura rerum mundanarum liberos debere esse sacerdotes Dei, hoc est credentes in filium, cogitantes illud Apostoli: Nostra autem conuersatio in cœlis. quæ sanè efficit freta hac sententia, Ego pars & hæreditas tua, ut ab uno Deo patre in statu regenerationis in Christo per fidem & spem tum in prosperis tum in aduersis rebus toti pendeamus, nulla neque parentũ, neq; amicorũ, neq; opum, neq; præsentis uitæ cura ab illius amore abstrahendi. Hoc patrimoniũ, hos fundos pro uera hæreditate agnoscum sacerdotes unctione uncti. de qua Ioãnes: Vnctio docebit uos omnia.

Filijs autẽ Leui dedi omnes decimas.) Quo munere pro ministerio sacro ornentur Leuitæ. Hæ decimæ sunt de quarum antiquitate, generibus & usu in Leuitico.

Vt non accedant ultrà.] sicut accidit in seditione Coræ.

Nec committant peccatum mortiferum.) Hebraismus, ferre peccatũ & mori pro eo quod latinè dicitur, morte luere peccati pœnas. Quod dicimus Deo consecratis uiuere Leuitæ, ea re significatum, conuenire ut ij qui Deo sacrati sint, ex ijs reb. uiclitent quæ Deo sacrantur, neglectis opibus quas mundus præbet. Hinc illud Dñi: Non potestis Deo seruire, & mammonæ iniquitatis. Quàm præstans igitur Leuitarũ uictus sit, denarius in decimis notatus indicat, q perfectus numerus est, ultra quẽ nullũ aliũ reperias, qui illo nõ contineatur. Is Deus est uerũ Leuitarũ patrimoniũ. Deus rius ille perfectus & consummatus principiũ & finis omniũ, ultra quẽ non progrediare, qui sit omnia in omnibus: & tantũ quodq; sit, quantũ Deus in ipso est, in quo simus, uiuamus & moueamur. Ad idẽ mysteriũ pertinet quod in Deuteronom. legimus, Leuitas uesci solitos decimis in sacro loco, diuinoq; cultui destinato. Quo ritu indicatũ ueros Leuitas, hoc est ministros cœlestis sacrarij selectos, qui in superna Hierosolyma in qua Christus regalis sacerdos sedet, Deo ipso fruantur tanquã hæreditate & patrimonio suo in decimis legalibus repræsentato. Quæ res quoniã maximã adlatura erit uoluptatem sanctis, diuina sapientia sanxit ut Leuitæ Hierosolymis cũ lætitia uescerẽtur decimis.

Et portantibus peccata populi.) sicubi eorum negligentia populus ad sacra temerè accesserit.

Præcipe Leuitis.) Expositio præmio sacerdotali & Leuitico, iam quæ peculiaris sit summi sacerdotis merces, explicatur decumas ex decumis ab Israelitis Leuitis tributis, & ijs opimis decidendas.

Et date ea Aaroni. Jagnoscentes hunc summum sacerdotem esse, ut Abrahamus Melchizedecũ regẽ & sacerdotem decimas spoliorum suorum tribuens, & gnouit. Qua de re aliàs. Deponendum uelum. Sic spirituales decimas & primitias sancti Christo pontificiã assignantes eum sacerdotem summum, cui potestas omnis & terræ data sit, fatentur.

Et reputetur uobis in oblationẽ primitiuorũ.) Heb. indicat eã תרומה perinde fore ac si Deo de area et torcularis prouentu consecrata esset. Idem innuit מלאה, id est plenitudinem de abundanti etiam torcularis liquore ut est mustum et oleum exponi, non solum de frugum copioso prouentu. Qua de re uideris suprà in Exodo capite uicesimosecundo.

Et uniuersis quorum accipitis.] Sententia ex Hebræo: Ita uos quoq; munus mihi de decimis uestris consecratote, ut Israelitæ de area & torculari prouentus sui decimas consecrant Deo.

Optima & electa erunt cuncta.] מקדשו hic appellantur decumæ.

Et comedetis eas.) Non refertur ארתה ad decimas à Leuitis Aaroni assignatas. sed ad reliquũ unde illæ decisæ sunt. Reliquũ quod remãserit post tributas Aaroni decimas, uestrũ erit, quo fas erit uobis uti ut prouentu areæ & torcularis Israelitæ utuntur. simulatq; uobis decumas facultatum suarum dederint.

Et non peccabitis super hoc.) Hebræi sententia: Si consecrarint de optimis decimis Aaroni, non portaturos peccatum, id est pœnas malignè tributarum decimarum non daturos: sin secus, daturos.

Ne polluatis oblationes.) neq; profanetis קדשי id est sacra Israelitarum, id est decimas ab Israelitis acceptas: has profanaturi, si non opima ex his assignatis summo sacerdoti.

Ita

IN CAPVT XIX.

Ista est religio uictimæ.] *In qua hæc perpendenda fuerint, sexus, ætas, integritas, iugi uacuitas, locus, cinis, & ipse usus uictimæ. In lustrali autem aqua insperſus uaccæ crematæ cocci iterati cedri, hyſſopi, cinis: quæ item horum ratio & quod uaccæ piacularis, lustralisq; aquæ diſcrimen ſit, conſiderandum. De ſingulis ſuo loco.*

Vt adducant.) *Iſraelitæ admouent uaccam, quam acerdos immolet pro ipſorum peccatis expiãdis. De poſito uelo, quam uaccam adducãt ſaluandi quam immolet ſacerdos Chriſtus, ex Propheta manifeſtum: Propter ſcelera noſtra attritus eſt. Nõ mas, ſed fœmella deligitur, imbecillitate ſexus repræſentans eam uictimam, quæ infra omnia deiecta, firmitate ſua noſtram infirmitatẽ ſuſtulit. De qua infirmitate declarata in umbelli oue idem Propheta: Et tanquam ouis ad occiſionem ducetur.*

Rufam.] *Is color peccato expiando congruit, de quo illud: Si rubra peccata ueſtra ut coccinũ, etc. Huc referẽda notatio ſanguinis rubri ex ſacris literis: nomen item ueteris et terreni* אדם *ſub peccatũ uenditi. Quod nomẽ à rubore originẽ habet. Is q candidis uestimẽtis indutus apud Prophetas deſcribitur, in rufũ colorẽ ſe induit, piacularẽ hoſtiam præſtans, noſtris peccatis in rufo ueteris hominis ſanguine ſedem tenentibus, in ſe translatis. de quo ſanguine per contentionem Euãgeliſta: Qui non ex ſanguinibus, ſed ex Deo nati ſunt. Huc nomen quoq; אדרם fratris Iacobi carnalis & terreni hominis figuram geremis pertinet.*

Aetatis integræ.) *Qua ætate noſtra uictima immolata ſit, notum.*

Nec portauerit iugũ.) *Sub nota imagine ueritas in uictima, quæ peccati & ſatanæ iugum non ſubijt, de qua ipſa de ſe apud Ioannem: Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Quæ immolauit ſe ipſam ut grauiſſimũ peccati & mortis iugum à nobis auferret, & ſuaue credentibus in ſe iugum leuiq; regni cœlorum onus imponeret. de quo eadẽ hoſtia: Iugum meum ſuaue, & onus meum leue.*

Qui eductam extra caſtra.) *Leuitarũ & cæterorum Iſraelitarũ. Notatur impuritas uictimæ non à ſua, ſed à populi expiandi noxa. De noſtra uictima apud apoſtolum: Maledictum & peccatũ factus eſt. Et Chriſtum extra Hieroſolymã immolatũ legimus Ioan. decimonono.*

Et tingens digitum.]*Is in ſanguinẽ tinctus digitus refert nobis digitum auferentem malas & noxias poteſtates, de quo apud Euangeliſtã: Si in digito Dei eijcio dæmonium, profectò uenit ad uos regnum Dei. Digitũ inquam hoſtiæ piacularis ſanguine intinctũ, per quẽ habemus redemptionem de qua Apoſtolus: Per quem habemus redemptionem per ſanguinem ipſius.*

Aſperget contra fores tabernaculi.] *extra caſtra, ut uolunt interpretes, uerſans. Hæc confirmant quæ ſequuntur. Aſperſus contra tabernaculum oraculare ſanguis, indicabat in tabernaculo præſens Dei numen ad propitiatorium adeſſe, quo fieret peccatorum remiſſio.*

Septem uicibus.) *in aſperſione luſtralis aquæ ex Ieſaia propheta, ſeptenarij myſteriũ perpendendũ*

Comburentq; eam.) *Alia ratio crematæ uaccæ, alia cæterorum holocauſtorum. Hæc intra caſtra in ipſo atrio in ara uictimaria tabernaculi fiebant, illa extra. Holocauſtorum pellis ſacerdoti cedebat, ex incenſa uacca nihil redibat ad illum, cius corio quoque cremato. in altero genere cinis ſeruabatur ad cõficiẽdam luſtralem aquam: in altero is uſus non cernebatur. in altero mas uitij expers, in altero fœmella delecta fuit.*

Tam pelle & carnib.) *igni diuino, ſi umbrã remoueas, omnia in ſuam naturã, quæ cœleſtis eſt, transformẽtur, excretis quæ in Chriſto uictima cœleſtia non erant, infirmitate, ignominia crucis, mortali conditione, ut expiata noxa, nos quoq; cremato noſtro uetere homine, cum pelle, carne, excremẽtis, ad eandẽ gloriam beneficio ignis repurgatoris adduceremur, ut habet illud: In eandem imaginem transformamur. In ſacra igitur uictima, & in nobis ſuum diſcrimen cernere licet. Primò enim diuinus ignis in hoſtia hic deſcripta abſumit, quæ hæc citra ſuum peccatum propter noſtra delicta ſortita eſt, morti ſcilicet & ignominiæ obnoxium ſtatum: in nobis autem hæc omnia conſumit propter noſtram noxam. Deinde huius hoſtiæ caro nullam interitum ſenit, de qua uates: Caro eius non uidebit corruptionem. Noſtra ſenit, quæ uitio natiuo deturpata ſit, quo hoſtiæ caro libera eſt, quæ non ex uitioſo ſemine carnis, ſed ex illibato ſpiritu Dei pura puta concepta ſit, per quem cœleſtem conceptum hoſtia de ſe dicit: Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Diſcimus etiam hic, cum omnia huius hoſtiæ legamus crematа, totam eam pro nobis ad expurganda uitia humani generis oblatam. Nam hæc uictima Chriſtus: Vitam pro ouibus ſuis, carnem in cibum, ſanguinem in potum, linguã in doctrinam, oſſa corporis in robur noſtrum obtulit, recepitq; demum omnem infirmitatem & languorem noſtrũ in ſe quem ſanaret, & nobis ſuam uitam, robur, integritatem donaret. Hinc illud: De plenitudine eius omnes accepimus.*

Lignum quoq; cedrinum.) *In cedro proceritas & firmitas aduerſus putredinẽ cernitur. In hyſſopo purgans per amaritudinem pœnitentiæ uis perpendi tur. De qua Dauid: Aſperges Domine me hyſſopo, & mundabor. Hæc omnia in medium uaccæ rogum iniecta, ad myſterium expiationis faciunt.*

Cineres uaccæ.) *mixtos cineribus cedri, cocci, hyſſopi. Quod ſal quale oleum, quæ uis ignea expurgatrix inſit in cineribus, phyſicis notum. Ex his quoq; aqua maceratis, lixiuium fit quo ueſtium ſordes extergũtur: nec non ex eadem materia ſmigma fit purgandis maculis accommodatum.*

Et in aquam aſperſionis.) *Ratio conficiendæ aquæ luſtralis traditur. Hanc ex cineribus uaccæ crematæ, cedri, cocci & hyſſopi in aquam coniectis*

effici. Hæc duo nomina apud Hebræos sortitur, alterum נדה est, alterũ חטאה. altera uoce separationem quæ immũdi à cætero cœtu excludebãtur, altera expiationẽ, cuius aspersu impuritas lustrabaĩ, notãte. ut חטאה, id est peccatũ pro piaculo, quo peccatũ expiatur: sic נדה, id est separatio pro aqua quæ ecclesiæ suos restituit ablato separationis probro, accipitur. Cæterùm in quo cremati piaculi cinerum igneo spiritu, & in quibus aquis per quas spiritus ille agit, ueritas appareat, manifestũ est ijs q̃ in regeneratione partem habent. Duo hic cognoscimus: unũ, ad expiationem peccati necessariam esse mortem uictimæ: alterũ, expiata iam noxa necessariã regenerationẽ esse ad nouã uitam, uetere abstersa. alterũ præstat mors uictimæ, de peccato diuinæ iusticiæ satisfaciens: alterum crematæ uictimæ cineris igneus per aquam omnia mundãs spiritus. De uictimæ morte piaculari propheta: Propter scelus populi mei percussi eũ. De purgatrice ui ignea & aquea idem, sed alio loco: Si ablue rit Dominus sordes filiarũ Sion, & sanguinẽ Hierusalem lauerit de medio eius spiritu iudicij & ardoris. Vbi mysterij expiationis et regenerationis hic adumbrati Propheta interpretẽ habemus. Eódem referẽdum illud Apostoli: Nam si sanguis taurorum & hircorum & cinis iuuencæ aspergens inquinatos sanctificat ad carnis sanctificationẽ, quãto magis Christi qui per spiritũ æternũ seipsum obtulit immaculatũ Deo, purgabit conscientiam uestrã à mortuis operibus ad seruiendũ Deo uiuenti? In quo loco crematæ uaccæ cinerum, aspersæ aquæ mysticæ notæ & usus tum Mosaicarum umbrarum tum ueritatis in Christo relucentis explicantur.

Vsq; ad uesperã.) Quæ uespera adumbret, notũ.

Qui tetigerit cadauer hominis.] De mystica nota aliàs. Explicatur usus aquæ lustralis. Quàm fœdus ergo error in bestiæ regno cõmittatur, cum in eo super cadauere, hoc est mortuorũ ossibus sacrificatur, lex hæc declarat. Primò enim sanctorũ ossa deligũt, quæ Dei sententia in terrã recondenda erant, in qua excitationẽ ad uitã expectarẽt. Deinde ea colunt, ut in meritorũ quibus sanctos florere apud Deũ dicunt, cõmunicationẽ ueniant. qua in re quãtum cæcutiãt, aliàs ubi de gratia & meritis fit sermo, indicatũ. Nos hic legimus cadauera mortuorũ immunda haberi, & eos qui ea attigerint, immundos effici: impuri illi sacrificuli ossa cadauerum colere audent, ad eum cultũ festis, aris, cereis, excogitatis. Sed dum hoc faciunt, ostendunt sese cadaueribus & eorum ossibus nihilo meliores esse. Qui uiuente Christo ad dextram Dei patris contempto, cadauera quæ colant persequuntur. Quanta demum impuritas sit in cadaueribus, declarant immundi spiritus qui in monumentis ut uersentur, ostendunt duo dæmoniaci apud Euangelistam è monumentis egressi obuiam Domino.

Die tertio & septimo.) Quid sit die tertio lustrali aqua aspergi, & septimo deinceps mundum effici, hi norunt qui ordinem renouationis spiritualis quem Deus in uetere homine abolendo, & in nouo gignendo seruat, cognitum tenent. soli scripti in libro uitæ aspersionem tertio die factam sentiunt. Quis autem is tertius dies sit, quis ordo septem quas Iesaias recenset, uirtum sacri spiritus, ea de re alio loco, & tempore. Tertium diem occupat spiritus timoris, qui post uitam θρεπτικήν & αἰσθητικήν, cum se ratio & intelligentia naturalis profert, se exerit, atq; initiũ sapientiæ & reliquarum uirtum spiritus sancti est, quo omnes ex gratia electionis aspergũtur qui in eorũ numero continentur de quib. in Actis: Crediderant quot quot ordinati erant ad uitam. Hinc in eisdem Actis Paulus: Viri Israelitæ, & qui timetis Deum, audite.

Polluet tabernaculum Domini.) in eo uiuentium, non mortuorum Deo habitante.

Et manebit spurcitia eius.) עריר pro תמיד.

Qui moritur in tabernaculo.] De tentorio cuiusq; accipitur. Meminit tentorij quod Israelitæ tentorijs pro domib. in deserto peregrinantes uterẽtur.

Omnes qui ingrediuntur.) funere nondum elato.

Vas quod non habuerit operculum.) Aperta uasa polluuntur, tecta non polluuntur. Exteriora igitur, si interiora tecta sint, nõ cõtaminantur: interiora si tecta non sint contaminantur. Submota imagine, occurrunt uerba Christi explicantia ut interiora nõ tecta polluantur mortui attactu. Nam ex corde exeũt, inquit, cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, falsa testimonia, cõuicia. Hæc sunt quæ impurum reddãt hominem. De operculo autem Apostolus: Vita uestra abscondita est in Christo.

Atq; hoc modo mundus lustrabit immundũ.) Ex hac lege discant ministri oraculorum Dei, ut purã lustralem Euangelij aquam immundis aspergant, ne incurrant in seueram illam reprehensionem: Impio autẽ dixit Deus, Quare tu enarras institutа mea, & fœdus meum in ore tuo sanis?

Et mittet aquas uiuas.] In Mosaicis umbra, ueritas in aquis uiuis de quibus apud Euangelistam ex Isaia: Flumina de uẽtre eius fluẽt aquæ uiuæ. item Hieremias: Me dereliquerunt fontem aquarum uiuarũ. Viuæ aquæ adhibentur, non mortuæ, ad eluendas sordes. Respuuntur igitur aquæ quas administrant ij quos taxat idem Propheta: Foderunt sibi cisternas, quas non continentes. Atq; hi cum Philistinis obturant fontes Abrahami, ex quibus manant uiuentes aquæ ac latices omnem ueteris hominis spurcitiã abstergentes, de quibus Zacharias: In die illa erit fons patens domui Dauid & habitantibus Hierusalem in abluționem. Quis autem sit uetus homo, quæ eius origo, natura, quis item nouus, quisq; eius ortus, quæ natura & ingenium, non est huius loci ea disputatio.

Expiatusq; die septimo.) חטאו, id est expiet eum mundus uidelicet immundum. Paraphrastes pro expiandi uerbo modò aspergere uertit, modò mundare, noto tropo, quòd expiatio hæc aspersione fiat. Sic Psalmo quinquagesimo ubi Hebr. habet תחטאני Expia me hyssopo, ille uertit תזה. Similiter Septuaginta, ῥαντιεῖς. Die septimo absoluitur expiatio. Si igitur

igitur dies ut finem creationi ueteris mundi imposuit, sic absoluit quoq; restauratione expiatione in Christo nouo homine facta.

Lauabit & se.) qui aspersit lustralem aquam.

Peribit anima illius.] Depositio uelo, legimus de uerę immunditię mulcta: Qui nō credit in me, iā condemnatus est, carens nimirum puritate de qua in Actis, Fide purificantur corda hominum.

Quia sanctuariū Domini est.) Qui de se dicit: Estote sancti, quoniam & ego sanctus sum, suprà dictum tabernaculum, hic sanctuarium.

Ipse quoq; qui aspergit aquas.] non propter lustralem aquā, quæ munda est, sed propter eius qui purgatur impuritatem. Cæterum non est opus hic refellere errorem aduersarij, qui posthabita censura spiritus sacri, fretus functione Mosaica suas lustrales in Ecclesia confirmat aquas. Hallucinatio clarior est, quàm ut oporteat eam refutare: & stultior, quàm ut conueniat: & nisi redeant in uiam, digni sunt ut in tenebris miserè pereant, qui tenebras contumaciter persequuntur suo & aliorum exitio.

Quicquid tetigerit immundus.) Has Mosaicas tenebras illuminat Apostolus his uerbis: Scripsi uobis per epistolam, ne cōmisceremini cum scortatoribus, aut cum auaris, aut cum rapacib. aut cum simulacrorum cultoribus. Tam fœdus & contagiosus attactus est malorum hominum, qui uersus funera sunt quàm homines. Hinc hypocritas Christus sepulchris dealbatis cōparat. Notus est senarius ille Menādricus ab Apostolo citatus, φθείρουσι ἤθη χρηστ' ὁμιλίαι κακαί.

IN CAPVT XX.

Mense primo.) anni quadragesimi ab exitu ex Aegypto. Quo tempore extinctis qui in deserto rebellarant, hæc quæ hic memorantur, gesta sunt. Itaq; non inuenias, neq; edita oracula, neq; ullas memorabiles, quæ quidē literis proditæ sint, in peregrinatione deserti res gestas, nisi prioris anni et quadragesimi, ut intelligamus cum populi interitu simul & oracula siluisse, & præclarè gerendarum rerum occasionem sublatam.

Cades.) Quæ Zin est, tricesimatertia mansione insignis. Diuersus igitur locus est ab eo qui suprà in Exodo cap. 16. solitudo Sin dicitur. In qua octauum castrū fuit. Alterū statiuū ucinū mari rubro inter Helim & Sinā, alterum in finib. Idumææ tricesimumtertiū erat. Nec quæ hic Cades dicitur, Cades illa Barnea est, cuius in Deuteronomio fit mētio. Nam altera ucinior est Iudææ, altera remotior in extremis Idumææ finibus hærens. Præterea in utroq; deserto Sine & Zine res eædem gestæ non sunt. In Sine enim caro & panis requirebantur queritantis populi aduersus Mosem improba flagitatione, in Zine aqua desiderata. Ex cadem Barnea exploratores qui Chananæā explorarēt, ex Cades quæ Zin est legati ad regē Idumæorum trā situm in Chananæam petitū amandati. post remò Zin explorato funere Mariæ & Aaronis, qui tandem in hac solitudine ut quadraginta peregrinati essent annos, uita defuncti sunt.

Cur eduxistis.) Nouæ expostulationis in rebelle populo narratio, à qua non deterruit in cremo ob rebellionem deletorum exemplum.

Ecclesiam Domini.) Ecclesiam Domini qui rebelles essent se uocāt, quales Dominus ipse apud prophetam Malachiā his uerbis redarguit: Si pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dūs, ubi metus mei?

Vtinam perijssemus.] Vox mysteriū crucis non intelligentiū, in quo per ignominiā Deus gloriā altissimo sapientiæ suæ cōsilio perficit. Atq; hoc arcanū in solitudinis erroribus & terræ promissæ hæreditate adumbratum postremis temporib. non à Mose, sed à Christo aperiendum fuit, ut testatur Apostolus: Est autem qui potens est eos confirmare secundum Euangelium meum & præconium Iesu Christi iuxta patefactionem mysterij.

Moriamur.) Querela immemorum tot exemplorum conseruatæ uitæ, in mari rubro, in deserto demissa cœlesti mānna, aquis amaris in dulces conuersis, coturnicum magna ui ex Arabico sinu in castra delata, Amalechitis deuictis.

In locum pessimum.] Locum quem Deus militaribus exercendæ probandæq; fidei strategematis delegerat, pernicialem dicunt, ignari sententiæ huius: Oportet per multas tribulationes intrare in regnū Dei sed sic est, quod hic depingitur, Aegyptij, hoc est ueteris hominis ingenium.

Qui seri non potest.) Distributionem ad amplificanda mala adhibens, fruges, ficus, malogranata, uinum desiderari.

Qui nec ficum.] Requirunt fructus qui in promissa terra, non in deserto expectandi erant. Ignauū militis est, corona uelle donari, priusquam deuicto hoste militarib. laboribus defunctus sit. Reprehensione igitur digna expostulatio hæc in imperito populo fuit, qui ficubus, malogranatis, uino carere poterat, & cui iam uicinam à peregrinandi molestijs requiem expectandi, pro frugibus mānnam cœlestem, pro uino uiuos aquarum latices satisfacere conueniebat.

Proni in terrā.) Supplicātes pro Israelitis. Locus de oratione necessaria quā fluctuātis uacillantisq; in fide Ecclesiæ tempore oraculorum Dei ministri fundāt. In hac tria adhibenda esse hic docemur, secessum, demissionem animi, & respectum ad propitiatoriū. De secessu legitur hic: Ingressusq; est Moses & Aarō dimissa multitudine. & Dominus apud Euangelistā: Cum oras, introito in conclaue tuum. Humiles autem exaudiri indicat alicubi Iesaias, & hic Moses: Corruerunt proni in terram. Vt autem deprecantes se conuertant ad propitiatorium, docent hic Aaron & Moses, & uerū ipsum propitiatorium cum dicit: Quæcunq; petieritis nomine meo, ego faciam, ut glorificetur pater per filium.

Tolle uirgam.) Exponitur responsum deprecatione impetratum. intelligunt interpretes hic diuinam uirgam adhibitam, qua antea tot edita signa fuerāt, quam in tabernaculo repositam fuisse confirmant ea quæ sequuntur: Quæ erat in conspectu Domini.

Ad

Ad petram.) Mysticam notam petræ explicat Apostolus: Petra autem erat Christus, ex qua manat aqua sitim sedans. de qua petra ipsa ad Samaritanam: Quisquis biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitierit in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. In hac petra ueritas, in Mosaica imago. Huius aqua sitim ad tempus sedabat, illa in perpetuum sedat. altera mortem non sustulit, altera tollit: alteram in deserto etiam impij biberunt, alteram solum scripti in libro uitæ ueri Israelitæ bibunt. De qua contentione uideris Ioannis quarto & sexto.

Audite rebelles.] Reprehensio dura, sed apta populo & digna Mose, cuius lex quales reddat, declarant tabulæ saxeæ, in quibus illa scripta erat. Apostolus in Epistola ad Romanos, & Ioannes per contentionem his uerbis: Lex per Mosem data, gratia et ueritas per Iesum Christum exorta est.

Nam de petra hac.) Vacillantium in fide uerba, de quibus mox reprehendentur: Quia non credidistis.

Percutiens uirga bis silicem.) Nisi percussa sit petra, non funditur aqua sitientibus. Petram Christũ legimus apud Prophetam non prius salutares scientiæ suæ aquas fudisse, quàm uirga crucis percussus esset: Et nos reputauimus eum percussum à Domino. & de aqua sitim restinguente: In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos. Cæterùm petra hæc de qua hic Moses meminit, non est petra in Horebo sita, sed ea quæ in finibus Idumææ cernitur.

Quia non credidistis.) Exprobrat incredulitatem. Vbi primò intelligitur, sanctis suas cadendi & resurgendi uices esse. Deinde, sanctorum hominũ lapsum, deseruire mysterio gratiæ & gloriæ manifestando, de quo Apostolus: Conclusit omnes sub incredulitatem, ut omnium misereretur. Tertiò, sanctos de ijsdem peccato, ut gloria detur illi de quo Iesaias: Iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctus renum eius. Et Hieremias: Hoc est nomen quo uocabunt eum, Dominus iustitia nostra. Demum, diuina quadam ratione contigisse ut Aaron & Moses incredduli fierent, quo Iosua diligeretur, ut utriusq; & legis & gratiæ natura in hac narratione adumbraretur.

Vt sanctificaretis me.) Sacrosanctum me declarantes uerbis meis habendo fidem, & hanc coram populo alioqui ad rebellionem prono, constanter deprædicando.

Coram filijs Israel.) his selectis qui fide meam potentiam & bonitatem per uos agnoscerent & celebrarent, qui uerus mei cultus est, non ea in dubiũ uocarent, qui mei summus contemptus.

Non introducetis.] Sed Iosua. Sententia aduersus diffidentiam. Cæterùm audita sententia hac diuina, non legitur Moses orasse Deum ut benignius in se et Aaronem statueret: sed in Deuteronomio occupato regno Oggi orasse legitur, ut permitteretur terrã trans Iordanem sitam & Libanum montem uidere.

Hæc est aqua contradictionis.] Simuliter Græci, ἀντιλογίας. Hebræus iurgij et contentionis aquas nobis repræsentat, q̃ ab cuẽtu nomẽ huiusmodi sortitæ sunt. suprà enim מי מריבה itẽ מריב העם עם משה Quæ autem iurgia, quæ contentiones ad petram Mes siam fiant, de eis Lucas his uerbis: Ecce positus hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israel, in signum cui contradicetur. Et de eodem saxo Iesaias: Ecce pono in Sion lapidem offendiculi, & petram offensionis.

Et sanctificatus est in eis.] Alij ad Israelitas referunt, quibus se augustum Dominus declararit miranda ostento, aqua ex silice deprompta, quæ tantum populum, & tot iumenta reficeret. Alij ad Aaronem et Mosem, in quibus se sanctum ostenderet, iusta in eorũ incredulitatẽ irrogata mulcta. Eandem significationem sanctificari habet ubi legitur: Et sanctificabor in propinquis meis. Declarat igitur se Dominus sanctum & augustum, cum ornat probos præmijs, & improbos afficit pœnis.

Hæc mandat frater tuus.) A` propinquitate generis. Par esse ut propinqui tempore rerum aduersarum opem ferant. Esaus enim & Iacobus fratres fuerunt, ab altero Israelitis, ab altero Idumæis propagatis.

Nosti omnem laborem.] Vtitur loco in horta do ad commouendam commiserationem apto. Natura enim eos miseramur, quibus res difficiles aduersæq; accidunt.

Ibi multo tempore.) Quanto autem, uideris in Exodo duodecimo, & Genesi decimoquinto.

Et exaudierit nos.] qui solet succurrere laboranibus & oppressis iniuria. Cuius exemplo & te nostrum fratrem clementem nobis fore speramus.

Miseritq; angelum.) per quem Deus nos etiam hactenus tot annis in solitudine oberrantes tutus est, cui tutum non sit quenquã resistere, multo minus nos Idumæos qui ab hoc nostro genere originem ducitis, quod diuinis oraculis & præsidio per angelos adhibito semper inclytũ fuit. de hoc qui hic memoratur angelo. suprà in Exodo: Præcedetq; angelus meus & introducet te ad Amorræũ. Angeli quantam in ueteris fœderis administratione uenerationem habuerint, ex Epistola ad Hebræos & ex libris Mosaicis notum. Itaq; hic facta præsidij diuini per angelum mentione, et expositio consilio Dei quo asserti sint ex grauissima Aegyptiorũ seruitute metũ Idumæis ne transitum denegent incutere studet. Metus enim cum sit recordatio futuri mali, quòd perniciem ac cladem afferre uideatur, occultè indicant impunè non habituros, si Deum in angelo suo & fratres diuina ope tectos aspernentur. Sed in hoc angelo Messias adumbratur dux suorum Israelitarum, & consolator, & hostium seuerus uindex.

Quæ est in extremis finibus tuis.) Australibus montibus Seir. De Idumææ finibus & magnitudine uideris apud Iosephum libro secundo Iudaicarum antiquitatum.

Non ibimus per agros.] Per occupationem remouens

mouent quæ hortationi ob sint. Agros cultos & uineas Idumæis fuisse hic legimus, impleta benedictione de qua in Genesi: In pinguedine terræ & in rore cœli desuper erit benedictio tua.

Non transibitis per me.) Negat satis inhumaniter transitum Idumæus, ut uerum maneret quod Rebeccæ responsum fuerat: Duo populi ex utero tuo diuidentur, populusq; populum superabit. Iacobi & Esai fratrum inter se odia capitalia nota sunt ex Genesi.

Quamobrem diuertit ab eo Israel.] Longo circuitu & ambage circumeuntes illorũ terram, ne molesti fratribus essent quos nimirum non priusquã Dauid regnaret, oporteret subiugari ex sententia illa in Genesi ad Rebeccam exposita: Maior seruiet minori. Item, Et fratri tuo seruies. Vnde cognoscimus omnes humanæ uitæ casus, regnorũ mundi uices in decretum Dei diario scriptas, diuina ratione ac prouidentia regi. De qua Daniel: Deus mutat tempora & ætates. Legitur hic negatus transitus. contrà in Deuteronomio: Transibitis per terminos fratrum uestrorũ filiorum Esai, qui habitant in Seir. Alij ne pugnare uideantur loci, dicunt de extremis finibus loqui Mosem per quos transitus datus sit Israelitis: alij aliter.

Venerunt in montem Hor.) Quod erat tricesimum quartum statiuum, uicinus is mons erat patræ metropoli Idumæorũ. Strabo hanc dicit metropolim Nabathæorum Arabum, atq; eam scribit in loco pla no sitam fuisse munitam per circuitum rupibus, & introrsus fontes ad hortos irrigandos, & ad reliquam adaquationem uberrimos habuisse.

Pergat Aarõ ad populos suos.] Periphrasis mortis, quæ alijs uerbis alio loco effertur: Ecce ego ingredior uiã uniuersæ terræ. De qua uia in Genesi: Quia puluis es in puluerem reuerteris.

Eo quòd incredulus fuerit.) Ratio negati ingressus ab incredulitate. At per hanc ita negatus is est, ut additus ad cernendã cœlestem hæreditatẽ Aaroni & Mosi sanctis uiris præclusus non fuerit. Corpus igitur terra contexit, spiritus autem cœlo per Christũ recludendo reseruatus fuit. Qui Christus Dominus noster solus per sacerdotiũ suum adeundi uerã hæreditatẽ peragrata huius mundi solitudine sub dura Mosaicæ legis ferula, uiam patefacit, & paradisum angelorum custodia clausum, aperit. De quo ipse ad latronem: Hodie mecũ eris in paradiso. Itaq; non temerè sineq; diuino consilio extra mysticã hæreditatem Moses & Aaron sepulti leguntur. Notum enim est illud: Lex & Prophetæ usq; ad Ioannẽ. Alia igitur incredulitas fuit, quæ excluſit Mosem & Aaronẽ à terrena hæreditate: alia, q̃ impios cœlesti priuat: alia, qua in petram deserti incurritur: alia, qua in petram quæ de se dicit, Et super hãc petram ædificabo ecclesiam meam, à repudiatis delinquitur. sicu. tlia fuit incredulitas discipulorum ante resurrectionem Christi, alia phariſæorum, sicut in uniuersum, nõ pari modo fidem non habent Dei uerbo gratiæ & iræ uasa. Dicas: Non quia incredulus fuit Aaron, impeditũ ipsum quo minus ingrederetur in terram promissam, sed quia antea diuina sententia pronunciatum fuit Iosuam solum & Calebũ introituros. Respondent interpretes, Calebum & Iosuam ex cæteris Israelitis delectos, qui terram ingrederentur, Leuitas non excluſos in quibus Aaron & Moses numerantur. Nam eos solum qui in censu uigesimo annorũ continebantur, destinatos exitio fuisse: in quo numero non fuisse Leuitas, ut ex ijs quæ suprà exposita sunt, liquet.

Et morietur ibi.) absoluto spacio annorum uitæ à Domino illi destinato, quod præteriri nõ potuit. de quo Iobus: Breues dies hominis sunt, numerus mensiũ eius apud te est, constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt.

Illo mortuo in montis supercilio.) habens annos centum uigintitres. Dicat aliquis, in Deuteronomio legi Moseræ sepultum Aaronem. Moseræ mentio facta uidetur, quòd locus is uicinus esset Hori monti, uel in eius ambitu contineretur.

Induit eis Eleazarum.) Tria igitur consolari morientem Aaronem potuerunt. Vnum, quòd diuino consilio, cui aquiescere salutare erat, moriturũ se sciret. legitur enim hic: ibi morietur. Alterum, quòd in sacro sacerdotij munere Eleazarum filium sibi succedere uideret, confirmata ei dignitate tot machinis oppugnata. Denum, quòd finis tot laboribus quos in Aegypto & quadraginta annis in deserto perpessus fuerat, impositus esset, sub spe quietis in cœlesti patria per pontificem Messiam comparandæ.

IN CAPVT XXI.

QVod cum audisset Chananæus.) Alij de Amalechitarum, alij de Amorræorum rege accipiunt. Posterior sententia probabilis uidetur. Nam Amalechitæ ex Chanaane non sunt prognati, sed ex Esao. & suprà pro Amorræis Chananæi quoq; usurpantur, ubi legitur: Descenditq; Chananæus & Amalechites, qui habitabat in montibus. Vbi per Chananæum Amorræi intelliguntur, qui cum uicinis Amalechitis in montibus ad austrum habitantibus Israelitas rebelles Deo clade affecerint. De Arad urbe uide ris in Iudicum libro. Vocantur Amorræi Chananæi per antonomasiam, qui præ cæteris ex Chanaane filio Chami prognatis celebriores habeantur. Vt indicat illud: Nondum impleta est mensura improbitatis Amorræorũ. Sed dubitationem quandam habet quã nonnulli hic mouent, quónam loco & tempore hac de Chananæo uictoria Israelitæ potiti sint. Nam primò hos post rebellionem ad Cades Barneam factam in interiora deserta reuocatos, & ab Idumæorum terræ transitu prohibitos fuisse constat: deinde longo interuallo à Cades Barnea, ubi Amorræi & Amalechitæ habitarunt, remotum Horem montem fuisse, Israelitarum itinera satis declarant. Demum nequaquam ingressuri erant Israelitæ Chananæã per eam uiam, qua antea exploratores missi fuerant, ut itinerũ quæ hic describuntur narratio clarè indicat. Disputationis huius telam quam nos texere exorsi post alios sumus, alijs detexendam relinquimus. Veterum inter-

pretum sententia est Chananæũ, cuius hic fit mentio, sconẽ Amorræorũ fuisse. Quæ interpretatio si uera est, ea qui hic narantur, postea gesta sunt, ut nõ solet rerum gestarum ordo in sacra historia anxiè teneri. Neq; Amorræorum fines tam angusti fuerunt, ut eos breui circa Cades Barneam ambitu claudas, quemad modum mox audiemus.

Qua solent exploratores uenire.) in quam solent ingredi qui Amorræorũ terrã rimantur. Præmiserat exercitus Israelitarũ exploratores, qui illorum regionem scrutantes cõmodum figendis castris locum exquirerẽt: quæ sententia probabilis est. Missos enim exploratores per eam uiam, qua antea à Cades Barnea uenerant in fines Amorræorum, præsens longè diuersissimum iter post tot & tanta diuerticula à regressione in interiora deserta annis trigintaocto facta, res ipsa refragatur.

Delebo urbes eius.) funditus tanq; anathema & rem deuotam, ex qua nihil redeat ad priuatos usus. Quod est חחרמה pro quo Græci ἀναθεματιῶ. Sic spolia cõsecrata Deo iam excisis incolis cum urbibus חרם uocabantur, ab Hebræis & à Græcis ἀνάθεμα.

Exaudiuitq; Dominus.) Monemur hic uictoriã à Deo proficisci orationis tũ ac beneficio, non cõsilio et fortitudine humana. legitur enim: Exaudiuit Dominus preces Israel, & tradidit Chananæum. Deinde cognoscitur ex hac narratione belli aleam dubiã esse, & ancipitẽ, eamq; Dei cõsilio gubernari. Nã qui primò uicerãt, demũ uincũtur, ut nõ immeritò uates Græcus Martẽ uocarit ἀλλοπρόσαλλον. Demũ intelliguntur hanc sortẽ esse sanctorũ, ut primò res aduersas ferãt, hostis secundas: sed tandẽ conuerso luctu in gaudium pios seruari, impios interire. Vt uerum maneat illud: Beati qui lugẽt. itẽ: Iudiciũ à domo Iacob incipit. Suspecta igitur sit omnis primò lætior et prosperior fortuna, gratior aduersa. inspiciamus nostra tempora.

Horma.) Ab euentu deleti Amorræi. de quo nomine etiã supra sub finẽ cap. 14. An igitur unus locus solum hoc nomine fuerit, an plures, expendant alij.

De monte Hor.] in Salmonam & mox in Phenonem, in altero loco statiuũ tricesimumquintũ, in altero trigesimumsextũ tenentes. Qua de re infrà capite 33. In Salmona autem quæ hic de rebellione Israelitarum, & immißis serpentib. produntur, gesta sunt.

Et tædere cœpit.) iam fessum de diuturna peregrinatione, & expletis quadraginta errorũ in deserto annis, spe de obtinẽda promissa requie suspensum. Scita metaphora in קצר præcidendi uoce trãslata ad angi animo & tædio affici. Cæterum maris rubri solitudine terrãq; Idumæorum, & cæterarũ regionum quæ in hac historia memorantur, termini ex tabulis geographicis à doctis hominibus in hunc usum paratis cogniti magnum adiumentũ ad cognoscendã sacram historiam afferunt.

Super cibo illo leuissimo.] Renouatur uetus expostulatio de penuria panis & aquæ, Mãnam tanq; uilem & leuẽ cibũ, & ut Græci habent ἀπάλευρον contẽnunt. Tradunt nõnulli non põderosum, sed leuem fuisse, id indicante uoce מלקל quod in Mãna ut cæleste, nõ terreno cibo laudandũ, non uituperandũ erat.

Ignitos serpentes.) Iustæ talionis pœna, ut qui ore uirus maledicentiæ sparsissent, simules facti serpentibus de quibus Psal. Acuerunt linguas suas sicut serpentes, uenenũ aspidum sub labijs eorum, quãq; cœlestem panẽ respuissent, à serpentib. ad humum in qua repere, dãnatis morderentur. De quo serpentis iudicio illud: Super pectus tuũ gradieris. Contrà de Manna cœlesti cibo Psal. Et mandauit nubibus, desuper, & ianuas cœli aperuit, & pluit illis Mannã ad manducandum, & panẽ cœli dedit eis. Remota umbra, occurit serpens de quo Ioan. Et apprehendit draconẽ serpentem antiquũ. Qui quomodo humi reptãs terrenis addictus, mordendo noceat, affuso ueneno prauarũ cupiditatũ, Heua exẽplo est, & nos omnes qui ex hac prognati sumus, qui uenenũ huius serpẽtis in nos sparsum sentimus. Atq; in huius serpẽtis qui sãtã est, insultias incidunt, qui fastidiunt Mannã de qua illud: Ecce est ille panis, qui de cœlo descendit. Quæ aũt in serpentibus & quæ in contẽpta Manna & æreo serpente expendenda sint, suo loco mox. Cæterùm ignitos serpentes qui hic memorantur, à Græcis φλογόεις uocãtur, quorum uirus sit & ardore corpora conficiat.

Peccauimus.] Locus de pœnitẽtia, hac una uia muniri ad capiendam salutem ex serpente. Si Christi serpentis tẽpora spectes, legis: Agite pœnitẽtiam, in propinquo est regnum cœlorum.

Fac serpentem.) Exauditus per pœnitentiam populus, liberatur à serpentib sed per serpentẽ. In Mosaico umbra, in eo serpente res ipsa & ueritas cernitur, qui de se dicit: Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filiũ hominis, ut qui credidit in eum, non pereat, sed habeat uitã æternam. item alio loco: Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me, spiritu uidelicet Euangelij sanante affectum ueteris serpentis uirus. De quo spiritu medicante Iesaias: Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me, ut annunciẽ mansuetis, & medear, &c. Itaq; mystice licuerit comparare. In utroq; exaltatio cernitur intuentibus salutaris, altero uitam terrenam, altero cœlestem tribuente per affectum fidei de quo illud: Vt qui credat in eum, non pereat, sed habeat in æternum. Alter serpens æneus fuit: alter uitæneus fuerit, tũ eius natura ac uis aduersus omnes pestilentes cõmunita, indicat ex qua editur canorus clãgor, in sonante æris metallo notatus, omnia planè replens. de quo illud: In omnem terram exiuit sonus eorum. Exiuit autem ut in crucem elatus serpens noster fuit, & eo statu perfunctus ad patrem rediit. De quo clangore ipse. Eũntes in uniuersam terrã, prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Præterea mystice serpens serpentib. humi reptantib. liberat, noster dũ mapentis sententia diuina maledicti figuram induit Christus, de quo legitur: Factus maledictum. Postremò al-

ter

ter serpẽs serpentũ igneos & pernicioſos afflatus au fert: alter igneum ſpiritum ex ore ſuo afflat, qui lætalem prauarum cupiditatum graſſantem in corpore peccati ignem serpentis ſatanæ extinguit, in cuius nimirum igneo ſpiritu lux inſit illuminans, purgans, transformansq; ad naturam diuinam, de qua ſæpe. In altero igitur serpente noxium uenenum, in altero antidotum & medicina præſens ueneni cernitur. Quæ eſt illud ſanans uerbum de quo uates: Miſit uerbum ſuum, & ſanauit eos. Hoc uerbum ſalutare Meſſias benedictus eſt in cruce exaltatus ad uitam mundo dandam.

Et pone eum pro ſigno.) De quo ſigno remoto uelo Ieſaias: In die illa radix Ieſſe, quæ ſtat in ſignum populorum, ad quod gentes confugient.

Profectiq; ſunt.) Ex Salmona & Phenone, iam ſanati, & Deo per pœnitentiam reconciliati, qua uia ad promiſſam hæreditatem aperitur aditus.

In Oboth.] Vbi triceſimumſeptimum ſtatiuum fuit.

In Itabarim.) Quod fuit triceſimumoctauum ſtatiuum caſtrum. Non igitur hæc mãſio eadem fuerit cum ea, quæ in Abarim montibus, ubi Moſes mortuus eſt, facta deſcribitur, quæ quadrageſimaprima fuit. præſens locus, de quo hic fit mentio, in deſerto iacet, è regione Moabitarum ab ortu ſolis ultrà Ammonitis uerſantibus, Moabitis ad occaſum pertinentibus, mari mortuo, Sodomarum & Gomorræ incendio inſigni, uicinis.

Ad torrentem Zared.) Commemorat loca, Zare dum uidelicet & Arnonem fluuium, quæ peragrarunt priuſquam caſtrum triceſimumoctauum figerẽt, quod in Obbagado poſitum fuit. Circuitis igitur Idumæorum finibus, Moabitarum terminos legere moliuntur, quibus nimirum per illorum terram tranſitus negatus eſſet. ſicut legimus in libro Iudicum: Et circuiuit Iſrael ex latere terram Edom, & terram Moab.

Siquidem Arnon.) Is fluuius, Ioſepho autore, ex montibus Arabiæ ortus, et per ſolitudinem decurrẽs, in Aſphaltitem paludem influit.

Diuidens Moabitas & Amorræos.) In Iudicũ libro quoq; Arnonem fluuium terminum Moabitarum eſſe legitur.

Vnde dicitur in libro bellorũ Domini.) Alij de libro intelligunt, in quo annotata ſint bella Domini, & hunc alij librum Iudicum intelligunt, alij aliũ, qui temporum iniuria perierit, ut alij multi cum inteגris bibliothecis pertierunt. Qua de re ſuo loco. Alijs סִפְרִי narratio eſt in commemoratione præliorum, Domini auſpicio per Iſraelitas geſtorum, hoc quoque præliũ aduerſus Amorræos fœliciter confectũ poſteros deprædicaturos.

Sicut fecit in mari rubro.] pugnans pro nobis, aduerſus Aegyptios. רחב alijs eſt propriũ nomen loci: alijs põdus ac onus, quo in rubro mari Aegyptij oppreſſi ſunt. alijs fecit eſt, uauo p̃ todo poſito, ut in רלד hos duos locos literis conſecratos, mare rubrũ & Arnonem fluuium, propter res ad eos præclarè & diuinitus geſtas.

Sic faciet in torrentibus Arnon.] De Amorræo parta uictoria, uaſtata ipſa terra Amorræorum ab Arnone & torrentibus uſq; ad ſedem Aris, quam & Aræopolim appellatam dicunt. Atq; hæc petra non eſt. Nam altera in terra Idumæorum, altera ultra Zaredum ſita, Moabitarum ciuitas cenſetur.

Ex eo loco apparuit puteus.) Hebræus monet inde profectos ad locum in quo puteus effoſſus aquas ubertim ſitienti populo præbuit.

Aſcendat puteus.) aquas ſuppeditans. Carmen, ut uolunt, non integrum recitatur, quo canuntur diuini beneficij laudes.

Concinebant.) Imperatiuus eſt עֲנוּ Recinite ei. uerbum uſurpatur cum alternis canitur.

Duces multitudinis.) Admonet uox נְדִיבֵי quæ les conueniat eſſe duces & rectores populi: beneficos & liberales decere eſſe.

In datore legis.) בִּמְחֹקֵק, id eſt unà cum legislatore, id eſt ductu ac auſpicio Moſæ imperatoris.

Et in baculis ſuis.) ſceptris ſuis. Metaphora ſumpta à paſtorum pedo quo greges regunt. Hic fit mentio ducum, imperatoris, ſceptrorum. Myſticus locus eſt. Nam ſuos quoq; duces qui ſunt Apoſtoli, ſuum legis, ſed nouæ (de qua Ieſaias: Ex Sion exibit lex) latorem, qui Chriſtus eſt, ſuum ſceptrum Euangelij nimirum ſceptrum, ſuum puteum aquarum uiuarum, quem Apoſtoli in ſolitudine huius mundi ſub ductu Chriſti imperatoris Euangelij ſceptro fodiunt, in adminiſtratione noui fœderis, reperias.

De ſolitudine Mathana.) Loca hæc intra Itabarim triceſimumoctauum ſtatiuum, & Dibongabum triceſimumnonum, poſita erant. Quæ igitur loca in deſcriptione manſionum infrà facta omittuntur, hic memorantur.

Bamath uallis.) Vt uolunt interpretes nonnulli, eſt ipſum רֹאשׁ Phaſgæ. Qui locus Rubenis tribu aſſignatus eſt. de quo uideris in Ioſua. Ea enim tribus loca ultra Arnonem uſq; ad Chamothã ſolitudinem tenuit.

In uertice Phaſga.) in quẽ iuſſus eſt Moſes aſcẽdere ad contemplandos fines Chananææ, ut legimus Deuteronomij capite tertio. De Abarim igitur montibus, Nebone, & uertice Phaſgæ, quid ſtatuendum ſit, ex Numeris capite uigeſimoſeptimo, & Deuteronomij capite tertio et ultimo addiſcimus. itaq; ſtatiua quæ ad Abarim & Phaſgam infrà numerantur, hic eiſdem mominibus non recenſentur.

Quod reſpicit contra deſertum.) יְשִׁימֹן nomẽ deſerti, ad quod ſpectauit uallis Bamatha. Vt ex litera patet.

Ad Seon regem Amorræorum.) cui uel mons Seon, uel monti rex ipſe nomen dedit. Legitur enim in Deuteronomio Saonem montem Amorræorũ fuiſſe, appellatum etiam Hermonem, Libanorum montium partem.

Ab Arnon.] *cuius ditionem à Moabitis cæperat.*

Et filios Ammon.) *Vsq; ad Ammonitas occupatam terram Amorræorum. Nam Ammonitas & Moabitas, ut propinquos, qui nimirũ ex Lotho Abrahami fratre prognati erant, ne infestarent Israelitæ, prohibuerat Dominus. ut in capite altero Deuteronomij traditur.*

Et uiculis eius.) *Hebræus Hesebonem matrem, et uicos ac castella eius filias nominat, quæ sub illius imperio & tutela essent.*

Esebon urbs.] *Tacitæ obiectioni occurrit. In Deuteronomio legitur ut cauerit Dominus ne Israelitæ Moabitarum terram inuaderent. Contra quam legem commississe uideri poterant, qui cæpissent Aesebonem Moabitarum urbem. Itaq; hic diuinus spiritus respondet hanc ciuitatem cum reliquis quæ recitantur, locis, tum non à Moabitis habitatas, sed ab Amorræis iure belli possessas.*

Venite in Hesebon.] *Amorræis dicitur. Carmen erat quo pro more gentium illius temporis bellum & victoria de Moabitis relata, canebantur. Atq; huiusmodi carmina historiæ uice erant.*

Aedificetur.) *extruatur à nobis amplior & magnificentior, ut urbs regia Amorræorum reddatur.*

Ignis est egressus de Hesebon.) *Moabitas deuorans, ut capta est ab Amorræo. per ignem Mars grassator accipitur, cũcta hostiliter insta: ignis cõsumens ac disperdens. Scitè igitur hunc Græcus uates hominum pestem & urbium uastatorem uocat:* ἄρες ἄρες βροτολοιγὲ, μιαιφόνε, τειχεσιπλῆτα.

Et habitatores excelsorum.] *Loca munita ac excelsa ad Arnonem fluuium notantur.*

Væ tibi Moab.] *Insultatio hostilis.*

Chamos.] *Deus Moabitarum per quem liberari nõ potuerint. De hoc idolo uideris in libris Regum.*

Iugum ipsorũ.] *Regno ac imperio orbatos Moabitas. A luce sumpta metaphora, cui in sacris literis florentia regna comparantur, ut seruitus & captiuitas tenebris. Nota uox est* גר *uideris tertio libro Regum, capite undecimo. Vbi* גר *uertit paraphrastes* מלכו.

Dibon.) *in tribu Gadina limitanea ciuitas.*

O rex Basan.) *Is alter Amorræorum rex fuit, ut traditur in Deuteronomio his uerbis: Possederunt terram eius, & terram Og regis Basan duorũ regũ Amorræorum.*

Ne timeas illum.) *Hortatio facilium & τῶ δυναστῶ locis communita.*

Tradidi.] *Qui meæ potentiæ resistere nequeat, & cui omnia facilia sint ad uincendum. Quàm potens autem & formidabilis fuerit Oggus rex, declarat Deuteronomium his uerbis: Solus quippe rex Basan restiterat, & monstratur lectus eius ferreus qui est in Rabath.*

Faciesq; ei sicut feciſti Seon.] *Ab exemplo confirmatio.*

IN CAPVT XXII.

PRofectiq; de montibus.) *Abarim. Sicut infra legitur: Profectiq; de montibus Abarim, transierunt ad campestria Moab, in quibus quadragesimum secundum statiuum repetita lege clarum fuit, ut ex Deuteronomio liquet.*

Trans Iordanem.] *Si Hierichuntem spectes, hæc trans Iordanem fuit: sin campum Moabiticum, is citeriorem ripam attigit. Tam uicini terræ Chananææ fuerunt.*

Quomodo solet bos.) *Scita similitudò.*

Misit ergo nuncios.] *Diffisus is armis quæ in Amorræorum regibus ualuisse aduersus Israelitas uiderat, ad diras quas imprecaretur Balaamus, inflectit: oracula quibus intellexerat Israelitas pollere, oraculis, & preces precibus oppositurus. sed omnia frustra tentauit, Deo nimirum stante ab Israelitis, contra quem nulla consilia ualent. Narratio igitur hæc indicat quàm uarijs rationibus selecti populi fœlicitatem mundus impedire studeat. In quo alij aperto Marte pugnant, alij occultis artibus per falsos Prophetas exitium machinantur. atque tales quo tectiores sunt, magis nocere quantum in ipsis est, iudicantur.*

Ad Balaam ariolum]. בתרה *alijs somniorum interpres est, alijs loci nomen ac urbis quæ apud flumen Euphratem esset.*

Filiorum Ammon.) *Ammonitas non habet textus, sed conterraneos Balaami, qui Syri Mesopotamiæ incolæ erant. In Chaldæorum igitur numero habitus est Balaamus: ut fuit ea natio diuinis & ariolis plena, adeò ut magi & genethliaci Chaldæi sint appellati. Nonnulli arbitrantur astrologum & genethliacum fuisse Balaamum, qui ex astris notata cuiusq; natali hora, prædicendi artem tenuerit, & hac arte fallaces ex dæmonum responsis, ut ferè fit, diuinandi præstigias coniunxerit.*

Ex Aegypto.) *Dementiæ in Moabitis exemplũ, qui ei populo maledici cuperent, quem uiderẽt benedictum à Deo. Hunc enim ex Aegypto non humana ope, consilio & armis, sed diuina ui, magnis miraculis & ostentis liberatum cognoscere poterant.*

Quomodo solet bos herbas.) *Similitudo ad cõmouendum apta.*

Noui enim quòd benedictus sit.) *Alterum stultitiæ exemplũ, qd' diris deuouẽdi eos quos fortunatos uellet Dominus, incantatori uim tribuerit. Sed sic est ingenium principũ mundi uersantium in tenebris, et carentium luce Dei.*

Diuinationis preciũ.) *Nota falsi prophetæ quibus mercenarius esset. aduersus quod prophetarum genus Dominus apud Ioannem: Mercenarius autem fugit, & oues non sunt illi curæ. figurat autem nobis Balaamus omnes falsos prophetas & doctores, qui non amore Dei & piorum, sed lucri honorisq; studio diuinant, & prophetant. De quibus his uerbis Petrus: Qui relicta recta uia aberrauerũt, secuti uiã filij Beo*

ris,qui mercedem iniquitatis dilexit. pro קסמים a-
lij uertũt instrumenta diuinatoria,alij diuinationes,
sed quæ ueri simulitudo est,ut illi homines afferrẽt ad
ariolum instrumenta,quibus diuinaret aut incanta-
tiones quæ apud eum potius esse debuerunt,quàm a-
pud illos.Sunt qui diuinatores secum tulisse Moabi-
tas tradunt. Itaque quanta sit antiquitas magorum
& incantatorum,qui carminibus & diris animãtia
& homines persequuntur,declarant magi Aegyptij,
Balaamus & Circe Homerica, Nonnulli Zoroastrem
qui annis D. CCC ante Troiana tempora Eusebio
autore uixit,magicæ artis inuentorem tradunt. Quo
etiam tempore Abrahamus & Ninus uixerat. Non
est dubium quin ut ab initio statim à contracta noxa
in duas religiones discessum est,in uerã & falsam ita
etiam duo prophetarum genera in terrarum orbe ex
titerint, unum uerorum, alterum falsorum, quorũ hi
afflatu satanæ ea diuinarint, quæ falsam religionem
tuerentur & fouerent:illi spiritu sancto instincti ora
cula ediderint,quæ ueram religionem Deo gloriosam
& pijs salutarem defenderent atq; conseruarent. Al
terutrius enim religionis autori sua arma sunt, & ea
non carnalia, sed spiritualia. Christo quidem qui heri
& hodie est,fidei & responsorum spiritus sancti ar-
ma:satanæ uerò perfidiæ,mendacij & errorum, qui-
bus falsum sui cultum per mendaces doctores & pseu
doprophetas,hariolos,magos,conseruet, & in perfi-
dia retineat,quos semel mendacijs dementauit.

Et ait ad eum.)per somnium.Præcessit enim:Ma
nete hic nocte. & infrà:Venit enim Deus ad Balaa-
mum nocte.Vt Dominus pariter cum probis & impro
bis loquitur.Exemplo Laban est.

Quid sibi uolunt homines isti.)Non erat ignoran-
tis Dei,cui omnia patent,percunctatio, sed occasi-
onem colloquendi cum Balaamo quæritantis.Similis
interrogatio suprà in Genesi ad Cainum facta legi-
tur:Vbi est Abel frater tuus?

Quicquid mihi dixerit Dñs.) Falsus propheta
Dñm nominat,à quo habeat suas diuinationes,qui dæ
monum responsis uteretur. Locus is indicat utrosq; ua
tes,ueros & falsos,subiectos esse Deo,& ab eo agita
ri,sed non eodem modo:alteros nimirum bene, alte-
ros malè prout quisq; affectus est ac compositus. fal-
sos quidem malè, non Dei, sed suo ipsorũ uitio: ueros
uerò bene sic diuino spiritu præparatos, ut ab uno ali
quo equite integer equus commodè,utiatus incommo
dè regitur. Balaamus igitur hic fatetur Domino suas
diuinationes subiectas esse: ut satan agnoscit se apud
Iobum Domini seruum,qui quæ is ipse iusserit,obeat.
Et mendax ille spiritus qui in libris Regum egredi et
assistere tanquã minister Dei legitur,non prius pseudo
prophetis mendacia afflasse, & regem Achabum de
cepisse,quàm Dominus id permisisset,traditur. Legi-
tur enim amandatus his uerbis à Domino: Egredere
& fac ita.item ut prophetarum etiam falsorum præ-
dictiones falsæ, opus sint Dei, apud Ezechielem hoc
modo indicatur:Et propheta cum errauerit, & locu
tus fuerit uerbum ego Dominus decepi prophetam il
lum,dum uidelicet permittitur cupiditati suæ,& fa-
scinationi ac præstigijs satanæ ad decipiẽdos ad quos
mittitur.Eôdem pertinet illud Apostoli: Pro eo quòd
lectionem ueritatis non receperunt, &c. Sed dicas,
Balaamum uera hic diuinasse,non falsa,quod non fal
si uatis, sed ueri fuerit officium. Etiam pseudopro-
phetæ interdum uera denunciant, ut hic Balaamus:
sed quia id non amore Dei, & eorum quos Deus dili
git,studio faciunt,in ueris prophetis non habentur. Sa
cræ literæ indicant Balaamum ad mercedem animũ
suum adiecisse,cuius gratia lubentius ea quæ Moabi-
tis & Madianitis placebant,prædixisset, quàm quæ
Israelitis. Nec propterea quia interdum uera men-
daces prophetæ loquuntur, pro ueris haberi debent,
non sanè magis quàm eorum doctor satan mendacio-
rum architectus, qui apud Euangelistam, Christum
Dei filium per dæmones errorum suorum ministros
confitetur his uerbis : Quid rei nobis tecum est fili
Dei?In qua confessione hi duo quæ uera erant,fatebã
tur Christum filium Dei esse, & in eundem ipsorum
iudicem fore. At quia amore Christi,quem odio ha-
bent,id non fatentur,in ueris spiritibus nequaquam nu
merantur,sed falsis.In quibus ut in omnibus qui Chri-
sti spiritu non ducuntur,uerè cernitur id de quo A-
postolus ad Romanos meminit:Qui ueritatem in iniu-
stitia detinent,propterea quòd cum Deum cognouc
runt non ut Deum glorificauerunt.In horum nume-
ro Balaamus fuit. Quid autem interfit inter ueros
prophetas & falsos, & quomodo falsi uera denun-
cient,facile est cognoscere ex hac narratione de Ba-
laamo,& ex cæteris scripturæ sacræ locis.Nam pri
mò ueri prophetæ spiritu diuino afflati, Dei gloriam
quærunt,non suam: neque de sua, sed de Ecclesiæ sa-
lute,cui consulant,solliciti sunt. Quòd non faciunt fal
si.Exemplo hic est Balaamus, & omnes praui docto
res quos his uerbis Dominus apud Euangelistam re-
prehendit:Qui gloriam à uobis inuicem accipitis,&
gloriam quæ à solo Deo proficiscitur, non quæritis.
Deinde ueri prophetæ concitati ui numinis diuini sce
lera acriter reprehendunt,probitatẽ laudant,& ue-
rum cultum Dei asserunt. contrà compositi sunt falsi
uates & doctores, qui nec uitia corrigunt malorum
hominum,nec quæ recta sunt,& uero Dei cultui con
sentanea,docent & tuentur,ut id satis declarant pseu
doprophetæ Achabi regis,& Balaamus ipse in hac
historia nobis tanquam omnium hypocritarũ & ma
lorum doctorũ simulacrũ propositus. De quo in hæc
uerba Ioannes in sua Apocalypsi : Sed habeo aduersus
te pauca,quia habes illic tenentes doctrinã Balaami,
qui docebat in Balaac mittere scandalum coram fi-
lijs Israel,edere ex his quæ simulachris immolantur,
et scortari. Quem doctorẽ qui sequãtur in regno an
tichristi,satis notum. Et qualis etiam propheta fuerit
Balaamus,declarat eius interitus,de quo infrà capi-
te 31.& causa interitus,de qua in eodẽ loco his ueri-
bis:Nonne istæ sunt quæ deceperũt filios Israel ad sug

gestionem Balaam, & præuaricari nos fecerunt in Dominum super peccato Phogor. Tertiò, in eo differunt ueri à falsis uatibus, quòd horum uatum responsis euenta ferè nõ respondent, uerorum respondẽt. & si interdum falsi uera denunciant, id faciunt imponendi decipiendiq; studio. Demum differunt, quòd ueri uates grati sunt Deo: falsi ingrati, etiam cum uera Dei nomine prophetant, ut Dominus ipse apud Euangelistam monet his uerbis: Multi dicẽt mihi in illo die, Domine Domine, nónne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus? at tum fatebor illis, Nunquam noui uos. idem dæmonem de se uera dicentem, Noui quòd sis sanctus ille Dei: adeò non tulit, ut iuberet eum tacere, aiens, Obmutesce. Cæterùm ut ueri prophetæ uaticinentur, & quàm uarij sint modi prophetandi, ea de re aliàs. item quam rationem sequantur falsi prophetæ in diuinando, id augurib. & ijs qui dæmonũ præstigijs fascinati futura prædicũt, et alijs uanis diuinatoribus, notum est. Nobis hic unum modum sacræ literæ indicant, quo usus sit Dominus in patefaciendis arcanis suis Balaamo uati, qui somnium erat ac uisum nocturnum.

Super faciem terræ.) עין aspectus pro libramento ac extremitate: quæ quoniam in aspectum ac oculos nostros cadit, aspectus pro extremitate accora quam uulgò superficiem dicunt, tropo noto usurpatur.

Et maledic.) carminibus & diris age. Nam quod sunt carmina Latinis & diræ, hic apud Heb. קבה est. De carminibus uates Latinus:

Carmina uel cœlo possunt deducere lunam.
Rigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Domini Dei mei.) Fatetur Dominum Deũ suum, ut seruus ac minister, non ut uerus cultor. Quo loco admonemur, omnia nutu diuino ac imperio parêre in cœlo & in terra. Sic apud Iobum inter filios Dei etiam satan tanquam mandatorum Dei administer assistere dicitur. Quæ summa sanctorũ consolatio est, eum Deũ Israelitis fauere, cui omnia subiecta sunt, cœlestia, terrena, & infernа.

Obsecro ut hic maneatis.] Malignitas Balaami, qui non contentus priore responso, ad morã quam auaricia & ambitio trahendam suadebat, respicit. Omnino enim quem mercedis spes corruperat, cum proceribus Balaaci proficisci cupiebat. Itaq; sequitur: Et iratus est Deus. & Apostolus: Qui mercedem improbitatis dilexit.

Et iratus est Deus.) auariciam & studium nocẽdi suis, in impijs non tolerans. Non igitur quòd proficisceretur cum Moabitis, grauiter tulit Deus, sed quòd proficisceretur lædendi animo eos quos ipse amaret, stomachatus est, qui iussisset ut unà proficisceretur. Vnde discimus uitium in externis actionibus omne ab animo æstimari, quem Dominus in Balaamo renes scrutans & corda, cognouerat deprauatum pecuniæ & honorum cupiditate.

Quid tibi feci?] Accusatur Balaamus ab asina iniuriarum, qui per suam sapientiam qua se præditum putauit, stulticiam suam intelligere non potuit. Itaque Petrus: Subiugale notum animal hominis uoce loquẽs prohibuit prophetæ stulticiam. Submoto uelo, intelligitur illud Apostoli: Non multi sapientes, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus ut confundat sapientes, pro asserenda gloria sua & tuenda salute Israelitarum. hoc est, scriptorum in libro uitæ.

Quia commeruisti.] Ius affert ad defendendam se. Asinam commeruisse ludificatione sua ut cæderetur.

Nónne animal tuum sum?] Agnoscit dominum suum, agnoscit item se imperio reluctatam. sed potentioris angeli, cui cedere fas esset, ui impulsam. Asina dicendi magistro genio diuino instructa locis utitur ad probandam suam innocentiam, quos remouendi criminis ratio ex statu assumptiuo suppeditabat.

At ille ait, Nunquam.) Hac confessione munitur tandem uta ad patefaciendum iudicium Dei. de quo sequitur:

Aperuit Dominus oculos.) ut uideret angelum, quem antea non uiderat, sed asina. Cæcitatis exemplũ in stolido mago, neq; stulticiam suam intelligente, neque diuinum iudicium sentiente, quòd asina stultum animal sensérat. Non legitur hic perterrefactus fuisse uoce asinæ loquentis Balaamus, quod fortasse, ut quidam uolunt, assuetus esset, dæmones uarijs formis animalium se incantatoribus & magis repræsentantes, audire.

Adorauitq; pronus in terram.) metu perculsus. Deum igitur tanquam Dominum adorant cuncta, sed id non sine discrimine. aliter enim pij: aliter impij homines: aliter cœlestes genij, aliter inferi dæmones cũ suo principe satana. Alteri enim uenerabundi non solum eum Dominum omnium, sed etiam patrem suum agnoscunt, quod piorum proprium est. Alteri tremebundi metu maiestatis diuinæ, cuius imperio omnia subiecta esse uident. Hinc illud: Dæmones credunt, & cõtremiscunt. Alteri igitur ueritatem in iustitia, alteri eam in iniustitia retinentes, adorant Deum.

Cur, inquit, tertiò uerberas.] Accusatur ab angelo, qui etiam ab asina accusatus fuerat. Si semel uerberasset, potuisset id homini, qui temerè cæcidisset, cõdonari: quod semel & iterum, atque tertiùm uerberauit, id pertinaciæ proficiscendi contra Israelitas tribuendum iurè interpretatus est angelus ex signo cæsæ contumacius asinæ peruerso animo deprehenso, de quo sequitur:

Quia peruersa est uia tua.) studio nocendi meis itinere à te suscepto, quos non offensos ac læsos, sed integros cupiam. ירט est idem quod ערר, id est peruersum. iuxta illud Iobi: על יד רשעים ירטצי.

Te occidissem.) Asinæ cædentis angelo beneficio conseruatus est, qui pertinacia sua perdendus erat. Sed conseruandus etiam fuit, ut inuito mundo, inuito satana principe mundi, præter opinionem suam deprauatus auaritia uates, benedictionem pro maledictione Israelitis reponeret.

Ecce

Ecce ego egressus sum.) ueniens è tribunali Dei, cuius cœlestes genij administri sunt.

Peccaui.) Peccati cõfessio est, qualis in Pharaone fuit, quã non amor æquitatis & bonitatis diuinæ, sed metus præsentis periculi expresserat. Qui igitur iure defendere se non potuit, ad deprecationem deflectit, confitens culpam ore, animo retinens spem mercedis & honorum, quam spem angelus cognoscens subijcit: Caue ne aliud quàm præcepero tibi loquaris. Aliter igitur pij cõfitentur cum Dauide sua crimina, aliter impij: alteri metu pœnæ, alteri amore clemẽtiæ diuinæ.

Egressus est in occursum.) honoris gratia. Falsos prophetas honorari à principibus mundi, ueros odio haberi, de more mundi est.

Nunquid loqui aliud potero.) Confessio diuinæ potentiæ in Balaamo, qui suprà iusticiam confessus fuisset: Peccaui.

Quæ in extremis regni eius finibus erat.) ubi non procul aberat exercitus Israelitarum, qui ne in terram Moabitarum ingrederentur, à Domino prohibebantur.

Cumq; occidisset Balac.] ad parandũ conuiuũ quo exciperet Balaamum & legatos.

IN CAPVT XXIII.

Ad excelsa Baal.) In quibus Moabitæ Deum suum colebãt. Locus sacer delectus est, in quo tentatis sacrificijs diris deuoueretur sanctus populus, sed frustrà, uincente omnia cõsilia, beneuolentia Dei, in quam semel recepti fuerant Israelitæ.

Septem aras.] Fortasis in septem planetarum honorem, qui astrologus, ut putãt, esset, & sidera cum cæteris uerè Dei cultu carentibus, coleret, aut septenarius mundorũ animantiũ numerus à Noæ tempori bus celebris etiam in profanis genti bus hic obseruatus fuit. Nam Syri ab Aramo Semi filio, & Moabitæ ab Arphaxado eiusdem Semi prole Arami fratre progna ti sunt, apud quos religionis maiorũ uestigia relicta apparet. Duo ergo hic exponuntur. Vnum est apparatus magicus quo se ad maledicendum parauit Balaamus, q in delecto loco aris & sacrificijs instructo cernebatur: alterum est consilium diuinum, quo in mago maledicendi conatus ad benedicendum conuersus fuit.

Donec uadam.) qui incantator esset, successum quærit aptum responsis dæmonum.

Si fortè occurrat mihi Dominus.) Ad Dominũ se iturum præfert mendax magus, cuius animus ad dæmonũ præstigia inclinabat, ex quibus execrandi Israelitas inuisos finitimis gẽtib. rationẽ cognosceret.

Cumq; abijsset uelociter.) רילך שפי alij secessit, ut Chaldæus. Quæ interpretatio conuenit in diuinatorem latebras dæmonũ ludibrijs aptas quærentem, qui tenebris et caligine quam amant, nõ in luce quã asperuantur, uersantur. Alijs שפי edita ac excelsa loca, in quæ secesserit Balaamus, interpretantibus ut sit eiusdem significationis cum illo על שפי.

Dominus autem posuit uerba in ore eius.) Locuturus etiam per uatẽ magũ uera & ad declarandã iusticiam suam, & ad stabiliendã salutẽ sanctorũ, ut liceat intelligere ex Michææ oraculis: Populeus memento quod cogitarit contra te Balac rex Moab, & quid responderit Balaam filius Beor de Sethin usq; ad Galgalam, ut cognoscas æquitatẽ Domini. Neq; mirum fuerit per falsum uatem uera denunciata à Domino, qui etiam per os asinæ locutus suprà legitur: interest etiam iusti iudicij Dei, ut mali uerũ et intelligant & fateantur, quo inexcusabiles sint cũ principe suo Satana in die iudicij, ut his uerbis declarat Apostolus: In hoc ut sint inexcusabiles, propterea quòd cũ Deũ cognouerint, non ut Deum glorificauerunt.

Assumptaq; parabola.) Vaticinium & oraculi sententia inuolucris uerborum tectior משל hic dicitur.

De Aram.] Mesopotamia sic appellata ab Aramo Semi filio.

Quomodo maledicam.) Tria ex hac Balaami oraculari sententia intelligimus. Primò, maledictos & benedictos esse, alteros diuina sententia exitio, alteros saluti destinatos. Deinde utroq; Dei decreto immutabili tales esse, ut hic Balaamus fatetur: Quomodo maledicam cui benedixit Dominus? Et Christus caput benedictorum, & uniuersæ benedictionis autor atq; confirmator: Venite benedicti patris mei, & possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. His hic sub imagine carnalium Israelitarum Balaamus fausta precatus est, ut sub figura Chananæorum repudiatis & & maledictis diras intentauit. De quorum certa & ineluctabili destinatione ad interitum, idem Dominus his uerbis: Discedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus est diabolo et angelis eius. Denũ in Balaami uaticinio memorabile est, tum à bonis tum à malis diuina oracula defuturis sanctorum fœlicitate & impiorum exitio denunciari, quo & sanctorum fides cõfirmatior & ueritas clarior euadat, quam indubitatã esse oporteat, si eam etiam hostes eius fateantur.

De summis filicibus.] Quia in edito loco ac præruptarum rupium uertice staret despectans Israelitas, sic locutum Balaamum apparet. Qui meminisset generatim benedictionis Israelitarum, iam eius partes ordine commemorat. Primò Israelitas à loco diuina cura firmato tutos fore. In terra Chananæa umbra, ueritas in cœlis, quorum cœlestes Israelitæ ciues sunt. deinde ostendit eosdem à cæteris populis separatim habitaturos ab illis fœdere diuino, religione, benedictiõe cœli & terræ sciunctos: tertiò, diuinæ benedictionis esse hunc populum numerosa sobole augeri, quæ Dei præsidio septa, hostib. terrori sit. Denũ eosdem Israelitas peracto cursu huius mortalis uitæ, immortali reseruari. Quod Balaamus tectè his uerbis indicat: Vtinam ego eadem morte moriar qua iusti, et meus idem sit qui eorum exitus.

Et de collibus.) Repetit eandem sententiam, ut fit in oraculari sermone.

Puluerem terræ.) Sobolẽ instar terreni puluueris augendã, cõfirmatur benedictio quæ Abrahamo et Isaaco longè antea stabilita fuerat. Suprà porrò in Genesi in hæc uerba promiserat Dñs: Faciãq; semẽ tuũ sicut puluc-

pulueremterræ. Numerosa igitur proles Israelitarum modo stellis cœli, modò arenæ maris, cuius numerum nemo præter Deum ineat, interim terreno pulueri confertur.

Et nosce numerum stirpis.) ראת רבע & quartam partem Israelitarum. Paraphrastes: Vel unum de quatuor castris Israeliticis. is exercitum in quatuor uexilla diuisum considerat.

Et tu è contrario benedices ei.] non contentus non maledixisse. Vehemens in rege expostulatio.

Non aliud possum.) Defensio ex locis assumptitui status, qui nõ sua uoluntate, sed diuina, cui resistere nemo possit, Israelitis benedicat.

Veni mecum.) Ex nouo loco & sacrificijs iterum qui Deo diffideret, quærit præsidia, sed frustra. Hæc est, ut mox audiemus, uanitas & labor eorum qui Deum Israelitarum non colunt, & sanctorum saluti inimici sunt.

Vnde partem.] Verebatur fortassis Balacus, ne cõspecto toto exercitu, deterreretur Balaamus, à diris imprecandis: ideo deductum hunc eò, unde partem, non totum uideret. Subductus autem est in agrum speculatorum in Phasgæ uerticem, uicinum Iordani, in quem deinde etiam Moses iussus fuit conscendere ad lustrandam oculis Chananæam ab Israelitis occupandã. Agrum ergo speculatorium apparet partem fuisse campi Moabitici. de quo ab initio capitis 22.

Cui cum Dominus occurrisset.] Impeditũ maligenij restõsa, quæ ut acciperet Balaamus relicto ad sacrificia Balaaco, secesserat. Vt legimus infrà: Nequaquam abijt ut antea perrexerat.

Posuitq; uerbum in ore eius.] tanquam frenum, non in corde, quo propendebat ad maledicendũ, cõtrà q̃ fieri solet in sanctis uatibus, in quorum tum animis tũ ore opponuntur oracula diuina. In animis quidem, quibus fidem habeant ad iusticiam: in ore uerò, quæ confiteantur ad salutem. De qua ratione credendi in uerbum Dei his uerbis Apostolus: Corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem. In sanctis igitur os & actiones consentiunt cum animo, in impijs non item. Exemplo est satan, exemplo sunt ministri eius praui genij, exemplo sunt impij qui satanæ spiritu feruntur uates falsi, ut hic Balaamus.

Iuxta holocaustũ suum.] Vtriq; igitur sua sacrificia obseruant, profanæ gentes & Israelitæ, sed dissimili modo. alteri cũ uera religione per fidẽ, ex sententia nimirũ uerbi Dei, quo uno fides sanctorum nititur: alteri ex decreto & cõsilio humano, quo fides niti nequit. alteris igitur sua sacrificia prosunt, alteris tantũ abest ut prosint, ut etiam obsint, maledictione nimirũ quam per sacrificia sua moliuntur Israelitis inteneare recidente in machinatores et benedictione in eos quos diris agere uolunt, redeunte, impios neq; sua sapiẽtia, neq; potentia & opibus, neq; sacris quibus operantur iuuantibus, contra eos quos inclementiæ suæ tutelam semel recepit Deus.

Quid, inquit, locutus est Dominus.) Agnoscit Dominum etiam Balacus, sed ea cognitione qua Balaamus, & ij de quibus in epistola ad Romanos Apostolus meminit.

Sta Balac, & ausculta.] Exordio præparat ad attentionem Balacum קום surge, hortatoria uocula prouage.

Non est Deus.] Hoc sermone commendat et Deũ diuinum populum Israelitas, de commendationis utrorumq; locis ordine. Laudatur autem primò Deus à ueritate, & immutabili natura, quam illustrat contentione, collato Deo cum homine: quo æquiorem uaticinio pro Israelitis expositio Balacum reddat.

Quasi homo ut mentiatur.) Respondit illi superiori qd̃ dixerat Balacus: Et inde maledicito ei, cũ audisset: Quomodo maledicam cui non maledixit Deus? Grauis confessio est in Balaamo mago, & de Deo ut uerax sit, & do homine ut mendax, qua stoliditatem Balaci diras contra populum quem Deus saluum uolebat improbè flagitantis redarguebat, & promissorũ Dei fidem firmam ac constantem, quæ nunquam fallat, declarauit. Quam Balaami sententiam nõ solum sacræ literæ per sanctos prophetas editæ, sed etiam gentium uates confirmant. Vt ille:

ἀνὴρ δίκειρ ὅτι θεὸς νόῳ ἐρύσσατο
ὅδε μαλ' ἰφθιμος, ἐπεὶ μολὺ φόρτατος ἔφυ.

Nec ut filius hominis.) Neq; Deum homine natũ esse, ut eum pœniteat eorum quæ aut fecit, aut facere proposuit. Dicas, Quid ergo faciemus illi, Pœnituit eũ quòd hominem fecisset in terra? ubi idẽ uerbũ נחמתי legitur, si pœnitere est cum pœna quadam ac dolore cupere quæ facta sunt, non facta esse, quæ nescierat priusquam euenirẽt sic euentura, ut ira, dolor, metus, inuidia, & cætere animi perturbationes in Deum non cadunt, ita nec pœnitudo. sin pœnitere est in commutandis rebus ostendere aliquem id, quod factum est ob uitia quæ contraxit sibi displicere, pœnitere Deo tribuitur, ut reliquæ affectiones, quæ utaliæ res humanæ in Deum transferuntur, quo diuina ab hominibus intelligantur.

Dixit ergo, & non faciet.) Repetit quæ dixit, ut fit in oracularibus sententijs, sed alijs uerbis. Homines fallentes fidem suam, sæpe non faciunt quæ dicunt, neque præstant quæ promittunt: secus Deus est compactus. Scita locutionis figura hæc est, cum ex duobus membris totidem inter se uoces habentibus sententia conflatur.

Non est idolũ.) Similiter paraphrastes pro און uertit גלולי uanitatem & laborẽ abesse à Iacobæis. Notatur primò his uerbis falsus Dei cultus laborem et molestiam afferens cultoribus suis. Deinde omnia quæ ex illo tanquam ex fonte manant scelera ac facinora. Nam ut uerus cultus Dei bonarum omnium actionũ origo est, ita falsus omnium scelerum, quæ quoniã molestiam apportant & miseriam suis autoribus, comminuitur, cum און more scripturæ עבל: ut contra cum innocentiæ & iusticiæ studio prosper rerum successus molestiæ & laborũ expers, ut Psalmo primo legimus de eo qui in lege Dei uersatur, Omnia quæcunq; faciet, prosperabuntur. Et de iugo cultus sui Christus: Iugum

gum meum suaue, & onus meum leue. Sed unde uim tuendæ innocentiæ Israelitæ accipiunt? sequitur:

Dominus Deus eius cum eo est.) Qui bonorum ad illos fluentium fontẽ continet. Vt sunt religio, fides, opera laudata, abundantia bonorum quæ in cœlo, in terra, terræ frugibus, animantium fœtibus, liberis, ualetudine, uictoria hostium, cernuntur.

Et clangor uictoriæ regis.) Laus Dei à militari fortitudine.

Dominus eduxit.] Confirmat narratione rei gestæ contra Aegyptios, militarem fortitudinem regis qui Christus est, de quo suprà in Exodo: Dominus belicosus. & occurrit his uerbis Balaamus Balaco, qui suprà dixerat: Et egressus est populus ex Aegypto. Non sua ui & consilio egressum illum, sed diuina fortitudine armatum, quæ in אל uocula notatur.

Cuius fortitudo similis est rhinocerotis.) Comparationem de regia fortitudine adhibet usitatam prophetis. De monocerotis indomita ferocitate Iobus his uerbis: Nunquid uolet monoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? Nunquid alligabis monocerota ad arandum loro tuo? Ea est asperitate, ut ipsum uiuum capi negent. Tradunt hanc feram reliquo corpore similẽ equo, capite ceruo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu graui, uno cornu nigro media fronte cubitorum duum eminente, quam capi uiuam negant. Vnde ab Hebræis ראם appellatur à sublimi & eminenti cornu. De quo Psal. Exaltabit ut unicornis cornu meum. pro ראם LXX. quoq; habent μονοκέρατος. Cæterũ uoce cornu regnum nota translatione in sacris literis accipitur, ut est apud Danielẽ: Quatuor autem cornua, quatuor regna sunt. Non bicornibus animantibus bellica regis Israelitarum fortitudo comparatur, sed monoceroti, quòd huius regis unum, cui omnia in cœlo & in terra pareant, regnum sit, ut de se is fatetur: Mihi data est potestas in cœlo et in terra. Mũdi regna ut multa sunt uarijs dissecta partibus, ita fluxa & lacera habentur. contrà regis Israelitarum regnum ut unum est, ita non solum firmum est, & nulla ui labefactabile, sed etiam suo cornu cætera cuncta regna imminuit, ut his uerbis monet Daniel: In diebus autem regnorum illorũ suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, comminuet & consumet uniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Accedit huc, quòd monocerotis cornu miris modis ueneno aduersari traditur. Quod uirus ac uenenum pellat nostri monocerotis cornu, declarat sententia illa in uirulentũ serpentẽ lata: Ipsum cõteret caput tuũ. Iam lõgè prospicit oraculũ Balaami similitudine monocerotis repræsentatũ. Interpres noster rhinocerotẽ hic & in Iobo ex ראם reddit, q̃ nõ est monoceros. Sed lõgè dissimilis ei. Nã rhinoceros in nare cornu habet palmi longitudine durũ, firmum, frontẽ uersus intortum, longitudo elephanto par, crura breuiora multo, color buxeus. pugnaturus cornu ad saxa limato præparat se pugnæ, hostis hic alter genitus elephanto, in' dimicatione aluum maximè petens, quam scit esse molliorem.

Non est augurium in Iacob.) Laus Israelitarum à uera ratione diuinandi diuinitus Israelitis commendata. Duo confitetur hic Balaamus. unum, augurum, hariolorum, & omnium qui aliter quàm Dei spiritu afflati diuinant, diuinationes uanas esse & stultas. Qua confessione Aegyptios, Chaldæos, Amorræos, Moabitas, et reliquas gentes Israelitarum religione priuatas perstringit, & ueritatis testimonium in corrupto animo gerens, seipsum uanitatis inuitus redarguit. alterum est, penes solos Israelitas ueram rationẽ uaticinandi uersari, qua sacri uates instincti futuras res denuncient, quas interfit tum ad gloriam Dei, tum ad usum suum Israelitas non solum ãã præsens, uerùm etiam in posteram tempora intelligere. Quod est hic בעת יאמר ליעקב ולישראל מחפל אל ubi in futuro consuetudo notatur, solere denunciari diuinitus Israelitis quæ facturus sit Deus. פעל præteritum ut fit in oraculis loco futuri usurpatur ad indicandam decretorum Dei de rebus futuris constantiam, quæ tam certæ sint, quàm si iam confectæ essent. Magna dignitas Israelitarum, hos tam intima familiaritate coniungi cum Deoo, ut arcana eius consilia cognoscant sacro spiritu interprete.

Iacob & Israel.) Idem populus duobus nominibus uocatur, sed id non temerè. Altera supplãtationem, qua Esaus in utero repressus fuit: altero uictoriam, de colluctante angelo Dei reportatã, notante, quibus utrisq; ad hanc benedictionem consequendam quæ hic denunciatur à Balaamo, electis Dei opus est:

Ecce populus ut leæna.) Laus à bellica fortitudine, suprà regem monoceroti, hic populum quẽ rex regit, leoni fortissimo bestiarum comparat. Qua similitudine uictoria de Chananæis refrenda significatur, & submota umbra uictoria de potestatibus tenebrarum, peccati & mortis.

Donec deuoret prædam.) Perstat in similitudine leonis.

Et occisorum sanguinem bibat.) hostium opibus perfruens. Sic allegoriam paraphrastes.

Montis Phogor.) Apparet Phegorẽ, Hebonem, et Phasgen iuga Habarim montium esse.

Nonne dixi tibi?] In hac sententia Balaami dignitatis & Dei & Israelitarum, quam muncre diuino sortiuntur, summa breuiter exponitur.

IN CAPVT XXIIII.

PEr tribus suas.) Qui antea partẽ solum ex sententia Balaci uiderat, iam totum exercitum tributim uexillis suis distributum intuetur. Cuius militaris census & ordo tam sapienter dispositus admirationem Balaamo procul dubiè attulit, ut in hunc qui sequitur modum oracula diuinitus afflatus exponere exorsus sit. Quorum hæc sunt capita, quis Israelitarum status fit futurus sub Saulo, sub Dauide: quæ gesturi sint Assyrij, Græci & Romani: ut regnaturus Messias adumbratus Dauide: quam tyrannidem declaraturus antichristus repræsentatus Assyrio, Græco, et Romano. Atque hanc rationem prophetandi sequuti sunt quoque sacri uates, sed alij alijs clarius, pro

ut quique uicinores fuere postremis Christi temporibus.

Dixit homo cuius obturatus.) Cæteri interpretes, Cuius apertus est oculus. uox שתם propriè est סתם. Nec malè congruerit in Balaamum hæc uersio. Nam cuius clausi antea fuerant oculi, iam diuini spiritus afflatu aperti facti uidere, quæ antea non uiderat, cœperunt. Exordio hoc adhibito cõtentione, attentionem excitat, dum responsa non dæmonum, sed Dei afflatum se diuinitus expositurum ostendit, qui antea malorum geniorũ præstigijs fascinatos oculos habuisset. Qua confessione falsam diuinationem reprehendit, & ueram commendat conscientia ueri uictus.

Omnipotentis.) Duorum diuinorum nominũ meminit, quorum altero Deo fortitudinem fortiter defendi Israelitas, & uindicandi hostes, qui paulo suprà regij clangoris meminisset, tribuit: altero, rerum omnium abundantiam, qua suos locupletet, & omnium bonorum affluentia beet.

Qui cadit.) Paraphrastes שביב, quo uerbo indicat dormiẽti res futuras præsignificatas, ut præcesit: Qui per uisionem omnipotentis. Huc etiam quòd se hic primò clausis oculis fuisse, deinde apertis dicit referri illud potest suprà narratum: Cumq; uidisset asinam stantem angelum, concidit sub pedibus eius, protinus aperuit oculos Balaam, & uidit angelum, & c. Græci similiter paraphrasti: ὅϑεν ὅϑ ἀναπεσὼν ἤδιεν ἐνῦπνιν.

Tã pulchra sunt tabernacula.) Narratio oraculi.

Vt ualles nemorosæ.) Venusta comparatio à sacris Israelitarum uatibus quoq; usurpata, quæ comparat Israelitarum tabernacula, uel uallibus patentibus, excolendis pratis, conserendisq; uineis & arboribus aptis, uel fluminibus in uarios diffusis riuos ubertim cuncta irrigantibus. Vtrumq; enim נחל & ualles & torrentes per ualles decurrentes significat. Vt autem fluenea sapientiæ Israeliticæ gentiũ etiam hortos irrigarint, satis declarant Sabæi, Chaldæi, Syri, Medi, Persæ, Aegyptij, Græci: & si extrema tempora spectas, documento est orbis terrarum. Legimus enim apud Iesaiam: Ex Sion exibit lex.

Vt horti iuxta fluuios irrigui.] Comparat hortis qui solent in uallibus ad flumina coli. Similis apud uatem comparatio de tustis: Et erit sicut arbor consita ad aquas, quæ suo tempore fert fructum.

Vt tabernacula quæ fixit Dominus.) ad habitandum in eis. cœlis luce & firmitate præclaro operi comparat Israelitarum tentoria. Nã cœli quoq; אחלים dicuntur, ut est apud Iesaiam: Ipse cœlum sicut tentorium expãdit ad inhabitandum. Aliter paraphrastes morans in cõparatione hortorũ pro אחלים uertit כבוסמיא sicut arbores aromata ferentes quas cõseuit Dominus. Nam tale etiam sonat uox Hebræa. In hac collatione duo cognoscimus: Vnum est, Deum illum esse principem arborarum qui in terrarum orbe hortos uarijs arboribus ab initio consitos uerbo sapientiæ suæ excoluerit, in eum usum terra arida reddita, quam flumina et pluuiæ de cœlo affusæ irrigarent: alterum est, eundem Dñm horti cultorem esse, de quo Salomon in Canticis meminit: Hortus conclusus soror mea sponsa. is hortus sanctorũ Ecclesia est, quã Israelitarũ gens nobis refert. hortulanus aũt Christus Dominus, qui cultoris hortorum specie Mariæ Magdalenæ à resurrectione apparuit. In hoc horto quoq; expẽdimus suas arbores, semina fructus, uiuarum aquarum fontes, flumina, insitionem, putationem. De qua idem Salomon sub figura cœlestis Salomonis Christi: Veni te, tempus putationis est. Quæ putatio affectuum uetustis stirpis est per pœnitentiam. Meminit hic Balaamus אחלים, meminit etiam Salomon eius arboris in horto suo consitæ. Interpretantur autem אחלים alij myrrham, alij aloem mirifico succo & gummi salutarem arborem, alij aliud. Ab Hebræa uoce Aloe non multum discrepat. Apparet hic speciem pro genere, certam arborem pro toto genere earum arborũ quæ aromata & odoramenta ferunt usurpatam. Vt iunc, croceus, nardus, cinnamonum, calamus odoratus, balsamum, & aliæ huius generis stirpes.

Fluet aqua de situla eius.) Perstat in similitudine, solẽt horti deriuatis per ipsos riuos irrigari, ut sparsa in areis semina in radices, herbas, culmũ, adolescentia uberes fructus edant. Indicat cõparatio Israelitas modò arborũ propter flumina consitarum, suos auctus & incrementa tum sobolis tum uirtutis adipisci: Vt scitè paraphrastes: ייסגי מלכא מבגרוהי ויתרבא מבגרוהי וירשלוטב עממרין סגיאין.

Tolletur propter Agag rex eius.) Hebræus indicat regem Israelitarum euehendum super regẽ Agagum. Oraculum de primo Israelitarum rege, Amalechitarum regem Agagum uicturo. Nam ante Saulum non reges, sed iudices remp. Israeliticam gubernarũt. De uictoria autem Sauli uideris in libris Regum. Tradunt interpretes, Agagi nomen commune esse regum Amalechitarum, ut Pharaonis Aegyptiorum, Cæsaris Romanorum imperatorum. Hoc uaticinũ de subigendis Amalechitis etiam antea à Mose fuit his uerbis editum: Delebo memoriam Amalechitarum.

Deus eduxit illum.] non temerè, sed ut seruitutis iugo excusso imperium in populos & gentes obtineat.

Et auferetur regnum illius.) est נתנשא in Hebræo, Regnum Israelitarum celsum fore & splendidum. Hoc accidit regnante Dauide & Solomone. Veritas in regno cœlesti Christi cernitur. de quo his uerbis Daniel: In diebus autem regnorum illorum excitabit Deus cœli regnum.

Cuius fortitudo.] qua posit extollere imperium Israelitarum. A potentia & facultate. Repetit similitudinem suprà quoq; commemoratam.

Deuorabunt gentes.] Ad Deum refertur יאכל. Hunc sua fortitudine gentes infestas Israelitis confecturum. Hostes Israelitarum pro suis hostibus Deus habet, quæ singularis est eius in suos beneuolentia. Carnalium Israelitarum hostes erant Chananæi, Amorræi, Amalechitæ, Idumæi, Moabitæ, & cæteræ finitimæ gentes. spiritualibus Israelitis sunt quoq; hostes

sunt, quos eorum rex Christus Iesus cœlestis Dauid cõficit armis, de quibus Iesaias: Et interficiet impium spiritu oris sui. In quorum hostiũ numero recensetur satan, potestates tenebrarum, antichristus cum suis membris.

Ossaq; eorum.) potentiam, robur, opes eorum. Videris de allegoria apud paraphrastem. גרם ossa notat, unde uerbum mutuatum, quod per antiphrasim exossare sonat. Cuiusmodi multa sunt in Hebræa lingua.

Et perforabit sagitas.) Deum tela, hoc est hostium arma ne noceant Israelitis, contriturũ. Deposito uelo, sunt etiam tela quæ is qui ex spiritu Israelita est, confringit sub rege Christo. de quibus his uerbis Apostolus: Super omnia assumpto scuto fidei, quo possitis omnia iacula mali illius ignita extinguere. Vel in hunc modum: Dominus telis suis disperdet hostes Israelitarum, tributis more prophetico iaculis Deo, de quibus Psalmus: Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent. Sic Deũ uates Græcus argenteum arcum plenum iræ suæ sagittis tenere dicit:

τόξ' ὤμοισιν ἔχων ἀμφιγυήεντά τε φαρέτρην.
ἐπλαγξεν δ' ἀρ' ὀϊστὸς ἐπ' ὤμων χωομένοιο.

Accubans dormiuit ut leo.) Venusta similitudo. ut leo in crura demissus obtenta præda securè uescitur, nullo prætereuntium ferarum pauore deterritus, sic Israelitas tranquillè terra Chananæa potitus. Quod contigit Dauide & Salomone regnantib. Oraculum hoc à Balaamo ad Balacum redditum, longè retrò seculis à Iacobo patriarcha Israelitis ex positum fuit his uerbis: Ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti ut leo & quasi leæna. quis suscitabit eum?

Qui benedixerit tibi.) Epiphonemate apto præsenti negotio nũc concludit uaticinium. Similiter supra Dominus ad Abrahamum: Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus te. Nam ut amicitiæ lege omnia sunt amicorum inter se communia, ita etiam hostes & amicos communes habent.

Iratusq; Balac.] Hæc est sors uera dicentium, ut in principium iram cadant. Vetus enim dictum est: Obsequium amicos, ueritas odium parit. Quod etiam poeta ille Græcus intellexit, cum Græcorum regem rectè admonenti uati succensentem inducit his uerbis:

μαντι λιαπῶν, ὃ πώποτέ μοι τὸ λῳὸν ἔειπες,
αἰεί τοι τὰ λιαπά ἐστι φίλα φρεσὶ μαντεύεσθαι.

Decreueram quidem.] Verum igitur illud: Dominus dissipat consilium gentium, consiliũ autem eius manet in æternum. Itaq; sequitur: Non potero præterire.

Dabo tibi consilium.) Apparet intelligendũ de consilio cuius infrà capite tricesimoprimo fit mentio: Et istæ fuerunt quæ Israelitas ex consilio Balaami induxerunt ad offendendum Dominum.

Quid populus tuus.) Hebræus contrarium habet: Quid populus hic olim tuo populo sit facturus, & quid tu interim agas cum hoc populo, explanabo tibi. Omnino enim ne spe mercedis frustrarentur auarus uates, gratificari aliqua ex parte Balaco uoluit.

Videbo eum.] Si Dauidem expendis, is quadringentis posteaquam Balaamus hæc prædixit annis natus est: sin Christum cœlestem illum Dauidem, is uerè in extrema ac nouissima tempora incidit, quæ patefaciendi Euangelij tempora sunt, testantibus passim prophetis.

Orietur stella.) Si typum consideras, occurrit Dauid sidus imperij Israelitici, & Salomon de quo legimus: Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terræ, & singuli deferebant ei tributa. Sin rem ipsam, Messias qui stella est, de qua Ioannes: Erat lux illa lux uera, quæ illuminat omnem hominẽ uenientem in hunc mundũ. Rectè igitur paraphrastes de Messia interpretatur hoc Balaami uaticiniũ. De cuius dominatu ac regij sceptri amplitudine Psal. Et dominabitur à mari usq; ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Et is rex de se ut resurrexisset ex mortuis, dicit: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.

Et consurget uirga.) sceptrum regium. In Dauidis regno umbra & imago, in Christi imperio lux & expressa ueritas. Alter Israelitas carnales sceptro legis Mosaicæ, alter Israelitas ex spiritu gubernat sceptro legis Euangelij.

Et percutiet duces Moab.) Explicatur usus regij sceptri. Si Dauidem intuemur, legimus in libris Regum: Percussit Dauid Moab. & de Idumæis: Et facta est uniuersa Idumæa seruiens Dauidi. Sin Christum, ut is suos Idumæos, suos Moabitas & reliquos hostes uincat, ex prophetis notum. legimus in Psalm. Et reget eos sceptro ferreo.

Omnes filios Seth.) gentes ex Setho prognatas. Nam Caina progenies tota diluuio absorpta posteros nullos reliquit. Notantur Syriæ populi. de quibus in secundo libro Samuel cap. decimoquarto.

Et erit Idumæa.) Vt diuina impleatur sententia in Esaum lata: Maior seruiet minori.

Cumq; uidisset Amalech.) in uiso prophetico.

Principium gentium Amalech.) Paraphrastes: Principium bellorum Israeliticorũ Amalechus. Is enim ex Esao natus odij natiui retinens, primus Israelitis ex Aegypto egressis bellum intulit in Raphidimo. Ideo in Deuteronomio legimus de Dei in hunc lata sententia per Mosem, quæ hic quoq; à Balaamo denunciatur: Memento quæ fecerit tibi Amalec in uia quando egrediebaris ex Aegypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui qui lassi residebant, cæciderit, quando tu eras fame & labore confectus.

Cuius extrema perdentur.) Tandem aliquando periturum Amalechum. Similiter Moses: Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subiecerit cunctas per circuitum nationes in terra quam tibi pollicitus est, delebis nomen eius.

Vidit quoque Cinæum.) Cinæi ex Iethronis

familia traduntur prognati. Quare hos non Israelitarum reges perdomuerunt, sed Assyrius, ratione in libris Regum his uerbis à Saulo exposita: Abite, recedite ab Amalech, ne fortè inuoluam uos cum eo. Tu enim misericordiam erga Israelitas declarasti cum ascenderent de Aegypto. Consilia porrò Iethronis quibus Israelitas iuuit, ex Exodi libro nota sunt.

Et fueris electus de stirpe Cain.] Heb. Sed erit populationi Cinæus. Locus indicat nullas munitiones resistere iudicio diuinæ iræ, sed hac fortißima quæq; appetẽte uindictæ de noxa sumendæ tempore euerti. Scita metaphora per nidos munitæ arces accipiuntur in præruptis rupibus extructæ, in quibus quæ ex præda uiuunt uolucres nidulantur.

Absumptaq; parabola.) Vaticinium de Græcis & Romanis Assyrios & Hebræos subacturis.

Heu quis uicturus est.) Cladis magnitudinẽ uehementi hac interrogatione portendit, quam Romani sint allaturi cæteris populis & regnis, quorum imperium ferreum omnia conterens à Daniele describitur. Sunt docti interpretes qui in hunc modũ Hebræa uerba interpretantur, מי יחיה משרבו אל, id est: Quis uiuet cum ponet se Deum hostis uidelicet. Superbia Assyriorum exuate Iesaia & Romanorũ ex Daniele nota est. At reducto uelo antichristus in sede Romani imperij, quæ Roma est, exortus quoq; hic in Balaami uaticinium tectè cadit, qui in sanctos Israelitas, quorum nomina in cœlis scripta sunt, sæuiat, & se Deum faciat supra omne id quod est numen Dei superbè elatus. Is ut hodie incipiat patefieri, satis clarum. Atq; huius etiam in Sibyllinis oracuIis extat mentio:

λιχὶ βελίας ἥξει, λιχὶ σήματα πολλὰ ποιήσει
ἀνθρώποις. τότε δ' ὅσιων ἀποκτάσασις ἀνδρῶν.

Venient ex trieribus ex Italia.] כתים Græcos, & Romanos finitimos Macedonibus & cæteris Græcis notat. Itaq; hic paraphrastes ראמאי. Græci priores duce Alexandro Magno Assyrios, Persas & Medos subiugarunt, & Iudæos quibus Alexander pepercerat, Antiocho regnante miserè afflixerunt. Romani Græcos secuti, Hebræos duce Vespasiano totos subegerunt, terra eorum uastata, templo incenso, & populo in exiliũ in quo etiamnum uersatur, abacto. De qua clade uideris apud Danielẽ & euangelistam Lucam: Et cadent acie gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Sed quid accidet hostibus tam crudelibus Israelitarum? sequitur:

Ad extremum etiam ipsi peribunt.) Græcorum imperium ut uastatum sit, satis manifestiũ. Romanũ uix reliquias laceri regni tuetur, suo tempore quoq; finẽ habiturum, ut regnum cedat Christo, expletis gentium temporibus: qua de re alio loco. In hoc ergo oraculo Balaami, summatim perstringuntur quæ reliqui sacri uates membratim & fusius persequuntur. Regnorum hic mundi Assyrij, Græci, Romani mutationes prædicuntur diuino spiritu patefactæ Balaamo. Vnde cognoscimus, mundana imperia non temerè ac fortuitò, sed diuina sententia ac consilio existere & commutari. Vnumq; sceptrum Messiæ firmum esse & inuiolabile, cæteris regnis & populis infestis cœlesti regno, interreuntibus tandem & dilabentibus.

IN CAPVT XXV.

IN Sethim.) Nomen loci ad Peorem montem in campo Moabitico siti, nobilis inuidia & odio quæ Moabitæ & Ammonitæ aduersus Israelitas, inductis eis ad scortationem & falsum deorũ alienorũ cultum declarunt. Vnde loco שטים ut apparet, nomen inditum.

Et fornicatus est.] contra legem Decalogi: Ne adulterato. Quo præcepto omnis libido fœdior prohibetur. Describitur hic duplicis scortationis scelus. unũ, quo cum Moabiticis mulieribus scortati sunt: alterũ, quo cum dijs profanæ gentis. Vtrumq; crimen graue fuit, ut ultio diuina de sceleratis sumpta indicat. Hic ergo tria explicantur. unum facinus est Israelitarum: alterum, pœna: tertium, præmium dignitatis sacerdotalis, quo uindex scortationis, Phinees ornatus fuit. De singulis ordine.

Ad sacrificia sua.) Cum scortatione coniungunt cultum deorum Moabiticorum, idq; consilio Balaami, quod Balaco ad corrumpendos Israelitas dederat, factum indicat caput 31. Et Ioannes in sua Apocalypsi. Nam his artibus uersutus hariolus se consequuturũ putauit, ut Israelitæ perfidiæ crimine, à Deo abalienati aliqua ab hostibus clade afficerentur. Sed falsus ea Balaco spes sua, non in hostium manus, sed Dei incidit, ut mox planum fiet. Simile exemplum in Salomone extat, quem ab alienigenis mulieribus ad falsam religionem adductum libri Regum cõfirmant. Quocirca Moses cum uideret quantum periculum esset Israelitis ab alienigenis mulieribus, his uerbis monuit eos, ne cum gentibus quas ex Chananæa extirminaturi essent, connubia iungerent: Neq; sociabis cum eis connubia, quia seducent filios tuos, ne sequantur me.

Beel Phegor.) idoli nomen est soliti coli in monte Phegore, unde illi nomen inditum.

Et iratus est Dominus.) Explicatur supplicium in sceleratos irrogatum. Ex quo intelligimus quàm displiceat in suis Deo meretricatio, & ex hac natus ueræ religionis contemptus. Solet enim scortatio ac turpior libido utrumq; fœdare, & corpora & animos: corpora quidem, obscœno coitu. Iuxta illud Apostoli: Sed qui scortatur, in proprium corpus peccat: dum ipsum scorti addicit seruituti quod libertatis iure donatum fuit beneficio fœderis diuini. Mẽtes uerò errorib. deturpat, sublato earum iudicio, ut satis id comprobat præsens exemplum, & illud Oseæ prophetæ: Fornicatio & ebrietas auferunt cor.

Tolle cunctos principes populi.] Bipartita hic interpretatio affertur. Vna, comprehendendos primates reip. et ex eis criminis reos plectẽdos. Altera, cõuocandos primarios & iudices, qui in noxæ cõpertos Israelitas capitalem sententiam dicãt, quæ erat, suspendendos contra solem noxios. Secus nostra iudicia sunt: Adulteros enim, scortatores, fœneratores, idolorum cultores, non solum capite non damnamus, sed etiam, si Deo placet, honorib. & dignitatibus exornamus. Eius uerò si terrentium furati sunt, miscro supplicij genere

nere contra solem suspensos necamus.

Vt auertatur furor meus.) Vsus supplicij sontiũ, hoc placari diuinam iram.

Proximos suos.) suo imperio parentes, ut in duodecim tribus respublica Israelitica distributa erat, unaquaq; tribu suos primates, quibus tribules parerent, obtinente.

Ad scortum Madianiten.) Exemplũ impudentiæ in Israelita, qui nec præsenti clade in facinorosos edita deterritus, nec Mosæ uniuersæq; multitudinis conspectum ueritus, ausus sit Madianitidem ad suos palàm adducere, & cum ea turpiter rem habere.

Quod cum uidisset Phinees.) Exemplum heroicæ fortitudinis in Phinees, qui quamuis lex moneret, Ne occidito: impulsus tamen, קנאתו, id est singulari gloriæ Dei asserendæ studio ausus sit indicta causa nondum iudicum sententijs condemnatum principem utrum ob commissum facinus interimere.

Et occisi sunt. Ipestle ac lue extincti.

In zelo meo.) qui zelotypus sim ac impatiens socij meam sponsam cum dijs alienis rem habere non ferens. Vt ex illo patet: Ego sum Dominus Deus tuus אל קנא.

Ecce do ei pacem) Præmium Phinees pro re fortiter gesta. Duo diuinæ iustitiæ exempla hic proponuntur: Alterum, animaduertere in scelerato: alterum, bonos ornare præmio, quæ iudices orbis terrarum imitari conueniat. Nam his duabus rebus omnes resp. conseruantur. fœdus sacerdotij, quod antea cum Aarone initum fuerat, iam Phineæ & posteris eius conseruandũ in columne promittitur. pacis autem fœdus uocatur, quòd sacerdotij munere pax inter Deum & Israelitas conciliaretur orationis et sacrificiorum beneficio: deinde quòd sacerdotes coniuncti cum Deo consuetudine accipiendi in tabernaculo responsa, & ea reddendi amicitiæ & pacis diuinæ præcipuè essẽt consortes. Remoto uelo occurrit Phineas nostri sacerdotium, in quo pax cernitur de qua sacerdos ipse cœlestis: Relinquo uobis pacẽ, pacem inquã, non quam mundus quærit, & dat suis: sed pacem quam Dei iustitia aduersus mundum & principem eius, aduersus noxam & mortẽ præbet. de qua illud: Iustificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum. Per quem? per Phineas nostrum Christum, uerum illum placatorem iræ diuinæ, ut in eodẽ textu sequitur apud Apostolum: Per Dominũ nostrũ Iesum Christũ. Phineas legitur hic sedasse iram diuinã, & pacẽ Israelita scortatore & scorto Madianitide interfectis fecisse: nec prius nostet Phineas pacem illam quæ in conscientia fauoris diuini cernitur, nobis comparat, quàm heroico suo spiritu ueterem illum nostrum hominem cum mũdo per prauas cupiditates scortantẽ, coperit per pœnitentiam occidere, ut idem monet Apostolus mystica hic rationem explicans ad Colossenses: Mortificate igitur membra uestra, stuprum, immundiciam, uolupticm, concupiscentiam malam, ut pax Dei palmã ferat in cordibus uestris. Dicas, si fœdus pacis initum est cum Phineas, quod fudit sanguinem, cur igitur David prohibitus fuit ab ædificãdo templo qui sanguinẽ fudisset? Is prohibitus fuit ne extrueret Domino ædẽ, quòd fudisset multum sanguinem, & etiam innocentem, ut erat Vriæ sanguis. Phineas autẽ adeptus est æternũ sacerdotium, qui fudisset flagitiosum, & eum paucum. De Dauide uideris primo libro Paralipomenum capite uigesimosecundo.

Et expiauit scelus.) Respicitur ad sacerdotis munus in uerbo וכפר. Duo cõmendãtur in Phineas. unũ est, studium uindicandæ gloriæ Dei. Alterum, cura liberandi Israelitas ab ira diuina. Si sacerdotem Christum spectas, legimus: Gloriam meam non quæro. & de studio eius in suos Israelitas: Animam meam pono pro omnibus meis.

Dux de cognatione.) Quo grauius qui iudex esset, peccauit, personæ attributo impudẽtiæ crimẽ graue: et hoc clarius heroica fortitudo in Phineas elu xit, qui principis uiri potẽtia nõ absterritus, de crimẽ ne eius sumpserit ultionẽ. Si nostrũ Phineas intueris, legimus apud Iesaiam: Non ex aspectu iudicabit.

Cosbi filia Sur principis.) cũ quinq; essent eius populi principes, quorum nomina infrà capite trigesimoprimo referuntur.

Hostes uos sentiant Madianitæ.) In Madianitas bellum suscipi iubet, non item in Moabitas claros sancta muliere Ruth futuros, quorum uindicta in posteros tempora recta fuit.

Et deceperunt insidijs.) prostitutione suarum ad Baal Phegoris consuetudinem uobis malo dolo pellectis, & à mei cultu abductis. Varijs igitur modis mundus cõtra sanctos pugnat, hinc ui, illinc blandicijs: sed falsus spe sua, clade quã illis struit, ipse inuoluitur, ut uerum sit illud: Et incidit impius in foueã quã fecit. Exemplo sunt hic Madianitæ: exemplo Pharao mari absorptus, qui mari absorbere Israelitas uoluit. Duo insignia scelera reprehenduntur in Madianitis. Vnum, quòd prostituere suas contra communem naturæ sensum ac iudicium ad turpem libidinem non erubuerunt. Alterum, quòd hac fraude circumuentos Israelitas à Deo suo ad idoli Baal Phegoris uenerationem adduxerũt. Vtrũq; ut odit Deus, ita impunè esse non sustinet. Propter promiscuã libidinẽ & tyrannidem diluuio Caina familia extincta est, & Sodoma cœlesti igni absumpta. De dolo malo legimus apud uatem: Virum sanguinum & dolosum auersatur Dominus. Vtriusq; sceleris exemplum à Madianitis editum est grauissimo supplicio iussum per Mosem uindicari. quod literis consecratũ est, ut ad posteros diuinæ iustitiæ æternũ extaret monumentũ, quo mundus admonitus cognosceret id quod uates de Deo prædicat: Deus rex iustus. & contra Israelitas, id est sanctorum ecclesiam & improborum consilia, artes & technas nihil ualere.

IN CAPVT XXVI.

NVmerate omnem summam.) Quotuplex sit cẽsus per singula Israelitarũ capita habitus ea de re suprà. Hic ultimus cẽsus agitur post cum q actus fuit ad Sinã montẽ, extructo iam tabernaculo,

& constituta diuinis legibus repub. Israelitica. Nam ut ex his qui antea censi fuerãt, nemo præter Calebũ & Iosuam superstes remansit: ita denuò summa eorũ qui iam Chananæam ingressuri erant, fuit subducenda: partim ut militaris ordo, qui sine censu nullus constat, retineretur: partim ut diuidendæ per sortẽ terræ certa ratio esset. Nam ad reip. tranquillitatem tuendã intererat primò, ut sua cuiq; tribui portio in occupanda terra tribueretur. Deinde ut pro capitum numero distribueretur hæreditas, ut quanto quiq; uel plures essent uel pauciores, tanto uel plus uel minus in Chananæa possiderent. Sicut infrà legimus: Pluribus maiorem partem dabis, paucioribus minorem. Vnde intelligere licet, rerũ diuisionem naturali & diuino iuri esse consentaneam, quæ hic Dei sententia comprobata sit. Hac enim confusio & perturbatio omnis in ciuili societate deuitatur, ipsaq; ciuiũ inter se coniunctio conseruatur. Quamobrẽ si quæ est rerum cõmunitas, nulla alia fuerit, quàm quæ beneficentia continetur, quæ in Israelitis cõmendatur, dũ de suo suppeditant, quæ ad Leuitarũ uictũ & uitæ cultũ necessaria sint, quaq; alter alteriùs egestatem subleuat. Rerũ inquam communio laudatur, de qua Iesaias: Frange esurienti panem tuum. Non dicit de communi frangendum esse, sed de tuo ac de suo cuiusq;.

Qui possunt ad bella procedere.) gerenda mox contra Chananæos per nouum populum uetere in solitudine Arabum mortuo, in qua Idumæi, Amalechitæ, Madianitæ hostes, partim ab ancilla Agare, partim ab Esao, partim à Cethura progeniti uersantur.

Et factum est grande miraculum.] גס hic exemplum est, ut essent documento & exemplo alijs cauendi ab affectando temerè sacerdotio, Aaroni soli & posteris eius commisso.

Filij eius non perierint.) filijs parentum iniquitatem non lucentibus, ut indicat illud: Filius non portabit iniquitatem patris sui. Choræ autem liberos cum patre non extinctos declarat Samuel propheta, & cæteri Choræ posteri, quos cantores fuisse legimus: לבני קרח חמזמיר. Hac digressione commendatur obiter diuina iusticia, qui Abiramo & Dathane, familiæ Rubenæ primatib. uiris, & Chora generis Caathini supplicio affectis ut rebellibus, liberos clade patris Choræ ut insontes non implicarit.

Vt sors terram tribubus diuidat.] Sors adhibita est ad uitandam discordiam & turbas, quæ facilè solent existere, cum hominũ arbitrio hæreditates diuiduntur. Quo humano arbitrio non reguntur sortes, sed diuino: ut in Prouerbijs monet Salomõ: Sortes mittuntur in sinum, sed à Domono temperantur. Exemplum diuinæ rectionis apparet in Iona diuinitus per sortem destinato, qui in profundum mare demitteretur ad adumbrandum mysteriũ resurrectionis è mortuis Christi. Ex his locis intelligimus sortis iaciendæ morem uetustũ esse, et diuino iudicio comprobatum. quid sacra sors aliud est quàm periclitatio alicuius euentus sub Dei ductu, qui sit & Deo gloriosus, & ecclesiæ salutaris?

Iochabeth filiam Leui.) Meminit illustris mulieris propter Aaronis & Mosæ liberorum dignitatem.

In deserto Sinai.) De quo censu suprà ab initio huius libri.

Nullusq; remansit ex eis.] Quamuis ita res haberet, non multo pauciora tamen capita in Moabitico campo quàm in Sina monte priusquam sententia de extinguendis Israelitis lata fuisset, recensita fuerunt. Alter enim census sexcentatria millia quingenta quinquaginta: alter sexcenta millia mille quadraginta comprehendit. sed id mirum uideri non debet. Omnino enim hanc Dei sententiam perfici oportuit: Numerosam faciam sobolem tuam instar stellarũ cæli & pulueris terræ.

IN CAPVT XXVII.

PAter noster mortuus est in deserto.) Consultatio de hæreditate narratur, an ne patre mortuo, filijs nullis relictis, hæreditas paterna ad filias redire debeat. Hæc deliberatio ex eo nata est, quòd suprà legimus terram maribus pro capitum numero diuidendam esse.

Nec fuit in seditione.) Pietatis exemplum filiarum Salphadi, quæ conspirantium aduersus Dominum liberos hæreditate in terra sancta priuandos existimarunt, memores huius: Vindicans iniquitatem patrum in filios & nepotes, ad tertiam & quartam stirpem.

Sed in suo peccato.) Sua unoquoq; morietur noxa, ex sententia in peccatum natiuum uitio primorum parentum contractum semel lata: Puluis es, & in puluerẽ redibis. Aut accipitur de quadraginta annis quib. ad Sinam recensitos mori oportuit. alij aliter.

Hic non habuit mares filios.) Memorabilis in muliebri sexu moderatio hæc fuit, quæ agnouerunt, maribus dignitatis uirilis iure hæreditatem paternã cedere debere, non fœminis.

Cur tollitur nomen.) Ab æquo.

Date nobis.) Concludunt deliberationem.

Retulitq; Moses.) ex oraculari sacrario responsa Dei iudicis expectans, quod reipublicæ Israeliticæ optimè constitutæ iudiciũ erat, in qua non solum de ijs quæ ad religionem pertinerent, sed etiam de forensibus negocijs, ut erant matrimonia, criminũ iudicia, rerũ diuisio, bellorũ gerendorũ ratio, cẽsus militaris, libertatis, seruitutũ, & manumissionis iura, responsa reddita sint. Vnde intelligimus tripartitum illud ius, naturale, gentiũ & ciuile, quod à iurisperitis tractatur, diuina etiam sententia confirmatũ. Nam naturali iure maris & fœminæ coniunctio, liberorum procreatio & educatio continentur, quæ à Deo institutа maximè secundum naturam sunt, ut ex Genesi liquet. In gentium uerò iure rerum & hæreditatũ, diuisio, sontium supplicia, bella, seruitutes, exilia cernuntur à Mose tractata & approbata. Quod gentium ius à conflata noxa primùm in terrarum orbe nigere cœpit. Ciuile demũ ius leges quibus quæq; ciuitas suorũ inter se ciuium societatẽ tuetur, cõplectitur. Hoc alio

Israelitæ

Israelitas, alio alias respublicas usas comperimus. Qua ex re intelligimus, respublicas diuina cura regi & conseruari, ut iura quibus reguntur, à Deo comprobantur.

Iustam rem facis.) lege illa confirmatam: Crescite, & multiplicamini. In qua non solum liberorum ortus, ac procreatio, sed eorum etiam educatio, rerumq; ad uictum necessariarum procuratio comprehenditur.

Homo cum mortuus fuerit.) Reuocata hypothesi ad thesim, generalem de hæreditate tradit legem, quæ quatuor complectitur partes, de quibus in litera.

Absq; filio.] Virilis sexus dignitas notatur, qui mulieris caput sit, quiq; familiæ det nomen, qui foris domiq; imperium teneat, quiq; tum profana tum sacra munera obeat. Athæc quidem maris dignatio in hoc uetere mundo cernitur ad capitis Christi amplitudinem adumbrandam: in nouo mundo & in eius architecto Christo secus rem habere, declarat illud: In Christo nec mas, nec fœmina, nec Græcus, nec Iudæus, sed noua creatura.

In montem istum Abarim.) in quo statiuum quadragesimum primum fuit.

Frater tuus Aaron.) in Hore monte uita defunctus. Vterq; igitur & Aaron sacerdos & Moses legislator extra promissam hæreditatē sepultus est. Quod sine quadam diuina ratione non accidit. Nam primò hac figura significare uoluit Deus nec Aaronis sacerdotio, nec Mosaica lege promissam hæreditatem, hoc est ueram salutem quæ cernitur in uita æterna præstari. Huc spectans Apostolus mysticam rationem explicans dicit: Non iustificabitur ex operib. legis ulla caro. item: Nam si ex lege est hæreditas, nō iā est ex promissione. & de sacerdotio Aaronis transferendo in præstantioris notæ sacerdotium, uates: Tu sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedeci. Deinde admonemur deligendum alium fuisse, qui terram suis sorte distribueret, qui est Iosua nomine & salutis administratione, eum Iosuam nobis repræsentans de quo Iesaias: Ecce saluator tuus uenit. Et Euangelista: Et uocabunt nomen eius Iesum. Is enim saluū faciet populum à peccatis suis. Tertiò hanc figuram diuina sententia excogitatam, ut ea admonemur, non prius facessere asperū accusamis & damnamus nos de noxa legis munus, quàm Iosua sospitator ueniat, qui nos nō lege in saxo scripta, sed gratia in carneis tabulis impressa: non operibus, sed liberali operum confectore spiritu gubernet: neq; nos pecudum sanguine, sed suo cœlesti & sacrosancto sanguine expiet, et ex piatos Deo, patri pen fidē reconciliet ut in deserto Arabum tantisper Moses seuera legis disciplina Israelitas rexit, dum Iosua duce iam adeunda esset longè retrò seculis præmissa hæreditas. Demū legimus hic Mosem non antea sepultū fuisse q̄ solitudinem Israelitæ peragrassent, & uetus populus mortuus fuisset, nouo subnato. Qua ex re intelligimus reprehendentē nostrā uitiatā naturā legis uim nō prius sepeliri, hoc est munere suo defungi, q̄ in tot feris immanib. infesta mūdi huius solitudine uetus homo cum suis uitijs extinctus sit: & ea peragrata, nouus nascatur, qui possideat supernam hæreditatē in cœlis designatā. De qua Apostolus: Caro & sanguis regni Dei hæreditatem possidere non possunt. ut nec ueteri populo ex Aegypto educto, & ad Sinam montē recensito, adire Chananææ hæreditatē Mose duce fas fuit. Vnde quoq; legis quis sit usus, addiscimus. Hanc Dei uoluntatem declarare, & noxam cum miseria humani generis sub peccatum uenundati manifestare, quo melius tanta pernicie cognita, aditus ad salutem comparandam aperiatur. Huc illud Apostoli: Lex cognitio peccati. item: Lex pædagogus ad Christum, ut non prius ad Iosuam ducem accessus patuit, quàm Moses difficili molestaq; legis disciplina populum rexisset: Quare quæ hic de Aaronis & Mosæ rebellione traduntur, quomodo per eam nec ipsi terra frui, nec in eā populum introducere potuerint, ea monent hanc pœnam non indignatuis Dei, qua Aaronem & Mosem perdere uoluerit, quos amaret, sed signum rerum quæ iam explicatæ sunt futurarum in hac σωφροσύνῃ fuisse. Sicut diuina sapientia abusam etiā scimus Dauidis et Ionæ delictis, quorum occasione in depressis ad tempus sanctis hominibus, crucis & resurrectionis mysteriū in filio patefaciendum præsignificaret.

Prouideat Dominus.) Deliberatio Mosaica de deligendo duce, in qua moderationis & pietatis exēplum cernitur, qui liberos suos Israelitis præfici non orarit, & Dominum agnoscat unum esse qui possit aptum imperio designare, cuius iudicium neq; erret, neq; fraude aliqua fallat. Non igitur imperatoria potestas Mosæ posteris hæreditaria fuit, ut sacerdotiū in Aaronis familia, quod regnum non ad Leuiticam, sed ad Iudæam tribum pertineret ex oraculo Iacobi: Non auferetur sceptrum de Iuda.

Deus spirituum.) Agnoscit sanctius uir animationem, motum & omnem agendi efficiendiq; aliquid uim, quæ in רוח notatur, ab uno Deo proficisci.

Et possit exire & intrare.) sapienter remp. gubernare & in multitudine hac cum consilio & imperatoria maiestate uersari. Retenta est Hebraica locutio & in nouo Testamento. sic enim in Actis legimus: Oportet ergo ex his uiris qui uobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus.

Ne sit populus Domini.) Ab æquo, par esse populum qui Dei nomine insignis sit, sine duce tanquam oues sine pastore non aberrare. Populum ouibus comparat, & ducem pastori. Similitudo satis manifesta, & in reliqua scriptura sæpe usitata. Noster Iosua de se dicit: Ego sum pastor bonus. & de sanctis: Oues meæ meam uocē audiunt. si absit pastor, oues à lætis aberrantes pascuis, lupis exponuntur deuorandæ: sin adsit, ad bona pascua perducuntur, & à ferarum impetu pastorali baculo liberantur. Cæterùm hic nihil attinet ad explicandam similitudinem, pastoris habitum, peram, baculum, pileum,

&

& aptum regendis ouibus sermonem, in ouibus item mite & sequax ad imperiũ pastoris, ingeniũ, usum q in carne, lana, lacte, neruis, stercore cernitur, exponere. Quæ similitudo pastoris & ouium nec gentili uati, pro ratione temporum & naturalis intelligentiæ, ignota fuit, cum Græcorum regem ποιμένα λαῶν appellat.

Tolle Iosua.) Duo cognoscimus hic. unum, imperatoriam dignitatẽ à Deo profici sci. Alterum, comprobari resp. in quibus unus cui cæteri pareant imperator regnat. Non enim hic multi, sed unus à Deo reip. Israeliticæ dux constituitur. Quod genus imperij nobis illum Dei dominatũ refert, qui unus cœli & terræ moderator cuncta in filio Christo rege cœli & terræ hic per Iosuam adumbrato, gubernat. Hic nihil intererit, cum triplex administrandæ legitima ciuitatis ratio spectetur, regnũ, optimates, resp. quæ melior sit, ostẽdere. intellexerat etiam Græcus uates, imperium quo unus præest, omnino ac per se optimum esse:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

Virum in quo est spiritus.) peritia reipub. ad ministrandæ. Licet cernere spiritum in hoc spirabili in cuncta aere, in corporibus animantibus, qui sensu & motu cõtinetur. Licet item cernere in homine suũ spiritum, qui in sensu, motu, & intelligẽtia uersatur. Est præterea suus spiritus in ipsis genijs. Demũ cernitur spiritus in Deo ille sacer, qui ultimum & summũ spiritus gradum obtinet, à quo cuncta spirandi, uiuendi & mouẽdi se uim habent. Hæ omnes facultates ac efficiendi aliquid uires in sanctis Dei ministris inueniuntur, quib. ad sacra obeunda munera perficiũtur, motus, sensus, intelligentia ac mens, & ipse diuinus spiritus, reliquos in homine spiritus ad res præclarè gerẽdas gubernãs. De spiritu nostri Iosuæ legis apud Prophetam: Spiritus Domini super me, eo q. unxerit me. item: Requiescet super eum spiritus Domini. Sed ad quem usum? Sequitur illic: Iudicabit in iusticia pauperes.

Et pone manum tuam.) testimonium dans eum mihi probari ad obeunda munera reip. Deposita umbra rerum futurarum, occurrit Christus, cui ut Moses ueri seruatoris testimonium det, is ipse his uerbis declarat: Si enim credidissetis Mosi, mihi utiq; credidissetis. De me enim ille scripsit: Moses autem nostro Iosuæ testimonium præbet nõ uno modo. Nam aut sub umbra ceremoniarũ legalium, & munere pædagogiæ, de quo multa & multis hactenus, aut per uaticinia illius autoritatem regiam comprobat. Vaticiniorum autem duplex genus est: alterum tectius, alterũ apertius. Tectè uaticinatur Christũ uictoria potituruũ de dracone satana, cum serpentis caput mulieris sobole conterendum prædicit: apertius, ubi sceptrum Iudæ non prius auferendum monet, quàm uenerit Sospitator Christus. Itaq; duo iurati testes, Moses scilicet & Helias, in monte cum Christo colloquentes apparuerunt, qui sunt lex & prophetæ approbantes uocem cœlitus delatam: Hic est filius meus delectus, quo ego delector. Horum duorum testium hic uicem præstans Moses sub persona Iosuæ pro duce comprobati Christum saluatorẽ indicat esse, cui Israelitæ cœlesti spiritu regeniti obtemperare debeant. Moses enim & legislator & propheta fuit. De legislatore legimus: Lex per Mosem data, et de Propheta: Non extitit in Israelitis par Mosæ Propheta.

Et partem gloriæ tuæ.] Heb. indicat ornari à Mose debere Iosuam imperatoria dignitate tãquam à Deo constitutum, cui populus pareat, ducem. Est utriq; suus honos Mosæ, & Iosuæ: alteri, ut legislatori populum in deserto circumducenti perplexis erroribus, & extra promissam terram sepulto: alteri, ut assignatori hæreditatis adeundæ.

Vt audiat eum.) pareant imperatoriæ autoritati diuina sentẽtia confirmatæ, quod in omni rep. necessarium est ut sint qui imperent, & qui imperio obediant, siue terrestris sit resp. siue cœlestis. in altera regib. parent homines terræ incolæ, in altera Christo suo Iosuæ sancti genij, & qui in terra uersantur cœlestes homines spiritu diuino nati. In ipsis igitur qui Dei munera publica obeunt, hæc spectari uidemus. Primò, ut probentur Deo: deinde, ut spiritu ad res rectè curandas præditi sint, in quo omnis expedita uis ac facultas rerum gerendarum comprehenditur: demum, ut autoritate ualeant, qua commoti quiescunt, legibus pareant. Vltra hæc Iosua ex oraculis diuinis per sacerdotem expositis munere suo fungi iubetur, ut sequitur.

Pro hoc si quid agendum erit.) Hebræus indicat Iosuam adesse debere apud Eleazarum sacerdotem, qui pro eo Vrim & Thumim, id est claritatis & integritatis ritu à Domino oraculũ scisciteretur, ex cuius præscripto ipse unà cum omnibus Israelitis uadat & redeat, id est res suas sapiẽter domi & militiæ gerat. De Vrim & Thumim ritu suprà in Exodo. Thummim hoc loco omittitur mentio. Hic duo obseruanda. unum, regendi potestatem in Israelitarũ rep. comunctam esse debere cum sacerdotio, & neutrum sine altero consistere. Alterum, ex oraculis diuinis per sacerdotem expositis imperium moderandum. Veritas in regali sacerdote, qui sacerdotali & regio spiritu sanctorum ciuitatem regit. de quo suprà.

N CAPVT XXVIII.

OBlationem meam.) Sacrificiorum, quæ quo que tempore fieri debeant, legem ad Sinam montem promulgatam, retexit. Horũ genera à tempore hunc in modum partiri licet. primum iuge ac perpetuum est, uespere & mane offerri solitum: alterum sabbatharium, singulis sabbathis celebratum: tertium menstruale, calendis quod fieret, iusstitutum: quartum anniuersarium, quod quatuor in genera diuiditur, paschæ, pentecostẽ, tubarum ferias, propitiatorium festum. De singulis ex ipsa litera. Vnum paschæ, alterum festo septimanalium, quod est Pentecostes, tertium ferijs tubarum, quartũ propitiatorio die, quintum tabernaculorum ferijs celebratum. de singulis in ipso textu.

Et

Et panes.) לחם generatim hic pro omni sacrificio quod super aram Domino adoletur, accipitur, ut erat uictimarum caro, dapale munus ex simila oleo subacta. Vocat autem Dominus sacrificiũ לחם, id est cibum iuum, partim propter eam partem quæ sacerdotum uictui cedit, partim propter uerum illud sacrificium Christum filium unigenam omnibus Aaronis sacerdotij sacrificijs adumbratum, quo Deus pater tam reficitur & oblectatur, quàm homines ipso pane.

Odores suauissimi.) Vsus igniti sacrificij, placatio Dei, quæ sine igni purgatore non constat. Veritas in quo cernatur, nota & sæpe indicata. Coniungitur hic cum ignito sacrificio odor, qui igneam ac cœlestem naturam habet, & in odoratum simili ui prædituum cadit. Neq; ignea ui carent res quæ offeruntur, animantia, minha, uinum: neq; quæ his adhibentur, sal, oleum. Tam gratũ elementum est ignis Deo, cuius lustralem spiritum igneum ille nobis refert. Quia odor ut spirabilis naturæ nostrum spiritum exhilarare & alere solet, si bonus sit: & tristicia tædioq; afficere, si malus, summam corporis partem cerebrũ ipsum petens, inde fit uti Deus quoque odore dicatur deliniri. ut hic holocaustorũ & alijs locis suffimento rum ex thure odor declarat. In sacrificijs igitur res ipsæ offerendæ, ritus sacrificandi, ara super quã res fit diuina, & tempus quo fit, persona item sacerdotalis quæ litat, & ij pro quibus, & propter quas res litatur: demum usus ipse, qui est placatio iræ diuinæ, & adumbratio Christi Domini nostri unici sacrificij reconciliatorij, perpendenda fuerint.

Agnos anniculos.) De ritu iugis sacrificij in Exodo uideris capite uigesimonono.

Quod obtulistis in monte Sinai.) ad sacerdotium & aram ipsam uictimariam consecrandam. Hoc loco freti nonnulli, confirmant intermissam in peregrinatione deserti, ut discessum fuit à Sina monte, sacrificandi legem: ut etiam circumcidendi usus neglectus fuit.

Et libabitis uini quartam partem.) Hebræus indicat libamium שכר ebrietatis inducendæ uim habentem. Notum enim est uerbum שכר. Hinc liquet suam etiam ebrietatem Domino placere, de qua in Canticis sponsus: Bibite, & inebriamini dilecti. & de calice sponsi uates: Calix meus inebrians quàm præclarus est. Nec mirum uinum pro libamine placere Deo. Nam in eo aqueus liquor temperatur ignea ui & cœlesti ad confirmandũ & exhilarandum apta, ut in humore & calore omnium eorum quæ uiuunt, & spirant, uita continetur. Neq; etiam parum congruerit cum holocausto uini libatio. In altero enim uis ignea consumens & renouans, in altero ignea natura hilaritatem & animi refocillationem afferens, cernitur. In mysterio crucis ueritas apparet hic adumbrata. Verè uinum lætificans est quod manat ex uite quæ de se dicit: Ego sum uitis uera. In iugi igitur sacrificio notandus fuerit numerus agnorum in holocaustum, modus similæ ad fertũ, & olei in quo istud subigitur, tum quantum uini libandum sit in singulos agnos, demũ tempus ipsum quo sacrificium faciendũ.

Die autem sabbathi.) Alterum sacrificij, quod singulis fit sabbthis, genus. Vbi notanda fuerit sabbathi ratio, & eius duplex genus, tum quid sabbatho conueniat cum holocausto ex agnis & libamine ex uino, atque cum ferto ex simila in oleo depsita, confecto.

In holocaustum sempiternum.) על עולת præter holocaustum iuge & perpetuum.

In calendis autem.) In principijs mensium tertium sacrificij genus offertur, quod est interlunij tempus, à quo Hebræi suorum mensium initia supputant. Quæ autem sacrificia solita sunt fieri in calendis, ordine in ipso textu exponuntur. in quorum mystica ratione expendendũ fuerit quem sol nobis quadam motus, caloris & lucis imagine reddat, quosq; luna repræsentet à sole mutuans motum, calorem, & lucem: deniq; quid significet lunaris luminis occultatio, & eius renouatio. Quæ sapientibus animad uersa, ad mysterium regenerationis Ecclesiæ per solem iusticiæ Christum intelligendum aditum aperit. Nam harum rerum significationem in sole & luna, quæ lumen suum accessu suo & recessu à sole accipit, exhiberi Deus uoluit. At hac de re aliàs.

Et tres decimas.) minha in iuuencum deputata, superat arietis minham una decima, agni uerò duabꝰ de quo uideris suprà cap. 15.

Decimã decimæ.) In singulos agnos minham singularum decimarum similæ offerendam. Numeri notandi hic fuerint: ternarius, quaternarius, septenarius, denarius, qui quas diuinas res notent in sacris literis, sanctis notum.

Hircus quoq;.) Quæ hic affert interpres de libamentis, ea nequaquam referenda erunt ad caprũ piacularem, sed ad holocaustum iuge. ut sit sententia: Præter holocaustum perpetuum & eius libamentũ, hircum quoq; piacularem faciendum. Nam sacrificiũ expiandæ noxæ destinatum omnino oleo leniente, et exhilarante uino caret, ratione perspecta pijs.

Mense aũt primo quarta decima die mensis.] De paschate & toto eius ritu, suprà in Exodo.

Et sancta erit.) De מקרא קדש, id est sacro conuentu agendo uideris in Leuitico.

Dies autem primitiuorum.) Primitiuæ hæ fruges quas tum primitias, tum nouos significent fructus tantopere probatos Deo, declarat nouus ille & primogenitus uniuersæ creaturæ homo Christus, & sancti in illo in nouos homines regeniti. At uerò cum duplex primitiuorũ dies in lege memoretur, alter hordeo nouo, alter triticea messe celebris: altero in Martium, altero in Septimanalium ferias incidente: posterior accipiendus hic uidetur, probante id septimanarũ mentione. In quo die ut duo panes triticei iussi sint offerri, ex Leuitico patet. Vbi de utroq; primitiuorum tempore, & quæ ratio festi Septimanaliũ, hoc est Pentecostes, sit, uideris.

Vitulos de armento duos.] In Leuitico legimus:

Vnum taurum, & binos arietes holocausto faciendos in oblatione primitiuorum: hic uerò tauros binos uitellos duos, & arietem unum: fortassis quia eadem ratio arietis sit in ouillo genere, quæ tauri in bouillo, ideo sic hic præcipi.

Cum libationibus suis.) in tauros singulos uini hinis dimidio, in arietem tertia parte hinis, in agnos singulos hinis quarta parte libata. Atque is modus libandi generatim seruatur ad taurum, arietem & agnum. Sicut generaliter in taurum unũ minha trium decimarum similæ, ad arietem duarum decimarum, ad agnum uerò unius decimæ in oleo depsitæ, adhibetur.

IN CAPVT XXIX.

MEnsis etiam septimi.] Qui celebribus solennitatib. maximè clarus est, clãgoris, propitiationis umbraculorum, & עצרת quot ferijs nullus alius mensis insignis fuit.

Quia dies clangoris est.] Quis huius festi ritus & usus fuerit, uideris in Leuitico. In quo libro sacrificia omissa, hic explanantur.

Decima quoq; dies.] Hæc propitiationis solennitas clara erat sacro conuentu, ieiunijs, ocio, suis sacrificijs, ingressuq; summi pontificis in sanctius sacrarium, de quo uideris cap. 16. & 23. Leuitici.

Offeretisq; holocaustũ.] Sacrificia numerat, quæ erant, holocaustum, minha, libatio uini soliti quod hic reticetur, cum holocausto libari, piaculare sacrificiũ, quod tripartitũ erat. unum, hircus cõmuni more immolatus: alterũ, caper emissitius: tertiũ, taurus piacularis, cuius lustrali sanguine in sacrariũ illato omnia in hoc festo expiabantur. Itaq; legitur hic: Et hircus pro peccato absq; his quæ offerri pro delicto solent in expiationem.

Quintadecima uerò die mensis septimi.) Tertia solennitas umbraculorum iam conditis frugibus, & confecta uindemia celebrari solita. De cuius ritu & usu in Leuitico.

Vitulos de armento tredecim.] Summa igitur taurorum septendiali spacio oblatorum subducta, septuaginta existũt tauri: quo numero nõnullæ gentes quæ eo numero in Genesi describuntur, notari uolunt sub clangore Euangelij ignito sacrificio Christo purgandas. Subinde minuitur taurorum numerus, dum uentum sit in septimo die ad septem tauros: tam probatur noto mysterio septenarius Domino.

Die octauo.) Septenarius festi umbraculorũ quieti sacratur, quæ agitur iam laboribus sationis, messis, uindemiæ exantlatis. octauus qui uel plenæ uacationis, quam עצרת uox denotat, uel congregatæ ecclesiæ dies, remoto mystico uelo, eum festum diem figurabat, quem ecclesia sanctorum à resurrectione in optimo perfectæ absolutæq; iustitiæ statu, quiete post cõfectum laborum ueteris mundi spacium cõstituta, iam in regno cœlorũ celebratura est. Ad quẽ statũ aspirandum uolunt sapientes homines octonariũ destinatum propter panes ex quib. constat, & in quos diuiditur æquabiliter numeros. Nam is numerus primus omnium soluitur in numeros pariter pares, hoc est in bis quaterna, ut nihilominus in numeros æquè pariter pares diuisio quoq; ipsa diducatur, in bis uideliret bina. idẽ uidere licet in hac diuisionẽ bis bina bis. Huc pertinet quòd is numerus primus solidus numerus est, quem conficiunt bis bina bis. Itaq; hunc numerum meritò ob æqualitatem & solidutatem iustitiæ sacrum esse uolunt. Ad mysterium solennitatũ intelligenda quæ in hoc autumnali mense celebrantur, ordo expendendus fuerit, in quo primũ locum clangor tubarum, alterum expiatio noxæ, tertium umbraculorum festum cum octauo die obtinet. Accommodato hoc ordine ad festos dies quos sancti in noui fœderis administratione colunt, mysterium notum erit. Non enim obscurũ est primò clangoris buccinæ Euangelicæ tempus, deinde facta expiatio peccati per piacularem uictimam Christũ sub sonitu tubæ de qua Psal. In omnem terram exiuit uox eorum. Demũ liquet ut expiata noxa per Christum hostiam, & per iciunia, hoc est mortificationem ueteris hominis nouo tum à corpore, tum ab animo resurrectionis beneficio gerato, post absolutũ difficilem laborem in deserto huius mundi eius sum umbraculorũ ferias agitare licerat, parta uacatione ab omni angore & molestia, de qua Propheta: Erit sabbatũ ex sabbatho, quod præstabit octauus resurrectionis ad iustitiã plenam, quæ in corporibus & animis cernetur, sacer dies.

IN CAPVT XXX.

SI quis uirorum uotum.] De uoto quid sit, quot eius genera, quis uotorum usus, & quod discrimẽ inter uota Mosaica & noui fœderis, suprà in Leuitico. Hic quando legalia uota rata sint, & quando irrita, docetur, ubi hominũ nuncupantiũ uota quatuor genera recensentur, de quibus suo loco. Vnum uirorum est, horum uota & iuramenta quibus se Deo obstrinxerint rata debere esse, neq; fidem eorum uiolandam. uiros enim uxores habentes sui uoris esse, nisi soluerint. sed de eo statu sub finem. De uiro ut principe sexu legislator primò mentionem facit, qui caput uxoris sit, & in reliquam familiã, liberos & seruos, principatum obtineat.

Domino uouerit.) non dijs alienis, quibus nuncupare uota lex hæc prohibet: Deos alienos nefas to. Nam in uotis tum ueteris tum noui Testamẽti, & in ipso iureiurando diuinus cultus agitur. Et enim in legalibus uotis agnoscitur Deus bonus esse, qui obres nuncupatas ex sua sententia, uelit expetitum beneficium dare, & in rebus difficilibus opem ferre, & potens qui possit iuuare. qui honor non dijs alienis debetur, sed diuino cœli & terræ numini, cui quoq; uni inuocatio competit quæ in uotis comprehenditur.

Mulier si quicquam uouerit.] Alterum genus personæ uouentis mulier est. Hæc tripartitam habet considerationem. Vna, est eius quæ pro pueritia ætate ex qua nondum excessit, patris iure contenta, maito carens. altera, eius quæ maritum habet. tertia, uiduæ & repudiatæ. De singulis in ipso Mose.

Sin autem statim ut audierit.) Patrij iuris confirmatio. Si

Si maritum habuerit.) γαμηθ̃, id est mariti in uxorem iuris confirmatio. de qua in Genesi: Tibiq; ip se dominabitur.

Vidua & repudiata.) Quæ sui iuris sint, ut neq; in parentum amplius, neq; maritorum potestate contentæ, nisi seruæ sint, herili imperio subiectæ. de quo sta tu sequitur.

Vxor in domo uiri.) Hebræus de בית id est familia loquitur, in qua uxor, liberi, serui continentur. Tripartita igitur in domestica prudentia potestas cernitur hic confirmata diuina sententia. Vna mariti in uxorem, altera parentum in liberos, tertia domini ac patrisfamilâs in seruos. Memorabilis is locus est de obedientia, quam ex præscripto legis diuinæ debeant præstare uxores maritis, liberi parentibus, & serui dominis, uotorum ius ratum non esse si mariti, parentes, domini non annuant. Quanto minus uota contra Euangelium Christi & eius libertatem nuncupata rata haberi debent, qualia sunt in regno bestiæ Monachorũ & falso religiosorum uota conscientiarum carcinomata & carnificinæ. Interpretes non nullu referunt hæc ad superiora in hunc modum: Mulier quæ uiuente marito uotum nuncuparit, & is illud dissoluerit, postea nec uidua facta uoto tenebitur. sed prior sententia multo amplior est, & ad legislatoris sententiam aptior, quæ summatim genera eorũ, qui uotis & iureiurando se obligãt, cõplectitur. quod legi uniuersum genus comprehendenti, congruit.

IN CAPVT XXXI.

Vlciscere prius filios.) Perpendenda primò hic fuerit Madianitarum fraus, qua Israelitas ad scortationem & suorum deorum cultum induxerunt: deinde diuina ultio, qua tanta fraus uindicata est, tum militaris delectus qualis, & quo duce, quoq; ritu clangentiũ tubarum & unà portatæ arcæ propitiatoriæ, bellum gestum sit, qui item usi interfici, ut parsum puellis uirginibus, non item maribus & mulieribus utros habentibus, quæ prædæ diuidendæ & eius expiandæ ratio fuerit, ut demum lustrali aqua iussi sint se purgare, qui hostes interemissent, & si quæ sunt alia, quæ equidè bene notata si fuerint, magnarum rerum arcanas notas licebit cognoscere, ex prophetis & noui fœderis scriptura in has Mosaicas tenebras illata luce. qua de re suis locis.

De Madianitis.) qui ex Abrahamo progeniti sunt, sed matre Cethura, quæ libera ac domina non erat, nec eius liberi Abrahami hæredes, qui sint certis solũ muneribus ex paterna domo, ut in Genesi proditum est, amandati. Vnde factum, ut eodem odio Madianitæ Israelitas persecuti sint: quo Israelitæ in liberos ex libera Sara natos cum reliquis Arabum populis Idumeis & Amalechitis flagrasse leguntur.

Et sic colligeris ad populũ tuum.) post expetitam de Madianitis uindictam, ut est iucundum ulcisci hostes priusquam moriare, & omnino cernere hostis mortem. Sicut etiam ille apud Tragicum fatetur:

ἔχει γὰρ ἡδονὰς θνήσκων ἀνὴρ
ἐχθρὸς.

Armate ex uobis.) Describitur delectus militaris.

Vltionem Domine.) ut scelerum iustus iudex, de quo uates: Iudicat populos in æquitate. De huius tribunali, bella, fames, lues, noxæ orbis terrarum ex piamenta proficiscũtur. De gladio Iobus: Gladius ultor iniquitatum. & uates Græcus à Deo bella immitti dicit, ut malis hominibus terra degrauata tãquam onere leuetur. Sed est longè grauior uindicta quam spiritu noui fœderis armati Israelitæ de suis Madianitis expetunt, de mũdo et principe mundi satana, de carne et eius cupiditatib. Quæ uindicta, armatura, pugna, victoria, tectè hic et σκιαγραφικῶς adumbrãtur, in noui autem fœderis scriptura apertè describuntur.

Mille uiri.] Ex tot millib. duodecim millia deligũtur aduersus tantam hostium uim quæ quanta fuerit, præda declarat, ut parta victoria non humanæ prudentiæ, armis, fortitudini tribuatur, sed victori Deo & mundus ipse intelligat, non in multitudine militum consistere uictoriam, sed in iusticia & pietatis cultu. Qua de re his uerbis admonet Hieremias: Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & nõ glorietur dives in diuitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur scire et nosse me quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam & iudicium & iusticiam in terra. Probatur hic ut diuinus & sacer millenarius numerus summi denarij cubus, aptus victori populo sub duce Deo. Duodenarius deinde numerus ut sacer sit Deo, satis notum.

Cum Phinees filio Eleazari.) Pro duce delectus est Phineas sacerdos, qui antea Madianitide scortum Eosbin, & Zimbrin Simeoniæ familiæ primarium uirum Dei studio interfecerat, qui quem sacerdotẽ uindicem Israelitarum repræsentet, manifestum ex illo Iesaiæ: Et fortium diuidet spolia.

Vasaq; sancta.] Vt erat arca cum propitiatorio, præsentia numinis diuini clara, cuius ductu victoriæ paranda erat. Nostrum propitiatoriũ plenum diuinitate de se dicit: Sine me nihil potestis facere.

Et tubas ad clangendũ.] Cum propitiatorio tubæ coniunguntur. Vt uictricem Euangelij buccinam coniungat Apostolus cum propitiatorio Christo, declarant hæc eius uerba: Nõ pudet me Euangelij Christi: potentia siquidẽ est Dei ad salutem omni credenti. Itaq; in mystica historia sequitur.

Atq; cum uicissent.] non sua fortitudine, sed diuina, in propitiatorio & tubis præsente. Legitur hic manibus suis tubas tenuisse Phineas: accommodato ad sacerdotem Christum.

Et omnes reges eorum.) Qui antea à mulieribus uicti fuerant, iam reges uincunt & diuino præsidio septi post susceptam pœnitentiam duodecim millia Israelitarum uincunt Madianitas à quibus cum se quererentur suas cupiditates, sexcenta millia fuerant uicta. Tantum pondus ad comparandam uictoriam habet pietas oratione cœlos penetrante instructa. Hic legimus clangore tubarũ ab armatis Israelitis potentissima

tissima quæq; Madianitarũ deuicta. de armatura Israelitarũ sub clangore uincentis Euangelij Apostolus his uerbis: Siquidem arma militiæ nostræ nõ sunt carnalia, sed potentia Deo, quibus demolimur omnẽ celsitudinẽ quæ extollitur aduersus cognitionẽ Dei.

Balaam quoq;.) Autores noxæ interficiuntur, reges, & falsus eorũ propheta Balaamus. Hæc est sors impiorũ regum et uanorũ augurum. Sic interijt Pharao cum suis ariolis, sic Babylon cum suis magis, sic Achabus cum suis falsis prophetis. nec alium exitum meretrix illa purpurata Babylon plena suis falsis doctoribus & prophetis cum regibus scortatoribus suis habebit. de cuius horrẽdo casu Ioannes his uerbis: Ce cidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, quia de uino iræ scortationis eius biberunt omnes, & reges terræ scortati sunt. Et de falsis prophetis: Viui conjecti sunt in stagnum ignis.

Cœperuntq; mulieres eorum.] Exponitur præda quæ constabat tũ animãtib. tum inanimis rebus. animantia homines, pecora & iumẽta cõtinebant: inanimes, aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum.

Adduxerũt ad Mosem.) bona fide, contra quàm Achan fecisse legitur.

Cur fœminas reseruastis?] Accusatio iniuriarum locis confirmata.

Quæ deceperunt.] Quos arma Amalechitarum, Amorreorum, Madianitarum uincere non potuerũt, mulieres uicerunt ut colerent deos alienos, suo neglecto. is est fructus scortationum.

Ad suggestionem Balaam.) Exemplum uersuti consilij nati ex Satanæ, cui seruiebat uanus augur, afflatu. de cuius ueteratoria calliditate sub serpẽtis persona his uerbis Dominus in Genesi: Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.

Vnde & percussus est populus.) diuina clade uigintiquatuor millibus absumptis. Qua clade expiatus populus in gratiã rediit cum Deo suo, cõtrà quàm speraut Balaam, qui cum malo dolo perdere tentaret sanctum populum, ipse miserè inierijt, ut uerum maneret illud: Impius parat foueam, in quã cadit. itẽ: Malum consilium consultori pessimum.

Ergo cunctos interficite.) Concludit accusationem, exponens qui interficiendi sint, nõ promiscuè in omnes sæuiendum. nõ enim in puellas impuberes, sed in mares & mulieres uiri concubitu utentes. Quæ lex tum humanitatis nota, tum utilitate, quam reip. afferebat, tum mystica ratione memorabilis erat.

Quicquid est generis masculini.) Ne superessent qui ulciscerentur acceptam cladem, ut sunt familiæ columnæ ipsi mares. Sic olle apud Græc. uatẽ monet, non temerè permutandũ, ut hostiũ posteri incolumes relinquãtur. quod dictũ prouerbio confirmatur, νηπίους ὸς πατέρα λατέναι, παῖδας λαταλιπεῖν. Simili prouerbio uox quorundam militum fuit, quos Imperatore cum suo filio trucidato, dixisse ferunt: Ex pessimo genere ne catulum quidem esse relinquendum. Itaq; ex contrario celebris ille Græcorum poeta in expetendis rebus duxit cæsis parentibus superasse tanquam uindices liberos.

ὡς ἀγαθὸν λαὶ παῖδα λατασφάξαντα λαχεῖν.

Et mulieres quæ nouerant uiros.) quarum consilia cum maritorum consilijs coniuncta sint. Quia etiam sexus ad excogitandam fraudem ingeniosus sit, ut uates gentilis alicubi fatetur:

θῆλυ γὰρ τὸ γυναῖκες ἐπίστασθον τέχνας.

Et manete extra castra.] Quæ uiuentis Dei castra sint, neue mortuis, neue ijs qui cum mortuis commercium habent, contaminanda.

Lustrabitur die tertio & septimo.] aqua lustrali, quæ ut conficiatur ex cedri, cocci, hyssopi, & uaccæ crematæ cinerib. quemq; usum habeat de eo supra capite decimonono uideris.

Et de omni præda.) Exponit expiãdæ prædæ ratio. Nã ut sanctorũ omnia sancta sunt ita, pfanorũ omnia, pfana, sancta aũt efficiuntur, si certa ratione expiata sint. captiuas mulieres lustrali purgãdas aqua: animata spolia, quæ quidem ignem ferant, ut sunt metalla, igni expianda: quæ uerò aquam, nõ ignem tolerant, aqua lustranda, ut erant uestes, supellex pelliceа, & lignea instrumenta. Bipartita igitur cernitur expiatio. altera in igni, altera in aqua. Quæ duo elementa lustrãdis cunctis destinata sunt. Sic mũdus primò aquarũ diluuio purgatus est, & altera uice igni purgabitur. Hinc ad regenerationem hæc duo mundi initia translata sunt. Nam alibi igni suos mundare, alibi aqua Christus dicitur. Primò igitur non frustra שבעים uox apud Hebræos cœlos significat, qui ignem & aquã continent: deinde tum aqua tum ignis nomine diuinus spiritus appellatus: demum etiam sanguini expiandi purgandiue uis tributa, qui aqueam & igneam naturam habeat.

Tollite summã.) Explicat diuidendæ prædæ subducta eius summa ratio. Hãc in duas partes diuidendã, quarũ altera ijs qui bellũ gesserũt, altera reliquæ multitudini cedat. Ex quo diuidendi modo hæc cognoscimus. primò qui in rep. sanctorũ aduersus hostes pugnant, communem reip. utilitatẽ spectare, non suam priuatã, qui est præclarus & proprius charitatis, non sua, sed quæ aliorũ sunt, quærẽtis, usus. deinde cum charitate diuinã iusticiã coniunctã esse præmijs suis eos qui fortiter pugnarint, non priuantẽ, ut hic legimus dimidiam prædæ partem prælio defunctis assignari iussam. Sic in militia illa spirituali quæ aduersus spirituales, non carnales Amalechitas, Amorræos, Madianitas suscipitur, qui uictoria potiuntur grauiter diuicãtes apostoli, prophetæ, doctores, eam in Ecclesiæ pro qua bella gerũt salutẽ conuertũt uocibus. Ecclesiæ autem ciues opib. ornãt, suo præmio ipsi non priuenti. Demũ intelligimus hac æquabilitate quã charitas quæ iustitia diuina est moderatur, ciuiũ inter se tranquillitatẽ sartã tectã defendi, quã facile labefactet inæqualitas, si certi quidã partis diuitijs nomine ciuitatis solidi fruãtur, ad cæteros illarũ parte nulla redeũte. Hinc sapiẽter æqualitas nõ illa q̃ in ratione arithmetica, sed geometrica cernũ, maximè legitima esse iudicata est: ut ille,

at ille, τὸ γὰρ ἴσον, νόμιμον ἀνθρώποις ἔφυ. Hoc exẽplum diuidendæ prædæ ex æquo secutus est Dauid libro primo Regum capite tricesimo. Amoris diuini uis hic exprimitur, cuius in corpore humano similitudo repræsentatur, in quo singula membra singulorum beneficia sentiunt. Os cibum capessit, quẽ à dentibus ore constrictis mansum & extenuatum aluus excipiens, & eum calore suo quẽ multũ habet, digerens, reliquis membris partitur. Oculi tanquam speculatores altissimum locum obtinentes, cæteris membris luce sua præeunt, ne lædantur. manus aptæ & multarũ actionum ministræ singulis corporis partib. ad eas nutriendas inseruiunt. idẽ de reliquis iudiciũ. Sic inter se membra corporis Messiæ habent hic adumbrata.

Et separabis partem Domino.) Manubias militum Dño sacrãdas in usum Eleazari pontificis. Animal unũ de quingentis, siue homines sint, siue pecora, & ex media parte reliquæ multitudinis quinquagesimam partem Leuitis assignandã. Quadripartita igitur partiendæ prædæ ratio fuit, excepta uoluntaria, de qua mox, oblatione. Nã una prædæ pars cessit militib. altera reliquis Israelitis: tertia pontifici, quæ erat quinquagesima pars manubiarum militum: quarta Leuitarum fuit, quinquagesimam prædæ multitudinis partem continens.

Dabis eam Eleazaro sacerdoti.] Abrahamus decimã spoliorum Melchizedeco consecrauit. hic Israelitæ uictores suo pontifici qinquagesimam partem. Et nos in administratione noui fœderis nostro pontifici quoq; de satana, mundo & uicta carne suam quinquagesimam spoliorũ partem cõsecramus, testantes sacerdotali eius dignitate dum expiat nos sanguine suo, dum orat pro nobis patrem, hostibus deuictis omnia bona ad nos proficisci, sacri spiritus munera, pacem, tranquillitatem aduersus omnes aduersarias potestates. Cui tranquillitati quinquagenarius sacer est, ut id Iubilæus propitiationi diuinæ cõsecratus annus testatur.

Suum erat.) De rebus animã carentibus. Suprà igitur res animatæ leguntur diuisæ.

Intulerunt in tabernaculum.] Spoliantur Madianitæ auro, quod in tabernaculi usum conuertitur. Simile de Aegyptijs extat exemplum. Mystica ratio nota. Non leguntur hic, stannum, plumbũ, æs, sed aurum à scorijs & fæculentia expurgatũ, quod dissolui igni consumiq; nequeat, obtulisse. Sic sanctorum munera sunt quæ in sacrum Dei tabernaculum non terrenum, sed cœleste inferunt.

IN CAPVT XXXII.

Filij autem Ruben & Gad.) Quorũ alter ex Lia primogenitus, alter ex Zelpha ancilla Liæ natus. Manasses uerò Aegyptiæ ex Iosepho filius. Hi ut sibi cis Iordanem non in ipsa promissa terra prædium cedat, petunt.

Et Galaad.) Mons est Libano copulatus, quẽ Hieremias caput Libani uocat, qui à Libano occasum & meridiem uersus introrsus retrocedens ad eum locũ extenditur, ubi non procul à Iordane Amorræorũ rex Seon habitauit. Hunc montẽ quia pascuus erat, & pecorib. alendis idoneus, Rubenenses & Gadini sibi ad possidendum concedi postulant. Insignis is mons est fuga Iacobi, ad quem septimo profectionis è Carris die profugus uenit, & congestis ibi lapidibus fœdus cum Labane socero iniit. Vnde גלעד à lapidum aceruo monti nomen inditum.

Venerunt ad Mosem.) Oratio utilitatis priuatæ, non publicæ instructa locis. Qua de causa ut grauatè accepta sit à Mose, mox liquebit.

Et Dibon.) Duplex huius nominis locus est: unus, ubi statiuum tricesimum nonum fuit, de quo statim: alter in Moabitarum ditione ciuitas, quam Seon Amorræus belli iure possedit. atq; huius hic fit mentio.

Et Iazer.] Hanc non procul à Zabatha Ammonitarum metropoli posteris Philadelphia appellata abesse dicunt. & eius etiam Iesaias in uaticinio aduersus Moabitas edito miminit: Plorabo in fletu Iazer. Nẽra uicus magnus etiã Hieronymi tẽpore fuit.

Esebon.] Nobilis hæc est carmine Salomonis, & Hieremiæ atq; Iesaiæ oraculis. De qua supra cap. 21

Nebo.) et ciuitatis in Galaditica regione, & montib. supra Iordanẽ contra Hierichonta in terra Moabitica Mosæ obitu clari nomen est.

Quam percussit Dominus.) impleta mensura improbitatis Amorræorum. de qua in Genesi.

Nec facias nos transire Iordanem.) Duo quæ æqua non uidebantur postulasse indicantur. primò, ut obtinerent terram aliorum laboribus occupatã. dicũt enim: Vt des nobis eam in possessionẽ. secundò, ut eos non iuuarẽt in subigenda Chananæa, quorum opera quæ cis Iordanem erat Amorræorum regio subacta fuisset. Nam petunt, Ne traducamur Iordanem. Qua petitione offensus Moses, hunc in modum satis acerbè respondet.

Nũquid fratres uestri.) Exprobrat ignauiã, Propinqui uestri aduersus Chananæos militabunt, & uos hic desidebitis? Atq; ignauiæ uitium amplificat à personæ attributo, quòd consanguineos & eiusdem reip: religionis & sacrorũ ciues deserere uelle uideantur.

Cur subuertitis mentes.) A' periculo ignauiæ:

Quem eis daturus est Dominus.) Redarguit rebellionis. ideo sequitur:

Nõne ita egerunt patres uestri?) Obijcit imitationem contumaciæ maiorum, in quorum exemplo duo proponit hic: unum, rebelles liberos patrũ rebellionem imitari: alterum periculum est & clades, posteros propter suam defectionem pari cum maioribus calamitate afficiendos.

Quando misi de Cades Barnea.) Exponit rebellionis patrũ exemplũ. de quo uideris capite decimonono. Duplex aũt ut Cades sit, altera Barnea, altera Cades Zin, de eo uideris capite 20. Altera statuo decimoquarto, altera uicesimotertio clara fuit.

Si uidebunt.) Si, p nõ negãte. ut in illo: Si introibũt in requiẽ meã. itẽ, Semel iuraui, si Dauid mẽtiar. id est, nõ mẽtiar. Aut ἀνθυποπαθῶς munitantis sibi est aliquod malũ qd' adeat si iuri iurãdi fidẽ fregerit.

Qui ascenderunt ex Aegypto.]*In libertatē uindicati qui serui fuissent. Exprobrat ingratitudinem.*

A' uiginti annis & suprà.) *In qua ætate rationis usus & iudicij apparet. Aequitatis diuinæ exemplum ætatis respectum habemus.*

Noluerunt sequi me.]*Fœderis fidem uiolantes, qua se mihi obstrinxerant post fœderis legē ad Sinam montem promulgatam: Omnia quæ locutus est Dominus faciemus.*

Præter Caleb.)*Per contentionem amplificat rebellionis scelus.*

Circumduxit eum.]*In uerbo* מרעם *notantur errores uagabundi & subinde statiua ac castra in Arabum desertis mutantis populi. Græci igitur uim uerbi exprimentes* περιηγερόμενον, *uerbo à* ῥόμβος *nomine ducto, quod uersatilem quam nemes mulieres circumuoluunt, rotam significat.*

Quadraginta annis.) *quadraginta explorationis diebus pensatis quadraginta errorum in deserto annis. Explicatur pœna defectionis, quæ ad deserendum iniquæ postulationis consilium commoueantur.*

In conspectu eius.)*præsentiam eius ad tabernaculum non ueriti.*

Et ecce inquit uos surrexistis.]*à parentū prauo ingenio mali liberi, quod frequenter fit, non degenerātes, cū raro bonorum parentum probitatem soboles imitetur, ut indicat celebrata illa sententia: Heroum filij noxa. Accommodat exemplū rebellionis patrum ad posteros, ut à cœpta petitione eos auocet, idq; in hac deliberatione efficit, ut sequitur.*

Nos aūt ipsi armati.) *Diluunt ignauiæ crimen respondentes illi: Et uos hic desedebitis? Atq; ut sic responderent, impulit eos oracularis sententia à Iacobo patriarcha expositа: Gad accinctus præliabitur ante eum.*

Suum in locum.) *diuinitus decretum.*

Paruuli nostri.)*Coniungunt cum studio fratrum & obedientia Dei, uxorum, liberorum & opum curam quā Moses nō reprehendit, qui domesticā prudētiam, in qua liberorum, uxoris & rerum ad uictū necessariarum cura continetur, approbaret.*

Quia iā habemus nostrā possessionē.)*Biparti tū igitur prædiū Israelitarū est: unum trans Iordanē, alterum cis eum. Qua in re duplicē hæredum regni cœlorum statū adumbrari uolunt: unū quo carnē circumferentes in hoc seculo cœlestis hæreditatis consortes sunt. de quo statu illi: Sed estis ciues sanctorū, ut Israelitæ quæ cis Iordanem prædia sua occuparūt cum cæteris Israelitis, cōmuni promissæ hæreditatis, religionis, sacrorū iure sunt usi. Alter status est quam decurso ueteris mundi spacio in nouo mundo sortientur sancti. Ad priorē conditionem cruci & afflictioni obnoxiam, putant facere tum personarum in Rubene Gado & Manassæ, tum locorū rationē. Personarum quidē, quòd Rubē ex deformi Lea, & Gadus ex Zelpha Leæ ancilla, Manasses uerò ex Aegyptia natus, hanc ad Mosem petitionem adornant. Locorū autem, quòd extra promissam terrā & Iordanē regeneratio, nis, lauacro sacratū flumē uicina desertis Arabū locæ ad inhabitandum requirunt. Accedere item ad mysticam significationem quod Moses legislator non Iosuam hanc Rubenensibus & Gadinis ditionem adsignat, terram aūt promissam Iosua cæteris Israelitis, quòd dum in hoc seculo uiuunt sancti, participes qui iā sunt ipsi cœlestis regni in interiore homine à Mose liberi. In externo uerò qui regno Dei frui non potest, Mosæ subiecti, legi nimirū prauas in illos cupiditates subinde accusanti, nec prius castigationem remittēti quā corpus peccato obnoxium in terram ex qua cōflatū est, redactum sit. Quem brutum, hoc est terrenū & carnalem in ciuibus Dei hominem notari etiam putant in iumentis & pecoribus, quorum hic duæ tribus leguntur tantam gessisse curā, quib. ut similis sit ex terra fictus homo declarat diuinus spiritus apud uatem: Homo cum in honore esset, nō intellexit, comparatus est iumentis, & similis factus est illis. Itaque Gadini & Rubenenses pugnaturi pro cæteris Israelitis fratribus suis contra Chananæas gentes uxores suas & iumenta cis Iordanem reliquerunt ad significandum prælio Dei non muliebres & animales animos, sed uiriles & spirituales aptos.

Ad orientem.)*Orientalem sacræ terræ limitē Iordane constituente.*

Inimicos suos.)*Duo hic cognoscimus. alterū est, hostes Israelitarum Dei hostes esse, et contrà: alterū, illos facile uinci, qui inimici sint eius, cuius uoluntate facultas uincendi coniuncta sit, quod uim consolandi ad prælia capessenda maximam habet.*

Et obtinebitis regiones.)*tanquam præmium fortitudinis uestræ, & laborum pro fratribus susceptorum. Mysticus locus est quo admonemur non antea sanctos hæreditatem cœlestem adituros, quàm fortiter pro fratrib. aduersus hostes Dei mundum et satanam principem mundi prælio defungantur.*

Quin peccetis in Dominum.]*rebellium & desertorum crimine admisso. Violato nimirum fœdere iuris, quod indicat communes inter se habere hostes qui isto continentur.*

Et scitote quoniam.) Hebræus: Et cognoscetis peccatum uestrum, id est uim peccati quanta sit, sentientis pœnam perfidiæ luentes, quod est in hac lingua: Et peccatū apprehendet uos. Vis hortandi inest in propositis conditionibus, locos utilium & periculorum continens.

Eleazaro sacerdoti.]*Non ex libidine Rubenensium & Gadinorum, Amorræorum terram occupandam esse, sed ex arbitrio sacerdotis Eleazari oraculari et principis Iosuæ & primariorum familiarum Israeliticarum sententia tribuendam. Mysticus locus, Sanctis, hoc est cœlesti spiritu regentibus Israelitis non obuenturā hæreditatem in cœlo designatam, nisi arbitrio sacerdotalis & regiæ potestatis Christi & ministerio dispensatorum donorum sancti spiritus. de quibus Apostolus: Sic nos æstimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.*

Regis

Regis Amorrçorum.) *Sunt igitur & cis & trãs Iordanem Amorræi nobilis Chananææ stirpis gens habitantes. de alteris hic, de alteris Iosuæ 10. cap.*

Conuersis nominibus.) *profanis in sacra, quæ sacri populi & ueræ religionis significationem darent.*

IN CAPVT XXXIII.

HAe sunt mansiones.) *Itinera in Exodo & hoc Numerorum libro rebus solum gestis clàra memorata sunt. hoc aũt loco omnes Israelitarum mansiones ordine describuntur. Harum aũt siue quadraginta, siue quadraginta unam, siue quadraginta duas numeres, sollicitè non est laborandum. Nos eos qui quadraginta duas numerant, sequimur. Harum quædam in Aegypto sunt confectæ, quædam in Arabia. Sunt aũt nonnullæ rebus gestis insignes, nonnullæ obscuræ. Quod ad mysticam rationem intelligendam attinet, hæc perpendenda fuerint. Primò diuinũ de electione Israelitarũ secundum carnem consilium, deinde eorum in Aegypto tot annis seruita seruitus, tum eorundem liberatio per Mosem subuerso Pharaone in mari rubro facta, quartò suscepta à facta liberatione itinera in tã uasta solitudine Arabũ. Quintò legis promulgatio post solutam Aegyptiam captiuitatem ad Sinam montem, et toties periclitatã in aduersis rebus diuinã bonitatem. Sextò ratio tenta ta fidei Israelitarum de occupanda Chananæa per exploratores uestigata, ut iam consensissent in editã legẽ. Septimò rebellionis mulcta quæ erat diffidẽtiũ potentiæ & bonitati diuinæ in interiorem solitudinem reuocatio. Demum peregrinationis quadraginta annorum finis. Quam in Israelitis uetere fœdere comprehensis diuina opera rerum futurarũ umbrã prætulerint, sanctorum Ecclesiæ non est obscurum. Intelligit hæc sibi quoq; suam diuino consilio Aegyptiam seruitutem, suam liberationem quam angeli Christi sanguis conficiat, suum Pharaonem qui mari huius mundi fluctibus seuero iudicio Dei absorbeatur, suam item peregrinationem in solitudine huius mundi à facta liberatione: suam Pentecostem lege nõ Mosaica ad Sinam, sed Euangelica ad Sionem montem promulgata insignem, propositam esse: suas item tentationes fidei post acceptum sacrum Euãgelij spiritum: & sua pericula ac prælia aduersus suos Amalechitas, Amorræos & Madianitas subeũda in uasto huius mundi, carnis & potestatũ tenebrarũ deserto: demũ suũ sibi quoq; finem errorum diuinitus decretum. quorum cursu confecto, ad requiẽ promissæ hæreditatis non in terra, sed in cœlo designatæ, perueniat. Hæc in lineis Mosaicis animaduersa in admirabilis lucis contemplationem, quæ in Christi uultu resplẽdet, nos ueteris Testamenti uelo subducto trãsferunt: Adhæc arcana adumbranda nemo dubitet antea diuino consilio has terras Aegyptũ, Arabiam, cum sua solitudine, Chananæam, à terræ qualitate, situ, cœlo sic præparatas.*

Quas descripsit.) *Locus de uetustate Hebraicarum literarum, quarum monumentis Moses à Domino iussus est Israelitarum itinera consignare. De inuentoribus literarum alij alia tradunt. alij apud Aegyptios excogitatas, alij semper Assyrias fuisse arbitrantur. Quibus astipulantur qui affirmant Mosem literas Iudæis primùm tradidisse, & ab his Phœnices accepisse, Græcos uero postremò à Phœnicib. ed si Iosepho credimus, litterarum usus etiam ante diluuium fuit. Is enim tradit liberos Sethi in duabus columnis disciplinam rerum cœlestium à se primò inuentam conscripsisse. Cognoscimus hic Mose autore memorabiles res gestas in hoc populo literis proditas: deinde non temerè Israelitas in Arabũ solitudine errasse, sed certo Dei consilio, ad intelligendum non alia ratione declarari gloriam quàm cruce & calamitate. de qua uia illud in Actis: Oportet per multas tribulationes intrare in regnum Dei.*

Profecti ergo de Rameſſe.) *Itinera accuratiùs ordine numerat. primum fuisse in Rameſe. Locus is notus ex priore Exodi capite: & ciuitatis & regionis nomẽ est. ciuitatis in Exodo fit mentio, ubi Rameſem extructam Pharaonis iussu legimus, in qua is opes suas reponeret: regionis uerò hic. Nam non ex una urbe tanta Israelitarum uis egressa est, sed ex ampla quam occuparunt regione, quæ etiam, ut in Genesi legimus, Gosen appellatur, Iacobo patriarchæ & filijs eius à Iosepho ut premente fame in Aegyptum ingressi fuissent relicta Cananæa, ad inhabitandum tributa.*

Mense primo.) *Mensis memoratur, non annus. Quoto igitur anno exierint ex Aegypto agnoscendũ fuerit ex annorum qui seruituti destinati sunt, numero. de quo illud: Et affligent eos quadringentis annis. Reliquerunt igitur Aegyptum decimoquinto die mensis primi post annos triginta & quadringentos, quàm Abrahamus uenisse in Chananæam: post Iacobi autem in Aegyptum profectionem anno ducentesimo & quinto. qua de supputatione etiam alio loco.*

Excelsa manu.) *diuina ui.*

Videntibus cunctis Aegyptijs.] *non clàm, ut fugitiuis, sed palàm ut uictoribus exeuntibus.*

Et sepelientibus primogenitos.) *Aegyptij in luctu erant, Israelitæ in gaudio, qui tot annis in luctu uitam transegissent. Vera igitur est hæc Domini sententia: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient. Sanctorũ igitur lamentationem gaudium excipit. Secus impiorum lamentatio habet, qui suum luctum ad interitum usq; continuant. Exemplo sunt Aegyptij lamentationem suam secum in rubrum mare ferentes.*

Nam & in dijs eorum exercuerat ultionem.] *declarans in subuersis Aegyptijs & liberatis Israelitis, nullã ad iuuandũ dijs alienis uim inesse. Quo maximus horũ cõtemptus est et amplissimus honos Dei Israelitarum. solet irã cõtemptus concitare, & tanti sperarat, dum uindicatũ sit in eos à quibus sumus contempti. Vt aspernatus autem sit Deum Israelitarum Pharao cum magis suis & reliquis Aegyptijs, confisis dijs suis, in Exodo est explicatum.*

In Sochoth.) *Alterum statiuum. Locus à tabernaculis sortitus nomen. quæ de hoc loco moneat Iosephus, apud eum uideris. Non unus hoc nomine legitur locus. Nam est etiam Sochoth trans Iordanẽ ad torrentem Iaboci, ubi Iacobus è Mesopotamia reuersus, & reconciliatus fratri, tentoria fixit. Hic postea eiusdem nominis ædificatum oppidum Gadinæ tribui assignatum est à Mose. Insignis hæc ciuitas supplicio est quo Gedeon principes illius uiros affecit, quòd sesso exercitui de militia aduersus Madianitas facta, necessaria ad uictum denegassent.*

In Ethan.) *Tertium statiuũ, solitudo uasta est, ad rubrum mare pertingens. in qua etiam transito mari, tridui iter, dum uenirent in Maram & Helinium, ut mox liquebit, fecerunt.*

In extremis finibus.) *in extremo solitudinis occasum uersus itinere deflexo ad austrum, à dextra relicta Heroo urbe. Nam Ethamus solitudo ad ortum latè longeq; protenditur.*

Venerunt contra Phihahirot.) *Quarta mansio uallis erat uicina mari rubro, in qua Israelitæ hostiũ prædæ opportuni in summo periculo uersabãtur. Nã à frõte mare rubrũ, à tergo castra Aegyptiorũ, à dextra & sinistra promontoria habebant. ut euadendi nulla uia patêret populo mari, hostium uallo, montibus concluso. A' quibus faucibus apparet locũ* בי החירות *appellatũ. In has autem angustias uenerunt, ut omni humano præsidio sublato, diuinã opẽ experirentur, & diuinitus in summa desperatione uiam per mare Israelitis salutarẽ & hostibus perniciosam aperiret. Hæc sunt in sanctis luctantis & uincentis fidei stratagemata hic adumbrata, & in pugna aduersus mũdum & principem mundi post exitum ex Aegypto sub duce non Mose, sed Christo edenda. Cæterùm de periculis quæ Israelitæ in hoc statiuo persequente eos Pharaone adierunt, & de eorum inexpectata & plena ostentis liberatione, uideris in Exodo.*

Beel Zephon.) *in promontorio uicini maris locus fuit, fortassis ab idolo Baal ab Aegyptijs culto sic appellatus. Commune enim deorum gentilium, quibus ut Dominis cultores parerent, nomen* בעל *fuit, qui Beli immutatis literis nomine quoq; appellantur, ut habet latinus uates:*

Auxilio Beli genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum.

Ante Magdalum.) *in altero promontorio locus à specula fortassis excelsiore, qua sinus ille Arabicus obseruabatur, sic uocatus. Nota enim Hebræa uox* מיגדול *est. item* מגדול *Aegypti ciuitas, in quã Iudæi post interfectum Godoliam profecti sunt, à Nabuchodonosore ibi capti & cæsi. Eiusdem nominis castrum iuxta mare Galilææ est. unde Magdalena cognomen accepit.*

Trãsierunt per medium mare.] *in sicco aqua magno miraculo murum illis dextra sinistraq; præbente, ut his elabendi ex hostium manibus uia patêret, & hostium exercitum refluenti æstu obrutum Deus totum deleret. In quo ostento hæc perpẽdimus: primò, prouidentiam & curam Dei, quam pro suis gerit, quorum saluti, terra, maria, ignis, animantia egetiã sæua pareant ac deseruiant. Sic diluuio quo deleti sunt impij, seruatus est Noa. sic ignem euasit Loth, incendio Sodomitis extinctis. sic in cauea leonum manis belua pepercit Danieli, eius hostib. discerptis. Alterum est, designatos esse potentiæ hostium populi Dei terminos, quos minimè trãscat. Exemplo Pharaonis est mari Arabico absorptus. Exemplo Assyrius ante Hierosolymam deletus. Exemplo Babylõ à Cyro rege Persarum, ut redimerentur filij Dei, uastatæ. Antiochum & Romanos non commemoro, è quorum imperio iam inclinante, bestia armata regnum orbis terrarum potentia extitit, tempora mutans, & leges. huius autem sui furoris fines præscriptos habet, quos non transibit: sed intra hos se continens, tantisper Euangelium regni cœlorum & sanctos insectabitur, dum hi satis crucis & afflictionis igni assidurè æstuanti, ex quo enata est, cum Pharaone pereat, sentiens uindictam, de qua Ioannes ex Hieremia: Væ uæ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam in una hora uenit iudicium tuum.*

Et ambulantes tribus diebus. Icarentes aquæ. Vnde expostulatio populi de penuria aquarum uasta, de qua Exodi decimoquinto.

Per desertum Etham.) *Quod etiam Sin appellatur, ut legimus in Exodo: Tulit autem Moses de mari rubro Israelitas, & egressi sunt in desertum Sin.*

In Mara.) *Quintum statiuum clarum miraculo opere, amaræ aquæ in dulcem, beneficio ligni quod Deus Mosæ ostenderat, cõuersæ. Vnde nomen loco inditum ab amaritudine, ut tanti miraculi ad posteros extaret monumentum. Tentatio tentationibus excipitur. Israelitæ qui hostis infesti uim in rebus angustissimus positi, cuaserãt, iam in uasta, squalida, et asperrima solitudine aquarum dulciũ inopia laborantes, siti tentantur, ne decesset materia probandæ fidei per summas afflictiones ijs qui promissam hæreditatem erant aduturi. Sic temperante diuina sapientia opera sua, ut tenebris lux, morti uita, laboribus ipsis quies, amaritudini ignominiæ crucis dulcissima gloria succedat, amarore in dulcedinẽ cõuerso ab eo ligno quod de se dicit: Cõuertam luctum eorum in gaudium, ãtè: Haurietis aquas cum gaudio de fontibus saluatoris: Qui seruator Messias medicans amaras aquas, lignũ est in medio paradiso consitum. de quo illud: Vincenti dabo edere de ligno uitæ quod est in medio paradisi Dei.*

In Helim.) *Vbi sexta castra fuerunt insignia LXX palmis, & duodecim aquæ dulcis fontibus. Quos uictrix fides post tentationem aperuit: Deposito uelo Mosaico, cognoscimus non prius sese fidem declarare, quàm ex mari huius mundi procellosо per baptismum, hoc est ueteris hominis mortificationem eluctati, nouum induerimus, sitientes dulces aquas, de quibus lignum ipsum amaras in dulces conuertẽs, apud Ioannem: Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in*

eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Ad quam palmæ uictoriæ sacratæ consitæ sunt. de quibus illud: Hæc est uictoria quæ uincit mundũ fides uestra. Duo denarius autem numerus fontium, quos fontes significet, & quorum ministerio fons aquæ uiuæ aperiatur, & LXX palmæ quæ sint munere suo uictoriam parantes, sanctis non obscurum.

Super mare rubrum.) Statiuum septimum in Exodo non memoratum. Quia id mare sinuosum est, Arabiam Petreã penetrans, et eam flexu suo immissum lancinans, summam eius qua insinuatur, partim attigisse in deserto Ethamo boream uersus iter facientes dicuntur.

In deserto Sin.] Castra octaua hæc erant in solitudine longè lateq; patente posita. Nam desertum quod inter Elimum & Sinam montem situm est, Sinis nomine comprehenditur, ut patet ex Exodi libro his uerbis: Venitq; omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim & Sinai, in quo hæc itinera numerantur, Dophca, Raphidimum, Haluſum, Sin, de quibus ordine. Alia igitur est solitudo סין alia סין: in altera mensio octaua fuit, in altera tricesimatertia. qua de re suprà. In hoc statiuo primò Deus mannam cœpit pluere, et coturnices ad sarciendam famem mittere. de quo beneficio Dei uideris in Exodo.

In Dophca.) Nona mansio, re gesta nulla quæ quidem literis prodita sit memorabilis, sicut nec Haluſum quæ decima fuit.

Raphidim.) Vndecima castrorũ positio, in qua populo tentato inopia aquarum Moses ex durissima petra uiuæ aquæ ad Horebum latices expressit: de eidem statiuum consilio Iethronis quod is dedit Mosæ de rep. Israelitarum moderanda nobilitatum est. Demum in eodem prælium acerrimum populi Dei aduersus Amalechitas gestum proditur, qui Israelitas nuper ex Aegypto liberatos hostium primus infestò bello paterni odij igniculis & scintillis, quæ sopitæ diu iacuerant, tanquam ex cineribus suscitatis adortus est. Esai enim patris Amalechi aduersus Iacobũ inimiticia ex Geneſi nota, quæ inter fratres et sanguine coniunctos acerbissima intercedit. Vt est in prouerbio: Fratrum inter se iræ acerbissimæ.

In deserto Sinai.) Quæ duodecima fuit castrorũ metatio, facta quadragesimoseptimo post exitum ex Aegypto die, quinquagesimo deinceps die lege per Mosem promulgata, ad quam accipiendam ex Aegyptia seruitute populus liberatus, & per uarias calamitates in deserto præparatus fuerat. Varias mons habet nomina. Nam interdum Agar, interdum ut à Mauritanis Tur, modò Sina, & id peruulgato modo appellatur. Totus mons ab Austro in septemrionem per Arabiam Petream longissimè protentus Horebus dicitur, & ut uolunt à Ptolomæo Melani mõtes, quorum altissimum iugum Iudææ uicinum Sina appellatur. Hinc apostolus cõfinem Hierosolymæ Sinã montem esse dicit his uerbis: Sina mõs est in Arabia, confinis autem est ei quæ nunc est Hierusalem, & Arabia Petræa uicina esset Iudææ in qua Hierosolyma sita est. Nec abest mystica ratio cur Sioni monti, ex quo Euangeliũ manauit, Sinæ unde lex Mosaica edita est finitimũ statuat Apostolus, si quis expendat quod idem in hunc modũ monet: Lex pædagogus ad Christum. Primò Sina mons Dei qui Mosæ in ardenti nube apparuit, deinde legis promulgatione celebris est, quæ ad eum montem magnis ostentis tradita est, & confirmata selecto populo ibi annum ferè integrum uersato, extructo ad eum locum tabernaculo, sacerdotio constituto cum sacrificijs, & sacrorum ritu & uniuerso Dei cultu.

Sed & de solitudine Sinai egressi.) anno altero post exitum ex Aegypto, uicesima die mensis secundi.

Venerunt ad sepulchra cõcupiscentiæ.) Hæc castrorum metatio, quæ decimatertia fuit, facta est in Pharane solitudine. Vt suprà Moses his uerbis dicit: Profectiq; sunt filij Israel per turmas suas de deserto Sinai, & recubuit nubes in solitudine Pharan. Quæ longissimè protenditur. Nam in hac uiginti à Sina monte profectiones usq; ad Asron Gaberem numerantur, quæ ordine à Mose exponuntur. Cæterùm unde busta cupiditatis nomen duxerint, utq; Israelitæ mannæ cœlesti cibo pepones, cucumeres, carnes Aegyptias præferentes, expostularint cum Mose de earum rerũ penuria quas reliquerant in Aegypto, atq; ignis cœlitus delapsus in rebellionis autores ob uanam cupiditatem exarserit, & quo Dei consilio post legem iam editam hæc in populo tentatio extiterit, ea de re suprà capite undecimo.

In Azareth.) Hæc decimaquarta mansio nobilitata est iudicio diuino, quo Maria soror Mosæ lepra affecta est propter calumnias quas illa et Aarõ Mosæ seruo Dei fido asperserant. de quo iudicio uideris suprà capite duodecimo.

In Rethma.) Decimaquinta mansio uicina Cades Barneæ, ex qua missi exploratores ad Chananæam explorandam, populum ad rebellandum Deo concitarunt, ne fortissimas gentes bello aggrederentur. Qua ex rebellione Deus sic in diffidentes sua bonitate & potentia ira incanduit, ut eos ex Rethma ad interiorem Arabiæ solitudinem reuocarit: quam tradunt tantam arenæ uim habere, ut sæpe uentorum procellis agitata, iusta hominum & iumentorum agmina mole sua operiat, opprimatq;. In hunc autem primùm ingressi sunt alia uia quàm qua ex Aegypto egressi uenerunt ad Cades Barneam. Qui enim ad occidentale latus Horeborum montium Chananæam uersus iter fecissent, à Cades Barnea reuertentes, ex altero latere quod orientem spectat uiam quæ à Palæstina in Elaniticum sinum ducit, plenam molestiæ & laborum austrum uersus instituunt. Atq; hæc pericula in tam uasta & arenosa solitudine, in qua neque sementis, neq; messis fieret contumacibus subeunda fuerunt, qui rerum omnium copia abundantẽ terram fortiter inuadere sub præsidio Dei recusassent: quiq; triginta octo annis in sterili sabulo fame, siti, ardori-

doribus confecti ob commissum rebellionis noxam uer
sati sunt paruo tempore, cœlo, terra, aquis, frugibus,
animantibus, metallis inclytam terram, si in fide man
sissent, occupare potuissent. Hæc erat mulcta perfi-
diæ diffidentis Deo populi, cuius is antea tot benefi-
cia in rebus angustissimis expertus fuerat. sed hanc
pœnam ita moderatus est pro sua bonitate Deus, ut
posteris, rebellium adeũdæ semel promissæ hæredita
tis spem non præciderit: imò qua est in fœdere suo
seruando constantia, etiã improborum culpam in me
lius conuertit, dum criminis occasione immissam affli
ctionem pensat salute & suauissima quiete, ut cogno
scerent electi Dei omnia in bonum, quemadmodum
Apostolus alicubi dicit, deseruire ijs quos ante cõdita
secula ex proposito suo saluti Deus destinauit: pec-
catum etiam ipsum, calamitates, morbos, exilia, mor
tem peccati stipendium. Exemplo sunt Israelitæ qui
umbram & figuram uerorum Israelitarum prætu-
lerunt.

In Remonphares.] Decimasexta mansio.

In Lebna.) XVII.

In Ressa.) XVIII.

In Ceelatha.) XIX.

In monte Sephar.] XX. Non unus huius nomi
nis locus est. Nam est Sepher etiam uiculus in ditio-
ne Iudææ inter Eleutheropolim & Ascalonem. Est
item Sephoris oppidũ Galilææ, ab Herode muro cir
cundatum, quòd in loco natura munito situ esset, atq;
id uolunt posteris temporibus appellatum Diocæsa-
reã. præterea nominatur Genesis decimo. Sephar o-
rientis mons, quem usq; à Mesa habitarunt Iactanis
filij. Is hic nominatus Saphar mons in Pharane solitu-
dine fuit.

In Arade.) XXI.

In Maceloth.) XXII.

In Thaath.] XXIII.

In Thare.) XXIIII.

In Methea.] XXV.

In Hasmona.) XXVI.

In Moseroth.) XXVI. In hoc statiuo legitur in
Deuteronomio Aaron mortuus. In Numeris uerò in
Hore mõte, quòd loca uicina inter se essent, ut in Ho
re mortuus non longè à Mosorotho mortuus uideret.

In Benetactan.) XXVIII.

In montem Gadgad.) XXIX.

In Iatebatha.] XXX. Vt in Deuteronomio le
gimus. Is locus aquis abundauit. sunt igitur qui arbi-
trantur propter salubritatem loci & commoditatem
ex copia aquarum diutius hic uersatos Israelitas. At
statuendum hic est ductu nubis non ubi uellent, sed u-
bi Deus statuisset castra posuisse Israelitas.

In Abroxia.) XXXI.

In Asion Gaber.) XXXII. & ultima solitu
dinis Pharanis. Celebris is portus est Sinus Elanici,
sic dicti ab Elana terræ Idumææ uilla. In hoc portu
classem ad aurũ asportandũ ex Ophire Salomon in
struxisse legitur. suprà ut Israelitæ ob rebellionẽ ius-
si sint reuerti in solitudinem uia ad rubrum marę du-
cente traditur, quod hic perfectum indicatur. Asse-
ber enim uicinus mari locus solitudinem australem ver
sus terminat, & ab hoc portu ad terram Chananæã
obliquo tamen, non recto itinere redire cœperunt.

In desertum Sin.] צין, id est Zin deserti est, non
Sin de discrimine aliàs. Hoc desertum Cades etiã uo
catur, & urbe eiusdem nominis in extremis finibus
Idumææ, unde nuncij missi qui ab Idumæis transitum
per ipsorum terram peterent. Hoc statiuum tricesi-
mum tertium obitu Mariæ sororis Mosæ & aquis ex
petra expressis à Mose iussu Dei clarum. Cades no-
mine tria loca uocari legimus. unum Cades Zin est,
de quo hic: alterum Cades Barnea, de quo in Deutero
nomio: tertium ciuitas in Galilæa, patria Barachi
ducis, qui Sisarim persecutus est.

In monte Hor.) XXXIIII. Mons Arabiæ
Petrææ, Petræ Arabum regiæ uicinus, & monte Aa-
ronis, ut hic legimus, nobilis.

Anno quadragesimo.] Triginta nouem ferè an-
nis ut Sinam montem reliquissent in deserto uari-
oribus iactati, qui propriè annum tricesimum ad Si-
montem. de qua suppuratione suprà capite decimo.

Audiuitq; Chananæus rex.] Obiter historiam
de bello cum Chananæis gesto narrat, de quo suprà
capite uicesimo primo.

Cum esset annorum centum triginta trium.)
Grandis ætatis in homine qui tot labores tulerat me-
morabile exemplum. Numerantur Sanctorũ hominũ
anni qui in impijs non numerantur. De alteris enim
scribitur, Capilli capitis uestri numerati sunt: de alte-
ris, Non noui uos.

In Salmona.) XXXV. Locus memorabilis
propter æneum serpentem à Mose erectum sanamẽ
cos quorum corpora in deserto serpentũ uarus sitis ex
ardore cõficiebat. Ab Hore monte paululum deflexit
re ad rubrum mare incipiebãt, ut circumirent terrã
Idumæorum, sicut legimus suprà: Profecti sunt aũt de
monte Hor per uiam quæ ducit ad mare rubrũ, ut cir
cuirent terram Edom. Cæterùm de causa immissorũ
prestrum, quemq; serpentem hi adumbrarint, quãq;
usus serpentis à Mose erecti, quemq; significarit, &
cur potius serpentis quàm alterius animantis imago
susceptа sit, ea de re suprà.

In Phinon.) XXXVI.

In Obotho.) XXXVII.

In Itaberim.) XXXVIII עיי cumulos aut so
litudinem notat. Montes igitur Abarim solitudine insi
gnes fuisse iudicantur. De quibus suprà capite uicesi-
mo primo proditum est. Vnde egressi fixere tentoria
בעיי העברים, id est in solitudine Abarim, in soli-
tudine quæ est è regione Moabitarum.

In Dibongad.] XXXIX. Hoc statiuũ aquã
rum fonte patefacto diuina tu, & carmine de exhibi
to beneficio, ab Israelitis decãtato nobile est. Vnde no
men loco Mathana inditum.

De montibus Abarim.] Hi à Moabitis Galaad
montes uersus protenti, Amorræos ab Ammonitis se-
parant. Quorum montium celebria iuga sunt Phas-
ga &

ga et Nebo. In quorum alterum ut iussus sit Moses ascẽdere ad contemplandã Chananæam, his uerbis ex Deuteronomio patet: Ascende in iugum Phasgæ & oculos tuos, etc. Qui igitur suprà cap. 27. in Abarim ascendisse legitur, in Deuteronomio iugum Phasgam conscendisse dicitur. His montibus Moabiticã regionẽ cõprehendi tradunt. Quamobrem ab Hebræis extra hos montes profectio susceptа fuit ad orientales partes, qui essent prohibiti diuinitus consanguineos armis prouocare.

Ad campestria Moab.] Vltimum statiuum. octo igitur castra numerãtur ab Hore usq; ad Iordanẽ orientalem terminum Chananæ, & ab Hore usq; ad Sinam 22. à Sina aũt ad Ramessem 12. Itaque longissimum tempus contriuerunt in medijs inter Horẽ & Sinam castris, nimirum triginta ferè nouẽ annos. Nam propè uno anno consumpto ad Sinã et quadraginta septem diebus in profectione ex Aegypto, quadragesimo demũ anno uenerunt ad Horem tricesimũ quartum statiuum, reliquis octo usq; ad Iordanẽ quadragesimo confectis anno. Campus aũt Moabiticus attingens Iordanem ab Arnone fluuio usq; ad torrentẽ ferè Iaboci protenditur. Is celebris est repetita lege. Quæ enim Deuteronomium continet in hoc campo à Mose priusquã è uiuis excederet, ad Israelitas exposita sunt. In hoc itẽ quadragesimosecundo statiuo quæ suprà de Balaamo ad imprecandas diras Israelitis à Moabitis conducto, & de populo ad scortationẽ & ad Phegoris idoli cultũ inducto tradũtur, acciderũt.

Quando transieris Iordanem.) Peragrata soli tudine Arabiæ, & absolutis difficilis peregrinationis labor. bus, hæreditatis adeundæ instat tempus, in qua occupãda ut se gerãt Hebræi, ostenditur: primò ab incolis impijs, delubris, conflatis signis, aris, dijs alienis consecratis, terram purgandam esse: deinde eam diuidendam sancto populo non quauis ratione, sed sortẽ. Adumbratur hic figura quadam expediendæ salutis methodus, cuius Apostolus ad Romanos meminit, quæ his uerbis exponitur: Porrò quos prædefinierat, eosdem & uocauit: & quos uocauit, eos & iustificauit: quos autem iustificauit, eos & glorificauit. In Israelitis electio ad munera diuina, uocatio ad legem accipiendam, iustificatio ex lege ad Sinam montem acceptа, & confecto peregrinationis cursu gloria hæreditatis promissæ cernitur. subducto mystico uelo eadem in scriptis in libro uitæ ueris Israelitis spectantur: prædefinitio ad possidendam hæreditatem cœlestem, uocatio ad legem Euangelij de cœlo per Apostolos promulgatam, iustificatio per sacri Euangelij fidem, & exanclato crucis cursu, gloriæ cœlestis regni ad quod antè condita secula prædefiniti fuerant, assignatio, expurgato cœlo & terra ad usum eum de quo Petrus: Sed cœlos nouos & terram nouam iuxta promissum illius expectamus, in quibus iusticia inhabitat. Ab orientali latere Israelitæ terrã promissam ingressi sunt, ea parte qua paradisus obseptus angelorio pijs perpendendo.

Confringi te titulos.) משׁשׁית paraphrasti delubra sunt uanis dijs consecrata, sic ut uolunt à cælatura & uarijs figuris quibus fana exornantur, appellata. Vnde uox transfertur ad notiones quibus tanquã figuris animus pingitur, ut aliàs indicatum.

Statuas.) conflata signa quæ in templis collocari ad adorandũ solent. Heb. enim צלמי מסכתם. Græci igitur, ἐκκόψατε τὰ εἴδωλα χωνευτὰ αὐτῶν.

Ego enim dedi.) legitimus Dñs cœli & terræ creationis iure.

Vobis.) ut filijs meis: non Chananæis, ut seruis, qui ius hæreditatis obtinere non poßunt ex sententia illa: Sitq; Chanaã seruus eius. Itaq; Dominus: Seruus non manet in domo domini in æternum, filius manet in æternum.

Quam diuidens uobis sorte.) Ratio diuidendæ hæreditatis exponitur. Locus mysticus memorabilis, hæreditatem Israelitis suam non pro uel generis uel meritorum aut rerum gestarum dignitate, sed sorte, quæ humano nullo regitur consilio, sed diuino assignandam. de qua re etiam suprà.

Sin aurẽ nolueritis.) Exponuntur pericula quæ adeuntur, si consuetudo & cõmercia cum impijs non deuitentur. Reuocanda finita quæstio ad infinitã. Hic legimus mandatum Israelitis ut impios excinderent, nõ itẽ in nouo fœdere. Discrimẽ cognoscendũ ex hac Apostoli regula: Spiritualia spiritualib. comparanda:

Quasi clàm in oculis.] Allegoria molestiã quam relicti incolæ sint exhibituri, indicat. Quid enim molestius aculeis oculos, & spinis latera infestantibus? Aut notatur prouocatio ad fornicationem cum dijs alienis. Consuetudinem cũ impijs effecturã ut decorũ quos colunt, amore Israelitæ implicentur. Quò pertinent etiã spinæ in lateribus fixæ. Metaphora sumpta à spiculis quibus boues inter arandum stimulantur. Interpretationem hanc confirmant quæ infrà in Deuteronomio dicuntur capite 7. Percuties eos usq; ad internitionem, quia seducent liberos tuos, ne sequãtur me, sed seruiant dijs alienis.

Vobis faciam.) Qui in sponsa mea adulteriũ nõ feram, et pro iusticia mea personã nullius respiciens, pari æquitate scelera puniam.

IN CAPVT XXXIIII.

His finibus terminabitur.] Descriptio Chananæ à quatuor finibus, meridiano, occidentali, septentrionali, orientali. Quapropter quaternarius rerum sacrarum dimensioni consecratus est. Vt id tabernaculum, templum, Israelitarum castra & sacro populo assignata terra in hæreditatem, documento est. Sicut etiam cœlestis hæreditas Israelitis in cœlo scriptis destinata quaternione continetur. Quæ est ipsa diuina natura sacrosancto tetragrammato יהוה comprehensa. Sic enim in promißis ad Abrahamum est: Ego ero merces tua. & sub typo sacerdotij mystici de sacerdotibus regalibus sacrosancto Messiæ oleo unctis: Ego sum pars & hæreditas tua. itẽ: Dominus ipse est hæreditas eorum. At quantum ad huius diuinæ hæreditatis quæ in terra Chananæa

præfertur, imaginẽ attinet, hæc ut à terra, cœlo rerũq; omnium opportunitatibus laudata sit, res ipsa & sacræ literæ docent. Si enim terram spectes, occurrunt irrigua prata, agri omnis frugũ generis fertiles, horti, pomaria, aquarũ copia, metallorum fodinæ, infra à Mose celebratæ, occurrit commodus ad res tum exportãdas, tum importãdas situs. Hæc enim terra media inter orientem & occasum, inter aquilonem & austrũ procurrens, facilem ad cæteras gentes, siue Europa, siue Africa, siue reliqua Asia penetranda sit, aditum patefacit, ut diuina ratione delecta uideatur, in qua extructi templi & sacrorum oraculorum splendor exterarũ nationũ oculos perstringeret, & Dominus noster Iesus sacrosanctus Meßias mundi seruator in ea natus, Euangelij sui cœlestis lucem in omnes populos spargeret, ab ea parte terrarum orbi salute affulgente, quæ antea exitium in humanum genus peruasisset. Nam paradisum in quo culpa contracta, & pernicies in hunc mundum illata, huic terræ uicinum fuisse, eius descriptio in libro de origine mundi facta satis comprobat. Præterea situ Chananææ naturalis munitio, quam Libani montes ab aquilone, lacus Cinerethus & Asphaltites cũ Iordane ab ortu, Arabum deserta & montosa eius loca ab austro, mare mediterraneum ab occasu efficiunt, non leuiter commendat. Cœli autem clementia quanta hæc terra utatur, ex his quæ attulimus, cognoscere licet. sed supra omnia hanc Israelitarum hæreditatem illustrẽ reddunt sacra oracula, cultus Dei, regnũ & sacerdotiũ, & maximè Meßias ipse in ea natus, educatus, doctrina & editis signis morteq; & resurrectione è mortuis, illustratus per Euangelij lucẽ ex eadẽ illa terra in omnes mundi cum ueræ salutis hoc est iusticiæ, sapiẽtiæ, uitæ, gloriæ, opibus & diuitijs profectum.

Pars Meridiana.) Descriptio limitis meridiani. Ab ea igitur parte sacrã terrã describere incipit, in qua lõgo tẽpore Israelitæ uarijs errorib. iactati peregrinati sunt. Nã suprà legimus illos non recto itinere Chananæã petijsse, sed per australe latus obliqua uia cirũductos, dũ uenirent ad terminos Idumææ: atq; ibi negato transitu, nõ prius ad promissæ hæreditatis fines ueuerunt, quàm Idumæorũ & Moabitarũ terram circuissent. Continet autem is meridianus limes tres angulos, mare salsum à דרמית מזרחית id est à meridionali orientẽ spectante latere, Idumæam ad austrum, mare magnum דרמית דרמית, id est à latere meridiano occidentem uersus.

A solitudine Zin.) Vicina montib. Seir Idumææ per quos ascensus Acrabim ductus, qui scorpionis ascensus à nostro uertitur. Græcis relinquitur pro proprio loci nomine. Locus proximus mari salso est in montibus Seir. Qui terminus quoniam ab austro in aquilonem inflexus, deinde rursus in austrum declinat ad Zinem solitudinem, uolunt nonnulli ob sinuosum flexum, scorpionis ascensum appellatum.

Mare salsum.] Is lacus solis ortum hyemalem uersus meridianum ab oriente limitem claudit, qui modò mare mortuum, ob diras & exitiales aquas: modò salsum, quòd more cæterorum marium salsus sit & sterilis: interdum asphaltites, à bitumine cuius magnam uim gignit, appellatur. de cuius magnitudine & rebus memorabilibus uideris apud Iosephum libro quinto Iudaici belli. Sodomarũ & Gomorrhæ celesti incendio nobilitatus est. quæ enim amœnæ fœcundæ uallis fuit, diuina ira conuersa est in mare salsum & sterile.

Vsq; ad Cades Barne.) finitima Geraris & Berseebe, antiquæ Abrahami sedi. Locus in Pharanes solitudine est à Iosua Iudææ tribui assignatus. Hanc celebrem reddiderunt exploratores ex eo ad explorandam Chananæam missi. qui perterrefacto populo effecerunt, ut quadraginta dies quos in rimanda terra consumpserant, Deus quadraginta annis errorũ in solitudine pensarit. De qua diuini iudicij seueritate uideris suprà capite decimoquarto.

Vsq; ad torrentem Aegypti.) Alijs orientalius ostium Nili est, uicinum Peluso: alijs flumen Rhinocorura, quod occidentem uersus fluens, exoneratur in mare supra Gasam. De urbe Rhinocorura frequens mentio apud geographos & hisiwricos.

Et magni maris.] Australis igitur terminus duo maria, tres terras inter se finitimas attingit, mari altero ab angulo occidentali, altero ab orientali angulo limitem meridianum efficiente. Terræ sunt Aegyptus, Idumæa, Moabitica regio, Aegypto ab occidentali parte, Idumæa ab austro, Moabitide ab orientali latere meridianum limitem designantibus.

Plaga autem occidentalis.) Describitur terminus occidentalis, qui est mare mediterraneum ab Aegypto usq; ad Horem montem aquilonem uersus pertingens. De huius maris, quod angusto freto ab Oceano apud Gades in terram immittitur, insulis, finitimis & accolis gentibus, apud geographos & hisiwricos uideris.

Vsq; ad montem altissimum.) Heb. usq; ad Horem montem, qui Hor ille non est in quo Aaron obijt, quem constat in Arabum solitudine ad austrum deuergere. cum is noster uicinus Zidoni & Tyro ad aquilonem pertingat. Nonnulli Libanum interpretantur cedris nobilem.

In Emath.) Ab Hore promontorio in occidentalis maris angulo septentrionali sito ad Hemathum, quæ Epiphania putatur, pertingit. Inde terminum aquilonarem in Sedudam, ab hac ad Sephronam perductum in Hazarenanem desinere. Atq; is est septentrionalis limes per Phœniciam uarijs artibus & nouarum rerum inuentione celebrem extentus. In hoc latere Zidon, cui finitima clarissima urbs Tyrus, Berytus, Cæsarea Philippi, Dan extremus Boream uersus terræ sacræ limes, ut Bersabe ad austrum.

Vsq; ad Seduda.) Qui aquilonaris lateris medius fermè angulus est in Naphthalia tribu positus unà cũ Sephrona.

Et uillam Heman.) Hazarenane in extremo aquilonaris termini angulo orientali sita. ideo sequitur orientalis limitis descriptio.

Descen-

Descendent termini.) Respicitur ad positionem cardinũ mundi, aquilone sublimem situ tenente, à quo per orientem eundo ad austrum decliuior cardo peti tur, ut uates etiam Latinus alicubi indicat:

Mundus ut ad Scythiam, Ripheasq; arduus arces
Consurgit, premitur Libyæ deuexus in austros,
Hic uertex nobis semper sublimis, ut illum
Sub pedibus Styx atra uidet, manesq; profundi.

Inde metabuntur fines.) Describitur latus orientale. התחריתם est describere ac designare. & apud Ezechielem תר signum.

In Rebla.] Hæc in Oriẽtali limite ad austrũ post Sephamã deuergit, sita ad Samachonitẽ paludem, ut ex Deuteronomio patet. Antiochia igitur non est, ut quidam uolunt, quæ aliquot millibus passibus à Rebla abest.

Ad mare Cinereth.) Is lacus in finib. Naphthali & Zebulonis situs à Iordane funditur, modò Cinerethus, modò mutatis literis Genesara, interdum mare Galilææ ut apud Mathæũ, interdũ Tiberiadis ut apud Ioãnem appellatur. Clarus lacus aqua dulci, copia piscũ, uicinisq; urbib. Capernao, Bethsaide, Tiberiade, quam Herodes magnificis ædibus ædificatã in honorem Tiberij Cæsaris Tiberiadem uocaut. sed is lacus lõgè clarissimus Christi doctrina & miraculis est, qui quàm frequẽs uersatus sit in uicina regione, Euãgelistæ declarant. Hoc mare ferunt quadraginta octo stadia latum, & centum longum esse.

Et tendent usq; ad Iordanem.] Is fluuius celebris terminus ab oriẽte, terræ sacræ, à duobus fontib. quorũ alter Dan, alter Ior ex Antilibano supra Cæsaream Philippi ortus, nomen mutuatus. Plinio autore ex fonte Pancade qui nomen dedit Cæsariæ, oritur. Vbi ra quos fontes Damascus urbs, & Trachonitis. Ab aquilone igitur Iordanis per orientale latus meridiem uersus fluens, aliquot amœnas regiones præterlabens, in Cinerethũ lacum se fundit: ex quo elapsus, recepto cursu postremò uelut inuitus Asphaltitem dirum natura petit, & ab eo absorptus aquas laudatas perdit, pestilentibus mixtus.

Et ad ultimũ salsissimo claudentur mari.] Vnde cœperat in describenda terra, eodem redit.

Hæc sunt nomina uirorũ.] Descripta terra mõstrantur nomina eorum quos fas sit diuidere Israelitis Chananæam. In diuisione igitur terræ hæc proponuntur ad considerandum. primò, qui eam antè incoluerint, & quo iure. secundò, eius purgatio. tertiò, situs et descriptio. quartò, quæ eius diuidẽdæ ratio per sortem. quintò, expẽdendæ personæ quibus diuidenda mandatur. sextò, ij per quos diuidatur. postremò, usus quem teneat descripta et diuisa terra, qui triplex tutus est. unus in cõseruatione coniunctionis & transquillitatis ciuilis cernitur, quam ut comoda rerũ diuisio tuetur, ita confusio facilè labefactarit. alter, qui paulo suprà expositus est, ut ex tot tribubus una aliqua esset loco & terra insignis, quæ extructi templi gloria & oraculis ueroq; cultu Dei uigeret, et ex qua sospitatoris mundi salutaris doctrina terrarum orbem impleret, templo et Hierosolymæ muris ad fines usq; terræ extentis. tertius, ut certus locus foret sciagraphiæ, qua quomodo superna hæreditas in cœlis designata per suos singulos tribuum Israelitarum in cœlis scriptorum principes uiros, qui sunt Apostoli, sub regali sacerdote Christo sanctis diuidatur, figura quadam & apta adumbratione significaretur, ut nos qui in finem seculorum incidimus, Mosem legentes, earum rerum admoneremur, quas diuinæ sapientiæ placuit Mosaico uelo contegere. De qua adumbratione in Epistola ad Hebræos copiosè Apostolus admonet.

IN CAPVT XXXV.

VT dent Leuitis.) Leuitarũ hic cura ut suprà cæterorum Israelitarum agitur, & cum Leuitis percussorum salus cõiungitur. Hic igitur primò dispersionis Leuitarum in reliquas tribus ratio perpendenda fuerit: deinde cur cũ cæteris Israelitis suæ cuiq; hæreditas assignata sit, nulla Leuitis cedatio: tiò cur cum Leuitis coniungatur percussorum cura, quotq; genera sint homicidiorum, ut quidam percussores seruentur in profugij oppidis, quidam non seruentur: & cur qui seruantur, non prius liberi dimittãtur, quàm summus antistes sacro oleo unctus obierit. De singulis ordine in ipso textu.

De possessionibus suis.) Israelitas suã patrimonia per patrumfamiliãs distributa possidere legitur hic, non item Leuitas, quorũ Dominus hæreditas sit, dum aluntur ex rebus illi consecratis ut sunt decimæ, frugumq; & animantiũ primitiæ. idq; factum ut extaret admonitio, qua Leuitæ noui fœderis monerentur unam suam partem & patrimonium diuinitatem esse, non ullas in mundo opes. de quo patrimonio uates, Dominus est pars hæreditatis meæ: et Apostolus, Vestra conuersatio in cœlis.

Ad in habitandum.) non ad imperandum, & ex eis redditus accipiendos. Redditus enim & imperium Israelitarum erat, usus habitandi Leuitarum, sic Hebron Calebo quã possideret, habitandi ius Leuitis cessit. dispersi igitur per Israelitarum tribus Leuitæ sedes suas tenuerunt. cuius dispersionis causa in Genesi à patriarcha Iacobo explicatur his uerbis: Maledictus furor eorum quia pertinax & indignatio, quia dura. diuidam eos in Iacobeos, & dispergam eos in Israelitas. Nam Leui Sichimitas cæde & strage miserè confecerat cum Simeone, & diuenditi Iosephi in Aegyptum autor præcipuus fuerat. At qua est bonitate Deus, usus is est hac dispersione per occasionem noxæ ad amplificandã gloriam suam, & ad Israelitarũ salutẽ & ad dignitatẽ Leuiticæ gentis. Hac siquidẽ dissipatione Leuitarũ factũ est, ut oraculorum et legis claritas in cũctis cæteris tribub. splẽdesceret. Leuitæ enim tabernaculo & tẽpli curæ dedicati in lege & cognitione oraculorũ uersabantur, in quorum tractatione & Dei honos & salus Iacobeorũ & Leuiticæ familiæ dignitas sacerdotalis agebatur. De qua dignitate in hũc modũ Malachias: Pactũ meũ fuit cũ eo uitæ & pacis, & dedi ei timorem, & metuit me:

Lex ueritatis fuit in ore eius. Labia enim sacerdotis, custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius. Licet igitur hic excurrere ad constituendum locum cõmunem, reuocata finita quæstione ad infinitam, de usu peccati & mulctæ irrogatæ in peccatum, quomodo per pœnam occasione peccati inflictã tum dignitatem suam tum ecclesiæ & eorũ qui deliquerunt, salutem expediat Deus. Exemplũ in Leuitis, in Dauide, Petro, & alijs cernitur. Itaq; Leuiticũ genus non deuouetur ac maledicitur in Genesi propter crudelitatẽ, quã in cædendis Sichimitis exercuit: sed eius furor. personæ à maledictione absunt propter fœderis fidẽ, noxa damnatur. Contrà in impijs res habet. De Cain enim legimus: Nunc ergo maledictus eris super terram. Et de serpente noxæ autore: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia.

Et suburbana eorum.] Oppida Leuitarũ in pecorum & iumentorũ usum, certæ magnitudinis pomerijs iubet cingi. Seliguntur autem millenarius & quaternarius sacrati dimensioni numeri propter stabilitatẽ. Millenarius enim cubus est supremi denarij, & quaternarius radix denarij. Nam quaternarij partes unum, duo, tria, cum ipso quaternario cõiunctæ, denarium perfectũ illum numerum & numerorũ summam continentem cõficiunt. Atq; eodẽ mysterio Leuitarũ qui Deo sacrati sunt urbiũ pomeria quaternario cardinum mundi describuntur, singulis lateribus duo millia cubitorum complexis, in medio quadratorum pomeriorũ oppidis tanquam centro positis. Interiora igitur urbium Leuitæ inhabitant: extimum spaciũ, hoc est suburbana & pomeria pecora, ad imitationem descriptionis tabernaculi, quod quoq; quatuor latera habet, atrio tanq̃ pomerio circundatũ intima diuinitate occupante & sacerdotib. atrium reliquo populo calcante. Vetustas igitur hic Geometriæ & architecturæ, eiusq; usus commendatur.

Sex erunt in fugitiuorum auxilium.] Oppida perfugij quo percussores perfugiant, diuina cura ex ijs quæ Leuitarum sunt, assignantur. Vnde primò addi scimus antiquitatem asylorum, quorũ alij primum inuentorem Herculem faciunt. At hic Mosi mandatũ à Deo qui asyla constituat leginus, qui Hercule longè antiquior fuit. deinde usum eorum quem monstrat diuinus spiritus, perpendimus, qui bipartitus cernitur. unus ciuilis erat, alter mysticus. ciuilis usus in eo spectabatur, quòd ad asyla confugientes incolumes conseruabantur, qui non studio homicidium, sed casu & imprudenter aut per uim impulsi cõmisissent. qui usus communis etiam cæteris gentib. fuit. Sic Romulus ad imitationem Athenienstium asylum autore Liuio aperuit, quo quisquis confugeret ab omni noxa tutus foret. De quo usu poeta:

Romulus ut saxo lucum circundedit alto,
Quilibet huc, inquit confuge, tutus eris.
Item alius:
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum
Rettulit.

Meminit & Herodotus asyli ad Canopicum Nili ostium Herculi consecrati. fuit item Strabone autore, Assyrijs asylũ in eadem Aegypto, & in Syria Apollinis. Philostratus mentionẽ facit statuæ Tiberij Cæsaris in asyli usum erectæ, καὶ ἄσυλος ἦν ἀνθρώπος τῆς τυβρεως. Hinc libertatis & ueniæ ius quod quis apud aras consequitur, ἀσυλία dicitur: & ἄσυλοι, homines à ui tuti. Quæ uox trãslata est in sacrosanctos, quos sine piaculo non licet prehendere, quales erant tribuni plebis apud Romanos. Alter asylorũ usus, sacer est, qui cernitur in adumbratione rerũ sacrarũ, de quo mox. Atq; is usus proprius erat Mosaicorum asylorum, ignoratus profanis gentibus.

Qui fuderit sanguinem.) Non deorum alienorum cultorib. nõ nominis diuini uiolatorib. non latronibus, non adulteris, asyla aperiuntur à Mose: sed homicidis, q̃ homicidia sæpe per imprudentiam non antegressa deliberatione committuntur, reliqua scelera prudẽter ac consultò designãtur. Nemo enim nõ studio adulter est, idolorũ cultor, latro, magus. Supra in Exodo cap. 21. quæ de asylis constituẽdis promittuntur, hic præstantur: At qui non fuerit per insidias machinatus necem, constituam locum quò confugiat.

Alia quadragintaduo oppida.) Qui numerus cõstat ex septem senarijs. Quam sacri autem sint numeri senarius & septenarius, satis notum.

Quadraginta octo.) Numero hoc conflato ex octo senarijs, utriusq; numeri octonarij & senarij celebritate manifesta.

Ab his qui plus habent.] Seruata geometricaratione, non arithmetica quoq; pro modo occupatæ à se possessionis Leuitis de suis oppidis tributuros, sed interdum fit ut pro diuina æquitate non numerã, sed animum eius qui munus tribuit, ponderante, plus dedisse existimetur, qui minus dedit: & qui plus, minus. Exẽplo est paupercula illa uidua de qua apud Lucã.

Qui nolentes sanguinem fuderint.) per imprudentiã, quod est שגגה. Dei igitur æquitas discrimẽ inter delicta obseruat, non summum in plectendo ius persequens: sed legem de necandis homicidijs moderans, perpensis rerum & personarũ attributis ac circumstantijs, dum non uerba legis suæ, sed sententia: non factum, sed uoluntatem percussoris, errore ne an consultò alterum interemerit, cõsiderat. Quæ ponderare, æquitatis est officium: quam cum Deus ipse seruet, iudicibus orbis terrarum quoq; suo exemplo excercendam commendat.

Cognatus occisi.) גאל uindex, qualis ferè est propinquus. Oppida perfugij ad perpetratæ cædis uindices effugiendos assignantur, ne homicida priusquam sistatur iudicio, indicta caussa interficiatur.

Tres erant trans Iordanem.) In tribu Rubenij, Gadina & dimidia Manassenstiũ, q̃ oppida in asyla à Mose tributa in Deuteronomio leginus: quorũ hæc sunt nomina: Bazar in deserto, Ramotha in Galadoni Gadinæ familiæ, et Gelana in Basana Manassensis tribus. Similiter apud Iosuam.

Et tres in terra Chanaan.) Quorum hæc nomina sunt, Siphem in monte Ephraim, Cades in monte Naphthali,

Naphthali, et Hebron in Iudæa. De commodo horum oppidorũ situ ad declinandũ iudicẽ, uideris in Deuteronomio. Senarius notus numerus seligitur. Tot tribus duæ & dimidia cis Iordanem asyli oppida tenẽt, quot reliqua trans Iordanem.

Tam filijs Israel quàm aduenis.) Legitur hic Israelitis & aduenis ciuitate Israelitarum donatis ius asylorũ concedi non promiscuè omnib. deinde Leuitarum oppida, sed inter Israelitas sparsa, & ab eis Leuitis tradita, percussorib. in perfugiũ patère. Qua ex re primò cognoscere licet, quæ sit sacerdotij dignitas, cuius unius præsidio decurr salutẽ suam aduersum omnẽ uim tueri, qui nõ malitia ac iniquitate deliquerint: secundò hanc dignitatẽ sacerdotalẽ nullum locum tenere nisi inter Israelitas: tertiò genres Israelitarũ familiaritate et cõsuetudine fretos eo lẽ asylorũ iure uti. Submoto uelo mystico occurrit sacerdotium tutelare eius de quo Ioã. Ne peccetis, et si qs peccauerit, aduocatũ habemus apud patrẽ Iesum Christũ iustũ. ad cuius sacerdotiũ tanq̃ ad asylũ profugiẽtes ab omni ultoris iniuria tuti redduntur, tam Israelitæ naturalis oliua, quàm gentes oleaster. deinde addiscitur uerum sacerdotium & liberationem in sanctorum ecclesia cerni, non extra.

Si quis ferro percusserit.] Explicãtur duo genera homicidarũ: unũ eorũ q studio alterũ & hostili animo occiderint: alterũ eorũ q casu & per imprudẽtiã. De priore primùm, in quo instrumenta quibus homines interficiuntur, enumerantur, ferrũ, saxum, lignũ: Nam ex instrumentis quietis causis solẽt in statu coniecturæ alt argumenta de homicidio facto & eius qualitate peti.

Statim ut apprehenderit.] Post sententiã à iudice latã. Indicta enim causa ut fas nõ sit percussorẽ in asylo uersanẽ interficere, paulo suprà expositũ.

Si per odium quis hominem.) Talis homicida fuit Cain, tales homicidæ pharisæi & pontifices, talis bestia illa bicornis & qui eam adorant principes orbis terrarũ, & talis pater homicidarum satan sæuus princeps mundi qui homicida ab initio fuit. Vt id testatur Adamus, Abel, & Christus ipse ab origine mundi ab illo odio & proposito interfectus.

Quod si fortuitu.) Alterũ genus, ut si quis in syluam lignandi gratia cum altero profectus, securim ad secandam arborẽ admoliatur, & ferrũ de capulo elapsum in alterum inciderit, eumq; interemerit, homicidium casu quod Hebræus בִּבְחִרִי, id est repentè factum dicit, cõmissum uocatur: quod quia præcurrit omnem cogitationẽ, culpa caret, quæ omnis in deliberatione cõsistit. Est item homicidiũ quod quamuis repente, id est fortuitu & omnino per ignorationẽ non sit factũ, crimine tamen uacat, quod nocendi uoluntate designatũ nõ sit. Vt si ægrotum medicina confecerit, quam medicus sanãdi gratia adhibuit, crimine liberat medicum diligentia & animus lædẽdi studio carens. Hoc exemplum ad ἁμαρτήματα, prius ad ἀτυχήματα, cædes uerò de industria facta lædendi uoluntate inter ἀδικήματα numeratur. Legẽ de necandis homicidis, ut interpretetur æquitas personarũ & rerum arbitratrix & sententiæ legislatoris interpres, satis notũ. Hæc in puniendis peccatis ἀκριβοδίκαιον, id est summũ legis scriptæ ius minimè ponderat ac obseruat. Rectè igit̃ æqtas modò ἐπανόρθωμα, id est correctio legis scriptæ, modò ἔλλειμμα. i. defectio, interdum δίκαιον παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον, quod quæ lex non cõplectitur, cum generalis sit summatim de toto genere dicens, æquitas quæ καθόλικα id est singula negocia quæ infinita incertaq; sunt, expẽdit, farciat. Quæ enim à legislatore præscribi, prouideriq; nequeunt, iudicis legũ interpretis æquitate explẽtur, qui ex æquo bono corrigit quæ lege expressa non sunt: nemo enim legislator omnia quæ in humana uita negocia contingunt, lege cõprehenderit, æquitas autẽ iudicis omnia ponderãs cõprehenderit. quæ nihil aliud est q̃ uera animi ratio, qua leges & omnia scripta singulaq; facta & dicta circumstãtijs rerum & personarũ inuoluta ad usum decori & honesti examinãtur, dũ nõ lex, ut diximus, sed legislator: non uerba callide, sed sententia: non facimus, sed consiliũ errorè ne an cõsultè quicq̃ cõmissum sit: nec præterea pars, sed totũ: nõ quis nũc, sed quis semper aut ferè semper fuerit, spectatur. Sed cum huiusmodi incerta sint, quæ hoc modo æquitas perpendit, præclarè hæc κόρινθος canon τῆς κορίνθου appellata est & plumbeæ normæ cõparata. Vt enim structuræ mutata forma & figura, simul mutatur nec manet regula: sic rebus ac negocijs matatis, decreta ac iudicia præcunte æquitate uariantur. Exẽplo est q alterũ casu interemerit, ad quem capite plectendum non adhibetur lex scripta de homicidis puniendis lata, sed legis interpres æquitas.

Et hoc audiente populo.) Vt tractandus sit homicida qui casu homicidiũ commiserit, primò hunc sistendũ iudicio, deinde absoluũ noxa reuocãdũ in oppidũ asyli fuit: demũ non prius liberũ dimittendũ q̃ obtierit põtifex. De singulis ordine עדה conciliũ est iudicum, quod in eo loco ubi homicidium designatum erat, cogebatur, quo melius causa examinatis testibus cognosceretur.

Manebitq; ibi.) partim ad ciuilem tranquillitatẽ tuendã, quæ facile turbatur percussore inter iudices ac propinquos necati uel famæ, partim propter mysticam quæ iam exponetur, rationem.

Donec sacerdos magnus.) Submota umbra, cuius pontificis sacrum oleum ueræ libertatis ius concedat, declarat propheta: Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me, ut denunciarem captiuis libertatem. & Apostolus: Vbi spiritus, ibi libertas. Et de eiusdẽ pontificis salutari morte idem uates: Attritus est proter scelera nostra.

Si interfector extra fines urbium.) Dicas, si ius est uindici sanguinis occidere percussorẽ, quid ergo faciemus legi, Ne occidito? item, Qui? quis hominem occiderit, ipse quoq; occidatur? Ius accipitur quo uindici per magistratum & legem ipsam, non priuata libidine homicidam interimere fas fuit.

Homici-

Homicida sub testi bus mor ietur.) A' ouctho micida non temerè sumendum supplicium, sed ex ore ut minimum duorum testium: neq; unum in re capitali fas esse testimoniũ dicere quod est תענה respondendi uerbo pro testificandi usurpato, ut uertit etiam paraphrastes יסחיר Atq; is politicus usus testiũ est, qui admonet neminem indicta causa & non convictũ uel argumentis, uel testiũ indicio capitali pœna plectendũ esse. Quam legem non minus seuerè etiã Dominus ipse obseruat in iudicando. Etenim sic damnauit serpentem convictum criminis tum Euæ tum suo ipsius testimonio, qui à Domino in ius uocatus pro se nihil ad defendendã causam suam afferre potuit. Sic Cainũ exitio devouit, homicidio Abelis fratris terræ clamore confirmato. Sic perijt Pharao cum magis suis cõfessus Mosem se iustiorem, & Deum Israelitarum fortiorem dijs Aegyptiorum. similiter omnes Euãgelij hostes Euangelij testimonio & sua ipsorum conscientia iurato teste reuicti condemnabuntur. De quo testimonio Dominus apud Ioannẽ: Sermo meus quem locutus sum, iudicabit eum in extremo die. Atq; his nullum neq; asylum, neq; precium redẽptorium, neq; pontificis mors proderit: ut contrà ijs eadem illa prosunt qui non ex odio Dei & hostili in ueritatem animo, sed imbecillitate & infirmitate carnis delinquũt, aliam legem in corpore mortali, aliam in mente reluctantem legi carnis sentientes. Hi ueniam beneficio asyli sacerdotalis, & obitus pontificis impetrant, illi nõ impetrant. De utroq; crimine Dominus: Quicunq; dixerit uerbum aduersus filium hominis, remittetur illi: qui autem dixerit aduersus spiritum sanctum, nõ remittetur, neq; in præsenti seculo, neq; in futuro. Itaq; hic non accipietis precium ab eo qui reus est, et in Exodo: Is uel ab ara mea ad necem abstrahatur.

Non accipietis precium.) Sicut nec ulla uictima huiusmodi delictum expiatur. qua de re suprà in Leuitico. Est autem כפר non quoduis precium, sed precium quo uel captiui, uel seruituti addicti redimuntur, & in libertatem uindicantur. Vnde cõcluditur, non aliter effusum sanguinem expiari, quàm si eius qui sanguinem effudit, sanguis fundatur. Hæc Dauid intelligens homicidij sibi conscius, dixit Deum uictimis non oblectari. nullamq; esse hostiam cuius sanguine crimen homicidij expiaretur, quàm eius de quo illud: Scelera nostra ipse tulit. Ex his efficitur, cũ capitalia delicta Mosaicis uictimis purgata non sint, expectandam fuisse uictimam, cuius sanguine omnia scelera expiarentur. Hæc uictima Messias noster benedictus est.

Et ipse morietur.) iudicum sententia damnatus per legem, qua, ut in Exodo patet, docemur eum necandum, qui alterius necem machinatus sit. Quæ lex statim à diluuio edita, à Mose repetita est, & in literas relata. de qua uideris in Genesi.

Exules & profugi.) Neq; ab ijs qui in asyli oppidũ confugerint, ante mortẽ pontificis preciũ accipiẽdum, quo libertatis ius recuperent. Depositio uelo occurrit illud: Empti estis precio, mortis pontificis Christi precio, quo uno uerè libertatis ius redimitur. de quo pontifex ipse: Si filius uos liberos fecerit, uerè liberi estis.

Nec polluatis terram.) meis oraculis & innocentiæ sacratam, è qua innocens sanguis fusus dicitur clamare ad Deum in cœlũ: ut de Abelis sanguine legimus in Genesi: Ecce uox sanguinis Abel fratris tui clamat ad me de terra.

Nec aliter expiari potest.) Duplex igitur est expiatio terræ: altera ciuilis, altera cœlestis. ciuilis fit cum impiorum, qui iustorum sanguinem fuderunt pœna odium, sanguis funditur, supplicio de eis sumpto: qui cum plectuntur capite, grata Deo uictima, ut eos uocant prophetæ, redduntur, diuinam iram placantes. Cœlestis autem unigenæ sanguine omnia tum in cœlis, tum in terra lustrante conficitur.

Atq; ita circundabitur.) Heb. Ne ergo terram quam incoletis, impiatote, in qua ego inhabitabo. Concludit argumentationem ab æquo & honesto ductam. Nam hæc terra clara tẽplo & sacerdotio diuinitatẽ meã præsentẽ habet, quæ uita oblectatur, mortem refugit, qui ipse fons sim perennis uitæ, mortis expers. Hinc Dominus Deus uiuentium, non mortuorũ. Quare in Genesi cur capitale sit alterũ occidere, hæc ratio affertur: Ad imaginem quippe Dei factus est homo: quæ in uita retinetur, morte amittitur.

Ego enim Dominus inter Israelitas habito.) A' præsentia diuinitatis ab & eo consortio de quo illud: Vos estis consortes diuinæ naturæ.

IN CAPVT XXXVI.

Accesserunt autem.] Consultatio proponitur de filiab. Salphadi, an ne eis liceat in aliam tribum nubere.

Quas si alterius tribus homines.] Hæc incommodorũ ratio nititur dignitate uirilis sexus, à quo genus ducitur, non à fœmina, ita eodem illo hæreditatem adiri.

Vt cum Iubileus.) etiam cum is erit non redituram hæreditatem ad pristinos domunos, contrà quàm Dominus statuit, qui legem sanxit de seruis in libertatem sub Iubilæum asserendis, & de uendita hæreditate pristinis dominis restituenda. Testimonio iuris diuini se muniunt. Cæterùm de Iubilæo cur sic appellatus sit, quæ eius institutio, ratio, & usus, ea de re in Leuitico.

Respondit Moses.) non ex sua sententia, sed diuina. Sequitur enim: Præcipiente Domino. Alia igitur ratio Mosæ legislatoris, alia aliorum fuit. Hi iure naturali freti, leges suas de rebus ciuilibus posuerunt: ille oraculis et diuinis responsis de cœlo allatis usus, populo suo leges sanxit: quamuis reperti sint qui ad imitationem Mosæ ex colloquio deorũ suorũ, leges quas promulgabãt, se hausisse præ se ferrent. Vt de Lycurgo, Minoe, Numa Pompilio aliàs meminimus.

Hæc lex super filiabus Salphadi.] Primò finitã quæstionem explicat.

Omne semiuiri.] Hebræus hæc non habet, sed ita: Dum quisq; in suæ tribus hæreditate hærebit, non futurum

futurum ut transferatur Itraelitarum hæreditas de tribu in tribum. Non enim extat lex qua cauetur ne uiri de aliena tribu ducant uxores, & ne filiæ nisi hæredes sint relictæ in alienã tribũ nubant. Ideo sequitur reuocata finita quæstione ad infinitã, cõstitutio legis uniuersum genus cõtinens. Si exemplũ requiris, occurret Iosaba filia Iorami regis Iudææ, soror Ochoziæ quæ in Leuiticam tribum Ioadæ pontifici nupsit quarto Regum undecimo.

Et cunctæ fœminæ.) Heb. Atq; omnis filia hæres instituta: non de quauis loquitur, sed de filia quæ adijt hæreditatẽ paternã, nullis maribus relictis. Sed dicat aliquis, si ex aliena tribu maribus fas est ducere uxorem, & ex eo matrimonio relicta sit hæres in quam tribum hæc nubet, maternám ne an paternam? in paternam sanè. à patre enim liberi trahunt genus, & gentilitatem. & mater quoq; iure matrimonij in mariti familiam & tribum transit, suam amittit.

FINIS.

MARTINI BORRHAI IN DEVTERONOMIVM COMMENTARIVS.

IN CAPVT I.

HAEC sunt uerba.] Mosæ ad Israelitas oratio quæ hoc libro exponitur, has res præcipuè cõplectitur: primò res cum Idumæis, Moabitis, Amorræis, eorumq; regib. Seone & Og gesta commemorat, ut eorum exemplis Israelitarum animi ad legibus à se explanandis obtemperandum excitentur, & sub Iosua duce parentes Deo Chananæam maioribus ipsorũ promissam fortiter occupent. Deinde ad hunc hortãdi usum leges quæ antea ad Sinam montem promulgatæ fuerant, repetit atq; explanat. Vnde is liber à Græcis Δευτερονόμιον, & ab Hebræis משנה, id est retexta ac repetita lex appellatur. Demum de futuro Israelitarũ statu tum aduerso tum prospero, quem eorum res posteris temporibus sint habituræ, & de Christi regno oracula exponit. de quibus suo loco admonebimus. Repenta autem legis explicatio est in Moabitico campo, quòd posteri eorũ qui in solitudine Asabum ob rebellionem extincti fuerunt, legem ad Sinam montem editam, cognitam nõ tenerent, ut quorum multi nondũ, cum illa traderetur, nati fuissent. Itaq; ut per legis denuò expositæ notitiã ad promissam hæreditatem occupandam uia præmuniretur, retexere illius doctrinam usum est Mosæ legislatori à Deo ad id muneris destinato. Legis enim studium in fœderis de obtinenda hæreditate conditionibus, ut continetur, declarant ea quorũ infrà Moses his uerbis meminit: Et nunc Israelitæ audite præcepta & iura quæ ego doceo, ut facientes ea uiuatis, et possideatis terrã quã Dominus Deus patrũ uestrorũ daturus est uobis. At uerò cum tripartitum ipsarũ legum quas Moses sanxit genus sit: unũ ciuilium & forensiũ, quæ in fori & ciuiæ popularib. iudicijs uertantur: alterũ earũ quæ in sacris tabernaculi & sacerdotij ceremonijs cernuntur: tertium Decalogi leges, quas natura ipsa docet, & in quas omnes gentes consentiunt, complectitur: singula quidem genera delibat Moses, sed in Decalogo explicando præcipuè occupatur, omnẽ etiã usum quæ partim in declaranda Dei uoluntate, partim in reprehendẽdis & condẽnandis criminosis ostenditur, explicans. Nam alicubi propriã legis naturam enodãs, indicat quæ Israelitis expetenda sint, quæq; fugienda, Deum uidelicet colendũ fide & amore, parentes uenerandos, alterũ ut te diligendũ, et neminem iniuria afficiendũ: alicubi reprehendit, aeriterq; redarguit neglectæ legis, denuncians mala quæ sontib. sint euentura. In qua parte responsa & oracula quæ ultimam huius libri partẽ continent cõprehenduntur. Quorũ quædã res aduersas quib. ob rebellionem & à legis fœdere defectionem Israelitæ sint inuoluendi, quædã res prosperas quæ sint eis ob susceptã scelerũ pœnitentiã affulsuræ, prædicũt, indicatis tẽporib. quib. ad cardines usq; cœli dispersa Hebræa gens sit cum Deo maiorũ suorum reditura in gratiam beneficio sanguinis Meßiæ, quẽ sub finem mundi sint cognituri, & fide recepturi gratulabundè acclamantes: Benedictus qui uenit in nomine Domini. Hunc reconciliationis arbitrũ Christũ Iesum oracula Mosaica ostendunt, per quem fœdere circuncisionis carnalis, mutato fœdere circuncisionis animorũ, omnia sacro spiritu in isto populo sint renouanda, regnũ, sacerdotium, templum, sacrificia. Quapropter quanta ex lectione Deuteronomij, siue legis tractationem, quæ pœdagogiam ad Christum continet, siue de Christi perfectoris Mosaicæ legis regno oracula spectes, utilitas capiatur, ex ijs quæ breuiter perstricta sunt, & in diuini legislatoris tractatione ostendentur, cognoscere licebit. Hæc indicant quantus propheta fuerit Moses. neq; tamen ueri simile est, omnia literis prodita esse quæ sanctus is uates ex ore Dei ad rubũ flammeum & Sinam montẽ didicit. Nam sapientiæ diuinæ arcana huiusmodi sunt, quæ nõ quibusuis, neq; ubiuis, neq; quouis tempore aperire fas sit. Itaq; ueteres oracula quædam legis mandata literis, quædam ore tradita esse dixerunt. hæc תורה בכתב, illa תורה בפה עלפה uocarunt. Quæ doctrina cum quasi manus à maioribus acciperetur, קבלה etiam nominata est.

Cis Iordanem.) Exordiũ quod topographiæ et chronographiæ atq; cõmendationis tum autoris tum rerum quæ docentur locos continet. Nam quo loco, quoq; tempore & quo autore hæc oratio habita sit,

hic exponitur. primò igitur hic notatur locus. Non in terra Chananæa, sed cis Iordanem in Moabitico campo explanatam legem. In promissa enim terra legem promulgari conueniebat. de qua propheta: De Sion exibit lex, & uerbum Domini de Hierusalē. Lex inquam Euangelij, quæ non Mosem, sed Christum latorem habet.

In solitudine campestri.) Interpretes distinguūt בערבה מול סוף in hunc modum: Verba hæc tum in solitudine Arabū, tum in planitie Moabitarū facta. Nam in solitudine ad Sinam montem lex primò promulgata, & in eo deserto quod inter Sinā & Cades Barneam iacet. lex deinde in itinere quo proximè ad terrā Cananæā proficiscebantur, explicata & inculcata. denuò post cōfecta peregrinationis quadraginta annorum spacia repetita est. Post profectionē aūt à Cades Barnea, ad quam altero ab exitu ex Aegypto anno uenerunt, oraculorū disciplina unà cum gloria rerum gestarū, quæ quidem literis proditæ sint, ut latuerit, suprà in Numeris est explicatum. Itaq; quo tempore & loco legis tum promulgatæ tam celebris explicatio facta sit, hic Moses ostendere uoluit. Hanc interpretationem confirmat paraphrasis Hierosolymitana his uerbis: Nunquid in deserto in montem Sina tradita, & in campo Moabitico explanata est uobis lex?

Contra mare rubrum.) Vt è regione maris rubri desertum Sinæ positum sit, ex geographia notum.

Inter Pharan & Thophel.) Numerat loca quæ inter Horebū & Sinam et Cades Barneam sita sint. In qua narratione alia nomina quàm quæ in Numeris commemorata sunt, usurpantur.

Vndecim dierum.) Notatur tum iter quod ab Horebo ad Cades Barneam conficitur, tum tempus ut uolunt, quo lex ad Sinam tradita ingressuris iam in Cananæam accuratius exposita & inculcata fuit. Nam ex Cades Barnea proximus in promißam terram aditus patuit: in quam quo minus ingrederentur, rebellio in causa fuit.

Per uiam montis Seir.] Inter Sinā & Seirē medium locum tenente Cades Barnea, ultra quam Orientem uersus Seir positus uicinus mari salso.

Quadragesimo anno.) Notatio temporis. Antea quanto quadragesimi anni mense Aaron in Hore monte mortuus fuerat.

Omnia quæ præceperat illi Dominus.) nihil de sua sententia statuens, sed omnia ex responsis Dei. Confirmatur autoritas & oratoris & ipsius orationis. Reuocata hypothesi ad thesim, locus communis efficitur: in ecclesia sanctorum præter uerbum Dei nihil afferri debere, quæ ad discendā salutis rationē & eam conseruandam pertineant.

Qui mansit in Astaroth.] Locus gigantibus olim nobilis, quos, ut in Genesi legimus, deleuit Amraphel rex Sinnear, ex quorū reliquijs Oggum regem Basanis superfuisse uolunt. de quo infrà in hæc uerba Moses: Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Astaroth altißimi Amorræorū mon tes sunt, sic, ut uidetur, ab ouium grege appellati, quæ in hac lingua עשתרות uocantur.

Dominus Deus noster locutus est.) Narratione exponit res gestas memorabiles, quæ continent exempla tum iræ tum beneuolētiæ, quibus Israelitarum animos ad auscultandum legi, & fidendum Deo præparat.

In Horeb.) Sed quo tempore id in Numeris ostenditur: Anno secūdo, mense secundo, uicesima die mensis eleuata est nubes de tabernaculo fœderis: profectiq; sunt filij Israel per turmas suas de deserto Sinai. Anno uidelicet secundo ab exitu ex Aegypto, promulgata iam lege, constituta rep. extructo tabernaculo, institutoq; sacerdotio cum sacris suis.

Reuertimini.) Quò reuersi sunt? In Aegyptū ne an ad mare rubrū? Si ita est cur igitur sequitur: Et uenite ad montem Amorræorum. Non est igitur reuerti in Hebræo: sed עברו, id est uertite facie. quod faciunt abeuntes ac recedentes. Recedite.

In montem Amorræorum.] Mons accipitur ut in illo, Mons Ephraim, Mons Iuda, pro terra montosa frequentata suis incolis.

Contra meridiē.) Vbi Idumæi habitabant, Amalechitæ, & Madianitæ.

Et iuxta littus maris.) Notatur occidentalis terminus.

Et Libani.) Terminū septentrionalis.

Vsq; ad Euphratem.) Terminū orientalem: sed ad quem non prius pertigerint quàm regnare Salomon cœpit.

En ego tradidi.) Liberali beneuolentia, nullo uestro merito.

Vobis.) non cæteris gentibus.

Terram.) præ omnibus inclytā futuram à omnigenere munerum & terrestrium & cœlestium, & maximè filio meo unigena in ea nascēdo, & ex ea Euangelium salutare in omnes fines orbis sparsuro.

Super quā iurauit.) Quod iuramentū cum is fallere nō posset, ei fidere ut ueraci, nō diffidere ut mendaci debebatis. Certā spē possidendæ terræ facturus, promissionē iuramento cōfirmauit, ut in Genesi legitur: Per me metipsum iurauī. Sed remoto uelo, quàm certū sit non carne, sed spiritu Israelitas cœlestē hæreditatem possessuros, declarat non sanguis naccæ, sed filij unigenæ: non circumcisum præputium carnis, sed cæmi: non iuramentum de hæreditate terrestri, sed cœlesti, spiritu sancto nō ullo ex creaturis signo obsignata. de quo ad Ephesios: Obsignati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrabo hæreditatis nostræ.

Possidere eam.) iure hæreditario, expulsis Amorræis iniustis possessoribus. Sic cœli & terræ munera sanctis olim cedent, quibus iam per fraudem & uim impiorum spoliantur, ut uates canit: Iusti possidebunt terram. idq; per iudicē qui de se dicit: Mihi data est potestas cœli & terræ. Metuant igitur sib. tyranni orbis terrarum. Non seruatur hic ordo rerum gestarum. Nam prius quæ hic commemorantur gesta sunt, quàm Moses mandauit à Sina monte recedendum. de

quo

quo uideris in Exodo. Repetit autem rationem deligendi magistratus ad montem Horebum traditam, priusquã explicaret legem, ut ostendat quantum interfit reip. probum habere magistratum: & nisi sapiens sit, leges nihil ualere, qui sit ἔμψυχος, id est animata lex.

Non possum solus.] Quod Iethronis fuit consilium, à quo his uerbis, Cur solus sedes? Mosem reprehensum legimus in Exodo.

Et estis hodie sicut stellæ cœli.] impleta promissione de qua in Genesi: Suspice cœlũ, & numera stellas, si potes: sic erit soboles tua. Redditur ratio difficilis imperij à numeroso populo.

Negocia.) Locus de plena molestiæ magistratuũ uita. Nominantur enim hic negocia, onera, lites: litibus onus imponentib. onere molestiã & laborẽ afferentibus. Et augebatur Mosæ labor: quòd in hostili terra inter feras Arabũ gẽtes in solitudine uasta & horribili populus natura rebellis & contumax regendus esset.

Date ex uobis uiros.] delectos suffragijs uestris. Quæ deligendi magistratus ratio retinet inter eos qui parent, et inter eos qui præsunt concordiam, & tyrannidis ne suboriatur metu remp. liberat. Sapiens & diuinus legislator nouit ciuitatis uinculum esse iuris et æquitatis memoriã, quam prudentes senatores ad retinendã ciuiũ beneuolentiã conseruarent: perpenditq; conuentũ ferorũ & immaniũ, fugitiuorum & latronũ in unũ locum congregatam multitudinem ciuitatem non esse: item ciuitatis nomen nõ tueri, in qua leges nihil ualent, iudicia iacent, probitas profligatur, improbitas in precio est. Quod solet fieri in uitiosis imperijs, in quibus desunt rectores quales hic à Mose describuntur.

Sapientes.) rerum humanarũ & diuinarum notitiã habentes. Virtutis in magistratu reip. Mosaicæ deligendo habetur ratio, cui suffragia congruunt, ut sors libertati apta populari rectioni conuenit. Cæterum sapientia quã hic cõmendat Moses, proborũ est, non improborũ. Nã suprà in Exodo qui hic sapientes & prudentes uocantur. sortes, timẽtes Dei & ueraces dicuntur: ut etiã in reliqua scriptura sacra sapientia cõmendatur, quæ cum timore, hoc est uneratione Dei coniuncta sit. Sic enim Salomon: Principium sapientiæ, timor Domini.

Et gnaros.] גבונים id est prudentes, rerũ bene gerendarũ scientia præditi. Hæc in suis rebus domesticã, in publicis ciuilis prudẽti appellatur. Inuenias sapientes homines diuinas & humanas res callẽtes, sed qui ad res gerendas non perinde apti sint. Vtrosq; igitur Moses & sapientes & prudentes in moderanda rep. requirit. Sapientes quidem, qui & religionis & rerum ciuiliũ sint gnari: prudentes uerò, qui res quarũ habent cognitionem apte quamq; suo loco & tempore administrent. Quæ enim sapientia in toto genere sapit, prudentia in singulis persequitur personarum & rerum arbitratrix.

Quorum conuersatio sit probata,] וידעים, id est celebres, qui in præclara uirtutis sint existimatione. Hæc sunt arma quib. iudices & senatores suos instruit Moses, sapientia, prudentia, & clarũ à probitate nomen. Quib. armis si rectores rerump. induti sunt, ciuitatis status incolumis seruatur: sin exutis, labefactatur. Quod enim sol est in cœlo, oculus in corpore, mens in animo, id in rep. sapiẽs & prudẽs magistratus fuerit. Deus cæterorũ animantiũ unũquodque suis instruxit armis. Tauros armauit cornib. leones unguibus, apros dentib. elephantos promuscide, gallos calcare, apes aculeis. solũ hominem inermem generatũ, ratione & intelligentia, qua & se & alios regeret, cõmuniit. Hic delectos legimus nõ diuites, q ferè iniuriosi sunt: nõ nobiles, quos generis claritas insolentes reddit: sed sapiẽtes ac cordatos. Vbi Moses nec paucorũ dominatũ, qui opũ curam habet: nec omnino populare rectionẽ, quæ libertati studet: sed temperatũ genus reip. in tribus distributæ commendat. In quo cuiq; bono & sapienti uiro ad capessendã remp. pateat aditus. Qui existimet hoc unum debere esse propositũ omnibus, ut eadẽ sit utilitas uniuscuiusq; & uniuersorũ: quã si quis ad se rapiat, dissolui sentiat hominũ inter ipsos consociationem. Itaq; optandũ precãdumq; est, ut hi qui præsunt reip. legiũ similes sint, quæ tum in præmijs, tum pœnis nõ affectibus, sed æquitate ducuntur.

Vt constituam eos uobis principes.] Vsus præstantis uirtutis, par esse eos imperare, qui sapientia alijs antecellunt. Hinc Græcos barbaris, quibus prudentia præstarent, iurè imperitasse uolũt, ut alicubi tragicus:

βαρβάρων δ' Ἕλληνας εἷνὸς ἄρχειν·

Nam ad remp. plurima uenuunt commoda, si moderatrix omnium rerum præstò est sapientia. Hinc ad ipsos qui eam adepti sunt, potentia, honor, dignitas confluit. ut Salomõ exemplo est. cæteros omitto.

Et quod iustũ est iudicate.) Functio magistratus probi ostenditur, curare ut suum quisq; obtineat, nemo per uim suis fraudetur, boni seruentur, mali puniantur. Nam, ut rectè ille dixit, qui malis parcit, probis nocet. Quod non est causas iustè & ex æquo bono iudicare.

Neq; cuiusquã accipietis personã.) potentib. ppter opes, pauperib. ob tenuitatẽ, amicis per amorẽ, prætermisso iure, indulgẽtes. Hinc apud ueteres iusticiæ aspectus uehementior, & oculi acriores tributi sunt. atq; sapientes uiri imperium non penes homines, sed legẽ esse uoluerunt: quod qui hominis animi perturbationib. obnoxij arbitrio remp. cõmittũt, beluæ uideantur cõmittere: qui uerò legi affectibus liberæ, Deo. ideo sequitur.

Quia Dei iudicium est.) qui personarũ rationem nullã habet. Locus de præstantia functionis magistratus ciuilis, diuinã rem esse administrationẽ rerump. si ritè geratur. à qua argumentũ ductũ de probitate iudicum. Hinc in sacris literis iudices terræ אלהים: & apud gentiles uates, reges διοτρεφεῖς dicti. Diuinũ enim munus est, posthabito amore, metu,

ſpe,ambitione,auaricia,de cauſa ex iuſticia et æquitate cognoſcere.Quod probi magiſtratus eſt officiũ: contrà improbi,contraria facere.Quos his uerbis tangat propheta,Principes tui infideles,ſocij furũ, omnes diligũt munera,pupillos nõ iudicant,& cauſa uiduæ nõ admittitur ab illis. Cæterùm quod eſt apud Latinos perſona,id Hebr.eſt פנים id eſt uultus,quòd in uultu qualitas hominũ ferè appareat. & תכירו פנים, id eſt agnoſcere uultũ, pro habere rationem perſonarum.

Per eremũ horribilem.) Pharanem. Videris in Numeris.In hac ſolitudine ſtatim,ut reliquerunt Horebũ,quàm graui tentatione iã acceptis legib.de contemptu Mannæ, & cupiditate carniũ afflictati ſint,ſuperiore libro expoſitum.Vnde liquet maximaquæq; & præſtantiſſima Dei munera grauiſſimas tentationes conſequi.inſpiciantur præter ſuperiora hæc noſtra ſecula.

Sicut præceperat Dominus.)Suprà:Venite ad montem Amorræorum.

In Cades Barnæ.) uicinam Geraris & Iudææ. Sic enim legitur in Geneſi cap. 20. Profectus inde Abraham in terram auſtralem,habitauit inter Cades & Sur,& peregrinatus eſt in Geraris.

Aſcende &poſside eum.)Dicas,Cur iubet inuadere terram,& eam occupare quam ſciret nondum occupandam eſſe,quæ nimirum non prius occupanda erat, quàm impleta menſura improbitatis Amorræorum,& peragrata Arabum ſolitudo ab Iſraelitis fuiſſet? Hoc præceptum ex eorum numero eſt quætentandæ probandæq; fidei gratia dantur,quale fuit Abrahami de immolando Iſaaco præceptum.

Mittamus uiros.) Diffidentium hæc poſtolatio erat Deo.Cuius numen præſens hactenus in mari,in deſerto,& in omnibus periculis ſenſerant, iam hæſitantes de eius præſidio, mittendos qui explorent Chananæam petũt.Dicas,Si diffidentis populi hæc petitio fuit,cur igitur in Numeris traditur Dei iuſſu miſſos exploratores, Mitte uiros qui explorent terram?Hoc mandatum indulgentis Dei infirmitati populi ſui erat. Obijcias,Sed cur cum noſſet id noxium fore ſuis, non potius per Moſem ne mitterentur, curauit? Diuinæ hic erga Iſraelitas prouidentiæ agitur myſterium. Deus interdum quæ incommoda ad tempus ſuis fore prænoſcit,permittit accidere,ut quæ omnino & maximè ſalutaria ſunt, erga ipſos declaret. Statuerat certam hæreditatem Iſraelitis aſſignare, ſed quam non expediret ſine longis in ſolitudine erroribus obtinere. his igitur ut locus eſſet incredulitati,per exploratores occaſionem præberi permiſit,peccato afflictionem,hac ſpem,ſpe ſalutem indubitatam expediente. Petitio igitur exploratorum quæ uitioſa in Iſraelitis fuit, eius præſtatio in Deo laudem & bonitatis & iuſticiæ habuit: bonitatis quidem, quã hac ratione erga ſuos oſtenderet:iuſticiæ uerò, quam aduerſus Amorræos exhiberet, iam ipſorum iniquitatis menſura expleta. Reſtè igitur uates: Vniuerſæ uiæ tuæ miſericordia & ueritas.

Qui conſiderent terram.)bona,an mala ſit:macro ſolo,an pingui:munita, an immunita. תתור non eſt leuiter metuere,ſed metu frangi.Et מחפרר non eſt obiter ſcrutari, ſed intima et penitiora rimari. à fodiendo tropo ſumpto.

Cum mihi ſermo placuiſſet.] ut probatus à Domino,qui dixit:Mitte.

Vſq; ad uallem Botri.) Torrens ab uuarum palmite ſic appellatus, qui à duobus palo impoſitus in Numeris portatus legitur.

Sumentes de fructibus eius.] malogranatis,ficubus,uuarum termite.

Atq; dixerunt.)Calebus & Ioſua.De cæteris enim exploratoribus legitur in Numeris: Detraxerunt terræ.

Odit nos Dominus.]Grauis tentatio,cuius hoc ſeculo crebrò occurrunt exempla.

Idcirco eduxit nos de terra Aegypti.) Oblitii tot ſignorum in Aegypto, in mari,in ſolitudine editorum, libertatis reſtitutæ beneficium pro odio habentis Dei opere interpretãtur.Tantum malum incredulitas,quæ uetera diuinæ opis beneficia animo excutit, & in noua ſpem intendere non ſinit: contrà fides habet quæ erga Dei munera grata eſt, & longè maiora in poſterum in rebus etiam calamitoſis ab eo ſpe præſumit.

Vt traderet nos in manũ Amorræi.)Immensa res ſunt promiſſionis de Amorræis excindendis.

Quò aſcendemus.) Vox hæc declarat remota figura, diuinæ, non naturalis facultatis eſſe, cælos petere, atque relicto mundo ea quæ ſurſum ſunt petere.

Nunciũ terruerunt.] In ipſos exploratores fractum metu animum reijciunt. Talibus nunciis rectum aduerſarij plenum eſt. Dum enim alijs in regnum aduerſarij plenum eſt. Dum enim alijs in regnum quàm in filij fide parandæ ſaluis uim collocant, omnia incredulitate implent. Orandus igitur eſt Dominus,ut fidos legatos nobis ſeruet,& infidos ac falſos non immittat.

Maxima multitudo eſt.) Narrantur quæ populum à fide inuadendæ terræ deterruerunt: Gens magna & potens,urbes munitæ,Enaquini de gigantum genere. Contrà fides comparata eſt,quæ diuinam potentiam omnibus etiam potentiſſimis in mundo opponit dicens: Si Deus nobiſcũ,quis cõtra nos?

Et ad cœlum uſq; munitæ.)ὑπερβολικῶς.Incredulitas quæ hoſtium ſunt, omnia auget in maius: quæ Dei, imminuit. Atq; hæc ſumma iniuſticia eſt, qua creaturæ quæ eius non ſunt tribuuntur: & Deo quæ Dei ſunt adimuntur:cõtrà fides compoſita eſt: quæ Dei ſunt adimuntur:cõtrà fides compoſita eſt.

Filios Enachim.)Enaquinos de ſtirpe gigantũ. De quib.uideris in Numeris.Portẽtoſa olim corporũ magnitudine homines uixiſſe hiſtorijs etiã gentilium proditũ eſt.Meminit Plinius in Creta terræ motu ꝓpto mõte inuentũ olim eſſe corpus ſtans 46.cubitorũ,quod alij Orionis,alij Oti fuiſſe arbitrantur.Or-

reſtis

restis ité corpus oraculi iussù refossum septem cubitorũ fuisse notatũ literarũ monumẽtis. Ante diluuiũ gigantum maximam uim uiguisse, in Geneſi legitur: neq; id mirandum fuerit. Nam ut uita longior & integrior corporum ualetudo tum fuit, ita etiã proceriorẽ ſtaturam fuisse ueriſimile eſt. Quod beneficiũ terræ nondũ iam corruptæ debebatur, quæ à diluuio eius aquis perniciosis omnia uastantibus deterior ut reddita eſt, ita etiam annorum uitæ ſpatium decurtatum, et corporum magnitudo imminuta. Quod Græcus uates alicubi conqueritur, monẽs priſca corpora maiora fuisse quàm ſequentiũ ſeculorũ. Perterrefactos gigantum mentione Iſraelitas hic legimus, ut quibus par feritas & immanitas corporum magnitudini, ut ex Geneſi cognoſcimus, fuerit. Vnde idem Græcus uates bellũ etiam Deo indictum à gigantibus meminit:

οἱ μὲν γὰρ ἀθανάτοισιν ἀπηλείτλιον ὁλόμπῳ.
φιλοφροσύνῃ δ' ἅμα πολλὰ πολέμοιο.

Notantur in gigantibus tyranni orbis terrarũ, qui cum Nabuchodonoſore audent dicere: In cœlũ aſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum. Noti ſunt hodie tales gigantes à ueris Iſraelitis nõ armis humanis, non robore militum, ſed ſpiritu oris Dei perdendi, gigantes inquam cum Deo pugnantes, de quibus Apoſtolus: Filius perditus qui eſt aduerſarius, qui effertur aduerſus omnem qui dicitur Deus.

Et dixi uobis, Nolite metuere.) Auget rebellionis ſcelus qui cohortanti ad præclaram ſpem uincendi hoſtis, & diuinam opem pollicenti non obtemperarint.

Dominus Deus.] cum uoluntate facultatem uos defendendi coniunctam habens. Reſpondet illi: Gens hæc maior & potentior nobis eſt.

Sicut fecit in Aegypto.] Confirmat exemplis hortationem.

Et in ſolitudine.) mannam cœleſtem pluens, et aquas ex petra eliciens.

Vt ſolet homo portare filium ſuum.) Quẽ odiſſe nequit. Occurrit illi: Odit nos Dominus. Vt affecti parentes in liberos ſint, norunt qui liberos habent: non norunt, his carentes. Ad intelligendũ quàm arctè amet cœleſtis pater filios ſuos, in regeneratione ut partem habeas, oportet. Huc referendum illud Domini noſtri: Si uos cum ſitis mali, &c.

Et ne ſic quidem credidiſtis.] ut Deo daretis gloriam potentiæ & ueritatis, quam una illi fides tribuit, infidelitas adimit.

Qui præceſſerit uos in uia.) Commemorat reliqua beneficia ad grauandum pertinaciæ maiorũ crimen.

Per ignem.) noctu tenebras luce ſua illuminantem.

Et die per nubem.) diurnum æſtum temperantẽ. In quo igne ſancto illuſtrante & ſuos ad claritatem diuinæ naturæ illuminante, & in qua nube uariæ crucis ac afflictionis æſtum mitigante Ecclesiæ electorum Dñs præeat, ijs qui cœleſti cognitionis filij luce & nube rorem & aquas doctrinæ ſalutaris continente reguntur, notum eſt. De quo igni & nube per alluſionem ad Moſaicum ignem & nubem uates Ieſaias: Et creabit Dominus ſuper omnem locum montis Zion, & in omni cœtu eius nubem interdiu, & ſplendorem ignis flammantis noctu.

Iratus iurauit.) Exponitur mulctæ in incredulitatem irrogatæ exemplum, ad dehortandũ à ſimili rebellionis noxa aptum. Hoc quod hic legitur, Iurauit Dominus, uates uſurpauit in Pſalmo: Quib. iurau in ira mea.

Non uidebit quiſpiam.) uiginti aut amplius annos natus.

Præter Calebum.) Qui quem adumbret cum Ioſua, declarat illud: Nemo aſcendit in cœlum, niſi is qui deſcendit filius hominis qui eſt in cœlo.

Ipſe enim uidebit eam.) Synecdochicõs de Hebronis terra, quæ, ut in Ioſua legimus, Calebo & natis eius ceſſit.

Quam calcauit.) דרך calcandi pro peragrandi uerbo.

Quia ſecutus eſt Dominum.] Ratio potiundi terra à plena obedientia et officio fidei. De Chriſto uero illo in cœleſtem hæreditatẽ duce apud Apoſtolum: Humilem præbuit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem. In Chriſto duplex ſtatus cernitur: crucis, & gloriæ. alter in Calebo ex deformi Lia nato, alter in Ioſua ex formoſa Rachele genito repræſentatur.

Cum mihi quoq; iratus propter uos.) mihi & Aaroni cauſam dantes, quo minus nos quoque ad aquas iurgij fidem Deo haberemus. Vt legimus in Numeris: Quia non credidiſtis.

Nec ingredieris illuc.) Submota figura legimus apud Apoſtolum: Nam ſi ex lege eſt hæreditas, non iam eſt ex promiſſione.

Sed Ioſue.] Qua quem & facto & nomine repræſentet, ſatis notum. Tametſi Ioſuæ nomen appellatiuum Chriſti יהושוה proprium ſit. Sunt tamen qui ישוע nomen Meſſiæ eſſe uolunt.

Paruuli ueſtri.] ne promiſſio irrita reddatur. figura paruulorum deponenda. Aequitatis diuinæ exemplum, qui culpæ expertes pueros pœna qua ſceleratos afficit, non inuoluit. Stat enim illud: Filius non portat iniquitatem patris.

Peccauimus Domino.] non ex fide, ſed præſentis cladis metu nata pœnitentia quæ irrita fuit, ut ſequitur: Contra Dominum.

Aſcendemus & pugnabimus.) Vanus conatus erat, quem non regeret uerbum Dei, ut mox docebitur, ſed cogitatio humana cum Dei uerbo pugnans. Iſraelitas qui imitentur, ſatis manifeſtũ.

Non enim ſum uobiſcũ.) Locus monet, in uno præſidio diuino uictoriã poſitã eſſe, nõ in conatu, uiribus, armis humanis, uoluntate & arbitrio noſtro.

Itaq; egressus Amorræus.) *Qui tandem uincendus erat, primò uicit, ut superbus victor impleta iusticiæ suæ mensura mox intereat. Sic omnibus seculis electi Dei primò infestati tandem liberantur, impijs intereuntibus. Exẽplo Aegyptij, Amorræi, Assyrij, Græci, sub Antiocho. Romani post uastatam sub Tito Vespasiano Hierosolymã. Ex quorum translati imperij clade altera bestia, quæ prioris uulnus sanaret, nata est, quæ in sanctos altissimi hodie sæuit, quo ipsa tandem miserè pereat, filijs Dei liberatis ad amplificandam gloriam seruatoris sui Messiæ.*

Sicut solẽt apes persequi.) *Simile, quo infestus hostium animus notatur. Apes enim aluearijs suis appropinquãtes aculeis petunt: nec prius persequi desinunt, quàm illos infixerunt. Sic hostes Israelitarum sunt.*

Non audiuit uos.] *obstante iureiurando, de quo suprà & ineluctabili sententia de uobis quadraginta annorum spacio in solitudine delendis lata. Itaq; suum tempus & deserendi & liberandi electos est in decretorum Dei diario scriptũ, quod reuocare nemo possit.*

Multo tempore.] *Quanto autem, non constat. Interpretes XIX annis uixisse illos dicunt, quot in reliquis statiuis postea uixerunt. atq; id esse uolunt, quod legitur in textu* בימים אשר ישבתם.

IN CAPVT II.

PRofectiq; inde uenimus in solitudinẽ.) *In hac quæ statiua usq; ad Asiõ Gaber facta sint, uideris in Numeris. Exemplum æquæ talionis diuini iudicij quo in squalidam solitudinem per ignauiã suam reiecti sunt, qui terram abundantem rerũ omnium copia occupare fortiter recusassent. Accommodato hoc exemplum ad præsentia tempora, in quibus qui per metum hostium carnis, mundi, satanæ, antichristi fortiter supernã hæreditatẽ petere nolunt, cũ Israelitis ut in horribilem solitudinem in qua bestia nota sanctis uersatur, abijciantur par est.*

Quæ ducit ad mare rubrum.] *Sinum Elaniticũ uersus ad orientem si Aegyptus spectetur, deuergentẽ: sin terra Chananæa, ad austrũ declinãtẽ.*

Sicut mihi dixerat Dominus.) *Notatio sancti populi, cuius omnia facta, itinera, afflictio, casus, resurrectio, Dei uerbo gubernantur. Secus habent profanarum gentium historiæ.*

Et circumiuimus montem Seir.) *Qui uicinus Iudææ introrsus in solitudinem Arabum longissimè recedit, & hunc ne transirent, prohibiti fuerunt. Nobilis limes quo Iudæa ab Arabia Petræa dirimitur.*

Longo tempore.) *annorum triginta octo: eo spacio & ad interitum rebellium in deserto, et maliciæ Amorræorum adimplendæ concesso. Sed nemo putet eandem sortem pereuntium in deserto Israelitarum & Amorræorum exitium destinatorum fuisse. Nam in his omnia displicuere Deo, & personæ & facta: in illis peccata Deo displicuerũt, personæ placuerunt propter fœdus cum patribus initum. Nec minus mors horum in deserto notam rerum sacrarum prætulit, quàm uita in posteris ac conseruatio. De qua nota aliàs.*

Sufficit uobis circumire ad montem istum.] *Vt uenerunt ad Asion Gaberem portum maris rubri, ad quod iussi fuerunt retrocedere aquilonem uersus: sed inflexo paululum ad orientem itinere redire cœperunt.*

Transite per terminos.) *extremos: aut loca ui cina notantur. Nam ut Idumæi transitum Israelitis negarint per suos fines, in Numeris proditum est.*

Fratrum uestrorum.) *Qui ab Esao progeniti essent fratre Iacobi. Fratris nomine propinqui ac consanguinei continentur.*

Et timebunt uos.) *quos terror antea quoque perculerat statim ut audissent rumorem de liberatis ex Aegypto Israelitis, ut legimus in Exodo. Tunc conturbati sunt principes Edom. Robustos Moab obtinuit tremor. Quanto maior pauor corripuit eos, ut uiderunt appropinquare finibus suis Israelitas? Quos etiam oracularis illa sententia Dei in Esaum lata perterrefacere potuit: Maior seruiet minori.*

Quia in possessionem Esau.) *De quo in hæc uerba in Genesi: Habitauitq; Esau in monte Seir. Sed quem non tanquam dominus, sed ut seruus obtineret, uelut legitur in eodem Geneseos libro: Viuesq; in gladio, & fratri tuo seruies: quod accidit tempore Dauidis.*

Cibos emetis ab eis pecunia.) *De pecuniæ rerũ cõmutandarũ ac contrahendarũ gratia inuenta, antiquitate, et de duplici parandarum opum arte, una quæ natura, altera quæ arte & instituto humano constat, deq; huius bipartito liberali & illiberali genere aliàs. Pecuniæ in contrahendis rebus usus hic commendatur in Israelitis, & in beneficione diuina numeratur, ut sequitur. Itaque discimus ex hac narratione omnia, quæ cœlo & terris continentur usq; ad minima, diuina ratione gubernari.*

Aquam emptam hauriretis.) *cuius penuria in deserto esset.*

In omni opere manuum tuarum.] *Periphrasis factorum & rerum gerendarum.*

Nouit iter tuum.) *curæ habuit, præiens tibi noctu in igne, & interdiu in nube. Noti sunt Domino quos amat, & cura sua clementer fouet: ignoti autem quos negligit. Psalm. Nouit Dominus uiam iustorum. item, Amen dico uobis, nescio uos. Agnoscere igitur est prouidentiæ diuinæ erga sanctos uerbum, quod sola fide capitur, incredulitate amittitur. Sentire enim omnia sua consilia, facta, opera, res aduersas & secundas à Domino amauerit regi, & hunc nobis intimè adesse, nos fouere & curæ habere: hoc inquam sentire & experiri, est fidei opus: contraria sentire, diffidentiæ.*

Et

Et nihil tibi defuit.] *nutrito manna cœlesti, & potato aqua ex petra expressa.*

In solitudine.) *Ab iniquo loco diuinum beneficiũ quod in rebus aduersis maximè apparet, amplificat.*

De Helath.] *Elana regni Idumæi ciuitas ad mare rubrum, & ad Asion Gaberẽ clarissimum portum simus Elanitici sita. In Regum libris proditum Elanã sæpe amissam & receptam à Iudæis. Nam Azarias rex eam instauratam, Iudæis restituit, quam paulo post Rasin rex Syriæ expugnatam, eiectis Iudæis, reddidit Idumæis.*

Et uenimus.) *In* רגבך *notatur conuersos ipsos, ab austro uidelicet aquilonem uersus.*

In solitudinẽ Moab.) *Moabitis quoq; in Arabia sitis, quæ ab Abrahami familia & cognatis possessa fuit, ut Ismaelitis, Amalechitis, Madianitis, Moabitis, & Ammonitis.*

Quia filijs Lot.) *fratris Abrahami filij, ex quo Ammonitæ & Moabitæ prognati leguntur in Genesi.*

Tradidi Ar.) *metropolim regni Moabitici, ut Rabba Ammonitarum & Petra Idumæorum regia fuit, quæ Arabiæ Petræ nomen dedit.*

Emim primi.) *Excursiuncula, qua ut aliæ quoq; gẽtes ab alijs ditione sua pulsæ sint propter scelera, narratur, ut Emim à Moabitis, Zamzummim ab Ammonitis, Horæi ab Idumæis Describitq; gigantes ab alijs aliter appellatos. Nam Moabitæ suos Emim à terrore quem incuterent, uocarunt. Quã notã etiam Latinus uates Polyphemum suum notauit:*

Monstrum horrendum, informe, ingens.

Cananæi uerò suos gigantes Enaquinos, Idumæi Zanzummim, incolæ Seir montis Horæos uocarunt. Generali autem uerbo ab Hebræis gigantes רפאים *dicuntur, quòd uel seruatores populi haberi uellent: uel per* ἀντίφρασιν *ita dicti, qui populum perderent, ut qui populos per uim opprimerent, aut intuentibus animos concidere facerent. Vt de his etiam meminit Græcus uates:*

ἡμῖν δ' οὐτε λοετροχόος φίλον ὕπνος
ἀλλ' ὀδύνῃσιν φθόγγος τε βοὴ θ', αὐτόν τε πέλωρον.

Vt de Enachim stirpe.) quos ex terra Hebronis deletos à Caleb o legimus apud Iosuam.

Horæi.] *De horum genere uideris in Genesi, quos sic à claritate uel generis, uel rerum gestarum dictos putant. Nam* חורים *in Hebræa lingua principes uocantur, tropo mutuato à candore.*

Quibus expulsis.) *Vt impleretur illud in Genesi: Viues in gladio.*

Torrentem Zared.] *ad montes Abarim, de quibus suprà in Numeris. Redit ad narrationem.*

Triginta octo annorum.) *Si ab exitu ex Aegypto numeres, quadraginta anni erunt. Nã altero anno à Sina profecti ad Cades Barneam uenerunt.*

Hominum bellatorum.) *Qui ab ætate utidonea militiæ, uiginti annorum censebantur.*

Quia filijs Lot.) *cuius ex minore natu filia Ammon natus fuit, à quo Ammonitæ propagati.*

Non enim dabo uobis de terra filiorũ Ammõ.) *Quos tamen Israelitæ posteris annis uarijs prælijs afflixerunt sub Saulo, Dauide, & Iosaphato, ut in Regum libris legitur.*

Zomim.) זומים *à flagitijs qui legum & iuris iugo excusso, latrocinijs & rapinis infames essent, sic appellati. Vt de suo gigante meminit Græcus uates:*

ὅτε δίνας ὃν ἐλίσσετ', ἐδῄ θέρισσεν.

Quos deleuit Dominus.) *uindex scelerum. de quo prophetat: Deus iustus iudex. Itaque Daniel: Deus mutat tempora, & ætates, transfert regna atq; constituit. Metuãt igitur sibi tyranni orbis terrarum.*

Deleui Horræos.) *In montosis locis, in quibus firmiora corpora gignuntur, leguntur gigantes habitasse. Hinc Græcus uates suos gigantes montícolas fingit*

φήρεσσιν ἐοικότες ἀνδράσιν.

Enæos quos.) *Hos Iosua in Palæstinis numerat.*

In Asarim.) חצרים *apparet item cum* חצרים *esse, quod fiat decimumquartum statiuum ucinũ Cades Barneæ, & Geraris Palæstinorum regum, qui Abimelechi appellati sunt, regiæ.*

Vsq; ad Gazam.) *Ponitur hæc quoq; ciuitas in ditione Palæstinorum à Iosua. Strabone autore, à maritimis septemis distat. clara est facinore Samsonis. de quo in libro Iudicum. Ab Alexandro Magno hæc euersa: & instaurata postea Cõstantini temporibus, Constantia appellata est, à uetere Gaza uiginti stadijs ad mare remota. Vnde recepto à Iuliano pristino nomine, Gaza maritima uocata est. Ab Hebræis* עזה *à munitione & firmitate dictam apparet. sunt qui à diuitijs ita appellatam putant, Persis ærarium Gazã uocantibus. intulerat autem in eam urbem Cambyses Persa opes & pecuniam, Aegyptũ infestans. Sed qui sic sentiunt, Hebrææ uocis antiquitatẽ nõ perpendũt.*

Cappadoces.) כפתרים *ut in Genesi legimus, ex Casluhim populis, q ex Mizraimo filio Chami et fratre Canaanis geniti sunt. Non igitur apparet Cappadoces esse qui Asiam incolunt, quos uerisimilius est à Iapheto quàm à Chamo natos. Rectius igitur Iosephus iudicat præter nomen harum gentiũ nihil sciri.*

Torrentem Arnon.) *De fluuio hoc per Arabiã decurrente inter Moabitas & Amorræos, & exonerante se in Asphaltitem lacum, in Numeris.*

Ecce tradidi in manum tuam.] *stans promisso, de quo in Genesi & Exodo. Commemorat exempla uictoriæ de Amorræis reportatæ, quibus Israelitæ & ad legis studium inuitentur, & in posterum ad fortiter cum hostibus dimicandum confirmentur. Quia igitur promissa uictoria fuit, hac potiti sunt per fidem: quæ ut in promissione hæret, ita contrà promissio fidem requirit, ad quam se referat. Sunt enim hæc in eorum numero quæ cum aliquo conferuntur. Dicas, Si fide constat Israelitis sua uictoria, cur igitur tuti sint prælium cum hoste capessere? fides cessa & iners res non est, sed uegeta uis, animo, manus, arma, contrà hostes expediens. Non igitur arma, robur, animorum præsidia, sed spes uictoriæ*

cum

cum fide pugnarit: imò tantum abest ut pugnent illa, ut etiam si fide gubernentur ad usum gloriæ diuinæ præmio suo exornentur. Vt de prælio fortiter aduersus Ammorræos gesto constat, quod Israelitis hostium terrã cõparauit. Promissio quæ hic fit, declarat potẽtem fuisse Amorræorum regem, & Israelitarum res ex diuina illa in solitudine peregrinatione & crebra hostium incursione debilitatas. Nam solet Dominus tum suam opem promittere suis, cum eorum res sunt acclsæ & hostium firmæ atque integræ, quò & illustrior sui præsidij appareat splendor, & decus clarius reddatur fidei ex tenebris lucem, & ex rebus deploratis salutem molientis. Referamus hanc consolationem ad hæc nostra tempora.

Incipere possidere.] Asyndeton in החל רש celerem ac promptum conatum indicat.

Hodie incipiam.) finitis peregrinationis quadraginta annis, & mensura improbitatis hostium expleta. De hoc terrore præmonuerat antè Dominus in Exodo: Terrorem mei præmittam. Qua in re duo cognoscimus: Vnum, non humanum opus esse, sed diuinũ, perterrefieri, metuq; percelli hostes. Hic enim legimus: Ego hodie incipiam tui terrorem incutere. Alterũ, ineluctabili decreto Dei tempora designari, quibus alteri alteris sint terrori, sed tandem impios Dei metu immisso à pijs uinci. In quo consilio uices illæ delectionis & amplificationis ignominiæ & gloriæ, quas subeat Ecclesia sanctorũ, temperantur. Non absurdè igitur uates ille Græcus duo in limine domus Dei dolia iacere fingit, ex quorum altero bona, ex altero mala depromantur:

δοιοὶ γάρ τε πίθοι λατετεύχαται ἐν δόμῳ ἄδε
δώρων, οἷοι δίδωσι λαοῖν, ἕτερος δ' ἐέων.
ᾧ μὲν λαμβάσας δώῃ Ζεὺς τερπικέραυνος,
ἄλοτε μέν τε λαῷ ὄγε λύζεται, ἄλοτε δ' ἐόλῳ.

Sub omni cœlo.) συνεκλοχικῶς sub cœlo gentium delendarum, et olim impijs quaquauersum extirpandis altero Iosua cœlesti illo Iosua Messia duce. de qua extirpatione Iesaias: Spiritu oris sui conficiet impios.

Vt audito nomine tuo.] ex tot miraculis pro te in Aegypto in mari rubro & in solitudine claro.

De solitudine Cademoth.) Nomen & solitudinis & urbis in finibus Amorræorum. Quæ urbs ut cesserit Rubenensium tribui, meminit Iosua in descriptione Cananææ.

Verbis pacificis.] Dicas, cur legatos de pace miserit ad Amorræum, cum quo bellum ex diuina sententia esset gerendum? Bellum quidem gerendum erat, sed iusta de causa: quæ in eo cernebatur quòd Amorræus æqua petentibus acquiescere noluit. De quo in ipso textu. Objicias, si omnino pereundum fuit Seoni, (legitur enim: En in manum tuam trado Seonem) cur igitur nõ statim iussit denunciari bellũ illi? cur priusquàm interiret, expectauit irreuocabilis Dei sententia in destinato ad exitium rege rebellionem? Deus ut constituit certum & sanctis & impijs finem quẽ assequantur: ita etiam certa quæ est sapientia & æquitas eius media, quibus finis comparetur disponit. In salute quidem sanctis conficienda fidem, innocentiam, bona studia ex fide manantia: in exitio autem impijs parando, perfidiam, malefacta, & omnem æquitatis contemptum firma præparamenta ac uiam ad interitum. In cuius rei consideratione indurationis animorum in impijs, & emollitionis in pijs ratio collocata est de qua mox.

Transibimus.) Optatiuum per futurum indicatiui effert. Per legatos rogauit ut liceret per fines illius facere.

Publica uia.) Quod licebat iure gentium. Petitio æqua postulantium, qui nemini daturos damnum se profiterentur.

Sicut fecerunt filij Esau.) Ab exemplo Idumæorum & Moabitarum. Dices, in Numeris legi transitum ab Idumæis negatum Israelitis. de quæstione paulo suprà.

Et Moabitæ qui morantur in Ar.) Objicias, Moabitas neq; transitum concessisse, neq; cibaria ad uictum pro pecunia uendidisse, ut infrà indicatur his uerbis: Quia noluerunt nobis occurrere cum pane & aqua in uia. Transitum quidem per medios suos fines, qua breuissimum patebat iter in Chananæam, negarunt: per extimos autem fines ut irent, non prohibuerunt: Sicut hic meminit: Tu transibis hodie fines Moab urbem nomine Ar.

Quam Dominus Deus noster.) A' diuina uoluntate. sed omnia frustrà. ut sequitur: Noluitq; rex Seon.

In Iaza.) Moabitarũ urbs cis Iordanẽ mari mortuo imminens, terminus Moabitici regni, partem reliquam cis Arnonem fluuium Amorræo gladij iure occupante. Nobilitata est hæc urbs Isaiæ uaticinio, quo Moabitarum eiulatum in Iaza remotissimo loco auditum significat: Clamat Esebon, & Eleala usque ad Iaza audita uox eorum.

Non reliquimus in eis quicquam.] Ut perficeretur tandem diuina sententia in Chanaanem, cuius filius Amorræus fuit, lata: Maledictus Chanaan. Hic legimus nihil superfuisse familiæ Amorræorum, ad unum omnes etiam impuberes, quibus alioqui hostium feritas parcere solet, interfectos.

Absq; iumentis.) Impij pereunt, eorum opibus Israelitis cedentibus, impleto illo: Etiam quod habet, auferetur ab eo.

IN CAPVT III.

EGressusq; est Og.] alter cis Iordanem Amorræorum rex. Exemplum insolẽtis audaciæ in superbo tyrãno, qui ausus sit iam deleto Seone prælium cum uictore Israele committere: sed sic est oblitum firmatorũ à Deo ingenium. Nam & ex maledictionis sententia in Chanaanem lata, & ex ipso tũ Dei tum populi diuini contemptu induratum & Ogum fuisse cognoscimus.

Ne timeas.) expertus iam uicto Seone meminis præsentiam, cui nulla potentia resistat.

Eum.] quamlibet fortem gigantem, de cuius cor-

poris

poris proceritate mox infrà. & quamlibet munitum fortium militum robore, quorum terra, gigantum terram dictam fuisse indicabit. Quantum metum sui incusserint gigantes Enaquini satis ostendunt, de quibus in Numeris fit mentio: & Goliath Palæstinus, de quo in libris Regum. Terrorem igitur gigantis Oggi noua hac promissione eximit animis Israelitarum. Cum gigantibus bellum gestum fuit Israelitis. Ecclesiæ sanctorum cum quibus & qualibus gigantibus bellum geratur, satis notum. Draco est is & bestia, cui draco uirtutem suam dat: quæ ut pugnet cum sanctis, & uincatur suo tempore, hoc est absoluto mulieris amictæ sole, & lunam sub pedibus habentis habitationis in solitudine tempore, quod est dierum mille ducentorum sexagintà tempus, id homines docti spiritu supputent.

Sicut fecisti Seoni.) Ab exemplo.

Sexaginta urbes.] Amplificatio uictoriæ ab urbium multitudine, & munitione, à copia prædæ & regis Oggi magnitudine.

Vsq; ad montem Hermon.] Trinominis is mons fuit, ut ex textu patet. A Sidonijs Syr, ab Amorræis Senir, ab Hebræis Hermon appellatus. Amplitudo regni significatur, quod ab Arnone fluuio australi ad Hermonem usque Libanorum montium ad aquilones procurrentium partem pertigerit.

De stirpe gigantum.) Videris in Genesi & suprà.

Qui est in Rabbath.) A Ptolemæo Philadelpho, ut uolunt, postea Philadelphia appellata.

Terramq; possedimus.] De ratione distributæ terræ à Seone & Oggo regibus occupatæ, uideris in Numeris.

Vsq; ad torrentem Ieboch.] fluuio hoc Ammonitas ab Amorræis separante, unde marium, fluuiorum, montium, usum cognoscere licet, quibus tanquam finibus gentes & regna distingue re diuina sapientia uoluit. ut licet uidere in mari mediterraneo, Pŏto, Propontide, sinu Arabico, Nilo, Euphrate, Tauro, alpibus, Pyreneis, Rheno, Danubio, & hic in Arnone, Iaboco, Hermone, Galaado.

Iosue quoq; tempore illo.] Ab exemplo instructa hortatio & locis potentiæ diuinæ.

Precatusq; sum tempore illo.) Cur precatus est Dominũ, qui sciret sententiam hanc semel latam: Non introducetis hanc gentem in terram quam dabo ei? Duplex genus sententiæ diuinæ est. Vnum certæ & definitæ, quam omnino Deus reuocare nolit. Vt erat sententia de perdendo ipso mundo per diluuium, de mittenda familia Abrahami in Aegyptum, de faciendo itinere quadraginta annis in deserto, & si quæ sunt huius generis. alterum genus sententiæ non definitæ est, sed minitantis Dei, quæ interdum reuocatur, ut erat sententia diuina de Niniuitis quadraginta dierum spacio euertendis, quæ non simplex & absoluta erat, sed cum hac aduunctione: Nisi resipiscant. Hoc posterius genus Moses precando spectauit, non prius. Atq; ut sic reputaret secum, inductus erat uictoriæ de Seone & Oggo partæ exemplis: sperans qui tanta fecisset diuina ope adiutus, reliqua quoque se confecturum. Qua in re hæc considerandà proponuntur. primò, sanctissimos etiam homines interdum ignorare quæ orent, ut satis indicat hæc Mosæ oratio, quæ reprehensa à Domino, docet imperitè precatum Mosem. Alterum est, nec tamen pios minus eam ob imperitiam gratos esse Deo, & eorum orationem omni fructu carere, sed pro ijs quæ orarunt, neque impetrarunt, meliora consequi. ut Moses pro terrena hæreditate cœlestem in Abarim montibus mortuus, ueram quietem pro adumbrata adeptus est. Stat enim illud Apostoli: Consimiliter autem & spiritus opitulatur infirmitatibus nostris. Siquidem hoc ipsum quod oraturi simus, ut oportet, non nouimus: uerùm ipse spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Sic hoc tempore sanctorum oratio quamuis hostis omnia ferè contrà quàm oratur, obtineat, fructu suo non carebit, nec cassa erit, sed interpellatore spiritu exitum aliquando sortietur, qui gloriosus Deo, salutaris Ecclesiæ, & exitialis hostibus sit futurus.

Domine Deus tu cepisti.) Exordium precationis à commendatione amplitudinis ac maiestatis diuinæ.

Vel in cœlo.) ubi uersantur sancti genij, tuo imperio unà cum siderum exercitu subiecti.

Vel in terra.) in qua homines & imperia terræ tibi subdita in eo qui de se fatetur: Mihi data est omnis potestas cœli & terræ.

Qui possit facere opera.] Tractat laudẽ per comparationem. Inuidet huic laudi is de quo Apostolus: Et effertur super id d'd est numẽ aut Deus.

Et montem istum egregium.) Moriam ac Sionem celebrem futurum templo tuo & regia sede.

Cacumen Phasgæ.) montium Abarim excelsum iugum. de quo in Numeris.

Et corrobora eum.] Confirmatur Iosua à promissione certi auxilij Dei, & à constantia fœderis initi de assignandis Israelitarum maioribus promissis.

Mansimusq; in ualle.) בית פעור est ipsum Phasgæ, ut ex Numeris liquet.

Contra phanum Phegor.] De hoc Phegoris templo in Numeris. Vt ab Abarim monte Nebone & Phasga iugis insigni post Amorræorum cædem profecti sunt in Moabiticũ campum, quod ultimum statiuum fuit, cæpere cum idolo Phegoris in Sethim fornicari, de quo hic obiter meminit, ut Israelitas ab idololatria dehortetur. Itaque sequitur:

IN CAPVT IIII.

ET nunc Israel.) Exhortationem ad seruandam legem parat, quæ locis commodi & honesti

neſti,diuinæq; tum beneuolentiæ tum iræ exemplis in narratione explicatis,inſtructa eſt.

Vt faciens ea uiuas.) Viuere, eſt res proſperas habere,augeri bonis. Adhibēda huc dijudicatio ſpiritualis,qua ſeparantes iuſticiā legis à iuſticia fidei,utriuſq; cauſis,re ſubiecta,ui et uſu accuratè perpenſis,utrique ſua tribuamus. Iuſticiæ legali tribuitur beneficium præſentis uitæ, terræ Chananææ poſſeſſio. Iuſticiæ uerò fidei uita æterna & ſuperna hæreditas.de qua legimus: Si quis in me crediderit,habet uitam æternam.item apoſtolus Petrus: Per hoc quòd reſurrexit Ieſus Chriſtus ex mortuis in hæreditatem immortalem & incontaminabilē atq; immarceſsibilem conſeruatam in cœlis erga nos,qui uirtute Dei cuſtodimini per fidem ad ſalutem. Neq; tam diuerſum uſum ac finem utriuſq; iuſticiæ eſſe,mirandum fuerit, cum utriuſq; non eædem, ſed diſsimiles cauſæ & res ſubiectæ cernantur. Legalis enim iuſticia in operibus & factis quæ edat,uerſatur.legis enim hic: Vt faciens ea uiuas. fidei autem iuſticia Chriſto cui te credas,quémque pro redemptore tuo habeas,nititur. De utraq; igitur Apoſtolus ad Romanos his uerbis: Moſes enim ſcribit de iuſticia quæ eſt ex lege: quòd qui fecerit ea homo,uiuet per illa. De iuſticia fidei uerò: Si credideris in corde tuo,q; Deus Chriſtum excitauit à mortuis ſaluus eris. Altera igitur iuſticia ut indicatum, ſpectat facta legis, altera Chriſtum per fidem. Si cauſas autem utriuſq; conſideres, iuſticiam legalem regit rationis iudicium,per quod præeunte naturali intelligentia,tentatur decalogus uita exprimi. Iuſticiam autem fidei,non ratio,ſed ſpiritus Dei regit, ac moderatur. Quapropter mirum non fuerit,utriq; iuſticiæ diuerſa præmia eſſe propoſita. Dicas: Si res ita habet,iuſticia igitur fidei caruerunt, quos pædagogus Moſes legis diſciplina in uetere moderatus eſt fœdere. Ad duplicem ætatem puerilem,uidelicet quæ tutori Moſæ commendatur: & adultiorem,quam ſub Euangelij publica adminiſtratione adoptionis ſpiritus regit, fidei & eius iuſticiæ modus perpendendus fuerit. Qua de re alio loco monuimus. In functionem pædagogiæ legis fides cadit, qualis puerili ætati congruit. qua ſub metu Dei legis ſtudium ſuſcipitur, cum ſpe patefaciendi Meſsiæ & hæreditatis cœleſtis adeūdæ. Hæc fides in filijs adhuc pueris Dei, quos Iſraeliticus populus habuit, uulgo ut muneri pædagogiæ Moſaicæ conueniens,uiguit. Hinc in uetere Teſtamento tam crebrò timoris Dei principij ſapientiæ, hoc eſt eius lucis quā patefaciendus Chriſtus affert ſit mētio. Quo qui imbuti erāt,iuſti,gratiq; Deo habebantur pro menſura iuſticiæ quam pueritia à tutoribus gubernata admitteb.at. Eum enim timorem non natura corrupta,ſed gratia electionis in Chriſto aperiendo,inſerebat,& ſemina excitandi ſplendoris continebat. de quo illud: Vobis timentibus nomen meum orietur ſol iuſticiæ. Et in Actis Paulus: Vos qui timetis Deum,audite item: Viri fratres filij generis Abrahamī et qui inter uos timentes Deū, uobis ſermo ſalutis huius miſſus eſt. De Cornelij de quam ſacer timoris Dei ſpiritus fouebat, & eius iuſticia pro ratione temporum probata Deo in Actis loculeſ Petri teſtimonium extat. Qui huiuſ iuſticiæ fidei modum tenebāt,benedictionis utriuſque uitæ & præſentis & futuræ participes erant. præſentis quidem,dum longiore uita, cœli & terræ muneribus fruerentur: futuræ autem, quam ſpe in patefaciendo Meſsia præſumerent. Veluti ab hac ſimilitudine oſtendit Apoſtolus: Dico autem, quand u hæres puer eſt, nihil differt à ſeruo,cum ſit dominus omnium: ſed ſub tutoribus & actoribus eſt uſque ad tempus quod pater præſcripſerit. Quapropter quam pueri ſub tutoria poteſtate legis æternam uitam & cœleſtem hæreditatem per Meſsiam aſſignandam ſpe præſumunt,eam grandiores iam natu facti,per ſpiritum adoptionis cernunt, certum eius in pectore arrabonem gerentes. utidem Apoſtolus ad Galatas docet: At ubi uenit pletudo temporis,& c. In hac plenitudine temporis plenior ille fidei auctæ ſuis uiribus modus regnat, de quo illud: Cæterùm antequam uenisſet fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem quæ erat patefacienda. Atque hæc fides communicat nobis iuſticiā,uitā,hæreditatē,gloriā Dei,quā puerilis ætas ſpe uſu pat. De qua iuſticia quæ non fœderis & grandioris ætatis iuſtitia eſt,ex Apoſtolo ſuprà teſtimonia adducta ſunt. Atq; ad hanc iuſticiam fidei Moſes pædagogus eſt, non eius diſpenſator & miniſter. Nam hoc munus Apoſtoli nouī fœderis miniſtri ſibi ſumunt,qui appellantur ſpiritus & myſteriorum Chriſti diſpenſatores. At uerò ſunt qui legem exequi ſtudent, neq; ſacri timoris, neq; adoptionis ſpiritu ducē,ſed ſola naturæ inſtrēti ſub prorſus ſeruili metu hi apud Moſem promiſſionem uitæ,ſed præſentis quoque habent, dum ſe conformantes legi ciuili atq; morali obedientiā, gladiū ultorem ſcelerum effugiunt,& cœli atq; terræ clementia pro Dei bonitate utuntur.ſed de hoc argumento aliàs. Ex his patet,non uno modo ſacras literas loqui de timore Dei. Eſt enim metus prorſus ſeruilis & degener,in quo nulla reuerentia & amor Dei ineſt,quo nimirum is metuitur ut ſeuerus iudex,non diligitur ut bonorum largitor. Talis metus eſt eorum de quibus illud: Dæmones credunt, & contremiſcunt. item: Perfecta charitas timorem eijcit. Hunc metum lex parit in ijs, qui filij regni Dei non ſunt, & eius hæredes. Qualis in Caino, Pharaone,Saulo, Iuda & horum ſimilibus cernitur. Alter timor eſt ille laudatus, quo qui prædīti ſunt, Deū propter ſuam bonitatem reuerentur,nō eum metuunt dum pueri ſunt tantū ut iudicē. Is metus primæ ſacri ſpiritus uis eſt & facultas ex electionis gratia ſcriptis in libro uitæ conceſſa, regno cœlorum uiam atque aditum præmuniens.

Vide

Vnde hæc tantã laudẽ in ſacris literis habet, electorum omnium quãcunque orbis patet, communis & eorum proprius. De quo his uerbis meminit Petrus in Actis: Nunc ſcio quòd in quauis gente qui timet Deum, gratus eſt ei. At quoniam per hunc timorem priuſquam ſpiritus adoptionis acceſſerit, legis ſeruile iugum non excutitur, ideo per eum non fit, quo minus qui eum habent, tantiſper dum ſub elementis pædagogiæ legis ſunt, quamuis filij ſint, in ſeruis numerentur, ueluti ex Apoſtolo ut ſuprà indicatum, clarè cognoſcere licet.

Non addetis ad uerbum.) Huic additur, cum cultus oraculis diuinis minimè comprehenſus fingitur. Qua improbitate ut ſeſe Iſraelitæ obſtrinxerint, Regum libri ſatis comprobant. Noſtra tempora ſub filio perdito non commemoro. In quibus noua & aſcititia religio notior fieri incipit, quàm ut eam indicare referat: & tam turpis eſt, ut ab ea etiam communis naturæ ſenſus abhorreat.

Deinde additur uerbo Dei, cum abrogata inſtituta reuocantur. Quo uitio hodie Iudæi et aduerſarius Chriſti laborant. Iudæi quidem, cum circumciſionem & alias quaſdam ceremonias tum Moſaicas tum nouas, quas de ſuo excogitant, colunt: aduerſarius uerò quum ad imitationem Moſaicarum ceremoniarum, ſacerdotium unctum, templa, aras, ſalem, aquas luſtrales, ferias, & id genus alia fingunt. Demum oraculis diuini ſpiritus adijcitur, cum ad ueras ſacrarum literarum interpretationes, quas prophetæ & Apoſtoli afferunt, de noſtræ cæcæ ad res diuinas rationis iudicio noſtras explicationes uanas adducimus. Exempla quia cognita ſunt, nihil interest in eis immorari.

Neq; auferetis ex eo.] Neq; de uerbo Dei quicquam detrahendum. Detrahunt autem primò ij de quibus Dñs apud Euangeliſtã: Et irritũ feciſtis præceptum Dei propter traditionem ueſtram. deinde qui ſacris literis errores ſuos defendunt ex animi libidine eas interpretãtes, & manifeſtæ luci tenebras inducentes. Cuiuſmodi hominum genere beſtiæ à Daniele deſcriptæ regium plenum eſt, cui à dracone datum eſt os, de quo iam citatus propheta: Et ſermones contra excelſum loquetur. & Ioannes: Cui datum eſt os loquens magna & blaſphemias.

Domini Dei ueſtri.) non hominum religionis ergô. Stat enim illud de homine: Omnis homo mendax. contrà de Deo: Omnes uiæ tuæ ueritas. Homo igitur ut fallit & fallitur, ita doctrina eius in religione conſtituenda ad quam conformentur animorum noſtrorum conſilia & facta, regula eſſe nequit. In Phyſicis, in mathematicis, & in cæteris artibus conſtituendis, quantum ratio ac intelligentia humana ualeat, ſatis cõpertũ eſt. Ad religionẽ aũt ſtatuendam, nullam uim habet, ſi opus fuerit altiore luce quæ nobis uoluntatem Dei de ratione comparandæ ſalutis manifeſtet. Hæc lux oracularis diſciplinæ de cœlo per ſacros uates ad nos delatæ, lux eſt, ad quam unam omnes ueræ religionis rationes referuntur. Quæri hic ſolet, an'ne præter ſacra oracula, quæ per ſanctos homines Dei ſpiritu afflatos edita ſunt, philoſophia etiam humana ratione excogitata, uiam aliquam atq; rationem comparandæ ueræ probitatis ſalutiſq; oſtendat atque commonſtret. In qua quæſtione quæ multum diuq; ab acutis doctiſq; hominibus agitata eſt, explicanda, in utramq; partem diſſerere uiſum eſt, tum ut res ipſa clarior reddatur, & ex ipſo conflictu ueluti ex colliſis inter ſe ſaxis lumen aliquod ueritatis illuſtrius appareat: tum ut qui de religione errores unquam extituerũt, melius intelligantur. Qui hinc nati ſunt, quod quid inter duo illa lumina, quorũ altero philoſophia, altero ſacra diſciplina utitur, intereſſet, minus diligenter accurateq; obſeruatum fuit. Qui philoſophiæ partes tuentur eius celebrandæ gratia certis rationibus nituntur, quibus comprobent ab hac ipſa quoque quomodo ſalutem aſſequamur, modum indicari. quarum una hæc eſt, ab ea diſciplina ſalutem optimumq; ſtatum monſtrari, quæ rerum diuinarum humanarumq; cognitionem beneq; uiuendi rationem teneat ac perſequatur. Talem autem philoſophiam eſſe ſapientes uiri ſemper ſtatuerunt, & in diuinis rebus religionẽ, hoc eſt opificis Dei noticiam atq; cultum contineri philoſophorum qui ſe uirtutis magiſtros ferunt, libri non obſcurè probant. Sic enim uetuſtiſſimus philoſophus Orpheus ait:

μῦνον δ' ἐξόρα κόσμοιο ἀΐδιον τυπωτὴν
εἷς δ' ἐγὶ αὐτοτελὴς ὃς ἔντονα πάντα τέτυνται.

Quam ſententiam Latinus uates ex philoſophiæ fontibus hauſtam, his uerbis confirmat:

Deum namq; ire per omnes
Terrasq;, tractusq; maris, cœlumq; profundum,
Hinc pecudes, armenta, uiros, genus omne ferarũ.

Neque uerò ſolum architectum & gubernatorem mundi Deum, ſed eius etiam τεχνικὸν λόγον, id eſt artifex uerbum, ſacrumq; ſpiritum ſuis cultoribus philoſophia olim aperuit. Nam quod ad ſermonem attinet, occurit illud Mercurij Triſmegiſti antiquiſſimum philoſophi dictũ: ὄρνιτω σε λιπὰ τῦ μονογενῦς λόγυ λιὶ πατρὸς τῦ περιέχοντος πάντα. Vbi unigenæ uerbi & patris continentis omnia meminit. Hoc uerbum ſapientiam æternam opificis uniuerſitatis huius appellarunt. Atq; couſq; cogitando progreſſi ſunt, ut ei humanam ſpeciem ac figuram, quòd nulla hac pulchrior eſſet, iungerent. Sin uerò diuinum ſpiritum ſpectemus, hunc mundi animam Platonici appellarunt. quos idem ille Latinus poeta imitatus, ſic canit:

Principiò cœlos, terram, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum lunæ, Titaniaq; aſtra,
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Inde hominũ pecudumq; genus, uitæq; uolantum.
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore põtus.
Huc usq; quidem humanæ mentis uis atq; intelligẽtia processit. Quæ sanè si philosophis ex mundo iam solerter tantaq; arte extructo Deum eiusq; uerbum atq; spiritum cuncta animantem patefacere potuit, eadem legum quoq; semina quæ de uera religione admoneant, cõ: inebit. ueluti sunt de amãdo Deo supra omnia, de diligendis hominibus, deq; reb. expetendis fugiendisq; contrarijs naturæ præcepta. Hæc apostolus Paulus à Deo animis nostris insita, his uerbis fatetur: Nam cum gentes quæ legem non habent, natura quæ legis sunt, inquit, fecerint, hæ legem non habentes sibijpsi sunt lex, quæ opus legis scriptum in mentibus suis ostendunt. Has autẽ innatas leges philosophia ipsa tractat, earũq; uim omnem atq; naturam explicat. Neq; desunt exempla eorum qui has sequuti sapientiæ & probitatis celebrem laudẽ adepti sunt. Quos enim magos, Gymnosophistas, Dryadas, Rhadamãthos, Minoas, Lycurgos, Solones, Pittacos, Biantes, Zeleucos, Charondas, Pythagoras, Numas Pompilios, uetustas celebret, literarum monumentis proditũ est. Atqui mirum uideri non debet, tam longè lateq; hoc quod philosophia colit, lumen spargi atq; diffundi. Proximè enim id ad diuinam mentem accedit, cuius nostri animi æterni radij, & tanquam perennis fontis riui, habentur. Vt in hoc aspectabili mundo Deus duo illustria luminaria, solem uidelicet & lunam, condidit, quorum alterum nocte, alterum interdiu luceret: ita eidem illi placuisse uolunt, in eo quem mens percipit mundo, alterũ hoc est animorum nostrorum de se propagare lumen, quod lunæ modo lucens ea nocte monstraret, quæ suprema & sempiterna lux Dei interdiu patefacit. His positis atq; concessis, effici uidetur, non solum sacras literas, uerumetiam philosophiam, de religione & salute uiam ostendere. Hanc siquidem animi ipsi pepererunt, quos ex diuinitate libatos atq; haustos accepimus, qui ipsius ueri & bonorũ uim intelligerent, Deum colerent, uirtutes expeterent, uitia fugerent: frustra autem sic generati essent, nisi quoq; uires eis tributas existimaremus, quibus uerũ cognoscerent, & summo aliquando bono fruerentur. Etenim ita natura comparatum esse constat, ut unaquæque res ad id cui destinata est, munus obeundum, idonea adiumenta accipiat. Sic uolucres ad uolandum, pisces ad natandum, animãtia terrestria ad progrediendum & ad sobolem procreandam, stirpes ad ferendos fructus, terra ad suscipiẽda, semina, sidera ad lucẽdũ, diuina quadam ratione uim suam adepta sunt. Porrò Deus qua est sapientia, unicuique suum finem præstituerit, & qua bonitate bonum, non malum assignarit: qua autem potentia, facultatem dederit, qua quodque id, cuius gratia conditum est, consequatur. Quanto minus humanis animis ad uerum, cuius cupiditate ducuntur, percipiendum, & ad fruendum propter quod nati sunt, bonum, potestas deerit, præsertim quòd Dei ipsius imaginem præferunt: eiusq; agnationem teneantur, ut Græcus uates Aratus, quem Paulus etiam noster in Actis citare dedignatus non est, monet: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Quæ similitudo nostrorum nobis quandam ad ueram religionem cognoscendam à Deo tributam esse indicat, qui tam præstantem ad intelligendos rerum ortus, progressus, & exitus, uim non denegasset, qua animi nostri freti, terram, maria, cœlos, & eorum incolas gemios perlustrant, mentémque ipsam diuinam omnia regentem cogitatione quadam attingunt. Accedit huc, quòd nisi noscendi Dei, & eius amandi uis nobis concessa esset, frustrà ac temerè legem de diligendo illo supra omnia accepissemus, atque incassum toties uoces hæ in sacris literis iactarentur: Si mandata mea seruaueris, bene tibi erit: sin minus, malè. Præterea nec Christi Iesu cognoscendi per lumen naturale facultatem negandam ratione præditis naturis apparet, partim quòd sacræ literæ ex Euangelio omnes illas iudicandas esse testantur. Nemo autem propter rem ullam quam ignorauerit, iudicium subiturus uidetur. At multi præter lumen naturale nullam aliam facem in animis suis lucentem sentiunt. Diabolus & dæmones Christum filium Dei uiuentis confitentur: sed qua luce præmicante? Naturalis sanè intelligentiæ luce. Nam aliã, ut suis locis indicabitur, non habent. Hæc sunt eorum qui præter sacras literas philosophiam quoq; naturali lumine utentem de religione docere & uiam ad salutẽ per uires ingenitas quas in libero arbitrio includunt, expedire dicunt, argumenta, quæ ab aliis prolixius, à nobis uerò breuiter perstricta sunt. Ab his alij qui uerè se iudicare arbitrantur, longè absentiunt. Hi præter cœlestem doctrinam sanctis hominibus patefactam, & à Christo per Apostolos postremis temporibus annunciatam, uarijsq; signis & ostentis confirmatam, nullam aliam ex qua eiusque spiritu salus petenda sit, disciplinam esse decernunt. Ad quam sententiam comprobandam duo rationum genera afferuntur: quorum alterum ex sacrarũ literarum penu, alterum ex communi naturæ iudicio depromitur. Quod ad sacras literas attinet, his ut moneamur ne ad aliã doctrinam, quæ quidem uitam & incolumitatẽ nobis afferat, consentiamus, q̃ ad eam quæ à Deo de cœlo tradita est, frequentes illæ sententiæ docẽt: Quicquid ego præcipio uobis, curatote ut id factatis: neq; quicquã uel addatis uel detrahatis. Itẽ: Docete eos omnia quæcũq; præcepi uobis, nõ quæ quis ullus alius præceperit. Et pater de filio: Hic est filius meus dilectus cui faueo, ipsũ audite, nõ philosophos, nõ sapientes huius mũdi homines qui se morũ et officiorũ doctores profitẽtur. Naturæ aũt iudiciũ sic se habet: Certũ est ut cæterarũ quæ in hac uniuersitate rerũ continentur, sui sunt præstantiæ gradus per quos ab imis

mis per media ad summum ascenditur: ita etiam lu
minum quæ in intelligentia spectantur, suos gra-
dus esse & interualla, quorum unum infimum, alte
rum medium, tertium summum locum obtineat: in
fimum quidem, ipsos sensus: medium, animos huma
nos & cœlestes genios: tertium, mentem diuinam
occupare. Deinde constat unumquodq; ab eo quod
in suo genere præstantius est ac perfectius, dum
perueniatur ad summum perfici, nullamq; rem à se
aut ab eo quod inferioris notæ sit, absolui. Sic plan
tarum perfectio in animantibus, animantium in
homine, huius in uno Deo cernitur: quem homo ita
propè attingit, ut nullum excellentius in hoc mun
do interiectum sit opus. Quare μεγάνθρωπος &
magnum miraculum à ueteribus appellatus est ho
mo, qui nimirum uniuersitatem hanc in se comple-
xus cum sturpibus uitæ, cum animantibus sensuum,
cum genijs intelligentiæ, cum Deo lucis illius æter
næ & sacri spiritus particeps sit. Vnde accidit, ut à
Mose in descriptione mundi, non angelorum, sed
hominis, quem ad imaginem suam, qui Christus est,
Deus efformarit, mentio facta sit. His sumptis, effi-
citur, neque animorum innatam lucem qua philo-
sophia uitur, neq; ex ea natas doctrinas in quibus
philosophi uersantur, huiusmodi esse quæ de uera
religione saluteq; certam uiam ostendant, uimque
quæ Deus rectè colatur exhibeant: sed id unius sa-
cræ doctrinæ, eiusq; lucis & spiritus esse opus. Nã
quamuis excellens insitum illud in animis no-
stris lumen sit, mirificam ad res & inuemendas
& iudicandas tam inuentas uim habens: tamẽ quia
summum istud in lucendo gradum non tenet, quo
nempe superior sit lux illa Dei inaccessa, fit inde u-
tam hanc lucem quæ de se dicit, Ego sum lux mun
di, qui Christus Dominus noster est, ea quæ ad ui-
tam æternã pertinent patefacere atq; suppeditare.
De qua luce lux ipsa his uerbis: Nemo nouit filium
nisi pater: neq; patrẽ quisquã nisi filius, & cuicũq;
uoluerit filius manifestare. Itaque solus filius Dei
Iesus Christus Dominus noster lux illa & æter-
na sapientia patris firmas de religione & salute
sententias aperuerit, & eas exequendi facultatem
ad reparandã innocentiam præbuerit. In huius au
tem sapientiæ & lucis professione, nullæ aliæ
quàm sacræ literæ uersantur ob arcana & absco
dita Dei consilia philosophis & huius mundi sa-
pientibus ignota patefacientes. de quibus in hunc
modum Apostolus meminit: Porrò sapientiam lo-
quimur non seculi huius, sed loquimur sapientiam
Dei in mysterio quæ est recondita. Item, iuxta pa-
tefactionem mysterij æternis temporib. taciti, nũc
uerò manifestati per scripturas propheticas. Dicit
æternis temporib. occultatũ fuisse, ac in diuinis de
cretis delituisse ueræ religionis mysteriũ, extremis
uerò seculis per oracularem Dei lucẽ, non per phi
losophiã mũdo innotuisse. Mysteria aũt quæ Apo
stolus indicat, sunt arcana illa cõsilia quæ Deus in
mente diuina de primorũ parentũ primogenia cul
pa, de promisso Messia, criminis expiatore, de op
probrio crucis, de gloriæ statu aduersas res &
calamitates huius mundi consecuturo, concepta
sunt. Quis enim philosophorum confessus est un-
quam, in ira gratiam, in morte uitam, in ignomi-
nia crucis gloriam, in inferno cœlum quærendum
esse, & peccato peccatum, execratione execra-
tionem Deum per filium suum peccatum & exe-
crationem factum, tollere uoluisse? Quis ex sapien
tibus mundi huius prælucente face rationis, docuit
unquã Deum in carne cruci affigendũ, & excita
tum è mortuis iustificandũ spiritu, & cum splendo
re maiestatis diuinæ receptum in cœlos, manife-
standum gentibus, quas euocatis ex puluere terræ
corporibus, à morte in uitam transferat? Hæc au-
tem docet lux illa Dei quæ in profundis tenebris
eius luminis quod in ratione cernitur, splendet. Si
igitur hominis ratio res diuinas non percipit, neque
etiam doctrinas quibus iusticia Dei, uita æterna
& uera beatitudo patefiũt, tradet. Hinc Petrus do
ctrinam quæ nobis salutem pariat Dei afflatu san-
ctis inspiratam dicit, quam ad nos deferrem. At di
cunt aduersarij, philosophiã instar lunæ noctu ea
commonstrare quæ interdiu sol Christus, ideo illã
quoq; de religione admonere. Hi cum ita pugnant,
argumenta quibus suam sententiam defendunt, ip
si diluunt. Fatentur enim animorum nostrorum lu
cem lunæ modo lucere, deinde noctu, nõ interdiu.
quod si ita est, philosophiæ fax lucet quidẽ, sed ita,
ut non solum innocentiam non restituat, sed etiam
uitia quæ inuenerit, augeat: atq; his auctis interi-
tum afferat, non uitam. Vt solẽt in corporibus ma
lè affectis lucente noctu luna morbi non tantũ non
reprimi sanariq;, sed magis irritari atq; inualescere.
Idq; quemadmodum non lunaris luminis uitio,
sed imbecillitate eius quæ ægritudinem ipsam mi-
nimè uincat, fieri solet: sic quòd luce animorum
naturali uitia nõ delentur, sed potius ingraueſcũt,
id illius tenuitati, non errori, quod bonum & uerũ
non falsum lumen sit, assignandum fuerit. Huc spe-
ctans Apostolus legem quãuis sanctam & iustam
peccatum cumulare, iram excitare, & perniciem
apportare dicit, ut quæ per imbecillitatem lucis na
tiuæ animorum morbos tollere nequeat. In lege au
tem præclaræ illæ sententiæ, quas philosopha de
prouidentia Dei omnia intuente & moderante,
de rectè uiuendo, de præmijs iustorum & suppli-
cijs iniustorum ediderunt, comprehenduntur: Et
idem Apostolus in epistola quam ad Romanos
scripsit fatetur à Philosophis diuinitatem ex ijs
quæ tam fabrè tantáque arte fabricata sunt, co-
gnosci, sed pro dignitate non amplificari, tantum
abest, ut ad absolutionem quandam ac perfectio-
nem naturæ, per eam notionem quæ animis in-
generata est, liceat peruenire. Quocirca falsò
laudata est philosophia, quæ animis medeatur,
uitia deleat, cupiditatibus liberet, sollicitudines de
trahat. Contraria enim euenire, philosophorũ ui

ta declarat, quos tanta leuitate fuisse constat, ut non didicisse philosophiam melius fuerit. Nam alios cupiditate pecuniæ, gloriæ nonnullos flagrasse, multos libidinum seruos fuisse, compertum habemus, ut eum eorum uita mirabiliter pugnet oratio. Itaq; rectè Spartani dixerũt, Athenienses philosophiæ et literarũ cognitione præ cæteris florẽtes, scire quæ honesta sint, facere non item. Eôdem spectans Christus Dominus noster scribas & phariſæos in Moſæ cathedra ſedere, & ex ea legem & morum diſciplinam docere, nec tamen quæ docerent, ut homines ambitione, auaritia, libidine notatos, præſtare dicit. Vnde accidit, ut philoſophi q̃ ſacrarum literarum luce carerent, tam diuerſa de bonorum finibus ſtatuerint. Quippe aliter Platonici, aliter Peripatetici, aliter Epicurei, aliter Stoici, aliter alij de his iudicarunt. Et multis iam ſeculis ut ſacra Dei oracula neglecta iacuerunt, in tot ferè ſectis regnante ſtulto paſtore hodie bene cognito, diſceſſum eſt, quot hominum genera ſunt & capita. Id autem contigit, quod inſitum illud naturæ lumen uitioſam naturam repurgare nequeat: quæ ſibi dimiſſa falſas opiniones cum ſequitur, ueras aſpernata, hos tantos errores in cõmuni uita de religione parit. Quos meritò aſſcribimus ſophiſtis, hoc eſt theologis falſis, qui ex lumine illo ex quo philoſophia nata eſt, eas res quæ ad regnum cœleſte pertinent, metiuntur: quæ altera illa luce ſplendente in facie Chriſti metiendæ erant. Hæc animaduertens Dei bonitas ad conſeruandum humanum genus ultra iſtud conſitum in animis noſtris lumen, nouum legis lumen & ſpiritum, per prophetas ſuos promittere, & ſuis temporib. exhibere uoluit, legem uidelicet non in ſaxeis, ſed mollibus animorum tabulis exaratam, quam non durus legislator Moſes, mortis, non uitæ: iræ, non gratiæ: literæ, non ſpiritus, adminiſter, promulgaret, ſed quam gratioſus Meſſias ederet.

Quæ lex uitæ eſt & ſpiritus noui, de quo apud uatem promiſsio extat: Dabo uobis ſpiritum nouum, ut præcepta mea obeatis: ſpiritum nouum ſe daturum, non ſpiritum rationis humanæ & philoſophiæ, qui ueteris Adami ſpiritus eſt, non noui & cœleſtis. De noua uerò luce legimus apud Paulum in hunc modum: Quoniam Deus eſt qui iuſſit è tenebris illuceſcere lucẽ, lucem nempe quæ non ſolũ luceat, ſed etiam eos quos illuminat, filios Dei gignat, ueterem eorum naturam aboleat, nouam diuinitatis conſortem conformet. In qua renouatione noſtri ad fulgorem diuinæ naturæ optimus ſtatus in Chriſto Domino noſtro ac perfectio ſumma, quæ philoſophos latet, conſiſtit. Quapropter uerè comparatur philoſophiæ lumen lunari lumini, hæc autem noſtra regeneratrix lux ſolari, idq; uarias ob cauſas. Primò enim ut nocturna illa lunæ fax uitali calore, quo morbos tollat, caret: ita etiam naturalis animorum noſtrorum fax ſe habet, quæ ob imbecillitatem uitia delere nequit, quo præluente nemo unquã euaſit melior, eam probitatẽ adeptus quæ Deo probaretur: multi deteriores ſunt reddi- ti, luminis debilis radios labe corruptæ naturæ ſuperante. Vt perſanctè admonet Apoſtolus his uerbis: Porrò ueniente mandato ac præceptione Dei, peccatum reuixit in me, qui carnalis ſum, uenditus ſub peccatum. Contrà compoſitus ſolaris ſplendor, qui pariter fulgendo et calendo rebus uitam affert cuncta animans & inſtaurans, qua ui ſua factificat nobis eum ſolẽ repræſentat, de quo Malachias meminit: Vobis autem orietur ſol iuſticiæ. Qui ijs qui bus illuxerit uitam dat, quam natiua animorum uis per lumen nocturnum legis dare non poteſt. Nam nota ſunt hæc Apoſtoli uerba: Etenim quod lex præſtare non poterat ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio miſſo ſub ſpecie carnis peccato ob noxiæ præſtitit, ut iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui nõ ſecundũ carnem uerſamur, ſed ſecundum ſpiritum. Qui ſpiritus neq; ſpirabilis natura aeris nobis circũfuſi, neq; ulla naturalis facultas, ſed diuinus ille Meſſiæ ſacro ſancti uigor erit. In quo ſumma perfectio poſita eſt. eas naturas perficiẽs quæ ſunt diuinitatis capaces, quales ſunt genij cœleſtes, & animi eorum quorum nomina ſcripta ſunt in cœlo. De qua ui illud: Qui ſpiritu Chriſti aguntur, hi ſunt filij Dei. ſi filij Dei, etiam diuinæ naturæ participes erunt. de quo participatu Petrus: Vos eſtis conſortes diuinæ naturæ. Deinde ſol, ut ad rem redeamus, lumen cum reliquis aſtris radiorum ſuorum appulſu obſcurat: idem facit ſol Chriſtus, ad quem mentes humanæ cũ luce ſua meræ tenebræ ſunt & caligo, ut apud Ioannem: Et lux in tenebris lucet. Quid autem hæ tenebræ ſunt aliud, quàm excellentiſſima quæq; quæ in philoſophis & ſapientibus humani mundi inueniuntur? Quo magis uæ ſanũ fuerit aliunde uerã lucem quàm ex uno Chriſto Domino noſtro & ex alia diſciplina doctrinas ſalutares petere, quàm ex ſacris literis quæ inſpiratæ diuinitus ſolum utiles nobis ad ueram ſalutem conſequendam proponuntur, cum quarũ luce comparata philoſophia, tenebrarum, nõ lucis nomen tuebitur. Accedit huc, quòd lunaris luminis corpus maculoſum eſt, ſolare macula omni caret. Quapropter ſi hæc tanquam ad fontes digitos intenderimus, corruerimus ad optimum conſtituendũ ſtatum omnia quæ perenni luce Chriſto non continentur, rationis ac mentis humanæ celeritas, atque acumen, uolumtatis ueteris hominis uis & motus, & quæ ex hoc proficiſcuntur actiones, facta, opera, quò uni Chriſto ſua conſtet gloria: quæ ei omnis pereritet, ſi ex alio quàm illo ipſo perfectio atque ſanctitas quæratur. ut indicat Apoſtolus, ubi dicit: Iuuenis uobis factus eſt Chriſtus, quicunque per legem iuſtificabimini. At in lege animorum lumen, uis, conatus, omnia ſtudia è ſpiritu Chriſti non orta

& gubernata, comprehenduntur. Quemadmodum igitur luna ipsa prout propius aut longius à sole abscesserit, fulgorem suum intendit, aut remittit, cuius tenuissimum lumen facit proximus ad solem accessus, digressus autem longissimus quisque plenissimum: ita natiua animorum nostrorum lux tanto clarius lucet, quanto à sole Christo longius abest: obscurius, quanto propius. Hinc in nostra theologia sol noster Christus de se dicit: Veni, ut qui uident, cæci fiant: & qui cæci sunt, uideant, rationis nostræ & omnis philosophiæ luce ad Christū cum appropinquat, euanescente, ut luna, is lux ad solem accedens disparet atq; hebetatur. Et enim ea claritas in iustorum regeneratione locum habet, de qua Ioannes meminit: Claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius est agnus. Vnde non sine occulta ratione interlunia tanto opere Deo sacra apud Hebræos fuerunt, ne quid esset in hoc mundo in aquis, in aere, in igni, luce, metallis, stirpibus, plantis, animantibus quod nō aliqua specie nobis regni cœlestis mysteria significaret, & nostras mentes ad rerum diuinarum cogitationem subduceret atq; attolleret. Demum lunaris lux ad noctis, solaris uerò ad diei moderationē facta est. idem ordo in animorum nostrorum innato lumine & Dei luce Christo spectatur. Nox autem quam moderatur philosophorum lumen, artium peritiam, gubernandi tum priuatas tum publicas res scientiam, legum inuentionem & tractationem, rerū utilium & noxiarum noticiā complectitur. In die autē quem sol Christus regit occulti Dei motus ac incitationes ad audiendum Euangelium, peccatorum remissio, spiritus sancti donatio, renouatio ad nouam uitam, excitatio ex mortuis, uita æterna & splendor cœlestis regni continentur. Quas res solo Christo ut maiori luminari præfulgente comparare licebit, non cuius hominis luminari, de quo Apostolus: Animalis homo non accipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitiæ siquidem illi sunt. nec potest accipere, quòd spiritualiter dijudicantur. In animali autem homine notantur, quæ maxima in tota ratione habentur, quæ eas res quæ Dei sunt, ut non percipiat quantum conueniat, idem Apostolus docet, ubi dicit: Nemo ea quæ sunt Dei, nouit, nisi spiritus Dei. Quod si ita res habet, nec oblata Euangelij gratia recipietur, nec Euangelio fides habebitur, nec etiam Deus quantum meretur, ac uelit ipse amari, amabitur, alia luce splendente in nobis quàm ea de qua Vates: In luce tua uidebimus lucem. Non dicit, in luce philosophiæ & intelligentiæ humanæ: multo minus in tenebris aduersarij ipsius Christi, quas ille pro luce uenditat, cernuntur res diuinæ. Hæ enim non solum cum sacrarum literarum luce, sed etiam cum communi sensu & iudicio pugnant. Quæ siquidem natura ferat unum aliquem hominem interra esse, uenificum, sicarium, sœneratorem, idololatram, omniq; genere libidinum infamem, qui cum ipse in infirmi libro scriptus sit, in quo pereat, ius tamen in cœlestia, in terrestria, in infira triplici corona coronatus sibi impudenter arroget, ut audeat dicere cum Babylonio, à quo repræsentatus fuit, In cœlum ascendam, & supra astra Dei collocabo sedem meam. Atqui ut differrunt inter se hæc duo lumina, ita etiam quadam ratione conueniunt. Nam utrumque res ostendendi & testificandi de uero iam habet. Ea enim quæ splendor diuinitatis indicat, etiam naturæ lumine quodam modo indicantur, ut est Dei de se amando & diligendo altero quæ legibus naturæ comprehenditur, uoluntas. nec etiam ignota omnino sunt, Dei de constituto redemptore & iudice orbis terrarum Christo consilia, ut id dæmonū confessio comprobat, ubi dicunt: Quid nobis rei tecum est, fili Dei? uenisti huc ante tempus nos uexatum? Vbi duo quæ dignitatem Christi declarant, confessi sunt: unum, quòd sit filius Dei alterum, eum iudicem omnium fore. Hanc autem testificationem illis nocturnum rationis lumen expressit, qui ad tenebras, in quibus uersantur, damnati, luce illa uera & uiuifica carent. ut quam aspernentur, & odio prosequantur. in qua contemptione & odio eorum condemnatio consistit, ut apud Ioannem legimus: Hæc est autem condemnatio, quòd lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Lux hæc Messias est, quem ut Sathan cum ministris suis hostiliter insectetur, ex sententia illa Dei in libro de Origine mundi exposita dicimus: Inter te & mulierem, interq; tuum & eius semen inimicitias conciliabo. In eo igitur hoc lumen cum luce Dei conuenerit, quod utrumq; mentem diuinam manifestat. sed quoniam alterum in manifestando uitam affert & salutem, alterum mortem & exitium, in significando similitudinem quandam tenent, in mouendo & agendo dissimilitudinem. Per alterā enim lucem impij credunt, et pereunt, sicut legimus dæmones credere, & contremiscere. Nam conscientiam format hoc lumen de crimine, quæ eas tantum abest ut liberet, ut etiam furijs agitet & œstro, ueluti de Oreste fabulæ & sacræ literæ de Caino, Saulo, Iuda testantur. nostra secula prætereo. Quare cum altera luce culpa in spiritum sacrum, hoc est pertinax cognuti Euangelij odium, cum altera eius amor conunctus est. Per alteram ueritas in improbitate, per alteram in probitate, retinetur. Cum pijper lucem fidei Deum in filio patrem suum agnoscunt, eum pro dignitate mere filiorum uenerantes, impijs per facem naturam Deum ex ijs quæ tam sapienter facta sunt, cognoscentibus, & per rebellionem ac perfidiam contempto filio dehonestantib. Hæc breuiter de utriusq; luminis diuini & naturalis à natura, ui & usu dissimilitudine

tudine adduximus ad explicandam quæstionem de ratione humana & philosophia ex illa nata, an ne etiam hæc præter sacras literas, quibus Moses hic nihil néue addendum, néue detrahendum esse præcipit, momentum aliquod ad salutem & ueram beatitudinem comparandam afferat. Eodem discrimine perpenso, de multis etiam alijs grauissimis caussis iudicare, licebit, quid nimirum inter sapientiam, iusticiam, felicitatem quam innatum rationis lumen parit: & inter sapientiam, iusticiam, uitam, beatitudinem quã fax sacri spiritus nobis comparat, intersit. Aliam enim philosophi & sapientes huius mundi homines prælucente lumine naturali, probitatem, sapientiam, felicitatem, aliam filij Dei fidei luce illustrati sectantur: Alteris porrò creatam, alteris non creatam iusticiam, sapientiã, uitam, gloriam, beatitudinem quærentibus, eam uidelicet de qua hæc ipsa ad Abrahamum: Ego ero merces tua: hoc est sapiẽtia, uita, felicitas tua. Hanc autem non tenebræ lucis naturalis nobis cõiungunt, sed splendor lucis inaccessæ rationi, splẽdor inquam eius solis de quo suprà ex uate Malachia monuimus: Orietur uobis sol iusticiæ. Qui splendor in filijs Dei lucẽs efficit, ut sentiant se sapientia Dei sapientes, iusticia Dei iustos, uita Dei q̃ creatura nõ sit uiuos reddi. Id autem ita habere, ipsa regeneratio docet, quæ non ex creata natura constat, sed ea quæ creata non sit, qualis est diuina natura. de qua illud: Sed ex Deo nati sunt. Eodem modo uulgarem illam & peruagatam quæstionem de libero arbitrio, sit ne in homine libera uoluntas, si quæ de luminibus allata est partitio, bene perpensa sit, explicare licebit. Hæc quoniam multos & graues errores in religione parit, post alios nos quoq; in ea enodanda operam aliquam ponemus, quo loci sacrarum literarum quibus aduersarij ad imminuendam gratiam diuinam, & ad amplificandas uoluntatis humanæ uires abutuntur, ab imperitioribus melius intelligantur. In præsentia autem quamuis hæc uoces, Libera uoluntas, Liberum arbitrium, usitatæ non sint in scriptura sacra, quia tamen tum à ueteribus theologis, tum à nostris hominibus uulgo tanquam publica moneta receptæ sunt, & eas multæ apud Mosem & reliquam scripturam, sententiæ probare uidentur, nec nos eas repudiabimus, sed disputationis gratia retinebimus. At antequàm summam ac caput quæstionis attingamus, qua quæritur sit ne in homine libera uoluntas ante omnia ad uitandam ambiguitatem, de nomine quid uoce, Libera uoluntas aut arbitrium notetur, percunctandũ fuerit. Si accipiatur libera uoluntas, ut pugnans cum necessario, decretorum Dei necessitate non teneatur, ut quæ uult aut renuit, non ideo uelit, aut renuat, quia Deus præuidendo statuat, ut uelit aut renuat: sed quia futurum sit, ut aliquid uelit, aut repudiet, Deum id præuidere & præuidendo statuere ut fiat. Qui sic sentiunt, et hoc modo liberã uoluntatem defendunt, quanto in errore uersentur, tum sacræ literæ, tum ipse sensus communis comprobat. Vt sacræ literæ confirment omnia quæ futura sunt, ideo futura esse & fieri, quia Deus æterna sua præscientia statuerit ea fore & fieri, cuius decretis nulla uis contraria resistat: non est necesse ad id testimonia quæ infinita sunt, adducere, & suis locis adducentur. De sensu communi ita constat. Is uerum in hunc modum percunctando inquirit: Cum uos dicitis ad tuendam libertatem uoluntatis contra necessitatem præscientiæ diuinæ, ideo aliquid præsciri, quia euenturum sit: non uicissim, ideo euenturum, quia præsciatur à Deo fore: itaque quæritur, si ideo aliquid prænoscitur, quia euenturum sit, unde id euenturũ sit, à se ne, an à Deo? si à se, ergo mundus qui futurus erat antequam esset, à se futurus fuit, non à diuina sapientia conceptus, qui olim fieret: sin uerò à Deo futurus fuit, & ab eo cogitatione præsumptus qualis & quando futurus esset, consequitur non ideo quicquam à Deo præsciri quia euenturũ sit: sed ideo euenturum, quia præsciatur fore: atque omnia quæ futura sunt, certis & immutabilibus consilijs ac decretis Dei futura esse. Atq; ita uoluntatis libertatem non in eo consistere docemus, quòd subiecta non sit decretorum Dei necessitati, sed eam illis certò regi atq; gubernari nihilq; eam neq; expetere, neq; fugere ac asperna ri, quod non illo statuente & mouente expetat atq; aspernetur. Siquidem in Deo omnes conditæ naturæ sunt, mouentur & uiuunt. Quàm turpiter igitur in infallibilem prouidentiam Deo committant, qui fortuitos casus rerum & contingentiam, quam uocant, in diuina etiam mente metiuntur, ut uoluntatis humanæ libertatem tueantur, fides ipsa sanctorum, quæ se una præscientia diuina immutabili contra omnes tentationes librat atq; firmat, satis docet, cum animaduertat magna cum sui consolatione Deum omnia pro nutu suo, non nostro, non uelius creaturæ qua cœlum, qua terra, qua uniuersitas hæc patet, facere, eius cura capillos capitis nostri, annos uitæ nostræ, momenta afflictionum nostrarum numerari, passerẽ citra eius prænotionem in terram non cadere: regna in mundo oriri eius uoluntate aut concidere: mundum ex nihilo fabricatũ, & priusquam esset, qualis futurus esset, præuouisse eum futurum: & ut præcognitus fuit, sapienter elaboratum, & eundem finem habiturum eiusdem præscientiæ decretorũ necessitate, ex qua præsentia & futura pendeant, & præterita non præterijssent, nisi ut ipsa præterirent constituisset apud se diuina prouidentia. Hæc de Deo noticia, certa noticia est, quam fides format, diffidentia euertit in ijs qui in uoluntate nostra non omnes motus & conatus à Deo pendẽre autore & motore statuunt, neq; eius consilio ineuitabili omnia tum præsentia tum futura, tum bona tum mala teneri. Contrà sentit sanctorũ fides, quæ scit spem nullã de

de futura salute haberi posse, si cogitandum nobis sit, non ideo nos saluos fore quia præscientia sua statuat nos saluos facere Deus: sed quia salui simus futuri nostra uoluntate, sua ui ad id nitente, ideo Deus nos saluos præsciat futuros, atque eo modo salus nobis contingat. Omnia in tali cogitatione lubrica fluxa, & ambigua sunt q̃ omnẽ spem de cœlesti hæreditate cernenda delumbent, ac præcidant, & arrabonem spiritum nostra corda de assignanda nobis hæreditate obsignantem eripiant. Hæc de hac parte, liberam uoluntatem non definiri quæ præscientiæ diuinæ rerum certò & infallibiliter futurarum nõ sit subiecta, sed eius naturã, conatus & motus omnes ab illa pendère, ut nihil moliatur, expetat, fugiat, quod nõ præsciẽte, decernẽte ac statuẽte ab æterno Deo in uerbo suo Messia benedicto móliatur, expetat, fugiat. perga mus percũctari de ratione liberæ uolũtatis. Sin uerò accipis liberã uolũtatẽ de facultate qua proposito aliquo siue bono siue malo, liberũ sit alterutrũ amplecti aut repudiare, neque hoc modo illa uoluntas libera erit in utranq; partem. Nam si propositũ sit bonum, & id ut bonum agnitũ, tum natura sua uoluntas id expetet, quã graue deorsum & leue rectà sursum, adq; cœlum in orbẽ suo instinctu & impetu fertur: contrà si malũ sit quod offertur, eodẽ naturæ impulsu uoluntas id auersabitur, siue omnino malũ sit ac noxiũ, siue sub specie mali sit ei repræsentatũ. Mouetur enim uolũtas prout res obiecta boni uel mali speciem prætulerit. Hæc ita nota sunt, ut qui contraria sentiat, eum res ipsa & cõmune de bono et malo iudiciũ redarguat. Quod si quis dicat, plures mala expetere, posthabitis bonis, fateor: sed ita expetunt, si speciẽ boni habeant qua probẽtur: qua si omni careãt, et agnita sint tanquã mala, tam natura repudiantur, q̃ à rebus grauibus cœlũ, & à leuib. terra. Sed dicas, uoluntatem liberã esse in eo, quod propositis honestis & turpibus, in alterutrũ æquè feratur, sicq; libera uolũtas una aliqua libera facultas erit, qua liceat paribus momẽtis honesta & turpia persequi. At neq; huiusmodũ inuenias in hac rerũ natura liberum arbitriũ, neq; nimirũ in Deo, qui tamen liberrimæ uoluntatis est. Is enim sic honestis afficitur, ut turpibus nequeat. Idem iudicium de Christo Domino nostro, neq; etiam in cõditis naturis ratione præditis isto modo libera uoluntas reperietur. Nã hæ si bonæ sint spirtũ filij habentes, facultate qua honesta expetunt, turpia non expetent. Etenim ea uis qua honesta expetũt, sacri spiritus uis est qua solũ quæ honesta sunt, liceat cupere, non turpia & inhonesta. Hinc illud apud Ioannem legimus de nato ex Deo: Et non potest peccare, eo quòd ex Deo natus est. Sui uerò malæ sunt, uolũtate qua in turpia propendent, ea in honesta minimè propendebunt ac ferẽtur. Nam ut recta uoluntas in recta, ita praua in res prauas inclinarit. Huc pertinet similitudo illa, quam Dominus de arbore bona & mala affert. Dicas, Moses Israelitis suis uitã & mortẽ, felicitatẽ & infelicitatẽ proponit, liberũ esse indicans eis, utrum uelint eligere. libera igitur uoluntas, hoc est una aliqua uis ac facultas in nobis boni & mali eligendi erit. Moses nõ uult in Israelitis unam aliquã uim esse, qua pariter bonũ & malum amplectãtur atq; eligant: sed quod eligunt, sua sponte eligere, siue bonum id, siue malũ sit. Voluntatẽ enim recta eos solum honesta, nõ turpia expetituros, infrà in Deuteronomio sic ostendit: Circumcidet Dominus Deus cor tuum, & cor seminis tui, ut eum toto corde ames, quem antea uitiata uolũtate contẽpseras. idem oraculũ ex Mose sumptũ, sed alijs uerbis Hieremias exponit, ubi nouũ fœdus quod non uiolent sanciendũ cum eis prædicit. per quod lege spiritus & uitæ in tabulis eorũ carneis scripta Deũ uerè fide & amore culturi sint: non ab eo defecturi ut antea fecissent. Similiter ubi legimus Christũ reprehendere Hierosolymã toties oblatã salutem repudiantẽ. Quoties uolui te congregare, et noluisti, nõ indicat is Hierosolymã liberã uoluntatẽ habuisse, qua potuerit salutem & recipere & reijcere: sed quod renuit, sua spõte renuisse. Gerebat enim hæc illo tempore in saxeis tabulis legẽ Dei per quas repudiauit toties proprositã gratiam, non prius in carneis tabulis legem spiritus Messiæ latura, q̃ appetierint tempora reconciliationis, quibus his uerbis gratulabũda sit Christũ exceptura: Benedictus qui uenit in nomine. Qui hæc diuersa tempora ignorant, prophetas nondum habent apertos, neq; sciunt mysteriũ illud, de quo apostolus Paulus ad Romanos: Mysteriũ uobis dico, etc. His fortasse aliquis commotus dicet liberam uoluntatẽ accipiendam esse pro ui qua quæ expetimus uel repudiamus, nostra sponte expetimus aut repudiamus, ut liberũ idem ualeat quod uoluntariũ, pugnans cum uiolento, & eo quod ui impellitur. si hoc modo accipitur libera uoluntas, pariter in Deum & cæteras naturas rationis cõsortes congruèt. Siquidẽ qui hoc modo liberã uim tollat à uolumate, uoluntatẽ ipsam sustulerit, quæ uoluntatis naturã tuebitur, si quæ expetit uoluntariè ac spontè expetat, & contraria fugiat. Sic accepta libertas cum præsciẽtiæ diuinæ necessitate non pugnarit. Qua de re suprà in Exodo meminimus. Demum definietur libera uoluntas, uis ac facultas qua liceat recto ueroq; animi iudicio congruenter quippiã expetere aut fugere. Atqui ut bifariam de animi iudicio recto loquimur, uno modo de eo quod lumine naturali formatur, altero quod diuini spiritus lumine, ita liberæ uoluntatis bipartita ratio est. altera, qua duce natura bonum sequimur, & malum fugimus, conueniẽterq; rationi pro modo creati luminis nos gerimus. Huic liberæ uoluntati actiones, studia, & ciuilis iusticiæ officia subiecta sunt, ad conseruandas tum domestici tum ciuilis imperij leges. Altera ratio est qua liberum arbitriũ definitur uis qua præ lucente lucefidei, nos id quod bonũ est & rectum

pro dignitate eius ex sententia Dei ad innouandã uitam, et ad instaurandã amissam probitatẽ, amplectimur. De qua libertate Apostolus: Vbi spiritus, ibi libertas. Itẽ Christus Dominus noster huius libertatis autor: Verè liberi eritis, si uos filius liberos fecerit. Hæc libera uolũtas statũ continet, in quo deleto peccati & mortis iure, uitæ & iusticiæ iure liceat uti. Quantum ergo hæc duo liberæ uoluntatis genera inter se differant, facilè ex utriusq; definitione intelligitur. Porrò altera lumine rationis creato, altera Dei nõ creato, ut quod Deus ipse sit in sanctorũ animis lucens, gubernatur. In altera moralis & ciuilis iusticia mundo placens, in altera uera Deo probata & satisfaciens cernitur. Altera ius peccati & mortis uincitur atq; deletur, altera nõ item. De hac enim legimus, eos execrationi esse obnoxios qui ea tenẽtur. De illa uerò: Nam lex spiritus uitæ per Iesum Christũ liberũ me reddit à iure peccati & mortis. Altera præterea nouũ hominẽ efficit, altera ueterẽ suo ingenio relinquit, dũ eius cupiditates malasq; affectiones & uitia nõ delet. Hac qui utũtur, eorũ iusticiã & sapientiã pro stulticia & stercore habet diuina iusticia & sapientia, quæ fateatur se in mundũ hunc de cœlo uenisse nõ propter iustos, & sapientes, quos is in malo positus mundus habet: sed propter stultos quos sapientes, propter iniustos quos iustos redderet. Postremò altera libera uoluntas cõmunis omniũ est, quæ rationem habent: altera propria filiorũ Dei, qui soli ad nouã naturã, iusticiam, sapientiã, uitã, gloriã regeniti, huius libertatis qua peccato, morti, Satanæ dominentur, participes redduntur. Quo circa ut suus est philosophorũ & sapientum huius mundi & omniũ eorum qui rationis iudicio utuntur, cognoscendi res & de eis iudicandi lumen, sua doctrina, sua iusticia & sapientia: ita quoq; filij Dei suam lucem, uam doctrinã, quæ cœlestis Euangelij doctrina est, suam liberam uoluntatẽ habent: inter quam & illam superiorem tantum interest, quantum inter lucem & tenebras, inter uitam & mortem, inter spiritum & literã, inter ueterẽ naturam & nouã interesse uidemus. Beati qui doctore spiritu Christi hoc discrimen intelligentes, alteram libertatem sequuntur per abnegationis alterius, ut posthabitis tenebris in luce partẽ habeant. Nam primi generis libera uolũtas solum quadam ex parte & in suo genere libera est, non simpliciter & omnino, cum uerius serua propter uitiosam naturã, quam uincere nequeat, potestas sit iudicãda. His prælibatis gratissimas quæ in hac de libero arbitrio causſa mouentur, quæstiones dissoluere licebit. Harum una est, an ne libera uoluntas primi generis legem Dei exequi possit. Altera, si non possit, oblatã tamen redemptionis ac salutis gratiã sua ui recipere possit, liberumq; sit ei illã amplecti aut auersari. Tertia, an si nec legi diuinæ se cõformare, nec sua ui propositam salutem sine spiritus sacri tractione admittere possit, adiuta tamen spiritu Dei, carum rerum quæ ad salutẽ pertinent, quicquã faciat. Hæc sunt præcipua quæstionum capita de libero arbitrio, quæ aliis quoq; in numeris propemodum quæstionib. inuoluuntur, quibus in præsentia post alios pios & doctos spiritu homines breuiter Dei gratiam atq; merita sacrosancti nostri Messiæ amplificãda occurrere nobis usum est. Quæ gratia omnis imminuetur, si etiam à nobis salutem, quam nostræ uoluntatis ui paremus, pendẽre affirmemus. Quod igitur ad primam quæstionem attinet, qua quæritur, an ne uoluntas nostra sua ui legẽ diuinam præstare queat: si de libera uoluntate primi generis loquantur, eorum hæc quæstio est, qui percunctantur, an ne tenebræ lucem comprehendere, uincti pedes ambulare, & opera sua manus ligatæ conficere, terrena cœlum penetrare, mortua sibi uitam dare, arbor mala bonos fructus, & ut uitar uerbis Domini nostri, spinæ uuas & tribuli ficus ferre possint. Nota est hæc responsio Christi data discipulis percũctantibus: Quis ergo potest saluus fieri? Ab hominibus hoc, inquit, fieri nequit, à Deo omnia fieri possunt. Quibus uerbis nouus & cœlestis homo significauit ueteris uoluntate rationis lumine gubernata, ea quæ ad salutem comparandam pertinent, effici non posse: sed una fide quæ lumen de Dei lumine est, omnia nobis quibus seruemur, sapientiam, iusticiam, uitam, gloriã, beatitatem communicari. De his suprà multis egimus in causſa iustificationis, ut non sit opus ea hic retexere. Quod humana uoluntas possit in præstita lege ueteris hominis à contracto uitio, naturæ eius inimicitia erga Deum, regeneratio in nouum è spiritu sacro, mortis & resurrectionis Domini nostri Iesu Christi beneficio nobis tributo declarat. Dicas, Si legem neminem exequi liceat, cur igitur eam Deus sanxit? Aequi legumlatores leges suis ponunt, quas seruent, non quas nouerint ab eis seruari non posse, ut iustè si in eas commiserint, puniantur. Huic quæstioni suprà in lege, Ne concupiscito, occurrit. In cuius explicatione hæc duo pora sunt: Lex præstari potest, lex præstari non potest. Si uoluntatem liberam primi generis spectes, ab ea præstari ex sentẽtia Dei nequit: sin secundi, præstari potest ui regenerationis diuinæ per eum de quo Apostolus: Christus est perfectio ac impletio legis omni credenti. Itaq; non est data lex quã uoluntatis nostræ ui præstemus. sed quæ deiectis uiribus ueteris naturæ pædagogi munere fungatur, ad eum cuius unius spiritu exequamur quod Deus præceperit, ut omnis gloria iusticiæ & ueræ probitatis sit penes eum qui de se dicit: Sine me nihil potestis facere. Qui eũ caput uniuersæ perfectionis spiritualis sit, stabit illud: De plenitudine eius omnes accepimus. Quid autem accepimus? nouam uoluntatem, nouas uires, nouam sapientiã, nouam iusticiam, nouam uitam, nouam felicitatem & omnia noua, ad interitum & mortificationem uniuersæ ueteris naturæ accepimus. Qui dicunt hic legis

lationem

lationem inutilem fore, si nemo eam præstet, nec præstare sua ui possit, perinde faciunt ac si dicant frustra mentem aberranti à recto itinere datam, q; nisi aliquis præsto sit qui iter monstret, et ad id ingredienti errantem manuducat, per eam qui errat, in errore sit mansurus. Nónne hoc præstans beneficium mentis est, quod per eam errans intelligit se errare: et errore cognito, quærit qui rectum iter ostendat, quod, relicto deuio meat? Quis autem in uniuersum pædagogiæ quæ lege cõtinetur, usus sit, quid hæc præstet, quid inter legem in saxeis pectorũ nostrorũ tabulis scriptã, & legem spiritus & uitæ, quã Messias in tabulis animorũ nostrorũ carneis scribit, inter sit, ad huius quæstionis quæ hic proponitur, explicationẽ, ea de re alijs locis meminimus, ut non necesse sit ea hic repetere. Pergamus igitur ad alteram quæstionẽ enodandã, qua quærebatur, an ne uoluntas nostra ita libera sit, ut oblatam gratiã Euangelij recipiendi & repudiãdi uim habeat. Huius quæstionis expositio ex prioris expositione manat. Si enim ratio naturalis cœlestia & diuina non capit, nec etiã uoluntas quã ratio regit, ea expetet. Nam ad rationis lumen uoluntas nostra amat & odit, expetit proposita, res & auersatur. Itaq; ut proposita per Euangelium salus amanter recipiatur, mentẽ noua luce illuminari oportebit, per quam ea uerè cognoscatur: & uoluntatem eadem luce accendi, ut eadem salus expetatur & ametur. Hinc Dominus noster: Nemo ad me uenerit, nisi pater meus cœlestis traxerit eum. Et hoc agnoscit eius sponsa, cum clamat: Trahe me post te. Sed qua tractione cupit trahi? num ea qua per creatam uim uoluntatem suam trahat? absit. Nam sponsa hanc uim defœdatam uitio originis agnoscit, & imparem per quam trahatur, quæ trahenti patri reluctetur. cupit igitur trahi tractione & impulsu diuini spiritus, qui per antecedentem clementiam Dei patris omnem nostram cogitationem, conatum, motum, animorum nostrorum aures percellat ad auscultandum Euangelio, ultro gratoq; animo oblata salute recepta. Vt uera declaretur illa sententia: Non est neq; uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. item: Qui ex Deo est, uerba mea audit. At non omnes ex Deo sunt. Sunt enim quidã nõ Dei, sed serpẽtis soboles, ut fuit Cainus, Iudas, & illi de quibus Dominus: Vos ex patre diabolo estis: quos Ioannes uiperæ progeniem uocat. Item: Propterea uos non auditis quia ex Deo non estis. Vnde concluditur, oportere ex Deo esse eos qui recepturi sint oblatam à Deo per Christi Euangelium gratiam. Ex Deo autem sunt qui eius spiritum habent, non qui eo carent. stat enim illud: Si quis spiritum Christi non habet, is non est eius. Quale autem nomen ea antecedens uis diuini spiritus habeat, & unde oriatur, atque electorum pectora præparet ad spiritum adoptionis, eius rei explicatio non est præsentis loci & tractationis. Dices: Si nemo recipiet salutare Euangelium, nisi attractus & impulsus spiritu Dei, quẽ nemo habeat, nisi clementia diuina accipiat: quid ergo fiet ijs qui eo carentes, neq; salutis rationes intelligere, neq; ad eas se cõformare queunt, num tales ne capite damnabit Deus? qui ab eis requirat ut faciant quod per uitiosam naturam facere nequeant, & cur suum spiritum per quem pareant Euãgelio per fidem alijs tribuit, alijs denegat, quo priuati pereant: quem si haberent, seruarentur, non perirent? De quæstione suprà in Exodo. Sed perges obijcere, Si Deus alios spiritu suo ornat, ut seruẽtur: alios eodem spoliat, ut pereant: personarum ipse rationem duxerit, cõtrà quàm sacræ literæ de eo testantur. Acutorum hominum, ut sibi uidẽtur, est hæc percũctatio. Sed falluntur. Nam potius in eo ipso quòd alios liberali beneuolentia prosequitur, donans eis spiritum suum, alios non item, negato illo, personæ nullam iudicabitur habere rationem, sed suæ liberæ uoluntatis. de qua suprà citata est hæc sententia: Cui uult, miseretur: quem uult, indurat. item: Non est neq; uolentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Haberet autem Deus rationem personæ, si speciem qua quis ab altero dignoscitur, ut est uel gentis, uel sexus, uel dignitatis, uel mundanæ iusticiæ & sapientiæ species, in miserescẽdo respiceret. Qualis species uel forma, in sacris literis persona nominatur. Oculus diuinus profunda penetrat, neq; quenquam ob ullam speciem amat aut odit: sed quia amatur aliquis aut odio habetur, talis euadit, qualem eum ab æterno futurum præsciuit: tantum abest ut ullam uel in diligendo, uel in odiendo, personæ rationem habeat. Dices: Si Deus præsciendo statuit alijs dare spiritum, quo rectè cogitent & uelint: alijs uerò negare, quo orbati in uitijs maneant, & sic pereant, culpæ ipse autor erit & effector: quæ nulla committeretur, si Deus dato spiritu ne fieret, caueret. Huius quæstionis nodus facile soluitur, perpenso quoties aliquis dicatur scelerum causſa. Primò autem eorum autor dicitur, is qui ea facit, ut si deos alienos colat, alterum occidat, furetur, falsò iuret. Deinde si alterum ut delinquat, hortetur. sic satan primo homini ut perfidiæ crimine se obstringeret, autor fuit. Tertiò si ea quibus utetur culpa, non tribuat, cum possit si uelit, tribuere: et nisi tribuat, culpa uitari nequeat. Demũ si uitiatam naturam moueat, quam nisi moueret, neque ea esset, neque crimen admitteret. Prioribus duobus modis Deus autor peccati nullo modo dicitur, neque dici potest, qui ipse à peccato abhorreat, & scelerosis infestus sit, ut q uetet scelera designari: & si designata sint, ea puniat: firmæ enim sunt de iusticia diuina hæ sententiæ: Deus iustus iudex. item: Deus est qui delictis non delectatur. Alteris uerò duobus modis peccata à Deo causſam habere aliquam sacræ literæ indicãt: ut cum legi-

mus eum quos uelit indurare. item de filijs Eli, quomodo hi recta monenti patri non obtemperarint, quòd Deus perdere eos decreuisset. item ut præceperit Semei qui malediceret Dauidi, ut omnes sub diffidentiam concluserit, ut omniũ miseretur. ergo certo Dei consilio diffidentes & rebelles sunt in mundo. sed quo id modo contingit? Primò contingit quatenus spiritum lucis suæ quo solo culpa declinatur, non communicat. Sic Satan ab initio peccasse legitur, qui priuatus spiritu Christi, quem statim cœperat odisse, suam originem non retinuerit, hoc est natura bene condita per Dei & filij eius contemptũ, abusus sit, absente ueritatis spiritu, quo carebat & in eo non stabat, hoc est munere eius non fungebatur, ut Dominus de eo apud Ioannem fatetur: Ille homicida erat ab initio, et in ueritate non stetit, quia ueritas in eo non est. Vbi עבר apud Hebræos quid sit, satis notum est. Igitur quatenus ueritate, hoc est spiritu Christi qui ueritatis spiritus est, impij cum parente suo Satana priuantur, Deus eorum rebellionis non aliter sanè quàm sol tenebrarum caussa habetur, quæ accessu eius in hoc aere existunt, abscessu euanescunt. Deinde Deum ex sacris literis doctorum caussam esse agnoscimus, quatenus improbos mouet, & eorũ naturam ne concidat, seruat. sic legimus ab eo crudeles tyrannos aduersus oracula, & cultores eorum excitari, spiritum mendacem in ore falsorum prophetarũ poni, impiorũ animos indurari. Quod fit, cum hi Dei spiritu destituti & suis cogitationibus atq; cupiditatibus permissi, per cæcitatem præcipites in facinora pessima quæq; ruunt. Dum igitur hos ut sine & spirent, conseruat, eisq; uitam aut motum largitur, non magis in illis peccatorum caussa censebitur esse, quàm eques aliquis bonus claudicationis equi uitiati caussa dicitur. Agitantur omnes naturæ à mouente & agente cũcta caussa Deo, sed aliter bonæ, aliter malæ. Hæ malè quidem illæ benè. Nam quæq; res mouetur à Deo ut affecta est, sicut ab uno aliquo equite integer equus commodi & bene, uitiosus incommodè & malè regitur, nullo sanè ipsius equitis uitio, sed equi labefacti. Dicas, sed cur Deus improbos quos monet nõ sanat ut bene regantur & ita seruentur, nõ pereant cũ posset eos sanare, & sanatos seruare ne perirent. Si omnino statuit alijs dare spiritum suũ quo saluẽtur, alijs negare ut pessum eãt, is sanè pugnãtia atq; dissentanea inter se in se admittet, qui uelit omnes saluare, & quosdã perire, qui mortem improbi nolit, & eã uelit, qui proscientiæ suæ decretis ab æterno constituat culpã, uarias calamitates, mortẽ, infernũ in hac rerũ uniuersitate locũ suum tenere: tamen idem dicat se abhorrere à culpa, uitam, res integras suis cupere non mortẽ, non exitium & res aduersas. Quæ si dabuntur, duæ uoluntates in Deo & eædẽ contrariæ ponentur, quod à uero, cõstanti, simplici numine Dei longè alienissimũ uideatur esse. Quid his respondeatur, ea de re uideris in Exodo in loco de indurationè impiorũ. Progrediamur ad tertiã quæstionẽ, quæ quæsitum est, an ne Christus Dominus noster solus in nobis omnem salutem conficiat, & uoluntatis nullum momentum ad eam, mouendo & agendo affe rat, sed solũ spirantẽ in se, agentẽ mouentẽq; Christũ p spiritũ suũ ferat. Hæc quoniã suprà iniusti cationis caussa in loco de gratia Dei tractata sunt, nõ opus esse uidetur ea de re denuò disserere. Itaq; in præsentia ijs qui hoc quæstionis genus mouent, hæc solum perpendenda proponimus. primò, quid sit illud, Non ego, sed Christus in mẽ uiuit. Deinde, quid spiritum Christi esse uiuificantem spiritum, num ne is spiritus in regeneratione idem sit nouo homini ex Deo nato, quod anima est corpori, quod nullam spirandi, agẽdi, mouendiq; uim à se habet, sed eam omnem ab animo accipit, ut corpus non à se, sed ab animo uiuere: non agere, sed agi, non mouere, sed moueri dicatur. Tertiò quid sit unum salutis fundamentũ esse Christũ Iesum, an ne id consistat, si partem salutis conficiendæ nostræ uoluntati agenti & mouenti tribuamus. Demum quid sit ueterem naturam in regeneratione totam mortificari, & nouam renasci. Hæc si quis consideraritt, facile ei suppetet quod hic respondeat. Quæ quoniã nemo intelliget sine sacra unctione, & sine militaris artis aduersus carnem, mundum & principem mundi usu & peritia, malim ego hæc piosque experiri in institutione nouæ uitæ, & abolitione ueteris, quàm multis uerbis ea de re disputare. Pijs satis hæc facient, impijs nihil satis fecerit.

Viderunt oculi uestri) A contrario exemplo: Cultores Baal Phegoris contriti sunt uerbo meo, nonum ei & contrarium cultum addentes: ergo qui in lege mea manent, uiuent & seruabuntur. Sic sequitur:

Vos autem qui adhæretis .) tanquam sponsa marito per coniugalem fidem. Nam sic uerbum דבק usurpatur à diuino spiritu, cum matrimonij fit mentio. Vt de primorum hominum connubio liquet ודבק באשתו. Quod uerbum hic opponitur amplexui Baal Phegoris.

Sicut mandauit mihi Dominus.) Locus autoritatis: Non mea præcepta sunt quæ trado, sed Dei, igitur à uobis obseruanda.

Hæc enim est sapientia.) In maxima existimatione apud omnes gentes futuros, si in Dei legis consentiant ad obeundas eas dignitatis & existimationis loco nititur hortatio. Hic primò cognoscimus oraculorum Dei notitiam expressam uita & bonis studijs, ueram sapientiam esse. Dicit enim Moses: Hæc est sapientia uestra. Secundò humanas doctrinas de religione traditas stultitiæ habeuates: Perdã sapientiã sapientũ. Tertiò, cultu legis ri. supra enim: Neque addetis neq; detrahetis. & diuinæ

diuinæ ſanctos celebres efficiin orbe terrarũ, cũ maxima laude Dei Iſraelitarũ. hic enim idẽ Moſes: Vt audientes, omnia iſta inſtituta dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna. Et quod ad Dei amplificationem attinet in textu ſequitur: Nec eſt alia gens quæ habeat deos tam propitios. in eandem ſententiam Dominus apud Euangeliſtam de ueræ ſapientiæ luce: Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, glorificentq; patrem ueſtrum qui eſt in cœlis. Hæc enim ſapientia quæ ſacris literis prædicatur, non eſt ignaua & iners noticia legis diuinæ, ſed noticia coniuncta cum timore ac ueneratione Dei opera conſentanea legi efficiens. Legimus enim infrà: Et diſcant timere me. Quàm celebris autem fuerit gens Iſraelitica à ſapientia, declarat teſtimonium reginæ Sabæ. de qua in libris Regũ: Sed maximè Iſraelitis promiſſa ſapientia & in poſtremis temporibus palàm patefacienda in laude eſt. de qua illud: Chriſtũ Dei uirtutem & ſapientiam.

Gens ſapiens.) noticia ueræ religionis & operum Dei ſcientia prædita.

Et intelligens.) prudentiam rerum gerendarum habens & uſum rerum callens.

Gens magna.] rerum geſtarum laude & tutelari numinis diuini præſentia illuſtris ac clara.

Cunctis obſecrationibus ueſtris.) In rebus aduerſis, in quibus dij alieni ſuos cultores deſerunt. Locus indicat duo: unum, ſanctos afflictionibus & calamitatibus in hoc mundo expoſitos eſſe: alterum, in his inuocatum Deum exaudiri.

Quæ enim eſt alia gens ſic inclyta.) Charitas generis à conſtitutione reip. æſtimatur. quæ in duabus rebus cernitur, in rerum ciuilium adminiſtratione & religione. Quàm inclyta autem fuerit reſp. Iſraelitarum utraq; parte, tam docebit.

Vt habeat ceremonias.) Laus à religione & ab ea parte religionis quæ in ceremonijs templi & ſacerdotij cõtinetur. Quæ ceremoniæ quàm diuinæ fuerint, tum pædagogicus puerili ætati conſentaneus uſus, tum adumbratio ueri cultus qui in Chriſti ſacerdotio & in eo templo quod non humano opere, ſed cœleſti artificio extructum eſt, ſpectatur, luculenter declarat: cuius templi ueri Iſraelitæ cultores tanto præſtant ueteris fœderis Iſraelitis, quanto eorum regi Salomoni præſtat is qui de ſe dicit apud Euangeliſtam: Et ecce pluſquam Salomo eſt in hoc loco.

Iuſtaq; iudicia.] Laus à iure ac legibus ciuilibus.

Et uniuerſam legem.) תורה generalis uox legis quæ Hebræis תורה à docenda uoluntate Dei, Græcis νόμος à tribuendo cuiq; quod ſuum eſt, Latinis lex à deligendo uocatur.

Ne obliuiſcaris uerborum]Confirmat exhortationem in memoriam reuocatis oſtentis in Horeb editis tempore promulgandæ legis. Cæterùm דברים & uerba & res quæ oratione & conſilio geruntur, notat. Ne obliuiſcare res quas oculis tuis uidiſti. Ex quib. rebus tonitruis, fulgetris, fumo, igni, autoritas legum & legislatoris Moſæ confirmata fuit.

Quæ uiderunt oculi tui.) De quibus ſuprà in Exodo in hæc uerba: Cunctus autem populus uidebat tonitrua, fulgetras, tubæ ſonitum, & montem fumantem.

Et diſcant timere me.) Vſus legis diuinæ, metuere, id eſt cum reuerentia colere Deum. At cum bipartitus ſit metus Dei, alter impiorũ (de quo illud: Trepidauerunt timore, ubi non eſt timor) alter piorũ (de quo idem uates: Timor Domini odit malũ.) de hoc metu hic loquitur, qui cuſtos eſt legis diuinæ. At is cum duplex ſit, unus puerili piorum ætati ſub tutoria legis poteſtate gubernatæ congruens, alter grandiori à lege iugo liberæ & ſpiritu adoptionis rectæ conueniens, alter in adminiſtrationem noui fœderis, alter in ueteris functionem incidit. Sed de hac re aliàs:

Et acceſsiſtis.) iam loti & præparati per precationem.

Ad radices montis.) terribilis, ut in Exodo legitur. Eratq; mons terribilis nimis. In monte igitur Horebo in ſolitudine ſito fulgetris, tonitruis, fumo, igni & tubæ ſonitu horribili lata lex eſt per Moſem, damnando occidens. contrà de Sione in terra lacte & melle affluente poſito, lex non iram, ſed gratiam: non mortem, ſed uitam: non terrorem, ſed conſolationem afferens promulgata per Chriſtum eſt. De qua lege uates: Ad annunciandũ manſuetis miſit me, ut prædicarem captiuis libertatem, & conſolarer omnes lugentes.

Erantq; in eo tenebræ.) congruentes uel ati Moſæ functioni, ut lux adminiſtrationi Euangelij competit quæ in aperto Chriſti uultu lucet. De quo Apoſtolus: Qui luxit in cordibus noſtris ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Ieſu Chriſti.

De medio igni.) Præceſſit de monte: Qui ardebat. Deus hic non de terra, non de aqua, nõ de aere, ſed igni ſummo mundi elemento ui efficiente & luce claro locutus dicitur.

Vocem uerborum eius audiſtis.) oracula mea exponentẽ. Qui præclarus uſus eſt orationis, & auditus ſenſus oraculari diſciplinæ conſecrati. Vt hic legimus, Vocem uerborum audiſtis: ita in noui fœderis functione fidem ex auditu exiſtere legitur.

Et formam penitus non uidiſtis.) diuinam naturam exprimentem, quam nulla ſpecies quæ quidem ſenſu & intelligentia crea a capiatur, expreſſerit, aut uoluntatẽ eius explanauerit, ſed qua ſermonis beneficio non in oculos cadente ſpecie, explicetur. Sic enim ait Moſes: De cœlo fecit audire uocẽ ſuã, ut doceret, &c. Siquidẽ Deus ſpiritus eſt, quã nulla res melius declararit q̃ uox q̃ & ipſa ſpiritus eſt. Itaq; Dñs apud Ioan. Sptũs ubi uult ſpirat,

& uocem eius audis, sed nescis unde ueniat, & quò uadat.

Et ostendi uobis pactum meum.] declarans leges in fœdere uobiscum iuito seruandas. Itáque in Exodo: Assumensq; uolumen fœderis, legit audiente populo.

Decem uerba.] ex eis tanquam ex perenni fonte, tum religione, tum ciuilibus manantibus legibus. Quò denarius pertinet notus numerus.

In duabus tabulis lapideis.) Talis lex Mosaica est, saxea, non carnea pectora uersans. Contraria ratio Euangelij est, quod scribitur in tabulis de quibus propheta: Et auferam cor lapideum de carne uestra, & dabo uobis cor carneum. Prophetam explicat Apostolus his uerbis: Iam declaratis quod estis epistola Christi subministrata, à nobis inscripta, non atramento, sed spiritu Dei uiuentis: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis.

Ne fortè decepti.) Ratio uitatæ similitudinis à periculo colendorum alienorum deorum. qui locus perpendendus est ijs qui simulacra defendunt. Hebræus habet, Ne corrumpatis uidelicet ea quæ audistis. Monet idololatria amitti ac perdi omnem legis diuinæ auscultationis usum. Hæc lex ita in natura scripta est, ut repertæ sint gentes quæ à simulacris abhorruerint. Nã literis proditum est Numã Pompilium prohibuisse Romanis, ne Dei speciem ac imaginem sub hominis aut animalis cuiusuis figura fingerent. Itaque hos cum centum & septuaginta annis templa ædificarent, nullum in his simulacrum Dei finxisse. Atqui hunc Numam, qui Pythagoræus erat, ut id faceret, Mosaica doctrina impulsum ferunt.

Adores ea.) res quarum similitudinem finxisti. Primò hominum, deinde animantium terrestriũ, uolatilium, aquatilium & humi serpentium, demũ siderum tum maiorum tum minorum meminit, & horum omnium imagines fieri uetat. In numerandis operibus Dei Moses ordinem quem in creationis mundi narratione seruat, ab homine prorsus in quo illic desierat, persequitur. Igitur monet hic nullam homini quæ ei diuinum cultum tribuas, imaginem formandam, multo minus eum honorem cæteris creaturis sub ulla specie siue picta siue sculpta esse adhibẽdum: sed Deum unum adorari debere, qui solus cunctis quæ cœlo & terra continentur operibus tanquam omnium architectus ac fabricator superior sit. Est enim adorare potentiã alicui, qua in cunctis aduersis rebus opem afferat, & ueritatem qua nec fallere, nec falli queat, assignare. qui cultus in nullam creaturam, siue angeli siue homines, siue benignè in cœlo lucentia sidera, siue in aere, aquis, terra uersantia animantia fuerint, conuenerit. Nam hæc omnia aut pari cũ homine sunt conditione, aut inferioris notæ, quorum nullum conuenerit ab homine coli, diuinum cultum superiore naturã sibi uendicante, non inferiore aut pari. Homo autem cum homine eadem perfectionis lege coniungitur iure creationis: reliqua ei subiecta sunt, ut in eius usum à conditore Deo creata, ut indicat hæc sententia: Dominamini, &c. Et hic apud Mosem: Ecce creauit Dominus Deus tuus in ministerium. Et sicut nulla opera à Deo condita adorari debent, ita nec eis ullam effigiem sub qua adorentur, fingendam esse. Qui igitur sanctos uel specie uel maris uel fœminæ inuocam in rebus aduersis, idololatræ sunt: cum inuocatio cultus diuinus sit, qui Deo soli competat, nulli creaturæ, ut supe indicatum. Quocirca hic legitur: Ne faciatis ullam similitudinem neq; maris, neque fœminæ. Dicas imaginem iungi sanctis, non in qua hi inuocati præstò sint, sed qua rerum quas præclarè gesserunt, memoria refricetur, & admoneamur earum rerum quæ nobis exemplo eorum agendæ sint. Si ita, cur igitur conciones tum priuatæ tum publicæ, & literarum monumenta, quibus quæ res aut fugiendæ, aut expetendæ sint, doceamur, inuentæ sunt? Cur suprà ad ea quæ ad salutem necessaria sunt, intelligenda, Israelitæ uocem uerborum Dei audiuerunt, nullam similitudinem uiderunt? Deus qui sciret futurum, ut tali aliquo prætextu fingerentur formæ ad collocandas eas in locis tum priuatis tum publicis, præmonuit per Mosem ne ullæ fierent, ne nos qui alioqui ad idololatriam proclines ad adoranda ea quæ formis repræsentantur, pelliceremur. Legitur enim in textu: Ne impellaris ad ea adoranda. Si ut admoneamur rerum à deuis gestarum. fas est eorum effigiem in templis pingere aut sculpere, cur igitur hunc usum nusquam nobis commendant sacræ literæ? cur nulla exempla extant, neq; in ueteris, neq; in noui fœderis administratione factarum ad eam utilitatem imaginum? Iam autem hoc ipsum ita rectum est, quòd à nobis fit, si uerbo Dei consentaneum fit, cui nihil ne que addi, neq; detrahi debet. Nos legimus has exogitatas & in publicis locis collocari cœpisse eo tempore quo altera bestia, id est aduersarius Messiæ è terra extitit, sed ut fas sit memoriæ rerum gestarum gratia, imagines in templis, qui libri sint imperitæ plebis, ponere. Vos tamen eas hac de causa nequaquam ponitis, sed ut ad illas sanctos colatis. Si ita res non haberet, ut dicimus, cur igitur non contenti in parietibus pinxisse formas, salem etiam & lustralem aquam, certum uestitum sacerdotalem, tintinabula, aras, templa, sanctis consecratis? Cur his sacra facitis, cur in aris truncos, mutos, cæcos, claudos collocatis, quos in pedes demissi uenerabundi osculemini? Obijcias, sanctos in consecratis templis non inuocari ut per se opem nobis ferant, sed quorum oratione impulsus Deus nobis opituletur. Trifariam hic delinquitur. Uno modo, quòd sub imagine maris & fœminæ, sanctos contra legem hic à Mosæ traditam, colis. Secundò quòd aras & templa his extruis, cum sufficiatum, sacerdotij, sacrificiorum ad uanam imitationem Leuitici sacerdotij cultu excogitato.

Tertiò

Tertiò, quòd omnino tanquam aduocati et salutis arbitri ad Deum, inuocantur. Nam ut hac ratione colantur, neq; sacræ literæ, neq; exempla ulla extant, sed contraria omnia. Sacra scriptura Christum nobis proponit per quem tanquam aduocatũ & unicum salutis arbitrum nobis Deus pater placetur. Per hũc patriarchæ, prophetæ, apostoli aditum ad Deum habuerunt. Per hunc patrem cœlestem precati sunt: per hunc omnia quæ ad suam salutem pertinere cognoscerent, impetrarunt per neminem alium. Christus de se dicit: Venite ad me omnes qui laboratis. Non dicit: Venite ad unũ aliquem sanctorum. Ioannes dicit: Si quis peccauerit, aduocatum habet Christum. Non dicit, Aduocatum habet sanctorum aliquem, sub simulacris colendum. de quibus idem: Cauete ab idolis. Nos legimus illud: Vnus mediator hominum et Dei. Quo modo aduocatos præstent se sancti, qui ex hoc seculo migrarunt ad quos confugias, cũ ignores an omnia quæ tu hic facis, nota habeant: & omnia quæ petas, intelligant. qui sanctos pro arbitris et patronis ad Deum habent, faciunt ex eis Christũ. cuius unius munus est, non alterius, arbitrum & patronum agere. Obijcias: Memoriæ gratia sacra sanctis fieri, ut horum aras, templa, imagines, intueantes, oremus Deum qui illorum afflictionem, innocentiam, opera ac merita nobis quoq; prodesse uelit. Miserè hic peccatur: primò siquidem, quòd nõ intelligunt res aduersas diuino consilio nobis contingere, quæ implorandæ opis cogitationem ab ipso Dño, ab altero nemine excitent. iuxta illud: In afflictione mea inuocaui Dñm. deinde delinquitur quòd animos nostros in merita & opera sanctorũ quæ nobis salutaria sint, intendendos docent, cum unius Christi innocentia & meritis nostra salus nitatur. Dicas: In Christo quoq; sanctorum merita salubria esse. Ad quam rem quæso? ad comparandã remissionem peccatorum? At nos legimus in nomine Iesu Christi gratiam ac remissionem peccatorum fieri his uerbis: Baptizatur unusquisq; uestrũm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorũ. Dicit, In nomine Iesu Christi, non Petri, non Pauli. Dicas, fortasse ad consequendam post condonata peccata eam salutem quæ in gloriæ participatu cernitur. At Petrus in uniuersum ad salutem consequendã nullũ nomen sub sole nobis datũ dicit aliud quàm Christũ Iesum: Non est aliud nomẽ sub sole in quo oporteat uos saluos fieri. Quocirca crucifixi & elati Christi ad thronũ maiestatis diuinæ dignitatem labefactant, qui redemptionis beneficium soli Christo nõ ascribunt: & in huius laudis possessionem etiam alios admittunt, & eos quidem, qui nisi Christus esset, ut perditi salutem suã tueri non possent. Obijcias, si nullas imagines neq; homini, neq; Deo in quib. colãtur ungere fas est, cur igitur æneũ serpentẽ in deserto erigi, cur arcã Cherubim et ꝓpitiatoriũ extrui mãdauit Deus, in quib. sua diuinitas præsẽs adoraretur? Hæc cur ita iusserit fieri, eius rei certa apud ipsum causa fuit. At imagines tuæ non solum uerbo Dei nõ cõfirmãtur, sed etiã cum eo pugnant. Aeneus serpens ut figura quadã serpentẽ Christũ uteris serpentis capite cõminuentẽ exhiberet, diuinæ sapientiæ placuit: sicut huius mysterij Christus ipse interpres est apud Euangelistã propitiatorio Mosaico ueriũ propitiatorium adumbratũ declarat illud: Quem proposuit Deus propitiatorẽ per fidem in sanguine ipsius. iã uerò exhibito corpore lucis quod est Christus, ænei serpentis, templi, arcæ, Cherubim, propitiatorij figuræ ut cæteræ ueteris fœderis ceremoniæ tanquam umbræ euanuerunt, quas tu ad imitationem Mosaicã conflictis rerũ figuris, contra naturam ac uim noui fœderis repetis ac retexis. Ezechias rex cũ uideret æneũ serpentẽ adorari, eũ cõfregit. Vos imagines ante quas miseri homines adorabundi procũbant in genua, aras, templa, in quibus orationes affixas habeant, excoguatis contra eam, de qua Christus Dominus noster, sententiam: Veniet tempus, quando ueri adoratores non in templo hoc, sed in spiritu & ueritate Deum adorabunt. Si in templo illo diuino à Salomone extructo, si ad propitiatoriũ Mosaicũ coli fas nõ est in nouo fœdere Deũ, quanto minus in templis, in aris, in imaginibus à uobis sine uerbo Dei cõfictis, colere licebit maiestatẽ diuinã? sed in solo Christi cœlestis templi spiritu, & ipsa ueritate coletur, quæ opponitur iũ figuris ueteris fœderis, tũ omnibus formis quas uos diuis & Deo ipsi contra Mosæ hic traditã admonitionem additis, Ne facitote omnino simulacrum. Cæterùm in Heb. est רגחחה, id est impellare. pro quo noster: Ne fortè errore deceptus. Tropus sumptus ab homine impetu aliquo sic impulso, ut proximus sit ruinæ. cauenda simulachra esse ne causam ruinæ dent, impellendos suos autores à idololatriam.

Quæ creauit Dñs. אשר חלק, id est quæ partitus est sidera populis diuisa esse, quæ lucem, calorẽ, discrimẽq; dierũ & noctiũ afferũt, & partiũ anni uices tẽperent sole suæ lucis accessu & recessu, uer, æstatẽ, autumnũ, hyemẽ, sementis uẽ et messis tempora efficiente. Argumentũ à cõditione astrorũ sumptũ. Hæc condita esse quæ nobis deseruiant lumẽ suppeditantia, ergo adorari nõ debere. Idẽ de cæteris operibus, ut angelis, terrestrib. animantib. uolucrib. piscibus, iudiciũ. Turpe porrò fuerit seruos à dñis suis coli. Non est igitur quicquã quod hominis dignitatẽ æquè imminuat atq; simulacrorũ cultus. In quo uitio reprobãdo hominis creatio, natura, imperiũ qđ ab initio accepit in omnia, & fine q cernitur in societate cũ diuina natura cõtrahenda, & in bonorũ omnũ quæ Deus habet possessione. precũ uẽ redẽptionis quo nos redempti sumus, et status in quẽ trãsferimur tã redẽpti considerari debẽt: neq; cũ his uẽ cõmemoratis cõferẽda fœditas degeneris ac seruilis simulacrorũ cultus. In quo defectio à Deo sũmo bono & amissa liber-

libertate ſub tyranno principe mundi ſatana ſeruilis peccati conditio, quæ exitium et rerum omnium bonarum interitum affert, malignitas cœli & terræ, morborum uaria genera, bella, egeſtas, exilia, & tandem interitus (de quo Dominus: Ite male dicti in ignem æternum) ſpectantur. Cæterùm ſententiam hic aſtrologorum omitto, qui ex hoc loco colligunt, cuiq; genti ſuum ſidus lucere tum errans tum fixum in cœlo, à quo regatur illa, quòd hic legatur: Quæ Deus diſtribuit omnibus gentibus, quæ ſub omni cœlo ſunt. Sancti intelligunt ſe cœli, elementorum mundi, & eorum quæ ex his conflata ſunt, dominos eſſe, non ſeruos à quibus gubernentur. Iuxta illud prophetæ: A' ſignis cœlorũ ne formidato, à quibus profani homines ſibi metuentes, ſe non ſui iuris, ſed ſtellarum mancipia eſſe declarant. Simplicem ſententiam de uſu luminarium cœleſtiũ Moſes in Geneſi explicat. Neq; uerò negari poteſt ita etiam cœli lumina gentibus diuiſa eſſe, ut aliæ aliter eorum uim ſentiant, alijs calidius, alijs frigidius, alijs ſiccius, alijs humidius cœlum habentib. Quam uarietatem ſol obliquo ſigniferi flexu temperat, dum aliæ regiones perpetuo gelu rigent, ut ſunt uicina cardinibus mũdi & polis loca: aliæ uerò nimio æſtu feruent, ut ſunt gentes ſolis ſemitæ, quam ſignifer continet, ſubiectæ: aliæ temperatæ, ut ſunt mediæ ac interiectæ regiones. De qua temperatione cœli uaria, uates latinus:

Idcirco certis dimenſum partibus orbem
Per duodena regit mundi ſol aureus aſtra.
Quinq; tenent cœlum zonæ, quarum una coruſco
Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igni.
Quam circum extremæ dextra læuaq; trahuntur
Cærulea glacie concretæ, atq; imbribus atris.
Has inter mediamq; duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ diuûm, & uia ſecta per ambas
Obliquas, qua ſe ſignorum uerteret ordo.

Ex hac uarietate caloris & frigoris, humoris & ſiccitatis naſci quoq; in uita, uictu, moribus, ingenijs diſſimilitudinem cernimus. Nam aliter in toto uitæ morum & ingeniorum genere comparatos in frigido, aliter in calido, aliter in temperato cœlo homines eſſe conſtat. idem iudiciũ de animantibus & ſtirpibus eſt. Qua de re prolixior diſputatio non eſt præſentis temporis & inſtituti.

Vos autem tulit Dominus.] quem colatis, nõ deos Aegyptios. A' iure redemptionis per collationem pugnantium.

De fornace ferrea.) כור conflatorius fornax in quo metalla conflantur. Notatur crucis examinans ac probans ignis de quo uates: Quoniã probaſti nos, igni nos examinaſti, ſicut examinatur argentum. Cæterùm de tota conflandi ratione, ut in hac paretur ſuus fornax, tectum fornacis undiquaq; per flatile, ipſe ignis, uentus, plumbum, utq; hæc omnia ad myſticam rationem referantur, aliàs.

Iratuſq; eſt Dominus.) A' ſuo exemplo hortatur poſteros rebellium, ne à Deo deficiant: terram enim rebelles non poſſeſſuros.

Pacti.) ſeruandi per legem hanc: Dominum Deum tuum timeto, & illum ſolum colito. Non ſequamini deos alienos.

Quia Dominus Deus tuus.] maritus aeſtũ ſus tuus.

Ignis conſumens eſt.] Per obtrectationem ac zelotypiam, ut ſequitur:

Deus æmulator.] non ferens riualem, flammea eius ira & riualem & adulteram deuorans. De quo edaci igni propheta: Exardeſcet ſicut ignis ira tua. A' Dei non ferentis ſocium uindice ira dehortatio.

Si genueritis filios.) A' periculo & clade, qua affecti ſubituri exilium, relicta terra diuinis oraculis inclyta, & ſeruituri dijs alienis apud exteras gentes.

Teſtes inuoco hodie.] Pœnam Iſraelitas daturos idololatriæ ſub uinditibus cœlis & terra: cœlis nimirum æneis futuris, & terra ferrea, ut infrà capite uiceſimooctauo cõminatur. Sunt qui per metonymiam de angelis cœli & hominibus terræ incolis interpretantur. Alij pro teſtibus citari cœlum & terram dicunt propter eorum firmitatem, cis in rebellium aſpectum ſemper incurrentibus. Sicut etiam montes pro teſtibus alio loco ſumuntur: Audite montes iudicium Dei. Similiter lapides Laban congeſſiſſe legitur, qui fidei teſtes forent fœderis inter ipſum & Iacobum ineundi. Vnde loco גלעד nomen. Sed hic appoſitè pro teſtibus citantur cœli & terra, ut quæ Iſraelitis benignitatem ſuam, ſi fœderis leges ſeruẽt: et malignitatem ſi eas uiolent, tanquam ultores perfidiæ oſtendant.

Sed delebit uos Dominus.) uindicans adulterium. Exprimitur uis ignis edacis.

Atq; diſperget in omnes gentes.] in Aſſyrias, Babylonias, Græcas, Romanas, apud quas grauiſſimo exilio & diuturno peregrinantur.

Seruietisq; ibi dijs.] Hos colentes deſerti ſua religione: ut reperti ſunt qui beſtiæ idololatriam editis libellis etiam defenderent. deinde in idolis non ſolum ſimulacra ærea, lapidea & lignea numerantur, ſed etiam omnis cultus Dei uerbo non approbatus. Idolum ergo eſt quod adorant hodiæ Iſraelitæ, circumciſio, idolum, ſabbatum, dierum obſeruatio, & animantium delectus, idolum Peſah, quod ritu Moſaico ſingulis annis celebrant, idolum tabernaculorum feſtum. Nam hæc ſemel luce Euangelij abolita, & ab Iſraelitis retenta contra uerbum adminiſtrationis noui fœderis, pro humanis inuentis ac operib. à Deo habentur. Stat enim illud: Quod ſi circuncidamini, Chriſtus nihil uobis proderit.

Quæ hominũ manu fabricati.) Contrà Deus habet, quem uos contemnitis, de quo uates: Qui fecit cœlum & terram, maria, & omnia quæ in eis ſunt. Irridet utroſq; hic, & deos, & eorum cultores: deos quidem, qui hominum manibus elaborati ſint:

sint: cultores uerò qui humana opera adorent, Deũ opificem omnium contemnentes. Ex hoc loco petit Iesaias uanorum deorum irrisionem: Nunquid sculptile cõflabit faber, et aurifex auro figurabit illud?

Qui non uiderit.) neglecto Deo. de quo illud: Deus uidet abscondita. itẽ illud Græci uatis: ἐγὼ μὲν γὰρ οὐ θεωῶ Ζῆνα, ὃς ἐφορᾷ πάντα. Quo magis deploranda est cæcitas simulacricolarum qui cum æternam potentiam Dei ex mundi creatione intelligunt, non tamen eum ut Deum glorificant, mutantes eius gloriam per imaginem non solum ad mortalis hominis, uerumetiam ad uolatilium, quadrupedum & reptilium similitudinem efficiam, ut Apostolus conqueritur in epistola ad Romanos. Vbi is ad Mosen respiciens, ordine ad quarum rerum speciem, Deo imago iungatur, docet, recensens hominem, uolatilia, quadrupeda, reptilia.

Qui non audiunt.) Qui igitur exaudiant uos ipsorum cultores? Secus Deus quem patres nostri coluerunt, habet. de quo illud: Deus orationes iustorum exaudit. Salse irridet uanitatem idolorum. Mosen imitatur Dauid per contentionem tam explicatam, parata substantione: Deus noster in cœlo, omnia quæcunq; uoluit fecit: simulacrum gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquuntur: oculos habent, & non uident. Moses hic quatuor sensus numerat, qui desint uanis dijs, aspectum, auditũ, gustatum, odoratum, omisso tactu, quem Psalmus non omittit: Manus habent, & non palpant.

Cum quæsieris ibi Dominum.) tempore reconciliationis, sub finem exiliorũ & miseriæ tuæ.

Deum tuum.] ex fœdere cum patribus inito.

Inuenies eum.] in Christo propitium. ut is ipse de se expectando à Iudæis & acclamaturis in hæc uerba: Benedictus q uenit in nomine Domini. Locus manifestus de reconciliatione Israelitarum cum Deo patrum suorum. de qua etiam suprà in Leuitico Moses & reliqui prophetæ omnes, & post hos prophetarum & Mosæ oraculis fretus, clarè Apostolus in epistola quam ad Rom. scripsit.

Et tota tribulatione.) Mysterium crucis agitur hic. Deum inuenturos Israelitas benignum in ipsis rebus aduersis. Vbi duo intelligimus: Vnum, fœdere cum Deo iunctos cruci occasione peccati subijci: alterum, peracto crucis cursu ad pœnitentiam eosdem uocari per Euangelij patefactionem, cuius beneficio seruentur, electione diuina omnia salutaria ijs qui ex proposito ad salutẽ uocati sunt, conficiente. Exemplo sunt hic Israelitæ, quos iam longo tempore miserè in exilio uersantes tandem aliquando liberandos prædicit Moses. Intueamur mulieris solem & lunam habentis sub pedibus, & coronam duodecim stellarum gerentis in capite statum, ut hæc masculo genito in solitu linem fugerit, persequente eam draconc, satis constabit: quantũ aũt temporis in ea habitatura, & quando ex ea euasura sit, intelligum ij quibus notum est illud Ioãnis ex Daniele sumptum. Vbi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis. Quo tempore expleto, constituetur ex gentibus suam quoq; profanationem suum exilium, suam sub idolis miseram seruitutem ferentibus, & Israelitis unum sub uno pastore Messia benedicto ouile. de quo Dominus: Fiet unum ouile & unus pastor.

Nouissimo aũt tempore.) patefactionis aduersarij Christi per Euangelium tempore. De quo Apostolus ex Iesaia: Cum aduenerit redemptor ex Sion. aduentu uidelicet manifestationis sui per spiritum Euangelij, cuius aduentus initia iam sentimus, progressus maiores erunt, & exitus lætus sanctis ac salutaris, impijs tristis & luctuosus. De his extremis patefaciendi Christi per Euangeliũ tum Israelitis, tum gentibus, temporibus, multis in locis Moses, & post hunc cæteri prophetæ meminerũt. De spacijs autem horum temporum aliàs.

Reuerteris ad Deum.) circumcisus corde, ut infrà Moses habet: lotus aquis mundis, iuxta Ezechielem: animo inscriptam nouam legem habens, Hieremiæ sententia: signatus in fronte signo Dei, qui antè bestiæ charactere signatus fuerat, Ioannis oraculo.

Et audies uocem eius.] Euangelij Messiæ, depositæ per pœnitentiam rebellione.

Quia Deus misericors.] Patris affectum nunquam exuens. de quo illud: Sicut miseretur pater filiorum, ita miseretur Deus timentibus sc. Ratio reconciliationis à misericordia diuina, non à merito gentis ducitur. In clementia igitur diuina, non in dignitate nostra & operum nostrorum, consistit salus nostra.

Non deseret.) etiam si uideare hostibus tuis desertus. Quid enim hodie abiectius Israelitis? Accõmoda hæc ad prophanationis spiritualis Ecclesiæ tempora. Mysterio externi exilij Israelitarũ perpenso magnam hic consolationem accipies.

Nec omnino delebit.] Suprà legitur: Sed delebit uos: hic, Neq; delebit te. Parentum igitur hic affectio exprimitur, qui iam irati rebellibus liberis extrema minantur: iam reconciliati deflagrante ira, dum uident eos redire ad meliorẽ frugem, meliora promittunt.

Nec obliuiscetur pacti.) A fide & constantia fœderis, quam fallere, qui uerax sit & sibi constans, nequeat. Tria grauissima argumenta quæ nos in omnibus rebus aduersis consolentur, diuinus spiritus hic proponit. Vnum, à potentia: alterum, à clementia diuina: tertium, à constantia & fide fœderis non leuiter. sed interposito iureiurando initi & confirmati, ducitur.

Patribus tuis.) propter quos secundum electionem omnia in uobis anteuertentem, semper chari Deo estis, cadentes & resurgentes, ignominiosi & gloriosi, inimici & amici. Nam huius dona & uocatio huiusmodi sunt, quorum ipsum nunquam pœniteat, quæque nullus casus labefactet. Itaq; A-

postolus: Secundum Euangelium inimici quidem propter uos. secundū electionem autem dilecti propter patres. Amantur ne incredeli, amantur ne inimici? Amantur quidem personæ, uitia odio habentur. si inimicos spectes, legimus illud: Si cum inimici essemus, reconciliati sumus, etc. De incredulitate uerò, hoc ciusdē Apostoli: Et isti nunc incredeli facti sunt, propterea quòd uos misericordiam estis adepti, ut & ipsi misericordiam consequantur. Incredulitas igitur tantum abest, ut diuinam electionem euertat, ut etiam hac præmuniente uiā, Deus per incredulitatem occasionem declarandæ suæ clementiæ arripiat. Libet igitur cum eodem Apostolo exclamare: O profunditatem diuitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei. Hanc admirabundā diuinæ sapientiæ exclamationem non intelligunt, qui humanos casus ex suo, quod fingunt, libero arbitrio, non ex infallibili præscientia Dei metiuntur.

Interroga de diebus antiquis.) Prodigia quibus lex promulgata est & cætera beneficia in Israelem collata, repetit.

Ex quo creauit Deus hominem.) Hominis meminit ut principis mundi & conditi, qui spectator & interpres esset in terra operum Dei.

A summo cœli.) An inter cœli extremos fines quàm latè patet mundi ambitus, tanta res unquā fuerit aut fando audita sit, quantam uos audistis? Interrogatio admirationis commouendæ gratia adhibetur.

Tentationes.) pericula & exempla crucis uaria ad probandos electos in Aegypto adhibita. Calamitates igitur & res aduersæ non sunt irati Dei, sed beneuolentis suis signa qui tentet suos non ut perdat, sed tanquam aurum igni exploret atq; perficiat. sequitur enim: Quia dilexit patres tuos.

Signa atq; portenta.) decem Aegyptiorum plagæ.

Per pugnam.) Aegyptiorum primogenitis, duce angelo interfectis, & eorum dijs iudicatis.

Et robustam manum.] deducto per eam exercitu Israelitarum ex Aegypto. De qua manu in carmine gratulatorio: Dextra tua Domine magnificata est in fortitudine.

Et horribiles uisiones.) Ostenta ingentia edita absorpto Pharaone cum magis & exercitu eius in mari rubro, & per nudum sicco pede trajicientibus Israelitis.

Vt scires quoniam.) Vsus miraculorū, cognitio Dei per fidem deorum alienorum cultum auferens. Vt legitur hic: Et non est alius præter eum, qui scilicet suos rebus aduersis, euersis hostibus, liberet.

De cœlo.) sede oraculorum suorum.

Vt doceret te.] Vsus legis diuinæ. יסר non est leuiter docere, sed castigantis & emendantis more erudire. Quod officium pædagogiæ legali cōuenit. Princeps igitur uis legis in docenda uoluntate Dei cernitur: fortuitum manus accusare, condemnare & occidere. Quod occasione peccati legi imponitur. Si enim peccatum sustuleris, iam nō tuum hominem delectarit, non turbarit lex diuina, ut Apostolus fatetur: Delectat enim me secundum interiorem hominem. Itaque non malo, sed bono suo Israelitas lege seuerius castigat Deus, ut hac tanquam pædagogo gubernati in Christo per agnitionem sui remissionem noxæ inueniant. Non igitur odio gentis Israeliticæ, sed amore eius lex promulgata est ex medio igni. Vt hic in Mose indicatur: Vulnerat enim Deus, ut sanet: trascitur, ut beneuolentiam declaret: occidit, ut uiuificet. Legis igitur Mosaicus finis non est occidere, iram diuinam intentare, uitia augere: sed intentata per occasionē peccati, morte, ira, uitijs auctis, pædagogiæ munere uelut manu ducere, præeunte spiritu timoris ad medicum & seruatorem Christum, qui mortuis uitam, in ira diuina positis gratiam, uitijs obrutis ueram probitatem quæ Deo probetur, concedat. Etenim lex autoris sui naturam refert, qui de se dicit: Nolo mortem improbi, sed potius, ut in uiā redeat & uiuat. Alia igitur ratio pædagogiæ legislatoris Mosæ, alia disciplinæ moralis & ciuilis aliorum legislatorum est. Hi naturæ leges communes omnibus tractant, nullam rationem Christi ad quem dirigant tanquam pædagogi & tutores habentes. Ille uerò pædagogi munere fungens, habet. Hinc tot oracula, tot latentes conciones sub inuolucris ceremoniarum de Messia apud Mosem leguntur, quibus cæteri legumlatores carent. Itaque non temerè promissum à Deo est, ut legem suam Moses non promiscuè omnibus gentibus, sed Israelitis: non quouis loco, sed ad Sinam montem promulgarit in Arabum solitudine. Quos autem Israelitas Israelitæ adumbrent, licet cognoscere ex Apostolo ad Galatas: Dico autem quandiu hæres puer est. Hi hæredes pueri ordinati ad uitam sunt, qui pædagogo lege sub timore diuino gubernati ueniunt tandem ad eam fidem de qua in Actis: Crediderunt quotquot ordinati erant ad uitam. Inde quoq; fit, ut Sina mons, ad quam lex Mosaica promulgata est, conterminus sit Sioni monti à quo lex spiritus adoptionis per Euangelium, editur, gratiam, ueritatem & uitam omnibus quorum nomina scripta sunt in cœlo, afferens. Qualis autem spiritus, adoptionis spiritus sit, liber ab elementis mundi & tutoria legis potestate, certiores reddēs de fauore Dei & assignatā hæreditate cœlesti, quam certò adeamus nulla ui aduersariorum potestate impediente, ea de re aliàs.

Et in terra.] In quam de cœlo deferuntur oracula diuina & omnia bona.

Ostendet tibi ignem.) Cuius beneficio aliquā do tu terrena natura depositā, cœlestis redderere in igneam Dei naturam conuersus. De quo paulo suprà: Deus ignis est.

De medio ignis.] Deus ex medio igni loquitur,

tur, cuius ministrum sermo talis sit, qualis describitur ab Apostolo: Viuus est sermo Dei & efficax. Contrà homines de terra inerti elemento mundi loquuntur, qui ipsi terrestres sint. De quibus Dominus: Qui è terra profectus est, terrenus est, & è terra loquitur, non ex igni cœlesti, Et ut è terra loquuntur, ita eorum sermo non igneus est, non efficax, non uiuus, sed languens, iners & mortuus. Intueamur bestiam è terra ascendentem & doctores eius. Contrarius sermo est eius cui oculi, uultus, thronus, oratio, ministri, flammei tribuuntur.

Qui dilexit patres tuos.] Ad sequentia pertinet: Qui dilexit patres tuos, & progeniem eorum elegit, tanta beneficia in uos liberationis ex Aegypto declarauit. Locus de electione diuina, huc omnia Dei munera quibus sancti ornantur ne quid de dignitate sua glorientur, esse tribuenda, liberationem, uictoriam hostium, hæreditatis possessionem. Vt sequitur:

Eduxit te præcedens.) instar pastoris præ se magna cura gregem agentis. Sic in Exodo legimus de angelo Domini מריל מאחריהם nonnulli interpretes בעיר pro בעם interpretantur: Eductos Israelitas in ira accensa in Aegyptios. Citant similem locum רפניך תרלכים בקרב.

Scito ergo hodie.) Concludit hortationem summatim repetitis argumentis.

Quod Dominus Deus ipse est Deus.) Breuis notatio diuini numinis, hoc omnia quæ cœlo & terra continentur, impleri, id est sapienter regi & cõseruari. Quod agnoscere quia caput est legis seruandæ, ideo sequitur: Custodi præcepta.

Tunc seperauit.) De Asylis uideris in Numeris, quæ hic exprimuntur.

IN CAPVT V.

DEus noster percussit.) Præparatis hortatione Israelitarum animis, ad explicandam legem aggreditur, exordio facto à fœdere, quo legis seruatio continetur: & à iure redemptionis ex Aegyptia seruitute, quod causam tum ponendi leges in redemptore, tum exequendi eas in redemptis continet.

Non cum patribus nostris.) De fœdere accipitur coniuncto cum promulgatis legibus, & beneficio liberationis tot prodigijs declaratæ. Quale fœdus neq; cum Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, neque cum maioribus qui in Aegypto obiere, sanctum fuit. Sicut etiam de diuino nomine legimus id maioribus indicatum non fuisse.

Facie ad faciem.) coràm ac præsens cum ostentis quæ patres uidere non contigit.

Ego sequester.] in legis administratione Moses sequestrem agit, in Euangelij Christus. Hinc illud: Lex per Mosem data est, gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est. Et de Mose Apostolus: Lex ordinata per angelos in manu interpositoris.

Timuistis enim ignem.) Ratio concessi sequesti is à splendore maiestatis loquentis Dei. At si administratio condemnationis in tanta gloria fuit, in quanta est administratio iusticiæ per fidem in filium?

Et non ascendistis in montem.) Contrà de Sione monte propheta: Venite, ascendamus ad montem Domini, docebit nos uias suas, legem uidelicet Euangelij suauem, & amabilem legem.

Ego Dominus Deus tuus.) Vtroq; iure & fœderis & liberationis ex Aegypto. Vt sequitur:

Qui eduxi te de terra Aegypti.) Vt solutus legibus Aegyptiorum, meis, quas tradam, pareas.

Non habebis eeos alienos.) ad quos confugias in rebus aduersis imploratum opem, & quibus gratitudinis ergô lites in rebus secundis. A lege prohibente contraria amori Dei unius exorditur decalogum. Cum igitur lex diuina doctrina sit à Deo promulgata, docens quæ à nobis agi conueniat, prohibenq; contraria, duplex legum genus à Mose proponitur. Vno præcipiuntur honesta, altero uetantur contraria. In honestis amor Dei, & hominum continetur, in contrarijs quæ utrorumq; dilectioni dissentanea sint. Vt si Deum spectes, cũ huius amore, aliorum qui finguntur, cum natura nulli tales sint, deorum cultus, nomen diuinum inaniter adhibitum, sabbatum contemeratũ, pugnant. Amori hominum aduersa sunt furta, adulteria, homicidia, falsa testimonia, cupiditas rei alienæ. Primò autem præcipitur amor Dei, deinde dilectio, qua homines ipsi inter se diligant, quæ Dei amore tanquam norma quadam ac regula dirigitur. Incidunt enim sæpe tempora ut lex de amore parentum, magistratus, coniugum, liberorum, cedat legi de amore Dei. Exempla satis nota sunt Israelitis, prophetis, apostolis. Qui autem dij alieni habeantur, & qui dicantur eos colere, de eo aliàs.

In aqua sub terra.] Respicit ad dispositionem terræ, & aquarum, de qua in Genesi capite primo meminerat. & de qua uates, Quia ipse super maria fundauit eum, de orbe terrarum loquens.

Ego.] non alius.

Sum Dominus.) rerum omnium fabricator et conseruator, in quo cuncta spirant, mouentur, & sunt. Quod innuit naturæ nomen יהוה.

Deus.) uindex malorum, & retributor bonorum.

Tuus.] tibi fœdere, non cæteris gentibus iunctus. In hac cognitione tanquam in cardine fides ipsa uertitur. Nam agnoscere Iehouam Deum tuum esse, qui tibi in rebus aduersis opem ferat, & res tuas secũdas ornet, augeat atq; cõseruet, hoc ipsum fidei opus est, quod hac lege præcipitur, & cõtrarium prohibetur.

Deus æmulator.) Se obtrectatorem ac zelotypum, deos alienos riuales, & horum cultores spon-

ſam adulteram uocat. Quantam autem obtrectatio ac zelotypia curam afferat, quàm animos zelotyporum urat, ſentiunt qui hoc morbo laborant: qui quàm grauis ſit, diuinus ſpiritus in Numeris docet nos. Humanis uerbis hic ſcriptura loquitur, Deo æmulationē aſcribens, ut diuina intelligantur.

Reddens iniquitatem.) A' periculo ac clade.

Et faciens miſericordiam.) A' præmio. Repetuntur hortationis loci inter explicandam legē.

Non uſurpabis nomen.) Quid nomen Dei, & quoties uſurpetur id inaniter, & ut idem nomē honeſtè adhibeatur, de eo in Exodo.

Obſerua diē ſabbathi.) De hac lege ſæpe aliàs.

Sex diebus operaberis.] memoriam creationis mundi ſex diebus à Deo conditi agitans. Violant igitur ſabbathum ij de quib. uates: Dixit ſtultus in corde ſuo, Non eſt Deus. item: Nō uidet nos.

Requies Domini Dei tui.] q ui in ſeptimo die condito homine ab omni nouo opere uacauit. Profanant igitur ſabbathum, qui immemores dignitatis ſuæ, utijs ſeſe inquinant, non cogitantes Deū iā homine condito ſexto die, ſeptimo cum præſtantiſſimum pro ratione primæ molitionis conditū ſet, opus, ocium ſanxiſſe.

Memento quòd & ipſe ſeruieris.) Ab exemplo, ad commouendam miſerationem, in ſeruos, & ad excitandam memoriam beneficij, quod in redēptione ex grauiſſima ſeruitute exhibitum fuit accommodato. Nam ad clementiā promtiores ſunt, qui aut ſe quoq; calamitates pati poſſe arbitrantur, aut iam paſſi ſunt, & euaſerunt. Tales enim communem mortaliū ſortem multis malis obnoxiam perpendunt, de rebus aduerſis minimè ſecuri, & ſecūdas ſuſpectas habentes. In ſabbatis igitur Iſraelitæ creationis mundi, ſabbatiq; quod Deus illo conditō ſanxit, & liberationis ex Aegypto & reliquorum beneficiorum memoriam agitabant. Cæterùm quod præcipit hic ſeruorum habendam eſſe rationem, ea ratio & cura in duabus rebus cernitur, in benefaciendo, & in diſſimulandis nonnullis illorum uitijs. Benefacimus autem ſeruis, cum eis ſuū uictū præbemus: eosq; ab iniuria, cui ſeruilis uitæ cōditio obnoxia eſt, defendimus: mercedē eis benignè & ſuo tempore pendentes, & ne ea temerè ab eis dilapidetur, curantes. Demum ſi eis ſuam requiem qua debilitatas uires inſtaurent, & uerbū Dei ad formandos animos pietate audiant, concedimus. Nam omnino dominorum officium eſt, utrumq; in ſeruis curæ habere, corpus & animum: corpus quidem, ut id ſua alimenta & quietem teneat: animum uerò, qui uerbi Dei pabulo reficiatur ad cognoſcendam uiam ueræ ſalutis, qua percepta amplificent nomē Dei patris in Meſſia benedicto. Hoc facile domini præſtabunt, ſi cogitent primò & ſe homines eſſe, cum quibus ſeruis omnia naturæ lege, qua nemo ſeruus eſt, communia habeant. deinde ſi perpendant ſe eadem religione, eiſdē ſacris teneri, in quib. diſcrimen inter ſeruos & liberos nullum in Deo agnoſcitur, apud quem neq; liberi, neq; ſerui, neq; fœminæ, neq; mares, neq; Hebræi, neq; Græci habetur reſpectus. poſtremò ſi ſe cum conſiderent ſe quoq; tenere Dominum in cælis Chriſtū Ieſum, qui eadē lege quæ iā expoſita eſt, cū ſuis agit, eos fortuitis corporis et animi bonis ornans, & multa uitia diſſimulās, cū tamē is æquiſſimè qui iuſtus ſit ea punire poſſet, nos non itē, qui ijſdē quibus ſeruis ſunt obnoxij, morbis laboremus.

Honora patrem & matrem.) Primæ tabulæ legibus quæ ad Dei cultum pertinent, explicatis, iam leges quæ ad ſocietatem, qua homines inter ſe coniuncti ſunt, tuendam, ſpectant, exponuntur. Paria igitur ſocietas, quæ inter parentes & liberos intercedit, hic confirmatur. Cæterùm quàm latè pateat hæc lex, in Exodo expoſitum.

Vt protelentur.] Ex contrario igitur breuis uita eorum erit, qui parentibus ſuum honorem non tribuunt. Par porrò eſt ex talionis lege, ut ijs uita præcidatur, qui parentes fontem uitæ ſuæ ſecundū Deū, dehoneſtant. Quocirca etiam hoc nomine uenerandū eſt nomē patris, qui nobis referat parentē omnium Deum, & matris quæ nobis matrem illā cæleſtem Eccleſiam electorum, ex qua generantur liberi diuinitatis conſortes, repræſentet.

Non occides.) Prohibentem legem proponit, ſed natam ex præcipiente contrarium, Diligito alterum ut teipſum. Ratio legis nota ex Geneſi, & ex lege de amore Dei, cum quo hominum amorem coniungi docet Ioannes: Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Inlege, Ne occidito, cauſa etiam homicidij continetur, odium, de quo ſuprà. Nec non eadem lege ius gentium confirmatur de mulctandis homicidis, & ultori inferentibus.

Neq; mœchaberis.) Stabiliuntur hac lege matrimonia, & uetantur contraria, libido, ſcortatio, adulteriū, incæſtus, & fœda quā fas nō ſit nominare cōgreſſio, qua beſtiæ regnū repleri, ut quæ cōtigia phibeat ſuis, non eſt mirū. Hac lege Decalogi nititur lex ciuilis plectens adulteros & nefaria libidine notatos. Nō cōmemoro quanta ſemper ira Dei exarſerit in huius legis uiolatores. Matrimonijs enim labefactis, neque domeſtica maris & fœminæ, neq; ciuilis ſocietas, ut liberis ſic etiā patrimonijs cōfuſis, conſeruatur, & eius coniugij quod inter Chriſtum & ſponſam Eccleſiam contrahitur, memoria in hominum animis extinguitur.

Furtū nō facies.) Confirmatur hac lege rerum proprius ac priuatus uſus, dominatusq; ſtabiliūtur, & diuiſiones rerū, quas gentiū ius, ut cōſentaneas legi Decalogi, cōprobat. Nā ne furtū cōmittatur unuſquiſq; ſuū poſſideat, hic præcipitur. Vetātur igitur hac lege rapinæ, uſuræ, & in rebus contrahendis malus dolus, & omnis cupiditas rei alienæ.

Nec loqueris.) ad ſubuertendos inſontes. Bifariam

fariam cõmittentes in hanc legem peccant. Nam ab eis ueritas opprimitur, & insontium res euertũtur, pariter in utramq; tabulam culpa admissa.

Non concupisces uxorem proximi.] Vt prima lege fons iusticiæ, qui amor Dei est: sic hac fons peccati aperitur, quæ cupiditas rei alienæ est, originis illud utriũ per primorũ parentum inobedientiam in omnem eorum posteritatem deriuatũ. Vsus ergo Decalogi est, ut causam ac fontem cùm honesti tum turpitudinis intelligamus: & in co uelut in speculo nos ipsos quales tum simus, tum esse debeamus, cognoscamus: demum, ut agnita uitiosa natura duce gratia electionis per spiritum timoris non natura, sed electionis diuinæ gratia inditum, medicinam petamus in filio unigena, qua uitiosa natura sanetur.

Nihil addens amplius.] Quæ sequuntur, exponunt hunc locũ: Si autem audiuerimus ultrà uocem Domini, moriemur.

Maiestatem & amplitudinem suam.) ignẽ, fulgetras, tonitrua, horrendum montis motum.

Cur ergo moriemur.) Duo notantur hic: unũ humana fragilitas est, minimè sustinens splendorem diuinum in igni carnem, fœnum, ligna exurentem, abbarentem. Exempla in Monoah, Daniele, apostolo Paulo satis nota. Alterum, regeneratione opus esse, qua ex igneo Christi spiritu deriuato uetere homine, loquentem nobiscum Deum feramus. Quales sunt prophetæ, apostoli, & per hos oraculorum administratione geniti filij Dei. Locum ergo hic creata intelligentia, lumen naturæ, uis ingenij natiua nequaquã inuenient, quæ conspectũ splendoris maiestatis diuinæ minimè ferunt: lumen autem fert de quo uates: In lumine tuo uidebimus lumen.

Quid enim est omnis caro.) Quæ stipula & fœnum igni opportunum est, de qua illud: Omnis caro fœnum.

Et nos audientes faciemus ea.) Similiter in Exodo: Omnia quæcunq; locutus est faciemus. Paraphrastes כבר habet, quod est pro certo & indubitato recipere. Vnde uox Cabala Hebræorum deriuata. Sed noster Apostolus ueram cabalam expo:it ad Timotheum, ubi meminit ἀναδοχῆς, quod Cabala est qua recipiendum Christum Iesum in mundum missum, ut peccatores saluos faciat, monemur.

Quis det talẽ.) σκληροκαρδίας hæc dicuntur. Durum & saxeum Israelitarum cor respicit, quod sciret non naturæ ui, sed spiritu filij emolliendum ad exequendas leges ex sententia Dei.

IN CAPVT VI.

VT timeas Dominum Deum tuum.) Cauens quæ prohibuerit, & sequens quæ præceperit, interprete uate: Beatus ur qui timet Dominũ. in mandatis eius uolet nimis. Metuere ergo Deum, est uenerari ac colere Deum eius legibus. Is metus, piorum est cum dilectione Domini, de qua mox, cõiunctus. Adijcit promissionem longæ uitæ, numerosæ sobolis, & terræ affluentis lacte & melle. Quæ ueteris fœderis promissio est.

Dominus Deus noster.] Suprà deos alienos colendos non esse, præceperat: hic prohibentem legem exponens, affirmantem affert: Vnum esse Deum colendum. Ex pugnantibus argumentũ ducitur: Si unus est Dominus omnium fabricator & conseruator, alij non erunt quibus fidas, quosq; colas & amplexere. Itaq; intelligimus hic primò unum esse opificem & rectorem mundi: deinde, hunc opificem nostrum esse Deum, qui nobis faueat, cui tutò in rebus aduersis nos & nostra omnia cõmittamus. Legitur enim hic: Dominus Deus noster. Itaque non satis fuerit cognoscere unum cõditorem omnium esse, nisi agnoscas hunc tuum quite curæ habeat, seruatorẽ esse. Nam etiam impij, ut Apostolus ad Romanos disputat, intelligunt, ab uno rectore mundũ hunc regi. De qua opinione tot philosophorum & poetarum præclaræ, quas nihil refert recensere, extant sententiæ. Sed qui a hi hoc numen suum Deum cui se credant, & à quo amentur, non agnoscunt, in hanc legem, Dominum Deum unũ colito, delinquũt. Nam hi quem unum Deum intelligunt, non ut Deum glorificant, id est suo cultu qui fide constat nõ honorant, ut hodie Iudæi, Turcæ, & ij qui bestiam, eius signum in frontibus gerentes, adorant, faciunt. Dominus se unum hic dicit, ut à quo uno omnia proficiscantur & pendeant, ipse à nullo oriatur & pendeat. Quæ in re unitati uerè comparatur, quæ ut à nullo numero pendet, sed à se est, alij autem numeri ab ipsa tanquã à perenni omnis multitudinis fonte dimanant: ita Deus se habet, qui à seipse est, à nemine alio pendens, uniuersitatis rerum initium, cuius singulis partibus suã naturã, metũ & uitam impartitur, eis intimè se inferens, ut unitas cunctis numeris sese communicat, eos efficiens & conseruans. Itaq; legitur hic, Dominus Deus noster unus est. Sic etiã unũ pulchrũ, à quo omnia pulchra: una sapientia, à qua omnia quæ sapiũt, sapere dicũtur: una uita, per quã cũcta spirãt quæ uiuũt. Legimus præter hũc unũ Deũ etiã alios deos esse, ut est apud prophetã: Deus deorum Dñs locutus est. item: Ego dixi, dij estis. Hi tales sũt nõ à se, sed per participatũ diuinitatis q̃ à se natura Deus est. Itaq; uatis uerba explicans Dñs noster dicit eos deos esse ui quos Dei sermo uenerit. Nã ex huius spiritu homines regeniti filij Dei & dij gignuntur. unus igitur est Deus, unũ bonũ, unũ pulchrũ, una sapientia, una uita, per se & sua natura. Hoc unũ quod amplectamur fide, est necessariũ illud unum de quo Dñs apud Lucã: Atqui unum est necessariũ. De quo ex Mose hanc de hoc uno præmiserat mentionem: Diligito Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

Diliges Dominum Deum tuum.) ut unum, ut summum bonum, & autorem omnium eorum quæ iudicantur bona. Nam causa

dilectionis, bonum ipsum est: odij, malum. Et quia modum amori bonum ipsum quod amatur, imponit, aliter Deus, aliter homines, aliter quæ infra Deum & hominem sunt, amantur. Inferioris notæ opera amantur prout quodq; horum à Deo bonum, id est ad aliquem sui usum conditum est. Sic aliter sidera, aliter metalla, aliter stirpes, aliter animantia rationis expertia quodq; pro nota quam præfert diuinæ bonitatis (de qua in Genesi: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona) diliguntur. Homines autem ut proximè ad diuinam naturam accedunt, sic præstantiore amore prosequi decet: & ut pariter omnes diligas, neq; aliter quàm te ipsum, partim id prima creatio, partim renouatio te docuerit. Similiter enim omnes ad Dei imaginem in primo Adamo efficti sumus: & eodem precio redempti, ad parem dignitatem in secundo renouamur. At quoniam homini ipsi & reliquis operibus suis Deus solus naturæ præstantia dignitate antecellit, consequitur hunc supra omnia, & præ omnibus amandum esse: & eo modo amandum, quem Moses sequentibus uerbis exponit:

Et toto corde tuo.) ea hominis parte quæ intelligentia ac mens dicitur, quam scriptura לֵב appellat.

Ex tota anima tua.] ea parte quæ animalis appellatur, sensus corpori inclusos continens: atq; ita, ut etiam uitam pro eius gloria asserenda non dubites profundere. Quod uolunt in נפש intelligi.

Et ex tota fortitudine.) pro uiribus & summo conatu. Notatur etiam conatus quo se animus per externa corporis membra profert. Nam in hac facultate, linguæ, pedum, manuum, oculorum, aurium usus, de quo statim mẽtio fiet, cernitur. Sic enim formatus est homo, ut & animo quem ex sacro hiatu Dei accipit, & corpore Deo seruiat. Itaque hac lege hæc docemur: Primò, integrum hominis statum in eo consistere, ut omnia in eo mens, anima, corpus, diuinæ legi respondeant, nulla pars dissentiat. Qualis fuit primi Adami ante contractam culpam status. de quo Salomo: Quòd fecerit Deus hominem rectum. In quo corpus animæ, hæc menti, mens uoluntati diuinæ obediebat. Secundò, à contracto originis uitio integrum illum statum amissum, omnibus in homine deprauatis, mente, anima, corpore, fœda concupiscentia in corpore peccato & morti obnoxio grassante aduersus diuinam in mente residentem legem. Quæ concupiscentia hac lege prohibita, Ne concupiscito, amori tum Dei tum hominum aduersatur, qui hic præcipitur, Diligito Deum. Tertiò cognita uitiosa natura per legem nos remitti à Mose tanquam pædagogo ad Christum unicum huius morbi curatorem. de quo ille ipse in Genesi: Donec uenerit Silo, id est Messias. & in hoc libro: Suscitabit Deus propheta. Is aũt duo præstat in reparanda uera integritate. Vnum expiatio peccati est, quo per mortem suam lustrato, efficit ne nobis concupiscentia contraria amori Dei quicquã noceat. Alterum spiritus sancti donatio est, quem nobis à morte excitatus ad uitã per resurrectionẽ largitur, qui sæuã beluam concupiscentiã conficiat, & oppressum Dei amorẽ in animis nostris tanquã ex cineribus resuscitet, ut quæ in uetere natura cum Deo pugnarunt, in noua consentiant, reparato recto statu quãtio primorũ parentum perditus fuerat. Sed id dissimiliter accidit in hoc seculo atq; futuro. In hoc seculo enim renouatio in interiore homine qui mens est, incipit, non item in extimo illo qui totus carnalis legi subijci dũ uiuit nequit. Vt Apostolus his uerbis testatur: Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum. nam legi Dei non subditur, siquidẽ ne potest quidem. in futuro autem resurrectionis ex mortuis seculo, ut absoluetur instauratio animorũ & corporum, ita in utrisq; tum solũ implebitur hæc lex: Diligito Deũ tuũ ex toto, &c. Demũ igitur cognoscitur ex hac lege de diligendo Deo, quis sit finis electorũ & uniuersæ legis diuinæ, hanc esse dilectionem Dei, & hominum ex corde puro, iuxta illud Apostoli: Porrò finis legis est charitas ex puro corde. Sed quem finem nos consequi nõ possimus uiribus naturæ, sed eius ad quem nos tum Moses tum prophetæ remittunt, & quem claris his uerbis indicat Apostolus: Nã perfectio legis est Christus ad iustificationem omni credenti. Hoc ultimũ bonorum quod resurrectio ex mortuis per Christum adhibet, ignoratum philosophis et cognitum sanctis, consistit in ea coniunctione, de qua Dominus eius autor: Oro ut sint unum, sicut ego & tu unum sumus. At hæc coniunctio amoris diuinus est, quem Moses hic præcipit, et Christus spiritu suo præstat, imò ipse spiritus sanctus est quo Deum supra omnia diligimus. Quapropter cum præcipitur amor Dei, præcipitur ipsa uis diuinæ naturæ qua Deum amemus, non creata aliqua uis ac natura, amor nimirum ille mandatur qui in nobis spiret. de quo apud Ioannẽ: Deus amor est, & qui manet in amore, in Deo manet. Amamus igitur Deum per Deum amorem, non per creaturam aliquam.

In corde tuo.] proxima amoris Dei & fidei sede. Iuxta illud: Corde creditur ad iustitiã. Et Salomo: Scribe eum in tabulis cordis tui.

Et narrabis.) oratione cordis interprete. In mente Dei amorem uersari, & cum sermonis beneficio ad amplificandam gloriam Dei proferri. Itaque Apostolus: Ore fit confessio ad salutem. Comprobatur hic ministerium uerbi quod oratione peragitur. Monemurq; dicendi facultatem diuino munere homini tributam, qua sacra oracula cum laude Dei exponantur. Abutuntur igitur lingua philosophi, qui uanas doctrinas extra uerbum Dei de hominis fœlicitate tradunt. abutuntur sophistæ, qui falsas opiniones de iustitia, de comparãda salute docent: quiq; in ore nõ legẽ de diligendo

gendo Deo in Christo, sed humanas doctrinas, id est blasphemias & conuicia habent, quibus plenum est os aduersarij sedentis in loco sancto. Hic legitur: Verba hæc quæ præcipio, narrato filijs tuis. Vbi שננתם propriè acuere est, pro accuratè ac diligenter explanare & sedulò inculcare. Metaphora nota est. Nam quis hebetis ferri usus? Quis fructus uerbi Dei, si huius tractatio acumine & acrimonia, quæ in admonendo & redarguendo adhibeatur, careat? Acuunt uerbum Dei qui suum cuiq; in iudicando tribuunt, figuris & umbris ueteris Testamenti quæ umbrarum, & ueritati expressæ, quæ ueritatis sunt assignantes, corporata corporatè, & spiritualia spiritualiter dijudicantes. Deinde acuunt qui Apostoli illud obseruant: Increpa, urge, insta. Obtundunt ac hebetant qui cũ falsis prophetis blandiẽtes dicũt: Pax. pax. Abutuntur item lingua qui caluanias iaciunt in insontes, qui res uanas, uoluptates, opes, usuras, honores, scurriles iocos, ore crepant. demũ qui legem diuinam in lingua sonant, ab ea animo absum, doctores literæ, non spiritus præstãtes, hoc est suam cum pharisæis, non Dei gloriam quærentes.

Filijs tuis.) Quo nomine uocantur etiam discipuli. Vt alicubi legitur de filijs prophetarũ. Itaq; addi scimus hic tum domi à parentibus, tum in scholis à doctoribus, tum in publicis concionibus ab oraculorum Dei ministris præceptum de amando & colendo Deo magno studio & diligentia docendum, & contrarias doctrinas de falso deorum alienorum cultu refutandas.

In domo tua.) Domi foris q; prædicandam amplitudinem Dei in filio Messia. Quæ sanctorum uocatio est.

Et ligabis ea.] Hoc imitatus est Salomo: Liga eam in digitis tuis. Quæ firma ac diuturna ad memoriam esse uolumus, manibus alligamus. Hinc apud prophetam Dominus de sanctis: Super palmas meas scripsi te. Primò igitur monemur, retinendam perpetuam memoriam legis de diligendo Deo. deinde, illam sanctis studijs & actionibus declarandam. Nam manus operibus destinatæ sunt. Itaq; ut supra: Vt faceretis. Monemur igitur hic manus nobis Dei munere tributas, ut ea quæ ad amplificandam gloriam diuinam ex præscripto legis de amando Deo pertinent, agamus, & eis salutem hominũ procuremus, non ad lædendum contra legem de diligendo altero abutamur. Ne nobis idem accidat quod Ieroboamo accidit, qui cum manus ad faciendos aureos uitulos conuertisset, & diuinũ prophetam lædere uellet, eas aridas retulit. Cum hic memorãtur cor, manus, os, indicatur Deum spiritu, actione, sermone q; coli: sed addumtur etiam oculi, ut sequitur:

Inter oculos.) in quibus quæ uersantur, non temerè ex memoria elabuntur, & chara ac grata nobis sunt quæ in oculis ferimus: ut contrà ingrata, quæ aspectu dignari recusamus. In oculis dicitur concupiscentia uersari iuxta illud: Et concupiscentia oculorum. Rectè igitur diuinus spiritus præcipit legem de diligendo Deo memoriæ custodiendam, quæ uitiosas cupiditates coherceat in oculis residentes, aspectúmque à uanarum rerum expetitione auertat. De quo illud: Auerte oculos, ne uideant uanitatem. Quod ut fiat, unus diuinæ legis spiritus, qui Messiæ spiritus est, præstat. Non sunt igitur hæc superstitiosè, ut Iudæi faciunt, de externis frontalibus inter oculos gerendis, & de insignibus manibus alligandis, exponenda: sed ex spiritus sententia de memoria legis ubique & semper conseruanda, & per totam uitam honestis studijs exprimenda. Sic enim Mosem interpretatur Dauid: Sed in lege eius meditatur die & nocte, ut eam uidelicet obeat, neq; usquam in eam committat.

Scribes q; in limine.) postibus & portis, ut nusquam non occurrat ingredientibus domum, inscribendam esse. Non commendatur superstitio Iudaica nobis, sed literarum usus, præcepta Dei literis consignanda esse, quæ mutus tum nostrorum animorum dum mentis diuinæ habentur, interpres, ut sermo uiuus. Igitur usus legendi literis tradita monumenta, hic diuino iudicio comprobatur.

Cum introduxerit te Dominus.] Explicata ratione conseruandæ legis diuinæ, & eius declarandæ, hic quæ auertunt ab ea, ostendit.

Et dederit tibi ciuitates optimas.] Primò luxum quem rerum copia affert, prohibet, qui ut auocet à Deo, infrà Moses indicat his uerbis: Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus dereliquit Dominum. Deinde auariciam, quam diuitiæ gignunt, quæ uera, teste Apostolo, idololatria est aduersa huic legi, Deos alienos ne habeto, cauendam docet. Nam stat illud: Vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum: id est spes & fiducia. Sapienter igitur Salomo precatus est: Tribue tantum ad uictum necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negandum te, & dicam: Quis est Dominus?

De domo seruitutis.) cuius memoria ambitionem, luxum, insolentiam tibi frangat. Vulgo dicitur, Gůt macht můt, armůt demůt. A beneficijs exhibitis hortatur ne sui memoriam exuant, ne hac negrecta pari olim clade afficiantur.

Dominum tuum.] in rebus secundis & bonorum abundantia, in qua ne insolescas, maximè opus esse tibi timore Dei, quo in officio pietatis retineare. Rectè igitur uates monet: Diuitiæ si affluxerint, nolite cor apponere. Quod ne fiat, timor Dei effecit. De quo illud: Timor Domini, declinare in malo. Debent ergo res secundæ pijs suspectæ esse, & aduersæ non iniquè ferendæ, sed in his fidendum Deo. Itaque in hoc seculo sic uiuendum nobis est, ut semper uiuamus, non cum hac uita, depositio metu Dei, alteram amittamus.

Et

Et illi soli seruies.] per fidem. Hic legitur, soli. suprà: Dominus Deus noster Dominus unus est. Secus solent facere profanæ gentes quæ res conditas quòd animaduertunt in eis quasdam boni notas & indicia, neglecto earum conditore, pro Deo colere non uerentur. Sic Indi solē & lunam, Chaldæi & Persæ ignem, alij aquā, alij aerem, alij terram, alij pisces, alij bestias, alij cœli aues adorarunt, & dīuinitatem eis tribuerunt. Ex Aegyptijs dispersis in uarias religiones Euenitæ piscem phagram, Mæoten piscem qui habitant Elephantinam, Ichneuomenem Heracleopolitæ, Sartæ ouē, Apim Memphicani, lupū Lycopolitani, canem Cynopolitani, hircum Mendosij coluerunt. Et reperti sunt qui mala, ne nocerent, pro dijs adorarunt, ut sunt, calamitates, pœnæ, febris. Hinc etiam Eumenidum & Furiarum cultus exortus est. Adeò legis huius, Vnum Deum & cum solum colito, uis in deprauata uitio originis natura obscurata est, ut etiā in legibus secundæ tabulæ eandem obscuritatem cernere licet. Nam inuentæ sunt gentes quæ furta commendarent, aliæ filiarum suarum prostitutionem, aliæ quæ liberorum immolationem, & aliæ quæ alia uitia contra leges naturæ commendarent.

Ac per nomen illius.) non deorum alienorum.

Non tentabis Dominum Deum.) Quod fere fit in rebus aduersis. Vt iam monuit, timorem Dei in rebus secundis non deponendum: sic hic docet, Deum in rebus calamitosis per diffidentiā, non tentandum.

Sicut in loco tentationis.] במסה de quo loco uideris in Exodo. apud hunc in Raphidimo stationo duodecimo propter penuriam aquarum dixisse leguntur: Est ne Deus in nobis, necne? Quæ tentantium uox erat, qui non contenti promissione diuina qua una fides nititur, modum, locum, tempus Deo præscripserunt, quod tentantium & diffidētium est, non fidentium uerbo Dei, & per patientiam expectantium promissam salutem. Israelitas qui hodie imitentur, satis manifestum, dum cogitant, Si sumus eius populus, si uerum est hoc Euangeliū quod profitemur, cur ergo nō hoc tempore nos iuuat, cur hostibus omnia tam prosperè succedere permittit? Tentatur item Dominus, quando præsidia quæ præstò sunt, recusantur: & q̄ absunt, temerè petuntur. Sic tentauit Satan Christum, cum hunc, ut de templi pinnaculo se in terram demitteret, sollicitabat, cum gradus per quos descenderet, non deessent. Similiter tentarunt Iudæi Dominum signum de cœlo quod ederet, postulantes, contemptis quæ satis erant ad declarandum exhibiti Messiæ tempus, præsentibus rebus. Notus est cœlibatus nostrorum temporum, in quo ut tentetur Deus, satis liquet. Ficta enim continentia suscipitur contra infirmitatem naturæ, cui medendæ condita est fœmina: quam falso cœlibes contemnunt, quærentes aut uano conatu miracula, quæ solita non sunt exhiberi: aut turpia remedia, quæ Deus in lege, Ne adulterato, respuit. Sed hoc quid aliud est, quàm tentando Deum contra primam legem peccare, hoc est contemnere Deum eius descriptione quam in creatione maris & masculi ad societatem conugalem adhibuit, neglecta: & alia forma, eaq; noua, quam repudiet etiam natura ipsa, petita? Legislator igitur hic uidens tentationem contrariam esse fidei & dilectioni Dei, monet: Dominum Deum uestrum ne tentatote.

Cum interrogauerit te filius.] Cultum Dei ad posteros transmittendum commemoratis beneficijs quæ alius nemo præstet Deus. De quibus his uerbis: Serui eramus Pharaonis. Deinde docet omnia oracula, ceremonias & iura eò spectare, ut lex de diligendo uno Deo conseruetur. Sicut legimus hic: Cum interrogauerit te filius. Quid sibi uolunt testimonia illa, ceremoniæ & iura? Dices ei.

Eduxit nos.] solus. sed quam ob rem? Vt ipse solus colatur, ut omnis spes, fides, amor in eo uno hæreat. sequitur enim:

Præcepitq; nobis Dominus.) iure redemptoris.

Et timeamus Dominum Deum.) non alios deos.

Eritq; nostri misericors.) Heb. צדקה habet. Id Israelitis iusticiæ datum uti, si timeāt ac diligant Deum, eiq; fidant, & præeunte timore omnia quæ præceperit Dominus, studeant obire.

IN CAPVT VII.

PErcuties eos.) ut idololatras. quos neq; terra mei cultui sacrata, neq; uos qui gens sancta estis, neque ego qui sim Deus zelotypus, ferre possim. Primò idolorum cultores, deinde idola euerti iubet cum lege, Vnum Deum colito, pugnantia. Qui suprà auaritiam, luxum, tentationem Dei, interna & uera idola ex animis euellit, tam externa quoq; aggreditur.

Non inibis cum eis fœdus.] ut ratione tributorum eis parcas, quibus diuina iusticia statim à diluuio exitio destinatis parcere renuat.

Neq; eis misereberis.] ut quos misericordiæ meæ fœdus tecum initum nō contineat. Dicas: Lex extat, Ne occidito. bene quidem. sed hæc lex secundæ tabulæ lex est, quam moderatur lex prima: Deum supra omnia diligito. Si hunc dilexeris, omnes tabulæ secundæ leges impleueris. Amor enim Dei omnem qua homines inter se diligunt, dilectionem gubernat. Leges igitur hæ scriptæ, Ne occidito, parentes honorato, non humano iudicio perpensis angustijs literarum, sed diuino ponderata mente legislatoris considerari debent. Quapropter Moses tam diligenter in explicanda prima lege uersatur, ut ad unam tanquam ad caput & fontem cæteræ referantur.

Neq; sociabis cum eis connubia.) Neq; ciuilem quæ in fœderibus, neq; arctiorem societatem

quæ in affinitate & neceſsitudine cernitur, contra hendam eſſe cum his ſeptem Chananæ gentibus. Cum cæteris populis ne fœdus ullum ineatur, non tanta ſeueritate prohibitum eſt,

Ne ſequatur me.) Exemplum in Salomone.

Aras ſubuertite.] Euerſis cultorib. idolis quoque manus affert.

Quia populus ſanctus es.) ad uſum fidei & amoris unius Dei ſacratus.

Te elegit.) Cauſa ſanctitatis, electio diuina. Huc reſpicit Apoſtolus: Quemadmodũ elegit nos in ipſo, antequam iacta eſſent fundamenta mundi, ut eſſemus ſancti.

Vt ſis ei populus peculiaris) tanquam theſaurus precioſus, quod ſonat סגרלה, iuxta illud: סגרלה מלכים: Huius theſauri precium declarãt tot beneficia, diuina oracula huic populo credita, ſed maximè Chriſtus ipſe Iſraelitis promiſſus & exhibitus: cuius ſanguis q̃ precioſus theſaurus ſit, uita ſanctorum per illam parta mundo, comprobat.

Non quia cunctas.] Amori Dei, non dignitati populi tribuendum, hunc præ cæteris gentibus, in quem ſuam benignitatẽ declararet, electum eſſe. Locus is de gratia meritorum & perſonæ dignitatis ſtatum deprimit.

Cum uos ſitis pauciores.] Deo uocante quæ non ſunt, & quæ ſunt diſſipante, ut potentiã ſuam illuſtrem reddat.

In mille generationes.] Amantes Dei in mille ſtirpes ſeruari, oſores uerò ſtatim diſperdi. Millenarius notus, quo ut denarij cubo notatur in æternum electionis diuinæ gratia ſanctos incolumes fore, de quibus uates: Et non derelinquet ſanctos, in æternũ cõſeruabũtur. Quãb. uerbis millenarius exponitur, de quo hic Moſes meminit. cõtrà uerò idẽ propheta diuino ſpiritu inſtructus impios celeriter perire, ut nus q̃ cum ſua potentia, gloria, opibus appareant, his uerbis indicat: Vidi impiũ exaltatum elatumq; inſtar cedrorũ Libani: trãſiui, & nõ erat: quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Dices, ſi ſtatim pereũt impij, & pij in mille ætates ſeruãtur, cur igitur hi præſenti uita tam infeliciter utuntur, illi feliciter, hac de re ſic cõquerẽte propheta: Penè lapſi fuiſſent pedes mei, &c. Diuinus ſpiritus ſanctorũ cõſeruationẽ ſpectat, non quæ fortuitis huius uitæ bonis æſtimetur, ſed cœleſtibus: quibus cum careburit impij, & eis fruẽtur pij, hi ſeruari, illi perire dicuntur. quibus in omniũ ſcelerũ genere uerſantibus, præſentis uitæ beneficiũ certũ exitiũ afferat, ut pijs calamitates & mors ipſa indubitatã ſalutem, immenſaq; gloriæ pondera moliuntur. Obijcias, ſi ad futurã uitã Moſes reſpicit, cur igitur mille ætatũ meminit, in quibus clementiã ſuam Deus ſit declaraturus erga eos à quibus amatur? cur benedictionis qua hoc ſeculo Iſraelitæ potiantur, mentionem facit, ut eſt longior uita, numeroſa ſoboles, clementia cœli, terræ benignitas, ab externo hoſte pax atq; tranquillitas? ut huic obiectioni occurratur, uiderint ipſi pij. Soſutio eſt in promptu.

Et diliget te, ac multiplicabit.) Partes benedictionis diuinæ adhibita diſtributione explicat. Numerantur hic quæ in præclarè conſtituta rep. commendãtur, in qua duo exponũtur: unũ εὐδαιμονία, id eſt felix ſtatus eſt finis reip. alterũ, res ipſæ quæ ad optimũ ſtatum referuntur. In quo optimo ſtatu tria ſpectantur, bona animi, corporis, fortunæ, animi ſi religioſi, ſi præditi timore Dei, ſi ſapientes, fortes, tẽperati & iuſti ſint: corporis, ſi ciues integra & bona ualetudine utantur: fortunæ, ſi ſuppetant ad uictũ & cultũ uitæ neceſſaria, ut ſunt arboris fructus, frumentũ, unũ, oleũ, metalla, animãtes. In his uerò quæ ad finẽ referuntur habẽtur agri, urbiũ, ad res exportandas & importandas cõmodus ſitus et magnitudo, opportunitates rerũ iũ belliçarũ, tum urbanarum, ſalubres aquæ et uenti, omnia hæc Iſraelitis obeuntib. præcepta Dei per Moſem promitti legimus. Itaq; quæ philoſophi in bonis duxerunt, à Moſe quoq; in bonis ducuntur in pædagogia legali. Nam ſtat illa Dei ſententia quã ſemel de ſuis operib. tulit: Animaduertit Deus cuncta q̃ fecerat, & erant ualde bona. Sed aliter Moſes, aliter philoſophi de his bonis differunt. Moſes quidẽ ita, ut ea dicat euenire ex fide & uenerationẽ Dei, quæq; non uera bona ſint, ſed umbrã eorũ bonorũ quæ in Chriſto cernũtur, præferant. ſecus docent philoſophi, qui ut ueri Dei cultus & Chriſti, eorumq; bonorum quæ in eo cõtinentur ignari ſunt, ita ueræ felicitatis fontes in hiſ. bonorũ deſignãdis oſtendere nequeunt. Quos una illa lux, quo Moſes uſus eſt, & omnes ſancti utuntur, indicarit, non humana ratio, non natiuæ intelligentiæ ſax.

Gregibus.) עשתרות ſcitè interpretes ueteres balantũ gregẽ ſic dictũ tradunt, qui diuites eos qui eam habẽt reddat. עשתרות pro בעשרות.

Sterilis.) עקר per antiphraſim ſterilis dicitur. Vox enim radicem ſonat, qua carentes arbores fructum non ferunt.

Et infirmitates Aegypti.] Per contentionem tractandus locus. In Aegypto carẽte cultu Dei, languores & morbos ſentiri, in terra Chananæa oraculis Dei conſecrata ualetudinem integram uigere. Depoſito uelo occurret mũdus in malis poſitus, & ſuperna hæreditas malorum finis.

Nec parcet oculus tuus.] Oculorũ meminit ut ſedis clementiæ & ſeueritatis.

Si dixeris in corde tuo.) Hortatio, qua de duobus Iſraelitas admonet. Vnũ eſt, ne diffidant Deo, hoſtium potentiorũ metu fracti: alterũ, uictoriam in diuina ope cõſiſtere, non humana. Altero igitur humanæ fortitudinis fiduciam, altero deſperationem de præſidio diuino tollit.

Sed recordare quæ fecit.) Ab exemplo.

Inſuper crabrones.] Similiter Græci, λαὲ τὸς σφῆκας Metus pungens ac animos hoſtium inſtar crabronum ac uſparum infeſtans notatur. Aliàs legitur: Immittam in eos pauorẽ tui. Sunt qui interpretantur

pretantur lepram ex הצרעת hac afficiendos ex hostibus qui Israelitas latuerint, ne ulli supersint eorum quos semel diuina sententia exitio deuouit.

Qui Dñs Deus tuus in medio.) fortior hostibus tuis. A' facili. Hæc consolatio fide, non natura capitur, quæ non sentit Deum inter nos uersari nobis fauere, & contra hostes uos tueri. Hostes Israelitarũ gigãtes erãt. Sed fortior Dñs qui suos tuebatur. In mũdo uersatur satan princeps mundi, uersantur potentes tyranni spiritũ principis mundi habentes: at maior est qui inter sanctos & in eorũ animis uersatur Deus, de quo hic Moses: Ne illos formidaueritis. Nam inter uos uersatur Dominus Deus uester, Deus magnus & terribilis. de quo Ioan. Maior est qui in nobis est, quàm qui in mũdo.

Non poteris eas delere.) partim, ut exercendæ fortitudini sit locus: partim ne terra, hostib. liberata, crescant in ea agrestes feræ. Mysticus locus est, quo primò admonemur in ecclesia ad tempus ferri impios Euãgelij hostes, qui eius fidẽ exerceãt. Nã nõ coronabitur nisi qui legitimè certauerit, deinde in finib. ueteris hominis Iebusæos suos & Palæstinos, id est reliquias peccati pugnãtis aduersus spiritũ tolerari, ut in hac pugna diuini spiritus uires confirmentur, quæ facilè languescant, ac instar ferri hebetentur, si hostes absint, qui eas frequentibus prælijs tanq̃ cote exacuant. itaq; de se Apostolus: Ne me extollat magnitudo reuelationũ, datus est mihi stimulus carnis. Bella igitur sancti gerunt, partim cum externis, ut est mũdus, princepsq; mũdi satan: partim cum internis hostib. ut est utiuata natura in qua malæ cupiditates aduersus spiritum belligerantur, ut in officio fortium militũ retineantur, ne remissa pugna in agro ecclesiæ socordia, securitas, ambitio, auaricia, pernicioſæ feræ nascãtur omnia depopulantes. intucare superiora & nostra secula. Hæc est prouidentia diuina quæ pro sanctorum salute conseruanda geritur, hostes etiã eis salutares faciens, ut hostib. amicos pernicioſos, mundum, carnẽ, & eos qui in mundo sunt, & eũ amãt.

Igni combures.) interiora idola, auaritiã, ambitionẽ, prudentiã carnis, sapientiã mundi, iusticiã legis, diffidentiam, amorem mundi, contemptũ cœlestis regni, ignis absumit de quo suprà Moses: Deus ignis consumens.

Non concupiſces aurum.) ut deuotũ Deo et in nullũ priuatũ usum cõuertendũ. in quẽ uertere anathemata q̃ capitale sit, declarat Acham filij Charmi suppliciũ, de quo in libro Ioſuæ. Hæc nulla alia ratione usui esse possunt sanctis, quàm sacrata Deo. Remoue uelum.

IN CAPVT VIII.

ET recordaberis totius itineris.] Ne in rebus aduersis Israelitæ animũ erga Deũ despondeant, hortatur, argumento ab usu afflictionũ ducto, quem comprobat exemplis.

Atq; tentaret.] probaret fidem tuam, ut aurũ igni probatur. Aliter igitur Deus, aliter mundus et princeps mundi satan tentat: nec res eædem sunt quibus tentamur. Nam & in bonis & in malis tentamur: in bonis quidẽ, ut in diuitijs, ualetudine, animi dotibus: quæ cum adsunt, habemus orare Dominũ, ne eis decepti satanæ malis artib. abutamur. In malis aũt tẽtamur à malo illo ut deficiamus à Deo, à Deo uero, ut fides nostra corroboretur ac perficiatur. Tentationis igitur, si satanã spectas finis malus est, qui tẽtet ut perdat: sin Deum, bonus, qui tentet ut ſeruet sequitur igitur:

Vt nota fierent.) לדעת ut cognoſceret quid in animo haberetis. Dicas: Num non omnia Deus nota habet? Discere Deum nostras cogitationes, nõ est eum cognoscere quæ antea, quẽ nihil latei, ignorarit: sed experiri nostrã uel fidem uel perfidiam, quã prius expertus nõ fuerat, ut nos hac re tione per rerũ aduersarũ usum in nostri agnitionẽ adducat. Is est unus afflictionum usus, et quidẽ præclarus, probatio fidei & agnitio nostræ infirmitatis. de quo usu uates: Bonũ est mihi q̃ humiliasti me.

Affixit te penuria ut daret tibi.) Alter afflictionis usus, ut beneficiat suis iã ꝓbata eorũ fide. Sicut infrà legimus: Vt afflingeret te & tentaret et benefaceret tibi in postremis temporib. Ab usu hoc exhibitæ mannæ, admonet Israelitas ut tempore difficilis annonæ spem in Deum non abiciant.

Quod ignorabas tu.) Ab insolito beneficio amplitudinẽ diuinæ potentiæ & bonitatis qua fidant in posterũ, declarat. Reducto ignotæ mãnæ uelamine, occurrit manna ignorata mundo, de qua apud Ioan. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.

Vt ostenderet tibi.) Alius usus tentationum.

Quòd non in solo pane.) qui etiam nisi accedat alens benedicentis uerbi Dei uis, non nutriat, iuxta illud: Comedent, & non saturabuntur.

Sed in omni uerbo.] Interpres addit uerbum, fretus interpretatione Christi, qui hunc locũ citans sic dicit: Scriptũ est, non solum pane uiuturus est homo, sed ex omni uerbo quod egreditur ex ore Dei. Fides hic commendatur quæ prima Decalogi lege præcipitur, qua promittentis Dei ad uictũ necessaria, uerbo adhærentes cõseruemur etiam in mediarerũ penuria. Exemplũ in Israelitis, Eliſæo, uidua Saraptana, Moſe, & Christo ipſo. Hinc uates: Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. fames igitur non iratiDei indicium habet, sed clementis. Nam hæc fidem in uerbũ probat, missionis diuinæ omnia uincens & expediens excitat atq; exercet. Cæterùm ut duplex homo est, alter terrenus, alter cœlestis: ita duplex nutrimentũ cernitur, alterũ terrenũ, alterũ cœleste uerbũ Dei, hoc cœcestẽ hominẽ, illo terrenũ alente, sed ut uerbi exeuntis ex ore Dei. quo cum interior homo nutritur, accidit interdum, ut etiam exterior sine pane sustentetur, uerbi cui omnia subiecta sunt potestate de qua uates: Verbo Domini cœli firmati sunt. item: Dixit, & facta sunt. Quod uerbũ quoniã

per

per mãnam Israelitis in solitudine exhibitam, imagine quadã repræsentatũ est. Moses hic cum manna uerbi diuini conungit mentionẽ, quod de se dicit apud Ioan. Ego sum panis ille uitæ. In pane aũt tria spectantur. unum, ut cum eo ad quod alendum adhibetur, eiusdem sit originis. alterũ, ut eius quod nutriet naturæ sit consentaneus. Demũ, ut defectas uires instauret ac reficiat. Sic animãtia è terra formata, terrenis fructib. nutriũtur, pisces aqua & luto, qui ex aqua prodeunt. Eodem modo sanctorum animi orti ex ueritate, quæ Christus est, de se dicens, Ego sum ueritas, hoc ipso ueritatis uerbo tanquam uero suo pabulo aluntur. de quo hic Moses prænouit: Sed ex omni uerbo quod proficiscitur ex ore Dei, &c.

Vestimentum tuum.) sub prouidentia diuina, quæ lilia agri uestit, quãto magis ut uestiãtur Israelitæ curauerit. Hanc minorum & maiorum comparationem Dominus facit apud Euangelistam.

Quia sicut erudit filium.) hunc etiã inter uerba diligentis patre. Apta comparatio ad confirmandam fidem & amorem in Deum, qui in rebus aduersis propter culpam immissis, suos amare non desinens, inopiam in copiam, famem in saturitatem, luctum in gaudium, imò mortem in uitam conuertat.

In terram bonam.) Commendatio Chananææ à copia rerum, ut mysterio crucis suus sit locus.

Fluuiorum abyssi.] Mare salsum & Cinerethum notatur.

Cuius lapides ferrum sunt.] Metallariæ uetustas in Genesi ostenditur: Primò enim à Tubalcain filio Lamechi ferrum cœptum tractari legimus.

Ars quæ à gentili uate ut uituperatur:
Effodiuntur opes irritamenta malorum:
Iamq; nocens ferrum, ferroq; nocentius aurum
Prodierat.

diuino iudicio hic cõprobatur. Sed in Israelitis utẽtibus omnibus & artibus, & operibus artibus subiectis, ad gloriam Dei.

Benedicas Domino Deo tuo.) animo agnoscens per fidem, oreq; per gratiarum actionem beneficia eius amplificans. Vsus ostenditur eorum bonorum quæ terra profert, hæc condita quibus pij utantur ad glorificandũ Deum. Hunc gratitudinis usum aduersarius Dei tollit, in quem Apostolus his uerbis inuehitur: Iubentium abstinere à cibis, quos Deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus.

Ne fortè obliuiscare.] Repetit admonitionem, quam suprà fecit Israelitis, neq; in rebus aduersis Deo diffidendũ, neq; in prosperis insolenter eius metum posthabendũ. Qui admoniuisset Israelitas, ut grati essent & memores beneficiorũ, iam dehortatur ab eorundem oblitione, locis contrarijs usus.

Qui eduxit te.) non ut argentum & aurum adorares, sed ipsum coleres. per contentionem Aegyptiam seruitutem & solitudinem Arabum omni rerum penuria laborantem, cõfert cum Chananæa affluenti omnium rerum copia, quo Israelitarum animos magis Dei amore ac fide accendat.

Ne dicas in corde tuo, Fortitudo mea.) quod esset arroganter contemnere diuinam, exẽplo Assyrij gloriantis: In fortitudine manus meæ feci.

Quòd ipse uires tibi præbuerit.) Hebræus addit, לעשות חיל, id est ad parandas opes. occurrit tacitæ obiectioni, esse quidẽ in nobis uires cõparandarum opum, sed quas Deus suggerat in quo uno gloriandum, in nobis nullo modo. Hinc Apostolus: Quid habes quod non accepisti?

Vt impleret pactum.) ex fœdere ergo diuino manans tum uires quib. bona comparentur, tum bona ipsa. Ex fœdere quidem uetere robur corporis, prudentia domestica ac industria parandi & conseruandi opes præsenti uitæ cõmodas, & adumbrãdis cœlestibus diuitijs aptas, de quibus Apostolus: Lex umbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Ex nouo autem fœdere cum electis per sanguinẽ non uaccæ, sed Iesu inito proficiscuntur uires non quæ in natura, sed in nouo homine Christo continentur, ut prudentia parandarum opum in cœlo repositarum, & benedictionis de qua Apostolus: Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus Christo. In qua benedictione cernitur suum oleũ, de quo illud: Vnxit eum oleo sancto. item: Vnctio docebit uos omnia. suum item mel: Eloquia Dei dulciora melle. Suum uinum exhilarans de quo propheta, Venite emite uinum absq; argento, quod manat ex uite de qua ipse autor omnis benedictionis spiritualis: Ego sum uitis uera: proferens uinum quod non in terra Chananæa nascit, sed in cœlesti regno, de quo hæc ipsa uitis: Donec bibatis nouum in regno meo. Cernitur item suus fons aquarum uiuarum, de quo apud Ioannem: Aqua quã ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam, Chananææ fontibus aquas fundentibus abundat: quas qui biberint, per eas tandem moriantur, non uiuant.

IN CAPVT IX.

AVdi Israel.] auditu mentis, fide & amore Dei tui tincto. Qualẽ auditum Israelitæ in cœlo scripti habent, de quibus D. Qui ex Deo sunt, uerba mea audiũt. In hac deliberatione dehortatur Israelitas, ne partam de fortissimis gentib. uictoriam suæ, sed diuinæ iustitiæ & bonitati tribuant: iustitiæ quidem, quam uoluerit in sceleratas gentes iam impleta ipsorum iniquitate declarare: bonitati autem, qua ipsis ut promissa patrib. facta præstaret, benefacere statuerit. Argumentis autem certis ad id confirmandũ utitur, de quib. ordine. Tota aũt disputatio in eo uersatur, ut ad explicandã legem de amando Deo, doceat omnem gloriam iustitiæ, fortitudinis, sapiẽtiæ, bonitatis deberi Deo, nemini alteri, atq; ad summã amplitudinis & splendoris diuini omnia præclara quæ fiunt opera, referri debere. Quòd firma sit illa sententia quam

Deus de se tulit: Gloriam meam alteri non dabo.

Scito ergo hodie quòd Dñs.) potentior Enaquinis. Opponitur illi: Quis Enaquinis resistet?

Ignis deuorans.) Bellũ notatur omnia instar uoracis ignis consumpturum.

Velociter.] Respicitur ad ignem, cuius flamma omnia lambente nihil celerius. Explicatur quod suprà legitur de Dei ira moram in perdendis impijs nullam faciente.

Propter iusticiam meam.) quod esset cõtemne re diuinã, de qua illud: Et hoc est nomen quo uocabunt eum, Dominus iusticia nostra. item: In scientia sua iustificabit ipse seruus meus iustus multos. Hanc iusticiam respicit Deus. de hac gloriandum electis, non de humana. Cui solũ satisfecerit iusticia q̃ Christus est, nostra facta per fidẽ, omnes thesauros ueræ uitæ, iusticiæ, sapientiæ nobis à capite Christo communicantem.

Cum propter impietates.] Primũ argumentũ ũ scelerib. gentis deletæ. Hæc propter flagitia sua perdita est, non igitur propter iusticiam uestram Deo malis solito per malos, et sæpe per deteriores q̃ sunt ij qui puniuntur suppliciũ expetere. Ex hac argumẽtatione cognoscimus impios perire sua culpa: pios beneuolentia diuina seruari, nullo suæ iusticiæ merito, quorum si naturam, non fœdus suum respiciat Deus, ipsos pari clade qua afficiuntur impij, dignos fore. Itaque hos neq; de exitio deuotorum hominum, neque de sua salute quam ob probitatem nacti sint, gloriari debere: sed eis cogitandũ, se ab ijs quos diuina iusticia ad interitũ destinauit, sola gratia Dei separari: cætera siue peccatum, siue stipendium pecati mors spectetur, paria duci. Hinc nata Mosaica illa admonitio ad Israelitas, de qua suprà: Quòd si Domini Dei tui oblitus, deos alienos adorabis, te non minus quàm gentes periturum esse. item: Hæc Apostoli ad gentes Euangelio donatos, adhortatio: Ne efferaris animo, sed timeas. Nã si Deus, etc. quapropter quoniam una beneuolentia diuina discrimen facit inter Chananæas gentes & Israelitas, sequitur de fœdere, in quo gratia includitur, mentio.

Et ut compleret uerbum suum.) Secundum argumentum, à promissione patribus facta. Ex fœdere Chananææ promissionem continente, quod cum maioribus uestris sancitum est, uenit uobis hæreditas: ergo non ob uestram probitatem ac iusticiam. Nam ubi promissio est, ibi solum fides nitens beneuolentia diuina per promissionem oblata, nullum meritum, nulla natiua probitas locum habebit. Huc spectans Apostolus, fretus sententia Mosæ, in hæc uerba disserit: Nam si hæreditas ex lege est, iam non est ex promissione: ducta ratione ex cõtrarijs, quod liberalis gratia Dei per promissionem proposita pugnet cum meritis operum iusticiæ, quam lex, id est conatus naturæ tentantis legem suis uiribus perficere, format. Ex hac igitur Mosaica & Paulina disputatione primò intelligimus naturam ueterem omnino nitiosam esse per se, ut quæ nullã iusticiã habeat, quam Deus in tribuenda salute respiciat: sed ueram esse illam sententiam qua omnes ueteris Adami filij noxæ damnati sunt: Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut uideat si sit ne intelligens, aut requirens Deum: omnes declinauerunt, & non est qui faciat bonum. Secundò efficitur gratia Dei opus esse, quæ nobis rationem comparandæ salutis promittat, & in tempore eam ostendat ac exhibeat, ut quod natura efficere non potest, efficiat gratia: quod lex Mosaica præstare nequit, fides in filium promissum patribus, & in tempore plenitudinis exhibitum præstet, recuperata noui & cœlestis hominis uirtute ac iusticia, quæ ueteris Adami uitio perdita est. Hinc illud Apostoli: Porrò ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iusticiam. item: Etenim si ij qui ad legẽ pertinent, hæredes sunt, inanis facta est fides, & irrita facta est promissio. In eãdem sententiam hic Moses: Sed ut compleret uerbum suum quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis. Qua in re non uestra probitas, sed promissio spectata est, cum uos mali sitis, ut sequitur, & in patribus selecti, quibus Deus benefaceret, antequàm quicquam aut boni, aut mali feciss̃etis.

Cum durissimæ ceruicis sis populus.) Tertium argumentum à contumacia in malo: Pertinaces semper fuistis & ceruicosi, igitur uestram iusticiam ostentare non potes̃tis. Ex loco rerum aduersarum.

Memento.] Confirmat pertinaciam gentis, commemoratis uitæ in solitudine traductæ exemplis, quibus illorum de iusticia factum deficere, & eos ad amplificandam gratiam adducere studet. Hic clarissima pædagogi ad Christum documenta legislator diuinus Moses ostendit.

Et ex eo die quo egressus es.) oblitus beneficij liberationis. obijcit ingratitudinem.

Nam & in Oerb.] Neque absterritus uoce magna Domini, qui tecum de igni, nube, caligine locutus fuerat, neque memoria repetens fœdus tecum de non colendis dijs alienis initum: Deos alienos ne habeto. obijcit igitur ei & contemptum miraculorum Dei, cum quibus apparuerat, & uiolatum fœdus de uno colendo Deo, qui aureum uitulũ ad adorandum finxisset.

Quando ascenderem in montem.] Sequestrem inter uos & Deum præstaturus, cum diceretis uos Dei uobiscum loquentis uocem ferre non posse.

Panem non comedens.] naturalem, sed eum qui de se prædicat: Ego sum panis uitæ, qui Mosæ in rubo ardente apparuerat, qui ad exemplar sui eidem Mosæ ut tabernaculum extrueret, & sacerdotium cum omni suo apparatu sanciret iusserat, quiq; petra illa erat Israelitas in deserto concomitans, & ei se ducem præbens.

Et

Et aquam non bibens.) è terra scatentem, sed eam quæ in cœlo uitæ æternæ fontem habet, de qua uates: Haurietis aquas ex fonte salutari, qui Messias benedictus est.

Tabulas lapideas.) Quarum rationem indicatis uos qui appellamini populus duræ ceruicis. Has tabulas digito Dei scriptas dicit, quod de Dei potentia, quæ digito significatur, testimonii darent. Nam tabulæ hæ scriptæ in cordibus nostris ostendunt opificium huius mundi à Deo conditi, in quo relucet bonitas, sapientia & potentia Dei.

Tabulas fœderis.) ueteris, diuersæ nouis quæ carneæ appellantur.

Et descende hinc citò.) non ferente moram eo qui de se dicit: Dñs Deus tuus æmulator.

Quia populus tuus.] Non dicit meus, qui fœdus uiolasset, receptis dijs alienis: & sponsæ fidem fregisset, in amplexum admisso riuali.

Deseruerunt uelociter.) Quod leuitatis & inconstantiæ erat.

Viam.) legem, Deos alienos ne habeto. Quod erat perfidiæ.

Conflatile.) simulacrum uituli ex auro conflatũ. Quod erat uanitatis Aegyptiæ, quæ boues feles, ciconias, crocodilos, adorabat uanos deos quos euerterat Dominus, ut se ad præscriptũ legis suæ, quam in Sina monte non humana uoce, sed diuina expositam acceperant, Israelitæ colerent.

Cerno quòd populus.) Cuius oculi pios quibenefaciant, impios quos puniant, cernunt. Quod etiam uates ille Græcus agnoscens Deũ πανόπτην, & eius oculum παντόπτην appellat.

Durę ceruicis sit.) Nonne prius nouerat hanc gentem talem fore? Si ita, cur ergo delegit quos sciret ob contumaciam delendos esse? aut delere eos funditus nõ opposuit, cur ergo eis hic his uerbis minatur, Vt conteram eum, ut deleam nomen eius de rerum natura. Hac Dei sententia de conterendis Israelitis erat ex genere sententiarum quæ nõ simplices & absolutæ, sed cum adiunctione dicuntur. Inferendam cladem nisi suscipiatur peccati pœnitentia. Qua de re suprà.

Dimitte me.] Videris in Exodo.

Constituam te super gentem.) effecturus, ut ex te gens potentior & copiosior ppagetur, quàm hæc Israelitarum rebellium sit, ut intelligas maioribus tuis fidem seruaturum in aucta quæ ex te nascetur gente, & qua sum æquitate te insontẽ cum sontibus non uelle pedere. Qua in re Deus & fidẽ suã et iusticiã cõmendat. Atqui hæc disceptatio nõ erat certò secum statuentis Dei quid facere uellet in Israelitas, sed patris affectum in liberos suos declaramis. Solent enim parentes interdum rebellibus liberis extrema comminari non perdendi, sed reuocandi ad meliorem frugem studio. sed de hac φιλοστοργίᾳ Deo tributa aliàs.

Propter omnia peccata uestra.] De precatione uideris Exodi tricesimo secundo.

Exaudiuit me Dominus.) De fontibus pœna sumpta, & reliquo populo pœnitentiam sceleris agente, sine qua nulla reconciliatio constet in gratiam receptis.

Aduersus Aaron.] cuius exemplum cum Dauid de, Salomone, Petro. quid admoneat, satis notum.

Igni combusi.] elemento ad uindicandos uanos deos destinato. Vt suprà legitur: Sculptilia eorum igni cremato.

Omninoq; in puluerem.] Vanitas deorum indicatur, qui igni cremati in puluerem comminuantur. Vanores qui illos adorarint. contrà Deus habet cœli & terræ moderator, de quo uates: Dominus in æternum permanet.

In torrentem.] In Exodo notatur ex eo aquã Israelitis ad potandum datam.

In incendio quoq;.) Thabera locus sic ab ignè qui in extrema castrorũ exarsit, appellatus, in quo fuit stat. uum tredecimum. Videris in Numeris.

Et in têtatione.) De Massa loco à tentatione, qua Dñm propter aquarũ penuriam tentarunt ita dicto uideris in Exodo. Is locus in Raphidimo statuo prælio cum Amalechitis facto nobili situs.

De Cades Barnea.] De hac rebellione uideris in Numeris. Omnia quæ hic obijcit crimina, in primam Decalogi legem commissa sunt.

Et iacui coram eo.) Interpretes hic dissentiũt. sunt qui ter in Sinã montẽ Mosem ascendisse dicũt. & de ascensu, in quo alteras tabulas acceperit, & pro Israelitis Dominum orarit, hæc quæ hic narrantur, interpretantur: neque ad rebellionem quæ in Cades Barnea accidit, hæc referenda: sed ad id tempus quo post placatum Dñm de adorato uitulo, iussus est Moses ascendere in Sinam ad nouas fabricandas tabulas. de quo mox. Sunt alij qui tantum bis ascendisse affirmant, & in utroq; ascensu quadraginta diebus uersatum apud Dominum ieiunum. Primò, cum priores tabulas acciperet: secundò, cum reconciliaret Dominum Israelitis, in quos eius ira exarserat propter uitulũ. Quod igitur hic legitur, Et iacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, id pertinere ad superiora, Et procidi ante Dominum: sicut prius repetita mentione quadraginta dierum. Non enim seruari in sacra historia anxiè rerum gestarum ordinem. priore igitur sententia CXX diebus in Horebo ieiunauit, posteriore LXXX.

Eum suppliciter deprecabar.] Huius generis precatio bis facta legitur: uno modo, cum placaret Dominum de adorato uitulo: alterum, cum eius iram lenaret, accensam in rebellionem contra Iosuam & Calebum concitatam. De altera in Exodo, de altera in Numeris uideris, ubi loci supplicationis huius expositi sunt.

IN CAPVT X.

In tempore illo.) Quadraginta dierum, de quibus tam meminit.

Dola tibi duas tabulas.) Primò expendendũ

quæ ratio tabularum lapidearum: deinde, cur duæ iussæ sint fieri: tertiò, cur inscriptæ utraq; parte uerbis Dei: postremò, cur in arca tabulæ reponi iussæ, & quæ notatio sit arcæ tectæ propitiatorio. Hac de re in Exodo.

Filij autem Israel monuerunt.) Obiter iniecit mentionem huius profectionis, quod paulo suprà meminisset Aaronis sua oratione à clade qua illũ Deus afficere statuerat, liberati, hũc nõ prius mortuum, quàm finiti fuissent quadraginta peregrinationis anni, & pro eo sacerdotio functũ Eleasarũ eius filiũ. In hac igitur narratione admonet Aaronis familiã sacerdotali dignitate nequaquam priuatam propter conflatũ uituli simulacrũ à patre. & reliquam Leuiticam gentem selectam, quæ tabernaculi curam gereret, propter uindicatum culti uituli scelus. Sed hic quærat aliquis, primò, si in Mosera mortuus est Aaron, cur igitur legitur in Numeris eum mortuum in Hore monte, qui satis longo interuallo distat à Mosera? Nam in Moserotho fuit statiuum XXVII, in Hore XXXIIII, interpositis inter has duas castrorum positiones aliquot claris statiuis, quæ in Numeris capite XXXIIII numerantur. Deinde legitur hic eo tempore delectam Leuitarum gentem quæ obiret tabernaculi curam, quo mortuus est Aaron. At constat ad Sinã montem anno primo ab exitu ex Aegypto post conflatum uitulum Leuitas hac dignitate ornatos, ut liquet ex Exodo. Interpretes in dissoluendo primæ quæstionis nodo uariant. sunt qui tradunt Israelitarum exercitum ut uenisset ad Horem montem Aradi regis Chananæi metu retroceßisse ad Moseram Aegyptum uersus. At hæc opinio quia certis argumentis non confirmatur, à nonnullis pro incerta negligitur. Itaq; sunt alij qui monent Moseram locum qui hic memoratur, non esse Moserothum, cuius inter mansiones in Numeris fit mentio. sed solitudinem uicinam Hori monti appellatam etiam Cades Zin & Gadad non esse montem Gadad qui in Numeris memoratur, sed nomen regionis. itẽ יטבת esse nomen loci qui appelletur in Numeris cap. 21. באר insignis copia aquarũ quæ hic cõmemoratur. Iudicium sit penes lectores. Quod ad alteram quæstionem attinet, de Leuitis hæc quidem quæ hic leguntur non pertinere ad tempus quo Aaron uita decesßit, sed ad id tempus quo in crimen conflati uituli uindicatum est. At quoniam mortuo Aarone sacra siluerant, & in locum eius Eleazaro filio suffecto instauratum est ministerium Leuiticum, hic iniicitur à Mose de Leuiticæ gentis ad sacrum munus electione mentio.

Ac benediceret in nomine illius.) benepræcans. De formula autem benepræcandi uideris in Numeris & in Leuitico.

Ego aũt steti.) Repetitur tempus de quo suprà.

Et præcede populum.) Iam mihi reconciliatum tua oratione suprà dixerat minitabundus. Debebo populũ: hic facta criminis gratia, dicit: Præcedam populum hunc. Tanta uis est pœnitentiæ & sanctorũ præcationis gubernatæ electione diuina.

Nisi ut timeas.) Redit ad commendationẽ legis primæ, in cuius obseruatione duo requirit: alterum, timor ac dilectio Dei est: alterum, officia ac studia quæ timor Dei in comitatu suo habet. Hæc autem bipartiti generis sunt. unum genus earum actionum quæ præstantur in homines, de quibus hic uerbis: Et uos ergo amate peregrinos. Alterum, quibus ore palàm testamur nos uerè colere Deum fide & timore. Vt est confessio fidei de qua Moses meminit, ubi dicit: Iurabisq; in nomine illius. Atq; hæc sunt capita ueræ religionis, quæ hic Moses summatim perstringit.

En Domini Dei cœlum est.] Deum obtinere impertium in omnia cœlestia & terrestria & inferna, mortalia & immortalia. ut id etiam Græcus uates agnoscit:

ὃς πᾶσιν ἐνὶ τοῖσι μετὰ ἀθανάτοισιν ἀνάσσει.

Commendat legislator Deum ab amplitudine regni & bonitate, ut eius amore Israelitas accendat. Solẽt enim ualde diligi quos singulari bonitate sibi, & cum hac bene merendi facultatem coniunctã habere agnoscimus.

Circumcidite præputium cordis.) ut aduersum legi de qua memini: Deum tuum amato. Est enim præputium cordis, illa obscura ac tenebricosa animorum crassities, ignorationẽ & contemptum Dei, prauasq; affectiones, odium, iram, cupiditates rerum uanarum continens, cum qua lex fidei amore Dei inflammatæ pugnat. Vt contrà cordis præputio liberati, perspicuam quandam tenuitatem habent, per quam admissa luce quæ de se dicit, Ego sum lux uera, legem de amando Deo suauiter ad eam obeundam, amplectuntur. Moses igitur hic priùs explicat quæ maximè primæ legi obstant, quo minus conseruetur, hoc esse præputium cordis. Secundò ostendit id circumcisione auferendum esse, inquam, illa circumcisione quæ in spiritu ceritur, non in carne, quo carnalis circumcisionis fastum deijciat. demum declarat legem non exteriore ceremoniarum obseruatione, sed fide amoreq; Dei impleri. Nam docet hic legem spiritualem esse, id est quæ amorem Dei ac fidem aut apertè, aut tectè sub umbra ac figura postulet. Apertè quidem postulant, primæ & secundæ legum tabulæ, quæ amorem quo Deus præ omnibus, & homo ut alter nos, ametur, præscribunt. Tectè autem atque sub figura ceremonijs Deus præcipitur diligi, ut circumcisio carnis circumcisionis præputij malorum affectuũ monebat. Quã circumcisionẽ carnis Moses docet mandatã nõ quæ Deo per se, sed propter eam quæ spiritu, non litera conficiatur, placeret. Qua in re inter Mosem, prophetas & apostolos interpretes Mosæ et prophetarũ cõuenit. Sic enim pphetæ docẽt: Circũcidamini Dño, et auferte: præputia cordis uestri. Et post hos Apost. his uerbis: Nõ is qui in manifesto est Iudæus, Iudæus est, nec

ea quæ in manifesto sit carnis circumcisio, circumcisio est: sed circumcisio cordis, circumcisio est, quæ spiritu, non litera, id est externa obseruatione, constat: cuius laus non ex hominibus est, sed ex Deo.

Et ceruicem uestram ne indureris.) sed trahabilem ad legis diuinæ iugum ferendum præbeatis. A bobus iugo ceruicem accõmodantibus translatio mutuata.

Quia Dominus Deus uester.) Locos æqui & honesti repetit, commemorans laudem Dei à dominatu, potentia, fortitudine, & iusticia, quali Deo par sit parêrè.

Deus deorum.) Hæc mutuatus uates dicit: Deus deorum locutus est. de quo in hunc modum Apostolus: Nam etiamsi sunt dij multi, nobis tamen unus est Deus, qui est pater ille ex quo omnia. Numerãtur autem in dijs angeli, iudices terræ, sancti homines diuinitatis cõsortes regenerationis beneficio. At hi quòd dij sunt, id ex participatu numinis diuini habent. Deus autem unus à se Deus est, à quo qui dij appellantur, eam appellationem obtinent.

Dominus dominorum.) De quo idem Apostolus: Et unus Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per illũ. Apostolo igitur interprete, à Mose Israelitis Christus ut omnium Dominus adorandus proponitur. Cur aũt Messias Dñs appelletur iam excitatus è mortuis Deo patris nomen obtinente in nouo fœdere, id factum esse nemo dubitabit propter triumphum quem de peccato, morte, de mundo & principe mundi satana in seruitutem redacto, retulit, dominatum in infera, terra, syria, supera adeptus. de quo ipse à resurrectione: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Item: Dedit illi nomen cui genua flectant, &c.

Magnus.] ad redimendos suos potens. Laus à potentia.

Qui personam non accipit.) non diuitis ut pauperem opprimat, non potentis ut impotentẽ euertat, non in speciem religiosi ut publicanos et peccatores repudiet. Est aũt persona qualitas qua inter nos differimus. Harum quædã ab animo ducitur, ut si literatus sit, aut illiteratus: quædã à corpore, ut si quis robore, ualetudine, pulchritudine ualeat, aut infirmus deformisq; sit: quædã à fortuitis, ut si uel diues uel inops, nobilis uel obscurus habeatur: à sexu, ut si mas aut fœmina sit: alia à gente, ut est Iudæi, Græci & barbari persona. Moses hic nullius personæ haberi rationem à Deo docet, sed eius qui ipsum amat & reueretur. Laus Dei ab æquitate.

Nec munera.] quibus corrumpuntur iudices terræ, non item Deus uester de quo uates: Deus iustus iudex. quem non imitantur de quibus prophetа: Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera.

Facit iudicium pupillo.) A' uiduis & pupillis defensis. Locus plenus consolatione, præsidio humano destitutos Deo curæ esse.

Victum.) Scitè pro לחם uictus redditur.

Peregrinos igitur amatote.) exemplo Dei. Lex ex secunda tabula proponitur, sed cuius conseruatio in prima consistat. Nemo enim alterũ uerè dilexerit, Deo rectè non culto. Itaq; redit ad primæ legis cultum, ut ad caput & fontem cæterarũ.

Dominum Deum tuum timeto.) ut Deum deorum & Dominum dominorum.

Iurabisq; in nomine illius.] ore testificans à te Dominum Deum fide amoreq; coli. Est enim iurare, Deum testem interponere., quem neq; fallamus, neq; ipse quẽquam fallat: & eos qui alios fallunt, impunè habere nõ sinat. Sic aũt iurare est Deo cum honorem tribuere, quem lex prima requirit. Nam iurantes, Deum scientiam, qui omnia norit: ueritatẽ, q fallere nequeat: iusticiã, qui de periuris uindictã expetat, agnoscunt. Quò formula iuramenti pertinet: Viuit Dominus. in qua perenni uita hæc quæ indicata sunt cõprehenduntur. Primò igitur cognoscimus hic per Deũ deorum, Deum magnum & terribilem, quem hic Moses describit, iurãdum esse. Nam qui per alium quàm per hunc Deũ iurat, alium sibi Deum fingit, qui sit uita omnia uiuificans, qui sit ueritas & æterna iusticia. quod est nefarium. Deinde intelligimus iuramentum debere fieri de ijs rebus in quibus agitur gloria Dei, & reip. tranquillitas. Quod ad gloriã Dei attinet, iureiurando confirmãtur oracula diuina à Christo & Apostolis. De tranquillitate uerò rerump. ut hæc in componendis controuersijs stabiliatur iuramentis, monet Apostolus his uerbis: Et omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum. Vnde manifestum fit, non quauis in re iuramenta fieri debere. neq; enim in re falsa, nã hoc esset Deum mendacem facere: neq; in re leui, nam hoc esset Deum contemnere: neq; si nobis citra iusiurandum credatur, nam hoc esset superuacaneũ: neq; si res per homines probari posit, nam hoc esset datam à Deo testimonij rationem repudiare: neq; quibusuis hominib. iuramentũ quod dicant offerri debere, nam hoc esset contemerandi nominis Dei per nos occasionem præbere. Per nomen ergo Dei pij uerè iurarint, nõ impij, qui ut uates monet, in animis suis cogitant Deũ nõ esse. Qualẽ cogitationem damnat iuratio quam hic Moses cõmendat: Per huius nomen iurato. Hinc apud Oseam de deos alienos sequentib. Dñs: Neq; iuraueritis, uiuit Dñs. Deinde monemur, ut maximus est contemptus Dei falsum iuramentum, ita certũ manere periuros supplicium, quo à Deo plectantur. Exempla satis nota. intueamur nostra secula. Nam qui iurant, Deũ testem uoluntatis suæ afferunt, quod fallere nolint, & eum ultorem si fallant, suæ perfidiæ non recusant. de qua diuina uindicta Moses suprà: Non sinet impunitum Dominus, qui nomen eius inaniter usurparit. Atq; hæc sententia ut reliquus Decalogus in omnium animis inscripta, est de qua Græcus uates:

ἀνθρώπως τίνυσθον ὅ, τις λαὸ ἐπίορκον ὀμόσῃ.
Cæterùm quid his uerbis uoluerit Dominus, Ne omnino iuretis: & quid sit, Sit sermo uester est, est: demum cum Christiani ab Apostolo prohibentur ne iudicio disceptent inter se in foro, ut de iureiurando locus, Omnis controuersiæ finis iuramentũ, intelligatur, non est opus hic indicare. Mens Domini & Apostoli satis nota est ijs qui Ecclesiæ in nouo fœdere statum & Iudæorũ superstitionem quã in iureiurando per cœlum, terram, Hierosolymam adhibuerunt, cognitam habent. Pergamus.

Ipse est laus tua.] *quem publicè in confitendo celebres, & in quo gloriere, non in fortitudine, iustitia, sapientia tua.*

Confecit tibi hæc.] *Ratio à magnis & stupẽdis rebus, de quibus in solo Domino & de Domino gloriẽtur. Solent enim res magnæ & illustres, quas solus sine socio quis fecerit, præcipuè laudari. At res à Domino factæ huiusmodi fuere, quas nemo alius neq; in cœlo, neq; in terra feciſſet, nec faceret.*

IN CAPVT XI.

Itaq; ama Dominum.] *Pertinent hæc ad superiora. Moratur enim in narratione beneficiorum Dei. Hortatio munitur exemplis beneficiorũ & suppliciorum.*

Disciplinam Dei uestri.) *Qua Aegyptios qui perirent, & nos qui seruaremur, ut sequitur in textu, castigauit.*

Et Dathan ei Abiron.) *Ab exemplo supplicij quo Dathan & Abiron de rebellione puniti sunt, hortatio ad timendum Deum.*

Vt possitis introire.] *A' præmijs futuris.*

Nõ est sicut terra Aegypti.] *Per contentionẽ à situ, aquis cœlestibus, cura diuina Chananeæ amplificat laudem. Terram Aegyptiam in star olerũ horti conseri, magno labore in agros deriuatis aquis: Chananæam autem cœlestis pluuiæ aqua citrà laborem irrigari. Annotant scriptores rerum, Nilũ à solstitio primò lentè, deinde uehementius euagari quàm diu in Leone so' est, mox pigrescere in Virginem transgresso, atq; in Libra residere famem certam esse, si duodecim cubitos non excesserit, nec minus eodem sedecim exuperante.*

Montosa est.) *Qui situs ad corporum ualetudinem ac robur tuendum ualdè commodus putatur. Chananæam montuosam esse, Amorræi montes, Zion, Garizim, & Hebal Samariæ montes declarant. Libanos, Hermionem, Thaborem, Carmelos, Galaadum non commemoro, Chananæam montuosam esse, Aegyptum campestrem & lutosam: alteram pura de cœlo labente aqua frui, alteram lutosa aqua occupari. Mysticæ notæ non sunt obscuræ, si cœlestem cœlestis hereditatis Israelitarum liquorem consideras, legis infrà apud Mosem: Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum. sin palustrem doctrinæ humanæ aquam, legitur apud Hieremiam: Et foderunt cisternas dissipatas.*

De cœlo expectans pluuias.) *In Hebræo* תשתה *est. Affingit terræ sitim quæ bibat cœlestem pluuiam, sicut alicubi os. nota prosopopœia.*

Dominus Deus tuus.) *Laus terræ à cura diuina, quæ notatur in oculis. Est in historijs, Persam quendam interrogatum, quæ' nam res efficeret equum pinguem, respondisse, Oculus Domini. Iactatur etiam celebre illud: Frons occipito prior. Sic humanis uerbis de Deo hìc Chananæ curam gerente dicitur: Oculi Domini semper in ea.*

Si ergo obediueritis.) *Pluuias & serenitates ex Israelitarum fide, fidem à diuina promissione pendêre. fide cœli & terræ benedictionẽ regente. Quæ in hoc populo indubitata diuinitatis significatio erat, cuæ à cæteris gentib. separabatur. Dicas, harum quoq; terras potari cœlesti pluuia, escam omni carni Deo, ut uates canit, largiente. Potantur quidem, sed multum ea in re interest inter Israelitarum & aliarum gentium terras. Chananea beneficio promissionis diuinæ irrigatur, cæteræ terræ nõ item. Nã hæc communi lege quã Deus in creatione mundi semel descripsit, fœcundantur: Chananea promissorum Dei nutu librata, suam ferendarum frugum uim accipit. Vt intelligant Israelitæ, se non tam pane naturali, quàm uerbo Dei promittentis & tribuentis pluuias sustentari: & hanc terrã segregatam, in qua tanquam in palæstra, fidei & timoris diuini exercitatio fieret. Vnde hæc terra sacra & Dei terra dicitur.*

Temporaneam.) יורה *prima illa pluuia est, qua semente facta, ager irrigatur, qualis in Octobri decidit. A' docendo nonnulli ab Hebræis* יורה *pluuiam dictam putant, quæ terram ut fœtus ferat erudiat, quæq; terræ præstet quod doctrina animis. Vnde quoq; doctrina pluuiæ comparatur, ut patet ex loco ex Mose paulo suprà citato. Sunt qui primorem pluuiam sic appellatam putant, quòd ea fertilitatem in reliquum annum portendat.*

Et serotinam.] *Vt est pluuia, quæ paulo ante messem grandiore iam segete, descendit, quam in Chananæa in Nisan, id est in Martio cadere solitã dicunt. Atq; hanc* מלקוש *uocatã uolunt, quòd frugum granã plena efficiat, uoce ex* מלא *et* קש *compositã, aut à* לקש *quod est morã facere. Nam hæc pluuia postrema est quam seges ante messem recipiat.*

Frumentum.) *Explicatur usus pluuiæ.*

Pereatisq;.) *fame, negatis uobis pluuijs.*

Iratusq; Dominus claudet.) *Ex uoluntate Dei nutu & fidei rectione cœlos aperiri & claudi, docent Heliæ tẽpora, qui sic ait: Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros et pluuia, nisi ad oris mei uerba.*

Quamdiu cœlum immineret terræ.] *hanc motu, luce & calore suo cœlo temperante ac gubernante. Dicas: At Israelitæ expulsi ex terra hac iam multis seculis exulant, ubi ergo eis promissum de quo hic meminit, seruatum? Hic legimus: Si obe-*

dire

diueritis mandatis meis quæ Israelitæ uiolarũt. Dicas, si promissiones diuinas irritas facit Israelitarum defectio, quæ ergo harum constantia fuerit? potentior noxa in perdendis Israelitis, quàm promissio & fœdus diuinum in eis seruandum, habebitur. Inobedientia ad tempus solum promissionem Dei moratur, ne impleatur, quæ tandem desinet ut Deus præstet, quæ liberaliter promisit. legimus enim: Nouissimo autem tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies uocem eius, nec dimittet te, neque obliuiscetur pacti sui. Sed hac de re suis locis.

Disperdet.] A' uictoria.

A' deserto.] Ab amplitudine regni.

Super montem Garizim.) Præaltus Samariæ mons Sichemi imminens.

Hebal.) Vicinum Garizimo monti, ex altero monte maledictio, ex altero benedictio conceptis uerbis recitabatur. Falsus uates Bileamus legitur quoq; in montem adductus, ex quo maledictionem ac diras imprecaretur Israelitis, quos Deus fœlices fore statuisset. Hic legitima maledictionis & benedictionis denunciatio instituitur.

Galgalam) De hoc loco uideris apud Iosuam, clarus is est circũcisione qua omnes mares in deserto procreati, circũcisi sunt à Iosua. Nobilis item habitus opinione sanctitatis quod arca in eo consedisset. Quã opinionem reprehendens Oseas sic præcipit: Nolite ingredi in Galgala.

Iuxta uallem.) אלון מורה Quercetum moræ. hoc etiam Abrahami temporibus fuit clarum.

Vos enim transibitis.) Concludit hortationem.

IN CAPVT XII.

Hæc sunt præcepta.) Formatis animis timore Dei ex præceptione prima Decalogi, iã externum cultum qui in ceremonijs uersatur, explicat. Qua in re cognoscenda fuerit ratio colendi Dei à Mosæ præscripta, quæ summatim sic habet: Cultus Dei Mosaicus, partim interior, partim exterior fuit. Interior in fide ac timore Dei & dilectione hominum consistebat, qui uerus cultus erat, ad quem omnia referebantur à Mose tradita præcepta. exterior tum in actionibus quas fides per se in comitatu suo habet, ut erat publica nominis diuini confessio, & studia quibus Israelitæ inter se amanter alius alium prosequebãtur, tum in obseruatione ceremoniarum uersabatur. Ceremoniæ autem non unius generis erant: quædam enim personas, quædã res ipsas attingebant. In personis Israelitæ, sacerdotes & Leuitæ numerabantur. Israelitæ afferebant munera, sacerdotes sacrificabant. Leuitæ tabernaculi curam gerebant. In rebus, locus, tempus & res Deo consecratæ decumæ, uotiua munera & uarij generis dona, bestiæ & his adhibita sal, oleum, uinum, & tabernaculi instrumenta cum sacerdotali uestitu, comprehendebantur. Præscriptæ autem sunt ceremoniæ, quæ earum rerum admonerent, quæ prima lege de amando Deo docentur, aut eas res sub umbra indicarẽt, quæ ad reliquam Decalogi legem implendam necessariæ habentur. Vt erat circumcisio ac mundicies cordis expiatio peccati, regeneratio in nouum hominem, interitus ueteris, & si quæ sunt alia quæ sub ceremoniarum umbris atq; figuris præsignificantur, et in corpore quod Christi pleno luce & ueritate implentur atq; exhibentur.

Subuertite omnia loca.) Repetit legem de euertenda idolotria.

Super montes excelsos.] Intueare tempora regnantis bestiæ, comperies montes, ualles, ripas fluuium, culta & inculta loca, sacellis, idolis ligneis, lapideis cereis, aureis argẽteis repleta esse. sed quibus artibus & armis contra bestiam & eius idololatriam pugnandum sit, satis norunt qui regem suũ Christum & eius regni naturam & armaturam intelligunt.

Non facietis ita Domino.) loco quouis ut cuiq; libuerit more idololatrarum sacra faciendo.

Sed ad locum quem elegerit.) De loco disserit cultui Dei sacrando. Vnde cognoscitur omnia Dei uerbo in Israelitica gente gubernari solita, locum, tempora, aras, templum, sacrificia, ipsam etiã cœli & terræ clementiam ac benignitatem. Qua in re admonentur pij nihil de sua sententia, sed cuncta ex Dei nutu ac arbitrio sibi agenda esse in religione. Quod ad locum attinet, nõ unus occurrit, qui faciendis sacris in Chananæa destinatus fuit. Nam primò Silunte tabernaculum oraculare cum arca diuina uersatum est, quamdiu iudices remp. administrarunt, id est usq; Heli tempora sub quo capta arca à Philisteis & ab eis liberata uarias deinde sedes obtinuit, dum in ciuitatem Dauidis Hierosolymam & postremò in extructum à Salomone templum transferretur. In quo parta undiq; ab hostibus pace, firmam sedem habuit, neq; deinceps locus alius oblatus fuit, in quo liceret rem diuinam solenniter facere. Nã quod priuatis in locis sacra facta leguntur, ut in monte Carmelo Heliæ indicato. id temporarium fuit, non perpetuum.

Vt ponat nomen suum ibi.) cultum sui nominis, responsa & oracula salutaria cui sui præsentia ad exaudiendas inuocantium preces.

Et habitet in eo.] non qui diuinam maiestatem comprehendat ac circumscribat, de qua Iesaias: Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum, sed in quo præsentem opem suam adoratus sit declaraturus. Vsq; ad tempus in quo extructo cœlesti templo quod Christus est, inhabitante in eo plenitudine diuinitatis, liceat in toto mundo Deum adorare, & fidei sacris ei litare. De quo tempore Christus ipse ad Samaritanam his uerbis: Mulier uenit hora, quando neq; in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis patrem, sed ueniet hora quando ueri adoratores adorabunt patrem spiritu & ueritate.

Holocausta.]Loco explicato exponit sacrificia. de quorum ritu,generibus & usu in Leuitico.

Et uictimas.) ut erant piaculares,de pace,et noxales hostiæ.

Et uotiua.) Votiua sacrificia quæ uoluntaria essent, cũ נדריכם coniungi solita sunt.sic suprà in Leuitico ראם נדריכם אר נדיבים.

Et comedetis ibi.) sacerdotes de minha. Leuitis & sacerdotibus ex decumis uictu suppetẽte, Israelitis epulantibus ex uictimis de salute. quarũ tres partes erant.una Deo incendebatur,altera sacerdoti,qui armus erat dexter & pectusculũ:tertia offerentibus cedebat.

In conspectu Domini.)ad arcam præsentis.

Ac lætabimini.]Vera illa lætitia quã Messias uictima in cœlesti Hierosolyma manducata creat. de qua uates:Redde mihi lætiam salutis tuæ.

Ad quæ miseritis manum.]Periphrasis operum. Gaudendum Israelitis ex omnibus operibus à Deo fortunatis.In tam solennibus epulis gratiarum actione gratitudinem declarandam.

Non facies ibi.) requiem adepti & locum cultui Dei destinatum.

Quæ nos ibi.) Cultum Dei non prius absolui, quàm in requiem peruentum sit. Depone typum. Quis inter tot hostes,carnem,mundum,principem mundi,& eius ministros falsos prophetas & tyrannos orbis terrarum in hoc exilio perficiat cultum Dei?

Trãsibitis Iordanem.) priusquam requietem nanciscamini. Typus in transitu Iordanis,res ipsa ac ueritas in lauacro regenerationis, de quo apud Ioannẽ: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu,non ingredietur in regnum cœlorum. Quod uera requietem continet,de qua Apostolus:Introimus enim in requiem nos qui credimus.

Vt requiescatis à cunctis hostibus.]Sed quo tempore id contigit? Non antea quàm Salomo regnare cœpit. Noster cœlestis Salomo ueræ pacis rex,sanctis notus est.

In loco quem elegerit.]Repetit ea quæ de loco,sacrificijs,epulis,sacerdotibus & Leuitis dixerat. Locus tempore Salomonis erat Hierosolyma, insignis templo in Sione monte extructo.sacerdotes ex Aaronis familia rem diuinam facientes. Leuitæ templi curam obeuntes. Israelitæ statis temporibus sua munera offerentes,quæ sacerdotes & Leuitæ exciperent,aderant.peractis sacris instruebantur magna cum lætitia epulæ,quibus cũ sacerdotibus & Leuitis Israelitæ qui undiquaq; confluxerant,uescebantur. Cernitur & in nouo fœdere sua Hierosolyma,quæ est sanctorum Ecclesia.cernitur templum extructũ,quod Christus est,& electorum Ecclesia. cernitur suus templi cultus, qui certis sacrificijs peragitur.cernuntur sacerdotes q hostijs litant,de quibus Petrus: Ad offerendas spirituales hostias gratas Deo per Iesum Christũ. Nec desunt festiua & summa hilaritate cõdita cõuiuia, quæ peracta re diuina celebrentur,instructa epulis de quibus ipse symposiarcha: Caro mea uere est cibus,et sanguis meus uerè potus. Quæ uictimæ de pace & salute, quia cõmunis est omnib. electis Dei,leguntur hic Israelitæ cum sacerdotib. & Leuitis conuiuium agitare. Quod aũt unus locus delectus fuit ad cultũ Dei,cognoscitur unã Ecclesiam esse,unũ templum,unã religionem sanctorum:atq; extra Ecclesiam neq; Christum,neq; diuinum cultum habere locum.

Neq; enim habet aliam partem inter uos.) quàm decumas, quibus soliti sunt Leuitæ uesci in loco sacro. Quæ quoniam à denario perfecto numero suã obtinent appellationẽ,diuinã quandã sortẽ habent,qua Deũ ipsum repræsentant,qui rerũ omniũ pfectio est. Admonebantur igitur Leuitæ parti cipatus diuinitatis quẽ sacerdotiũ habet. de quo illud: Vos aũt genus electũ & regale sacerdotiũ.

Quicquid est præcipuum in muneribus.)Nã uotiua munera ex lectißimis sumebantur.

Caue ne offeras holocausta.) Per antonomasiam holocaustorum meminit quæ principatum inter hostias obtinent.Ratio in Christo & membris eius sanctis nota.

Sin autem comedere uolueris.]Occurrit obiectioni tacitæ.

Occide.)Rectè uertitur זבח.Nam id hoc loco non est sacrificare,sed mactare ac occidere. Sic in Actis:Surge Petre sacrifica,& manduca.id est, mactato.

Siue mundum,siue immundum.) Hebræus ad personas refert:Siue quis immundus,siue mundus erit,uescitor.In quibus aũt tum rerum tum personarum mundicia & immundicia consistat,ea de re in Leuitico.

Sicut capream & ceruum.]Ammania ad uescendum concessa, ad sacrificandum prohibita.

Absq; esu duntaxat sanguinis.) Cur sanguis uetitus fuerit ad uescendum,suprà in Leuitico ratio addita, quæ mox repetetur. Non legimus in carne uitam animantium positam,sed in sanguine. Quæ qualis uita sit,et à qua ut abhorreat spiritus,norunt renati ex spiritu sanguinis eius, de quo illud:Secundus homo de cœlo cœlestis.

Quem super terram.) Duplex sanguis,profanus & sacer.Profanus humi effunditur, qui nobis repræsentat sanguinem,de quo illud:Non ex sanguinibus,&c.item:Caro & sanguis hæreditatem regni Dei consequi non possunt.Sacer in arã effunditur,& omnibus tabernaculi instrumentis aspergitur mundandi gratia,qui nobis exhibet sanguinẽ sacrum de quo illud:Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.qui quoq; cœlos penetrat,ex quibus descendit,ut is de se:Nemo ascẽdit in cœlum, nisi,&c.

Quasi aquam.]qui & aquam continet, sed impuram.Contrà sanguis ille sacer aquam habet, de qua sæpe,simul etiam spiritum non illum natu-

ralem

ralem & animalem,sed cœlestem & diuinum,uitã afferentem æternam. Atq; hi tres testes sunt qui testimoniũ dant in terra,spiritus,aqua et sanguis. Quod hic Moses interdicit sanguinis esu,nouũ mandatũ nõ est,sed uetus,quod Noæ & eius posteris datum legimus in Genesi, & idem præceptum Apostoli repetunt iam repræsentato Christo:ut patet ex Actis,qui animantia immunda nõ leguntur prohibuisse. Rationem eius rei expendant pij.

Sed coram Domino Deo tuo comede.) In nomine Israelitarum comprehenduntur sacerdotes & Leuitæ. Quorum alij alijs uescuntur, quisq; ijs quæ sibi lege concessa sunt ad uescendum. Itaq; non est opus,ut nonnulli faciunt,duo decimarum,duo primogenitorum genera excogitare,quorum altero sacerdotes,altero reliqui Israelitæ fruantur.

Occides de armentis et pecoribus.) etiam primogenitis:sed ea ratione quæ capite decimoquarto exponitur.

In oppidis tuis.)Hebræus:In portis tuis. Portæ pro oppidis,quòd portæ in quibus iudicia exercentur,præstantem urbis partem obtinerent.

Sanguis eorũ pro anima est.]est sanguis qui ad uescendũ nõ solum permittitur,sed etiã mandatur,de quo illud:Nisi biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. In hoc sanguine continetur uita eius qui dicit de se:Ego sum uia,ueritas & uita. Cur igitur animantium sanguis repudietur ad esum,sapiẽtibus satis notum. Vitam in sanguine uersari nouit etiam poeta: Multo uitam cum sanguine misit.

Quæ autem sanctificaueris & uoueris.)Quæ redimere fas non erat,ut in Leuitico docetur.

Et placitum in conspectu Domini.)non mundi,non hominum. Omnis hic opinio de religione refellitur,quæ diuinis oraculis non continetur.

Caue ne imiteris eas.] ijs ceremonijs me colentes,quibus illi suos deos colunt. Quàm latè igitur pateat idololatria,ex Mose hic cognoscitur. hanc cõmitti,quoties alio ritu,alio loco,alijs sacrificijs quàm quæ præscripta sint,Deus colatur. Sic idololatræ fuere, qui sub specie uituli aurei Dominum uenerari se putarunt. idololatræ habiti sunt, qui obseruatione duorum uitulorũ,quos Ieroboamus excogitauit,Deũ coluerunt,sacra alibi quàm Hierosolymæ facientes. Idololatra fuit Achas,qui in aliena ara Deo Israelitarum sacrificauit. & in nouo fœdere idololatriam committunt,qui aliter Deũ patrem colendum docẽt, quàm Christus ipse præscripsit & Apostoli docuerunt:ut faciunt hodie Iudæi, Turcæ, cultores bestiæ rasæ & coronatæ,& quicunq; extra Christum satisfactionẽ pro peccato,salutem,merita quærunt:quicunq; Christi regnum in obseruatione rerum externarum consistere dicunt,quod Dominus sine obseruatione uenire dicit:quiq; bestiæ consilio mutantes tempora & ueteres leges,nouas leges sancium. Quicunque diuis cultum tribuunt,quem iure suo Christus solum sibi uendicat, qualis est inuocatio,in hunc usum sacellis,aris,sacrificijs destinatis. quicunq; idola in locis tum priuatis, tum publicis, religionis ergô constituunt,à quorum cultu ut caueamus,non solum Moses,sed Apostoli etiam grauiter hortantur, cũ dicũt, Cauete à simulacrorum cultu. item: Filioli cauete à simulacris. Nõ commemoro falsam in prohibitis cibis,uitandis connubijs,in cauendis hominum commercijs,& id genus alijs,religionem,magna conscientiarum carnificina quæsitam & tractatam. Quæ quia uerbo Dei caret,ea paucis his uerbis à Mose repudiatur: Quod ego præcipio tibi,hoc tantum facito. & Apostolus: Si quis uobis Euangelium prædicauerit præter id quod accepimus,anathema sit. Et Dominus ipse:Si quis diligit me,sermonem meum seruat. Dicas:At obediendum est potentiori magistratui. bene quidem,sed in ijs quæ religioni contraria non sunt. Quæ si agitur,obseruandum erit id quod Apostolus Petrus dicit: Oportet Deo obedire magis, quàm hominibus. Moses hic præcipit, Obserua quæ ego tibi dico:& sub finem, Nec addas quicquam,nec detrahas. Nam ut naturalia ratione,moralia ac ciuilia usu,artes doctrina & exercitatione addiscuntur: sic res diuinæ ueram religionem continentes,ex solis Dei oraculis per sacrum spiritum cognoscuntur, nullis humanis placitis ac decretis. Hic non solum magistratus autoritas,tum in statuendo,tum in antiquando nihil ualet,sed etiam Dei responsis,ac uerbo ut obediat,religione obstringitur. Si magni magistratus autoritatẽ opponis, tibi ter maximi magistratus autoritatẽ opposuero, qui de se dicit: Mihi data est omnis potestas cœli & terræ. item: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Dicas, At is tacet iam dormitabundo similis, aduersario res suas feliciter gerente. Tacet quidem, sed non perpetuò taciturus,de quo illud: Nõ dormitat qui custodit Israel. Fœliciter quidẽ res eueniunt aduersario, sed ad tempus,& id breue,de quo scriptum est: In dolo prospe rabitur. item: Præliabitur cum sanctis,& uincet. sed quæ uictoria ei sit futura pernicialis, sanctis salutaris. At quæras fortasse,quid hodie facias,dum ad idololatriam tantopere intentatis gladijs, igni, aqua, laqueo sollicitare? In patientia possidenda anima,& mors potius obeunda, quàm adoranda aurea Nabuchodonosoris statua. pœnitentia, oratione,unicis & ueris armis sanctorum, non fœderibus, non ui, non bellicis machinis,quatenus Christi regnum & Ecclesiæ munus agitur,pugnabis. Stat enim illud:Sine manu conteretur. Tolerarunt suam captiuitatẽ Babylonicam Iudæi multis annis. sed in ea per fidem deuitarunt idoli Babylonici cultum,Deo magis obediẽtes,quàm magistratui cui seruiebant. Diuinus spiritus hæc tempora prænoscens, per Ioãnem de utrisq; admonet,& de expectanda per patientiam salute, & bestiæ charactere non suscipiendo,cum dicit: In patientia possidebitis animas uestras. item: Si quis adorauerit bestiam,& imaginem eius,& acceperit characterem in fronte sua & in manu sua, hic bibet

de uino iræ Dei. Ferendus is aduersarij impetus. Hodierna secula non sunt delendi Euangelij, sed eius per terrarum orbem in magnis angustijs & rerum difficultatibus propagandi secula. In quibus in hac spiritualis captiuitatis solutione ad instaurandum templum sanctis, altera manu arma spiritualia, altera ædificatoria instrumenta gerenda erunt. Quæ arma & instrumenta uerus ille Dei cultus rectè gubernarit falsus, è manu excusserit, qualis omnis est qui diuinis oraculis non continetur. Qua de re Mosem audiamus monentem.

IN CAPVT XIIII.

SI surrexerit in medio tui.) Qui monuisset ido lolatriam abolendam, hic autores eius cauendos & abolendos docet. Atq; hi uarij sunt. alij sanctitate ac doctrina, ut prophetæ & doctores. alij propinquitate: ut parentes, coniuges, liberi, fratres: affines, amici, alij potētia freti, ut ciuitates & regna ad defectionem à Dei cultu sollicitant, sed his quid facias? Audias Mosem.

Prophetes.) quacunque doctrina & sanctitate polleat.

Aut somnum uidisse.) Somniator in Hebræo est siue uates, siue somniator fuerit. Vtriq; igitur prophetæ & ueri & falsi sua uisa habent: sed alteris à Deo, alteris à dæmonibus sua somnia immittuntur. quo autem discrimine fiat, de eo mox.

Et prædixerit.] נתן edere est. Edunt igitur signa ac prodigia & falsi uates, sed falsa, sed quo artifice? Hunc indicat Apostolus his uerbis: Eius est aduētus secundum operationem satanæ, cum omni potentia & signis ac prodigijs mendacibus. sed ut prodigia edat satan, ea de re aliàs.

Et euenerit.) et satanā cum dæmonib. suis nosse res futuras, hic addiscimus, & ex illo apud Euangelistam: Venisti ne ante tempus ad excruciandum nos?

Et sequamini deos alienos.) Nota, qua falsi uates à ueris dignoscantur: alteros uaticinari, & signa edere, ut à uero Dei cultu auertāt, alteros, ut in eo retineant cultores. Alteri gloriam Dei, & salutem electorum, alteri contemptum Dei, & suam gloriā & perniciem quam pijs afferant, propositam habent. Itaq; de his in hæc uerba Christus apud Ioannem: Quomodo uos potestis credere, qui gloriā quæ à solo Deo proficiscitur, nō quæritis? Contrà idem de se: Gloriam ab hominibus non accipio.

Quos tu ignoras.] Qui tot sunt, quot de Dei cultu extra oracula diuina opiniones ac sententiæ habentur, quæ cuiq; suum Deum & idolum fingunt. Itaq; alij suos Baalim, alij Astarothos, alij Molochos, alij Chamothos, alij suos Peores, & alij ὀφεοὺς, alij ἰχθυοκεφάλους, alij θαλασσίους deos uenerantur. Atq; in regno bestiæ qui & quàm uarij ignoti dij per uarias sectas colantur, neglecto Iesu Christo Domino nostro, satis est manifestum. Vocat autem deos alienos, ignotos deos: partim quòd nihil sunt, cum unus solum sit Deus, unus Dominus Iesus Christus. Itaque Hieremias de his dijs ignotis: Certè ipsi non sunt dij. partim uerò ignoti dij uocantur, quòd eorum adimentum in rebus aduersis nullum sentiatur. Velut Iesaias eos deridens dicit: Cor insipiens adorabit, & non liberabit. Contrà Deus se habet, quem sancti colunt. qui ut Deus non ignotus, sed notus sit, ostendit hæc uniuersitas, cœlum, terra, maria, & quæ his continentur. In quibus eius diuinitas præsens declaratur, in ipsos oculos nostros, aures, manus ita incurrēs ut palpari à nobis, naturā, uitā, mortū tribuēs, posit.

Quia tentat uos Dominus.] per falsos uates instrumenta errorum ac mendaciorum satanæ: sed bostrum uestro, ut fides uestra probata manifesta fiat. sicut sequitur:

Vt palùm fiat.) לדעת, id est ut addiscat ac re ipsa experiatur, an se toto animo ametis, aut secus. Veluti igni probatur, quod metallum aurum sit, uel cuprum, plumbum aut argentum, Deus igitur ad probandum tentat, contrarius finis falsis uatibus propositus est: Eamus & sequamur deos alienos.

Dominum Deum uestrum.] non deos alienos.

Vocem eius.) non mendacium prophetarum. Doctrina igitur à Deo promulgata per sacros uates, est ille Lydius lapis ad quem probantur omnes omnium uatum & doctorum doctrinæ. Contentio uehemens nata ex prima Decalogi lege, Deum amato,

Interficiatur.) sententia iudicium damnatus, auditis testibus. Iudicium igitur doctrinæ ueræ penes pios est, puniendi sontes potestas penes recuperatores, & iudices. Exitus falsorum uatum interitus est, contrarius uerorum, qui etiam per tyrannos occisi, in Domino uiuunt & conseruantur, ut canit uates: Pretiosa mors in conspectu Domini sanctorum. Quantum igitur interfit inter falsos & ueros prophetas, ac doctores ab ipsis mouentibus causis, doctrina fine docendi atq; ipso exitu, satis liquet.

Qui eduxit uos ex terra Aegypti.] quem, non deos alienos, coleretis. Ab æquo.

Vt errare te faceret.] להריחך. Est uelut manu impulsum de recta uia detrudere, ac depellere.

Auferes malum.) Conclusio יד tum ad rem tum ad personam refertur, & ipsam idololatriam & autores eius auferendos.

Frater tuus.) Post uates falsos, tractat propinquos. In religionis causa nullam rationem propinquitatis habendam, sed omnem necessitudinem legi Decalogi primæ, Deū amato super omnia, cedere debere, ut supremæ ac summæ legi. Est quidem magna conunctio, qua parentes & liberi, maritus & uxor, qua in una republica ciues inter se coniungantur: sed infinitis modis maior arctiorq; inter patrem cœlestē, & suos liberos: inter Christū sponsum, & suam sponsam Ecclesiam: inter ciues reip. superne necessitudo & societas intercesserit, cui omnē in terra

ra par est, subijci societatem, ut terrestria cœlestib. tẽporaria æternis subijciuntur. Dicas, hic legi, Si frater si liberi, si sinus tui uxor te sollicitarit ad cultum deorũ alienorũ: non autem, si pater tuus, quæstio igiũ est, postq̃ lex extat: Honora parentes, an ne his si cohortentur ad falsum Dei cultum, obtemperandũ sit? In eadem quæstione cõtinetur omnis humana autoritas, qualis est maritorũ in uxores, dominorũ in seruos, magistratus in subditos suos. De parentibus quæstioni sic occurrit Dominus: Qui amauerit patrem, aut matrẽ plusq̃ me, non est me dignus. De magistratu Apostolus: Oportet Deo magis obedire quã hominibus. Quod responsum ut daret, lex prima eum docuit, Deum super omnia amato: cuius amore ut retineatur fides, præstat mori, quàm metu tyranno rum ad tuendam præsentem uitã, fidem prodere, & deficere ab eo, qui perfidorum pariter corpora & animos æterna morte conficit. Sic Pharaoni Moses in Aegypto restitit. Sic sancti prophetæ Iesaias, Hieremias, Ezechiel, Micheas, Elias, Elizeus regibus suis repugnarunt: sic Nabuchodonosori summæ potestati Iudæi se opposuerunt, cum auream statuam adorare iuberentur: quem in hac captiuitate ueræ Babylonis, qui imitentur, satis notum. Contrà falsi prophetæ regibus impijs obtemperantes, & hos ipsos & se cum populo perdiderunt, ut licet cernere in Achabi & Sedechiæ prophetis. si externa exempla requiris, ut Balaamus, ut magi Aegyptij & Chaldæi cum suis misere perierint, sacris literis est proditum. intueamur nostra secula. idẽ exitus purpuratæ meretricis Babyloniæ, & suorũ pseudoprophetarũ erit, q̃ Babylonis & eius magorũ fuit. Vt clarè diuinus spiritus uaticinatur ex ore Ioan. Et apprehensa est bestia & cum illo pseudopropheta, qui fecit signa coram ipsa, in quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt maginem eius, uiui conjecti sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.

Vt misereris.) Sed uincẽda tibi natura, hoc est amor tui, liberorum & uxoris. At quis ut uincas naturam præstabit? Nulla uis præter eius spiritum, qui de se dicit, Sine me nihil potestis facere. Is solus præstat, ut perdas quæ amas, & serues quæ odis, hoc est te ipsum: uxorem, liberos, propinquos, amicos amittas & odio habeas propter eum qui præcipit: Diligito me præ omnibus. Vnde addiscitur, quid natura possit in obeundis legibus Dei, quodq̃ discrimen sit legis & gratiæ, ueteris & noui hominis.

Sed statim interficies.) condemnatum à iudice. Dicas: Sed quid in administratione noui fœderis fiet in huiusmodi crimine deprehensis, num prodendi magistratui à parentibus liberi? Num bi cum uxore lapidibus obruendi? Est præscripta ratio tollendi sceleratos ab Ecclesia per Dominum: Sit tibi uelut ethnicus, eademq̃ ab Apostolo usurpata: Tradatur satanæ ad interitum carnis, ut spiritu seruetur, non perdatur. Hæc arma Ecclesiæ sunt, quam spiritus noui fœderis regit in eo & per eum qui de se prædicat: Veni ad seruãdas oues perditas in Israel: interea dum hæc dicimus, magistratui ciuili suũ ius in puniendis sontibus, & munerandis insontibus non adimimus.

Sit primum manus tua.) ut testis. Nam testium manus primæ sontibus necandis inferebantur. Vt liquet ex capite decimoseptimo huius libri, et ex Apostolicis actis: At testes deposuerunt uestimenta ad pedes adolescentis qui uocabatur Saulus, & lapidabant Stephanum.

Vsq; ad pecora.] Sed quid hæc peccarunt? Ex hominis integritate & uitio reliquæ creaturæ pendet integritas & uitiũ, qui caput sit omniũ rerũ quæ in natura cernũtur. Itaq; Apostolus uniuersam creaturã ad seruilem interitum damnatam dicit propter hominem: quo liberato ab interitu, illam quoq; ab interitu uendicandã fatetur: Quapropter hic unà cum rebellibus Israelitis perire cuncta quæ quidem in eorum potestate sint, domus, supellex, pecora legũtur. Sed dicas: Cur aurum Aegyptiorum & Madianitarum, cum hi diuina ultione interirent, seruatũ est ad sacrum tabernaculi usum, Israelitarum non item? Respondent sapientes homines, in alienis à rep. Israelitarum spectari dona quorum aliquis usus possit esse in Ecclesia Dei. at hæc si quoq; deficiat ab illo nullos futuros, qui hac rerum natura bene ad amplificandam gloriam diuinam utantur. Veluti Dominus de sale infatuato disserit: Si sal infatuatũ fuerit, ejici eum foras. Cootrà de sanctis fidem suam tuentibus: Vos estis sal terræ.

Vt auertat iram.) Vsus suppliciorũ de sontibus sumptorũ, in placatione iræ diuinæ cernitur: de altero qui in exemplo spectatur, paulo suprà.

Et misereatur tui.) Misericordiam Dei tribui bonis, adimi sceleratis. Quantum igitur scelus sit idololatria, licet ab autore eius satana iurato hoste Christi & sanctorum à circumstantia personæ Israelitarum, à persona item Dei in quem scelus cõmittitur, & à supplicio quod expetitur de sceleratis, intelligere. Ex cõtrariorũ cõparatione datur deprehendere quantam cõmendationem habeat uerus cultus Dei.

IN CAPVT XIIII.

VOs estis filij Domini Dei uestri.) Duo colligit hic: Vnum, filij Dei estis, ergo Deum ut patrẽ uestrũ colere debetis, nõ deos alienos. Alterũ, si is pater uester est, debetis cognoscere uos & uestros etiã mortuos uicturos, qui diuinæ naturæ patris uestri sitis consortes, quæ perennis uita est mortuos etiã uiuificãs. Vt D. Christus resurrectionẽ mortuorum probaturus, ex Mose testimonium adducit his uerbis cõtra Saducæos: Deus Abrahami, Isaaci & Iacobi. Deus aũt non est Deus mortuorum, sed uiuentium. Huc spectans diuinus spiritus, sic per Mosem hortatur Israelitas.

Non incidetis.] Corpora uestra domicilia diuini spiritus lacerantes, & frontem decaluantes more idololatrarum, qui spe resurrectionis carent. Pertinet hæc hortatio ad superiora. Nam qui prohibuisset cultum alienorum deorum, pro-

hibet hic ritũ, quẽ in lugendis mortuis idololatræ habent. Nam ut ueri cultores Dei, moderatè se gerunt in rebus tum prosperis, tũ aduersis: ita falsa religione obstricti in utrisq; immoderatè se habent contra primam legem: Deum tuum supra omnia amato. In qua animi moderatio ac æquabilitas requiritũ, qua neque secundis rebus insolescamus, neq; aduersis animo deijciamur. ut faciunt profanæ gentes quæ resurrectionis spe carentes, suorũ funera quasi penitus intereant, nimio luctu prosequũtur, dum aliæ barbam ornamentum uirorum Dei imaginem gerentium, radunt, aliæ genas et pectora lacerant, aliæ notas doloris indices in corpore inurũt. Quod est mali cõsulentium mortẽ à Deo tributam, quæ omniũ malorum finem imponat, & animorum immortalitatem corporumq; resurrectionem negantium: quam ut Moses suis confirmaret, Dei filios eos appellat, ratione iam exposita.

Quoniam populus sanctus es.) Ex loco cõtrariorum ratio. Deo sacer es, quem sanctimonia refẽras, profani ergo profanarũ gentium ritus ac mores tibi non congruunt.

Et te elegit.) Ab electione diuina causa sanctimoniæ ducitur, qua in filio Messia non ad turpitudinem, sed ad honestatem eligamur.

Ne comedatis quæ immunda.] Re abhorrenda nõ uescendũ: cuius duplex genus est. alterũ uiuẽtium animantiũ, alterum morticinorũ, de quib. mox. Hæc quoq; ceremonia primæ Decalogi legi seruiebat. Admonebat enim uitatio immũdorũ animantiũ et morticinorum impuritatis animorum quam amor ille Dei in Israelitis sacra gente non ferret. De qua re uideris in Leuitico.

Pygargũ.] Autores capras sylueſtres in multas formas transfigurari tradũt. Nam esse rupicapras, damas, ibices, oryges, pygargos, & strepsicerotes. Hæc genera arbitrantur hic nonnulli à Mose referri. Nota est translatio paraphrastis, nota Græcorũ & ueteris interpretis Græcos sequentis interpretatio: nec obscurũ, ut dissimiles hic sibi sint Hebræi interpretes, qui in reddendis lapidũ, animantiũ stirpiũq; nominibus quàm cæcutiant, uetus querela est.

Orygem.) Hoc capræ genus tradunt contrario, & ad caput uerso pilo uestiri: alijs bos sylueſtris est.

Omne animal quod in duas partes findit.] Cum tripartitum genus sit animantium, terrestre, aquatile, uolucre, quæ in singulis his generibus munda sint, quæq; immunda, indicat, repetens quæ prolixè in Leuitico docuerat. Quod ad terrestria animantia attinet, ut hæc ab ungulis, ruminatione, dentibus, uentre inter se differant, ea de re in Leuitico. Admonet autẽ diuisa ungula dijudicationis quã in bonis à malis, luce à tenebris, doctrinis humanis à diuinis, sapientia mundana à sapientia Dei, litera à spiritu, Mose à Christo, lege ab Euangelio, uetere fœdere à nouo, uetere tota natura à noua discernenda diuinus spiritus adhibet. Quiq; iudicio ualeant, de quo Apostolus: Dijudicanda corporalia corporaliter, et spiritualia spiritualiter, hoc docemur loco. Diuisa ergo ungula carent quos taxat propheta: Væ qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, fatentes amarum dulce, & dulce amarum. item: Væ qui sapientes estis in oculis uestris, & prudentes coram uobismetipsis. quales fuere pharisæi in quos inuehitur Christus: Si cæci essetis, nõ haberetis peccatum: nunc autem cum dicitis, Videmus, peccatũ uestrum manet. Contrà diuisam ungulam habent, qui intelligunt illud: Litera occidit, spiritus uiuificat. item: In lumine tuo uidebimus lumen, non nostro. item: In iustitia tua libera me, non mea. Non habent item diuisas ungulas qui Christum non omnia solum in nobis agere tradunt quæ ad salutem pertinent, sed huc nostram etiam uoluntatem de sua ui aliquod momentũ afferre uolunt, ueterem naturam cum noua, terrenæ Adami uires cum noui uiribus horrenda hallucinatione commiscentes.

Et ruminat.) Quæ animalia ruminent, quidque ruminatio, & ad quem usum natura animantibus ruminandi uim tribuerit, ea de re in tertio libro. Ruminalia autem animantia admonent nos eius studij quod in meditanda Dei lege adhibetur, de quo propheta: In lege eius meditabitur die & nocte. cum lex non in ore retinetur, nec in animi uiscera demissa quiescit, sed in guttur reuocata, tantisper remanditur, dum bene confecta litera, spiritus sacri succus intestina demittatur, uitale nutrimentum præbens. Ex contrario non ruminant diuina oracula qui hæc aut legisse aut audisse contenti, literam in ore sonant: de spiritu quo immutentur, non sunt solliciti: ueterem uitam tenent, nouam quam ruminatio expedit, non curantes. Tales sunt qui cum discipulo illo offenso sermone Christi: Vade, uende omnia quæ habes, et sequere me, retrocedãt. q suauẽ de gratia ora tionem libenter audiunt, & eam in ore habent: sed ut ruminata hæc in uiscera transmittatur, non permittunt, amarore deterriti quẽ traiectus sermo Dei in stomachum affert. De quo apud Ioannem: Accipe libellum, & deuora illum, & faciet amaricari uentrem tuum, sed in ore tuo erit dulcis tanquam mel. In hoc numero sunt illi quos Dominus noster semen uerbi Dei libenter quidem excipere dicit, sed quod instar saxeti non retineant, crucis æstu suborto.

Quæ habent pinnulas & squamas.) Duo signa in piscium genere cernuntur, ex quibus cognoscitur qui pisces mundi sint, quique immundi, pinnæ & squamæ. Quod uolucribus pennæ sunt, id piscibus pinnæ: quod alteris pluma, alteris squama. Pinnis pisces cursum suum in aquis regunt, aues pennatis in cœlo. Armantur & teguntur uolucres pennis & pluma, armantur & teguntur pisces pinnis & squanis. Quarum rerum admoneant pinnæ & squamæ piscium, ea de re in Leuitico.

Oues aues mundas.) Volucres cum piscibus coniungit ratione nota ex Genesi.

Et

Et omne quod reptat.) Omne humi serpens uolucre immundũ habendũ. De generib. שרצים. in Genesi et Leuitico. Mysticã rationem intelligũt qui terrenũ cum cœlesti hominẽ conferũt. Quorũ alter humi repit, alter superna petit. De se Christus: Ego de supernis sum. & de terreno Pharisæos taxans: Vos de infernis estis. Similiter Apostolus: Quorũ Deus uẽter, & gloria in dedecore ipsorũ qui terrestria curãt. Cõtrà de humi non serpentib. Nostra cõuersatio in cœlis. Sunt quædã humi serpẽtia animãtia, quæ omnino alis carẽt, ut uermes et serpentes. sunt quædã quæ alas habẽt, sed in sublime nõ euolãt, ut scarabæi, muscæ, crabrones: hæc quoq; in immũdis habentur. In his notãtur hypocritæ qui cũ terrena sapiunt, in cœlo uersari se falsa iusticiæ opinione, putant. Talis scarabæus ac uespa fuit Pharisæus ille gratias agens Deo quòd non esset adulter, ut cæteri homines. Talis crabro Assyrius gloriabundè de se prædicãs: In fortitudine manus meæ feci, in sapientia mea inteliexi. Talis humi serpens uolucris Nabuchodonosor fuit, qui cum humi reperet, ausus fuit superbè dicere: In cœlum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum. Talis meretrix Babylonia uolucris est quæ cũ bestia illa fit quam Ioannes ex terra natã dicit super omne id quod est Dei numẽ extollere se audet, loco sancto quẽ cõueniebat à Christo teneri, occupato.

Quicquid autem morticinum est.) Siue ex terrestrib. animantib. siue ex aquatilib. siue uolucribus. Morticina aũt sunt animantia aut peste extincta, aut à feris lacerata, aut illegitime, id est uenis collo nõ præcisis, ut tradunt, iugulata. Hæc & ad uescendum & ad attingendũ prohibita sunt. De esu hic, paulo suprà de attactu. subducto mystico uelo, uescuntur morticinis, cum uulturib. & coruis, qui contemnunt uitalem cibum qui de se dicit, Caro mea uerè cibus est: et qui pabulũ doctrinæ humanæ pabulo doctrinæ, diuinæ quì mortuã literã spiritu uiuo, qui legẽ quæ occidit, Euangelio uitam asserenti præferunt: item, qui sua præsidia in mundi huius opibus, potentia, sapientia collocant, nõ perpendentes illud Iesaiæ: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri.

Peregrino qui intra portas tuas est.] Quadruplex erat. alter religione Israelitica initiatus, alter nõ initiatus, de hoc postremo genere hic loquitur. Notũ est illud Dñi: Sinite mortuos, mortuos suos sepelire. Mortui aũt sunt q̃ corporis morti obnoxij affectib. ducũtur: uiui, qui spiritu uiuentis Dei. Hi cives sunt regni cœlorũ, in quo uita regnat per eum qui dicit de se: Ego sum uia, ueritas & uita. illi incolæ mundi, in quo mors imperiũ suũ tenet in eo q̃ princeps tenebrarũ et mortis est, et angelus ut eũ appellat Ioan. interitus ac perditionis. Itaq; sequitur

Non coques hœdum in lacte matris suæ.) Qui meminisset immundorũ animantiũ, hic etiam hœdorũ meminit, q̃ cũ in lacte matris suæ sunt, ad uescendũ immũdi habentur, ut etiã in uictimis repudiantur. Admonentur clementiæ quam in hac lege suis cõmendat Moses quã erga infirmiores qui nondum solido cibo, sed lacte uescuntur, declarent. perpendenda etiam in hœdo natura menstrui recens in lac conuersi.

Decimã partem.] Quæ in decimis spectanda sint, in Leuitico explicatum. Hic personæ q̃ decumant suas, & decumas accipiũt, & res ipsæ quæ decumantur, considerandæ fuerint. Personæ decumas pendentes Israelitæ sunt: quæ aũt has accipiunt, Leuitæ, sacerdotes de agnatione Aaronis, peregrini, pupilli & uiduæ habentur. In rebus quæ decumantur, omnis sementis prouentus quẽ ager reddit, continetur. Sed nõ una ratio accipientiũ decumas fuit. Israelitæ Leuitis, hi summo sacerdoti decimas pendebant. Tertiũ genus decimarũ tertio quoq; anno peregrinis pupillis et uiduis tribuebatur ad eorum inopiã subleuendã. Israelitæ Leuitas agnoscebant pro sacris Deo ministris eis decumas dãtes quorũ Deus pars esset et hæreditas. iuxta illud: Ego pars et hæreditas tua in medio filiorũ Israel. Leuitæ aũt Aaronẽ sitebantur summũ sacerdotẽ, ei ua decumantes. Peregrini uerò, uiduæ & pupilli Deo grati agnoscebantur, quibus is decimas sibi sacratas tribui uellet. Hinc illud Christi de pauperibus spiritu subnoto uelo: Beati pauperes, quoniam illorum est regnum cœlorũ. id est participatus diuinæ naturæ qui in decimis significatur.

Decimã frumenti tui.] pendendam Leuitis.

Et primogenita boum.) pendenda sacerdoti summo. sed quæ huic munera dari solita sint, ea de re uideris in Numeris.

Vt discas timere.) Vsus tribuendarũ decimarũ cernitur in timore ac ueneratione Dei, quæ prima lege præcipitur, ad quã quoq; seruandam decimas pertinere Moses hic indicat. De decimarum usu quem in uniuersum habeant, uideris suprà sub finem Leuitici.

Anno tertio.) Supputatio fit à septimo, de quo mox, remissionis anno.

Vt benedicat.) A' præmio fortunationis diuinæ.

IN CAPVT XV.

SEptimo anno.] Ex secunda tabula consulitur ære alieno, inopia & seruitute oppressis, ne deserti ad exteros diuertant, & apud eos ut est egestas malus consiliarius, deos alienos colant. Bipartitum sabbathũ lege præceptũ legitur: alterũ die, alterũ anno perficiebatur. sabbatharius aũt annus duplex erat. Vnus septimo quoq; anno indicebatur, ut terra uacãs satu, fœcunditatẽ sex annorũ cultu imminutam repararet, & debitores nominibus liberarentur. Nam hoc sabbatho & terræ fertilitati, & æri alieno obnoxijs cõsulebatur diuina clementia. Atq; is sabbatharius annus hic retractatur, qui prolixè in Leuitico tractatus fuit, qui uocauit hic שמטה à nominum quæ in eo fiebat: remissione. Alter sabbatharius annus erat, qui septem annorũ sabbathis, id est quadraginta nouem annis

annis expletis celebrabatur, qui quinquagesimus Iubilæi annus fuit, libertati publicæ & restitutioni ueteris possessionis consecratus.

Quo hoc ordine.) דבר in loco ordo, ratio, consilium est. tam latè patet Hebræis suum דבר quàm Græcis λόγος.

Cui debetur aliquid.) Vsus sabbatharij anni bipartitus cernitur. unus ciuilis, quo terræ feracitati, debitorib. eorum nominib. remissis prospiciebatur. Alter usus spiritualis erat, quo admonebãtur pædagogica huius legis disciplina eius remissionis quæ in Christi regno spectatur, in quo sex obærationis annis qui noti sunt, expletis, septimo debitorum fit remissio, de qua Dominus ipse: Remitte nobis debita nostra.

A' peregrino.] A' נכרי id est alienis nomina exigẽda, cõsanguineis remittenda in hoc sabbathario anno. Dicas, clementia igitur in alienos declaranda non est? Ius in Mosaica lege spectatur ciuile, quod ciuib. inter quos ἰσονομία est non alienis æquale seruatur. Remota imagine ueritas in rep. eorũ Israelitarũ cernitur, quæ, sanctorũ ecclesia est, nullam extra hanc noxialium nominum remissionem esse.

Et omnino indigens.) Bipartita sententia huius loci est. una, pauperes non fore inter Israelitas, si obedierint legi diuinæ. qua sentẽtia putant tacitæ obiectioni Israelitarũ responderi à Mose de benedictione diuina toties promissa, quæ inopes non ferat in Chananæa: altera, pauperib. subueniendũ esse, neq; ferendum ut publicè mendicent, aut inopia adducti ad alienos opis quærẽdæ gratia deuertant. In aduersarij igitur regno profitsio mendicitatis quàm grata sit Deo, Moses hic, & ecclesiæ primò ædificatæ status satis declarat. De quo in Actis: Nec quisq̃ egens erat inter illos. Fœdum fuerit inter sanctos cœlestium bonorum esse communionẽ, terrestriũ bonorum cõmunionem non esse, & teruntio parci in sublcuanda penuria hæredũ regni cœlorum, pro quibus unigenæ Meßiæ Domini nostri sanguis est fusus. ideo sequitur:

Caue ne fortè surrepat.) Occurrit sapiens legislator malignitati populi, quem sciret dura ceruice esse, hortans eum, ut caueat ne appropinquante remissionis anno mutuare inopibus renuat, quia nulla spes mutui sit restituendi. Qua in re consentit cum Domino nostro monente suos, ut omni exigenti tribuant citra spem recipiendi.

Et auertas oculos tuos.) רעה עינך per Malũ oculũ accipitur malignus ac parcus animus, ut è contrario oculus benignus pro animo benefico. Vt in Prouerbijs: Oculus bonus benedicet, qa dat de cibo suo pauperi. Ad hanc rationem loquẽdi respexit Christus cum diceret: An oculus tuus malus est, quòd ego bonus sum? Solet porrò in oculis animus apparère, quo omnia in homine reguntur consilia, affectus, & membrorum corporis motus.

Ne clamet contra te.) uiolantem ius naturæ, quod docet miseris succurrendum esse. Sic quidam reprehensus quod dedisset improbo mutuo, respondit, non homini dedi, sed humanæ sorti.

Ad Dominum) iudicem pauperum, ut uates canit: Oculi Domini pauperem respectum, ut qui & ipse paupertatem expertus sit, ut de se prædicat: Filius hominis nõ habet, quò reclinet caput.

Et fiat tibi in peccatum.) peccatum pro multa noxæ more linguæ: Ne pœnam peccati tui neglecto paupere: quem qui læserit, Dominũ læserit pauperum patronum, ut is apud Matthæum fatetur his uerbis, Esurui, & non dedistis mihi edere: sitiui, & non dedistis mihi bibere. Nam quatenus nõ feciſtis uni de his fratrib. meis minimis, mihi feciſtis. Contrà qui pauperibus benefecerit, Dño benefecerit, ut in Prouerbijs testatur per os Salomonis: Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. item: Honorat Dominum qui miseretur pauperis. Tamè est communio capitis Christi cum corpore suo ecclesia, & huius membris.

Nec ages quicquam callidè.] ולא ירע לבבך Supra oculi, hic animi maligni meminit. non inuito animo ac præparcè dandũ pauperi, neque uti cõmodi ratio subducẽda, sed eius qui eget tua ope. Scitè ergo ueteres Gratias finxerũt hilares et fluẽtibus uestibus, quòd beneficia non malignè, sed libenter tribuere conueniat: neq; ut quidam dixit, illa in calendario scribenda, quod est maligni, ut hic docet legislator, oculi, animi indicis ac interpretis.

Vt benedicat tibi Dominus.) Exponit causa benedictionis diuinæ, eam ob rẽ fortunari Israelitas, ut benignè faciãt pauperibus. Legitur enim, בי בגלל הדבר הזה.

Non deerunt pauperes.] Materia beneficentiæ & meæ & tuæ. Dicas suprà legi, Ne sunto pauperes apud te: hic uerò, Nõ deerunt. suprà indicatur pauperes nõ ferendos, quin eis detur quod satis sit ad penuriam sarciendam qua laborant: hic uerò pauperes non defuturos, de quibus Dei liberalitate benemereare, qui abundè suppeditaturus sit, ut de pauperes clementer foueas. Itaq; primò discimus tolerari inopes diuina ratione, in quos beneficentiam exerceas. Deinde à Deo augeri opes sanctorum, quarum sint dispensatores, nõ domini. Tertiò uarias esse rationes illas dispẽsandi: unam, quæ in decimis pendendis cernitur, de qua superiore capite meminit. Quæ ratio quoniam iure gentium recepta est ac cõfirmata, in administratione nouæ ueris quoq; conseruatur ad sustentandos ministros uerbi Dei, uiduas, pupillos & inopes. altera est quæ in beneficijs liberaliter tribuendis spectatur. Tertia in commodandis mutuandisq; rebus uersatur, quæ ante remissionis, nisi penuria prohibeat, annum restituantur. Qua in re dissimilitudo cernitur in mutui datione, de qua Moses hic legem tulit, & in ea mutuatione de qua Christus meminit, qua de re aliàs. Quæstio aũt hic est de remissionis anno,

anno cùr in eo non licuerit exigere nomina. Respondent nonnulli, quia terra tum uacante à cultu nõ supperet Israelitis carentib. messe & uindemia, unde creditorib. satisfacerẽt: ideo eo anno ab appellandi nomina iure liberos factos, quod diuinæ sint æquitatis. Dicas, ergo finito septimo anno redeũte pristina terræ satione & cultura, fas fuit de nominib appellare debitores? Respondẽt quadã fas fuisse. Nã si secus statuatur, consequuturũ mutui dationẽ paulo ante septimũ annum factã, ucrius donationẽ q̃ mutuationẽ appellandã fuisse, rebus cõmodatis in debitorũ potestate manentib. & ad creditores nunquã redeuntib. hac in re fraudẽ lege Mosaica cõtra ciuilẽ iusticiam afferente creditorib. & iniusticia obstringente debitores: his per ingratitudinẽ, aliena obtinentibus, illis suis bonis quibus ægre carerent defraudatis, secus q̃ iusticia cuiq; quod suum est tribuens, & publica pax, quæ, nisi seruetur in contrahendis commodandisq; rebus fides, euertatur.

Cum tibi uenditus fuerit.) Aptè cohærent hæc ad superiora. in quanta enim uersentur egestate serui, norunt ij qui tam obnoxiã multis malis uitam uiuunt. Cæterùm de origine seruitutis & ratione aliàs. Quod ad eius genera attinet, quatuor traduntur. Nã primò quidam iure belli seruitutem subeunt: deinde nõnulli singulari sententia Dei seruituti deuoti sunt, ut erant Chananæi, de quibus extat hæc sententia: Chanaan seruus eorũ. Tertiò serui habentur, qui cũ liberi sunt, se per inopiã seruituti addicunt. Quales erant Hebræi serui, de quibus Moses. Demum in seruis numerantur qui ex seruis nati sunt dominis suis, qui dicuntur uernæ.

Et sex annis.) Vbiq; igitur senarius laborum numerus est, septenarius quietis & libertatis. ueritas nota.

Nequaquam uacuum.) qui ex libera Hebræorum gente tibi uenditus cũ per se liber esset, tuus res curarit, suas neglexerit. Cernitur præclara benedictio in anno septimo, in quo & libertas Hebræis restituitur seruis, & munera dantur manumissis: quæ donatæ libertatis ornamenta sint. Depositio uelo, sitiur qui serui legis, peccati & mortis fuerant, cuius meminit Iesaias: Vt denunciarẽ captiuis libertatem. sed quam libertatẽ? eam de qua Apostolus his uerbis: Nam lex spiritus uitæ per Christũ Iesum liberũ me reddidit à iure peccati & mortis. Sin uerò munera considerabis, occurrunt dona de quibus Psal. In altum ascendit, dona dedit hominibus. Dona inquã spiritus adoptionis, qui unus seruitutẽ soluit, de qua idẽ Apostolus: Non accepistis spiritũ timoris ad seruitutem, sed spiritũ adoptionis, per quẽ clamamus abba pater. At cum hæc libertas propria sit electorũ, hic non Chananæos, sed Hebræos manumitti solitos legimus anno septimo, post sex seruitutis annos expletos. Stat enim illud: Nõ pro omnibus oro, sed pro ijs quos pater mihi dedit. Item: Crediderũt quotquot ordinati erãt ad uitam. Crediderũt, id est libertatis spiritum, qui fidei atq; adoptionis spiritus est, acceperunt, quot quot in libertate scripti sunt: non maledicti, & afore æternæ libertatis alteni, qui in Chanaane maledicto notati sunt, ut electi in Hebræis. Beati igitur qui in hoc manumissionis anno partem habent.

Sed dabis uiaticum de gregibus.] Submota umbra, Christus donans nos libertate, non dimittit uacuos, qui nobis ex horreo cœlesti panem uitæ, ex torculari crucis uinum, hoc est sanguinem suum, & ex grege suo ut bonus pastor carnem suam impertit.

Et domum tuam.] præponens seruitutem libertati ob uxorem & liberos, de quibus in Exodo: Diligo dominum meum, uxorem, & liberos. Submoto uelo qui hic notentur, declarat illud Apostoli de Galatis: At nunc posteaquã cognouistis Deũ, quin potius cognoti estis à Deo, quomodo cõuertimini denuò ad infirma & egena elementa, quibus iterũ ab integro seruire uultis?

Assumes subulam.) iudicium sententia ad seruitutem illo addicto. Sic enim in Exodo legimus: Ad iudices eũ dominus adducito. Ferrea subula seruitutis symbolum erat. ferri porrò duritiei nota. Huc etiam auris obedientiæ destinata, & ostium egressus & ingressus ad obeunda seruilia munera admonens, congruunt.

In æternum.) usq; ad Iubilæum seruilis conditionis terminum, & libertatis uindicem.

Non auertes oculos.) Hebræus indicat non gratuitum illum manumittendum. Qua in re triplici argumento utitur. uno, ab exemplo Aegyptiæ seruitutis: altero, ab exẽplo libertatis restitutæ: tertio, à genere seruitutis, qui duplici mercenarij mercede seruierit, ducto. ut sequitur,

Quoniam iuxta mercedem mercenarij.) quẽ tribus, nõ amplius annis locare operam solitum ferum. Si is expleto triennio liber redditur, cur ergo Hebræus seruus sex confectis annis liber non redditur? comparatio maiorum & minorum inest in ratione. Citant ad hãc interpretationem locũ Iesaiæ: Tribus annis diebus mercenarij.

De primogenitis.] Redit ad superiora. De primogenitorum generibus, ut quædam pecunia, quædam oue, quædam nec oue nec pecunia redimi solita sint, aliàs. Quadripartitus autẽ usus in oblatione primogenitorũ cernebatur. Vnus memoriam interemptionis primogenitorũ Aegyptiorũ continebat, de quo in Exodo cap. 13. Alter gratitudinẽ animi declarabat, qua Israelitæ significabant primogenita Deo cõsecrantes, se nõ sua dignitate, sed benignitate diuina ditari. Tertius in uictu sacerdotali cernebatur. quem primogenita cõseruabant. postremus in figuratione primogeniti Messiæ, de quo mox ex Apostolo.

Sanctificabis Domino.) ad sacerdotij usum, cui cedunt quæ Domino consecrantur magna mysterij significatione, de qua sæpe.

Non operaberis.] Iugo ei imposito, ad notandũ primogenitũ bouem operũ ueteris Adami expertẽ, & iugo peccati liberum, de quo bos ipse: Venit prin

ceps huius mundi, & non habet in me quicquam.

Et non tondebis primogenita.) *Iana ad profanũ usum translata, quæ sit cum pecore Deo sacrata. Sub nota umbræ, occurrit ouis primogenita cũ lana, pelle, carne, ossibus Deo sacra, de qua propheta: Et quasi agnus coram tondente se obmutescet.*

Comedet.) *Sacerdos. de quo in Numeris.*

Quicquid est sexus masculini.] *Mas primogenitus mundi victor occurrit de quo Iesaias: Et fortium diuidet spolia. Is triparuta primogenitura insignis est: uniuersæ creaturæ, per quem ut uerbum diuinũ mundus cõditus sit: mortuorũ, qui primus ex mortuis excitatus, ad uitã resurrexerit: fratrũ, qui omnium electorum caput sit, omnem perfectionẽ spiritualem cõtinens. In mare primogenito robur notatur, de quo Iacobus in Genesi ab Rubenem: Principium roboris mei Ruben. Hinc primogenitis ius regni & sacerdotale communi lege tributum. Vt de Caino, Esao, Rubene & reliquis patet. Ad Christũ si referas, huius regale sacerdotium satis ex sacris literis, & ipso usu ac experientia sanctis notum.*

Sin autem habuerit maculam.) *De nostro primogenito legis: Eo quòd scelus non fecerit.*

IN CAPVT XVI.

Obserua mensem nouarum frugum.) *Aprilis est, nõ Iulius. Quæ enim in Chananæa cœli tẽperatio ac clemẽtia est, hordei maturatio in Aprili cernitur. Vnde & noua terræ fruges & tẽpus ipsum quo fruges maturescũt אביב appellãtur. festa tẽpora quæ agenda sint, præcipit. quæ cum quatuor sint, pascha septimanale quod Pentecoste dicitur, clãgoris tubarũ, propitiatoriũ, tabernaculorũ: hic prætermissis tubarũ & propitiatorij festis, reliqua tria persequitur. De singulis uideris in Leuitico. Suprà ceremoniæ quæ in loco & personis spectantur tractatæ sunt. Pertinẽt aũt hæc de festis temporib. instituta quoq; ad primæ legis cultũ. Nam diuinitatis honorem tribuimus ei, cui ferias sacras celebramus, ut hic Moses indicat his uerbis: Vt facias phase Domino Deo tuo. Quo turpius est alteri cuipiam quàm Deo festos dies religionis ergô celebrare, quod in bestiæ regno uulgare est. Deinde festa hæc tempora instituta sunt, quibus Deo de acceptis beneficijs gratiæ habeantur. Gratitudo aũt animi & publica cõmemoratio beneficiorũ Dei præcipua diuini cultus prima lege mandati pars est.*

Vt facias phase.] *Quæ in hoc festo spectãda sint, uideris in Exodo & Numeris.*

Quoniam in isto mense.] *Ratio ac usus paschatis, cõmemoratio beneficij liberationis. Talis etiã usus in sacra Domini cœna cernitur, qui est beneficiorum quæ Domini Iesu Christi mors attulit publica de prædicatio: sed utrunq; pascha cũ altero sic libet cõparare. In altero ex grege ouiũ aut caprarũ agnus siue hœdus mas uitio carens, annulus deligebatur: in altero agnus integer mas, de quo Iesaias: Tanq̃ agnus ad mactationẽ ducetur. & Ioan. Ecce agnus Dei qui tollit peccatũ mundi. In altero sanguis, quo uastator angelus deterritus Israelitis cũ primogenita Aegyptiorũ parcret peperit. In altero pretiũ sanguinis quo sanctorũ animi tincti interitũ effugiunt, æstimatur, per quem liberatio confusa sapientia & potentia mundi, confecta est, captiuitate qua nos satan per peccatũ & mortẽ captiuos detinuit, soluta. Alter agnus sine fermento edebatur, alter fermentũ ueteris naturæ non tolerat, de quo Apostolus: Itaq; festũ celebremus nõ in fermento uetere, nec in fermento uersutiæ & maliciæ, sed in panibus fermento carentibus: hoc est syncericate & ueritate. Cibus enim is est non ueteris, sed noui: non terreni, sed cœlestis hominis exterfis uitijs probitatem afferẽs. Alter agnus non crudus, nec elixus aqua, sed igni coctus edebatur, alter agnus ut igni et quo igne coctus edatur, norunt ij qui in regeneratione partem habẽt. Altero præterea agno cum amaris herbis uescebantur, nostro non uescuntur sancti, nisi cum amarore quẽ crux affert mortificationis tueteris hominis per pœnitentiam cui dolet se sua studia, consilia, sapientiam, iusticiã, opes & omnia naturæ præsidia deferere, & noui hominis leges carni cõtrarias accipere. Qui apud Hebræos pesah suum non celebrabant, delebantur ex numero ciuium, è sanctorũ numero eximuntur, qui pesah Christium non celebrant: id est, qui hunc pro uictima iustum non celebrant: id est, qui hunc pro uictima iustum non celebrant. Id est, qui hunc pro uictima iustum non celebrant: carne cum azymis non uescuntur ueteris hominis spiritu ducti, Israelitis, & ijs qui illorũ religionis consortes essent: alter solum electorum cibus est & credentiũ. & ut prior in certo loco quem Deus designasset, posterior uerò non nisi in Ecclesia quæ cœlestis Hierosolyma est, uesci fas est. Quare ut in ueteris pesah celebratione quatuor hæc in memoriã reuocabantur, misera quã maiores seruierant seruitus, agnus redemptrix uictima solutæ captiuitatis beneficia, sacri populi in una ecclesia cõmunio, quã ejus unius agni ecoitio in uno loco indicabat: ita in noui pesah celebratione quatuor quoq; prædicantur in sacra corporis & sanguinis Iesu Christi cœna. Vnum est, seruatuti peccati nos obnoxios & miserè perditos ac profligatos esse. alterũ, Christũ piaculare uictimã nostrã notam expiare, et sanguine suo nos aspersos ab exitio uindicare. Tertiũ, eundẽ Christũ ex grege ecclesiæ selectum agnum esse, qui caput electorũ sit, sacrosancta carne eius plenitudinẽ spiritus diuini continente è qua in quodq; membrũ uitalis qua alatur & conseruetur ad uitam æternam, uis dimanet, atq; profiscatur. Quod credere & sentire, est carne Christi uesci, & sanguine eius potari. Quartum, agnoscere ecclesiã esse sanctorũ cõmunionem, cui innocens agnus conceptus è spiritu sancto et è uirgine natus sit, excitatus è morte cœlos quos illi ipsi aperiret penetrarit, cuiq; de cœlo præsens sacri reformatoris & consolatoris spiritus munera mitteret. Atq; hanc beneficij mortis & resurrectionis communicationem in Ecclesia testantur sancti in sacri panis fractione, de

de qua Apostolus: Vnus panis, unum corpus multi sumus, ut Israelitæ agno uno uescẽtes fatebãtur se eiusdem fœderis, eorundẽ sacrorũ, religionis eiusdem hæreditatis societate contineri. Atq; hæc de similitudine ueteris & noui pesah, quæ talis est qualis in figura et re figurata cernitur, hactenus monuimus. Ex qua cõparatione etiam dissimilitudo, qua utrunq; pesah ab altero separatur, petitur. Primò enim in Hebræorum pesah umbra spectatur, in nostro ueritas et res ipsa. Deinde alterum tempori, loco, personis affixum fuit: alterum liberum ab elementis mundi habetur perpetuò & continenter per fidem noui fœderis celebrãdum. In qua fide neq; Israelita, neq; Græcus, neq; mas, neq; fœmina, neq; seruus, neq; liber cernitur, sed noua creatura. Quod si nostri pesah externa in cœtu sanctorum celebratio locum admittit, & tempus, ut externam ecclesiæ coitionem loco & tempore circumscriptam admittit: ea tamen ut Hebræorum certo nec loco, nec tempore definitur, & interior pesah, qui Christus est, celebratio perpetua est, loci q; temporis & personarum complexu libera. Cæterùm ut duo fuerunt apud Hebræos sacramenta, circũcisio & pesah: ita etiam in noui fœderis administratione duo cernuntur baptismus & cœna Domini. Horum alterũ circumcisioni, alterum pesah altera ex parte respondet. Sic enim de baptismo Apostolus ad Colossenses loquitur: Per quem & circumcisi estis circumcisione, quæ fit sine manibus, dum exuistis corpus peccatorũ carnis per circumcisionẽ Christi, cõsepulti simul cũ illo per baptismũ, in quo simul etiam cum illo resurrexistis, etc. Pesah autem nostrũ esse Christum, cuius merita & beneficia in humanum genus collata celebramus in cœna sacra, ostendit idẽ Apostolus cũ ait: Nã & pascha nostrũ quod pro nobis immolatus est Christus, etc. Vtimur aũt hic uocesacramẽtũ, ut publicè recepta, pro signo rei sacræ à Deo instituto. At uerò quoniã signa à Deo ordinata non unius sunt generis, non omnia sacrarum rerum symbola, sacramenti nomen obtinebunt. Quis enim tot ceremonias et rerum cœlestium notas à Mose traditas, & à uetere populo usurpatas, pro sacramentis habebit? Sacramentum igitur nostri instituti, signum sacrum fuerit à Deo institutum, & Ecclesiæ commendatum, quod nobis beneuolentiæ diuinæ beneficia ostendat, & nos nostri officij atque muneris admoneat. Talia fuerunt circumcisio & pesah apud Israelitas sacramenta, in Mose suprà explanata. talia sunt etiam apud nos baptismus & cœna Domini, sacra sacrarum rerum publica symbola in nouo fœdere nobis tradita. de quibus in præsentia breuiter quædam annotare usum est. Quantum ad baptismum attinet, hunc à Christo Domino nostro institutum esse, ex Euangelistis & Actis Apostolorum perspicuum est. Legimus enim: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes, &c. Quam sacram institutionem declarant etiãres amplissimæ quas baptismus cõplectitur, ut est ueteris naturæ expurgatio, et ortus nouæ, quæ cum uoluntate naturaq; Dei eon sentiat. Huius autem rei noticia ut animalis hominis captum superat, qui nõ percipit ea quæ Dei sunt: ita baptismus sacri spiritus inuentum est, non carnis, humanæq; prudẽtiæ. Quapropter ualde deliquerint hic, qui præter & contra uerbum Domini multa, & ea quidem ab urda baptismo, quasi humanum commentum is esset, de suo affingunt, cum per illum ex ui operis quod uocant operati, iusticiam tribui dicũt: & uitium illud ac morbum originis ita deleri tradunt, ut motus eius à lege Dei dissentientes in peccatis censeri minimè debeant. Quæ qui tribuunt sacramento baptismo, institutionem eius deprauant, contraria sanctorum fidei affirmantes. Nam hæc labem originis nulla re alia abstergi sentit, quàm puro puto sanguine insontis agni Domini nostri Iesu Christi, in quo solo inest igneus diuini spiritus liquor, qui hoc uitium deleat, & tam lætalem morbum sanet. De quo purgante baptismo illud: Baptizabit uos spiritu et igni. Cum quo igneo spiritu ut mundans aqua coniuncta sit, apud Ioannem Christus ipse his uerbis testatur: Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, &c. Motus autem quos in ijs qui sacramentali baptismo loti sunt, originis uitium excitat, uitiosos esse conqueruntur omnes pij precantes, Remitte nobis debita nostra, aduersus legem, Ne concupiscito, cõtracta. Ecclesiæ uerò ut circuncisio Abrahami uniuersæ soboli mandata fuit, baptismũ commendatũ non uni alicui priuato aut paucis, Apostolus his uerbis declarat: Omnes enim nos in unum corpus baptizati sumus. Pariter siquidem omnia Ecclesiæ membra in baptismo mortis & resurrectionis Christi, consortia se esse agnoscunt, quam mortẽ & resurrectionem in noua uita, exuta uetere, exprimant. Aduersus igitur hanc baptismi rationem delinquunt pernicioso delicto, qui tot sectas, tot ordines, quibus arctissima membrorum Ecclesiæ communctio dissuitur, comminiscuntur, cum una sola sit Ecclesia, una religio, unus baptismus, unus Christus, una fides.

Quapropter ut extra Ecclesiam sponsam Christi, nulla regeneratio est in nouam lucem, iusticiam, uitam: ita extra eandem nullus baptismus, qui quidem Deo probetur, locum inueniet, ut extra Israelitarum cœtum neque fœdus diuinum, neque circumcisio, neque ulla cultus Dei pars cernebatur. præterea beneuolentiæ diuinæ, præsentisq; salutis beneficia in baptismo indicari, ex conceptis formulæ baptizandi uerbis cognoscimus: Baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. In nomine patris quidem, qui nobis ut filijs faueat, fuso in corda nostra adoptionis spiritu, per quem inclamemus, Abba pater. non amplius formidemus eum, ut seuerum iudicem, sicut eum formidant qui duri & asperi legislatoris Mosæ lege tenentur. In filij autem nomine, per quem pater seruare nos, & in nobis nouam uitam, grauitò remissis peccatis, instaurare uelit. In spiritus sancti uerò nomine, ut quam pa

ter decernit salutẽ nobis in filio dare is ipse spiritus expediat atq; pficit, q sit utriusq;, patris et filij, efficax uis, qua nos uterq; ad optimũ statũ reparet. Vnde accidit quoq; ut uiuificator, iustificator, sanctificator, renouator is spiritus appelletur. Primò igitur in hac parte grauissimè peccant, qui pro seuero iudice, non pro patre qui benignè nobis delicta condonet, Deum solum habent. Legimus enim: Baptizantes eos in nomine patris: non sæui & atrocis iudicis. Deinde idem crimen committunt, qui filium Dei Christum Iesum eum esse non credunt, per quem pater omnem nobis salutem præstet. Quales sunt qui probitatem ex lege, & eius factis quærunt, in Mosem per quem lex tradita est, non in Iesum per quem gratia & ueritas apparet, baptizati. Quos cum in uno Christo salutem ponere conueniebat, eam aliunde petunt, ut sunt multæ & innumeræ, quas numerare non liceat, sectæ, alio Francisci, alio Dominici, alio Bernardi, alio Augustini, alio Hieronymi, alio alterius nomen profitente, contempto nomine illo de quo Petrus: Non est aliud nomen sub sole, in quo oporteat saluum fieri. Quem eorum errorem apostolus Paulus quoq; reprehendit his uerbis: Num diuisus est Christus? num Paulus crucifixus est pro nobis? aut in nomine Pauli baptizati fuistis? Diuidunt autem Christum, qui in hoc uno salutem non collocant, partim illi, partim suæ uoluntati & factis eam tribuentes. & in nomine alterius baptizatos se declarant, qui alium quàm illum ipsum Christum sequendum sibi proponunt, cum hic legunt: Baptizantes eos in nomine filij. Postremò in spiritum quoque sanctum iniurij sunt, quotquot non huius ui freti, sed naturæ facultate fulti, pœnitentiam, ad meliorem ineundam uitam, meditantur, cum fateantur in baptismo ui diuini spiritus, non in naturalis facultatis suæ nomine se tingi. Est enim spiritus sanctus noua illa lex ac fœdus per sanguinem Christi sancitum nobis, cui in hoc lauacro nomen damus. de qua noui fœderis noua lege alijs locis mentio facta est. Quomodo autem demum cõmonefaciat nos officij baptismus, hæc Apostoli uerba ad Romanos ostendunt: Sepulti igitur sumus unà cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodũ excitatus est Christus, & mortuus per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Itaq; studium noui hominis induendi, & ueteris exuendi per spiritũ Christũ, in hoc sacramento profitemur. Quæ est uocatio sanctorum ad sanctitatem, cuius perpetuò debet admonere hoc sacrum regenerationis symbolum, quo in mortem & resurrectionem Christi, quam uita exprimamus, nos totos sentiamus. Ad quod munus atque officium respexit quoq; Dominus noster eo loco, quo tradens baptismum in hanc sententiam meminit eorum quæ baptizati seruent: Docentes eos seruare omnia, quæcunq; præcepi uobis. Miserè ergo hic peccant, qui immemores eorum, quæ in hoc symbolo profitentur, neque fidei quam Christo seruent, neque uitæ, quam fidei consentaneam degant, rationem ullam habent: sed uitijs deturpati, eò uesaniæ deueniunt, ut animi immortalitatem in dubium uocent, quam ad uitam æternam renouari in baptismo præ nobis ferimus, & resurrectionem carnis ad cuius spem tingimur, pro ludibrio ducunt. In hoc numero sunt Epicurei, & omnes qui carnis studia persequentes, sine pœnitentia in mundo uiuunt, Christi mortem & excitationem è mortuis cum baptismo maximo opprobrio afficientes. Postremò baptismum dehonestant, qui non contenti uoto colendi Christum, quod in illo nuncuparunt, noua excogitãt quæ non nuncuparunt, quorum nullus modus in antichristi regno cernitur. Hæc igitur in hoc regenerationis sacramento spectari per spicuum est. unum, quòd ritus Dei est, ne uideatur ludicra res esse, & humanum inuentum baptismus. Nullum enim homini ius fuerit sacramenta condere: sed is solum eam potestatem habere iudicatur, qui cœli & terræ dominatum tenet, Christus Iesus rerum sacrarum custos, & earum patefactor. Quapropter quanta impudentia bestia ex terra nata, terrena solũ sapiens, non cœlestia, ausa sit noua sacramenta ponere à Christo nec posita, nec ei probata, quæ superuacancũ sit recensere, facile licet pijs intelligere. Alterum quod in baptismo continetur, inscriptio in corpus ecclesiam est, extra quam neq; Christus, neq; fides, neq; beneficia ullum locum inueniunt. Tertium beneficij renouationis ad integritatem Adami culpa amissam admonitio est. Quæ renouatio spiritu sancto perficienda præsens in hoc lauacro agnoscitur. Quartum est figuratæ resurrectionis carnis nostræ, ut hæc in Christo excitãda sit è pulueribus terræ ad participatum gloriæ & uitæ Dei. Quæ præstãs utilitas est baptismi. Etenim mortis Domini nostri Iesu Christi & excitationis eius èmortuis summus usus est, suscitatio nostri ad spem dorem uitæ cœlestis quã nos confitemur palàm in sacro hoc regenerationis animorum & corporum uestrorũ symbolo. Hinc accidit ut essent, qui uelut est apud Apostolũ, pro mortuis lauarentur, testantes ea lotione mortuos pro quibus hac resurrectionis è mortuis sacramento, lauabantur, è mortuis ad uitã æternam plenam gloria & splendore Dei excitandos. Postremò occurrit cõmonefactio ad pœnitẽtiã ppetuã quæ in hoc sacro lauacro cõprehenditur, dũ cogitamus ueteris et terreni hominis sordes eluendas esse noui & cœlestis hominis, q benedictus Messias est, natura, ingenio, uita susceptа. Nã hæc in ambitu baptismi cõtinẽtur, ne quis putet in eo solũ externã aquæ elementũ cõsiderari. Itaq; non est mirum aquam delectam à Domino nostro Iesu Christo in sacramenti regenerationis usum. Nam si corporata cum corporatis, & spiritualia cum spiritualibus, ex sententia Apostoli cõferamus. sanè quod infernè præstat aqua elementũ in hoc aspectabili mundo, idẽ aqua illa spiritualis fluẽs ex perẽni salutis fonte Messia, præstat in illo nouo & inaspectabili mũdo. Nã altera aquarum

rerum generationi destinata est, sine qua nec metalla, nec stirpes, nec animantia oriuntur, quæ humore opus habent quo gignantur, alantur, augeantur & conseruentur, ut id ortus eorum & interitus comprobat, & Moses uniuersæ ueræ philosophiæ fons in libro de origine mundi indicat. Deinde in eadem aqua eluendi purgandiq; sordes uis cernitur. Quæ præstantes in hoc mundi elemento dotes efficiunt, ut id diuina sapientia ad regenerationem quæ aquis spiritualibus & spiritu illo Meßia cœlesti constat, repræsentãdam, delegerit. Nam in his ipsis aquis supernis, ut generandi ad nouam uitam & naturam uis insit, sentiunt ij qui eis aspersi sunt ad eluendas ueteris naturæ sordes. de qua ui illud: Cum eluerit sordes filiarum Siõ. Vnde fit ut propter similitudinem quandam quæ inter utramq; aquam, & utriusq; uires intercedit, sacramentalis aqua uerè regeneramis nos in nouos homines lauacri nomine appelletur, ut uidere licet apud Apostolum, ubi lauacrum regenerationis baptismum uocat. Hactenus de baptismo. Reliquũ est, ut post ea quæ commemorata sunt, de cœna Domini sacra, argumenti in quo uersamur occasione inuitati, breuiter quædam afferamus, quomodo hæc quoq; sacramenti suprà definiti rationem teneat. Vt autem hoc sacramentum à Domino institutum sit, cõprobant eius uerba ab euangelistis exposita, & Apostolus ubi ad Corinthios sic ait: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi uobis. Itaq; hanc institutionem contaminant, qui aliena assuunt: ut faciunt qui partim transsubstantiationem, quam uocant, panis & uini friuolè comminiscuntur: partim qui subtracta altera parte huius symboli & sibi retenta, alteram solum ijs qui sacris initiati non sunt, exhibent. Partim uerò fœdissimè huius sacramenti institutione abutuntur, qui eo pro peccatis tum uiuorum, tum mortuorum satis facere student. Quem detestabilem errorem inexplebilis pastoris stulti & eius sacrificulorum auaritia excogitauit. Qua fascinati & alios quoq; Cæsares, reges, principes, populos, sapientes & insipientes fascinãtes, et p uiuos et mortuos miserè grassantes in inferos & superos imperium sibi formidabile munido confirmarunt. Ecclesiæ autem commissum esse hoc symbolum, indicat idem Apostolus his uerbis: Vnus panis, unũ corpus multi sumus. Quib. uerbis sanctorum cõmunio in uno corpore Ecclesia, & uno capite Iesu Christo notatur, per unius panis et poculi amicã partitionẽ repræsẽtata. Quàm turpiter ergo errent, qui hanc societati sanctorum cõsecratam cœnam sibi cæteris uelut ociosis spectatoribus ab eius usu submotis, usurpant, institutio ipsa declarat. In qua non legimus, Accipiat unus & alter: sed, Accipite, comedite. item: Bibite ex hoc omnes: non item, panem esse unum aliquod membrum esse, sed corpus. Vt aũt præterea redemptionis nostri à iure peccati & mortis beneficia in hoc sacramento exponantur, satis cõprobant hæc uerba: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur: tanquam piacularis uictima uidelicet, quæ mundi peccata luat, diuinæ iusticiæ satisfaciens. De sanguine itẽ: Bibite ex hoc omnes. hic est enim sanguis meus, qui est noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hãc sanguinẽ uerè piacularẽ sanguinem esse, tot hostiarum sanguine in uetere Testamento adumbratum, q uerè peccata expiet impetrata eorũ condonatione: & aspersus cordibus nostris, uitam, iusticiam, lucem ueram afferat uitio primi hominis perditã. Abutũtur igitur hoc sacramento qui aliunde quàm ex morte Iesu Christi iusticiam & remissionem delictorum, quàm uerba illa cœnæ nobis explicant, malitiosè quærunt: ut faciunt omnes qui ex lege & operibus legis probitatẽ cõparari uolunt, quiq; falso titulo liberij arbitrij, cum seruum sit, uires amplificantes, merita quæ uocant de congruo & condigno, contra traditi corporis & effusi sanguinis Domini nostri Iesu Christi merita statuunt. sed accedit ad hanc beneficiorum & gratiæ Dei significationem præsentia ipsa Christi, qui nos pascat uerè carne & sanguine suo ad sensum uitæ æternæ. In hoc enim conuentu fidelium, & in sacra panis & poculi distributione, corporis & sanguinis Iesu communicatio agnoscitur, qui intimè præsens cordis & sanguinis sui spiritualibus dapibus nos reficiat, & depulsa morte per peccatum inuecta, uitam nobis per spiritum uiuificatorem præbeat. De qua cõmunicatione Apostolus his uerbis: Panis quẽ frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? poculum benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? dum beneficiorum fusi sanguinis & traditi corporis pro noxa mundi consortes per participatum uitalis spiritus sentimus atq; confitemur nos esse. Quæ enim maior in rebus ullis fuerit præsentia, quàm ea est quæ in capite, corpore, & in horum membris cernitur? Qua propter qui hunc participatum beneficiorum sanguinis Iesu Christi fusi pro peccatis suis non agnoscunt, panem sacrũ indignè ederint, et de poculo indignè biberint, corporis & sanguinis Christi rei facti, cum Meßiam hostiam peccata mundi expiantem, & caput spiritualis perfectionis, ex quo uno in corpus Ecclesiam & eius membra probitas, sapientia, uita defluat, neq; corde credunt, neque ore confitentur, neque uitæ honestate declarant. Atque hoc modo corpus Domini & eius sanguinem gratia, ueritate, uita plenum non dijudicantes, iudicium, hoc est condemnationem sibi edunt & bibunt, dum edentes mysticum panem, eum qui illo repræsentatur, non uescuntur, qui solũ fide editur ad alimoniam noui hominis & eius cœlestem uitam fouendam, non ore corporato ad cibum naturæ ueteris, & eius uitã animalẽ sustentandam. Postremò igitur suæ quoq; uocationis atq; professio-

fessionis in hoc sacramento admonentur pij, quæ in gratiarum actione, qua celebrent beneficia mortis Christi, et in studio charitatis mutuæ, quam inter se exerceant, spectatur. Ad dilectionem inuitat nos unius panis & calicis plena benevolentiæ diuisio: à qua longè absunt, qui dissidia, odia & sectarum studium ad hoc paci, amori, cõcordiæ dedicatum conuiuium afferunt. Nam ut ex Ioanne discimus, uix ferè aliàs ad charitatem quam inter se declararent atq; seruarent, suos diligentius cohortatus est Dominus, quàm cum hanc cœnã tanquam μνημόσυνον ac monumentũ amoris traderet. Is enim sciebat amorem illum diuinum legis à se implendæ finem atq; perfectionem esse, hoc est summã illam iustitiam originis uitio amissam, quam morte sua & è mortuis excitatione repararet. Gratitudinem aũt animi quam exhibeamus, hæc uerba ostendunt: Hoc facite in mei cõmemorationem. itẽ: Quotiescunq; panem hunc comederitis, & c. et de poculo hoc biberitis, mortẽ Dñi annuncietis, donec uenerit. Est aũt annunciare, deprædicare grato & memori animo quæ per Domini mortem in nos profecta sunt beneficia: idq; fit à nobis tantisper dũ altero aduẽtu Dñs cũ maiestate stipatus angelis cœli aduenerit ad transferendos nos in regnũ patris sui, qui primò ad expianda peccata per crucis ignominiam contemptus apparuisset. Atq; hæc gratitudo sanctorũ officio, munere & uocatione continetur. Quod præstans est sacrificium, quo nos Domino litamus, laudis scilicet & gratiarum actionis sacrificiũ. de quo uates: Sacrificiũ laudis honorabit me. Hæc aũt gratitudo partim in confessione fidei, partim in utæ honestate quæ fidei consentanea sit, declaratur. A' quibus dotibus sacri spiritus ut uulgus hodie quod Christianorum nomine se uenditat, longè abest: ita hæc cœna misera ingratitudine per nõ unum genus flagitiorum deturpatur, dũ passim ambitioni, auaritiæ, libidini, ebrietati, luxui, inuidiæ, mutuis odijs, opera datur, moderatione, liberalitate, mansuetudine, charitate posthabita. Quæ iniqua tempora quoniam deplorare cum bonis uiris facilius est, quàm emendare, iudicio Christi ea relinquamus, qui solus hãc in Ecclesia lucẽ repurgarit atq; exterserit. His hoc modo explicatis, quæ horum uerborũ, Accipite, comedite, hoc est corpus meũ: bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus, & c. interpretatio sit, facile intelligitur. atq; eos bene illa interpretari dicemus, qui accipiunt hãc locutionẽ, Hoc est corpus meũ. sacramẽtalẽ esse locutionẽ, quæ duo complectatur. signum & rem consignatã: signum quidem, panem & uinum: rẽ uerò consignatam, corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. atq; hæc duo, panem & corpus Domini, uinum & sanguinem sacrosanctum, neq; loci circumscriptione, neq; naturali, sed sacramentali comunctione colligata atq; coniuncta esse, ea nimirum cõiunctione, qua ut panis & uinum corpora ipsa reficiunt, alunt atq; conseruant. ita ipsa caro & sanguis Christi ui expiationis peccatorum spiritum sacrum tribuat, quo ipse ut caput uniuersæ perfectionis spiritualis cum corpore suo Ecclesia, & cum nobis membris illius intimè sit consociatus, consociatione communicatæ iustitiæ, uitæ, sapientiæ, consolationis in rebus omnibus aduersis contra potentissimos hostes peccatum, mortem, mundum, & principem mundi satanam. Beati qui hanc coniunctionem Christi capitis cum corpore suo Ecclesia in sacra cœna agnoscunt, sentiunt, & sentientes liberè & constanter deprædicant. Ad hunc usum communicationis carnis & sanguinis per sacrum spiritũ significandã apta signa panis & uinum à diuina sapientia Domino nostro Iesu Christo delecta sunt. Quæ enim uis & natura in pane & uino insit, qua nobis Christi corpus & sanguinem referant, non est obscurũ. Expẽditur panis ex semine ortus, & labor qui in terra aranda, serenda, occanda, repastinanda, sarmetendo, in triturando, in molendo, pinsendo, ac coquendo ad panem parandum sumitur: consideretur huius natura & usus quem in alendo & corrobãdo corpore habet. Quo ubi à nobis fiet, intelligetur quàm apposita similitudine panem cœlestem Christum Iesum Dominum panis mysticus & sacramentalis nobis reddat. Qui quo ex semine concipiatur, & conceptus nascatur, qui quantis laboribus paretur, ut nobis mortuis uitam det, eamq; alat atq; eam conseruet, declarant eius afflictiones & mors ipsa longè acerbissima. idem de uno pectora humana confirmante & exhilarante iudicium. cuius quoq; quis ortus sit ex uite comtempta in speciem, natura caduca stirpe, & quibus laboribus colaciatur, norunt qui uineas colunt, uitium ortum, stirpatum, incrementa cognita tenẽt. Hæc de duob. nouis fœderis sacramentis altera ex parte duobus ueteris fœderis sacramẽtis circũcisioni & pesah quantũ ad significationem pertinet, respondent: quantum uerò ad cætera, non item, ut est gentis, sexus, ætatis respectus, quo noui fœderis quod spiritus non literæ, lucis non umbrarum, fœdus est, administratio caret.

Non remanebit de carne eius.) In Exodo legitur agnum cum capite, cruribus & intestinis comedendum.

Vsq; mane.) quo cum magna festimatione deserenda Aegyptus fuit. Mane erat primi diei, nõ secundi, à uespere solitis Hebræis suos dies inchoare, & sequenti uespera finire. Non prius igitur accipitur hic liberationem factam, quàm totus agnus esset manducatus. Accommoda ad rem ipsam quæ sapientibus nota est.

Immolabisq; phase.] decimaquarta die primi mensis sub crepusculum.

Et coques.) Nõ crudo uescendũ agno, sed cocto: & nõ quouis modo cocto. nõ enim elixo aqua, sed tosto igni. depone uelũ. qualis ignis tostus noster agnus

agnus utilis sit ad uescendum. indicat Apostolus: Non cognoui nisi Christum crucifixum.

Manéq; consurgens.) Mane decimi quinti diei qui secundus paschatis dies fuit. Septem enim ut fuerint huius festi sacri dies, ex superioribus patet.

Sex diebus comedes azyma] Septima non excluditur: Septem diebus uescitor non fermentato. De natura fermenti & mystica eius ratione aliàs.

Non facies opus.) seruile. quod quale sit, aliàs indicatum.

Septem hebdomadas numerabis.) Alterum anniuersarium festum septimanale erat, Græcis Pentecostæ appellatum. De quo copiosè Moses in Leuitico. In hoc festo hæc expendenda fuerint: Tempus, sacer conuentus, sacrificia, festi usus ac ratio. Tempus ab altero azymalium die supputabatur, quo tempore hordeacea messis instabat. Sacrificiorum omni genere litabatur, primitijs notarum frugũ, holocaustis, piacularibus, pacificis cum suis libationibus uini & Minhis, in quibus panes fermentati offerebantur, in cæteris festis offerri non soliti. de quo ritu aliàs ex duplicis fermenti consideratione de qua in Leuitico, de usu mox infrà.

Oblationem spontaneam.] Vt erant holocaustæ & de pace uictimæ. In נדבה notatur donatiuum uoluntarium ac liberale, quod quisq; pro copiarũ ratione ac facultate, quæ in manu indicatur, in celebrando festo offerat.

Iuxta benedictionem Domini.] Indicatur fontem liberalitatis sanctorum, esse benedictionem diuinam.

Et epulaberis.) In שבחת geniale conuiuium & hilare notatur, paratũ ex uictimis de pace, quibus uesci fas erat totam familiam. Quatuor hominũ genera numerantur peculiariter chara Deo: Leuita, peregrinus, pupillus, uidua, sacro conuiuio cui interesset ipse Dominus, adhibẽda. Vt legimus hic, Apud Dominum lætator.

Et recordaberis quoniam seruus.) Præcesserat: Seruus tuus & ancilla. In eodem argumento cõmendatur recordatio redditæ libertatis, quæ promulgatis nouis legibus confirmatur, quas ad Sinam montem quinquagesimo ab egressu ex Aegypto die acceperant. Memento in celebratione septimanaliũ maiores tuos olim seruos in Aegypto fuisse subiectos sæui tyranni imperio: liberatos uerò libertatis leges, expletis septem hebdomadis, ad Sinam montem accepisse, ut solent cũ imperio leges mutari. Cæterùm de bipartito usu huius festi in Leuitico uideris.

Solennitatem quoq; tabernaculorum.] Tertium festum die decimaquinta mensis septimi celebrari solitum indicto conuentu sacro, & factis sacrificijs quæ erãt holocausta, piaculares uictimæ, & de pace hostiæ. de quibus prolixè in Numeris & Leuitico.

Septem diebus.]In Numeris additur octauus celebris uacatione ab omni opere seruili.

Quando collegeris.) Vnde hoc festum חג האסיף appellatum, cuius tripartitus usus fuit, unus gratiarum actionem quæ de fortunatis & collectis in horrea frugibus agebantur alter, recordationem umbraculorum, in quibus maiores in solitudine uersati fuissent, continebat, de quo in Leuitico. tertius admonebat eius lætitiæ quam celebraturi sint sancti confecta peregrinatione in hoc mundo uarijs angustijs obnoxio. de qua lætitia Iesaias: Ecce ego creo Hierusalem exultationem & populum eius gaudium. Ad mysticam significationem uictricium palmarum, spadices, & myrti salutaris olei & exhilarantis uim fertiles rami, & salices aquaticæ ad æstus caloris q; uim prohibendam commodæ, quæ in hoc festo umbraculis faciendis adhibitæ fuerunt, pertinebant.

Festa celebrabitis.) חחגו ut ex Exodo patet, חגא, id est immolare est. Festi igitur celebratio notatur, quod immolatis hostijs & genialibus conuiuijs agitur. Et חג feriæ litatis uictimis & publica conuiuij hilaritate solennes.

Benedicetq; tibi.]Ratio agendi festi.

Tribus uicibus.] Expendenda hic hæc fuerint: conuentus sacer Israelitarum, qui unam in sancto populo religionem, unius Dei cultum declarabat: deinde tempora, quæ tria quibus conueniebãt, fuere: tertiò, sexus qui mas fuit, non fœmina, consilio noto. sed depositio typo occurrit illud: In Christo neq; mas est, neq; fœmina. demum munera conscranda Deo.

Vacuus.) à muneribus suprà expositis. Depositio uelo, qui appareant coram Domino uacui, declarant stultæ illæ uirgines comparentes cum lampadibus carentibus oleo.

Iuxta benedictionem.) Pro ratione opum, quas cuiq; largitus Dñs fuerit, apparere quenq; debere. Qua ex re intelligitur Deũ suis muneribus à suis ornari, omniaq; quibus fruimur & Deum munerãmus bona, diuinæ benignitati, non nostris meritis & dignitati, ne quis de se glorietur, ascribenda esse. Ferias igitur Deo non agitant quicunq; sapientia, iusticia, potẽtia huius mũdi inflati quæ obtinẽt bona, diuina benedictione se obtinere nõ agnoscũt. Cuiusmodi ingratis hominibus hypocritarum & Epicureorum regnum hodie satis notum est.

Iudices constitues.) In rep. Israelitarum duæ potestates cernuntur, altera ciuilis, altera sacra, religionem, cultũq; Dei continens. quam sacerdotes et prophetæ curabant. Atque hæc superioribus libris explicata est. De ciuili iam Moses noster monebit. In qua institutio, partes, usus, expendenda fuerint. Quod ad institutionem attinet, cum cæterarum rerumpublicarum magistratus generali quadam ratione instituti sint, de qua Apostolus, Quæ uerò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. item Salomõ, Per me reges regnant & legum conditores iusta decernunt: reipublicæ Israeliticæ magistratus speciali quadam ratione sanctius est, quem ad Sinam

montem

montem certis cum legibus, ad quarum præscriptum sacer populus regeretur, institutum, ex Exodo, et hic ex his uerbis cognoscimus: Iudices creato. Accedit ad hanc singularem rationem figura & adumbratio magistratus cœlestis, qui in Messiæ regno spectatur. de qua adumbratione mox meminerimus. Quò etiam nonnullæ leges ciuiles pertinēt, quales sunt de sabbatis terræ sacræ, de Iubilæo, & iure in illo recuperandæ libertatis, atq; nonnullæ aliæ leges, in quibus rerum spiritualium notas et figuras spectare licet. Quod ad partes ciuilis magistratus pertinet, alij senatorum, alij iudicum, alij eorum qui senatus consulta & iudicum sententias exequuntur, numero habentur. Iudices in iure dicũdo ad puniendos sontes, & ad defendendos insontes à ui & iniuria improborum uersantur. Quorum iudicia & sententias exequuntur, lictores sunt, quæstores, & publicis custodijs præfecti, quos hic à Mose שוטרים dici uolunt, & eos Christus apud Euangelistam, ministros iudicum appellat: Ne iudex tradat te ministro. Senatus qui publici consilij dominus est, deliberationes atq; consultationes de ijs rebus tractat quæ ad conseruandam remp. pertinent, ut sunt uectigalia, & publicæ pecuniæ conficiendæ consilia, belli & pacis tempora, locorum præsidia, & eorum muniendorum ratio, rerum exportandarum & importandarum prouisio, legum ex quarum præscripto bene uiuatur, cura. Nam omnino quæ in senatorum deliberationes & consilia cadunt, ad corpus ciuitatis pertinent, ut sunt agri, portus, classes, milites, pecunia, leges. Senatorum ordini subiecti sunt uarij præfecti, ea quæ is sapienter consuluit, curantes. Horũ alij rebus contrahendis, alij ornandis, sarciendisq; ædificijs, alij uectigalibus cogendis, alij rebus bellicis, alij censuræ tum reposcendarũ rationũ, tum emendandorum morum censorio munere præsunt, & alij alijs officijs in amplo illo & uasto reipub. corpore funguntur, quos hic persequi non est nostri instituti. Ex his demum quis magistratus ciuilis usus sit, patet. Hunc Moses indicat his uerbis: Qui populo ius dicat. Quo iuris dicẽdi munere & sapientibus senatorum consilijs ciuilis societas & pax publica finis moderationis rerũp. conseruatur. Ad hunc finem etiam alter & idem præcipuus accedebat, qui in religionis conseruandæ cura spectabatur, ut id sanctorum iudicum & regum ad illam curandam tuendamq; susceptus labor declarat: & idem leges ipsæ à Mose de idololatris, hariolis, falsis uatibus à uero Dei cultu ad falsum abducentibus puniendis testantur. Qua in re prudens legislator in rep. bene constituta duo necessaria esse indicat: Leges, & ipsum magistratum legum tanquam animæ ciuitatis ministrũ & custodem, qui eas quæ præclarè latæ sunt leges, ut seruẽtur, elaborat. Vnde is ἔμψυχος, id est animata lex à sapientibus uiris appellatus est, ut lex magistratus mutus. Nam magistratu rectè obeunte munus suũ, leges uigent: male uerò, languescunt & frigent. At uerò in ciuitatis Israeliticæ magistratu quidda peculiare cernebatur cæterarum rerump. ex institutione diuina non commune. Hæc adumbratio erat eius iudicis de quo Iesaias uates: Et iudicabit in iusticia pauperes. item Hieremias: Et regnabit rex & sapiens erit, & faciet ius et æquũ in terra. Qui iudex Messias noster benedictus de se sic prædicat: Mihi data est omnis potestas cœli & terræ. Vnde accidit ut Christus propter hanc adumbrationem, & eius diuinum ex Iudæa gente ortum, eorum qui remp. Hebræorũ administrarunt, nomine sit appellatus. Sic enim de eo Oseas: Et quærent Dominum Deũ suum, & Dauidem regem suum. Et apud Lucam Christus Iesus Dominus noster super solium Dauidis sedere dicitur. Super quod solioũ super ciuile ne & externum, an spirituale & internũ? Super spirituale sanè ciuili Dauidis solio adumbratum. His in hunc modum expositis, facilè intelligitur, quid de rep. & ciuitate sanctorum, quæ noui fœderis legibus constituitur, & eius iudicibus ac potestate sentiendũ sit. In administratione huius ciuitatis sacerdotium spirituale & cœleste geri & sacerdotium spiritu sacro deunctum eius regis & sacerdotis agere, qui quidem in uetere Testamento promissus, uarijsq; typis repræsentatus, & in nouo palàm exhibitus sit, impletis mystici regni & sacerdotij figuris. Quas in noui fœderis administratione per inde fuerit repetere, atq; umbras remoto corpore, tenebras sublata luce repetere atq; reuocare nelle. deinde cognoscimus in ciuitate noui fœderis legibus, quæ uitæ & spiritus leges sint, non corpora et fortunas ad externam pacem, sed animos ad ueram & æternam iusticiam, uitam, sapientiam, pacẽ cœlestem gubernari. Has leges quæ Euangelio continentur, iudices tractant. de quib. Apostolus his uerbis: Et idem dedit alios apostolos, alios uerò prophetas, alios euangelistas, alios pastores & doctores. sed in quem hos usum dedit? Sequitur in idem. Ad instaurationem sanctorum, in ædificationem corporis Christi, ut ciuili rectione reip. ciues in eadem leges in unum ciuitatis corpus coalescunt. Horum autem iudicum qualis potestas sit, huius nouæ & cœlestis sanctorum ciuitatis princeps Christus Dominus noster declarat, ubi ait: Accipite spiritũ sanctum: quorumcunq; remiseritis peccata, remittentur eis: quorumcunq; retinueritis, retenta erũt. Quæ uerba docent potestatem hanc duabus rebus cerni, in soluendo & ligando. In soluendo quidem, cum credentibus Euangelio peccatorum condonatio cum donis spiritus sancti dispensatur, cœlestis regni thesauris docendo patefactis. Sic enim noui fœderis iudices se mysteriorum Christi & spiritus ministros ac dispensatores uocant. Legatio uerò contraria solutioni locum habet, cum partim Euangelio fidem non habentibus, retinentur delicta, condemnatione eorum negata: partim uerò cum ex Ecclesiæ finu rebelles ejiciuntur, fidei uitam dissentaneã de-

degentes, ubi semel & iterum admoniti, in uiã re dire recusant. Hæc est potestas atq; sceptrum quod noui Testamẽti iudices in regno Christi, sceptro re gni ueteris fœderis adumbrato, gerunt. In altera igitur potestate corporatæ pœnæ in sontes irrogan tur, ut id indicant capitalia iudicia à Mose descri pta, & in scelerates intentata. in altera spirituales mulctæ dicuntur, de quibus his uerbis iudex sum mus: Sit tibi sicut ethnicus & Apostolus ex senten tia illius: Tradatur satanæ ad carnis interitum. Dicit, ad interitum carnis, ut uidelicet carnis libidine mortificata, spiritus seruetur, non pereat. Nam aliã plectendi improbos potestatem Ecclesia, quatenus Ecclesia est, non agnoscit, quæ eum gubernatorem nacta sit, qui non ad externum aliquod regnũ constituendum, & ad ciuiles leges sanciendas uenerit, qui de se dicat: Homo quis me constituit iudicem aut diuisorem super uos? & de regno suo: Regnum meum non est de hoc mundo. sed de illo supremo mundo, ab omni labe atq; uitio libero, in quo uita, lux, sapientia illa Dei, & splendor inaspectabilis carni uersatur. Hoc sceptrum quod tempore Apostolorum in Ecclesia Christi uiguit, & interiectis temporibus per filium perditum sublatum est, oremus, ut his nostris seculis Ecclesiis ad publicam disciplinam constituendam restituatur, quam omnes pij magno Christi opprobrio & publicæ pietatis iactura desiderari conqueruntur. Dices: Si ita res habet, quis igitur erit ciuili magistratui locus? Si in Ecclesia reperiuntur palàm scelerati, turbantes tum uitã mala doctrina pertinaciter pacem publicã, hi tonies legitima castigatione admoniti cũ ad meliorem frugẽ redire nolunt, debent scire se iure in potestatem huius mundi manus incidere. Nam Christus ut non uenit ad describendam ciuitatem nouis legibus ciuilibus, ita nec magistratus iure gentium receptos Euangelio suo solui & aboleri uoluit, qui mãdet suis: Date Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei. Debentur autem Deo amor & fides, innocẽtia, patientia in rebus aduersis, in prosperis gratus & memor animus, conscientiæ puritas, obedientia cum omni reuerentia, quam hæc lex, Ama Dominũ Deũ tuũ ex toto corde, & alterũ ut teipsum, requirit. Cæsari autem hoc est ciuili potestati uectigalia tributa, corpora & fortunæ, obedientia ciuilium legum, quæ ad retinendam hominum inter ipsos societatem positæ sunt, ut exhibeantur honestas publica iubet. Qua de re etiam de sententia Christi Apostolus hunc in modum: Reddite igitur omnibus quod debetur: cui tributũ, tributũ: cui uectigal, uectigal: cui metum, metum: cui honorem, honorem. Ex his uerbis hæc ordine discimus: primò, inter Ecclesiasticam & ciuilem potestatem multum interesse: secundò, non tamen eas inter se contrarias esse ut sunt diuersæ: demum, Christianos hominẽs per sceptrum regis sui Messiæ quo reguntur ad ueram libertatem, & liberos esse à ciuili imperio, & ei subiectos. Quantum ad primum locum attinet, q discrimen continet, ut differat inter utrũq; imperium, sceptrũ ipsum & regnum, leges, ciues, res in quib. obeditur, iusticia, fœlicitas, & pax, atq; pœnæ declarant. In altero cernitur sceptrum spiritus sacri Messiæ, quo conscientiæ regũtur, ad satisfaciendum iussicto Dei de peccato. In altero ciuile, quo animi gubernantur ad satisfaciẽdũ in externis reb. reip. rectorib in altero lex Euãgelij, in altero leges politicæ. In altero ciues, quos ratio regit ad cõiunctionẽ uitæ præsẽtis: in altero ciues quos spiritus fidei moderatur ad coniunctionem uitæ cœlestis & & æternæ. in altero imperio mortificatio ueteris hominis ad reparationẽ noui, in quo obtemperetur principi Christo: in altero subiectio in pendendis tributis & uectigalibus, in communicandis corporibus & fortunis ad obediendum rectoribus huius mundi spectatur. In altero iusticicia ciuilis, in altero Dei: in altero fẽlicitas ac pax præsentibus seculis congruens, in altero fœlicitas ac pax regno cœlorum conueniens, locum habet. In altero pœnæ ciuiles, hoc est corporatæ, in altero spirituales in sontes statuuntur. Ex hoc discrimine cognoscitur quàm iniquè in conscientias & animos egressa terminos suos ciuilis potestas ius sibi sumat, cum irrogatis supplicijs ad suam quisq; religionem suscipiendam alienos cogere tentat. Deo enim subiectæ sunt cõscientiæ quas per Messiam gubernet, non mundi huius potestatibus, quibus pro libidine imperent. Hinc illud Dauidis: Cœlum Domino, terram autem dedit filijs hominum. In cœlum autem ius sibi uendicant principes terræ, si animos aliorum intentatis capitalibus pœnis in religionis suæ quam profitentur, uerba pertrahere iurareq; cogunt. Quod est cœlũ terræ, & terram cœlo miscere horribili confusione & perturbatione. Et multo grauissimè delinquunt, qui sua potestate abusi, falsæ suæ religioni, abiurata uera, fidem habere impellunt. Quod ij principes faciunt, qui stulti pastoris pedes osculantur: & eum, ad eius genua accidentes, tanquam Deum adorant atq; colunt. Quod cum faciunt, Christo gloriam suam, qui unus cõscientiarum, animorum & religionis princeps est, detrahunt, & eam sibi magno illius opprobrio & ueræ religionis atq; miserorum iactura arrogant. Hæc breuiter de priore loco. alter erat, non ut diuersæ sunt potestates, ciuilis & ecclesiastica, ita inter se contrarias esse. Vtraq; enim à Deo instituta est, utraq; in mundo hoc necessaria est: altera ad animorum tranquillitatem, altera ad ciuilem pacẽ conseruandam. Imò altera alteri maximam affert utilitatem. Nam ecclesiastica potestas ubi uiget, uera religio, pietas, boni mores, studium pacis publicæ obedientia, reuerentia ultoris scelerum gladij, propter conscientiam ordinationis diuinæ, qua cognoscitur is institutus, uigeat atq; florent maximo reip. commodo, quæ pacis amatores tuetur, eius turbatores punit. Ad hæc penes eos solum quos ecclesia pietatis & ueræ religionis sceptro regit, inuo-

catio nominis diuini & precatio locum habet. At si tollas è mundo pietatis, fidei, precationis cultum, rerum etiam publicarũ optimũ statum, qui his armis defenditur, sustuleris. Iusti enim et pij homines, ut Salomon ait, mundi huius in Messia benedicto, capite iustorum et sanctorum hominum fundamenti sunt atq; fulcrum. Contrà quoq; quantum ciuilis potestas ecclesiasticæ commodet, non est obscurũ, dum studet efficere, ut ministri Euangelij locũ suũ teneant ad docendũ, cisq; res ad uictum necessariæ suppetant, atq; ab improborum ui atq; iniuria tuti sint: turbatores pacis Ecclesiasticæ, quæ, ut hodie tẽpora sunt, cũ ciuili coniuncta est, p ratione terminorum ac finiũ magistratus ciuilis coherceãtur. Quis enim eam rempublicam commendet, in qua cuiuis palàm impunè loqui & docere quod libet liceat? Intueamur nostra tempora, quantum hodie pij magistratus ad propagandum Euangelij splendorem & ad tuendos eos qui eum amant, & quantũ impiæ potestates inebriatæ calice scorti Babylonij illum eundem impedire studeant, satis est compertum. Quapropter ut non sunt aduersæ atq; contrariæ inter se administrationes, ciuilis & Ecclesiastica: ita non pugnarit, Christianum hominem esse, et ad gubernacula reip. sedere. quemadmodũ nec reliquæ artes quamlibet diuersæ sint à regno Christi, efficiunt quo minus Christianos se profiteantur qui eas exercent. Etenim utrumq; mundum gubernat sapientia diuina, ueterem & nouum. In quorum altero elementa, & ex his res concretæ, terrenus homo, magistratus ciuilis, et eius leges, uariæ artes ad ciuilem societatem tuendam cõmodæ, fortunæ atq; opes terrenæ continentur. In altero uerò, cui uetus subiectus est, Christus cœlestis regni princeps, interior & spiritualis homo, Euangeliũ, pax & trãquillitas conscientiæ, opes cœlestis sapientiæ, iustitiæ, uitæ comprehenduntur, quæ omnia administratione sceptri ueteris & Mosaici fœderis adumbrantur, & mysticis notis repræsentantur. His ita expositis, liquet etiã, qui tertius locus erat, ut Christiani homines et liberi sint ab imperio ciuili, et ei subiecti. Hi ex duobus hominibus constant: altero terreno & ueteri, altero cœlesti & nouo: illo elementis mũdi & eius potestatibus subijciuntur, hoc ab eis liberi sunt, extra hunc aspectabilem mundũ in iura cœli & principem cœli Christum Dominum translati. De altero homine monet Apostolus: Omnis anima superioribus potestatibus subdita sit. de altero nouus & cœlestis ipse homo: Ergo liberi sunt filij, per spirũm uidelicet ueræ libertatis, de quo illud: Vbi spiritus, ibi libertas. In hunc autem spiritum, ut nec mundus, nec eius potestates, nec Moses ipse cũ sua lege ius ullum obtinet: ita Christus caput omnis perfectionis spiritualis cum ciuibus regni sui, uerè omnium Dominus est supra Mosem, & eius leges, supra mundum & eius principatum positus. Hæc breuiter de magistratu Hebrææ gentis, quatenus cœlestem magistratum, qui in regno Messiæ spectatur, adumbrauit, admonere uisum est. Nam cum in his nostris in Mosem commentarijs cuoluris typis, & reducto ueteris Testamenti uelo latentem sub illo Christũ patefacere studeamus, placuit quædam de utraq; administratione Mosaica & Christi Dñi nostri, ad quem Moses pædagogus indicare, ut hac explicatione admoneantur pij homines, ne Mosem & Christum, ciuile & sacrum Ecclesiæ imperium inter se commisceant: sed neutra potestas alterius fines & ditionem inuadat ad custodiendam hanc sententiam à Christo Iesu pronunciatam: Date Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei.

Nec in alteram partem declinet.] contra legis sententiam, qua ipsos regi oporteat iudicio corrupto per prauas cupiditates, quas uitare cõueniat, ne iniquo iudicio absorbeatur sanguis innoxiorum ciuium. Itaq; rerump. scriptores rectè monent animi probitatem in iudicio coniunctam cum prudentia & peritia rerũ requiri, sicut Moses suprà hortatur Israelitas, ut deligant iudices timentes Deum sapientes, prudentes & usu peritos. Hinc de rege suo uates Græcus, βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς.

Non accipient personam.) Exponit eas res quibus iudicium corrumpi solet. Rationem personarum non habendam, sed iuris & legũ. Huc Bias respexit, qui damnaturus quendam lacrymatus dicitur: & cum interrogaretur, cur fleret, respondisse fertur, se naturæ condolere, legi autem ἀνεπιτίμητον τὸν νόμον.

Nec munera.) parens cupiditati, non legi diuinæ.

Nam excæcant.] per auaritiam.

Oculos.] Animi iudicium, oculos nominat, per quos ut nuncios ac fenestras ad animũ deferantur res expetendæ & fugiendæ. Sæpe ergo uenire in mentem debet imago iusticiæ, quæ Thebis manib. carens, oculisq; immotis & clausis usa est, quòd iusticia ἄδωρος sit, & oculos per gratiam in neutram partem deflectat.

Et mutant uerba iustorum.) ut aliter sententiam dicant, quàm præscribat iusticia, in iustis etiã oratione animi iudicio uero non semper respondente, qui interdum cupiditate superante rectam mentis de rebus censuram uincantur. In alijs igitur oratio consentanea est affectionibus, iræ, ambitioni, auaritiæ, odio, inuidiæ, in alijs rationi, in nemine pariter utriusq;. Nam alter utra pars uincat orationẽ, qua se offerat, fingit. Quæ & cupiditatum & mentis ueré de rebus iudicantis interpres est, ore, ut Dominus dicit, ex abundantia cordis loquente. Hæc de cauendis muneribus sententia etiam in profanis gentibus uim suam ostendit. Nam Curio Romano illo ad focum sedenti cum auri pondus attulissent Samnites, repudiati sunt. Nõ enim aurum habere præclarum sibi uideri dixit, sed ijs qui haberent aurum imperare.

Iustè quod iustum est.) Duplicatio צדק cum asyndeto uehemens quiddam sonat, iusticiam iusti-

ciam

ciam persequitor ex legis sententia, non iniusticiam ex animi perturbationũ arbitrio. Curandũ igitur est ijs qui præsunt reip. legum similes sint, quæ neq; ad puniendum iracundia, neq; ad parcendum gratia cuiusq; sed æquitate ducuntur.

Vt uiuas.) Repetit præmiorum locum.

Non plantabis lucum.) Redit ad cultum primæ legis, quem tueatur magistratus non ferens idololatriam: sed eos qui hanc commiserint, capite plectat: de genere pœnæ mox.

Prope aram.] Non esse permiscendum falsum Dei cultũ cum uero, quã confusionẽ odiat Deus. In regno aduersarij q̃ latè pateat is error hodie, manifestum est in illo fœdo Mirabili.

Statuam.) Idolis. Hanc legem ut Iudæi transgressi sint, tertio Regum libro proditum.

IN CAPVT XVII.

DOmino Deo tuo.) puris hostijs qui purus sit, placando, non impuris. Litant aũt uictimis, qui alia uictima reconciliare sibi student Deum, quam pura puta uictima Christo. deinde qui superstitiosa humilitate detenti his decretis, Ne tetigeris, ne gustato, neq; contrectato, ne nubito, ne hoc uestitor habitu, se affligentes ac emaciantes, gratam Deo uictimam se immolare putant. Qua immũdarum hostiarum immolatione bestiæ regnum plenum est. Tales hostias scitè depingit Apostolus in epistola ad Coloss.

Et seruiant dijs alienis.) qui natura dij nõ sunt, me spreto contra conditionem fœderis, qui natura Deus sum, omnium in cœlo & in terra conditor.

Et adorent eos.) honore facultatis liberandi ex malis, & tribuẽdi bona eis tributa, qui mihi debetur, uemini alteri.

Et omnem militiam cœli.] ut sunt reliquæ tũ errantes, tum cœlo fixæ stellæ, neq; has ob ordinem quo descriptæ sunt, & constantiam quam in motu seruant, adorandas esse, quas cũ Israelitæ cœpissent adorare, ut in libris Regũ legitur, in exiliũ ab Assyrio ducti sunt, eorum terra uastata. Exilio igitur regnum deficiẽs à Deo afficitur, ut priuati idololatræ lapidibus obruuntur, ut mox patebit.

Quę non præcepi.) mei, non operum meorum adoratione demandata: qui solem & lunam cum reliquis sideribus fabricaui, ut uobis deseruirent lucem præbendo, & signa ostendendo: nõ deorum loco haberentur cum nominis mei ignominia, & uestra pernicie: quorum salus consistit in uero mei cultu, in terris in falso.

Audiensq; inquisieris.) etiam testium fide bene examinata, quod non quiuis & in quauis causa fidi satis habeantur, ut Daniel in Susannæ causa exploraſſe ac excussisse duorum testium fidem traditur.

Aut mulierem.) sexus imbecillis ratione non habita, ex lege de qua suprà: Personæ rationem ne habeto.

Et lapidibus obruentur.] Quæstio, an magistratus ciuiles hanc de puniendis idololatris & reliquas Mosaicas leges teneantur obseruare. Quæstioni, ut uidetur sic occurrendum est. In Mosaicis legibus tria genera cernuntur, ciuiles leges, Decalogus, ceremoniæ ad religionem pertinentes. Si ceremonias spectas, has patefacto Christo ut umbras disparuisse, declarat illud Apostoli: Hæc sunt umbra rerũ futurarum, corpus autem Christi. Sin ciuiles leges ac iudiciales consideres, ut eas quas Moses tradidit, Hebræorum reip. seruens cæteræ resp. religione nulla tenentur. Nam cum sint aliæ aliorum imperiorũ leges, aliæ regni, aliæ optimatum, aliæ eius reip. quæ communi nomine dicitur resp. aliæ paucorum dominatus, aliæ popularis rectionis, Mosaicæ non omnib. imperijs conuenient leges. Nã ut in orbe terrarum una & eadem forma imperij sit inter omnes gentes, neq; harum natura, neq; diuina fert iusticia, cui alias regia gubernatione, alias optimatibus, alias tyrannis ob delicta sua, alias alio magistratu regi placeat. Itaq; scripsit Moses has ciuiles leges Israelitis quas ipsi seruarẽt, nõ cæteris gentibus, ad quas suas leges conformarent. Neq; tamen negarim eum apud Mosem legum ciuilium aliæ ex fonte iuris naturalis ducuntur, aliæ in umbris rerum futurarum pædagogicis uersantur, ad eas quæ ex iure naturæ petuntur, ac Decalogo conuenire ut emendentur, quæ in alijs rebusp. ab illo longius discedunt. Est enim Decalogus norma ac certa regula ad quam omnis rectè & statuendi & uiuendi ratio referri debeat. Quæ autem Mosaicæ leges in repub. Israeliticã figuris & imagine rerum spiritualium non careant, suprà id in Mose indicatum. Quæ figuræ ut implentur ueritate in regno Christi, ita ad eas ut conformentur cæterarum rerumpublicarum leges, non fuerit necesse.

In ore duorum aut trium.) Seruatur hæc lex etiam in Ecclesiastica noui fœderis administratione, ut est apud Matthæũ: Sin ucrò te non audierit, adhibe tecũ insuper unũ aut alterũ, ut ex ore duorũ aut trium de omni re statuatur. itẽ ab ipso Dño seruatur eadem lex, ut is ipse de se sic testatur: Porrò & si iudicem ego, iudicium meum uerum est, quia solus non sum, sed ego & qui misit me pater. Ego sum qui testimonium fero de memetipso, & testimonium fert de me qui misit me pater. Ad hæc nec ab ipso Dño condemnabuntur impij, nisi sceleris conuicti sint testimonio duorum & trium. De quo testimonio Apostolus in epistola ad Romanos his uerbis: Qui ostendũt opus legis scriptum in cordibus suis simul attestante eorũ conscientia, qui unus testis est. Alter, mundi huius opificium tanta opificis arte fabricatũ, & opera à Christo edita. Tertius, sermo Euangelij. de quo illud: Sermo quem locutus sum, iudicabit uos in postremo die. item: Cum iudicabit Dñs occulta hominum ex euangelio meo per Iesum Christum.

Manus testium prima.] meritò sententiam iudicum primò exequentibus, quibus primi ut condemnaretur reus, autores fuerant, & re ipsa declarã

tes indicta causa sententiam latam nõ fuisse. Formula publici iudicij hic à Mose ostenditur. primùm rumori de noxa sparso temere non credendum, sed diligenter examinatis testibus, nũ ille certus sit, ac uerus, inquirendum. deinde, comperto scelere iudicio condemnandum reum. postremò iudicum sententias exequendas, primò à testibus, deinde à reliquo populo. Qua ex constitutione intelligitur honestũ munus fuisse eorum qui iudicum sententias perficientes manus iniiciebant sontibus. Testes enim & sacer populus supplicio afficere flagitiosos soliti sunt. Sic Dauid suis iussit, ut eos occiderent qui occiderãt Saulum: & Salomon laudato uiro Benaiæ negocium dedit interimendi Ioabum Semei, & Adoniã. Sed quærat hic aliquis, an ne etiam accusator cẽseatur in numero testium. Sunt qui illum in testium numero habere statuunt Christi testimonio freti, ubi ait: Si te nõ audierit frater tuus, adhibe tecum unum uel alterum, ut ex ore duorum uel trium testium de omni re statuatur. Si igitur tantum unum adhibeas, hunc & accusantem, reddi duos: sin duos, ex his & accusante effici tres.

Si difficile & ambiguũ.) Vt certus locus colendo Deo destinatur, ita is in eo summum magistratũ uersari uoluit, ad quem omnes difficiliores causæ de quibus iudicare minoris notæ iudices non possent, ab Israelitis referrentur. Is autem bipartitus fuit: alter sacer, quo functus est summus sacerdos de genere Aaronico: alter ciuilis, quẽ præses ciuili administratione gessit. Dicat aliquis: Rectè igitur aduersarij hac Mosaica lege subnixi statuunt interesse reipublicæ Christianæ, ut ecclesijs summus aliquis antistes, qui pontifex Romanus erit, præsit, ut summus sacerdos de familia Aaronis Israelitis præfuit. Multifariam hallucinantur, qui hac ratione freti pontificatum Romanum sanxere. Primò enim in noui fœderis administratione, sicut nullus religioni certus locus statuitur, in quo præcipuè colatur Deus, sic etiam nullus designatur, in quo uersetur summus aliquis antistes, qui de omnibus religionis controuersijs iudicet, & ius reconciliandi cum Deo qui peccarint, teneat. Nã postrema patefacti Christi tempora libera sunt ab elementis mundi, loco, personis ac gente. Quod enim ad locum attinet, legimus apud Ioannem: Sed uenit hora quando ueri adoratores, neq; in monte hoc, neq; Hierosolymis, sed spiritu adorabunt patrem, quantominus Roma insignis ille locus cultu Dei erit, quæ Babylon illa est, quã describit Ioannes in sua Apocalypsi, & bestia septem capita habens, qui septem montes sunt, super quos nobile scortum sedet, calice errorum omnes gentes inebrians. Quantum uerò ad personas pertinet, legitur apud Apostolum: In Christo neq; Græcus, neq; Iudæus, sed noua creatura, multominus in eo Romanus antistes fuerit, cuius regnũ nec uetus, nec noua creatura est, sed monstrum quale describitur à Daniele & Ioanne. Si igitur confirmari nequit, Romam destinatam à Deo religioni, ubi is omnes de fide controuersias explicari uelit, neq; efficietur, summũ aliquẽ antistitẽ debere esse, qui Romæ uersans ius obtineat omnes de religione quæstiones euoluendi. Nam contraria continet institutio Christi quem constat duodecim Apostolos elegisse, qui mysteria regni cœlorum & arcana fidei aperirent, & eis prohibuisse, ne quis principatum affectaret, cum iuberet: Non ita erit inter uos, sed quicunque uoluerit inter uos magnus fieri, sit uester minister. Secus facit pontifex Romanus, qui quantum dominatum sibi uendicet, declarat triplex illa corona aurea qua sibi inferorum, terræ, cœli ius asserit, hoc est sacra & prophana, infera & supera, terrestria & cœlestia quantũ in ipso est suæ potestati subijcit. De qua illud: Et faciet, quicunque non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur. Hoc cine est ministrum & seruum agere ex sententia Christi: Qui uoluerit inter uos primus esse, sit uester seruus. Non commemoro hic, quod ante Phocæ imperatoris tempora nullæ ecclesiæ Romanum episcopum pro pontifice, cui tota resp. Christiana parêret agnouerint, nec ipse qui Romæ uersatus est episcopus, se pontificem summum appellari sustinuerit. Deinde hallucinantur, quod hac de summo sacerdote lege suffulti, sibi ius de religione statuendi ex arbitrio suo Romani pontifices usurpant, nõ animaduertẽtes hic legi apud Mosem israelitis exequẽda quæ ex præscripto legis diuinæ sacerdos, non ex sententia sua decernat. Quod si Romanus pontifex ea docebit, quæ Euangelio continentur, ei non quia pontifex sit Romæ sedens, sed quia ex euangelij præscripto doceat, obtemperemus, fas erit. Quod autem præstet, doctrina eius & uita, atque utriusque Testamenti literæ satis declarant. Tertiò errant, quum consequi tradunt, quia Hierosolymæ pontifex ecclesiæ Israeliticæ præfuit, etiam Romæ in noui fœderis statu unum aliquem ecclesijs Christianis præesse debere eo oleo quo sacerdotes Aaronici generis deuncti fuerunt, delibutum. Labuntur in iudicando spiritualia cum spiritualibus, & corporalia cum corporalibus ex Apostoli sententia non comparantes. Itaque hos ita concludere oportebat: In Hierosolyma mystica ac terrena pontifex unctus terreno oleo Ecclesiæ Israeliticæ secundum carnem præfuit in ueteris fœderis gubernatione, igitur in noui rectione sacerdos unctus oleo de quo uates: Vnxit cum oleo præ consortibus Ecclesiæ Israeliticæ secundum spiritum, quæ est sanctorum qui credunt in filium, ecclesia, quam moderetur, designatus est.

At is Romanus pontifex non erit, sed Christus Iesus secundum Melchizedeci ordinem sacerdos. Sic enim Apostolus in epistola quam ad Hebræos scripsit, concludit summum sacerdotem noui fœderis esse hominem cœlestem crimine carentem, non ex uetere Adamo natum hominem criminiquem ex uetere Adamo natum hominem criminosum. Igitur Christus Iesus pontifex sanctorum erit, qui iram diuinam placans reconciliatis improbis Deo, nemo alius. de quo apud Ioannem: Si quis peccarit, is aduocatum habet apud

pud Deũ, &c. Atq; ad hunc difficiliores mysteriorũ regni cælorum controuersiæ referentur, quas dirimat per unctionem, de qua illud: Vnctio docebit uos omnia, nõ oleum Romani pontificis quod putidũ & carnale oleum est. Dicas: At quum Christus pontifex ministros Euangelij sui habeat, per quos fidei causas exponat, & inter hos alij alijs præstant spiritus sancti peritia, quid prohibuerit aliquẽ unum esse, cui cæteræ omnes pareant ob spiritus diuini quo præditus sit excellentiam? sed ubi talem in terrarum orbe inuenietis? Nam Romæ Romanũ antistitem? Si huius spiritum eum Christi spiritu conferas, quo ipse spiritu feratur, eius instituta, uita, mores satis luculenter declarant. Quod si etiam dederitis talem, ei tamen propter locum in quo uersatur, fides non habebitur. sed propter diuini spiritus præstantiam, quo cæteris antecellat. At neminem qui sic dotibus sacri spiritus emineat, ut cæteros omnes superet, reperietis præter eum de quo uates: Vnxit eum præ consortib. & Ioannes: De plenitudine eius omnes accepimus. Nec quisquam sanctorum talem se profitebitur, sed hũc honorem ei tribuet, qui de se dicit: Meam gloriam alteri non dedero. Obijcias, Ecclesiasticũ ordinem requirere, ut inter dispensatores mysteriorum regni cælorũ unus aliquis summus sit, cui cæteri cum ecclesijs quibus ministrant, tanquam membra capiti obediant, sicut regi subditi obediunt. Nam receptum est eam remp. esse præstantissimã cui unus aliquis præsit, ut de regno patet, quod cæteris imperijs præfertur. ut Græcus poeta id quoq; fatetur: εἷς λοίγανος ἔστω. Ordo ecclesiasticus negrit ut Ecclesiæ et eius ministris præsit unum caput Christus Iesus, nemo alius: deinde ut ministri Euangelij, hoc caput agnoscentes eius spiritum non mundi, non bestiæ ex terra ortæ dispensent: demum ut inter ipsos nullus principatum affectet quo cæteris dominetur, sed memores sint huius præcepti à Christo principe traditi: Scitis quod principes gentium dominantur eis, & qui maiores sunt, potestatẽ exercent in eos, non ita erit inter uos. Atq; hoc præcepto Domini ab Apostolis seruato, nemo ex eis inuentus est, qui dominatu uteretur. Quem si Petrus obtinuit, cur ergo restitit Apostolus Paulus? cur hunc dominatum nusquã exercuit? cur tanto tempore post obitũ Petri à nullis Ecclesijs fuit agnitus? cur tum cum receptus fuit, aduersarius Christi omnia ut prophetarum oracula implerentur in Ecclesia uastare cœpit, in eo etiam loco, in quo Romanus pontifex sedẽ suam collocauit? de quo aduersario & loco eius apud Danielem, in Apocalypsi Ioannis & apostolo in altera epistola quam ad Thessalonicenses scripsit clara extant testimonia, quæ nobis tempus ipsum fidus prophetarum interpres aperuit. Cõtrouersias si quæ in Ecclesijs extiterint, quæ sit ratio componendi, indicant cõciliа Apostolica, in quibus collatis inter se scripturis sacris, interprete et arbitro spiritu pontificis Christi dissidia cõponebantur, non ab uno aliquo homine in terra uersante, qui principatũ decernendi teneret, sed ab eo qui dicit: Si duo aut tres cõgregati fuerint in nomine meo, in ter eos ero: nõ dicit, in nomine pontificis, in nomine Mahumeti. Obijcias, tam aliquot subsidiis tributũ principatũ Petro. quid tributum sit Petro, nos nõ laboramus: quid et tribui ex sententia uerbi Dei debeat, laboramus, neq; etiã claues regni cælorũ præcipuè Christus Petro concesserit, cũ diceret: Petre pasce oues meas. Sed sub pſona eius cæteris commendatas claues, hoc est potestatẽ prædicandi Euangelij, in quo ligãdi & soluendi sceptrum positũ est, declarãt uerba illa: Euntes ergo docete omnes gentes. itẽ: Ite in orbẽ uniuersum, & prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Et ad hoc munus pascendi doctrina cœlesti oues Christi obeundũ pariter omnes spiritũ sanctũ acceperunt. Quod aũt primò commendauit regendæ Ecclesiæ curã Petro, id factũ nõ est, ut dominatũ in cæteros Petro cõmendaret quem is nunq; sibi usurpauit, nec cæteri ei detulerũt, sed ut in mãdato Petro dato, alij intelligerẽt qd ipsis quoq; agendũ esset, & q̃ cura in pascẽda Ecclesia p ipsius Euãgelij dispensationẽ gerenda foret. Neq; aduersariorum sententiã confirmat quod legitur: Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiã meam. Nam hæc Petra non fuit Petrus, sed Christus de qua illud: Petra autẽ erat Christus. item: Nam fundamentũ nemo potest ponere præter id quod positũ est, quod est Iesus Christus. Si Petrus fuit illa petra, hæc petra sanè infirmũ fluxumq; fuit fundamentũ, cui legimus respon sum: Abi satan. itẽ: Priusq̃ gallus canet, ter me negabis. cui post acceptũ etiam spiritũ de cœlo sanctum, Paulus acriter restiterit. Dices in Apocalypsi legimurum ciuitatis quæ Ecclesia est, duodecim fundamenta habere, qui sunt duodecim Apostoli, quæ uerba indicant non solum Christũ dici fundamentũ, & petram super quã sit fundata Ecclesia, sed etiã alios. Fatemur id uerũ esse, sed inde quid ꝓbabitis? Petrũ nẽesse fundamentũ & petrã unam secundum Christũ Ecclesiæ? At legitur duodecim esse fundamẽta. Deinde intelligimus Apostolos non aliter dici fundamenta q̃ si doceãt unã esse petrã, unum fundamentũ Christum Iesum. At hoc modo uester pontifex non habebitur pro fundamento, qui fundamentum Christum ex Ecclesia quantum in ipso est, euellat atque euruat. Euangelium enim is non fert, & in eius cultores ferro, igni, laqueo, sæuit. Quæ sæuities cum falsa doctrina quam ex serpentis ore hausit, sedẽ illã antichristi sedẽ esse declarat, in qua draconis ueteris, spiritus regnet, nõ agni. Quã aũt uanus sit ille cultus Dei quem tradit & tuetur, documẽto est personatũ sacerdotiũ, sacrificia, tẽpla, idololatriæ cõsecrata, aræ idolis ex omni materiæ genere fictis instructæ, ꝓhibita matrimonia, q̃ Deus in paradiso ad propagandũ humanũ genus instituit, ꝓhibiti cibi quos diuina bonitas creauit, quib. cũ gratiarũ actione utamur usurpata humana merita magna cũ meritorũ Christi iniuria, excogitatæ tot sectæ, uariiq; quos minimè numeres, colẽdi Dei ritus, et si q̃ alia sunt mõstra qb. beatiæ regnũ à ꝓphetis descriptũ repletũ est, cuius spiritus Apostolorum statim temporibus sese ostendens

de quo illud, Iam sunt antichristi: prædicationis Euangelij illorum cursu peracto plenius se extulit, dum Phocæ temporib. manifestè templum Dei occuparet, immissis in oues Christi à Satana lupis, qui cuncta uastarent. de quibus his uerbis prædixerat Apostolus in Actis: Ego enim noui hoc quod post discessum meum graues ingressuri sunt lupi. Neque caruit artibus huius suæ tyrannidis per doctrinas dæmoniorum augendæ & conseruandæ, dum conscientias specie quadã sanctitatis & religionis obligat, scholas publicas excogitat, quarum doctoribus in uerba sua iuratis, potentiam suam defendat & tueatur: antistites, episcopos, cardinales creat, eosq; ea opulentia armat, quæ regibus sit formidabilis, & optimas quasq; terras sui cultores ut possideant, prouidet. Hæ sunt artes, doli, tehnæ à ueteratore serpente sumptæ, quibus hæc meretrix super aquas multas sedens, & scortationis suæ uino reges populosq; terræ inebriãs, ad tantũ splendoris & amplitudinis fastigium peruenit. Sed dum hunc tam sublimem locum occupat, super Dei numen elata, quid tandem sanctorum hominum sanguine ebria audiet? audiet illud: Cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum.

Inter sanguinem & sanguinem.) Homicidia notantur, cum de homicidio controuersia erit, alijs ex proposito, alijs usu, alijs iure commissum interpretantibus.

Causam & causam.) exorta lite de rebus contrahendis, uẽdendis, emendis, creditis, hæreditatibus, de seruis, matrimonijs, & id genus alijs controuersijs.

Lepram.) נגע interpretum sententiæ & חברות hoc est uniuersum genus uulnerum & liuorum complectitur.

Et ascendat.] Non solum ex Aegypto ascenditur Hierosolymam, sed etiam ex reliqua Chananæa. Nota typi ueritas ex illo: Venite, ascendamus in montem Domini. Sed quis est ille mons Domini, in quem ad petenda iura ascenditur? Nos legimus apud Apostolum: Superna quærite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens. Vbi thronus ille iudicij est, ad quem omnes obscuriores fidei causæ aperiuntur per spiritũ throni, de quo idem Apostolus: Spiritus omnia dijudicat, & ipse à nemine dijudicatur.

Veniesq; ad sacerdotes Leuitas.] legis notitia præditos, ut est apud Malachiam: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius.

Et ad iudicem.] pronunciantem ex præscripto legis à sacerdotibus illi exscriptæ. Coniungit cum sacerdote præsidem ad adumbrandum regum sacerdotium Christi sacerdotis, & regis officio fungentis. de quo utroq; munere, ut aliquoties citatum, Iesaias. Vt iudicare Hebræis moderari est ac administrare rempublicam, ita iudex præses est, & administrator. Accidit interdum ut unus utriusq; munus obiret, summi sacerdotis ac præsidis. Vt de Heli non sine Mesiæ iudicis & sacerdotis consilio, patet, qui iudex & sacerdos Israelitarum fuit. sed frequẽter diuersi his duobus muneribus functi sunt. Hierosolymæ ex Dauidis genere reges, ex Aaronis familia pontifices præfuerunt.

Et docuerint te iuxta legem eius.) non ex sua sententia, ut facit bestia de qua Daniel: Et putabit quòd possit mutare tempora & leges.

Nolens obedire sacerdotis.) summi. De nostro legimus: Hunc audite.

Vt nullus deinceps.) Vsus supplicij. Magistratus ciuilis, hoc autoritatem conseruari, & populum in parendi officio retineri, incusso ex sumptis de sontibus supplicijs, metu, sine quo nullæ in ciuitate retẽtè seruantur leges.

Constituam super me regem.) Qui de summo magistratu in designato à Deo loco ad gubernaculis sessuro meminisset, iam quoniam is rex erat futurus, quæ deberet in creando rege lex seruari, præciput. Vbi hæc expendenda fuerint. primò, cum tripartita ratio sit ciuilis administrationis, regnum, optimates, resp. & totidem excessus, tyrannis, paucorum dominatus, uulgus: quam dignitatem regnum habeat, utrisq; id, & quibus Dei testimonijs sit comprobatum, deinde quotuplex Israelitici regni usus fuerit, et hinc quæ leges quas seruaret præscriptæ sint, postremò si regẽ ut crearent decretũ diuino consilio fuit, cur illi ipsi reprehensi sint regem petentes? De singulis ordine.

Cum constitues regem.] ex Dei oraculis. Sic enim ad Abrahamum Dominus: Ex te egredientur reges. Et Iacobus diuino spiritu affiatus in testamento suo: Non auferetur sceptrum de Iuda. Sceptrum udelicet regium regni Dauidici. Nec uerò propterea quòd reprehensi fuerunt Israelitæ postulantes regem, ideo regnum displicuit Deo, quod is ipse sua sententia dudum comprobauerat. Reprehensi enim sunt non qui regem peterent, sed quòd prauo animo peterent, cuius præsidio, spreto Dei, ab hostibus defenderentur, quos oportebat unius Dei opitulatione niti. Nam his uerbis in libro priore Samuelis culpari legũtur à Samuele: Vos autem hodie proiecistis Deum uestrum, qui solus liberauit uos de uniuersis malis & afflictionibus uestris, & dixistis: Nequaquam, sed regem constitue super nos. Regia igitur dignitas non reprobatur, sed populi malè regem affectantis uitium damnatur. Regnum enim inter ciuilis administrationis rationes præcipuè laudatum est, primò quidẽ, quod eius quod publicè bonũ est coniunctum cum uirtute, rationem ducat: ut contrà tyrannis priuati bonum spreta uirtute curat. deinde, quòd imaginem eius regni ciu Deus mundum hunc sapienter moderans, præest, præferat. Sicut scitè quidam dixit Dei speciem in mundo repræsentari à rege, dum is unus excellente uirtute prædituus prudenter gubernat ciuitatem suam, ut unius Dei numine sapienter uniuersitas hæc regitur. Quò spectans Græcus uates, suum quem describit regẽ, Deo similem fingit:

ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴσελος θεὸς τερπικεραύνῳ.

Ab

Atque idem alio loco commendat ciuilem administrationem in qua unus præsit, non multi:
ὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.
At uerò disceptatio, utra ciuitatis administratio præstantior sit, regia ne an resp. quæ communi nomine ita appellatur, facilis est explicatu, iis qui ea nota habent quæ scriptores rerum ciuilium ea de re tradũt: qua de disputatione aliàs.

Quem Dominus Deus tuus elegerit.] Leges de creando rege exponuntur: quarũ una est, non ex libidine uulgi creandum regem, sed ex Dei nutu, & arbitrio aut à prophetis indicato, aut ex Vrim ac Thumim patefacto. Exempla in libris Regum de hac electione extant.

De numero fratrum tuorum) Altera, ex consanguinitate creandũ regem, non extraneũ et alienigenam. Submoto uelo, Christus Iesus occurrit rex nõ quo suis sceptro Euangelij sunt regens, sed consanguineos, de quibus uates: Narrabo nomen tuum fratribus meis. sed qui sunt illi fratres? ubi sequitur: Qui timetis Dominum, laudate eum. Quod ad usum igitur regni Israelitici attinet, bipartitus is cernitur. unus, moderatio erat ciuilis qua populus ad tuendã societatem, & ad conseruandam religionem ex præscripto legis diuinæ, ut mox patebit, regebatur: alter, ut esset regia stirps, ex qua Christus rex ex diuinis responsis nasceretur. Hæc autem est familia Dauidis, quam perpendentes tanquam imaginem ac figuram Israelitæ, eius regis admonebantur, de quo Hieremias: Et suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex. Ex consanguineis etiam ui creare iubetur rex mandauit Moses, non ex alienigenis, partim ne alienigena populũ sacrum deprauaret alienis legibus et idolo latria: partim ut æquius illum iudicaret ac regeret. Hinc pater cœlestis uoluit filium suum unigenam messiam benedictum nasci prius ex uirgine fratrem suorum Israelitarum, hoc est electorum, quàm regiam iudicandi acciperet potestatem. Sic enim legimus: Et potestatẽ dedit ei iudicandi quòd filius hominis est. & Apostolus cõdem spectãs dicit: Eum habemus pontificem qui infirmitatibus nostris condolere sciat.

Non multiplicabitis equos.] Tertia lex, Morem cæterorũ regũ multos equos alendos nõ esse quorũ præsidio nitatur, diuino spreto, quo uno fulciri sacrum populum cum rege suo fas sit: ut rex ipse fatetur: Hi in in equis & curribus, nos autem in nomine Domini inuocabimus.

Nec reducet populum in Aegyptum.] ex eo semel redemptũ, ut in sacra terra Deũ liber à tyrannide colat. Regibus aũt tyrãnis Israelitas usuros Samuel propheta prædixit, ut facilis est cõmutatio regni in tyrãnidẽ. Sic enim tyrãni ius exponitur prio re libro Samuelis, Filios uestros tollet. Videris illic. Eò libidinis adducũtur reges, si has quas hic præscribit Moses, leges nõ seruarint. Hebræi uno nomine regem & tyrannũ appellant. Cæterùm qui mu munisset equorũ, Aegypti quoq; meminit, ex qua Israeliticireges soliti sunt equos sibi cõparare. Vt his uerbis in libris Regum proditum est: Et educebantur Salomoni equi ex Aegypto.

Vxores plurimas.] Quarta lex, uxores multas cauendas, ut regis cor à regio moderandi remp. spiritu ad abiectas seruilesq; impulsuras cupiditates. Exẽplo Salomon est, de quo in libris Regũ in hũc modũ: Et auerterunt mulieres cor eius. Quod præuidẽs futurũ Moses propheta sic dicit hic, ולא ירור לבבו Ne animo suo deflectat à recto uidelicet ad prauum statum, ratione attexta à muliebri mollicie uiriles regum animos per uitæ consuetudinem ad perniciosa reip. consilia emolliente. Si una uxor Heua primi hominis tam præclarè conditi animũ à recto statu ad uitiosum detorsit, quid non multitudo uxorũ impetret in peruertendis iam uitiatis? Quales sunt præcæteris ferè qui dignitate & opibus florent.

Neq; argenti.] ut cum cuius copia auaricia, ambitio, fastus, luxus & omnis libido, si desit spiritus diuinus, cõiuncta sit. Stultũ igitur hac quinta lege augẽdi diuitias prohibetur, quod suscepũ sit cũ iniuria eorũ quib. rex imperat, ad tuendã luxũ. Separes uitia eorũ ab opib. qui has habent, nihil retulerit parũ an multũ argenti auri'ue possideat rex. Hinc illud: Si affluxerint opes, ne apponito cor. Salomon ut abũdarit auro & argẽto, indicãt libri Regũ. cõmendantur igitur diuitiæ ut munus Dei, cupiditas damnatur.

Describet sibi Deuteronomium.) Sexta lex, libidinem regis cohibendam legibus diuinis à sacerdotibus exscriptis, ne regnum in tyrannidem abeat, quæ contemptis legibus hoc in ore habet: Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas.

Vt discat timere.) ut coercitus legũ septo in religionis, iusticiæ, beneficentiæ, tẽperantiæ fortitudinis cultu maneat, uitatis uitijs cõtrarijs. Animaduertit diuinus legislator sacro & libero populo imperare nõ posse, qui cupiditatib. suis non imperarit. Itaq; refrenare eũ qui regnaturus sit, prius libidinẽ, spernere uoluptates, iracundiam tenere, auaritiam coercere, cæteras animi labes repellere oportere, quàm inire imperium incipiat.

Neq; declinet.] à legis disciplina.

Neq; in dextram.) addendo ex sua sententia legibus, quæ Deus non mandarit.

Neq; in sinistram.) admẽdo legibus diuinis, aut eas non seruando, aut contra eas aliquid statuendo.

Vt longo tempore uiuat.) Exemplum in Dauid de cernitur, cuius regnum in eius posteros confirmatum fuit qui legem seruasset: contrà ademptum Saulo & Ieroboamo, qui non seruasset.

IN CAPVT XVIII.

NOn habebunt sacerdotes.) Explicato iure regio, hoc loco sacerdotũ et Leuitarũ ad quos suprà memminerat referẽdas esse obscuriores causas, ius exponit. Et quoniã hos consulentes esse præcepe rat, hic prohibet cõtrarios uates ac doctores consulẽdos, dum ad prophetã ac doctorẽ, à quo omnis uera

prophetandi

prophetãdi ratio proficiſcitur, qui eſt Chriſtus Ieſus, caput doctorum & prophetarum, perueniat

Sacrificia Domini.) Ignita ſacrificia notantur. Legitur enim אשה. de quorum deſcriptione in Leuitico.

Oblationis eius.) Sacrificia et reliqua munera ſibi conſecrata, Dominus patrimonium ſuum uocat. Legitur enim בחלתו. complectitur Moſes in אשה quæ ſacerdotibus, in בחלתו quæ etiam Leuitis, ut erãt decimæ, aſſignabantur.

Hoc eſt iudicium ſacerdotum.) משפט id eſt ius ſacerdotum primò tractat, deinde Leuitarum.

Armum ac uentriculum.) Hebræus: Armum, maxillas, ſtomachum, ac omaſum. Reticetur hic pectuſculum alijs locis memoratum. Quorum admoneat armus dexter, duæ maxillæ, inter quas lingua collocata eſt pijs non obſcurum.

Vt ſtet & miniſtret.] legem publicè profitens, & ea quæ ad altarium candelabri, menſæ, propitiatorij curam, in qua ſacerdotale munus uerſabatur, pertinebant, procurans.

Si exierit Leuites.] De cuius munere uideris in Numeris.

Miniſtrabit in nomine Domini.) in certos ordines eo miniſterio redacto à Dauide, ad uitandam perturbationem.

Excepto quod in urbe ſua.) Nodus hic in ſcirpo quærit. ſententia ſimplex eſt, æqualib. portionib. donorũ licere ueſci peregrinos Leuitas cum ijs qui in delecto à Deo loco uerſantur, præter res uenditas quas à maioribus ſuis acceperũt, his priuato iure eos frui donis communi.

Cumq; ingreſſus fueris terram.) Qui explicaſſet oraculorũ Dei doctores conſulendos in terra ſacra, iam contrarios his uates & doctores fugiendos præcipit. uaria autem diuinatorum genera commemorat, hariolos, aſtrologos, augures, magos, incantores, Pythij conſultores, necromantes. Quorum nullus ferendus ſit in Iſraelitarum gente, diuinis in ſacra terra oraculis conſecrata.

Prophetam.] In Ioſua tenuis umbra, in Chriſto ueritas. Monuerat cauendos hariolos. hic non defuturos quos conſulant, uates prædicit Chriſtũ Ieſum, ut eſt in Actis, prophetarum & doctorum ueritatis caput hic ſuſcitandum uaticinatur. De regno igitur atq; ſacerdotio & doctorib. ueri cultus Dei qui meminiſſet, hic de eo tandẽ prædicit à quo omnis patefactio arcanorũ Dei proficiſcitur, & in quo uera religio cum regno, ſacerdotio Moſaico & omni oraculari diſciplina perficitur. Is Chriſtus Ieſus eſt in quo hæc expendenda fuerint, natura, uocatio, munus et comparatio eius cum Moſe propheta & Ioſua. De ſingulis ordine. Cæterùm ꝓphetæ nomine hic accipitur is qui arcana Dei cõſilia tum de rebus futuris, tum de uero Dei cultu cognoſcit, & cognita eloquatur, atq; aperit. Duo nomina ſancti prophetæ habent גביא et חזה, alterum à uidendo, alterum ab eloquendo quæ uiderint, ſortiuntur. utrumq; in noſtrum ſacroſanctũ ꝓphetã congruũt, qui de ſe ead̃ ad חזה attinet, dicit: Nemo uidit patrem niſi filius. quod ad גביא uerò ſe gimus apud Ioannem: Filius unigena qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. item: Quod ſcimus loqmur, et quod uidemus teſtamur. ubi utræq; uoces explicant.

De gente tua.) non alienigenã. Vt ſuprà de cognatione Iſraelitica, ita hic ex eadẽ propheta ſuſcitandus prædicitur. Quo ex uaticinio docemur, prius mò, ſeruatorem mundi non angelum aliquem eſſe ſed hominem: & eum non quemuis, ſed Iſraelitam, ſed hominem: & eum non quemuis, ſed Iſraelitam ex familia Dauidica. Deinde hunc prophetam quia naſci in noſtram carnem uoluit, in omnib. nobis ſimilem factum excepta noxa. Qui infirmitatem noſtram ferens, & mortem, nobis robur & uitam donaret, ut eſt apud prophetam: Infirmitates noſtras tulit, lãguores noſtros portauit. Atq; id ipſum eſt quod Moſes hic dicit: De gẽ e tua. Tertiò, quoniã Iſraelitæ ſecundũ carnem, eos Iſraelitas qui ex ſpiritu ſunt Iſraelitæ, id eſt electos adumbrant, conſequitur hunc noſtrum nouum doctorem, electorum caput eſſe, non expunctorum ex libro uitæ: & eius doctrinam ac legem electis ſolũ prodeſſe, non alienis. iuxta illud: Ogem electis ſolũ prodeſſe, non alienis. iuxta illud: Oues meæ uocem meam audiunt. item de alienis: Vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. item: Credidêrunt quotquot ordinati erant ad uitam.

Sicut me.) Comparatio hæc neq; doctrinæ, neq; naturæ, ſed autoritatis ſimilitudinem indicat. Nam quod ad naturam pertinet, Moſes à conceptu & nauitate filius Adami ueteris. Chriſtus autem cœleſtis ille doctor à conceptu filius Dei, nouus homo & cœleſtis. Præterea Moſes ſacrum ſpiritum obtinuit non plenè, ſed ad menſuram donationis Chriſti, qui citra modum illum habet, in eo reſidente plenitudine diuinitatis corporatè, qui nimirũ conceptus è ſpiritu ſancto filius Dei ſit, à natiuitate filius Dauidis ex uirgine natus. Quod uerò ad doctrinã attinet quã Ieſum Chriſtum exorta eſt. Hinc miniſterij utriuſq; diſſimilitudo naſcitur. De qua Apoſtolus in Epiſtola priore ad Corinthios: Vbi alterum miniſterium litteræ, mortis & condẽnationis: alterũ ſpiritus, uitæ et abſolutionis à ſententia capitalis ſupplicij appellat. In autoritate igitur docendi ſimilitudo quædã cernitur inter utrũque. Vterq; enim miſſus à Deo eſt. De Moſe legitur: Nunc uenito, & mittã te in Aegyptũ. De Chriſto: Et à me ipſe non ueni, ſed eſt uerax qui miſit me. Vterq; nõ ſua, ſed Dei oracula denunciauit. Vterq; dux populi ſui habetur, uterq; arbitrũ ac ſequeſtrẽ præſtitit: alter inter Deum & Iſraelitas carnales, ad myſticã reconciliationem & ciuilem: alter inter Deum & electos Iſraelitas ſpirituales, ad ueram recõciliationẽ. At uerò etiã in autoritate diſſimilitudo cernitur. Nam Moſes ut ſeruus, Chriſtus ut filius à Deo miſſus eſt, cuius etiam Moſes ſeruus fuit ac miniſter, quem nimirũ in rubo ardẽte ſecũ loquentem Dominũ ſuum agnouerit, cuius opem in Aegypto, in deſerto, in ſiti, fame, in hoſtium incurſione ſenſerit: cuius

cuius prætereuntis, cum in saxo resideret, tergum ac posteriora uiderit, eius facie in nouissimis temporibus patefacta. Quapropter cum Moses prædicit hic prophetam suscitandum, non uaticinatur talem prophetam fore Christum qui legem doceat, qui leges de gubernãda rep præscribat. Nam hoc munus diligenter obijt Moses: sed prophetam significat excitãdum qualem Iesaias capitibus, undecimo, quinquagesimotertio, sexagesimoprimo describit.

Suscitabit.] In extremis temporib. de quibus sæpe. quæ sunt aperiendæ & ostendendæ gratiæ diuinæ in hoc doctore tempora.

Tibi.] Is propheta de se: Veni propter perditas oues Israel.

Ipsum audite.) comprobatum diuina uoce è nube delata: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Cõfirmatur auctoritas prophetæ: Hunc audiendũ non falsos prophetas, non pastorem illum stultum, de quo Zachariæ: O pastor & idolum, derelinquens gregem, no sapientes huius mundi, non ranas illas Aegyptias hoc est garrulos sophistas.

Sicut petisti.] De hoc propheta suscitando nusquam legitur uerbum in Exodo factum. Quæ igitur de propheta suscitando illic explicata non sunt, hic explicãtur. is enim propheta longe retro seculis promissus patrib. prædictus à pphetis, expectatus à sanctis fuit, qui iugo grauissimo, & intolerabili Mosaicæ legis deposito, iugum nouæ legis, suaue & amabile iugum imponeret, de quo propheta is ipse: Iugum meum suaue, & onus leue. Quod est hic: Sicut petisti.

Et ponam uerba mea.] suauia ac salutaria, de quibus propheta: Quàm speciosi pedes sunt annunciantium pacem. In promulgatione legis Mosaicæ audiebantur tonitrua, cernebantur fulgura, sentiebatur horribilis motus montis Sinæ. Propheta autem hic qualis propheta sit, describitur à Iesaia: Non clamabit, nec audietur uox eius foris. Calamum quassatum non conteret.

Quæ præcepero.) non alia, sicut de se ipso dicit apud Ioannem: Et quod ex me ipso facio nihil, sed ita, ut docuit me pater, hæc loquor. Eodẽ modo compositi sunt huius ministri ad quos ipse propheta: Docences eos seruare omnia quæcũq; præcepero uobis. Quæ autem Christus præcepit, ea literis consignata sunt, & spiritu doctore aperiuntur ut cõsentanea his quæ prodita sunt.

In ore eius.) De quo sacrosancto ore Ioãnes: Qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Is propheta ut unicus interpres mysterij reconciliationis solus manifestat patrem. Vt is de se fatetur: Patrem nemo nouit nisi filius, & cui uoluerit filius patefacere, nõ Moses, non cæteri prophetæ.

Qui autem uerba eius.) Seruari obedientes per fidem Euangelio, perdi inobedientes. sed quo gladio perdendi ab hoc propheta? Gladius is exponitur apud Iesaiã uatem: Spiritu oris sui interficiet impium. In huius igitur uatis regno non ciuilis, nõ carnalis gladius usurpatur, sed spiritualis & talem etiam gladiũ ministris suis commendauit, qui ut suprà indicatur, in aperiendo & claudendo cœlo cernitur.

Propheta autẽ qui arrogantia.] Vt uerus propheta commendatur, ita falsus reprobatur. Solent enim falsi doctores sese ueris immiscere, quò recta doctrina spectator reddat & illustrior. sic si uetus species fœdus, prophetæ Baal Heliæ & Elisæo negotium exhibuerunt: sin nouum, pseudo prophetæ, de quibus Petrus et Paulus præmonuerunt: Erunt in uobis pseudo prophetæ. item in Actis: Et post discessum meum intrabunt in uos lupi graues. Sunt autem falsi doctores bipartiti generis. Vnũ eorũ, q Mosaicæ legi contraria docuerunt in ueteris Testamenti administratione. In quo genere alij sub Dei, alij sub deorum alienorum nomine falsa docuerunt. Alterum genus eorum est, qui in nouo fœdere Euangelio contraria loquuntur. Horum quoq; alij nomine deorum alienorum falsa prophetant: alij prætexto nomine Christi, ut sunt prophetæ & doctores bestiæ, de qua sæpe. Is est antichristus cum pseudoprophetis suis qui falsa docent sub specie ueræ religionis. Hinc aduersarius Christi, duo cornua agni & os draconis habere dicitur. Quamobrem agnum is assumulans, quum suam gloriam quærat, agni supprimat, dicitur etiam idem ille suo nomine falsa prophetare, ut de eo prædixit Dominus apud Ioannem his uerbis: Ego ueni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius uenerit in nomine suo, illum accipietis. Quod oraculum ut impletum sit, sentit Ecclesia magno suo luctu ac lamentatione.

Quæ ego non præcepi.) Vt erat, si Ieroboami phetas spectes, cultus duorum uitulorum Bethele & Dane institutus. Sin antichristum & eius prophetas, horum inuentæ & excogitatæ colendi Dei rationes, quas Christus non solum non præcepit, sed etiam prohibuit, satis perspectæ sunt ijs qui signo bestiæ signati non sunt.

Quod si tacita cogitatione.) Cui per occupationem occurrit. Deprehendi falsos uates, si eorum uaticinijs euentus rerum quas prædicunt, non respondeat. Itaque duplici ratione cognoscuntur falsi uates & doctores. Vna est, si res quas effati sunt, non euenerint. altera, si ita euenerint, ut edito portento studeant à uero Dei cultu ad falsum auertere. De hac ratione capite tredecimo: de illa in præsentia. Dicas: Si res ita habet, Ionas & Iesaias in falsis prophetis numerabuntur. Vterq; enim denunciauit quæ non euenerunt. Ionas quidem Niniuæ interitum, qui non accidit, Iesaias uerò mortem Ezechiæ his uerbis: Morieris, & non uiues. qui mortuus nõ fuit. Horum uaticinia ex eo prædictionum genere fuerunt, quæ causam coniunctam habent, quales Græci ὑποθετικὰς, id est finitas uocant, nõ ex eo genere quod διηνεκὲς, id est infinitum appellatur, causis & conditione carens. Nam Ionas prædixit Niniuem euertendam intra quadraginta dies, nisi ad meliorem frugem redirent. Causa igitur quæ in sceleribus cernebatur,

submota, nõ fuit, cũ Dominus sæuierit in Niniuitas. idem iudicium est de uaticinio Iesaiæ. Dicas, in uaticinijs Ionæ & Iesaiæ, non explicari causam & conditionem. His enim uerbis exposita leguntur: Niniue subuertetur. Tu morieris, & non uiues. bene quidem, sed causa in uaticinio inclusa postea explicata fuit. sic enim Iesaias allocutus Ezechiam legitur: Propter deprecationem tuam Dominus Deus addet uitæ quindecim annos. Ionæ similiter causa non euertendæ Niniuæ indicata fuit: Et uidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de uia sua mala, & misertus est Deus, &c. Quod igitur Niniuitæ seruati sunt suscepta pœnitentia, & Ezechias non extinctus facta deprecatione, nec Deus leuitatis ac inconstantiæ, nec prophetæ illi duo mendacij redarguentur. Obijciunt contra alteram rationem, qua deprehendi falsos doctores ac uates diximus, si doceant quæ dissentiunt ab instituta religione Dei, Heliam prophetam, qui in Carmelo monte sacrificandum duxerit, contra legem quæ Hierosolymæ diuinam rem faciendam Deo præscripserat. Helias contra legem Dei nõ peccauit, qui mentem legislatoris secutus, Carmelum delegerit in quo sacrificaret, non suo consilio, sed diuino, ad asserendum uerum cultum Dei, destructo falso sacerdotum Baal. Quò quum semper spectarit legislator, contra sententiam scriptæ legis de uenerando Deo in certo ac designato loco, Heliam deliquisse nemo dixerit. Dicas, si in falsis uatibus numerantur, qui Mosaicæ legi dissentanea afferunt, quid ergo facies prophetis qui sacrificia, cultumq; templi à Deo institutum aliquoties reprehendere leguntur? Hi non Dei cultum reprehendunt, sed perfidiam eorum qui sine fide & amore Dei, sacrificijs templiq; cultu abutuntur, sine qua fide Deo nihil probetur, qui dicat: Misericordiam uolo, non sacrificium. Quod si igitur in sacris literis quædam inter se dissentire uidentur, ea non reipsa, sed in speciem dissenserint. Quam dissensionem facile tertius aliquis locus repertus diremerit. Dicas, sed quis locum illum qui tanquam arbiter discordiam componat, ostendet? Non ratio & sapientia humana eum ostendet, sed diuinus spiritus, cuius luce prælucente, solum res diuinas cognoscere & de eis iudicare licebit. Dicas, ut iudicabitur quis habere spiritum iudicem & disceptatorem sacrarum caussarum? Si quis ita iudicat, ut intelligatur omnia ad summam gloriæ Dei in Christo & ad ædificationis Ecclesiæ, ex norma & regula legis primæ tabulæ de amore Dei, & secundæ de dilectione alterius, referre. Is existimabitur pollere iudice spiritu. ut contrà mundi & carnis falso spiritu duci eum meritò iudicamus, qui secus, ut hic ex Mose discimus, facit. Quæras, cuiusuis ne sit iudicare de rebus sacris? cuiusuis sanè qui spiritu Dei præditus sit. Tales enim omnes sacerdotalem unctionem habent, de qua Ioannes: Vnctio docebit uos omnia. Dicas: Si omnes docti spiritu iudicandi de rebus diuinis potestatem tenent, quis ergo ordo erit in Ecclesia? Ordo cernitur de quo Apostolus: Alios quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò doctores, tum potestates, &c. At hi quibus destinantur? Ecclesiæ destinantur, quæ per sua membra ius habet censendi. de quo iure illud eiusdem Apostoli: Et cæteri dijudicent. Dicas, si ad cognoscendum de rebus sacris opus est Dei spiritu, non igitur sacræ literæ satis fuerint ad componendas controuersias quæ in religionæ excitãur. Si norma componendi spectetur, ad quam omne iudicium referatur, sacra scriptura sanè satis fuerit, quæ certa & infallibilis regula est, ad quam omnis doctrina, omnisq; censura tanquã ad Lydium lapidem iurè dirigatur. Sin uerò facultas atq; uis decernendi spectatur, ut hæc per spiritum diuinum adillam accedat, necesse est. Nam firmum est illud: Spiritus omnia dijudicat, & eo absente, etiam hoc: Animalis homo nõ percipit ea quæ Dei sunt. Itaq; ut amissis fabrilis nullus usus est, nisi artificis iudicium adhibeatur, quo regulæ, gnomones, & perpendicula regantur: ita de sacris literis res habet. Mirũ igitur non est, post ea tẽpora quibus Apostoli sua legatione defuncti sunt, falsos uates Mahumetũ in Asia & Africa, pastorem illum stultũ rasum & coronatum corona illa triplici draconis principis inferni ac orci, receptos. Nam istis temporibus ut implerentur oracula prophetarum, rectè iudicandi norma sacra scriptura negligi, & iis ipsa uerè decernendi cognoscẽdiq; expirare cœpit, falso iudicio in templo Dei, in quo Messiam per spiritum unicum doctorem ueritatis uersari oportebat, omnia occupante.

IN CAPVT XIX.

CVm disperdiderit.) Explicato iure sacerdotali & uerorum prophetarum, redit ad magistratus ciuilis munus, quod in seruandis insontibus & puniendis sontibus uersatur. Quare Moses cum sanxisset idololatras delinquentes in primam tabulam perdendos esse: hic ut plectendi sint, qui in alteram commiserint, præscribit. Orditur autem ab homicidio, ut eorum qui animos interimunt, pœnam cum corporum percussoribus cõiungat. Tria autem in homicidijs prouisa à Deo proponit: Asylum generatim, testes. De singulis ordine.

Qui percusserit proximum nesciens.) Commemorat genera homicidij. In capitali homicidio duo spectari, scientiã & odiũ, si sciens quis & odio alterum interemerit. sunt igitur qui non omnino ignorantes, sed sine odio alterum occidunt. sunt qui neque prudentes neq; odio, quorum exemplum in textu affertur: sunt demum qui & scientes & odio. Hoc postremum genus capitale esse, illa duo priora crimine ferè carere. Qua in re prudens legislator iudicum sententias non semper eadem ferri, sed quasdam ex legis seueritate, de sontibus dici, ut sunt quorum scelera comprobata testibus plectuntur: quasdam uerò ex æquitate pronũciari quæ in delicta casu, non antegressa deliberatione commissa feruntur. De his generibus tum noxæ, tum sententiarum audia-

audiamus legislatorem differentem.

Hic ad unam supradictarum urbium.) Vsus asyli & iuris asyliæ: de quo in Numeris.

Et percusserit animam eius.] uita spoliarit, hanc animo corpori præbente, quò spectat Hebraismus.

Qui non sit reus mortis.) sic iudicante æquitate interprete legis scriptæ, quæ hic diuina sententia comprobatur. Ex quo fonte omnis apud iurisconsultos de æquitate manat disputatio. Ex eadem illa argumenta petuntur quæ ad legitimum statum περὶ γραπτῆς διαγοίας, id est de scripto & sententia pertinent, quum probamus uoluntatem legislatoris à nobis stare. item ex eadem æquitate promuntur rationes quæ in statu assumptiuo ad comparationem, remotionem criminis, & deprecationem qua causa facti in imprudentiam, necessitatem reijcitur, accommodantur.

Quia nullum contra eum.) Ex odio æstimari homicidia, itaq; apud Ioannem: Qui oderit fratrem suum, homicida est.

Vt non effundatur sanguis innoxius.) Innocentia non naturæ, sed causæ accipitur, de qua David: Iudica me Domine secundum iusticiam meam, qui se ex uetere natura sontem agnoscens confessus legitur: Concepit me mater mea in peccatis.

In medio terræ.) non ferentis iniusticiam propter quã flagitiosæ Chananææ gentes euersæ sunt, ut suprà monuit Moses: Cum disperdiderit. Hinc Cainum homicidam terra quietum non sustinuit, de quo illud: Profugus eris in terra.

Ne fis sanguinis reus.) pœnas fusi innocentis sanguinis luas, hoc ad Deum scelerum uindicem clamante, ut Abelis sanguis aduersus Cainum clamasse legitur: Vox sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra. Nec mirum, tantopere odisse Deum homicidas. Ratio odij exponitur in Genesi: Ad imaginẽ qp pe Dei factus est homo. Quæ aũt hominis ad diuinã imaginem expressio contineat, alio loco indicatum. Quod sanè opus qui corruperit, omnia quæ in mundo sunt, corruperit, quorum homo particeps sit. Is enim ex terrestri & cœlesti, corporata & spirituali natura conflatus, uniuersitatem rerum ambitu suo comprehendit, elementa, stirpes, animantia, angelos, & Deum ipsum, quem refert, ac in mundo hoc princeps conditi operis repræsentat. Quocirca non immeritò à ueteribus, תבליט העולם, id est, finis ac perfectio mũdi, et à Græc. μικρόκοσμος, et in noui fœderis scriptura omnis creatura homo appellatus est. In Israelitis uerò, id est electis diuini fœderis beneficio ad hanc perfectionem accedit sacer filij unigenæ spiritus. Quo sceleratius fuerit Israelitas interimi, et multo sceleratissimum, Israelitam ab Israelita necari, quibus omnia in cœlo & in terra deseruiant, angeli ipsi cum principe angelorum Christo, qui Israelitis caro factus est, qui eis dem resurrexit parta uictoria de peccato, morte, mundo, & principatu mundi. Hæc expendant sanguinarij homines qui cum sanctos occidunt, non perpendunt se eos occidere: qui nisi essent in mundo, neq; ipsi, neq; mundus consisteret. Stat enim illud: Iustus fundamentum mundi.

Si quis autem odio.) Alterum genus, asyla insontibus, in quibus uitæ suæ prospiciant, erecta esse, non sontibus. Depone uelum mysticum, de quo in Numeris. Nec cæteri populi caruere asylis, Aegyptij, Græci, Romani, sed quæ omnibus criminosis patêrent: secus comparata fuere Mosaica.

Non misereberis eius.) Cum magistratu loquitur ac iudice, de cuius iure suprà: Rationẽ personæ ne accipito, iustiam persequitor, ab ea neue odio, neue clementia desicito.

Et auferes noxium sanguinem.] דם sanguinem, id est crimen innocentis sanguinis fusi uindicandum esse, Hebræus indicat.

Non assumes.] Addit de suo Hebræus לא תסיג, id est ne moueto ac transferto. Terminos à maioribus designatos in terra Chananæa mouendos non esse, sed quẽq; suis finibus contentũ esse debere. Prohibet crimen fraudationis rei alienæ, quod quoniam lites excitat, & cædes, id eum homicidio conungit. Manat hæc lex ex Decalogi lege de furto: Ne furator. Submoto uelo, ut in hæreditate cœlesti sui cernantur termini, quos Iosua Christus suis Israelitis terminat, declarat illud: In domo patris mei multæ sunt mansiones. quos fines scripti hæredes ne transferant, tectè monentur hic. Transferunt autem quicunque illud Paulinum negligentes, Maneat quisque in uocatione sua, in alterius munus, donum, quod quisque suum ad mensuram donationis Christi terminatoris habet, inuadunt. Non memoro hic ut bestia hodie satis nota in Ecclesia terminos à maioribus, hoc est à Christo, per Apostolorum functionem descriptos mutet, suos ponat.

Priores.) Maiores accipiuntur, Eleazarus sacerdos, Iosua, & principes tribuum. Hi enim iussi sunt Chananæam Israelitis distribuere, de quo uideris in Numeris cap. 34.

Non stabit testis.) Explicatur ratio ac forma condemnandi sontis. Manat hæc lex de adhibendis testibus, ex Decalogi lege, Ne occidito. in quã delinquunt omnes siue priuati homines, siue magistratus, qui temerè & indicta causa alterum necarint.

Si steterit testis mendax.) Decalogi lex habet: Ne dicito falsum testimonium. Huius transgressores qua pœna afficiendi sint, hic ostenditur. Hac lege de iniquo damnando teste, monebatur iudex primò, ne temerè quibusuis testibus crederet: sed eorum fide examinata, sententiam diceret. deinde de iniquo teste, cuius falsum deprehensum esset testimonium, talionis pœnam sumeret. Examinatur autem testium fides, cum inquiritur leues ne sint, necne, scelereatè an probè uixerint, falsum'ne etiam antea testimonium dixerint, testes'ne eius qui accusa-

tur amici sint. Turpe enim est eundem & accusatorem esse, & testem: longè turpius, in eum iudicem etiam uelle se præstare.

Ante Dominum.] ut uerum illum iudicem ac ultorem scelerum, & omnia lustrantem oculis suis.

Sacerdotum.] ut peritorum legis.

Et iudicum.) ut ex lege, cuius professio ad sacerdotes pertinebat, iudicantium.

Reddens ei sicut fratri.] faciendum ei, quod ipse in alterum commentus erat. Quæ talionis æqua lex fuit. Quòd si iniqui testis fraus deprehendi nequit, stat lex diuina de testibus: Ex ore duorum aut trium testium reus condemnetur. Iudex noxa innocentis sanguinis fusi liber erit, falso teste reseruato iudicio diuino, & reo in altero seculo innocentiæ suæ præmium reportaturo, cui dum uiueret in hoc calamitoso seculo communia mala fuere ferenda, qualia uicini à uicinis ferũt, ut sunt incendiũ, lues, bellica clades, et id genus aliæ iniuriæ. Vt falsi testes, quorũ iniquo testimonio fortunæ, corpora, fama eorũ in quos falsa testimonia dicũt, periclitant talione plectuntur. ita mèdaces testes, q animos quantũ in ipsis est, perire student, eo supplicio afficientur, quod ipsi in alterum mendaci testimonio machinantur. Horum princeps est is de quo illud: Quia proiectus est accusator fratrum uestrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei. Sed quo testimonio reuincetur is testis mendax cum suis ministris mendacibus testibus, id est falsis prophetis & doctoribus, sequitur inibi: Ipsi uicerunt eum propter sanguinem agni, & propter sermonem testimonij sui.

Facere cogitauit. עמם non est simpliciter cogitare, sed scelerate alteri fraudem nocendi studio intendere ac machinari. Graci igitur, ἐπονηρέυσατο.

Sed animã pro animã) uitã pro uita. interpretes hanc talionis legẽ de reddendo oculo pro oculo, dente pro dente, uulnere pro uulnere, ex scripto obseruatam non uolunt, sed ex interpretatione eius ad æquitatem legislatoris, qui sarciendum acceptum damnum esse pecunia statuerit. Afferunt legem ex Exodo, quæ habet, percussori fraudi non futurum, si eius quem pugno aut lapide percusserit, cubatum ac medicationem præstiterit. item: Dominum satisfacturum seruo cuius oculũ corruperit, si eũ manumittat.

IN CAPVT XX.

Si exieris ad bellum.] Qui cœperat de homicidij loquæ, hic de bellis gerendis, quibus fas sit hostes interficere leges sancit. Summatim igitur in hunc modum homicidiorum genera ex Mosæ sententia libare licet. Horum unum esse legitimum, alterum non legitimum. Non legitima quædam capitalia censeri, quædam crimine capitali carere. de his suprà. Legitima iudicantur, quæ à ciuili magistratu conficiuntur: quorum quædam priuata sunt, quibus scelerati puniuntur: quædam publica, quibus in hostes belli iure uindicatur. De hoc ultimo genere disserit Moses, cuius leges ordine describit, quorum manet quæ ratione Israelitæ prælia inire cum hostibus, ut sacerdotes in accendendis militũ animis se gerere, & quæ hortandi formula uti debeant, quoq; duces in deligendo milite munere fungantur. Et quia non unum genus hostium est, aliud domesticum, aliud exterum: ut utrunq; tractandum sit, docet, quidq; agendũ cum exteris hostibus, si se dedant: quid item, si dedere se recusent. De singulis ordine. Bella igitur iure gentiũ comprobata ad arcendos motus seditiosorum hominum nec in Israelitis reprobantur. In quo autem ratio administrandi belli, quam Israelitæ tenent, à cæterarum gentium instituto differat, Moses pædagogus ad Christum satis declarat. Illorum bella oraculis diuinis gerebantur, horum humano consilio illis septi præsidio Dei bella faciebant, hæ armis & militum robore subnixi. In Israelitarum bellis amplitudo gloriæ diuinæ quærebatur: in gentium profanarum belli uincendi & ulciscendi libido, studiũ augendarum opum, amplificandæ gloriæ suæ. bella quæ Israelitæ gessere, figura quadam prælia aduersus mundum & principatũ mundi, quæ ductu ac auspicijs regij sacerdotij Christi cœlestis ducis administrantur, adumbrarunt. Qua figura profanarum gentium duces carnerunt. Harũ regnis affinguntur fœuæ bestiæ tigrides, pardi, ursi, leones, propter cruenta quæ moliũtur bella ad proferendos imperiorum suorum terminos. Israelitarum imperio nihil tale affingitur. itaq; illarum regna cum bellis finienda tandem: horum autem sub duce Christo æternum fore dominatum sacri prænunciantes. At uerò in hoc cõuenebat inter bella gentilia & Israelitica, quòd utraq; gerebantur diuina quadam ratione ad puniendos sceleratos.

Non timebis eos.) Leges belli ordine exponit. Harum una est, quæ exercitum attingit, bellicum hostium apparatum metuendum non esse. Quæ lex duo continet. Vnum, fidendum esse diuino præsidio, non humano, quod in armis, curribus, equis, militum robore, cernitur. alterum, timendam hostium uim Israelitis huiusmodi ope destitutis, non esse, ratione attexta à præsentia auxilij diuini. Vt sequitur:

Quia Dominus Deus tuus tecum est.) qui uelit & possit te iuuare. A facili. Duo hic explicantur quæ Israelitis uictoriam expediunt: alterum promissum Dei est, alterum fides Israelitarum, quam habent promissis diuinis.

Qui eduxit te.] Ab exemplo. Vt Aegyptij præsentem uim Dei pugnantis pro Israelitis senserunt, declarat uox illorum: Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis cõtra nos. Hinc uictricis fidei hæ à sanctis uoces iactatæ: Tu es Deus fortitudo mea. Item: Hi in equis, hi in curribus, nos uerò in nomine Domini inuocabimus.

Stabit sacerdos.) Summus. altera lex ad sacerdotem pertinens, quæ præscribit quibus uerbis cohortari Israelitas ad pugnandum debeat. Sacerdos igitur & pacis & belli temporibus, suum munus

nus quē obeat, habet. De altero suprà, de altero hic.

In medio uestri est.) eius tutelari numine præsenti ad arcam oracularem uobis præeuntem.

Duces quoq;.) Tertia lex magistratum & præfectos attingit, quos coniungit cum sacerdote. submoto uelo, in prælijs capessendis aduersus hostes non carnales sed spirituales, cuius regij sacerdotij ductu utantur sancti, bene uorum quæ id generis prælia experiuntur.

Quis est homo.] מי non est interrogantis, sed affirmantis, eum qui ædificauit nouam domum quæ nondū sit usus, in acie ferendū nō esse. sed domū qua fruatur, remittendum. Genera quædam hominū hæc lex perstringit quæ satius sit domi uersari, quàm in bellis. Atq; hæc quarta belli lex ad milites pertinet, quales hos esse conueniat docens. de quibus ordine.

Nec eam dedicauit.) Æquitas legislatoris cernitur in duabus rebus. altera est, si as non esse, ut is q nouam extruxit domū, ea bello extinctus non fruatur, sed alius. Altera, esse ex rep. ut stipēdia faciant fortes uiri, non molles, quorum animus magis domi in uinea nuper consita, apud uxorem iam desponsata uersetur, quàm in prælio aduersus hostem conserendo. Huc pertinet depositio uelo mysticæ militiæ, illud Domini: Nemo qui manu sua admota aratro respexerit à tergo, aptus est regno Dei. Item Apostolus: Vnum autem illud ago, ea quæ à tergo sunt, obliuiscens: ad ea uerò quæ à fronte sunt, emitens, iuxta præfixum signum insequor ad palmam supernæ uocationis Dei.

Nec dum fecit eam communem.) רלא חללו Variant, alijs interpretamibus, profanauit eam, fructum eius percipiens, quod consitarum arborum fœtu non iceret uesci ante quintū annum, ut patet ex Leutico. Alij, quod non sum læticiam ex ea cæpit. Vtrunq; sonat in loco חלל.

Qui desponsauit uxorem.) Tertium genus. Quanto autem amore sponsus sponsæ teneatur, declarat illud Iesaiæ: Gaudebit sponsus super sponsa. Affectus is quantum animos in rebus præclaris obeundis impediat, declarat illud in parabola à Christo allatum: Vxorem duxi.

Quis est homo formidolosus.) Redigit formas timidorum hominum ad uniuersum genus. Eos qui molli animo sunt quacunq; de causa, non ferendos in militia Israelitarū. A periculo et damno quod dant meticulosi homines, ratio subiungitur.

Ne pauere faciant.] Primò timidorum telum imbecille est, ut est apud Græcum uatem:

ἰωχμὸν γὰρ βέλος αὐδηρὸς ἀνάλκιδος.

Deinde facile deserta acie fugam faciunt. postremò hoc suo exemplo aliorū quoq; animos mollicie quadam incusso metu effœminant. Commendatur hic fortitudo, ut metus reprobatur, quo animus de statu suo dimotus periculis & doloribus turpiter cedit, ut contrà fortes uiri audent se & salutem suā in discrimen pro statu ciuitatis et cōmuni libertate offerre: Cæterum in uerbo מס instar liquescentis ceræ emolliti animi mollicies notatur. Est enim metus sine ratione à malo auersio cum exanimatione quadam humili atq; fracta. Contrà fortib. uiris omnia infracta & ferrea reddentur. Rectè igitur ille de metu: Degeneres animos metus arguit.

Cuneos.] שרי, id est duces. Magistratus manus esse, præficere duces copijs. In uoce ראש notatur ducis functio, quæ est præstare id copijs quod caput in animantibus corpori, & eius membris præstat, in quo sensus & mens ipsa gubernatrix corporis uigeat. In ducibus igitur duo cernuntur, consiliū & fortitudo adoriēdi hostes. Oratione consilium explicatur, manibus fortitudo ostenditur. Quod indicat etiam uates ille:

οὐ γὰρ χοροὶ τέλος πολέμου, ἐπέων δ' οἰὴ βολή.

Atq; idem sapienter Martem Palladi, hoc est sapientiæ subiectum dicit, quòd sine consilijs & ratione bella feliciter non gerantur. Ex Mose igitur legislatore cognoscimus, duces consilijs exercitum suum regere, & exercitum ducibus parēre debere, ut corporis membra capiti parent.

Si quando accesseris ad pugnandum.] Quarta lex præscribit ut hostes tractandi sint. Nō temerè in eos sæuiendum esse ex Martis, q stolidus, furiosus, sanguinarius fingitur, consilio: sed moderationem adhibendā à populo, non ad sæuiciē, sed ad clementiam & humanitatē colendā suscepto atq; formato. Itaq; lex præcipit: Si israelitæ adorientur aliquod oppidum bello, pacem primò hostibus offerendam esse, quòd hæc bello potior sit, & bellū non nisi pacis gratia suscipiatur. Non enim bellū res per se expetenda est, sed pax: quæ ut altrix & conseruatrix omnium bonorū est, ita bellū omnia quæ pacis temporib. quæsita & aucta sunt bona, dissipat, & labefactat iuuentutē, pecuniā, pecora, frumēta, urbes, & sæpe malis parcens, bonos perdit. Vt est apud Tragicum:

πόλεμος ἁλόν' ἄνδρα ἐσθλὸν
οὐ φείδεται πονηρὸν, ἀλλὰ τοὺς χρηστοὺς ἀεί.

Hæc expendens legislator pacē primò proponendā iubet. At uerò duo hostiū genera describit. Vnū, eorū qui longius absunt: alterū, qui propius. Primū genus bipartitū esse dicit. Vnū, oblatā pacē accipere: alterum, recusare. de singulis generibus in ipso scripto.

Si acceperit & aperuerit.] Quid agendū cū hoste pacem accipiente, his tributa cum seruitute imponenda per culpam. Igitur in orbē terrarum tributaria seruitus unà cum bello & reliquis calamitatibus quibus humanum genus affligitur, iusto Dei iudicio inuasit. Quò spectans Græcus uates, Dei mandatū perficere dicit bella gerentes:

διὸς δ' ἐτέλειον ἐφετμάς.

Sin autem fœdus inire uoluerit.) Lex de rebellibus: hos, si pace repudiata armis decertabūt, oppugnādos esse, et eis expugnatis mares trucidādos: reliqua, ut mulieres, paruulos & pecora, prædæ habenda. Itaq; uates latinus: Parcere subiectis, & debellare superbos. Hanc sententiam tum gentium cōsen-

tam in legibus suis quoq; comprehendit Moses. Hic non leuia mala quæ bellum affert, recensentur, mares trucidari, mulieres, uirgines & paruulos cum pecoribus pro præda ferri agiq;. Oppida expugnari ac uastari. Quæ mala scita distributione Græcus uates his uerbis exaggerat:

οὐδὲ ὅσα ἀνθρώποισι τέλει, τῶν ἄστυ ἁλώῃ
κύδιμος εὖ κτείνῃσι, πόλιν ἠὲ ὧν ὑπὸ ἀμαθοῖ,
τέκνα τ' ἄλλοι ἄγωσι, βαθυζώνους τε γυναῖκας.

De his autem ciuitatibus.) Lex de tractandis Chananæis hostibus exitio deuotis iam olim diuina sententia. Hos funditus delendos & deuouendos cũ maribus, fœminis, paruulis, pecoribus. Septem gentes Chananææ, diris deuotæ numerantur, quæ septenarium maledictorum & exercitus hostilis electorum adumbrare uidentur. Ad hunc septenarium Christus apparet alludere, ubi septem immundorum spirituũ mentionem facit, qui opponuntur septenario spirituũ quos sacræ literæ à Deo proficisci, & in eius conspectu uersari dicunt ad expediendum negocium salutis aduersus septenarium hostium sanctorum Israelitarum in cœlis scriptorum.

Per te doceat.) Ratio legis. Israelitæ igitur Chananæas gentes bello extinguere iussi sunt, qui reliquis populis pepercere. Mysterium notum ijs qui discrimen electorum et expunctorũ ex libro uitæ norunt, & dijudicare corporalia corporaliter, & spiritualia spiritualiter sciunt. In electis sunt qui primò Euangelij pacem oblatam recipiunt, hi incolumes seruantur. sed hac lege ut deinceps Ecclesiæ sanctorum seruiant per Euangelij fidem. sunt item qui primò pacem repudiant, sed quoniam in Iapheto benedictionis diuinæ omnino expertes non sunt, ut penitus perdantur, electio non permittit, quæ maribus, hoc est præcipuis quæ habent, ut sunt sapientia, iusticia facultate naturæ per doctrinam Euangelij labefactis infirmis parcit. Postremò sunt maledicti ac exitio deuoti ante condita secula, hi sub figura Chananæorum anathema facti pro ratione noui fœderis quod in spiritu, non litera cernitur, spirituali non carnali gladio penitus delentur. Tales enim ueræ pacis quæ Euangelio denunciatur, consortes non sunt, quã accipiant. De quibus Dñs apud Ioannem: Propterea uos non auditis quia ex Deo non estis. Vtriusq; fœderis ueteris & noui bellicus gladius hostes Dei interimit ac perdit, ut iusticia colatur ab iniusticia orbis terrarum liberetur. sed quo discrimine militiæ, militum, armorum id fiat, docuerit unctio.

Non succides arbores.] Lex de conseruandis arboribus, cuius duplex ratio exponitur.

De quibus uesci potest.) Vna in usu cernitur: sed earum fructu uescitur. Si longior sit futura obsidio, parcendũ esse arboribus: sin uerò contigerit subita esse uastationem & breuem oppidorum expugnationem, accidit interdum tempus quo nec arboribus, nec fontibus, nec agris parcatur. exemplũ in libris Regum legitur.

Quoniam lignum est nõ homo.) Heb. Quasi homo esset arbor ruris. Altera ratio, parcendum arboribus, quæ hominum more contra arma sumere nequeant. Hæc una est interpretatio quam cum paraphraste noster interpres sequitur. altera, quoniam homo est arbor ruris, id est homini uictum suppeditant arbores, & uos Israelitas sustentare earum fructus possunt, dum ingrediamini in oppidum quod à uobis obsidetur.

IN CAPVT XXI.

QVando inuentum fuerit.) Redit ad homicidia priuata. suprà quid agendum cum homicidis in noxa deprehẽsis, indicauit: hic quid sit tuendum si deprehensus non sit qui homicidium commisit. Admirandam lustrandæ cædis ceremoniam affert. de qua in ipso scripto.

In terra.] Sanguine innocentiũ non profanando.

Quam Dominus Deus tuus.] iusticiæ consecratam & innocentiæ.

Hominis.) conditi, qui uiuens Deum repræsentet, qui perennis uita est omnia uiuificans.

Egredientur maiores natu.) Senatores.

Et iudices tui.) Quorum sit cognoscere de flagitijs.

Vitulam de armento.) Exponitur lustrandi homicidij ceremonia, in qua hæc expendenda fuerint, deprehensa cædes & eius qualitas, locus cædis, lauatio manuum, & formula testificationis innocentiæ, demum usus ceremoniæ.

Quæ nõ traxit iugum.) Remoto uelo occurrit lustrans iuuenca et expers iugi peccati & operum ueteris hominis sub peccatum uenditi & mortẽ. De quo iugo Iesaias: Eo quòd scelus non fecerit.

Et ducent eam ad uallem asperam.] Extra oppidum, in locum asperum & incultum, in quo peccati lustrandi à iuuenca, fœditas ac turpitudo notatur, ut in pascuis, locis bene cultis, hortis, arboribus consitis iusticiæ decus. In locis igitur incultis de facinorosis soliti sunt supplicium sumere.

Tum sacerdotes Leuitæ.) Hæc ordine hic cognoscenda proponuntur à legislatore primò homicidijs profanari terram sacram, deinde eam lustrari supplicio de sontibus, si noti sint, sumpto: sin ignoti purgari terram iuuencæ decollatione, & testificatione iudicum, qua testificantur lotis super iuuencam decollatam manibus, se neq; sanguinem innocentem fudisse, neq; scire qui fuderint. Postremò hanc testificationem ratam non fieri, nisi facta sit super uitulam cæsam. Reducto uelo, cognoscimus omne de innocentia testimonium confirmari in hostia Christo, nemine alio. Vt qui fons ille sit omnis ueræ testificationis, qui de se ex patris ore prædicet: Ego sum ueritas. Itaq; cum haberi testimoniũ nõ posset de occulto illo homicidio, nisi ab illa ipsa ueritate, legimus hic super uitulam iugi mendacij expertem testificationem fieri. Hic igitur sancti homines sapienter tradunt expiationẽ adumbrari qua in uniuersum peccatum sacrosancta uictima Christo expietur. cadauer enim in uia repertum, humanum genus esse à serpente ia-

re Satana per quem mors in omnes peruaserit, occisum. Hinc negotium datum senioribus de hac caussa statuendi qui assistēdi throno iusticiæ et gratiæ Dei uitulam iugo liberam delegerint Christum Iesum, qui in uallem asperam & non aratam, id est in mundum hunc de cœlo demissus, homicidium satanæ occultis artibus creatum expiaret.

Et benedicent in nomine eius.) Obiter munus sacerdotale exponit, quod fuit nomine Dei benedicere, id est Israelitis felicia precari, & diuinam bonitatem celebrare, deq; controuersijs & causis iudicare. qua de re suprà. Igitur hic cum senatoribus & iudicibus sacerdotes, ut diseptandarum controuersiarum legibus docti & usu periti homines coniunguntur.

Lauarunt́q manus suas.) ad declarandam innocentiam. Manus perpetrati facinoris instrumentum sunt, & aqua puritatis symbolum. Sic Pilatus manus abluisse legitur coram populo, probaturus suam innocentiam.

Nec oculi nostri uiderunt.] conniuentes ad homicidium.

Quem redemisti.) ut conseruares, non ut perderes.

Et ne reputes sanguinem innocentem.) de terra ad te clamantem in cœlum de se uindicando. Hebræo dare sanguinem, est uindicare cædem, et expetere de homicidio pœnam.

Si egressus fueris.] Redit ad bellicas leges. supra memineram, ut externus hostis tractandus sit, si oblatam pacem recusarit: hic ut erga captiuam in matrimonium ducendam, uictor Israelita se gerat, præscribit. At uerò hæc lex indulgentis legislatoris lex est, non præcipientis captiuam ducendam esse. Indulgetur autem hac in parte huic geni, ut in facien dis diuortijs, partim propter animi qua illa sub aspera lege uiuens prædita est, duritiem, partim propter arcanas adumbrationes earum rerum quæ in Ecclesia sponsa Christi cernuntur, ut mox patebit. Erunt autem in captiua, cuius lex hic exponitur, hæc notanda. primò, ex quo hostium genere captiua sit: deinde, qua ceremonia recipiatur in matrimonium, et quæ ratio & usus ceremoniæ. Postremò, si maritus nausea illius capiatur, qua lege repudietur. De singulis ordine.

Contra inimicos tuos.) De hostibus exteris loquitur pacem recusantibus, non de Chananæis, ex quibus uxores ducere fas non erat.

Mulierem pulchram.) non deterritus neq; alienæ religionis neq; seruitutis fœditate. Tanta uis est pulchritudinis, quæ silens persuadeat sui amorē, & impetret citra uim quæ nulla potentia impetrarit. Scitè igitur ille silentem fraudem appellauit formam, quæ sine oratione persuadeat, & alius ἀλογοφόρητ μ βασιλείαν, id est regnum sine satellitio quòd formæ elegantia nullo præsidio stipata omnia consequatur, apud eos præsertim qui non expendunt illud Salomonis: Fallax gratia, & uana est pulchritudo, mulier timens Dominum laudabitur.

Quæradat cæsariem.) Exponitur ceremonia qua uelut lustrata gentilis mulier sacro populo aseribitur. Veteris capilli & uestitus ornamenta iubentur deponi in captiua Israelitæ Deo consecrato nuptura. Depositio uelo, ut se gerat sponsa quæ ex sordida captiuitate marito Christo cœlesti Israelitæ nupsit, declarat Apostolus his uerbis: Postquam exuistis ueterem hominem cum factis suis, & induistis nouum. Cæterùm tonsura capitis turpitudinis nota est. Vt leprosi indicant, de quibus in Leuitico. Bipartitū igitur genus est capillorum capitis. sunt qui robur diuinum sacro usui aptum significant. Hi in Nazaræis laudantur, & ne eos radant prohibentur. Sunt item profani ueteris hominis robur notantes. Hi radendi fuerint, ut noui nouo homini congruentes pili nascantur. Apud prophetam Iesaiam Dominus minatur se barbam, caput & pilos pedum Assyriorum rasurum, ut qui robur potentiæ & sapientiæ eorū qui suum robur & sapientiam contemptui habent, non ferat.

Et circuncidat ungues.) Hebræus עשתה quod uertunt interpretes hoc loco pro תרבי & תגדל ut paraphrastes, id est nutriet ungues. Vnguib. lacerantur & pungitur, q si prolixiores sint, turpes habētur ac fœdi. Qualis autem captiua sit ab Israelita maritata, satis manifestum.

Flebit patrem.) interemptum. Suprà enim. Mares trucidato. Locus de humanitate commendata lege Mosaica, per quam bonos pariter uiuis & mortuis parentibus tribuitur. Iubentur enim hic à captiua sui parentes plorari, sed certo, menstruo tudelicet tempore: quod tempus lugendis mortuis deputatur. Sic in Numeris triginta diebus legitur mortuus Aaron à populo defletus. Quia uerò lunari conuersione menses suos Hebræi metiuntur, ideo legitur hic ירח ימים. Præterea ut is locus docet ימים non semper diem quem sol conficit motu uigintiquatuor horarum, sed interdum annum, interdum mensem, ut hic significat.

Si autem postea.] inuisa reddita propter mores tuis dissimiles à gentilitate ductos. Lex de repudio ut fieri debeat, ponitur.

Dimittes eam liberam.) לנפשה sui arbitrij ac iuris. Tale hic sonat Hebræa uox. Quæ semel absterſa captiuitatis seruitute, libera reddita est matrimonio Israelitico, à marito suo dimissa seruituti addici nequit. Depositio typo consolationem intelliges ex Hieremia, semel marito Christo desponsa ecclesia q captiua & seruitute peccati miserè sordidata fuerat, & deinde ppter uitia cæteris naturæ hoc est ppter scortationē & adulteria cū dijs alienis cō missa repudiata si sit, nunquā sic repudiata erit, ut amisso libertatis ueteris iure, spes ei redeundi in gratiā cū priore marito omnino præcidatur. Vt maritus ipse Christus de se promittit apud Hieremiā his uerbis: Si dimiserit uir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit uirum alterum, nunquid reuertetur

ad eam

ad eam ultrà &c. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me. Locus tractetur collatione dissimilium.

Non opprimere per potentiam.] Impositis seruilib, ancillæ operibus. quæ quoniã semel ad scripta in numerum Israeliticæ dignitatis per matrimonium tuum libertatis ius accepit, seruafieri nequit.

Quia humiliasti eam.] Ratio à concubitu ac maritali compressione, quæ in subigendi uerbo עבה notatur. Sic in Genesi ירשבב אתה ויעבה.

Si habuerit homo uxores duas.] Lex de primogeniti iure, cuius uxoris liberis si duas habeat, id cedat. Occasio sanciendæ legis sumpta est ex superiore de captæ in bello mulieris lege. In hac lege quæ perpendenda sint, ex scripto indicabitur.

Non poterit filium dilectæ.) Primogenituræ iure non pendente ex arbitrio humano, sed Dei, neque in eo assignando affectus hominum pondus habere, sed institutionem diuinam, quam nulla autoritate humana cõuelli liceat. Qui humani affectus ut intelligatur quàm displiceant Deo, solet is interdum contra illos à primogenituræ lege communi recedere. Vt de Esao & Iacobo, Rubene & Iuda, Ephraim & Manasse constat.

Odiosæ.] Inuisæ quidem tibi, non item Deo. Cuius cogitationes ab humanis tam longè quàm cœlũ à terra, ut est apud Prophetam, absunt.

Agnoscet primogenitum.) Mysteriũ iuris primogenituræ in contemptæ contenta prole explicat Iesaias: At uerò cũ hæc talis sit, nihilominus de ea præditum est: Primogenitus uniuersæ creaturæ. De quo ex deformi & neglecta Lea, nõ ex formosa Rahele nato, suprà in Genesi.

Cuncta duplicia.] Duplicem facultatum partem ei dandam. Tale sonat Hebræum פי שנים. Vt si duo filij fuerint, reputatis his pro tribus, primogenitus duas partes accipit: & si tres, quasi quatuor forent, primogenito duplex pars cedet. Eodem modo exponendum esse illud in libris Regum, ubi legitur פי שנים, id est os duorum, id est duplicem diuini spiritus partem Helisæus sibi dari de spiritu Heliæ petit, qui primogenitus esset inter discipulos Heliæ prophetæ.

Iste enim est principium.] Ratio primogenituræ à robore uirili, quod pater in primogenito primo ostendit. Itaq; in Genesi Iacobus de Rubene: Tu es principium roboris mei. Vnde quoq; primogeniti, in fratres & reliquam familiam imperio atq; sacerdotali dignitate floruerunt ad repræsentãdum eum primogenitum de quo apud uatem, Tu es sacerdos secundum ordinem Melchizedeci. item: Ego autem constitutus sum rex.

Si genuerit.) Lex de pœna contumaciæ liberorum in parentes. Redit ad exempla legitimæ priuatorum hominũ cædis, qui tradidisset legos de hostib. trucidandis. Versatur enim in homicidiorum causa.

Contumacem.) Contra legem Decalogi: Parentes uenerator.

Qui non audiat.] magno & domestica & ciuilis gubernationis malo. Nam ut liberi obtemperantes parentibus, familiã conseruant, & ad usum reipublicæ probos ciues se præstant, ita contraria omnia faciunt rebelles & contumaces. Accedit ingratitudinis uitium in non perpendentibus quanta cura & laboribus à parentibus educati sint.

Patris & matris imperium.) Qui in familia sua sunt id quod Deus in mundo, magistratus in ciuitate.

Et coercitus.] castigatus disciplina paterna, non odium, sed amorem præ se ferente. Vt est apud Salomonem: Qui parcit uirgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, sedulò erudit.

Apprehendent eum.) Seuerum & tragicum genus accusandi. Victis affectibus à parentibus prægnans accusandi. Victis affectibus à parentibus prehensum contumacem filium deferendum iudicibus.

Comessationibus studet.] paternas facultates tributas beneficio Dei, quibus familia sustentetur, non Dei amplificetur, luxu & belluatione dissipantur. Ex comparatione igitur contrariorum commendantur liberi frugi & sicci.

Lapidibus eum.] Genus supplicij idem, quo in Deum rebelles per cultum alienorum deorum afficiuntur. Parentibus secundum Deum præcipuum honoris locũ sibi uendicantibus. Declaratur igitur hac pœna grauitas criminis, & dignitas parentum.

Et pertimescat.) Vsus supplicij rebus sic imitandũ memorabilis. Nisi enim prouisum sit ut bene liberi educentur, neq; commodos ciues, neq; senatores ac iudices iustos, neq; sacros in Ecclesia doctores nos habituros.

Quando peccauerit homo.) Lex de sepeliendis in crucem adactis.

Non permanebit cadauer eius.] Non cadaueris honor hic agitur, sed terræ sacræ, quæ sacinorosos nec mortuos, nec uiuos in oculis Dei Israelitarum ferat, ut sequitur:

Quia maledictus est.) Ab execratione diuina ratio. Generalis sententia affertur à Mose, omnem crucifixum in execratione Dei esse. Vnde Apostolus colligit Christum Dei execrationem ac maledictum effectum, qui in crucem adactus nos ab execratione legis redemerit, pro maledictione peccati, ignominiæ crucis et mortis, benedictione iustitiæ, gloriæ & uitæ communicata. At uerò aliter Christus execratio factus est, aliter ueteris Adami liberi execrationi obnoxij sunt. Hi sua culpa, ille aliena, non sua. itaq; Apostolus: Dum pro nobis factus est execratio. Eodem modo & peccatum factus dicitur. Nam quomodo supplicio tam graui puniri potuisset sine admisso crimine? At hoc crimen nostrum fuit, à nobis in innocentem agnum translatum: quod quia ille ex piissimo autem genere supplicij affectus est, quo intelligeretur & grauitas peccati luendi, & iustitiæ diuinæ seueritas, cui hoc modo satisfieri debuerit. Itaq; Apostolus amplificaturus dedecus mortis Christi, sic

sit, sic dicit: Christus obediens patri usq; ad mortem, mortẽ aũt crucis. Christus aũt à Romanis gentium more crucifixus est non à Iudæis, qui tum regno spoliati condemnandi capitis potestate carebant. Vt hæc illorum uox coram Pilato iactata iudicat: Non licet nobis interficere quenq̃. & idem illud oraculũ à Iacobo expositum comprobat: Non auferetur sceptrum Iudæ donec ueniat Silo: hoc est Messias. Ex his patet unde sanctorum afflictio in nouo fœdere crucis nomen acceperit: Qui nõ accipit crucẽ suam. Item. Tollat quisq; crucẽ suã: translato ad maximã quanq; uexationem uocabulo crucis in quam transfixis pedibus & manibus facinorosi adigebantur.

Et nequaquam contaminabis terram.] cadauere non sepulto, ad quod nõnulli putant aggregari immundos spiritus. Quam sententiam reliquero autoribus suis.

IN CAPVT XXII.

Non uidebis bouem.] Bouis ut aratoris & trituratoris & omnino animantis ad usũ percõmodi meminit. Varias leges hic tradit, quarũ quædam in homines, quædam in animantia, officia cõtinent, quædã confusionẽ rerũ prohibent, ordinẽ cõmendãt. Quæ in hominem præstãda officia docẽt. hæ partim affirmantes sunt, partim negantes. Affirmantium exemplum est, res amissas ab altero, reddendas esse. Negantes de incæstu, stupriśq; uitandis præcipiunt. Amoris igitur leges quatuor gradus habent. Vnus est, neminem lædere, de quo Moses præcipit hic negantibus præceptis: Ne hominẽ occidito, Ne adulterato, Ne furator, ne falsum testimonium contra alterum dicito, Nihil quod alterius sit, concupiscito. Alter est benefacere omnibus si possis. quem gradum amoris indicat, cum iubet pauperes, uiduas, pupillos adiuuandos, in quibus comprehenduntur omnes qui oppressi egestate, nostra ope egent. Tertius est, si benefacere non possis, bene saltem cupere, & quantum in te sit, non ferre ut quisq̃ lædatur. de quo gradu & primo quædam hic præscribuntur. Vltimus gradus innocentiæ est, qui summã continet perfectionem eis qui nos læserint, ignoscere, bene precari, beneq; de eis mereri. Hunc ultimum gradũm Christus præcipuè docet. Sed nec Moses eũ præterit qui in Exodo iubet inimici asino opitulandũ, si uiderit eum Israelita oneri succumbentem.

Similiter facies de asino.] Reuocat formam ad uniuersum genus. idem in omni ab altera amissa & à te reperta re faciendum. Qua in lege tria confirmantur. Vnũ, res omnes à Deo cõditas quæ aliquẽ usum afferant habentibus eas. Alterum, proprietas rerum est, conuenire ut quisq; sua teneat, quibus se & familiam suam sustentet, aliena non inuadat. Tertiũ, dilectio est, qua caueamus ne alterius res nobis conniuentibus pereant. in qua cura duo continentur, amor, quo alterum prosequimur: & studium quo in uigilamus ne quicquam eorum intereat, quæ Deus nostro bono condidit.

Si uideris asinum.] exemplo Dei clementer conseruantis opera sua. de qua cura uates: Aperiente te manum tuam omnia implentur bonitate. Item: Homines & iumenta seruas.

Non induetur mulier.) גבר Hebræus habet quæ communis uasorum, instrumentorum, supellectilis, in qua tum uestes tum arma comprehenduntur, uox est. itaq; sunt qui de armis interpretantur. Viri arma non debere ferri à muliere. Alij in hunc modum: Neq; uiri ornatum induere fas esse mulierem, neq; muliebre uiro. Lex monet, ut in prima tractatione alter sexus ab altero natura distinctus est, ita officijs & ornatu alterum ab altero separandum. Mulieris esse, suo uestitu indui, colũ & lanam tractare, domesticæ rei curam obire: uiri uerò quæ foris et militiæ agendæ sunt, curare. De utriusq; sexus officio sapienter disserit Salomon. De muliebri quidem: Quæsiuit lanã, & digiti eius apprehenderũt fusum. De uirili aũt: Nobilis in portis eius uir quando sederit cum senatoribus terræ. Et Græcus uates:

ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε,
ἱστόν τ' ἠλακατήν τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε
ἔργον ἐπιστρέφεσθαι.

Et de uiri munere idem:

μύθοις δ' ἀνδράσι μέλῃσι.

Aduersus hanc Mosaicam legem committunt Aegyptij, qui autore Herodoto à cæteris hominibus instituta & iura diuersa habent, apud quos fœminæ quidem negociantur, uiri autem intra domos texunt. deliquerunt item contra eandem legem Amazones, quas ferunt uirorum armis indutas, prætermisso muliebri officio, foris arma tractasse, & cum hostib. manus conseruisse.

Abominabilis apud Deum est.) mutatis temere operis diuini terminis, alterutro in alterius speciem effecto. Quod cum fit, profanatur mysterium de quo Apostolus: Mysterium hoc magnum est, uerùm ego loquor de Christo & ecclesia. Quod mysterium sanctificatur, si uterq; sexus suo officio fungitur.

Si ambulaueris per uiam.) Lex de humanitate, quæ erga animantes rationis expertes declaranda sit exemplo, de cuius in bestias clementia uates: Catuli leonis rugientes, ut rapiant & quærant à Deo escam sibi. item: Qui dat iumentis escam suam, & pullis coruorum inuocantibus eum. Lex Mosaica admonet, animantia subiecta quidem esse hominis imperio hac sententia Dei: Dominamini piscibus. Sed qui dominatus tyrannis non sit, sed ciuile imperium. Deinde, hominẽ genitũ esse à Deo ad bonitatem, quam & in homines & in cætera animantia declaret ad imitationem Dei genitoris sui. Demũ curandum ne benedictio impediatur prolificandi semel animantibus demandata. Iam autem si quis auicularum matrem sustulerit, ipsosq; pullos reliquerit, sublata quæ eos nutriebat, matre, pullos quoq; interfecerit: sin uerò hanc & illos cæperit accidet ut omne auium genus intereat, si similia cæteri faciant.

Vel in terra.) Volucribus alijs in arboribus,

alijs in excelsis rupibus, alijs humi nidos facientibus.

Cum ædificaueris domum.] Ad primum gradum dilectionis lex hæc pertinet, Ne lædito quenquam: & ad legem Decalogi, Nec occidito. Non enim solum homicida habetur qui alterum occideris gladio, sed etiam qui causam neci sciens dederit.

Murum tecti.] Monent interpretes, quia in Palæstina tecta plana essent, ea à Mose iussa ambitu quodam ac septo circundari, ne quis inde caderet. quod ferunt decem aut amplius palmas altum fuisse. Latini huius ambitum ac septum loricam appellant. Solebant autem homines sæpe in tectis huiusmodi uersari: quod ex Christi uerbis intelligitur, qui mãdat Apostolis, ut ea quæ in tenebris docentur, ex tectis prædicent. alij aliter. Græci: ποιήσας ϛεφάνην.

Ne effundatur sanguis.] Hebræus לא תשים דמים ponere sanguinem, pro impiare sanguine & autorem necis esse. Paraphrastes igitur sanguinem pro חרבת דין דקטול, id est pro capitali crimine necis, quo ne quis obliget domum suam, iubet legislator. Rectè ergo addit interpres noster: Et si reus.

Non seres uineam.] Lex de uinea miscellaneis non conserenda, ueste, lana & lino non texenda, agro boue et asino non arando, quorum admoneat, ea de re aliàs.

Pariter sanctificentur.] Sunt quib. תקדש pro pollui uersum placet, ut paraphrasti. Nam ut sacrũ latinis profanum interdum est & execrabile, ut apud poetam, Auri sacra fames: ita Hebræis suum קדש. Sed fertur nostri interpretis uersio Deo confusas primitias consecrandas non esse, qui ordine obiectetur & constantia.

Ne arato boue simul.] non pariter iugum ferentibus, altero animante ad arandum, altero ad onera ferenda apto: altero immundo, altero mundo: altero tractabili, altero intractabili & contumace. Aequabilitatem placere Deo, & ordinem. Quos asinus stolidum animal nobis repræsentet, quósque bos, gentes declarant & Israelitæ. Hæ ecclesiæ ut coniunctæ non fuerint ante tempus initi noui fœderis, satis constat. quando autem asinus cùm boue in arando copulatus sit & pariter iugum ferre cœperint, de quo Dominus, Iugum meum suaue: indicat illud Iesaiæ, Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bouis & asini. De tempore coniunctionis præcesserat in eodem uate: Donec effundatur super uos spiritus de excelso: spiritus inquam noui fœderis, copulator gentium & Israelitarum. De alterius autem gentis sapientia Moses suprà, En populus sapiens: de alterius uerò stulticia idem, Gente stulta prouocabo uos. Quò mentionem bouis & asini, sed alia ratione hic factam pertinere uidetur. Notatur item hac mystica lege admixtiones ueteris & noui fœderis, legis & gratiæ, literæ & spiritus inter se permiscendas non esse, quarum altera boue aratore miti animante, altera asino onerario & peruicaci significetur.

Funiculos in fimbrijs.] Fimbriæ ut insignes fuerint confessione legis diuinæ, declaratur in Numeris. Voluit sapientes uiri fimbrias in quatuor angulis indumenti Israelitici iussas confici.

Si duxerit uir uxorem.) Lex de uxoris calumniatore exponitur. In qua grauitas calũniæ à maritj persona & coniugalis fidei uinculo exaugetur.

Quæsuerit̃q; occasiones.) Similiter multi alij interpretes, סבת pro עלילת, & Græci πρόφασιν λόγου.

Non inueni uirginem.] בתולים uirginalia ac notas uirginitatis. Græci, παρθενία. Huius formæ pluralia & illa sunt: שדקרגים עלומים.

Et ferent secum signa.) Quis mos fuerit explorandi uirginalia, et ea probandi iudicibus, alij eadem re satis multa afferunt.

Et uerberabunt.) certo plagarum numero, quadragenarium numerum non excedebat. de quo mox capite uicesimoquinto. Quia uerberibus cædebantur fontes, pro castigandi uerbo ריסרו uerberabunt, uertit interpres, secutus paraphrastem qui habet גרילקדין. Similiter Iosephus ἐπιτίθεσθαι πληγὰς τεσσαράκοντα. Exponitur pœna calumniatoris: quæ tripartita fuit, una uerberatio; altera pecuniaria, tertia qui eam uxorẽ retinere cogebatur, quam exosus fuerat: quod erat ualde acerbum. Ex pœna intelligitur, quantum crimen sit calumnia contra legem Decalogi, Falsum testimonium ne dicito, commissa.

Supra uirginem Israel.) Attributum personæ grauat crimen. Legitur enim hic: Quia Israeliticæ uirgini diuino fœderi sacratæ, detraxerit. Quod latinè dicitur detrahere, calumniari, traducere, Hebræi efferunt, חוציא שם רע. Parentibus datur nubenda, quòd liberorum dedecus in parentes recidat, quibus liberi honesti honori sint, inhonesti dedecori.

Extra fores domus patris sui.] אל פתח ad fores paternæ domus ducendam esse lex iubet, & ibi necandam, ut tam graui supplicio admoniti parentes liberos suos maiore cura ad honestatem educare studerent. & hoc exemplo commotæ cæteræ puellæ, pudicitiam suam diligentius tucrentur.

De medio tui.) iure fœderis diuini, in cuius conditionibus probitas continetur.

Si dormierit uir cum uxore.) Lex de adulterio cum ea quæ uirum habet, contra legem, Ne adulterato, designato. Ex quibus rebus æstimetur adulterij grauitas, ea de re suprà. Capitali supplicio adulteria puniuntur, quorum tria genera hic commemorantur, ut ex scripto patet.

Si puellam uirginem.] Altera lex de adulterio uirginis uiro pactæ, sed cum qua nondum rem habuit, quæ duas partes continet: unam de uirgine consentiente in stuprum, altera de non consentiente, sed ui compressa.

In ciuitate.] loco quocunque in quo puella cla-

ma-

more se tueri potuit, neque tuta est.

In agro) loco quocunq; in quo puella suæ pudicitiæ consulere nequit.

Auferes malum.) stupro fœdante & eius corpus qui id commiserit. Corpora nostra tanta artificis Dei arte fabricata sunt, non quæ obscœna libido contaminet, sed quæ sacer spiritus tanquam ædem suam consecret, qua consecratione priuantur fœda illa libidine in membra eorum pro serpente. Itaque Apostolus: Omne peccatum quod cunque fecerit homo, extra corpus est: sed qui scortatur, in proprium corpus peccat. item: An nescitis, templum estis habitantis in uobis spiritus sancti, quem habetis à Deo, & non estis uestri iuris. Nam empti estis precio. Vbi Apostolus tribus argumentis declarat turpitudinem stupri. Vnum ducitur à fœditate libidinis cuncta contaminantis. Quæ turpitudo quibus rebus cernatur, pudor prohibet indicare. Alterum, à profanatione templi diuini, pro quo habeantur corpora nostra. Tertium à uiolatione iuris alieni. Scortatione enim corpus nostrum imperio Dei subtractum, alterius iuri, cum qua stuprum committitur, addicitur, scortatore non cogitante corpus suum precio Dei, quod Christus est, tanti redemptum.

Nec est rea mortis.) carens חטא מות id est capitali crimine, quod non ex facto, sed uoluntate delinquendi æstimatur. Locus de æquitate.

Si inuenerit uir puellam uirginem.) Lex de stupro uirgini, nondum desponsæ oblato. de qua uideris in Exodo capite uicesimosecundo.

Quinquaginta siclos argenti.) Hebræus habet חמשים כסף quinquaginta argenteos. Addunt interpretes siclos. Similiter Iosephus: πεντήκοντα σίκλους. Suprà calumniator mulctatur centum siclis, hic construpator puellæ non desponsatæ quinquaginta. Non hic neque constuprator, neque stuprata capitali iubetur affici supplicio, ut is qui superiori uitium obtulit pactæ uiro. Alteram pro uxore habere non licebit, alteram habere. Quinquagenarius numerus placatiui sacratus perpendendus fuerit.

Vxorem patris sui.) Lex de incæstu, qualis committitur, ducta uxore patris. Pœna incæstus explicatur in Leuitico capite uicesimo. personæ ad matrimonium prohibitæ in eodem illo libro numerantur. Hic una tantum nominatur, uxor uidelicet patris, quæ ne mortuo quidem patre ducenda sit, à qua cæteras quoque personas possis æstimare, sorores, filias, amicas, materteras, quàm eas sit nephas matrimonio iungere. De nouerca accipiunt interpretes hanc legem, quæ de non ducenda matre patris hic ponitur.

Operimentum eius.] כנף alas notat, quibus se tegunt aues. Vnde tropus mutuatus. Ala autem uiri uidetur uocari mulier atq; operimentum, ut quæ marito eam opem præstet, quam alæ uolucribus, & operimentum corpori humano, ex sententia illa diuina: Faciam adiutorium ei. Aperitur hoc operimentum uxor, cum eius pudor uiolatur magna mariti ignominia & opprobrio. Sunt quibus pro ala gremium placet. Nam ut uolucrum corpora alis, sic uxorum gremijs, maritorũ corpora reconduntur, quæ turpe sit & nefas alijs quàm marito aperiri.

IN CAPVT XXIII.

NOn intrabit eunuchus.) Cum in republica bene constituta & pacis & belli habeatur ratio, utriusque temporis, ut cœpit, leges tradere pergit. Interpretibus פצוע דכא est, qui imminutus testes est, uereiro amputato. Volunt שפכה mentulam appellatam, quòd ex ea urina & humor genitalis effluat. Notum enim est uerbum שפך. Atque hæc linguæ sacræ uerecundia est, quæ turpes corporis partes honestis uerbis effert, cõtrà quàm faciant Cynici impurum genus philosophorum.

Ecclesiam Domini.) Lex de excludendis ab Hebræorum ciuitate. Enumerat aliquot genera hominum quos in ciuitate Dei locum habere non conueniat. Quid autem sit ingredi in Ecclesiam Dñi, id est ciuitate donari, duplex ea de re affertur sententia. una est, ius habere ducendæ Israelitæ uxoris: altera, ius tenere magistratus ciuilis gerendi. Nam in legitima republica, ciuis communione magistratus definitur, coniuncta hac posteriore sententia cum priore, ciuis definitionem absoluens: Eum uidelicet Hebræorum ciuem esse, qui ad eorum matrimonia & ad munera ciuilia admittatur. Quocirca Eunuchi ciues non erunt, quos neque uxorem ducere, neque potestate ciuili fungi fas sit. Quam potestatem uiros obire deceat, non exectos, molle & effœminatum genus hominum, per quos contemptus magistratus redditur, quem sacrosanctum haberi conueniat. Itaque ut ab hoc castrati excluduntur, ita in Leuitico ijdem, & qui uitioso sunt corpore, à sacerdotio abarcentur. Contrarius Barbarorum mos fuit, apud quos, ut literis proditum est, eunuchi in maximo honore sunt habiti.

Mamser.] Nec spurios ciuitate Dei donandos. cuius rei certæ traduntur causæ. quarum una est, natalium dedecus. Nam ut fœdum est obscœno stupro ex scorto natum esse, ita talis ortus indignus splendore imperij iudicatur. Altera, matrimonia ne uilescant, ijs qui ex stupro geniti sunt, ad honores admissis. Tertia, ne ingenij uitio spurij reipublicæ noceant. Nam hi ferè ex turpi ortu deprauatos quoq; animos trahũt, ut est in prouerbio: Malus coruus, malum ouum. Quamuis id non sit perpetuum. Nam ut ex bonis mali non raro

nascuntur, ut indicat peruagata illa sententia, Heroum filij noxa: sic interdum ex malis boni gignuntur. atq; ex incæstu geniti præclari uiri euadũt. Exẽplo sunt ex Thamare nati. Exẽplo Ezechias, impij Achaz ples. Quod etiã tragicus uates intellexit, νοοῦσι γοῦν πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες. idq; non sine Dei consilio fit, ne quis putet probitatem ex uetere genitura proficiscí non liberale Dei donum esse. Cæterùm submoto uelo legis Mosaicæ, ciuitatem cœlestem cœlestium Israelitarum, neque eunuchi, neque spurij adipiscuntur. Non spurij quidem. Legimus enim: Qui ex Deo nati sunt. Neque eunuchi. De se enim Apostolus, Christo uos genui. Atqui ut in hac cœlesti ciuitate neque sexus, neque generis, ita nec terrenæ genituræ habetur ratio, sed ad eam pariter Iudæi & Ammonitæ, integro corpore & mutilo, legitimè nati & spurij admittuntur. In qua nimirum solum noui & cœlestis hominis habeatur ratio. Exemplo, præter cæteros, eunuchus reginæ Candaces.

Ammonites & Moabites.] Tertium genus. Hi coniunguntur cum spurijs, quòd nati essent ex stupro filiarum Lothi. immane odium in Israelitas eis obijcitur. Legitur hic, Moabitas è ciuitate excludi, non item Moabitidas. Exemplo Ruth est, à Bootho Israelita ducta uxor. neque id mirum. Nam quum fœminæ in mariti genus & ius transeant, exteræ ab Israelitis ductæ perdunt suam gentilitatem, & mariti Israelitici accipiunt. quod Israelitarum reipublicæ dedecori non fuerit: dedecori autem fuerit, sancti generis fœminas abire in fœdarum gentium famuliam, suum nomen & ius amittentes. Ad quod dedecus cauendum Dominus per Mosem hanc legem ferri iussit, quæ aptè cum superioribus de uitanda rerũ confusione coniungitur.

Quia noluerũt uobis occurrere.] Caussa affertur excludendi à ciuitate, ingratitudo, & inhumanitas: qui immemores clementiæ diuinæ, qua Moses instinctus præceperat suis, ne Moabitas læderent, non solum transitum & commeatum pecunia redimendum denegarint pacatis Israelitis: sed etiam diras imprecari per execrabilem hariolum Balaamum sine ausi.

Quando egressi estis ex Aegypto.) uarijs calamitatibus debilitati. Qualibus hominibus quamuis natura misericordia tribuatur, illi tamen neque consanguinitate, neq; clementia mea, neque iure gentium, quo solet peregrinis pacatè iter facientibus transitus patêre, commoti, uos non tantum uarijs malis uexatos miserati non sunt; sed etiam quantum in ipsis fuit, & armis & uani augurijs tum diris, tum ad stupra nefaria sollicitatione, funditus perdere tentarunt. Cuius immanitatis memor iustus iniuriarum ultor Deus, per Mosem ciuitate è Hebræorũ tam crudeles gentes sic excludi iubet, ut earum ne decimæ quidem propaginis proles ciuitate donetur. Locus de ueritate diuina in crudelitatem hostium sanctorum, quam Deus inultam non ferat, cui clementia placeat, sæuities & inclementia displiceat, sic qui de se prædicet: Dominus Dominus Deus misericors & clemens. Benignitate igitur diuina natura induitur, inclementia exuitur: & eius imago exprimitur, qui homicida ab initio fuisse dicitur. Itaque is qui monet ut suo exemplo simus misericordes, hoc præmio ornat clementes: Beati misericordes. Quod si ita res habet, immisericordes igitur infelices sunt, & miseri. ut exemplo sunt hic Moabitæ, & ij in quos fertur hæc sententia: Discedite uos maledicti in ignem æternum. qui paratus est diabolo & angelis eius. Sed cur iam seuera sententia damnantur? Sequitur inuit: Esuriui, & non dedistis mihi cibum.

Quod uos diligeret.) cui facile sit uertere calamitates suorum in res prosperas, maledictionem in benedictionem, mortem in uitam, iram in beneuolentiam, & contraria hostibus facere. Meminit amoris diuini, non meritorum & dignitatis gentis. Accommodandus locus ad nostra tempora, in quibus bestia conductis falsis prophetis, sanctorum ecclesiam implet diris. At Deus, qui suos amat, conuersa in impios maledictione, eos perdet, sanctos seruabit. Quos Moabitæ aduxerint, & de eorum horribili uastatione per Elizæum denunciata, infrà libro quarto Regum memorauimus.

Non facies cum eis pacem.] Accipitur de ciuitatis iure, & publico fœdere. Nam quod ad priuata beneficia attinet, clarum est, ut Dauid Hanonem Ammonitarum regem sit consolatus de patris obitu, qui de Dauide bene meritus fuerat. Atqui ut is suum beneficium in ingratum ne deberet generaret Ammonita à gentis suæ ingenio, contulerit, libri Regum luculenter declarant.

Non abominaberis Idumæum.] quamuis per fines suos transitum, arma & uim intentans, tibi denegarit, non autem neque impetratione erga te usus sit: neque uxores & filias, quarum stupris uiolares diuini fœderis fidem, tibi prostituerit.

Nec Aegyptium.] quamuis mares infantes tuos in flumen deiectos necarit, uarijs te oneribus obruerit: sed hæc mala uinocente hospitalitate, qua maiores tuos fame exChananæa expulsos excepit, ciuitate eum donato, qui te sua quoque donarit & Iosephum præfectum totius Aegypti ferens, fertilissimam regionem Gosenem maioribus tuis possidendam dederit. Locus de iure hospitalitatis, ut id Deo gratum sit.

Qui nati fuerint ex eis.) Idumæo & Aegyptio,

ptio, postquam proselyti facti sunt religioni Israeliticæ sacrati.

Tertia generatione.) deterente Idumæum ingenium & Aegyptium, consuetudine Israelitica in posteris, ut solent oleastri olearum in quas insiti sunt, naturam induere suam illam syluestrem & feram exuere.

Quando egressus fueris.] Lex bellica. רע tum animorũ, tũ corporũ uitia notat. In uitijs animi continetur iniusta belli causa, si contra ius id suscepũ sit libidine dominandi, nõ iusticiæ & gloriæ diuinæ uindicandæ studio. Promissum enim hoc, Nolitote metuere illos, Dominus enim Deus aderit uobis, ad iustos pertinet, non ad iniustos. Israelitarum prælia, Dei prælia dicuntur, quibus improbitas punitur, probitas uindicatur.

Si fuerit inter uos homo.) Lex de castrensi mundicia. De tripartito castrorum ordine uideris in Numeris.

Egredietur extra castra.] quæ præsente arca sacra erant.

Lauerit aqua.) Submoue uelũ lustralis aquæ.

Ad requisita naturæ.] Ad cauendã luem quã excrementi fœtor facilè crearit.

Dominus enim Deus tuus.) puritatis amans, & impuritatem odio prosequens. in Mosaica ac ciuili immundicia umbra cernitur: in puritate castrorum, Dei ueritas, de qua D. Beati mundi corde. Tales in castris sanctorum tolerantur in quibus Deus uersatur præsens spiritu filij sui. Itaq; uates: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui ingreditur sine macula, & iusta facit. Dicar: At uitio quis carebit? Bipartitus homo est, alter exterior, alter interior. In externo, hoc est in carne uitia sua feruntur si modò tanq excrementa tegantur eo operimento de quo uates: Beati quorum tecta sunt peccata, operimento uidelicet fidei in filium, cuius spiritus efficit, ne lex peccati in carne uersans superet, fœtore edito castris sanctorum pestifero. Obruuntur autem ueteris hominis excrementa non leuiter, sed adhibito palo & fossione, quod crucis est mysterium. De quo Paulus: Mortificate membra uestra terrestria, stuprum, immundiciam, molliciem, concupiscentiam malam. Vt ergo bipartita castra, bipartita militia, bipartiti milites, duces: ita duplex puritas militum, duplicia excrementa abscondenda in terra. Adhiben da dijudicatio spiritus. de altero excremento Moses, de altero Apostolus & sententia diuina: Ex terra es, & in terram conuerteris.

Non trades seruum.) Lex de seruo perfuga non dedendo. Plena humanitatis lex, quam si suprà bestijs tribuendam uoluit, quanto magis ea seruis suorum dominorum uim ac furorem fugiẽtibus declaranda fuerit? Dices legẽ esse ut res quæuis ab altero amissa, & à te inuenta, restituatur. Seruus non diutius retinetur, quàm domini furor resederit. Vtrisq; igitur hac lege consulitur: Domino quidem, cum eius ira hac ratione sedatur, temporis spacio interposito: seruo autem, dum ne herili furore pereat, Israelitarum præsidio defenditur. Hæc igitur lex indicat, primò obnoxiam & miseram seruorum esse conditionem, ut quorum neq; corpora sui iuris sint, neq; animi, quibus dimidium mentis, ut ille ait, seruitus auferat: & sermo etiam ipse astrictius sit, quos loqui quæ sentiant non liceat. Secundò, dominorum iram in seruos uehementiorem existere, qua facile hi nisi prouideatur, perdãtur. Habentur enim ferè serui non pro amicis, sed pro hostibus, ut uulgo dicitur: Quot seruos, totidẽ etiam hostes habemus. Memorabile igitur est quod de quodam traditur, qui seruos suos nunquam solitus sit iratus cædere. & de alio quod dixerit ad seruum: Cæderem te, nisi iratus essem. Humanitatis igitur esse docet legislator, ut apud Israelitas liberum populum serui suum perfugium habeant, quorũ maiores quoq; serui fuissent, experti quàm grauis res sit seruilis conditio. Sunt qui de Chananæis seruis hanc legem interpretantur, qui apud Israelitas asyla sua teneant. Sunt qui generatim de seruis quibusuis gentilibus gentilium dominorum, exponũt legem, qui pro proselytis sint recipiendi, ut confugerint religionis Israeliticæ ergô ad Israelitas. Itaq; hac lege & libertati & ueræ religioni seruorũ cõsulitur. Paraphrastes igitur לאחבש עברי עמכין. Apud Israelitas seruis profugis aperiuntur asyla. sed sunt etiam serui de quibus Dominus: Qui peccatum facit, seruus est peccati. in quorum Israelitarum ciuitate conseruentur tales serui norunt ij qui hanc seruitutem seruierunt, & in sanctorum ciuitate, quæ Ecclesia est. salutem nacti sunt.

Non erit meretrix.] Lex de uitanda scortatione. in republica Israelitica neque meretrices, neque scortatores, neque lenones, neque ullum meretricij quæstum ferendum: sed honestis eam exornandam matrimonijs, ex quibus liberi pudicè geniti & educati, ciuitati decus & ornamentum afferant. Qui suprà spurios excludi ex Hebræorum ciuitate iussit: hic ne scorta inter Israelitas ferantur, iubet. Respublica Mosaica non tolerauit scortationem. in administratione noui fœderis ciuitates, quæ se Christiana: profitentur, publica lupanaria ferunt: & ne desint meretrices & adulteræ, matrimonia etiam ijs, quos conueniebat maximè stupra uitare, prohibentur: inter quos multos reperias, qui in quæstionem etiam uocare non uerentur, sit'ne scelus fornicatio. Atque hi sanè neque Mosaicam legem de deuitando meretricatu, neque Apostoli sententiam de ea re cæci homines perpendunt: Neque scortatores, neque adulteri regnum Dei possidebunt. Tanta est pseudoprophetarum bestiæ temeritas. Sed neque scortatione, neq; adulterijs contenti, turpiorẽ libidinẽ

exercent, quam fas non esset nominare, nisi eam Apostolus in Epistola ad Romanos, apud quos impudens illa belua sedem suam tenet, nominaret: Quam obrem tradidit illos Deus in cupiditates ignominiosas. Nam & fœminæ illorum mutauerunt naturalem usum, in eum qui est præter naturam: similiter masculi relicto naturali usu fœminæ, exarserunt per appetentiam sui alius in alium, masculi in masculos fœditatem perpetrantes, & præmium quod oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.

Non offeres mercedem.) Primò hac lege consulitur dignitati cultus diuini, quam ex quouis fœdissimo & utilissimo quæstu illata in templum munera contemptum reddunt. Deinde monemur, uotiua munera sceleratorum, Deo grata non esse, sed piorum & reuerentium illum. Huc spectans uates ait: Ne offeratis ultrà sacrificium frustrà.

Nec precium canis.) aut uenditi, aut commutati mundo animante, aut ad admissuram eloca ti. Iosephus de admissura accipit legis uerba: ὁμοίως μηδ' αὖ ἐπὶ ὀχήσει ἰωὸς, ἤτοι θηρευτικῆ, ἢ ποιμνίων φύλακος λάβοι τις μισθὸν, ἐπὶ τούτῳ θύειν θῷ θεῷ. Quod precium uilissimum reputatur, ut canes ipsi qui rabie, adulatione, libidine, uoracitate infames etiam in sacris literis habentur. sic enim de his Abner comparationem contemptus gratia usurpans: Num caput canis sum ego? Et apud Græcum uatem Græcorum regi canini oculi per opprobrium obijciuntur: ἰωὸς ὄμματ' ἔχει. Apparet hic mentionem de canibus fieri propè scortationem propter caninam libidinem, de qua iactata est uetus illa sententia prouerbialis: Masculi canis infinita sunt cubilia. Submoto uelo ut meretricum, & obscœnorum canum precium in domum domini inferatur in regno bestiæ, satis manifestum. In quo omnia fœda scortatione quam prophetæ passim taxant, sunt plena. In Numeris legitur, immunda animantia quinque sicli in sacrarium referendis redimi solita. Quare quum hic commutati canis precium repudiatur, colligunt nõ nulli primogenita canum, ut quæ nec precio redimere, nec mundo animante commutare fas esset, interfici solita. Sicut etiã asini primogenitũ oue non mutatum interfici consueuit. Inter cætera uitia etiam rapax ingenium ipsorum canum notatur, quod suprà in Leuitico in immundis animantibus reprehenditur. Sunt enim canes qui ex præda uiuant. Quem autem canem tales canes adumbrent, declarat uates: De manu canis libera animam meam. Is canis satan est, triceps ille cerberus, qui per filium suum antichristum tripartitam potestatem exercet in supera, terrestria, infera: & per eundem illum filium perditum sanctos horribili latratu petens, ut sanctuarium uastare studet, ita etiam ipse ab illo repudiatur. Sicut hic legimus: Ne offerto precium canis in domo Dei tui.

Non fœnerabis fratri tuo.] In hac lege quæ considerandæ sint, aliàs. Quid uidelicet fœnus, quæq; nominis ratio, & unde exortum, ut contra naturam ipsa fœneratio. Cæterùm fratrum nomine censentur, primò qui ex eodem patre geniti sunt, de quibus illud: Duodecim fratres sumus ex eodem patre geniti. Deinde fratres dicuntur, qui eadem tribu continentur: de quibus illud in Numeris: Sed & fratres tuos de tribu Leui sume tecum. Demum fratres uocantur qui eadem gente & cultu Dei censentur. hoc modo hic accipitur.

Nec pecuniam, nec fruges.) Nam alij ex pecunia, alij ex frumentis, & ex omnibus quæ ad uictum pertinent, rebus usuram quæritant. Huic uitio affines sunt, qui ex monopolijs quæstum faciunt, res necessarias ad uictum coemptas, quas magno deinceps humani generis detrimento precio uendant.

Sed alieno.) Extraneos usura grauandos, non domesticos. contrà Dominus apud Matthæum: Audistis quod dictum fit, Diligito proximum tuum, et odio habeto inimicum tuum. At ego dico uobis, diligite inimicos uestros, benepreceminì deuouentibus uos. Dices, Pugnabit igitur Moses cum Christo? Hæc de fœneratione lex non præcipientis legislatoris lex fuit, sed permittentis, & se attemperantis ad ingenium infirmi & pueriles ætatis, quam legi pædagogo subdita Hebræorum gens uixit. Vsuram ei dissentaneam naturæ concessit ad tempus, non commendauit ut per se bonam. Tolerans igitur in hac gente legislator fœnus quo bonstiles gentes onerarentur, infirmitatem spectauit. Christus uerò etiam de hostibus benemerendum esse præcipiens, perfectionem & robur sanctorum considerauit. Et eo tempore potestatem in exteras gentes usuræ exercendæ Moses fecit, quo regno & sacerdotio florentes Israelitæ, imperio suo uicinas gentes subiectas habebant, ne quis Hebræorum arbitretur, temporibus exilij sibi licere fœneratoriam exercere. Vtriq; igitur & Iudæi & magistratus gentiles peccant hodie: hi, quòd malgno detrimento suæ reipublicæ fœnerandi Iudæis ius permittunt: illi, quòd lege Mosaica abusi sibi ius esse fœnerandi putant, cum ea lex Iudæis in sacra terra uersantibus & imperium suum tenentibus in ueteris, non noui fœderis administratione conueniat, imperio priuatis non item. Lex enim & prophetæ usque ad Ioannem & Messiæ tempora durant, quæ appropinquarunt. & hic legitur, Vt benedicat tibi in terra in quam ingredieris. Ad hæc mutatis destructisq; rebus publicis, mutantur etiam & antiquantur leges. Hebræorum autem respublica non solum mutata est, sed etiam tota exoleuit, ut Christo sua respublica constitueretur ac regnũ. Quare ut cæteræ leges reipublicæ Israeliticæ abrogatæ sunt, ita etiam de fœneran-

di,

dū. Submoto uelo mystico, quod ius habeant electi in extraneos, declarat illud: Etiam quod habent, auferetur ab eis. Quæ possidēt enim impij, præcario possident, proprietate, usu & usura ad sanctos pertinente.

Cum uotum uoueris.] De uotis, eorumq; generibus & usu in Leuitico.

Sicut promisisti.] ex præscripto legis diuinæ. Nam non quauis de re, neq; quæuis nuncupare Deo licebat. Exemplum paulo suprà extat.

Ingressus uineam proximi tui.] Lex de bonis, quatenus communia habeantur. Horum communionem in beneficentia & usu cerni, non eorum quæ pereant dominis tuis, uendicatione & possessione. si sanctos spectes, ut inter hos sacri spiritus dona omnia sint communia usu, indicat articulus fidei de communione sanctorum editus: sed quæ ita instituta sit, ut per eam nihil auferatur alteri.

Comedas uuas.) ad amplificandum nomen Dei de benedictione.

Foràs autem ne efferas tecum.) Contra legem, Ne furator. Permittere usum, dilectionis est: conuasare, fraudis. Alter igitur aliena diripiendo furti crimen committere non debet, alter suorum bonorum usum communicando benignitatem tueri, & auaritiam uitare tenetur. Alterius cupiditatem lex, Ne furator, frenat: alterius auariciam cohibet de amore lex, Alterum ut te ipsum diligito. In qua lege amicitiæ iure omnia redduntur communia usu, quæ lege, Ne furator, propria confirmantur. Si quibus allegoria placet, excussis mysticæ uineæ typis, ea in hunc modum texitur, In uineam Domini quæ Ecclesia est, ingredientibus licere fructibus eius uesci: sed ita, ne quid exportet. extra eam enim nullum locum eius bonis fruendi relinqui, & furti crimine se obstringere qui ad exteros, hoc est ad alienos à fœdere uitæ extulerit.

IN CAPVT XXIIII.

Si acceperit homo uxorem.) Lex de repudio. In hac explicanda, primò ratio repudij & causæ, deinde formula, postremò quo tempore & apud quos ualuerit, perpendendum fuerit, de singulis ordine ex scripto.

Et non inuenerit gratiam.) Causa repudij uitium est siue corporis, siue animi, de quo uxor maritò cœperit displicere. In animi uitijs, morositas, petulantia, imperitia curandæ rei familiaris, adulterium, quod in uoce ערות præcipuè notatur. In corpore, affecta ualetudo, sterilitas, ex quacūq; causa contracta deformitas numerabantur. At uerò cum tot repudiandæ uxoris fuerint causæ, quam per se probarit Deus, quāq; non probarit, sed infirmi difficilisq; ingenij populo permiserit, Dñs noster apud Mathæum his uerbis indicat: Moses ob duritiē cordis uestri permisit uobis repudiare uxores uestras: cæterū ab initio nō fuit sic. Dico autem uobis, quòd qui cunq; repudiarit uxorem suam nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is cōmittet adulterium. Ex his uerbis primò duo genera legum esse cognoscimus. unum, quo honesta & per se bona præcipiuntur. In quo genere Decalogus, & ea quæ ex hoc tanquam ex fonte manant leges continentur. Alterū, quo quædam per se non honesta, aut propter quædam quæ inde consequuntur bona, aut propter deteriora deuitanda mala permittuntur. Vt concessæ sunt maioribus Hebræorum plures uxores, partim ad augendam sobolem, quæ stellas cœli & arenam maris numero ac multitudine æquaret: partim propter mysticam, de qua alio loco, rationem, cum natura moneat unam uni marito competere uxorem matremfamiliâs, non multas: Qua de re sacræ literæ exemplum nobis proponunt, Adami & Euæ, & excusso typo Christi & sponsæ Ecclesiæ. Concessum item repudium ad uitanda adulteria, cum natura ipsa doceat præter stuprum non licere ut quisquam à sua diuortium faciat, & aliam ducat. Fœnerationis, à qua natura abhorret, legem suprà memoratam, hic non affero. Deinde intelligimus ex uerbis Christi, aliter comparatum esse populum, quem asper Mosaicæ legis spiritus regit, aliter eos qui leni Euangelij imperio gubernantur: alteros firmo animo esse præditos, alteros infirmo. his propter imbecillitatem coniunctam cum quadam animi duritie quædam uitia condonari, illis propter firmitatem & perfectionem non item. Hac facta partitione, quæstiones quædam quæ de repudio proponuntur, non ita difficiles explicatu esse uidentur. Harum una est, an ne Moses cum Christo pugnet, quum is diuortium non concedat fieri nisi ob commissum stuprum, ille etiam alias ob causas. Altera, ad quos pertineat lex de repudio, an ne etiam ad Christianos? Tertia, si præter adulterium nulla repudij causa admittatur, quid igitur faciendum ijs quorum uxores lepra aut paralysi, aut alijs morbis sic affectæ sint, ut sui corporis usum præbere nequeant, nec ipsi mariti castitatis dono carentes à fœminis consuetudine abstinere possint, an ne liceat leprosam, exempli causa, dimittere, & aliam in matrimonium ducere. Quarta, si repudiarit Christianus adulteram, quid cum hac statuendum, an quoniam hæc ciuili hodie gladio non interficitur, alteri nubendi potestatem habeat. Quod ad primam quæstionem attinet, Moses cum Christo minimè pugnarit. Vterq; enim sacro instinctus spiritu, qui sibi dissentaneus esse nequit, de repudio quæ Deo probarentur, statuit. Itaq; neq; quod Moses extra adulterium suis permittit repudium, Christus non item, propterea alter ab altero dissidere putabitur. Nō enim idem uterq;, sed diuersa in docendo spectat. Alter ni mirū Hebrææ gentis legi subiectæ duritiē, et puerilis ætatis quā populus ille uixit, infirmitatem: alter lenitatem & perfectionem adultioris ætatis, quam degum ij qui feruntur spiritu adoptionis, liberi ab aspera legis pædagogia. alter, item quid per se fas sit fieri, alter quæ ad declinanda maiora mala imbe-

cillis

eillis & imperfectis ad tempus permittuntur, consi-
derauit. Iam autem ut ex differendi arte constat, pu
gnantia atq; inter se aduersa habẽtur, quæ ad idem,
non ad diuersum genus referuntur. Hæc breuiter de
hac quæstione. Quod ad alteram pertinet, Mosaica
de repudio lex, nõ præcipientis legislatoris lex fuit,
sed permittentis repudiandi ius ijs qui muliebria ui
tia per animorũ duritiem ferre non possent, quæ qui
ferrent, lege non tenebantur. Quod uerò ad Christia-
nos attinet, hos duplici ratione Mosaica de repudio
lex non obstrinxerit. Vna est, quod hæc cum cæte-
ris ciuilib. et ceremonialib. legibus superuẽtu Christi ab
rogata est, quem Deus pater misit, ad nouam remp.
non ciuilibus legibus, sed Euangelio formandam, quod
iam ante condita secula in cœlis paratũ fuerat, quod
in tempore plenitudinis cœlestis regni futuris ciui-
bus sanciretur. Altera, quod Christiani legem in
carneis tabulis scriptam ferunt, hoc est spiritu ado-
ptionis gubernãtur, qui animorũ asperitatem tollit,
lenitate inducta, per quam res aduersas & uxori-
as molestias commodè ad imitationem capitis Chri-
sti tolerent, qui omnia sponsæ suæ uitia ita fert æquè
ut eam ob nullã aliam fœditatem quàm adulterium
ac perfidiã auersetur. Sed dicas fortasse, Quid igitur
agendum cum infirmis, ferendá ne his erit suo maxi-
mo cruciatu multer morosior ac difficilior & alie-
nior ab ipsorum moribus? Docendi sunt infirmi, ut
ingenium Christi referant, proponẽda sanctorum ho
minum, & cumprimis Christi patientiæ exempla.
Inculcãda Christianæ religionis, quæ posita sit in per
pessione malorum, non possessione bonorum quæ præ
sens seculum affert professio. cui monitioni ut obtem
peretur ita necesse est ut nisi quis id faciat, Christia
nus non sit habendus. Nã aut feret morosam, aut cru
cis disciplinã aspernabitur, quam nemo sine rerũ ad-
uersarum tolerantia conseruauerit. Quæ uirtus ut
omnia diuino subnixa præsidio uincit, ita etiam im-
mania interdũ ingenia domat, ut nostra patientia ci
curentur, quæ alia nulla uis, nulla seueritas cicuret
atq; mansuefaciat. Ad hæc maritorũ ingenia fingunt
sæpe uxorum mores, quarũ frequenter tum cõmodi
tas, tum morositas ex uirorũ aut uitio aut uirtute du-
citur. Dicas, Quid faciendum, si non solum morosior,
sed etiam improba, infidelis & contemptrix Christi
contigerit? A postolus occurrit huic quæstioni, ubi mo
net infidelitate matrimonia non dirimi. Nam coniu-
gium, neq; certæ religionis fides constituit, neq; infi-
delitas abolet. Quod si infidelis coniunx in matrimo
nio manere noluerit, alter coniunx qui Christianus
est, uinctus non erit: sin uerò manere uolet, præstans
in cæteris coniugalẽ marito fidẽ, ut eam dimittat ob
infidelitatem, Euangelij lege quæ naturalem maris
& fœminæ coniunctionẽ in uno corpore non rescin-
dit, nequaquam obligatur. Sed hic paulo altius repe-
titur quæstio de ea quæ non solum morosa, sed etiam
parum fidelis est marito, hoc est cõtumax, decoctrix
patrimonij, ebria, praueq; educans liberos. quid de
hac statuendum sit, ferendá ne an repudianda, in con
trouersiam uocari solet, si feret, sperans eam ad si re
ditura, piè egerit. Sin uerò talem ferendam sibi omni
no esse non putet, admoneatur hæc primò sui officij,
hoc est fidei cõiugalis, quæ non solum cernitur in ca
u nio adulter.o, sed etiã in bene curanda re familia
ri, in præstan.do obsequio ipsi mariio, eiusq; imperio
parendi ex sententia illa Dei in Heuam post contu-
ctam noxã lata: Viriq; imperio subdita esto. Hæc igi-
tur sic monita semel atq; iterum, si deposita contu-
macis ingenij feritate resipuerit, bene est: sin minus,
Ecclesia nouit sceptri sui potestatem. Hæc sanè ut a
sanctorum cõmercio segregandi sceleratos ius habet,
ita etiam proculdubiè in improbas uitiosasq; quas
puniat sceptro clauium pe testatem tenebit dum re-
sipiscant. Qua ratione tum domesticũ tum publicum
dedecus punita tã turpi cõiuge prohibetur. Nã nisi
prouideatur ab ecclesia, ut sancta habeantur domi
matrimonia, neq; matrimoniorũ decus, neq; publica
honestas conseruabitur. Ex coniugijs enim liberi, ex
his familiæ, ex familijs autem ecclesia sanctorum co-
ale, cit. Sed quærat aliquis quid agendũ sit, si excluse
expiorum cœtu & separata ad tempus à mariti con
suetudine, redire ad meliorẽ frugem nolit. si maritus
eam recipere uelit, per Ecclesiam id et licebit: sin ma
nus, qui norit illud Tragici,

ἐθέλεις γυναῖκὸς φαῦλα ἐξαύγασον τάδε

laneꝰ.

relinquo hac in re Ecclesiæ iudicandũ quid faciẽn-
dum sit, si statuetur à consuetudine uiri segregandam
contumacem hac lege, ut marito dum uiuit illa, alia
ducendi potestas non sit. quid fiet ergo, si is uratur,
scortabitur ne? Absit, ducet ne aliam? At Christus
dicit, eum qui suam dimiserit, præter stuprũ & aliam
duxerit, adulterium committere. Meritò hic quæstio
est, si in uetere fœdere infirmitatis Hebrææ gentis
fuit ratio habita, ut licuerit uaria de causa repu-
diare eam quæ cœpisset marito displicere, an ne lex
etiã de repudio Mosaica in infirmis, q in noui fœderis
administratione cernuntur, locum aliquem reperiat,
ut bonis ac probis maritis eam dimittere liceat, quæ
se suis uitijs à coniugali fide abalienat, An inquam
talibus Christus qui de perfectioribus & firmiorib.
loquatur, adulterium sit obiecturus, si alia duxerint,
qui infirmioribus Hebræorum cum leuioribus de cau
sis suas dimisissent, adulterium non imputauerit, ijs
uidelicet adulterium sit obiecturus, qui non ex animi
libidine, sed honestatis studio eas dimiserint, quas
nec Ecclesia ob ebrietatem, luxum, studiumq; cor-
rumpendi liberos pro suis membris agnoscit, quasq;
mallẽt pij mariti probas matresfamiliãs penes se re
tinere, quàm improbas relinquere. In hoc casu quæ-
stio est an ad medendũ dimittere probis maritis, &
ad reprimendam petulantiam improbarum coniu-
gum, Mosaicæ legis de repudio aliquis usus esse pos-
sit, quæ ad consulendum infirmitati priorum homi-
num & ad cauenda stupra tradita sit. Peruulgata
enim

enim est illa sententia: Leges non prius penitus abrogari, quàm causſæ earum ob quas positæ sunt, sublatæ sint. Romanæ leges permittunt ius marito repudiandi uenefícam, homicidam, plagiariam, furem, alienorũ uirorum cõuiuia consectantem foris marito inuito pernoctantem. Ecclesia etiam quid hic statuendum sit, ipsa facile uiderit. Ego hic nihil pronũcio, sed Ecclesiæ ex uerbo Dei decernendi iudicium permitto. Progrediamur ad tertiam quæstionem quæ est, Quid faciendum ijs quorum uxores ita affectæ sunt ualetudinis, ut corporis sui potestatem facere nequeant, an'ne leprosam, cxũpli gratia, quæ pudicè honestéq; cũ marito uixit, repudiare, & alterã ducere fas sit? Ex Christi Domini nostri sententia talis separari à cõsuetudine uiri potest, repudiari, hoc est iure legitimæ uxoris dũ uiuit priuari ut uidetur nõ potest. Matrimonia enim néue morbi, néue senectus, néue sterilitas, néue egestas, néue ullus casus humanus præter adulterium diruperit. Accedit huc mysterium illud magnum coniugij Christi & Ecclesiæ, quod præter perfidiam sponsæ nullum uitium imminuerit. Nam tantum abest ut Christus suam coniugem ob næuos & uitia, quæ uaria habet, amare desinat, ut etiam eius mala in se translata sua faciat. & tu tuam, cum maximè consolatione & ope tua eget, deseres, ob morbos quos non suo uitio, sed Dei iudicio, cum tibi tuus & liberorum res bona fide curaret, contraxit, pro tua non habebis? tuam es se alia ducta, coniugij sacri fide uiolata, negabis? cum id nihil aliud sit quàm maris & fœminæ in uno corpore omnium tum bonorum tum malorum coniunctio. Dicas, Sed quid faciendum, si marito casté interea uiuere datum non sit, fornicabitur ne, priuatus consuetudine uxoris? Absit. oratione instet ac precatione assidua, non sinat miserè coniugis calamitatem ex animo excidere, subeant animum amoris pignora liberi, charæ coniugis fides, quam in liberis & pudicè gignendis & honestè educandis, atque in re familiari augenda adhibuit. cogitet professionem Christiani hominis esse mortificationem carnis, non consectationem uoluptatum & libidinis. Quod si fecerit, aut castitatem impetrabit: aut Deus per Ecclesiam prouidebit, ut aliqua honesta ratione infirmitati suæ consulat. Omnino enim prior uxor dominæ ius quàm diu uixerit, et ex matrimonij semel initi lege per morbum quemcunq; ut apparet non amiserit. Quod si ita est, Ecclesiæ fuerit considerare, an'ne in talibus casibus tum ad medendum infirmitati mariti, tum ad retinendũ dominæ uxoris ius & dignitatem, cõcubinatus ad cauẽda stupra admitti possit, qualis Hebræorũ maioribus permissus fuit, in quo illi quæ domina est, & liberis eius concubina certis legibus pacta uxor, tanquam ancilla, non domina inseruiat, ut Agar Saræ inseruiuit. Sed ego hic iterũ nihil pronunciarim, ne improbis hominibus libidinandi occasionẽ præbeam, ut hoc seculo accidisse uidemus. Hæc breuiter de hac quæstione. Quarta fuit, de adultera repudiata, ad quam explicandam hæc uidentur afferenda esse. Si adulteria capitali supplicio, ut par esset, à ciuili magistratu punirentur, sublata hic esset omnis controuersia: sed postquam fures propter teruncium laqueo præfocantur adacti in crucem, & adulteri non solum impunè habent, sed etiam honoribus ornantur, Ecclesia autem non alia quàm excludendi ex consortio sanctorum potestate utatur, cum adultera hæc agenda esse uidentur. Primò, si eam maritus retinere apud se noluerit, repudiandi iure ut utatur, per legẽ Dei ei licebit. Quo si hoc modo castigata ad meliorem frugem redierit, & maritus eam ea redire in gratiam non recusarit, potestatem ei fore per Ecclesiam illam recipiendi, exemplo Christi, qui sponsæ suæ adulteræ ad se redeunti, criminis gratiam facere non dedignatur, ut is apud Hieremiam de hac sua bonitate in hunc modum prædicat: Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Sin uerò reuerterit cum illa reconciliari etiam posteaquam adulterij pœnitentia acta, Ecclesiæ reconciliata est, ut reliquum tempus uitæ Christo uiuat pauperibus ministrando, pietas monere uidetur. De his hactenus, quæ pijs & doctis hominibus iudicanda propono.

Scribet libellum repudij.) Formulã scriptionis ex Mosæ uerbis hanc fuisse apparet: Dimitto te quæ hactenus mihi uxor fuisti, tibi alteri cui uoles, nubendi potestate facta. Veteres Romani hac formula usi sunt: Res tuas tibi habeto. item: Res tuas tibi agito. Nam & apud hos diuortij faciendi mos fuit, qui suas non solum ob adulterium, sed etiam alia ob uitia repudiarunt. Spurius enim Seruilius uxorem suam ob sterilitatem dimisit. Nos legimus hic morem fuisse apud Hebræos, quo mares, non fœminæ diuortij libellos scripserint, quod cæteræ gentes facitare solitæ non sunt. Nam Romanæ leges & mulieribus diuortij libellum scribere ius faciunt. Mosaicæ autem consuetudinis rationem petendam esse arbitror ex sententia illa, de qua mulier uiri imperio seueriori, propter commissam rebellionis noxam, subiecta fuit. Notum etiam est illud Apostoli: Cæterùm authoritatem usurpare in uiros mulieri non permitto, sed esse in silentio. Adã enim prior formatus est, deinde Eua: et Adam non fuit deceptus, sed mulier seducta, obnoxia facta transgressioni. Cæterùm apud Hebræos גרישה uox uehementius quiddam sonat, quàm apud Latinos repudium ac diuortium. Nam idem est quod excidiũ quod in diremptis coniugijs uera uastatio ac excisio cernatur, qualis in auulso capite à reliquo corpore spectatur. Quod etiam Græcus uates considerauit, ubi ab eo uiduæ domus ἀμιτελὴς appellatur, καὶ λόμος ἀμιτελὴς.

Quoniam polluta est.) *ut per se ab adulterij crimine nõ alienã, quã neq; prior maritus dimittere, neq; alter ducere citra adulterij crimẽ Christi sententia potuerit. Quam sententiam cum intelligeret Moses, à priore marito repudiatam & alteri nuptam, immundam iudicauit. quod hoc loco diligenter est obseruandum. Quò etiam pertinet* תועבה *uox, quæ ubi stuprorum fit mentio, usurpari solet.*

Cum acceperit homo.) *Qui stupra tantopere auersatur, hic ne quis periculorum metu à matrimonio abhorreat, de noui mariti immunitate legem ponit. Quæ lex tum ab æquitate, tum utilitate cõmendatur. Ab æquitate quidem, quòd matrimonia in quibus animorum, corporum, & reliquorum bonorum communio cernatur, à rebus secundis, non aduersis auspicari par sit. Vtilitas autem in augendis liberis & amplificanda re familiari spectatur. quæ utilitas omnis facilè pereat, si mariti noui in bellum missi intereant, non sine reip. quæ liberorum procreatione cõseruatur, detrimento, et nouæ sponsæ acerbissimo luctu: quam iniquum putat esse legislator mœrore rerum aduersarũ prius confici, quàm rerum prosperarum aliquo usu & lætitia sit affecta. qui etiam nosset matrimoniũ à primorum parentum lapsu laboriosum diuina sententia redditum. De qua etiam communi naturæ confessione apud Tragicum:*

ὁ γωιαικῶν λέχος φιλοπόνων.
ὅσα δὴ βροτοῖς ὄρεξαι ἄλλη μακρόν.

Accedit etiam ad commendationem huius legis mystica notatio, quæ nobis iucũdam illam immunitatem à grauibus oneribus repræsentat, qua noua sponsa ecclesia ornatur primùm marito Christo coniugali fide desponsa. Hæc enim dum adest sponsus, non statim rebus aduersis periculisq; obijcitur: sed ad tempus blandè fouetur, donec robur adepta, sustinendis malis par fiat. Itaq; sponsus is apud Matthæum per comparationẽ noui sponsi, de quo hic lex sancitur, immunitatẽ noui sui cœlestis matrimonij his uerbis declarat: Non possunt filij sponsi lugere, quàm diu cum illis est sponsus.

Vt uno anno.) *Spe prolis procreandæ ad usum amplificandi honoris diuini, qui Israeliticorum matrimoniorum finis erat.*

Lætetur.) *læticiam molestijs suis procreatis iam liberis excepturis, ut est omnium rerum uicissitudo, de qua apud Salomonem: Est tempus flendi, et tempus ridendi. Moses igitur ἀπάθειαν illam Stoicam reprobat, cum lege cauet, ut nouus maritus unum annum cum sponsa sua lætetur.*

Non accipies loco pignoris.) *Deducta forma ad uniuersum genus, generalis lex efficitur: Propter nomina: neque artis, ex qua uictus paratur, usum intercipiendum, neque artis instrumenta pignoris loco tollenda. Plena humanitatis lex est, in quam ut peccetur, non est opus admonere. inuenias qui non contenti & artis usum interuertisse, & eius instrumenta pignoris loco tulisse, etiam exilia et carceres imentant. Sed quæras hic quid faciendum decoctori patrimonij sit, qui per desidiam honesta ratione uictum quærere recuset, nec sarcinas, nec molas curans. Aequitas interpres legis quid hic statuendum sit, docuerit. Tales qui soluendo nõ sunt, neq; ut satisfaciant creditoribus curant, pro seruis recipiuntur. de quorum lege uideris supra & in Exodo. Cæterùm non uno modo interpretantur* רכב & רחים *alij ut noster superiorem molam. Similiter Græci, μύλαν ὄνικὴν & ἐπιμύλιον, significãter pro* רכב ἐπιμύλιον *uersio Iosephus* μύλην καὶ περὶ ταύτην σκεῦος *qui de* רחים *mola & eius instrumentis interpretatur: ut dualis numeri uox, duos molares lapides notare uidetur.*

Quia animam suam apposuit.) *Ratio legis: Iniquum esse, ut molam pignoretur creditor, & eam pignoris loco, ex qua nemirum uitam sustentet, det debitor, ut perinde sit molã atque animam, id est uitam pignorari. Vtinam magistratus hanc legem seruarẽt. quod si facerem, respublicæ non tot fœneratores et are alieno oppressos homines haberem. Reperias hodie qui tenuium hominum domos, supellectilem, agros pignorati, elapso redimendi pignora tempore si in ipso articulo non redimantur, deinceps neq; illa redimendi, neq; id quod ultra debiti summam in pignoribus superest, accipiendi ius debitori relinquatur. Par igitur est, ut ad has ciuiles leges quæ ex decalogo proficiscuntur, omnes respublicæ tanquam ad fontes ad gitos suos intenderent.*

Si deprehensus fuerit.) *compertus ac conuictus criminis duorum aut trium testium testimonio, quod est* גנבת, *lex de hominis furto. In hac explicanda perpendendum fuerit primò, quàm misera res sit seruitus: deinde quantam dignitatem habeant Israelitæ, qui non ad seruitutem, sed liberatem destinati sint: tertiò, quanta cura Deus hos ex grauissima Aegyptiorum seruitute in libertatem asseruerit: postremò consideranda uenditoris sua persona, qui si nõ cogitarit ut ipse olim quoq; seruierit seruitutem, neq; in memoriã reuocarit restitutæ libertatis beneficia ingratitudinis crimine se obligari. Hæc omnia atigent nefas furto sublati fratris, & alijs diuenditi. Submoto uelo mysticæ seruitutis, quàm capitale scelus admittant, qui uerè liberos factos per Christum, uendere sub seruitutem audent, de qua Apostolus, Precio empti estis, nolite fieri serui hominum, ipsi cum tempore experientur. Noti sunt hodie huius generis mango nes & plagiarij in regno bestiæ bicornis.*

Sollicitans fratrem.) תעבד *est in rem suam uertere ac usum. Itaque Græci, ἀνατρέπειν τοὺς γόνους.*

Et uendito eo.) *Quod capitale erat, non item*

si uenditus nondum esset. Similiter in Exodo: Si quis furatus fuerit hominem, & uendiderit eum, interficitor. Vt etiam maiore pœna afficiebatur, si furto sublatos boues aut oues uel mactassent, uel uendidissent.

Et auferes.) Capitale nefas non erat animantes cæteras ratione carentes clepere, & mactare: capitale autē, Israelitas furari & uendere, qui submoto typo nimirum mundi domini sint constituti in eo qui de se dicit: Mihi data est omnis potestas cœli & terræ.

Ne incurras.) Lex de cautione adhibenda in lepra. Hebræus, Curato in morbo lepræ, ut eis q̄ te docebunt sacerdotes pareas. Hæc una est sententia. Altera, cauendum, ne in lepram incurras. quod efficies, si sacerdotibus legum Dei interpretibus obtemperabis. Tales enim liberos esse à lepra, rebelles non item. Exemplo est Maria. Exemplo Ozias rex. Hæc sententia indicat lepræ morbum non temerè accidere, sed Dei uoluntate ijs qui oraculis eius repugnarint. Metuant igitur sibi hostes uerbi Dei. Quos si non corripuerit lepra carnalis, ab ea tamen lepra immunes non erunt, per quam excluſi à cœtu, sanctorum sacrosancti sacerdotis hanc audient sententiam: Discedite à me maledicti in ignem æternum.

Sacerdotes.] Legum doctores & lepræ inspectores. De lepra autem & eius generibus, inspectione & reliqua cura in Leuitico.

Memento quæ fecerit Dominus.] Ab exemplo.

Cum repetes à proximo.) Lex hæc duo complectitur, unum mutuatio est, alterum pigneratio. Vtrunq; ex lege dilectionis manat: mutuare indigenti, & pignus mutuanti non negare. Nam per fuerit, ut neuter alteri sit fraudi. sed hac lege pignerari conueniet, ne repetitio pignoris inopi sit damno, & ita pignore à debitore cauendum creditori, ut is sentiat malo dolo secum non agi. Qua in cautione adhibenda erit communis hæc naturæ lex: Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris.

Non ingredieris domum.) acceptura quæ uolueris, sed quæ pro facultate debitor extulerit. Vtrunq; æquitatis opus est & dilectionis. Quare uis hic ne qua fiat debitori, mandatur, repetendi sua ius non prohibetur. Dicas, igitur Moses pugnarit cum Christo, qui apud Lucam sic præcipit: Mutuum date, nihil inde sperantes. Non pugnarit alter cum altero. Nam idem utrunq; non spectat, sed diuersa. Moses infirmam gentem, Christus perfectiores. Moses ciuilia & externa, in quibus ni si ius sit cuiq; repetendi sua, respublica facile peribit. Christus uerò animum se & sua abnegantem spectauit, externa rerum commutatione libera relicta. Sicut etiam eandem illam abnegationē præcepit, cum diuiti illi iuueni mandaret: Vade, uende omnia, & me sequere. Quæ abnegatio si ad sit, uendidisti omniā, etiamsi omnia possideas: sin uerò absit, possides omnia, etiamsi omnia uendideris, & pauperibus dederis.

Benedicat tibi.] Bene precatur, precationem eius exaudiente Domino, ut est in Exodo. Si clamauerit ad me, exaudiam illum, quia misericors sum.

Vt habeas iusticiam.) Et ea res iusticiæ tibi apud Deum ducatur. Dices: Si bene mereri de altero iusticiæ ducitur, quid ergo facies illi, Ex operibus nemo iustificatur: item, Credidit Abrahamus Deo, & imputatum est ei pro iusticia? Non dicitur: Bona opera edidit, etc. Iusticia non uno modō accipitur. Vno modo, p eo quod nobis imputatur pro iusticia apud Deum. Sic Messias est nostra iusticia, quo nobis per fidem ascripto iusti habemur apud Deum. Sic accipitur locus iam citatus ex Genesi, & Apostolo. Hoc modo opera bona iusticiæ nomine non censentur. Deinde accipitur pro uersante in nobis facultate diuini spiritus, per quam iusta & cogitare & efficere liceat. Hæc iusticia è Christo manat. de qua illud: Ex plenitudine eius omnes accepimus, donum uidelicet iusticiæ, sapientiæ, uitæ. De quo dono alibi ex sacris. Demum accipitur pro benefactis iusticiam fidei per charitatem agentis declarantibus. Sic hoc loco accipitur & apud Iesaiam: Præcedet te iusticia tua, loquens de eleemosynis. & apud Ioannem: Qui facit iusticiam, ex Deo natus est. Itaq; benefacta eatenus nobis iusticiæ ducuntur apud Dominum, quatenus ex spiritu Christi nos iustos formante proficiscuntur non ex lege, hoc est ui rationis & uoluntatis naturalis.

Nō negabis mercedē.) In תעשק uis ac inuiria notatur, per uim non fraudandū mercenarium mercede. Ex iusticiæ, quæ tribuit cuiq; qd' suū est, fonte, manat hæc lex, nimirum ex decalogo: Ne furator. furti enim crimen committit contra iusticiam, qui mercenarium sua mercede fraudat. Seruatur & hæc lex erga mercenarios suos à Domino, hoc est erga eos, qui ut mercenarij iusticiam legis persequimur, in opera quæ faciant mercedis gratia intenti, gratiæ negligentes. Nam & hi suum diurnum denarium, qui in præsentis uitæ mercede spectatur, consequuntur, ut parabola de diurno denario indicat.

Quia pauper est.) Ratio ab egestate quæ natura miserabilis est. Solent enim pauperes iacere amicorum ope destituti, ut ille apud uatem indicat:

πόντα φεύγει πᾶς τις ἐκποδὼν φίλος.

Et ex eo sustentat animam suam.) Ratio à necessario mercedis usu, qua uita sustentetur, ne inedia pereat. Itaque pari crimine damnantur homicidæ & mercenariorum fraudatores, uixta illud: Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.

Ne clamet contra te.] egestate optimo apud Deum oratore impulsus. A periculo quod immineat fraudatori à Deo inopum & egenorum conseruatore, fraudem hanc noxæ futuram apud Deum.

Non occidentur patres.) Lex monet suam quemq; culpam lucre debere, néue parentes pro liberis, néue liberos pro parentibus capite mulctandos. Parentes si probi sint, magis misericordia eis tribuenda erit, quàm afficiendi ob liberorum improbitatem clade. Nam sæpe parentum laborem & curam liberorum contumacia uincit. Sin uerò parentes improbi, & liberi boni fuerint, horum magis uirtus laudanda erit qui uitiosorum parentum liberi cum sint, suo studio ad laudem uirtutis peruenerint: neque par est eos odio haberi quòd à malis nati sunt. Hanc legem confirmat Ezechiel: Filius non feret improbitatem patris sui: id quidem uerum est de liberis insontibus. Nam si sontes sint, in his diuina sententia ualet, quæ in Exodo fertur: Vindicans iniquitatem parentum, in liberos, nepotes & pronepotes. Dicas: Si insontes cum sontibus puniendi non sunt, cur igitur Deus diluuio pariter sontes parentes & insontes infantes perdidit? & cur igni cœlesti omnes Sodomitas nec sexui nec ætati parcens absumpsit? Lex hæc Mosaica Israelitis legi subditis traditur, non Deo lege libero, qui omnia scrutans nouit qui uerè noxij sint, quíque imoxij, ut qui Esaum in utero odio prosecutus sit, Iacobum amore. Sed obijcias forsan esse, Cur igitur Hebræi Chananæorum et Amalechitarum gentem funditus nec liberis nec parentibus, nec maribus nec fœminis parcentes, deleuerunt? Iussi à Deo deleuerunt. Sic Iosua dux Achanem cum liberis capitali supplicio affecit, sed de sententia Dei, quæ ei sacro spiritu ornato cognita esset.

Non peruertes iudicium aduenæ.) Contrà tum iusticiæ tum clementiæ leges, quibus ut afflictos iuuemus, non opprimamus, monemur exemplo Dei qui se miserorum uindicem profitetur. Inter quos peregrini, pupilli & uiduæ numerantur.

Ne auferes pignoris loco uiduæ.) De paupere uidua loquitur, quæ duplici nomine misera est. uno, quod mulier. natura enim satis infirmus is sexus est, ut fatetur is ipse sexus apud Græcum uatem:

γυναῖκες ἐσμὲν ἀβλιώτατον φυτὸν.

Altero, quod uidua humano præsidio destituta. De qua Apostolus: Quæ autem uerè uidua est, & desolata sperat in Domino. Nam quæ uiduæ liberis & opibus florent, satis multos patronos & amicos reperiunt defensores, neq; opus habent ut uel nomina faciant, uel ob nomina sua bona oppignerent.

Vestimentum.) Nomine uestimenti accipiuntur omnia necessaria ad uictum. Itaque egenorum egestas uincit omne debitorum & nominum ius. His enim creditores & ex lege hac Mosaica ciuili, & ex iure charitatis naturali tenentur eis res ad uictum necessarias relinquere, ne inopia pereant, sed uiuant. Quod ius naturæ atque æquitas duabus Decalogi legibus confirmatur. Vna est, Ne furator. Altera, Ne occidito. Si uiduarum quæ ex carne uiduæ sunt, tantam curam gerit Dominus, quanto maiorem gerit eius de qua apud prophetam: Et opprobrij uiduitatis tuæ non recordaberis amplius. Quæ hæc uidua sit, tempora profanationis Ecclesiæ sanctis declarant. de qua etiam uidua, sed sub figura, in lugubri carmine Hieremias: Facta est quasi uidua domina gentium.

Memento quod seruieris.) & etiam in posterũ seruire possis. Ab exẽplo ueteris seruitutis.

Et eruerit te Dominus.) ut tanti beneficij memor mi eris quoq; misericordiam tuam tribueres, eum referens, qui te miseratus à malis liberauit. Ratio hæc iuuandi inopes petitur à natura Dei, cuius bonitatem sancto; imitari conuenit. De qua imitatione Dominus noster Mosem interpretans his uerbis apud Matthæum: Estote ergo misericordes, sicut & pater uester misericors est. sed altiore gradu Dei imitationem proposuit, iubens etiam de hostibus bene merendum esse: Quinimo diligite inimicos uestros, & eritis filij altissimi.

Quando messueris segetem.) Alia de pauperum cura lex. Propter hos neque omissum in summo metu, messe iam facta repetendum, neque oleum structum relegendum, neque uindemiatam uineam racemandum, sed omnia hæc peregrinis, pupillis, uiduis relinquenda, ut sequitur.

Aduenam & pupillum.) Qui tum diuinam benedictionem amplificent, & tibi beneprecantes impetrent, ut Deus tua benefacta iusticiæ aucat, et tibi omnia opera tua fortunet.

IN CAPVT XXV.

Illi iusticiæ palmam dabunt.) הצדיקו absoluendi uerbum est, הרשיעו autem condemnandi. insontes iustificandos, hoc est absoluendos, sontes uerò condemnandos. Lex igitur ut à summa lege mente diuina edita, docet iudices in terra naturam numinis diuini in cœlo uersantis imitari debere. De quo illud: Deus iustus iudex. Hinc huius nomine iudices אלהים, hoc est dij appellantur. Quò pertinent Iosaphati pij regis uerba: Videte quid agatis: Non enim hominibus, sed Deo iudicatis, qui interest uestris iudicijs, ea uidens oculis eius cuncta lustrantibus.

Dignum uideritis plagis.] Vniuerso genere de puniendis nocentibus & absoluendis innocentibus memorato, partem, iudiciariæ rei tractat, non quæ uel in capitali supplicio, uel in pe-

cu-

cuiaria pœna, sed quæ in fustuario intentando cernitur.

Sin autem qui peccauerit.] ישר igitur in sacris literis nocens est ac cuiuscunque criminis reus.

Prosternet.] Dignum fustuario non' ne stantem, ne' ue sedentem, sed prostratum feriendum, ad significandum Israelitam qui factus esset ut rectus Deum side coleret, culpa eò deiici, ut prostratus uerberibus tergum præberet, qui legi se subdere noluisset.

Pro mensura peccati.] Pro criminis ratione uerberum intentandum numerum, non pro libidine. sic Mosaicæ leges & diuinam æquitatem commendant, & hominũ libidinem in iudicando coercent.

Vt quadragenarium numerum.) emendationi, ut aliis indicarum, sacrarum. Quem uerberum numerum neque in apostolo Paulo ferẽdo iudæi quamlibet in pios sæui, excesserũt. Vt uidere licet in altera epistola ad Corinthios. Is idem Apostolus tradit se & plagis feriri, & uirgis cæsum, unde intelligitur aliam pœnam fuisse apud Hebræos fuste uerberari, aliã uirgis cædi.

Ne fœde laceratus.) Qui non sit ad contumeliam ut uile sit, sed ad gloriam fœderis diuini ut emendetur, flagellandus. Hanc legem etiam in suis corrigendis seruat Deus, qui filios suos crucis fustuario ferit, ut correcti seruentur, non ignominiose habeantur, secus quàm ferat Dei fœdus & dignitas in illo Israelitarum. Si huius quadragenarij ad corrigendum sacrum numerum exemplum requiris, occurrit quadragenarius annorum flagellationis Israelitarum in solitudine Arabam numerus, quo illi ad gloriam posidendæ promissæ hæreditatis uerberati leguntur. Vt sit uera illa sententia: Deus uerberat ut seruet.

Non ligabis os bouis.] aratoris & triturantis. Commendatur iustitia, quæ etiam in bruta animantia sit declaranda. De qua Salomon: Curã etiã habet iustus iumentorum suorũ. Nam lex quæ amorem præcipit quo Deus supra omnia amatur, eadẽ quoq; præcipit, ut ea diligantur quæ Deus diligit. Diligi aũt cũcta ab eo q̃ fecit, cõprobat sententia illa: Vidit Deus cũcta quæ fecerat, et erant ualde bona. Hinc illud: Deus homines & iumẽta seruat. Itaq; ut in parte iniquitatis ponitur curã gerere iumentorũ, ita improbi fuerit & iniusti eorum curã abijcere. Quod faciũt auari, illiberales, sæuiq; homines, nec Deũ qui etiã pecoris et iumentorum Deus est, nec homines, nec rei quã naturam conditã curantes. Quamobrẽ lex hæc de nõ ligando bouis triturantis ore, ad expressionẽ diuinæ bonitatis quam in terra Israelitæ ut uiua simulacra Dei exprimant, à Mose promulgata est, filijs Dei in omnẽ posteritatẽ memorabilis. Qualis probitas sub mentione huius probitatis ostendenda sit in oraculorum Dei ministros diuinos illos boues in uiso Hezechieli repræsentatos, ad Corinthios docet Apostolus.

Quando habitauerint.) Alia lex de fratris defuncti absque liberis uxore in matrimonium à fratre superstite ducenda ad augendum illum prole, quæ eius nomen ne ex Israele aboleatur, conseruet. Lege hac ex fontibus naturalis æquitatis ducta, generis perpetuitati & uiduæ saluti consulitur, eáque hæreditatis confusio prohibetur, ne semel distributæ terræ sacræ pars temere in aliam tribum transferatur, in hæreditate diuina perturbatione facta. Dicas, in Leuitico caueri lege, ne quis cum uxore fratris sui cõuenat. de responsione uideris illic.

Et tollent calciamentum de pedibus eius.] Id erat signum cessionis de iure suo. De quo uideris in libro Ruth capite quarto.

Spuetq; in faciem eius.] In qua beneuolentiæ in defunctum fratrem & in relictam uiduam splendor fulgere debuisset, ea iure ad defœdandum, conspuitur. In uultu enim ut humanitatis & inhumanitatis, clementiæ & inclementiæ notæ præferantur, satis clarum. Exemplo est uultus Mosaicus, quem Israelitæ non ferrent, & Christi qui fertur. Apud Salomonem legimus, In luce uultus regis uita. Quod ad mystica attinet, per uiduam notari uolunt ecclesiã, per maritum mortuum Christum. Huic ex sponsa Ecclesia in terrarum orbe uidua, per Apostolos gigni liberos primogenitos, de quib. illud: Sed accessistis ad concionem primogenitorum. Euangelij autem doctores ut liberos Christo mortuo gignant, indicat ipse Apostolus, ubi dicit: Christo uos genui. Quod si qui doctores mortuo Christo nomen suscitare & domum instruere nolint, hi tanquam ignominiosi detractis calceis conspuuntur. Calceis inquam ministerij Euangelij & illis de posidenda sanctorum hæreditate de pede detractis. de quibus illud: Et calceati pedibus, ut præparati sitis ad Euangelium pacis. Hinc Apostolus: Væ mihi, nisi euangelizem. Sunt qui in hunc modum: Adumbrari hic Messiam, qui suscitet primo Adamo iam mortuo semen. Quod nisi faceret, ille frustra conditus fuisset, ad interitum per culpam destinatus. Quod igitur tantopere Deo curæ fuit fraterni seminis conseruatio, ea in re Messiæ etiam sui, quo eius genealogia melius texeretur, habuit rationem. Itaque hoc nato & in mundum misso, huiusmodi lex exoleuit, unà cũ sollicita carnalis sobolis descriptione. quò spectare uidetur Apostolus, cum dicit: Falsæ sunt & inutiles quæstiones de genealogia, præsertim tempore noui fœderis, in quo eius sobolis habetur ratio. de qua cœlestis homo: Vestra nomina scripta sunt in cœlis.

Domus discalciati.] opprobrio transeunte ad posteros in exemplum, ne quis fratrem suum hærede spoliet. Quare hæc lex usq; ad captiuitatem Babylonicam seruari potuit, post eam non item, confusis hæreditatibus in Chananæa. Figura ergo euanescente, ueritas in regno atq; rep. Christi conseruata est. Tradunt interpretes eos qui libero fratri mortuo generare renuissent, capitale iudicium Dei intentatum minimè effugisse. Exemplo esse dicunt Onam filium Iudæ, qui ut recusasset fratri mortuo sobolem excitare, in terram temere semine fuso, diuina uindicta peremptus sit.

Si habuerit inter se iurgium.] Lex de mulieb ris impudentiæ pœna, qua probatur in muliere pudor, reprobatur impudentia. Quid autem impudentius, quàm mulierem alterius uiri pudenda iniecta manu prehendere? Quid uesanius quàm mulierem, quæ ad silentium & modestiam fabricata est, in uiros impetum per iram facere?

Verenda eius.) à natura tecta & abscondita.

Abscindet manum illius.] quæ manu peccarat. Aequitas legis, ut eo quisq; membro puniatur, quo peccauerit.

Nec flectêris.] Gratiam criminis nullam esse faciendam. Quæ legis seueritas ualet ad retinendas cæteras in pudore unico muliebri ornamento. Locus indicat leges in puniendis sontibus carere affectibus, metu, misericordia, inuidia. Quare in rebuspublicis optimè constitutis leges conuenit imperium obtinere, non homines perturbationibus animi obnoxios.

Non habebis in sacculo:) Hæc lex de ponderibus & mensuris manat ex Decalogo, Ne furator. In Leuitico additur iudicium & dimensio. In iudicio, dimensione, pondere, mensura nihil iniquũ faciendum.

Modus maior.] אֵיפָה mensura aridorum, ut הִין liquidorum.

Pondus iustum & uerum.] Quod ex consuetudine cuiusq; gentis æstimatur.

Et multo tempore uiuas.) A' præmio longioris uitæ. Et respublicæ quoq; diuturnæ sunt, quæ ut seruentur iusta pondera et mensuræ, diligenter curant: ut contrà dilabuntur, quæ hanc æquitatem non seruant. Nota sunt exempla.

Abominatur enim Dominus.) ut iustus iudex. A' contrario dehortatio. Huc spectans Salomon: Abominatio est Deo pondus & pondus. Eadem ratione nefarij habentur à Deo omnes, qui fraudem in rebus contrahendis committunt, qui æqua merce nõ respondent pecuniæ emptoris, qui usuris & fœnore grauant emptores, Deo sanè & hominibus inuisi homines. Falsa etiam ponderare tenent & mensuras, qui personarum respectum habentes, iniquè ponderant honores et præmia. Multo autem perniciosiores iudicandi sunt qui in religione maiora & minora pondera in appendenda doctrina sacra adhibent, id est qui aliter alio tempore apud alios atq; alios docent uel metu uel auaritia uel ambitione commoti. Quales sunt de quibus Apostolus, Cauponantes uerbum Dei.

Memento quæ fecerit.] Mandatum de excindendis Amalechitis de rerum natura. Causæ excidij in scripto exponuntur.

Amalech.] consanguineus tuus ex Esai familia natus. grauatur crimen à persona.

In uia.) dura & aspera tibi siti & fame affecto, quem miserari conueniebat, non hostiliter inuadere.

Quando egrediebaris ex Aegypto.) in ea tam misera seruitute obita, & tot portentis te à Deo liberato, quæ illum ut te nõ solum ne læderet, sed etiam bene tractaret, commouere debebant.

Quando occurrerit tibi.] In Raphidimo, uide ris in Exodo.

Et extremos agminis tui.) non aperto marte frontẽ exercitus inuaserit. in זָנַב à cauda sumpta metaphora, pro extremos carpserit.

Qui lassi erant.) quibus etiam hostes parcere solent, Amalechus & propinquus, & nulla iniuria lacessitus non pepercit.

Et nõ timẽt Deũ.) Qui ignarus nõ esset quæ gesta essent in Aegypto, quæ in mari rubro, quæ in itinere signa stupenda pro te edidisset. Augetur culpa à contemptu Dei.

Cum ego Dominus Deus tuus.) Vindicta non statim de Amalechitis sumitur. Qua exre & quanta sit Dei longanimitas, cognoscitur. et sancti monẽtur, ne Deo morã facienre in puniẽdis impijs conturbentur, qui nõ humano more malos puniat, & bonos laboret: sed suo more, hoc est diuino, cuius omnia iudicia iusta sint & recta. tum docemur ueram uindictam esse, quæ non ex nostra libidine, sed ex uoluntate & consilio Dei & ob gloriam nominis diuini in impios declaratur. Quò pertinet illud Domini: In patiẽtia uestra possidebitis animas uestras. Et Ioannis admonitio: Hæc est patientia et fides sanctorum. Postremò intelligimus sua tempora & liberationis sanctorum, & extinctionis impiorum, in diuina mente constituta esse, quæ nec impediri, nec reuocari ulla ratione queant. Exemplo præter cæteros est, Amalechus ut hic legimus: Cum ergo Dominus.

Delebis nomen eius.) Quod accidit tempore Sauli. Suprà memoriã ac nomẽ Israelitarũ cõseruandum monet, hic Amalechi delendũ. De qua cõtentione uideris apud uatem Psalm. XXXVI.

Sub cœlo.) Idẽ expletis filij perditi temporib. accidet in uniuersum impijs, antichristo et eius cohorti. Dicit sub cœlo, ut sub cuius circũflexu et amplitudine rerum ortus & interitus locum inueniant. Vbi monet alicubi Salomon: Vidi quæ fiunt cuncta sub sole, uniuersa uanitas.

Ne obliuiscaris.) ad ultionem de Amalecho sumen-

sumendam hortatur Moses, in quo non dissentaneus est Christo monenti inimicis beneficiendum, contra illam iactatam sententiam: Par est amicos amare, hostes odisse. Nam Christus ubi docet de hostibus bene merendum, abnegationem sui præcipiens animum uindicandi cupidum & libidinem ulciscendi prohibet: studium Dei, & de eius uoluntate susceptam ultionem non prohibet. Qui & ipse lapis dicitur pijs quidem amicis positus ad resurrectionem, impijs uerò hostibus ad ruinam, quos etiam tanquam iustus scelerum uindex conteritorus dicitur. Cum ergo hic dicit Moses, Ne ne obliuiscaris uindicare in Amalechum acceptas iniurias, non de sua libidine ac uoluntate id ut faciant Israelitæ, iubet: sed ex sententia Dei qui statuisset per Israelitas tanquam ultionis suæ instrumenta Amalechitarum sæuiciem, qua in populum sanctum grassati fuerant, & contemptum Dei ulciscì, quem suprà obtrectat: Et nõ timuerunt Deũ. Si dixeris, Deum prædicare de se ut bonus sit & clemens, bene quidem: sed etiam ut iustus iudex sit, de se prædicat.

IN CAPVT XXVI.

CVm intraueris terram.] Præcesserat, Cũ Dominus Deus tuus dederit tibi requiem. Ipsè igitur in occupata terra quæ facere debeant, denuo monet: & qui suprà primitiarum & decimarum meminisset, hic ritum & usum oblationis eorum exponit. At quoniam Decalogi obseruatio nõ accommodatura se erat promissæ terræ benignitas, eo explicato, hic quæ munera ex sacra terra ut eam occuparint, nata offerre Deo cõueniat, indicat. Nam extra illam neq; primitias, neq; decumas Deo consecrare fas erat. Cuius rei mysticã rationem perpendant pij.

De cunctis fructibus tuis.) Vt erat hordeum, frumentum, uinum, oleum, ficus, mala punica, mel. Nam his fructibus sacrã terra abundare suprà dicitur. Pharisæi etiam anethum & cyminum decimarunt, minima persequentes, quod non reprehendebatur: maxima prætermittentes, quod damnabatur. Sic enim Christus in illos inuehitur apud Matthæum: Væ uobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentham, anethũ, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam. hæc oportuit facere, & illa non omittere.

Pergesq; ad locũ.) In ritu ergo oblationis primitiarum hæc obseruantur. terra fruges procreãs, de quibus primitiæ sumuntur: & decimæ non à quibuslibet, sed ab Israelitis offerendæ. deinde locus diuinitus destinatus ad quem munera deferantur: tum sporta, in quam primitiæ indantur: quartò, sacerdos ipse allata munera Deo consecrans: quintò, ara ante quam dona exponantur: denum, ipsa gratitudinis cum certis uerbis declaratio coram Domino de beneficijs acceptis. De singulis in ipsa litera.

Ad sacerdotem.) summum, per quem omnia Israelitarum munera grata reddebantur Deo. Reducto uelo, ueritas in Christo pontifice cernitur, quæ efficit, ut inter utrumq; quantum interest, siue ortum ac naturam, siue munus, siue sacrificia ac rationem placandi Dei, siue ipsos qui placantur Deo homines, consideres, non sit obscurum.

Syrus persequebatur.) Formula professionis gratitudinis, quæ fiebat apud sacerdotem ante aram, in qua liberationis beneficia ex grauissimis periculis commemorabantur. Exordium autem fit à Syris maiorum Israelitarum persecutoribus. Nã ut malis artibus & dolo egerit. Laban Syrus cum Iacobo, & ut is illum insequentem fugerit, ex Genesi notum est. sic Abrahamus non sine periculo Syriam Mesopotamiam reliquit, exul in Chananæa uitam degens & peregrinus. Hæc sunt initia uocationis sanctorum. Itaq; ex hac afflictionis maiorum Israelitarũ narratione, intelligimus principia uitæ sanctorum plena esse miseria & ærumnis, per quas ad gloriam & maiestatem suã eluctentur sub fide & spe salutis conficiendæ, nullo suo merito & dignitate, sed liberali beneuolentia Dei, ut mox liquebit.

Qui descendit in Aegyptum.) penuria & annonæ angustia impulsi, ut constat de Abrahamo & Iacobo.

In paucissimo numero.] LXX capitum.

In gentem magnam.) excuntibus ex Aegypto sexcentis millibus absque paruulis & mulieribus, in tam breui tempore ducentis nimirum & decem annis, tam paucis capitib. in tam magnam, potentem atq; numerosam gentem auctis.

Afflixeruntq; nos.) ut satisfieret oraculo iam olim edito: Et subijcient eos seruituti.

Et clamauimus.) materiam inuocandi miseria suppeditante.

Ad Dominum.) freti eius promisso & potentia, qui unus & uellet & posset nos liberare.

Patrum uestrorum.) Quibus promiserat sobolem ipsorum per calamitates illustrem & claram fore, & cum magna gloria & opibus ex Aegypto egressuram.

Qui exaudiuit nos.) stans fœderi & promissis. Vsus inuocationis ostenditur. In qua hæc perpẽdenda fuerint. Res in inuocatione necessariæ, usus, & cõtraria ueræ inuocationi. In reb. necessarijs numeratur cognitio tũ Dei tũ nostri. Dei quidẽ, q tam bonus sit, ut uelit iuuare inuocantes se: tam potẽs, qui possit: tã iustus, qui hostes iniustos nos uexãtes inultos abire non finat: & tam sapiens, qui uiã & rationem, tempusq; ipsum notum teneat, quo uindictã de impijs sumat, et nos liberet. Nostri aũt noticia in eo uersatur, ut intelligamus q̃ miserè sub peccatum uenũdati, q̃ à cõtracta culpa uarijs quasi mundus, quasi princeps mundi satan, quasi domesticus noster hostis caro ipsa nobis affert, afflictio-

ctionibus obnoxij simus. Hæc nobiscũ animo uoluentes, paratur aditus & ad inuocandum Deum in filio Christo, & per fidẽ impetrandi ab eo quæ inuocando petierimus, qui exitus est inuocationis, hoc est uindicatis hostibus liberatio nostri cum gratiarum actione. De qua in ipso textu. Contraria uerè inuocationi est idololatria, cuius exitus impiorum interitus. Exemplo Aegyptij, Chananæ gentes, Amalechitæ, Assyrij, Babylonij. Exemplo breui erit purpurata illa meretrix Babylonia, quæ cum dijs suis quos colit & inuocat miserè peribit, ut Aegyptij cum suis quos frustrà inuocauerãt, euersi sunt dijs, uelut hic cõfitentur Israelitæ.

Et respexit humilitatem nostram.) de more suo. de quo uates: Exaudit afflictos Dominus. significantibus uerbis Hebræus miseriam Israelitarum expressit לחצנו עמלנו ועוינו.

Et eduxit nos.) expletis quadringentis annis, de quibus in Genesi prædixerat tenente certa tempora & miseria & liberatione sanctorum.

In manu forti.) asserente oppressos Israelitas, & disperdente superbos & florentes Aegyptios.

Et brachio extento.) Aegyptios in mari rubro submergente.

In ingẽti pauore.) terrore incusso Aegyptijs & finitimis populis. Qua de re uideris in Mosaico carmine in Exodo expositio. Qui antea terrori fuerant, iam terrore afficiuntur Metuant igitur sibi impij tyranni orbis terrarum. Timeat sibi spiritualis Pharao princeps mundi, & eius filius antichristus cum impijs prophetis suis.

In signis atq; portentis.) in cœlo, terra, aqua editis.

Terram lacte & melle.) Illustris est hæc professio gratitudinis contentione ad amplificandam magnitudinem bonitatis diuinæ apta. Suprà legitur: Et ibi peregrinatus est cum paucis numero. subditur: Creuitq; in gentem magnam item, Et afflixerunt uos. Subiũgitur: Eduxit nos ex Aegypto manu ualida. item: Imponentes onera grauissima. hic uerò: Et tradidit nobis terram melle & lacte scatentem. Vera est igitur sententia Christi: Beati lugentes, quoniam hi consolationem accipient. & illud Apostoli: Momentanea afflictio parit immensum pondus gloriæ. Ex his discimus quantus crucis piorum usus sit. unus quidem in fidei probatione, quæ afflictione, ut aurum igni, probatur. alter in deijciendis animis, & deprimendo fastu ueteris hominis. De quo usu illud: Bonum est mihi quòd humiliasti me. Tertius in aditu ad pœnitentiam patefaciẽdo, quæ in rebus aduersis beneficio crucis suscipitur, in prosperis, excutitur, ac negligitur. Veluti Moses de Israele conqueritur: Incrassatus est, recalcitrauit. Quartus in gloriæ qui crucem consequitur statu spectatur. Quare Dominus qui primogenitus ex mortuis in crucis & gloriæ uia suis præiẽs, sic ait: Beati lugentes. Nam electi per luctum, hoc est per uaria crucis stratagemata duce Christo sibi uiam ad splendorem beatitatis regni cœlestis muniunt, dum per uarias afflictiones uetere homine mortificato, & nouo generato ad gloriam patris sui cœlestis pertendunt. Itaq; commendatur primò crux à Deo autore eius æterno consilio deliberata, quam suis in tempore immittat. De quo decreto illud: Oportet per multas uexationes ingredi in regnũ Dei. Quapropter quæque assuescat suam crucem æquè tanquam de manu Dei exceptam ferre, neq; eã temerè ac iniqua, quæ legi diuinæ dissentanea sit, ratione à se depellere studeat. Quod qui faciunt, satis est notum. id enim tentant facere omnes quibus Christus crucifixus ignotus est, & sordet. Sua autem cuiq; laudata crux est, non quam nobis imponimus, sed quæ à Deo cuiq; imponitur, ut est quam quisq; in eo uitæ statu, cui à Deo destinatus est, tolerat: ut nulla conditio est quam Deus quidem constituat, cui nõ suos labores & molestias afferat, ex sententia illa in Adamũ statim à cõmisso rebellionis crimine lata, In sudore uultus tui, etc. Deinde omnia crux est, quæ cuique siue occulto, siue publico Dei iudicio, propter perpetrata scelera per magistratum irrogatur. Qualis crux fuit afflicto, in quam Dauid à designato adulterio incidit. qualis item latronis illius in crucem propter latrocinium adacti calamitas fuit, quæ patienter ab eo tolerata, occasionẽ ei sub prouidentia diuina dedit in sortem Christum propter peccata mundi cruci affixum fide amplectendi. Demum præstantissimum genus crucis est, in quam pij homines incidunt propter confessionem Euangelij Iesu Christi, quam eum mundus et eius princeps Satanas ferre nequeunt, sanctos homines propter illam ferro, laqueis, igni, aqua crudeliter insectantur: ut exemplo sunt prophetæ, apostoli, & reliqui sancti homines, atq; caput sanctorum Christus Iesus. In illaudata autem cruce numeratur uexatio qua & corpora & animi uexantur superstitione quadam citra uerbum Dei & eius institutionem. Qualis crux in sacerdotibus Baalim, & in beatæ monachis, & in ijs qui eos sequũtur, cernitur. Deinde commendat crucem filius Dei Christus Iesus Dominus noster. Is à Deo patre sibi impositam afflictionem æquo animo ferens, effecit ut nostra crux sub occasione peccati nobis irrogata, salutaris reddatur, quæ perniciosa futura fuisset, nisi eam ille sua cruce commodam & fructiferam fecisset. Qua in re & patris Dei ineffabilis clementia, & amor Christi erga nos maximus declaratur, quòd alter filio unigenæ non pepercerit, quin eum in crucem ad nos seruandos adegeret: alter uerò sua sponte eam subierit, supplicij quod propter nos ferret, magnitudine non deterritus. Postremò crux probatur à uario usu & utilitate quam affert, quæ iam paucis perstricta est.

Ve-

Veteres ergo ſapienter dixerunt in operibus Dei circulum deſcribi, quæ à Deo originem ſuam ducentia per uerbum Meſsiam, in eundem per idem uerbum, ſed meliore nota & conditione quàm condita atque orta ſint, redeant. Orta enim eſſe ad naturalem ſtatum pro ratione primæ molitionis mundi, redire autem meliore ratione ad Deũ, dũ per crucem mortificata uetere natura, & noua generata reuertuntur, pacificatore Meſsiæ ſanguine omnibus, tum quæ in cœlis, in terra ſunt, renouatis. de quo illud: Omnia noua facta ſunt. Huc dicunt pertinere uocalem אמת, ueritatem, quæ Meſsias eſt, notans. Aleph primam literam Alphabeti, mem mediam, thau ultimam indicante. Eſt enim Chriſtus Ieſus Dominus noſter primus, medius & nouiſſimus omnũ: primus quidem & primogenitus uniuerſæ naturæ, medius uerò & nouiſſimus qui ſit uerbum illud æternum patris per quod & in quod omnia creata ſunt & reparantur.

Et idcirco nunc offero.] Vſus oblationis primitiarum, in quo duo profitebantur: unum, terram effluentem lacte & melle ſe poſt expletos peregrinationis annos nõ ſuo merito ac robore, ſed Dei clementia adeptos. Legitur enim: Quam dedit mihi. deinde occupatam terram, Dei ui ac munere nouas fruges edere, quarum per primitiarum oblationem Deum autorem fateantur, admoniti per myſticam notam primitiarum ſpiritualium. de quibus ſuprà aliquoties.

In conſpectu Domini Dei tui.) in loco quẽ delegerit, in quo area ſua oracularis cum propitiatorio reſideat.

Et adorato.] honorem ex ſententia legis primæ Decalogi ei per fidem tribuens.

Dominum.) unum rerum omnium autorem & moderatorem, quod in יהוה notatur. Huius domini qui Meſsias eſt, in nouo fœdere publica profeſsio eſt.

Deum tuum.) uindicem tuũ & liberatorẽ.

Epulaberis.) non ex primitijs, quæ ſacerdotũ erant inſtructis epulis. ſed ex hoſtijs pacificis læta tor, eſt in Hebræo, Noſter epulaberis. Quòd huiuſmodi lætitia ſine epulis hilartoribus non fieret. Quæ epulæ ex pacis & ſalutis uictima, quæq; epulatis lætitia hic adumbretur. ſatis pijs cõpertũ.

Loqueriſq; in conſpectu.] Profeſsionis ſeruatæ legis formula præſcribitur. Quæ non fuit populi ſuperbè gloriantis de iuſticia ſua (A' Moſe enim præſcripta eſt, qui non ignorauit quàm turpis ſit probitatis oſtentatio, qua hypocritæ cum Phariſæo illo ſe ambitioſe iactant: Gratias ago tibi Domine, quòd non ſum ſicut homines iſti raptores & adulteri.) ſed profeſsio eſt eorum, qui quæ honeſtè agunt, Dei beneficio & munere, non ſua uirtute agere ſe confitentur. Sic Ezechias precans, Memento Dñe quomodo ambulauerim coram te in ueritate, & in corde perfecto, non ſe, ſed Dei in ſe munera commendauit. Tria autem huiuſmodi profeſsio continet. Vnum, fatentur ſibi Deum fauere ex fœderis lege, qui ſe hic agnoſcant Dei populum eſſe. Quæ notitia fidei notitia eſt, ante omnia ſanctis hominibus neceſſaria. Alterum, intelligunt ſe diuino ſpiritu agi, cuius ui bene ſe gerãt. de quo uates: Cor mundum in me crea Deus, & ſpiritum rectum innoua in uiſceribus meis. Atq; hoc Dei ſpiritu qui non ſentiunt ſe ferri ad honeſtè & cogitandum & agendum, hi ſcire debent ſe nondum ſentire Dei fœdere contineri. ſtat enim illud: Qui ſpiritum Dei non habent, hi non ſunt eius. Tertium, honeſtas actiones ac cultum legis diuinæ conſequi certa præmia, ut legimus hic: Aſpice nos de ſacra ſede tua.

In luctu meo.] per nullas res aduerſas fraudato te decimis tibi ſacris, uocula אבלתי nota. In uictum meum premente rerum penuria eas non conuerti, quod eſt לא אבלתי.

Nec ſeparaui.) Per immundiciam nihil deiratũ. Bipartita eſt immundicies: altera perſonarũ, altera rerum. Decimas nec ego cum immundus eſſem, tibi decidi, nec eas in impuras res commutaui, ac profanas, ut ſequitur:

In re funebri.) In funebres ſumptus nihil impẽſum. Confitentur Iſraelitæ decimas Deo uiuenti ſacratas, ad uiuentes, non mortuos petinere. Depone uelum, intelliges ueras decimas pertinere ad eos de quibus Dominus: Deus non eſt Deus mortuorum, ſed uiuentium.

Et feci omnia.) ut promiſeram me facturum, cum fœdus nobis tuum ad Sinam montem exponeretur: Omnia faciemus quæ præceperit nobis Dominus.

Reſpice de ſanctuario tuo.] Aſpice nos & terram, ex promiſſis tuis qui ſpoponderis te nobis benefacturum tibi obtemperantibus. Precatio igitur hæc eſt populi ſpectantis promiſſa diuina, non bonorum operum ac cultus legis dignitatem: quæ ſi eſt ulla, ut eſt permagna, ea non naturæ aſcribitur, ſed ſacro in pijs agenti ſpiritui. de quo aliàs.

Populo tuo.] electo, qui te & coleret, & cui tu colenti te, benefaceres.

Et terræ.) fœcundans eam tempeſtiuis pluuijs, ut eſt in ſponſione tua. Si in præceptis meis uerſabimini, tribuam pluuias tempeſtiuas.

Terræ lacte & melle mananti.) Vt ſit huiuſmodi ſemper per tuam bonitatem, quam natura talem eſſe non agnoſcimus, ut hodierna illius ſterilitas prædicta à Moſe documento eſt.

Dominum elegiſti hodie.] האמרת profeſſus es & pronunciaſti Dominum Deum tuũ eſſe. Alij, extuliſti ac amplificaſti Dominũ Deum tuũ, metaphora ſumpta ab אמיר hoc eſt à ſummo arboris ramo. ſimplex ſententia reddita eſt.

Vt ſit tibi Deus.] non dij alieni. Biſariam cognoſcitur Deus. uno modo, ut creator & Dominus omnium. Hæc noticia communis eſt omnium gentium. Altero modo, qui noſter ſit Deus nos benefa-

lentia prosequens. Hæc sacri populi de Deo cognitio est qua impij carent.

Et ambules in uijs eius.] non tuis.

En Dominus elegit te hodie.) non tu prior Deum. Ex quo cognoscimus, omnia quæ ad salutẽ pertinent, ex antecedente præuenientiq; gratia electionis diuinæ dimanare. in Hebræo repetitur uerbum Nascetur.

Et faciet te excelsiorem.) qui infra omnia dejectus fueras, Deo humilia exaltante, & excelsa humiliante. Accipitur in שארית regni & sacerdotij splendor. sed in quo is absoluitur? In eo sanè q̃ dese dicit: Data est mihi omnis potestas cœli & terræ. et de quo illud: Et donauit illi nomen qd̃ est supra omne nomen, ut in nomine Iesu, &c. In hoc ueri Israelitæ, hoc est scripti in libro uitæ, cum quibus nouum fœdus initur, ad ueram illam, hoc est, cœlestem regni maiestatem ac splendorem euehuntur, qui à Mose hic tectè significantur.

Vt locutus est.] Ex promissione diuina tua salute pendente.

IN CAPVT XXVII.

CVmq; transieritis Iordanem.) Quum in Deuteronomio duo præcipuè contineãtur, legis explicatio, & proposita legis cultorib. præmia, & transgressoribus supplicia: alteram partem quæ benedictionem & maledictionem cõplectitur deinceps tractabit, in qua parte oracula de rerum statu quem & ante & post exhibitũ Christum in finem usq; mundi habituri sint Israelitæ, comprehenduntur. Hic aũt exorditur à ratione benedicendi & maledicendi. in qua hæc erunt consideranda. Primò lapidũ in quibus scribatur lex diuina, erectio: deinde aræ saxeæ extructio: tertiò, duo montes Hebal & Garazimus, tum sacrificia, & ex his instructæ epulæ: quartò, seruatus ordo tribuum: postremò, formula maledictionis & benedictionis.

Eriges ingentes lapides.] Ratio lapidearum tabularum nota, quas tectorio obduci per Iosuam mandat, in quib. lex diuina expressius scriberetur (quo tectorio primum ad Sinam montem incrustatæ nõ leguntur,) ut iustæ tum benedictionis tũ maledictionis ad posteros extaret testimonium.

In monte Hebal.) Duo hic montes nominantur, Hebal & Gerizamus, uicini Gilgali & Hierichonti. Hoc mandatum executus Iosua legitur capta urbe Hierichonte.

Et ædificabis ibi altare.] Ara hæc saxea ex integris lapidibus nullo adhibito ferro extructa, quam significationem habeat, in Exodo indicatũ.

Dixeruntq; Moses & sacerdotes.] Suprà Moses unà cum senatoribus, hic unà cum sacerdotib. uerba fecisse legitur. Tradunt ergo in exponendis oraculis hunc morem seruatum. Primò hæc à Mose credita sacerdotibus fuisse, deinde ab his eadẽ illa senatoribus exposita, qui demum Israelitis quisq; suo cœtui traderent.

Hodie factus es populus Dei.] ut formatus lege denuo repetita, & iam emenso exilij spacio sub Iosua duce aditurus promissam hæreditatẽ. sic Christum natus à patre genitum confitetur iam expleto crucis cursu per resurrectionem ad paterni regni maiestatem euectum: Hodie genui te.

Hi stabunt ad benedicendum.) Ordo tribuũ explicatur. Liberorum liberi ad benedicendũ, seruarum ad maledicendũ destinantur. Ex seruis natis quos repræsentẽt, declarat Ismael ex Agare genitus. ex liberis uerò progeniti quos adumbrent, Isaacus ex Sara domina natus indicat. In alterũ Apostolo ad Galatas interprete significantur qui legẽ spiritu adoptionis, in quo uera libertas cernitur, perficere moliũtur. In alteris qui duce spiritu timoris eandem illam obeunt. Quod qui faciunt, ad exercrandum apti sunt. Ordo quem in statione tenuerunt, ut ex Iosua patet, is fuit. Sex familiarum capita ex Lea & Rahele nata in Garezimo monte ad bene precandum constituerunt. In quibus Iudæa fœcunda numeratur, ex qua Christus genitus omnis uitæ benedictionis autor est. Ex aduerso in monte Hebale seruarum liberi ad imprecandas diras, medium uerò locum tenuerunt Leuitæ sacerdotes cum arca oracularij. Itaq; hi conuersi ad montem Garizimum sic orsi feruntur: Benedictus sit qui nõ fecerit sculptile. quibus populus respondens, dixit, Amen. Rursus ad Hebalem conuersi pronunciarunt: Execrabilis qui fecerit sculptile. Populus respondens, dixit, Amen. Populum igitur bene precari & execrari nihil aliud erat quàm clarâ uoce pronunciantibus Leuitis acclamare, Amen. In qua solenni acclamatione, duo profitebantur Israelitæ, legem diuinam ueram esse quæ de rebus expetendis fugiendisq; rectè diceret, & Dei plectentis sontes iustum iudicium.

Ruben.] Ruben primogenitus & Zebulon postremus natu ex liberis Leæ dominæ ac liberæ adsciscitur seruarũ filijs. Quod alter ob culpã in patrẽ admissam meretur, qui inter ancillarum liberos numeretur priuatus primogenituræ iure: alter uero ut natu, ita etiam dignitate postremus censetur.

Et pronunciabunt Leuitæ.) Dicas fortasse, quõ Leuitæ cũ area in medio Israelitarũ stetisse dicentur, cum numerentur inter sex capita in Garizimo monte stantia. Respondent interpretes sacerdotes de Leuitica familia inter castra mediũ locum tenuisse, reliqua tribu montẽ occupante. Sed cum reliqua tribu montẽ occupante. Sacerdotale igitur munus & in docenda lege, & in intentãdis in legẽ delinquentes, supplicijs uersat.

Maledictus homo.) Execrationes hæ supplicia continent, quibus ij qui in Decalogum commiserint, afficiantur: quæ partim in ciuilibus legibus pœnas fontium continentibus, partim in cœli & terræ malignitate, aduersa ualetudine, pecorũ abortu, seruitute, exilijs, orbitate liberorũ, ut mox dicebitur, cernuntur. Ordine aũt persequitur execrationes, exortas à primæ Decalogi legis trãsgressione, ad

ne, à qua progreditur ad parentum, qui proximi Deo habentur, contumeliã. Neq; uerò mirũ est Mosem à maledictione orsum, Iosuam à benedictione. ratio nota ijs qui naturam legis & conditionem legislatoris intelligunt, de qua in epistolis quæ ad Corinthios & Galatas scriptæ sunt. Gratiæ agendæ Christo, qui ut à maledictione legis nos eximeret, factus est maledictum.

Ponitq; illud in abscondito.) In occultis idolis uerè numerantur auaritia, ambitio, sapientia, iustitia carnis.

Maledictus qui transfert terminos.) contra legem, Ne furator.

Qui errare facit cæcum.] contra legem, Ne occidito. Quid enim aliud est cæcum à uia auertere, quàm eum uelle perdere? Quanto maiori maledictioni purpurata illa meretrix Babylon obnoxia est, quæ studio non solum cæcos in cognitione ueritatis, sed etiam aspectu præditos auertere à recta uia, ignibus, aqua, gladio, laqueis intentatis molitur.

Maledictus qui peruertit.) contra legem, Falsum testimonium ne dicito.

Maledictus qui dormit.] contra legem, Ne adulterato. in qua lege omnis obscœnior libido prohibetur.

Cæterùm qui dicunt, Amen.] Confirmant iam intentatas diras de neglecta lege dicentes: Ita mihi accidat. Nam uox Hebræa אמן eam significationem habet, ut ea confirmentur, quæ tum in imprecandis diris intentantur, tum fœlicia precando denunciantur. à quo usu nõ abhorret etiã טלח cuius in Psalmis non rarò in fine fit mentio. Ab אמן deriuatur uerbum אמין in unum significatũ cadente credendi fidendiq; ui, & certa firmaq; confirmatione rei qua fides nititur.

Maledictus qui clàm percusserit.) contra legem: Ne occidito.

Maledictus qui non permanet.) De hoc loco uideris ad Galatas tertio. Vbi Apostolus probans execrationi esse obnoxios qui operibus legis studerent, sic concludit: Execrabilis omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis huius. Igitur quotquot ex operibus legis sunt, execrabiles habentur. Qua argumentatione quæ pugnãtia concludere uideatur, nihil absurdius & alienius à Mosaica sententia in speciem apparet esse. Nam utrosq; & eos qui uersantur in operibus legis, & eos qui non uersantur, diris deuouet. Contrà uerò Moses eos in fœlices & execrabiles qui non præstant esse pronũciat. Nõ est absurda Pauli conclusio, nec Mosæ dissentanea. Sic enim habet Paulina sententia, execrabiles esse qui iusticiam q̃ in legis operib. cernitur, spreta iustitia q̃ ex fide in filium petitur, persequuntur, sine qua nõ solum non omnes, sed ne una quidẽ ex legislatoris sententia perfici possit. Idem sentit etiam Moses cũ Deũ supra omnia amandum, & res alterius concupiscẽdas nõ esse præcipit. At has leges quæ spirituales sunt, spiritum Christi ut efficiantur requirentes, solus filius unigena, & hi qui perfectionem suã Christum statuunt, eiusq; spiritu feruntur, præstãt. Quare execrabiles sunt, & qui legem non præstant priuati in filium fide: & qui sic in obeunda lege uersantur, ut eam sua ui citrà diuinum spiritũ præstare se posse confidunt. Quales sunt hypocritæ externa legis opera molientes, de animo ut cõparatus sit per fidẽ in filium Dei, securi. Mosem igitur quoque uelle spiritu Dei absolui legem, non natura, argumento est oraculum ab ipso editum de Israelitarum animis olim ut diligant Deum, circumcidendis. At huiusmodi circumcisio nulla alia re constat, quàm spiritu prophetæ, de quo suprà monuerat cũ diceret, eos in execratione fore, qui illi non crederent, ut in quo omnium gentium consistat benedictio, de qua his uerbis in Genesi: Benedicentur in semine eius omnes gentes. His motus Apostolus Paulus tantopere ad Romanos, & ad Galatas probare studet ex fide in filium petendam esse iusticiam, qua carentes quamlibet legem externe exequi studeant, non exequantur, ut qui idololatriã, adulteria, furta, homicidia animo intus committant obnoxij legi: Ne concupiscito. Tãtum igitur abest, ut Apostolus à Mose hoc in loco dissentiat, ut etiam quæ affert, de Mosaica sententia afferat, qui ut tectius de Christo, ita Apostoli clarius docuere: illo ueteris fœderis & puerilis ætatis, his adultioris & noui fœderis habentibus rationem.

IN CAPVT XXVIII.

SI autem audieris.] Duplex Israelitarum status describitur: alter felix, alter infelix. In utroq; hæc fuerint perpendenda, partes, causæ, usus. Benedictio bipartita est, altera mystica, altera spiritualis. Mystica cernitur in ijs bonis quæ prima rerũ molitio suppeditat, in Geneseos libro descripta, ut sunt pluuiæ tẽpestiuæ, fertilitas agrorũ, abundantia frugum, copia animantium, ualetudo integra, numerosa soboles. Vera & spiritualis benedictio spectatur in bonis quæ in nouo fœdere, quod non in carne, sed in spiritu initi sentimus, cõtinẽtur. Vt est mysteriorũ Christi cognitio, trãquillitas cõscientiæ aduersus peccatum, mortem, et iudiciũ diuinũ, participatus uitæ, sapientiæ, gloriæ Dei, qui est illa uera felicitas, merces sanctorum, non ulla condita et creata bona, & si quæ sint huiusmodi. Causa benedictionis utriusq; est obseruatio legis diuinæ, sicut hic legimus, Si obtemperaris dicto Domini Dei tui. Qua ex re duo intelligimus. Vnum, ex hominum habitu cœli & terræ benignitatem & malignitatem pendêre. Hæc benigna fieri, si homines Dei oraculis obediant: mali gna uerò, si rebellent: alterũ, terræ & cœli munera propriè ad sanctos pertinere impios iniuria &

precario ea possidere. Hinc illa: Impij de terra pe-
ribunt, pij terram hæreditate accipiēt. At cū lex bifa-
riam obseruetur, uno modo præeunte timore Dei,
qui puerilem ætatem regit, altero modo præeunte
spiritu adoptionis qui in adultiorem, prouectio-
remue ætatem incidit: ita bifariam benedictio tum
exterior, tū interior diuiditur. uno modo, quo hæc
puerili ac infirmiori ætati apta sit: altero, quo fir-
miori. Nam & in eo statu quē lex moderabatur,
Israelitæ suam & terrenam & cœlestem benedi-
ctionem percepere, sed pro modo ueteris fœderis.
Quā in noui fœderis administratione plenius sen-
tiunt sancti: plenissimam aūt uerā felicitatem tum
sensuri, cum nacti erunt cœlestem hæreditatem tē-
pore instaurationis omnium per aduentū maiesta
tis Christi. Vsus postremò munerum Dei cernitur,
in cōmodis quæ illa tum corporib. tum animis affe
runt, maximè aūt in amplificatione bonitatis diui
næ. Cognoscimus ex hac benedictionis diuinæ for-
mula quanta timoris, hoc est reuerentiæ Dei
per fidem cum amore coniunctam, uis sit, quæ lon-
gam uitam, numerosam sobolem, opes afferat. Sed
id mirum nō uideatur. Nam qui Deum ueneratur,
creatura eius omni bene utitur, facultatibus, alimē
tis, uenere, laboribus, uigilijs, somno, ocio. Qui re-
ctus usus ualetudinem ad prorogandam uitam tue-
tur, & ad curandos morbos præsens medicina est,
fortunasq; & rem sub uerbo benedictionis diuinæ
auget. Cuius pij certa habent experimenta. Male
dictionis cōtraria partitio ostēditur. At uerò Deus
pro sua benignitate, sic suorū calamitates & mi-
serias temperat, ut eos illis in benedictionem &
impijs suam benedictionem qua est iusticia, in ma
ledictionem conuertat, alteris omnibus cadentibus
in bonum peccato, calamitatibus, morte, alteris in
malum & perniciem.

Excelsiorem.) Felicitatis Israelitarum sum-
mam delibat, antequam partes per distributionem
persequatur. Supra cæteros populos omni genere
bonorum gentem hanc euehendā. Aestimatur aūt
præstantia populi huius ab antiquitate ac claritā-
te generis, à loco & clementia cœli, à sapientia, à
disciplina tum ciuili tum sacra, à rebus gestis. Om
nibus his ut excellant Israelitæ bonis facilè licet
cognoscere. Si antiquitatem spectes, hanc Semus fi
lius Noæ commendat ab initio probatus Deo, à
quo hæc gens illustrem originem ducit. Terra &
cœlum quantam laudem bonitatis habeant, sæpe à
Mose expositum est, ut superuacaneum sit repete-
re. quæ laus & hic denuò retexitur. Sapientia ue-
rò ut floruerit is populus, suprà meminit Moses: En
populus sapiens. Si exempla requiris, occurrit Mo
ses ipse legislator, occurrunt iudices, reges, ut Da-
uid, Salomon: cuius sapientia quanta fuerit, declara-
rant sacræ literæ, libri ab eo compositi, exteræ gē
tes. prophetas non commemoro, & multos priua-
tos homines Israeliticæ gentis prudentia & sapiē
tia illustres. sed supra omnes claram effecit sapien-
tiā huius populi Christus Iesus, sapientia ipsa Dei,
in quo & per quem Israelitæ ueram omnium bo-
norum laudem consequuntur. Secundum hunc quā
tam sapientiæ laudem habeant Apostoli, satis con-
stat. Disciplinam ciuilem præclarè constitutā pro-
bant leges à Mose traditæ, quæ huiusmodi sunt, ut
appareat clarissimas quasq; gentes, instituta & le
ges, quibus quæque suam rempublicam formaret,
tanquam ex perenni fonte hausisse. In qua disciplī
na ciuili regia maiestas cernitur. quæ duplici nomi
ne inclyta est: uno, imperij Dauidis: altero, regni
Christi Dauidico regno adumbrati. dē qua ampli-
tudine sub typo Dauidis uates: Ego primogenitum
constituam illum excelsum præ regibus terræ. Re
ligio uerò huiusmodi est, ut cum ea nullius alterius
populi religio conferri possit, in qua nimirū Deus
ipse per oracula sua se præsentem ostendens, eam
opem præstiterit Israelitis, qualem nulli aliarum
gentium dij suis cultoribus unquam exhibuerunt,
nec exhibere potuerunt. Vnde etiam tanta rerum
gestarum gloria Israelitæ quæ sacris literis ad po-
steros transmissa est, claruerunt. Atq; hæc est præ
stantia huius gentis, quæ supra cæteros populos
orbis terrarum euehenda hic à Mose prædicitur.

In ciuitate.) In urbe & rure felices fore israe
litas. hoc est, hos omnia studia, consilia ac negocia
prosperè domi & foris Dei præsidio tectos confe-
cturos. de qua prospera rerum gerendarum ui-
diuini spiritus uates: Omnia quæcunque faciet,
prosperabuntur.

Fructus uentris tui.) Fructus uterorum, a-
gri, pecoris fortunatos fore. Confirmatur benedi-
ctio in Genesi descripta. Nam si agros spectes, ibi
lic legitur, Germinet terra: sin animantia, Crescī-
te & multiplicamini. Quæ igitur cœli & terræ
benignitas Adami culpa impedita fuit, mali-
gnitate intentata (de qua illud: Maledicta terra
in opere tuo) alterius Adami iusticia restituitur.
Tanto interuallo uitium & uirtus, siue causas,
siue effecta, siue exitium spectes, dirimuntur.

Horrea tua.) Domi in cenaculis & horreis,
foris fructibus ne pereant, diuina prouidentia con
seruatis. qui sæpe uel incuria, uel luxu, uel quocūq;
alio patrumfamiliās uitio dilabuntur, ac conniuen
te Deo imminuuntur.

Reliquiæ tuæ.) Tum eos quibus utēre, fructus
commodos tibi fore, tum reliquias quas repones in
tegras tibi mansuras per diuinam benedictionem,
quæ in omnibus tuis rebus præsens sentietur. Hæc
agnoscere non profanorum, sed sacrorum homi-
num est. In hac enim noticia fides regnat, & uim
suam ad prædicandam amplitudinem bonitatis di-
uinæ ostendit.

Ingrediens & egrediēs.) Præstās hæc est pro-
missio, qua sanctorum fides in communi regendæ
uita nititur.

Dabit

Dabit Dominus inimicos tuos.) Promissio de victoria hostiũ. Huius clarissima exempla in Iosua, iudicibus, regibus extant: sed longè clarior uictoria Israelitarũ illorũ uerorũ de hoste Satana, mundo, carne, morte & antichristo sub duce Christo occurrit, de qua etiã olim uerissimè gloriabãtur q̃ ex carne sunt Israelitæ, sed spiritu Messiæ regenerandi, cum exoluto exilij huius tẽpore pronunciabunt: Benedictus qui uenit in nomine Domini. Quã de re cap. 30. Quod legitur Dñm dissipaturũ hostes, adimitur fortitudini & prudentiæ humanæ sua gloriandi materia, quam fides in Deo uno amplificando quærit.

Per septem fugient.) dissipata acie, ut fit, à fugientibus, alijs aliò præ metu trepidè properantib.

In populum sanctum.) nulla profana ui perturbatæ legis sacrum spiritum uiolabilem.

Sicut iurauit tibi.) quo firmior esset promissio, & tua fides certior. De iuramento ad Abrahamũ facto in Genesi sit mentio.

Videbantq;.) adacti tot portentis propter re editis. Exemplũ spectatur in Gabaonitis q̃ apud Iosuam his uerbis metũ suum exposuere: De terra lõginqua uenerũt serui tui, in nomine Dñi Dei tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius cuncta quæ fecit in Aegypto & duobus regibus Amorræorũ, &c. Timuimus igitur ualde.

Quod nomen Domini inuocatum sit super te.) Domini nomine censeri, populũ Dei nominari, qui te in sua tutela et cura habeat tot animorũ, corporum & fortunæ bonis tributis.

Aperiet.) proferens opes in thesauris cœli reconditas, lucem, calorem, spiritũ, pluuias. In benedictione spirituali sua lux quoq;, suus fœtificans animans q; calor, suus uitalis spiritus, suæ pluuiæ in cœlestib. thesauris, qui Christus est, repositæ & sanctis satis notæ occurrunt. De qua benedictione his uerbis Apostolus: Qui benedixit uos omni benedictione spirituali in cœlestib. Christo. Is est ille thesaurus omnium uerorum bonorum quem Deus nõ omnibus, sed Israelitis, hoc est electis suis aperit ad salutem consequendam, ut is ipse thesaurus his uerbis ostẽdit: Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt.

Vt tribuat pluuiam.] cœlesti luce & aquis patefactam quæ terram fertilem reddat. qua de re in Genesi. luce quidem, eius beneficio uapore exinfernis aquis sublato: aquis uerò ex nube quam uapor condensarat, in terræ sinum effusa.

Et fœnerabis.) ex opibus quas terra cœlesti ui fœcunda reddita, tibi suppeditabit, diues effectus. Beneficentiæ laude celebres futuros Israelitas, cuius materia opes habentur. In quo tu, u laudem mereantur illæ, ut est apud Salomonem: Vtilior est sapientia cum diuitijs, & magis prodest uidentibus solem.

Et à nullo fœnus.) per penuriam. quòd laudabile magis sit dare beneficium, quàm accipere.

In caput.] Notatur principatus ac dominatus. Sequitur enim: Superiorq; eris. Si umbram spectas, impleta est hæc benedictio tempore Dauidis: si rem, impletur in eo qui de se dicit: Mihi data est omnis potestas cœli & terræ.

Non in caudam.) Opponitur cauda capiti. sequitur: Non inferior eris.

Nec secutus fueris deos alienos.) Caput omnium scelerum summatim perstringitur.

Quod si audire nolueris.] Ex contrario dira inobedientib. cõminatur. Vbi cõparatio contrariorum spectatur, in qua utrumq; cõtrarium utriq; cõparatur. Sic enim habet collatio: Vt uobis ô Israelitæ obedientib. Deo felicitas continget, ita inobedientib. infelicitas. Duplices aũt hic interitus cauſæ afferũtur. alteræ externæ, ut uastitas, eluuiones, beluarum impetus, cœli & terræ inclementia: alteræ internæ, ut morbi, cæcitas animorum, metus, conscientia mala, sterilitas, fames, dissidia intestina.

Maledictus eris in ciuitate.) absente tutelâ Dei. Opponitur illi, Benedictus eris in ciuitate.

Maledictus fructus uentris.) Intentatur abortus.

Soli.] Minatur sterilitatem. Continetur in his diris intemperies cœli, uitia frugum, ut est rubigo, carbunculus: infesta animantia, ut bruchi, locustæ: item uitiosa & cassa semina. Postremò malignior uitiosarum frugum & fructuum terræ usus, uaria morborum genera creans.

Famem.] Sententia Mosæ. Rebus tàm infeliciter uobis cedentib. quod est ברארת, trepidabitis præ consilij inopia. Nota enim est uox ברארת & indignationis מגערת. Nam solet res aduersas trepidatio carens consilio, & hanc indignatio cõsequi. Scita miserorum hominum expressio. Contraria beatorum sors est. In quibus res secundas, animi tranquillitatẽ plenam consilij, & hilaritatẽ studijs & negocijs prosperè cedentib. licet cernere. Exemplis Mosaica sententia illustranda est, quæ in Aegyptijs, Chananæis, Israelitis, Saulo, Dauide nota sunt. Et si singulorũ hominũ exempla spectes, comperies pijs sua consilia, studia, negocia prosperè cedere, impijs tandem malè, sententia maledictionis & benedictionis diuinæ in omnibus se ostendente pro præceptionum Dei transgressione, & obseruatione. Quòd si contingit al. quando probos malè habere, improbos bene, id tamen ideò fit, ut probi sub occasione rerum aduersarũ, prosperarũ rerũ suauitas quæ sit experiantur, & improbi res secundas infelicitate compensent.

In quibus reliquisti me.] Violato fœdere uobiscum inito.

Pestilentiam.) Per intemperiem cœli uitiosas fruges & fructus, per annonæ caritatem bellica clade inductã creari solitã. de quibus malis mox.

Egestate.) שחפת alijs tumor, alijs ulcera sunt ac scabies, alijs tabes, alijs aliud. de quo uideris in Leuitico.

Febre.] Obseruatione legis integram ualetudinem, transgressione morbos creari. Nec id mirũ. In legum enim studio comprehenditur frugalitas, temperantia, moderatus rerum à Deo conditarum usus, quo ut corpora conseruantur, ita abusu labefactantur. Itaq; sapienter Salomõ dicit, timore Dei apponi dies. Quod metus Domini ea facultas diuini spiritus sit, qua omnibus pij moderatè ad præscriptũ legis diuinæ utantur. Quæ optima & animorum & corporum medicina est.

Et frigore.) Nõ est frigus דלקת sed ardor, qua uoce sacer ignis & carbunculus notatur.

Et æstu.) Atq; חרב gladius est. Sed interpretis uersio toleratur. Nam & æstus est. Etenim hic non de gladio sed de febrium morborumq; qui ex immoderato calore nascuntur, generibus fit mentio.

Et aere corrupto.) שדפון uredo uertitur morbus herbarum atque fruticum, qui in uitibus carbunculus dicitur, in frugibus rubigo, quam uolunt notari in ירקון.

Sit cœlum quod supra te est æneum.) Pluuiam negaturum, ut cœlum clemens omnia salubria reddit in terra uersantibus, lucem, calorem, spiritum, fruges, fructus ac fœtus arborum, animantia, & inde corpora humana sana ac ualentia, ita contrà malignum omnia uitiosa. Intueamur in libris Regum exempla & nostra hæc tempora. Opponitur per contentionem cœlum æneum, cœlo aperto. De quo suprà in benedictione: Aperiet cœlum. Si maledictionem spiritualem spectes, nostrum inaspectabile cœlum Christus Iesus nobis æneum fit, cum destituimur pluuijs de quibus propheta: Mandabo nubibus meis ne pluant, imbrem scilicet de quo infrà Moses: Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum. Si inspexerint hæc tempora tum Israelitæ tum gentes ipsæ sub filio perdito degentes, intelligent ut uramq; maledictionem & externam & internam priuati oraculis diuinis tolerent, claudente cœlum eo de quo Apostolus: Et effertur aduersus omnem qui dicitur Deus aut numen, adeò ut in templo Dei sedeat.

Et terra.) destituta uigore cœlesti benignæ lucis, spiritus, caloris, humoris.

Erit ferrea.) negatura fructus. Nominat duo præcipua mundi elementa, cœlum & terram, quorum alterum omnia præclara ad generandas res ministrat. Alterum uerò ea recipit ad gignendum, & ad res natas sustentandas. hic legitur תחתיך. Interpres noster uertens, Quã calcas, expendit terram conditam, quam tanquam pauimentum terant animantia. Vnde à latinis terra à terendo, & ab Hebræis ארץ ut uolunt, interpretes à ארץ appellata.

Imbrem terræ tuæ pulueris.) Respicit חרב id est æstum, de quo suprà. Vnde terra in arenam ac puluerem sterilem conuertitur, quem loco imbris sceleratos habituros minatur.

Ante hostes tuos.) Assyrios, Babylonios, Græcos, Romanos. sub uelo mysticorum hostium occurrit filius perditus in loco sancto, hoc est in conscientijs sedens, & Israelitas & nos miserè uexans.

Et dispergaris.) Similiter Græci, διασπορὰ. זעוה nota uox quæ commotionem notat. sunt qui ita: Regna orbis terrarum super clatat. de Israelitarum stupore quodam commonenda. Exilium Israelitarum in nationes dispersionis manifestum. occurrit & maledictio spiritualis dispersionis à regno Dei, qualem hactenus sensere electi Dei hoste antichristo omnia occupante, per uim hostilem mutantem tempora & leges.

Sitq; cadauer.) negata sepultura, quod in maledictione ponitur, ut contrà in benedictione sepultura. Vt est apud Prophetam: Erit in pace sepultura eius. Volucres quæ tibi eum tuerere innocentiam in escam designatæ fuerint ex sententia diuina in Genesi lata per noxam conuersa lege tu eis & terrestribus feris cibus eris.

Vlcere Aegyptio.) Qui contemptis terræ sacris legibus, in Aegyptiorum leges consenseris, incipiet ulcera, ficum, scabiem, prurigium, morbos ex praua corporis affectione natos.

Amentia & cæcitate.) Qui malorum corporis meminisset, animorum iam meminit, omnibus malis corporum, animorum, fortunæ infestandis Israelitas: in malis corporũ infirma ac affecta ualetudo, morbi: in animorum stulticia, amentia, cæcitas, consilij inopia, ignorantia Dei: in fortunæ malis egestas, exilium, orbitas liberorum, & si quæ sunt huiusmodi numerantur. Amentiæ meminit & cæcitatis quam efficit contemptus legis diuinæ. Cuius lux uera illa lux est consiliæ nostra & studia ne aberrent à recta uia, regens. De qua luce uate: Lucerna pedibus meis uerbum tuum.

Ac furore mentis.] תמהון stupor est qualis inest amentibus.

Et palpes in meridie.) ut etiam clarissima lucente luce, non uideatis. De quib. uates: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè uideat oculis suis, et auribus suis audiat, & corde suo intelligat. Exempla amentiæ hic intentatæ declarata sunt in hoc populo aduersus sacros prophetas sub impijs regibus: sed præcipuè eo tempore hæc oracularis maledictio cecinit, quod Dominus apud Matthæum ostendit: & q iam latè pateat eadem, nostra tempora indicant.

Et nõ dirigas uias tuas.) in tenebris uersans.

Nec habeas qui liberet te.) Deo nõ liberante.

Deus

Domi ædifices.] *cum uitio auaritiæ eritis obnoxij, quod propheta in uobis his uerbis reprehendent: Væ qui coniungitis domum ad domum.*

Et non uindemies eam.) תחללנו et eã nõ profanabis, id est fructus nõ percipies. *quod tũ fit, cũ priore fructu Deo consecrato, uineæ primũ in cultoris usum non uindemiantur. Sacrare enim, in Dei usum destinare est: profanare, in nostram utilitatem conuertere. Quæ de re in Leuitico. Superà meminerat hostiũ generatim, hic hostilẽ uim subiectis partibus amplificat: hanc domos, uineas innaſciam, asinos, boues, balances, uxores, liberos, terræ fructus direptuam.*

Filij tui.) *disciplina legis diuinæ carentes tuo uitio. Minatur seruitutem liberis, quam conuemplus legis diuinæ parit, ut libertatem eiusdem cultus.*

Videntibus oculis tuis.] *quo acerbius urãre ac mordeare. Quid enim grauius, quàm nobis spectantibus uxores nostras uitiari ab hoste, liberos seruituti addici, omnia nostra diripi, nec ullam nobis & nostris subueniendi potestatem esse. Qui alterius, contra legem, Ne adulterato, uxores, filias, uiolaſti, alterũ contra legẽ, Ne occidito, occidisti. Qui aliorum res contra legem, Ne furator diripuisti, eadem ab hoste spectantibus oculis: uis ſeres talionis pœna, mala. Vt sit firma hæc diuinæ iustitiæ regula: Qua mensura metimini, ea metientur uobis alij. Ab Assyrijs, Babylonijs, Græcis, Romanis illatæ clades notæ sunt. Tẽpora maledictionis nostræ retegeo. satis enim se incipiunt ostendere. quorum figuram ut gerant diræ Israeliticæ genis nos ipſi experimur, qui in terminos mundi incidimus. peria peccata parem exitum ſortiuntur iusto Dei iudicio.*

Fructibus agri uestri.] *frustrati cultura. Itaq; in Leuitico: Frustrà seretis.*

Quem ignoras.) *eo grauior futurus.*

Vlcere pessimo in genib.) *Adhibet distributionẽ ad amplificandũ, qui suprà uniuersi generis meminisset genua, tibias, plantam, uerticem cõmorans. Nihil integrũ in hac gente futurũ à planta usq; ad uerticẽ. Quò spectans Iesaias his uerbis Israelitarũ miseriã deplorat: A` planta pedis usq; ad uerticem non est in ea sanitas. Hoc est, à plebe usq; ad magistratum. Itaq; sequitur.*

Ducetq; te Dominus & regem tuum.] *Inducere Babylonicam captiuitatem.*

Dijs alienis.] *qui tuo Deo seruire nolueris.*

Ligno & lapidi.) *Intueamur tempora maledictionis spiritualis sub bestia.*

Et eris perditus.] לשמה *admirationẽ ac stuporẽ quẽ calamitas & uastitas afferat, notat. Admirationi, dicterijs ac fabulis locũ dabunt Israelitas. Inspiciamus præsentem eorũ statũ, quæ quæso gens in orbe terrarum est illis contemptior?*

Sementem iacies.] *cœlo æneo tibi facto, & terra ferrea:*

Quia locustæ.) *noxiæ ipsis satis ea cõtactu adurentes, & morsu erodentes. de quibus uideris apud scriptores rerum. In maledictione spirituali occurrunt locustæ, nobis sementem uerbi Dei uastantes: quales ut multis iam seculis senserimus, satis hodie fit manifestum. cur autem non sementi, non arboribus iubeãtur in oraculo Ioan. nocere, sed hominib. quidq; significent quinq; mẽses, non uulgares, sed oraculares, quibus hominibus in frontibus signum non gerentibus nocere iubeantur, curq; ex puteo abyssi ascendere, & regem abyssi habere dicãtur: hæc his temporibus cogitanda erunt doctis spiritu hominibus.*

Et uinũ nõ bibes.) *sed hostis, ut Hieremias dicit: Et comedet uineã tuã & ficũ tuã. in maledictione spirituali ut uinea illa quã describit uates Iesaias, Vinea erit dilecto meo, uastata sit, ablata eius sepe oraculorum Dei, & rupta macerie tutelæ diuinæ, quæ sanctorum patrum & prophetarum cultura bene culta fuerat, declarant hostium quos experta est tempora. Et si statum Ecclesiæ considerabis, quem hæc habere cœpit incipiente bestia bicorni diripere uineã ab apostolis excultam quo hæ à Mose fonte prophetarum denunciatæ maledictiones pertingant intelleges.*

Et eris inferior.] *Contrà innocentiæ statũ habet, de quo in benedictione: Faciet te Dominus excelsiorem, &c.*

Ipse fœnerabit tibi.] *Contrà in benedictione suprà: Et mutuabis gentibus multis.*

Ipse erit in caput.] *ablato regno tibi & sacerdotio. contrà suprà: Et eris in caput.*

Et erunt in te signa atq; prodigia.) לאות *erũt indicio quo admoneare te deliquisse in Dñm Deum tuum. Tot & tam uariæ calamitates documento erunt, &c. tuæ improbitatis, & iustæ iræ Dei, tibi & posteris tuis. Mala igitur Israelitis euentura denunciantur partim ab inanimis, ut sunt tempestates, siccitas cœli, intempestiuæ pluuiæ, rerũ angustia, morbi: partim à bestijs, ut sunt ictus, morsus, impetus, agrorũ uastatio: partim ab homine, ut sunt interitus exercituũ, exilia, incendia, ruinæ, direptiones, uiolatio uirginum & matronarũ. Omnes hæ calamitates à Mose explicantur.*

In sempiternum.] *usq; ad tempora reconciliationis de quibus Moses infrà capite trigesimo, & suprà in Leuitico capite uigesimosexto: Tunc orabunt pro iniquitatibus suis. Et Apostolus: Nam si reiectio illorum est reconciliatio mundi, quæ erit assumptio, nisi uita ex mortuis? Vocula igitur עולם denotat spacium exilij durantis in finem desolationis profanationisq; templi, de quo Apostolus: Adeò ut in templo Dei sedeat. Cuius profanationem tẽpli mystici uastatio adumbrauit. sed de toto mysterio alio loco. Hũc finem indicat Daniel his uerbis: Et usq; ad consummationem, & finẽ uidelicet maledictionis diuinæ hic à Mose denunciatæ durabit desolatio.*

Eo quod non seruieris.) Repetit causſam maledictionis, lætum & hilarem animum requiri in cultu Dei, qualem præstat diuinus ſpiritus, de quo uates: Redde mihi lætitiã ſalutis tuæ. ſed per quam uim? ſequitur inibi: Spiritu נדיבה confirma me, ſpiritu inquam filij afficiente fouenteq; animos noſtros læta noticia fauentis nobis patris Dei, quam noticiam nobis aufert maledictio, quæ cæcitatem ablato aſpectu lucis, amentiam abrepta ſapientia, triſtem ſtuporem deleta hilaris mentis conſtantia nobis inducit.

Propter rerum omnium abundantiam.) qua inſolẽtior gens Iſraelitica facta, in reprehenſionẽ incurrit. de qua mox Moſes: Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, dereliquit Deum conditorem ſuum.

Seruies inimico tuo.) qui Deo ſeruire nolueris.

In fame.) qui in rerum copia Deum colere recuſaris.

Iugum ferreum.) Qui ſuaue Dei iugum detrectaris. De quo Dominus: Onus meum leue, & iugum meum ſuaue. In maledictione ſpirituali Eccleſia, ſub quo iugum ferreũ ferat, excuſſo amabilis Euangelij iugo, ſatis notum.

Gentem longinquam.] Romanos. de hac gente Daniel his uerbis: Ciuitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce uenturo. & ſupra in Numeris Balaamus רציים בוזר בתים, id eſt claſſem Cittimorum ſubacturam Hebræos. בתים autem etiam Romanos ſignificari, ex paraphraſte indicatum eſt.

In ſimilitudinem aquilæ uolantis.] Hoſtium uolucris impetus et uictoria notatur. Victrix enim ales eſt aquila, apta Romano imperio figurando. De celeritate aquilarum Heremias: Velociores aquilis equi illius. De earum autẽ altiſſimo in cœlo uolatu Abdias: Si exaltatus fueris ut aquila.

Gentem procaciſsimam.) עז פנים impudentia & crudelitas notatur. Quoniam in uultu apparent notæ affectionum animi, hic פנים uox uſurpatur. Vtitur eadem locutione Daniel capite octauo, de Antiocho loquens מלך עזפנים. ſubmoto typo qualis hoſtis Iſraelitarum adumbretur per Romanos & Græcos, ſæuities beſtiæ cum ſumma impudentia coniuncta indicat, de qua ſæpe excuſſis hoſtium Iſraelitarum typis.

Qui non deferat ſeni.) contra naturæ legem, quæ monet ſenili ætati honorem tribuendum. Explicatur עז פנים in qua locutione notatur tetra ἀναισχυντία. Sed nõ eſt mirũ impudentẽ hanc gentem eſſe in homines, quæ ſuam impudentiam etiam in Deum declaret. Vt eſt apud Danielem: Et ſermones contra excelſum loquetur. Intueare Nerones, & Diodecletiani atq; hæc noſtra & ſuperiora tempora.

Et non relinquat tibi triticum.) quibus opibus per luxum & ad cultum deorum alienorum abuſus fueris

Et deſtruentur muri tui.] Qui Deum promurum non habueris, de quo apud Zachariam: Ego ero murus tuus.

In quibus habuiſti fiduciam.) qui Deo fidere debueras, non opere manuum tuarum.

Et comedes fructum.) Horrendæ calamitatis denunciatio, qua Iudæi obſidente Tito Veſpaſiano Hieroſolymã affecti ſunt. De qua uideris apud Ioſephum. Huiuſmodi cladis etiam in libris Regum extat exemplum.

Homo delicatus in te.) qui per animi mollitiem facile alioqui cedat affectibus, quales in uxorem & liberos propendent.

Et uxori.] contra ſententiam illam maritalem: Hoc os ex oſſibus meis. Scita periphraſis coniugalis coniunctionis באשה חיקך, id eſt uxori ſinus ac complexus tui.

Tenera autem.) ſuprà quàm ferat muliebris imbecillitas.

Quæ ſupra terram ingredi non ualebat.) Notatio delicatulæ præ mollicie pedis ueſtigium figere in terra non ſuſtinentis.

Et illum ſecundarum.) Tragica miſeriæ denunciatio. Ne infanti quidẽ iam ex interfamineo egreſſo parſurum. Qua clade quid horrendius? Aliis ſecundæ ſunt, alijs infans שלמתה.

Et terribilem.] iudicio impiorum. Exempla nota in Caina familia diluuio, Sodomis igne cæleſti, Pharaone cum ſuis mari rubro deletis. exẽplo maiores uestri in deſerto abſumpti. Duorum meminit quæ metum Dei incutiant: alterum, gloria diuina declarata tot præclaris operibus: alterum, terribile iudicium eius in impios editum.

Et remanebitis pauci numero.) gente hac gladio, fame, peſte interempta. Meminit Ioſephus undecies centena millia Iudæorum, Romanis Hieroſolymam obſidentibus, extincta fuiſſe.

Bene uobis faciens.) per clementiam.

Sic lætabitur diſperdens] per iuſticiam.

Diſperget te Dominus.] Diſpergi primò cœpit eo tempore quo Aſſyrius Tegphalaſſar Galaad, Galilæam & Naphthaliam tribum in Aſſyrios Phacea Iſraelitarum rege regnante trãſtulit. Nec deſiuerunt Iſraelitæ diſpergi dum Iſraelitica reliqua gente per Salmanazarem in exilium abiecta munitas Iudææ ciuitates Sennacherib Aſſyrius caperet: & Babylonius Nabuchodonoſor poſtea Hieroſolymis captis & templo direpto, regem ipſum & omnes eius primeipes uiros unà cum populo captiuos abduceret. Quo exilio finito reſtitutis Iudæis terræ ſuæ, temploq; inſtaurato, tandem eadem hæc gens ut deſeruiſſet legis diuinæ cultum, & degeneraſſet in profanarum gentium mores, Chriſtumq; promiſſum illum liberatorem occidiſſet, hanc poſtremam & tam horribilem exterminationem diſperſionemq; in omnes nationes experta eſt. de qua Daniel poſt Moſem clarius uaticinatur his uerbis: Et ciuitatem & ſanctuariũ diſſi-

pabit

pabit populus cum duce uenturo, & finis eius uastitas, & post finem belli statuta desolati. Et Dominus ipse apud Euangelistam: Et cadent in acie gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Spirtualem dispersionem à regno uerbi Dei, ablato sacerdotio & regno Euangelij per bestiam cognitam pijs, spectes, ueritas deuastationis ueræ Hierosolymæ & templi noti ex sacris literis occurret, quæ typica desolatione adumbratur: Quã de re uideris apud Apostolum ad Thess. & in Apocal. Ioannis, & apud Matt. cap. 24. Dicas, Dominum nostrum Ecclesiæ suam præsentiam polliceri his uerbis: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Hæc uerba de præsentia conseruationis ac tutelæ accipienda sunt, non de perpetua illustrationis & regentis spiritus præsentia per administrationem Euangelij. Nam uices suas esse profanationis & consecrationis Ecclesiæ, abalienationis & reconciliationis declarat Apostolus, mystica ea de re prophetarum oracula explicans, & in hunc modum de aduersario uersante in loco sancto loquens: Nẽ quis uos decipiat ullo modò, quoniam nõ aduenient Dominus, nisi prius defectio uenerit, et patefactus fuerit homo ille scelleratus, filius perditus, qui est aduersarius & effertur aduersus omnem qui dicitur Deus aut numen, adeò ut in templo Dei sedeat. At hoc templum electorũ Ecclesia est, de quo illud: Vos templum Dei estis. Hoc autem templum ut iam multis seculis profanatum sit, nos experti sumus, & etiamnum multi experimur magno cum dolore et luctu. Atq; hanc profanationem indicat Dominus noster ex Daniele ubi ait: Cum abominationem desolationis uideritis quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto. Sed dices, Dominum loqui de abominabili deuastatione templi Hierosolymitani per Romanos facta. bene quidem, si typum & umbrã spectes: sin ueritatem & rem expressam, sub externa euersione interiorẽ, quam electi sub antichristo erant latiuri, significauit. Subiungit enim: Qui legit, intelligat. quibus uerbis mysterium indicat, in quo duo continentur, figura & res figurata, umbra & res adumbrata. Hoc est spirituale templũ erroribus aduersarij deturpatum. Is locus sanctus & templum mulier illa est quã Ioannes uidit in solitudinem uastam hodie satis notam sanctis fugisse, persequente eam serpente mille ducentos sexaginta annos. At sic in solitudine errans mulier Ecclesia, non errat ut pereat, sed ut diuino præsidio cõseruata, suo tempore liberetur prolis masculæ rectura urga feri ea gentes regno sacri spiritus restituo, cuiuis mille ducentis sexaginta annis, quos supputẽt sapientes: tempus est quo mulier in solitudine hac uasta orbis terrarum sub antichristo filio serpentis ueteris, qui est diabolus, erret.

A summitate terræ.) In ארבע quatuor terræ finibus, ac cardines, oriẽs, occasus, aquilo, meridies, notantur, in quos ut dispersi sint Iudæi, satis res ipsa indicat.

Et seruies ibi dijs alienis.) qui Deo tuo seruire nolueris, interfecto negatoq; Messia, cuius fide si adesset, solũ uere colitur Deus pater: sin abest, dij alieni. Negato autem occisoq; Messia incidisse gentem hanc in tantam calamitatẽ, indicat Daniel in hunc modũ: Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & nõ erit eius populus, qui eum negaturus est. Hoc uerò negato, receptus est, de quo prædixerat Dominus apud Ioan. Si alius uenerit nomine suo, illũ recipietis. Is antichristus est pastor ille stultus de quo suprà aliquoties ex Zacharia meminimus. Cuius antichristi iugo subditi sunt Iudæi, cum leges abrogatas sine uerbo Dei et contra uerbum Dei mala conscientia perseqũntur Euangelio neglecto. Quæ est illa idololatria quæ hic à Mose prædicitur. Ecclesia uerò profanata eiusdem antichristi erroribus, ut Mosaicis repetitis & de suo falso Dei cultu excogitato, dijs alienis suppresso Euãgelio seruiat, satis perspicuum. uidemus filium illum perditũ omnia occupare, Iudæos per Thalmudica, Sarracenos Turcasq; per Mahumetica, nos uerò p decreta sua meretrice illa omnia contemerante, quæ sedem septem collibus munitã tenet, de qua Ioannes: Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet. quorum etiã gentilis poeta meminit: Septem quæ uno sibi muro circumdedit arces.

Quos & tu ignoras.) quorum beneuolentiã & in rebus aduersis auxilium nunquam expertus es, quod est לא ידעת.

In gentibus quoq; illis non quiesces.] exilia exilijs commutans. Intueamur nostra & superiora secula.

Cor pauidum.) trepidans sub legis damnantis seculo.

Et deficientes oculos.] tabe ex falsa expectatione salutis contracta. Adhibet hypotyposim destitutæ diuino præsidio gentis, hoc est malis omnibus undiq; ad mœrorẽ, pauorem, desperationẽ adigendis oppressæ. Coniungit cum cordis pauore oculorum tabem, quòd horum integritas ex cordis, quod uitæ fontẽ continet, integritate pendeat: sicut etiam qui in tenebris uersantur, aut oculis capti sunt, in metu esse solent. Intelligimus igitur hic ex contrariorum comparatione, Deo præsente per sacrum spiritum filij, omnia lætitia, tranquillitate, ac pace plena esse: contraria eo absente per fluctus illos & æstum cogitationum accusantium & damnantium conscientiã, sentiri. de quibus Iesaias: impij quasi mare commotum, quod quiescere nequit, agitantur.

Reducet te Dominus classibus.) Si literam spectes, legimus apud Iosephum, ut deducta Hierosolyma Iudæi superstites ducti sint in Aegyptum, operibus deputati, operibus procul dubiè destinati, quibus maiores ipsorum fuerant olim oppressi.

preßi. A' Romano imperatore Tito magna hominum uis in prouincias Romanorũ missa fuit, qui in spectaculis ferro & bestijs obiecta interirent. De spirituali Aegypto non est opus admonere. de qua Ioannes in sua Apocalypsi: Bestia quæ ascendit de abyssо, faciet aduersus eos bellum, & uincet illos, & occidet eos, & corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ quæ uocatur spiritualiter Sodoma & Aegyptus. Vbi & Dominus noster crucifixus est. Mysteriũ notum sanctis qui sciunt Christum in regno antichristi occidi, cum occidũtur de quibus Daniel: Et sanctos altißimi conteret. Notũ etiam illud Apostoli: Et suppleo quod deerat afflictionum Christi in carne mea. Item illud ad Saulũ: Quid psequeris me? Cuitas aũt illa magna quæ sit, indicat idem Ioannes his uerbis: Et mulier quã uidisti, est ciuitas magna quæ habet regnum super reges terræ.

IN CAPVT XXIX.

HAec sunt uerba fœderis.] Renouatur in Moabitarũ finibus fœdus quod in Horebo antea cum Israelitis sanctum fuerat, expositа denuò lege in qua fœdus continetur propter eos qui ad Sinam montem non affuerunt. Quadraginta enim illis annis quibus maiores Israelitarum ob rebellionem extincti sunt, posteri illorum neq; legis neq; fœderis gnari fuerunt, quos etiam circumcisione diuini fœderis signo caruisse legimus: Itaq; Moses qui semel à Deo legislator & fœderis arbiter constitutus fuisset, non prius obijt, quàm confecto peregrinationis spacio, legem iam ingressurus in promissam terrã denuò exponeret, quod eius possessio ex legis obseruatione penderet.

Vos uidistis.) Eos alloquitur qui cum exirent ex Aegypto, infra uiginti annos fuerunt. qua ætate qui erant, exitio quo in deserto perirent, nõ fuerunt destinati. Nam in Numeris legitur, uiginti militiæ aptos annos excedentes, ob rebellionis noxam ad interitum fuisse deputatos. A' beneficiorum commemoratione ad fœderis conseruationem animos præparat.

Tentationes magnas.) quibus induratus Pharao miserè perijt. Aliter igitur impij, aliter pij tantantur: hi præeunte diuino spiritu, suo bono: illi absente eodem gubernatore spiritu, suo malo.

Et non dedit.] Exprobrationem pertinaciæ admonitioni aspergit, in qua obiter indicatur primò quale sit ingenium populi legi tabulis saxeis inscriptæ subiecti. Hanc duritiem exuetere Adamo contractam neq; ostentis, neq; oraculari doctrina, neq; beneficijs, neque minis, deponi, nisi diuinus spiritus pectora saxea in carnea mutet. Exemplo Pharao, Israelitæ, Pharisæi, & omnibus temporibus, in quibus regnat homo de quo Apostolus: Animalis homo non percipit ea quæ sunt Dei. Deinde intelligitur, animum intelligentem res diuinas, et eas amplectentem, non mundi, non naturæ, sed Dei donum ac opus esse.

Et oculos.) animi fide illustratos.

Et aures.) Interiorem auditum ea præparatione præditum de qua Dominus apud Ioannem: Qui ex Deo sunt, uerba mea audiunt. Itaq; hac increpatione Moses pædagogi munere functus per legem quæ accusat, increpãs, damnans, uiam ad gratiam præmunit.

Adduxit uos quadraginta annis.) A' beneficijs in deserto exhibitis.

Panem non comedistis.) terrenum, sed cœlestem. de quo uates: Et pluit illis mannam ad manducandum, & panem cœli dedit eis.

Vinum & siceram.) sed aquam ex petra quæ Christus erat, expressam: quam qui biberit subducta figura non sitiet in æternum, sed fit in eo fons aquæ salientis in uitam æternam.

Vt sciretis.) Finis cæræ diuinæ pro suæ gloriscatio nominis ipsius per fidem.

Egressusq; est Seon.] à uictoria, de qua in Numeris.

Custodite ergo.) Accommodat beneficiorum commemorationem ad studium obseruandæ legis, ab æquo instructa hortatione.

Vt intelligatis.) תשכילו pro תשכלו uertunt, id est ut prosperè res ac feliciter geratis. Quemadmodum paulò suprà benedictionum Dei quæ accidant pijs, earum hic summatim repetit, quo alacriores ad seruandam legem suorum animos reddat in hortatione præmissa sibi proposita.

Vos statis.) circa arcam oraculorem. Obseruandus in fœdus uenientium ordo. proximi Deo stabant duces tribuum, deinde senatores, tum præfecti ac magistratus: post hos omnes Israelitæ, paruuli, mulieres: postremo locum obtinentibus peregrinis, lignatoribus & aquatoribus.

Vt transeas in fœdere D. Dei.) Qui mos fuerit in sanciendis fœderibus, uideris in Genesi.

Et in iureiurando.) quo confirmantur fœdera.

Vt suscitet te sibi in populum.) quem colas.

Fœdus ferio.] De assignanda terra Chanaanæa promissa maioribus tuis. In fœdere igitur huiusmodi hæc expendumtur: Deus fœderis constitutor, gens Israelitica, cum qua initur fœdus, sanguis uictimæ quo sanciturr, conditiones fœderis & bona quæ in fœdere promittuntur. quibus expensis, non difficile à fuerit quid interfit inter uetus & nouũ fœdus cognoscere. uocula Hebræa ברית fœderi notãdo apta est, siue à ברה quod est eligere, quòd duarum partium arbitrio sanciatur fœdus: siue à ברר quod explicare sonat, quòd fœderis leges fœdere coniunctis explicatæ ac notæ esse debeant: siue à ברא quod per antiphrasim cædere est, deducas uocem, quòd in pangendis fœderibus cædatur uictima. Vnde etiam Latinis à feriendo dictum fœdus uolunt, quod in percutiendo fœdere porcã feriri

riri, id est mactari solita sit, ut est apud Latinum autem: Et cæsa iungebant fœdere porca. Vel deriuum à אדר, quod innocentia ac fides inter eos qui fœdera ineunt, requiratur. Si diuinum spectes, hoc si uetus est, innocentiam requirebat & seuerè flagitabat sub aspero legislatore Mose: sin nouum hoc, probitatem ijs qui eo continentur, exhibet. Vt est apud Hieremiam loco sæpe citato.

Et absentibus.) posteris uestris.

Vos enim nostis.) Confirmatio fœderis à uocatione ex Aegypto.

Per medium nationum.) per Idumæos, Ammonitas, Moabitas, Madianitas.

Ne fortè sit inter uos.) Occupatione occurrit impiorum cogitationibus, quos quadam prosopopœia fingit sua scelera excusaturos ac extenuaturos.

Et seruiat dijs.) contra fœdus diuinum uobiscum hic renouatum de uno colendo Deo, alienis uitandis.

Vt sit inter uos radix germinans fel & amaritudinem.) Hanc locutionem Petrus in Actis usurpauit aduersus Simonem Magum: In felle enim amaritudinis uideo te esse. Fel laude caret quod purgamentum sit pessimi sanguinis, & in quo uesaniæ causa homini. Meminit hic Moses non in bono, sed in malo, ut reliqua quoq; scriptura solet, absynthij, propter ingratum amarorem quem habet. Tradūt tamen scriptores rerum felli aduersum esse aliquo modo absynthium, quo nimirum qui in Ponto sunt serpentes, si uescantur felle careant idololatras autem similes hic radici fel & absynthium parienti comparat, ut quorum amaritudo facile totum in quē indita fuerit, liquorē inficiat, sic se habere eorum qui simulacra colunt uenenosam perfidiam fermentantem cuncta.

Cum audierit uerba iuramenti huius.] אלה cum iusiurandum et execrationem in quam incurrunt fœderis uiolatores, notet, hic non absurdè diras uerteris, ut opponas illi quod sequitur והתברך Vt solent impij contemptis dirarum minis sibi blandientes felicia polliceri, uel ut indicat uates per antiphrasin repræsentat sceleratorum cogitationes: Dixit enim in corde suo, non mouebor. item: Qui dixerūt, linguis nostris ualebimus, labia penes nos sunt, quis Dominus noster?

Assumat ebria sitientem.) Varia huius loci interpretatio est, de qua uarietate apud alios uide ris. Simplex sententia apparet esse, studere impios neglectis dirarum minis suæ libidini satis facere, ebrietate sitim omnem auteuertentes, hoc est cupiditates scelerum abunde explentes. Ebriorum mos satis notus quē his uerbis taxat Iesaias: Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandū usq; ad uesperam ut uino æstuetis.

Et Dominus non ignoscat ei.) contrà quam ipse cogitat dicens: Pax erit mihi, ac impune habebo.

Et sedeat.] non facilè depellenda, priusquam funditus pereat. quod in רבצה notatur.

Et solis ardore.) Non solis, sed salis sit mentio. Sulphure & sale adurenda terra accipitur. In sale ut ignea uis insit, norunt ij qui beneficio ignis eam elicere norunt omnia consumentem. Sale ut pereāt par est, qui sal fœderis diuini neglexerint. de quo sale uideris in Leuitico.

Abscondita à Domino Deo nostro.) Bipartita sententia est. una quæ profanis gentibus occulta sunt, nobis Deus aperuit quæ exequamur, ut uates canit: Non contingem huiusmodi omni nationi, iura sua nequaquam manifestauit eis. Vt hæc uerba acclamantis populi ac gratulantis sibi de renouato secum fœdere Dei accipiantur. Altera, arcana quæ habentur, Dei nostri sunt: aperta autem nostra & liberorum nostrorum, id est aperta quæ nobis Deus aperuit ac declarauit, exequi nos & nostros fas est: arcana uerò quæ nondum nobis declarata sunt, Deo permittere. Notantur occulta noui fœderis suis temporibus manifestanda. In quibus hæc continentur, patefactionis Euangelij mysterium. de quo Apostolus: iuxta reuelationē mysterij temporibus æternis tacti, manifestati uerò nunc. deinde arcana regni & sacerdotij Christi, quæ uetere sacerdotio & regno adumbrantur, postremò arcana repudiationis & reconciliationis de quib. Apostolus his uerbis: Nam si reiectio, illorum reconciliatio est mūdi, quæ erit assumptio, nisi uita ex mortuis? De hoc reconciliationis arcano Dei consilio deinceps uaticinabitur Moses.

IN CAPVT XXX.

Cvm ergo uenerint.] De reconciliatione Israelitarum uaticinium longè clarissimum exponitur, ex quo tanquam ex perenni fonte omnes reliqui prophetæ sua de gentis huius restitutione oracula hauserunt. Moses ut dira exposuit, sic etiam fausta semel electo Dei populo in postremis temporibus euentura denunciat. Qua in re perpetuum illum & constantem operum Dei ex tenebris lucem, ex morte uitam, & ex opprobrio crucis gloriam & salutem suis molientis cursum obseruat. Quæ autem in hoc uaticinio præstanti annotanda sint, suis locis monebimus.

Et ductus pœnitudine.] agnito Messia, à te reiecto & occiso. De qua confessione illud: Dico autem uobis quod nō uidebitis me, donec uenerit tempus quo dicetur: Benedictus qui uenit in nomine Domini.

Et obedieris.) parens præcepto, de quo Ioann. Et hoc est præceptū eius, ut credamus nomini filij eius Iesu Christi, & diligamus nos mutuò. Qui finis est legis Mosaicæ. Nam quod ad fidem attinet, apostolus hic docet, Perfecto legis Christus est ad iustificationem omni credenti. De charitate uerò, Finis legis charitas.

Reducet.) *tibi dimissis peccatis reconciliato in filio. Duo hic coniungit, pœnitentiam & remissionem noxæ, quæ duo in functionem Euangelij cadunt, ut est apud Lucam: Sic oportebat Christũ pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari nomine eius pœnitentiã et remissionem peccatorum in omnes gentes.*

De captiuitate.] *ex utraq; & exteriore & interiore, quã sedente in loco sancto filio perdito tulisti, reuocandus.*

Ac miserebitur tui.) *non spectatæ dignitate tua, sed clementia sua tibi in Christo promissa. De quo promisso illud: Benedicentur in semine tuo omnes familiæ terræ: misericordiam tibi tributurus post incredulitatem pro bonitatis suæ diuitijs, de quibus illud: Conclusit Deus omnes sub incredulitatem, ut omnium misereatur. Quemadmodũ igitur profanæ gentes & à rep. Dei alienæ olim misericordiam per Israelitarum, ut Apostoli uerbis utar, incredulitatẽ nacti sunt: ita his postremis temporibus Israelitæ, qui increduli facti sunt per gentes, misericordiam cõsequentur. de qua hic Moses, & post eum cæteri prophetæ. Horũ uaticinijs fretus Apostolus prolixè in Epistola quam ad Romanos hac de re scripsit. Itaq; Ioãnes quoq; in sua Apocalypsi, enumerat ex singulis tribubus duodecim millia Israelitarũ signata signo agni in frontibus suis, ad redimendum.*

Congregabit.) *colligendos Euangelij ministerio per gentes administrando. Itaque Iesaias: Ecce ego leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signũ meum, & afferent filios in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt.*

Maioris numeri te faciet.) *Promissio de numerosa electorum progenie, de qua apud Iesaiam legeris. Nec uerò pugnarit eos qui ex carne sunt Israelitæ, ex promissionis spiritu Abrahami etiã sobolem esse. ut de Iacobo, Isaaco, Mose, Dauide, prophetis, Apostolis & Christo ipso perspicuum est.*

Circumcidet Dominus Deus tuus.) *Spiritu Messiæ. Indicatur recõciliandi modus, qui circũcisio cordis est, de qua Apostolus: Et circumcisi estis circumcisione quæ fit sine manib. dum exuitis corpus peccatorũ carnis per circumcisionẽ Christi. Vt hic Moses circumcisionis meminit, sic Hieremias legis scribendæ in cordibus, quæ lex sanctus adoptionis filiorum Dei spiritus est, de quo Apostolus: Sed accepistis spiritũ adoptionis, per quem clamamus abba pater. Ezechiel uerò aquas mundas uocat, & spiritum nouũ his uerbis: Et effundam super uos aquã mundam. item: Et dabo uobis cor nouum, & spiritũ nouum. Qui loci clarè indicant ad quæ tempora hæc reuocatio Israelitarũ ex captiuitate sua sit referenda. Dicas fortasse tempore solutæ captiuitatis Babylonicæ, hoc uaticinũ impletum. si ita, quid igitur faciemus illi quod hic legitur: Si ad extremos cœlorum fines fueritis dissipati, inde uos reuocabit. At tẽpore quo apud Babylonios exules fuerũt, dispersi per omnes terræ nationes non fuerunt. Deinde nec etiã eo modo ex Babylonica captiuitate asserti sunt, quo modo hic asseri ẽdi præcuntur, circũcisi uidelicet corde, ut Moses indicat: & ferentes in animis scriptã noui fœderis legẽ, ut Hieremias: aquaq; munda emũdati à peccatorũ sordibus, ut Ezechiel præmonet. Nam circumcisio animorũ cum noui fœderis spiritu, in nulla alia tẽpora inciderit, q̃ in repræsentatã Christi tempora, de quo illud apud Ioan. Nã spiritus nondũ erat datus, quia Christus non erat glorificatus. item Apostolus: Conclusi in eam quæ reuelanda erat fidem. Itaq; si hoc oraculũ temporib. Messiæ implendum erit, iure quæstio est, quónam tempore patefactionis Christi impleatur. Dicat fortasse aliquis, eo tẽpore impletum fuisse quo Apostoli suo munere fungebantur. fatemur nos quidem ueræ salutis Israelitis gratiæ gẽtis mitia tũ extitisse. Sed quomodo affirmabimus hunc populum tunc saluatũ, paucis eius reliquijs solũ saluatis? per quas effectiũ non sit, quo minus ille reiectus et excæcatus dicat, regno cœlorũ ad gentes translato. Nos enim apud Mosem noxam legemus: In gente stulta irritabo eos. Notum item est illud Iesaiæ, quod Dominus ad sua tempora refert: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude. Restat igitur adhuc quoddam tempus quo promissam salutem Israelitæ consequentur, ut Mosæ & prophetarum uaticinia ex interpretatione Apostoli impleantur. Sic enim Apostolus Mosem & prophetas interpretans dicit: Quòd si lapsus illorum, diuitiæ sunt mundi: & diminutio illorum, diuitiæ gentium: quãto magis plenitudo illorum? De quo tempore quæso is loquitur? de suóne? si ita, cur ergo illum excisos dixisse, cur lapsum, cur excæcatũ testatur? si de posteriore futuro? de quo igitur rogo? nũ de eo quod huc usq; decucurrit? Si ita, ostẽde horã, ostende signa, & certa restitutæ Israeliticæ gẽtis indicia. nulla ostendes. summam excæcationem, miserrimum exilium, temporã erroribus plena, populi priuati sacerdotio & regno, orbati uero cultu Dei, & falso imoluti, ostendes. hoc est maledictionem & infelicitatem, quæ suprà à Mose expositæ est, monstrabis, in qua in finem usque temporum prosternationis, Daniel confirmato oraculo Mosaico, manstoros esse Israelitas, sic prædixit: Et erit in templo uastatio abominanda, atq; usq; ad finem deerabit uastatio. Itaque quæ Apostolus Paulus ad Romanos prophetarum oraculis fretus, de amplissima Israelis instauratione, disserit, ea huiusmodi sunt, quæ hactenus dracone multorem Ecclesiam in solitudinem deuolutam persequente, & aduersario draconis filio locum sanctum occupante, impleri non potuerunt. Quapropter restat adhuc tempus, in quo de uniuersique benedicendis, Israelitis & gentibus sacra oracula*

oracula impleantur. De qua impletione illud: Donec plenitudo gentium aduenerit, & sic totus Israel saluus erit, sub unum tempus utrisq; plenitudinem salutem nacturis. Qui enim oleaster succum uitalem teneat, oliua prorsus mortua? Cõparat autem oleastro gentes, & Israelẽ naturali oleæ Apostolus, ubi dicit: Tu autem cum esses oleaster, insitus fuisti illis, & consors radicis & pinguedinis oleæ factus es, ne glorieris aduersus ramos. quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Iam igitur quomodo oleaster integritatem suam uebitur, si naturalis olea omnino sit corrupta, & uitiata? Apostolorum igitur temporibus oleæ, hoc est Israelitis natiuo succo detracto, nec oleaster, hoc est gentium populus plenus incrementis succrescere potuit, atq; ita ex parte gentibus quoq; salus affulsit, quæ etiam in terrarum orbe abolescere cœpit, ubi Israelitæ plenè in suam horribilem cæcitatem inciderunt. Ideo Apostolus noster de gẽtibus sic uaticinatur, Quoniã & tu excidêris, occupatio ab antichristo templo Dei, quod à Christo Iesu Dño nostro occupari oportebat. De qua profanatione tẽpli spirituali uideris apud Apostolum in altera, quam ad Thessalonicenses scripsit, epistola. Quocirca neq; gentium ante finem mundi sine Israelitarum, qui radix & naturalis olea sunt: reconciliatione: neq; Israelitarum sine gentibus restitutione, plenior salus cõstabit. Atq; hoc uolũt prophetæ, ubi in idem tempus gentium & Israelitarũ conuersionem ad uerũ Dei cultum reijciunt, quo in Christo Deũ patrẽ utriq; sint adoraturi. de qua conuersione uates: Conuertuntur ad Dominum, hoc est Meßiam omnes fines terræ. Item: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quò spectans Dñs noster prophetas explicãs, sic ait: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, illas quoq; oportet me adducere, & uocem meã audient, et fiet unũ ouile, unus pastor. Qui locus etiã suprà in hac causſa citatus est. In Actis Apostolorũ legimus quo modo apostoli percunctati sint de regni Israelitici instauratione, Dñe num tempore hoc regnũ Israeli restitues? & hunc respondisse: Vestrũ non est nosse tempora & articulos temporum, quos pater in sua ipsius constituit potestate. Quo responso satis clarè ostendit restitutionem Israelitarũ tum fãctam non esse, sed aliquãdo fore, ut ex oraculo Mosis & cæterorũ prophetarum fiat. Atqui cum duo extremi aduentus Meßiæ sint, alter quo in carne uenit ad crucis statum peragẽdum, alter quo cum maiestate tanquam iudex, non reconciliator sit uẽturus: de neutro aduentu accipitur quo Israelitas sit patri reconciliaturus. sed de eo quo per patefactionem Euangelij spiritu aderit. Qui interiectus inter utrumq; aduentus spiritu manifestationis euangelij omnibus gentibus in testimonium uerita uis aduersus mendacia aduersarij denunciandi, absoluendus erit. Quem aduentum Apostolus ex Iesaia indicat his uerbis: Aduenient ex Sion ille qui liberet, & auferat improbitatem ex Iacob. At quò pertinebit is aduentus Meßiæ liberatoris? Non sanè neq; ad eum quo Meßias in carne repræsentatus est, neq; ad Apostolorum tempora quibus Israelitæ repudiati fuerunt, neq; ad gloriosum aduentum quo idem Meßias stipatus angelis cũ maiestate in mundum hunc ueniet, iudicem acturus, non reconciliatorem & pacis arbitrum, referendus fuerit. Igitur de aduentu patefactionis Euangelij Iesaiæ uatis uaticinium accipiendũ erit, sub quam spiritus sacer sublato spiritu antichristi sit de cœlo fundendus. de quo idem uates: Donec effundatur spiritus de excelso. et Ezechiel: Et effundã super uos aquã mundam, & mundabimini ab omnibus uitijs uestris, daboq; uobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio uestri. Sed cuius spiritum? Sequitur indidem: Et erunt qui reiecti fuerant mihi populus, & ero eis Deus, et seruus meus Dauid (hoc est meßias) per hunc aduentum rex super os. de quo aduentu etiã ipse is cœlestis Dauid: Donec dicatis, Benedictus q̃ uenit in nomine Dñi. Nec uero hic restitutus Israel magnarũ rerũ mystica significatione carebit. Nã hoc modo uelut uiuus ex mortuis suscitatus, resurrectionis secundæ quo mortui ex terræ puluer. bus ad maiestatem et splendorem regni cœlestis trãsferentur, typũ præferet. De qua mystica notatione Apostolus arcana prophetarum oracula explicans: Quæ erit assumptio nisi uita ex mortuis? Vbi ad ossa arida sepulcraq; de quibus apud Ezech. elem fit mentio, alludit: significans Israelitas ex hoc exilio tanquã ex sepulchro ad uitã cognitionis Dei educendos, quam multis seculis exules in orbe terrarum caruissent. Deinde sic reuocati, collectionem per quam electi ex quatuor mundi cardinibus congregati cœlestem hæreditatem in altero illo pleno maiestatis Christi aduentu cernent, repræsentabunt. De qua electorum collectione in regnum cœleste Dominus apud Euangelistam: Et mittet angelos suos cum tubæ uoce magna, & congregabunt electos eius à quatuor uentis, à summo cœlorum usque ad terminos terræ. Quapropter ne quis erret hic, non carnale, sed spirituale: non terrenum, sed cœleste Israelitæ reconciliati per Meßiam cum Deo maiorum suorum, obtinebunt. Quale passim prophetæ describunt, uidd Moses hic mõstrat cum Israelitas postremis temporibus pectore circũcidendos prædicit. Circumcisio enim cordis quoniam spiritu perficitur, indicat magnus propheta Moses Israelitas, exactis exilij huius seculis, ad spirituale Meßiæ regnum & sacerdotium per cognitionem Euangelij traducendos esse. De quo regio sacerdotio Ioannes: Et fecit nos reges & sacerdotes Deo, & patri suo. In his autem sacerdotibus & regibus, etiam Israelitas cõprehendi, ostendit idem ille his uerbis: Et audiui

numerum signatorum centum quadraginta-quatuor millia signatorum ex omni tribu filiorum Israel. Is autem numerus signatorum Israelitarum in libro uitæ, indicat illos ad Meßiam conuertendos, à quo regantur regalis sacerdotij sceptro. Sic enim ait: Quoniam agnus qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad uiuos fontes aquarum, & absterßurus est Deus omnem lachrymã ab oculis eorum. Atq; hoc ipsum est quod uaticinatur hic Moses: Et reuertetur Dñs ut lætetur super te in bono. Sicut lætatus est super maiores tuos. Dicat hic aliquis: Quid ergo faciemus terræ sacræ? pophetæ ubi restitutionis Israelitarũ meminerunt, simul etiam promißæ terræ mentionem faciunt, in quã renouati Meßiæ spiritu sint reducendi, ueluti etiam Moses hic prædicit, Et adducet te Dñs Deus tuus in terrã quã poßederũt maiores tui. Si habebitur terræ Chananææ ratio, quid hæc, percũctetur aliquis, ad regnum Christi faciet? Cur potius Israelitæ in Chananæa ubertati suæ restituta Euangelij spiritu gubernabuntur, quàm in quauis alia orbis terrarum regione? Si cæteræ umbræ ac figuræ Mosaicæ exoleuerunt repræsentato corpore quod Christi est, etiã Chananææ umbra sub ortum Euãgelij disparuerit, hæreditate cœlestis regni nobis oblata, terrena sublata. Sed his contrà obijcias, si omnino umbræ omnes in primo aduentu Christi exoleuerũt, cur igitur in Israelitis hæ remanserũt, neq; prius in his desinent, quàm Christus cum maiestate denuò aduenerit? Sic enim Apostolus ait: Mysterium uobis dico: Donec plenitudo gentium subierit, & sic totus Israel saluus erit. In mysterijs aũt ut paulo suprà monstratũ, duæ res cernuntur, figura & res figurata. Quã aũt & quarũ rerum figurã placuerit diuinæ sapientiæ Israelitas in hoc suo exilio priuatos regno et sacerdotio gerere, antichristi tempora indicant. At uerò hanc de terra Chananæa quæstionem alio loco et tempore uisum est explicare. In præsentia satis sit ad explanandũ Mosem hæc ex promptuario reliquorũ prophetarum & scripturæ noui fœderis attuliße. Nam etiam alia quæ ad hoc longè amplißimum argumẽtum tractandum pertinent, superiunt explanãda, quæ in prophetarũ abditis oraculis nobis Christi spiritu aperienda proponuntur. Vt sunt inter cætera numeri, quibus quanto tempore filius perditus in loco sancto sit sessurus, indicatur, ut est apud Danielem temporis, temporum, & dimidij temporis numerus, apud Ioannem quadraginta duo menses, & quinq; apud eundem menses. mille item regni Christi anni, quò hi sint referendi, ut item duplex resurrectio, ut Magogi & Gogi gentes immittendæ in populum sacrum, sint intelligendæ, ut in uniuersum mysterium de quo Apostolus ad Romanos meminit, ab Abrahami tempore usq; in finem mundi per media tempora sit aperiendum omnibus tum Israelitarũ tum gentium casib. quos utriq; sub Christo & antichristo ferunt, euolutis. Hæc omnia ut egent clara explicatione, ita suo tẽpore & loco à pijs interpretibus adhibita clauis Meßiæ patefiene, qui claudit ut nemo aperiat, & aperit mysteria regni cœlestis, ut nemo claudat, cui sit gloria & honor in æternum. Amen.

Vt posßis uiuere.) Vita de qua Dominus: Amen dico uobis, qui sermonem meum audit & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in condemnationem non ueniet, sed transit è morte in uitam.

Super inimicos tuos.) Antichristum & membra eius, et in patrem impiorum satanam de quo Ioannes: Et diabolus qui seducebat uos missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudoprophetæ cruciabuntur die & nocte.

Tu autem reuerteris.) Beneficio fœderis semel cum maioribus tuis initi, ut est apud Apostolum: Secundum euangeliũ quidem inimici propter nos, secundum electionem autem dilecti propter patres.

Et audies uocem Dei tui.) non horribilem qualem olim ad Sinam montem in Arabum solitudine audisti: sed amabilem Euangelij ex Sione mãdine audisti: Et amabilem Euangelij ex Sione mãdine gratiæ & clementiæ diuinæ sacrato, profecturam uocem audies.

Et facies uniuersa mandata.] renatus spiritu Meßiæ.

Et ceremonias.] commutatis ueteribus institutis ac ceremonijs cum in ijs quæ in spiritu Meßiæ cernuntur. Aderit enim carnalis sacerdotij & templi cultus: sed eius templi cura erit, de quo illud: Qui uicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. idem de aris, sacrificijs, ferijs iudicium. Stat enim illud Apostoli: Quandoquidem translato sacerdotio, necesse est ut legis quoq; translatio fiat, succedente figuris ueritate, umbris corpore, literæ spiritu quo ut impleatur lex, non ut destruatur, uenisse se dicit Christus. At uerò sicut nondum plenè patefactus est, neq; dum quæ in uaticinijs continentur, impleta sunt, tum in personis, tum in rebus ita figuræ quædam cernuntur, quæ nõ prius facessent, quàm mundi finis accesserit. Nam si personas spectes, occurit Israelitarum persona: qui quorum figuram gerant in hoc exilio, erroribus, profanatione, perpendant docti spiritu Christi homines: sin uerò res ipsas spectes, terra promissa offertur, quæ cuius imaginẽ repræsentet, nõ est opus meminisse. Vt cœlestis hæreditas nondũ possideatur ab electis, ita uisum est Deo mysticæ terræ, ut mystici Israelis typum non prius aboleſcere, quàm illa scriptis in libro uitæ assignetur. Quamobrem prophetarum oracula quæ Apostolorum temporibus impleri cœperunt, seruatis exiguis reliquijs, his postremis seculis per Euangelium in omnes terrarum fines propagandum, in magna angustia temporum plenè implebuntur.

Gau-

Gaudebit super te in bonis.) Pro sua natura qua benefacit nõ malè, cuius alienũ sit opus affligere, propriũ benefacere. Itaq; ô Israel te occasione peccati ma is affecit, ut bonis cumularet, qui non uulneret, ut uulneret, sed ut sanet: non occidit ut occidat, sed ut occisos uitæ restituat, & ut per mortis gustum, quæ uera uitæ gratia ac suauitas sit, ostendat, Omnia electis suis eo cõuertente in bonũ, mortem in uitam, infernum in cœlum, maledictionem in benedictionem bonorum cœlestium. In hac diuinæ bonitatis deliberatione crucis mysteriũ uersatur cognitũ filijs Dei, ignoratũ sapientib mũdi.

Si tamen audieris.) Non sunt dubitantis Mosæ de reditione Israelitarũ in gratiam Dei uerba, sed morientis siue pœnitẽtia in agnito Messia nullum aditum fore ad thronum clementiæ diuinæ. Paulo suprà enim & in Leuitico cum prophetis certò confirmat illum reconciliatum cum Deo maiorum suorum. Similiter ambigentis Pauli uerba non sunt, ubi ad sententiam Mosæ dicit: Et illi rursus si non permanserint in incredulitate, inserentur. Affirmatio enim sequitur: Quanto magis hi qui naturales sunt, inserentur propriæ oleæ? sed uult Apostolus sine fide in Messiam non constare reconciliationem, quam tamen omnino sine tandẽ habituri Euangelio.

Mandatum hoc quod ego præcipio.) Occupatione diluit quæ obijci posset. Dicas, igitur in Israele situm erit, ut exequatur ac perficiat legem. Si ita, quid igitur opus fuerit Messiæ spiritu quo illa perficiatur? Occurrit ipse Moses obiectioni his uerbis: Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuũ. Occurrit Ezechiel ubi dicit: Auferam cor lapideũ de carne uestra, & dabo uobis cor carneũ, & spiritum meum ponam in medio uestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.

Neq; longè positum.) In animo tuo uersante spiritu eius qui dicit: Ambulabo inter eos præsens scilicet spiritui filij. Sic enim Apostolus hunc locũ interpretans ad fidei iusticiã Mosæ uerba refert, dicens: Cæterùm quæ ex fide est iusticia sic loquitur, Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlũ? Hoc esset Christũ ex alto deducere. aut quis descẽdet in abyssum? hoc esset Christũ ex mortuis reducere. Prom de fide agnoscitur Christus excitatus è mortuis, & elatus ad dextram patris, intra nos præsens spiritu suo uersari, cuius uirtute legi satisfaciamus, non uaturæ. Qua ui qui nituntur & meritis suis Christum denuo de cœlis deducunt, negantes eum in cœlum ascendisse, & ad inferos descendisse, id est, negant ipsum pro peccatis nostris mortuum, & pro iustificandis peccatoribus è mortuis excitatum in cœlum ascendisse, qui donet spiritum quo lex perficiatur.

Sed iuxta te est sermo.) Prope ipsos esse uerbum Dei, quod fidei uerbum est ab Apostolis prædicatum, ut Paulus monet, Mosæ uerba citans: Sed quid dicit, Prope te uerbũ est in ore tuo & in corde tuo? Hoc est uerbum fidei quod prædicamus.

In ore tuo.] cõfitente Dñm Iesum seruatorem.

Et in corde tuo.) credente talem Christum esse qualem ore confiteris. Hinc Apostolus: Corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem. Duo igitur necessaria ad salutẽ cõparandam esse ex Mose colligit Apostolus. Alterum fides est, alterum confessio per quam corde agnitum Christum ore, non perterriti tyrannorum orbis terrarum minis, palàm confitemur eum perfectionem legis esse omni credẽti. legis inquam perfectionem, de qua hic Moses: Lex quam ego trado tibi hodie, non est remota à te & difficilis ad præstandum in Christo uidelicet tibi promisso, & postremis seculis tibi patefaciendo ex oraculo Oseæ: Et post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominũ Deũ suum, & Dauid regem suum, & metuent Dominũ & bonitatem eius in extremis diebus. Is autem Dauid rex Messias est, quem ut temporibus Apostolorum excæcati reiecerunt & occiderunt, & in hoc interiecto tempore sine sacerdotio & regno cœlesti uixerunt uta postremis his temporibus ad eundem illum reparata benedictione reuertentur, Euangelio eius auscultantes per fidem: de cuius uerbo hic Moses, Sed prope te est uerbũ in ore tuo. Sed quod uerbum? Christus Iesus in electorum animos spiritu suo renouans ad nouam sapientiam, iusticiam, uitam gloriam.

Considera quod hodie.) Redit explicato uaticinio de futura reconciliatione ad ea tempora quibus erat ingressurus in Chananeam.

Vitam & mortem.] Hortatio ad seruandam legem, instructa commodorum & incommodorum locis.

Testes inuoco hodie cœlum & terram.] De his testibus mox.

Vitam & mortem.) Quorum alterutrũ elegeris, tibi accidet. Dicas, ergo libera uoluntas in Israelitis est pari ui eligendi bonum & malũ. Hac de re paulo suprà.

Elige ergo uitam.) instinctus spiritu Messiæ, non hominis qui uitæ spiritus est, non mortem per spiritum ueteris hominis eligito, qui exitiũ affert & mortem.

Ipse enim est uita tua.] Messias qui de se dicit: Ego sum uia, ueritas & uita.

IN CAPVT XXXI.

Centum uiginti annorum.] Causas affert duas sui magistratus deponendi, & alterius ducis eligendi, altera ab ætate, altera à Dei sententia petitur.

Non possum ultrà egredi & ingredi.) Obeundi muneris publici periphrasis est.

Dominus Deus tuus.] Confirmatio ab opo diuina.

Et Iosuæ.) A diuino duce. Remoue uelum.

Sicut fecit Seon.) Ab exemplo.

Con-

Confortare.) *Ostendit quantum onus sit gubernatio reipublicæ.*

Scripsit ergo Moses legem hanc.] *Duce constituto qui rempublicam Israelitarum moderetur, leges quas tum ipse, tum ij quos erat recturus, sequerentur, describi Moses iubet.*

Aderit tibi.] *In uerbo* יהיה *respicit ad nomen Dei declaratum in Exodo* אשר אהיה. *Si cœlestem Iosuam spectes, occurrit nomen* יהיה *illi tributum, item nomen ab angelo inditum, ut uolunt,* יהשהרת.

Sacerdotibus Leui.] *qui essent legis doctores ac interpretes.*

Qui portabũt arcam fœderis.] *In qua descriptum legis uolumen collocandum erat.*

Et cunctis senioribus.) *Coniungit eum doctoribus legis senatores, quod hi ἔμψυχος, id est animata lex sint, quorum opera nisi efficiatur, ut præstetur lex, leges frustra traditas dicas. Ex hoc loco apparet quàm uetus scriptor sit Moses, quo nullus sanè antiquior habetur. Eupolemus de regibus Iudææ literis prodidit Mosem Grammaticam literarumq; cognitionem Iudæis tradidisse, qui eã postea Phœnicibus ob uiciniam communicarint. Phœnices deinde Græcis literarum rationem tradidisse propter mutua cum eis commercia.*

Post septem annos.) *Septimo quoq; anno in Septembri, qui celebris est clangore tubarum, propitiationis & umbraculorum solennitatibus.*

In solennitate tabernaculorum.) *Quæ iam conditis frugibus & confecta uindemia celebrari solita est decimaquinta die Septẽbris, ut propitiationis festum decima die.*

Coram omni Israel.) *Ter quotannis se Hierosolymis sistentibus Israelitis, in Azymalibus, septimanalibus & conditalibus seu umbraculorum solennitate. De quo Exodi 34.*

Anno remissionis.] *De quo suprà capite decimoquinto. Hoc anno ære alieno liberi & terra uacante ab omni cultu aptiores erant ad audiendam quæ publicè recitabatur, legem. Vt suprà ducis, sic hoc loco eorum qui parebant duci, rationem habet.*

Et timeant Dominum Deum uestrum.) *Vsus legis Mosaicæ, metus ac ueneratio Dei.*

In columna nubis.) *apto signo præsentiæ, si expendantur origo nubis, usus & effecta.*

Ecce tu dormies.) *corpore in terram ex qua fictum ad labores fuit, reposito animo in Abrahami ornatũ gratia, luce, uita sinũ translato. Is enim sinus promissionis Christi sinus est, credentibus ad uitam apertus, non credentibus clausus.*

Fornicabitur.] *uiolata fide matrimonij cœlestis & diuini. Hanc defectionem quæ hic prædicitur, sequentes Mosem prophetæ grauiter reprehenderunt.*

Et irritum faciet fœdus.) *uetus. Huc respiciẽs Hieremias, sic dicit, Pactum quod irritum fecerunt. Secus nouũ fœdus habet. de quo ille idem: Sed hoc erit pactum quod feriam, &c.*

Et irascetur furor meus.) *sed qualis patris in filios accenditur, qui irascitur non ut perdat, sed seruet: nõ ut perpetuò irascatur. sed iram tandem commutet in clementiam, ut infrà in carmine legitur: Et occidam ut uiuificem, percutiam ut sanem.*

Ita ut dicat in illo die.) *Temporibus de quibus in Leuitico: Donec erubescat incircumcisa mens eorum. Tunc orabunt, et recordabor fœderis mei.*

Respondebit pro testimonio.) *testimonium contra eos dicturo carmine mox recitando ad prouocandos eos ad pœnitentiã. Omnia igitur in prouidentiam Dei cadunt sollicitam pro suorum salute, peccatum, calamitates, damnatrix peccati lex, pœnitentia, reditus in gratiã per spiritũ Messiæ, ut stet illud: Concluſit omnia sub incredulitatem, ut omnium misereretur.*

Scio enim cogitationes eius.) *consilia, mores, studia populi rebellis. At uerò qui nouit huius gentis pertinaciam in malo, nouit etiam medicinã quam illi, sed suo tempore in patefacto filio faciat, de qua medicina suprà: Circumcidet Dominus Deus cor tuum.*

Vt sit contra te in testimonium.] *Vsus legis Mosaicæ, sed quem noxa imponat, nõ mens legislatoris, lege nimirum data ad uitam, nõ ad mortem. Hinc Apostolus: Reperta est lex quæ instituta erat ad uitam, mihi cedere ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per præceptum decipit me, & per illud occidit.*

Contentionem.) *rebellionem contumacẽ exprobrat comparatione maiorum, & minorum adhibita.*

IN CAPVT XXXII.

AVdite cœli.] *iudices iusticiæ Dei insceleratos, dum uos ærei facti negatis pluuiã & rorem. Vt suprà legitur: Si cœlum quod supra te est, æneum.*

Et terra.) *quæ ferrea reddita, rebellibus fruges negatis. per prosopopœiam cœlis & terræ testium personam affingit. Clarum est hoc carmen uaticinio de diuino iudicio in Israelitas degeneres liberos exercendo. ad cuius æquitatem comprobandam cœlum & terram, & omnia quæ his continentur, genios cœlestes, homines terrestres in testes contra contumacem gentem citat. Carmen autem hoc de Israelitarum defectione, repuditatione, deq; repudiatæ gentis reconciliatione, & de uindicta in hostes eorum expedienda, claram prædictionem complectitur. At q; hæc est oraculorum Dei summa, quã Moses & prophetæ usq; ad patefactionem Christi persequuntur.*

Concrescat in pluuiam.] *Qui cœli & terræ meminisset, iam pluuiæ & roris cœlestis, atq; herbarum terrestrium meminit, suam doctrinam pluuiæ & auditores herbis comparans. Qua comparatione in Exordio carminis cœlis & terra in testes*

testes uocat is opiat, ut oracula sua instar pluuiæ fructiferæ non in silices, saxa, arenam, sed in gramina ac sata, hoc est in animos tractabiles ac sequaces destillent, fructum suum afferentia. Hic ortus, natura atq; usus cœlestis pluuiæ & roris ex libro de Origine mundi degustanda sunt.

Quia nomen Domini inuocabo.) O uos cœli & terra, quoniam appellabo nomen Dei aduersus scelleratos, tribuite magnitudinem iusticiæ & bonitatis Deo, qua filij degeneres per defectionem parentem suum spoliarunt. sic alibi de cœlo: Cœli enarrant gloriam Dei. item: Laudate eum cœli & terra, uos coram quibus hoc carmen quod testimonium contra rebelles dicat, recito, mecum asserite gloriã iusti iudicis Dei, cuius omnia opera integra sunt, ut sequitur:

Dei.) צור id est petra uocatur Deus, à firmitate ac constantia consilij & iudicij. Qui est petra illa de qua Apostolus. Petra erat Christus: & is de se: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Nam Messias est firma illa petra cui pater omnem iudicandi facultatem dedit.

Perfecta opera.) non corrupta, ut iudicum terræ.

Et omnes uiæ eius iudicia.) Cuius rationes in iudicando quas seruat, omnes rectæ sunt & æquæ. Tale sonat in loco משפט. Coniungit cum fortitudine & constantia iudicis Dei iusticiam ac æquitatem. Sic etiam uates: Deus rex iustus & fortis. Quod si igitur uobis, ô rebelles, calamitates accidisse, uestro uitio & iusto Dei iudicio uobis accidisse, existimare debebitis. Inuenias iudices iustos, sed qui aliquando præ metu & imbecillitate animi uim non persequãtur. Deus uero & iustus est, et ea fortitudine præditus ac potentia, ut constantiã suam in iure dicendo tueatur.

Deus fidelis.] fidus, non fallens. cuius sententia ut iusta est, ita etiam certa sit quæ ne ue fallat, ne ue fallatur. Laus iudicis Dei à constantia, æquitate, innocentia apta ad deterrendos Israelitas à rebellione, & ad testificandum de iusto in illos Dei iudicio.

Peccauerunt.) Narratio uitiorum rebellis gentis. In uerbo שחת corruptio ac labes notatur perfidiæ, aduersa integritati, quæ in fide cernitur. ferè usus uerbi Hebræi est, ubi perfidia ac idololatria agitur. Itaque Paraphrastes, דבלחו לטעותא.

Et non filij.] ut degenerantes ab ingenio patris sui Dei, de quo iam præcessit: Deus iustus, incultus atq; rectus. Contrà hic de degenere sobole: Perdita, profligata q; natio. Eadem reprehensio ad imitationem Mosaicam legitur apud Iesaiam: Audite cœli, & auribus percipe terra: Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Amplificatur scelus Israelitarum ex locis personarum. Gravis noxa est, si in Deum delinquatur ab homine: sed grauior, si à filijs magna cura educatis. Hinc expostulatio illa apud uatem nata: Si Dominus sum, ubi est metus mei? Sin pater, ubi honor ac reuerentia?

Generatio praua atq; peruersa.) peruertens opera legis, & ordinem mundi. Sic paraphrastes Hierosolymitanus etiã דשני עובדרי ראן סדרי עלמא אשתני עלוי. seruatur autem ordo mundi & eius leges, seruata innocentia.

Hæccine reddis.] Exprobratur ingratitudo, enumeratis beneficijs.

Populestulte) iudicio expetendi bona, & fugiendi contraria, post acceptam etiam legem quæ rationem bonorum & malorum docet, carens. Sic paraphrastes, דקבילו אורייתא ולא חכימין.

Pater tuus.) Præcessit: Non filij. Duplici nomine se patrem declarat: uno, quòd gentem hãc creauit: altero, quòd creatam sibi comparauit ex reliquis populis formandam suis oracul is ac legibus. Quæ conformatio in קנה notatur. Itaq; Græci, ἐπλάσε.

Memento dierum antiquorum.) Exprobrat ingratis uetera beneficia.

Quando diuidebat.] A diluuio.

Altissimus.) Opponitur hominibus terram incolentibus עלירין. Deo, in cœlis, hominibus in terra uersantibus. In uoce altitudo potentiæ & sapientiæ diuinæ omnia in hac rerum uniuersitate immutabili decretorum suorum ui moderantis, declaratur.

Gentes.] per uarias terræ partes dispersas, quæ ut cœlo, ita ingenijs, corporibus, linguis, uictu, moribus inter se dissimiles essent.

Pro numero Israelitarum.] Vel quia septem Chananæis gentibus tanta terræ portio tributa est, quanta suffectura erat Israelitis: uel quia hac lege distributa sit cæteris nationibus terra, ut certi essent Israelitarum termini, intra quos sacra gens Dei cultu & oraculis celebris se contineret, extra quos omnia profana forent. Duo ergo hic intelligimus: Vnum est, Dei opus fuisse dissipationem ac diffusionem generis humani in omnes orbis terrarum fines. Alterum, præcipuam curam Israelitarum habitam, cum gentibus suas possessiones Deus partiretur, cuius operum finis sint illi. Postremò intelligimus ex hoc loco dissipationem nationum, quæ ad eorum superbiam qui Babyloniam turrim extruere moliti sunt, mulctandam à Deo inuenta est, ab eodem illam & ad suam gloriam illustrandam, & ad salutem Israelitarum comparandam, conuersam esse. Sic enim legimus hic: Constituit terminos nationum pro numero Israelitarum. & in Actis: Præfixitq; terminos habitationis eorum ut quærerent Deum, si fortè palpent eum, diuinitate eius in cœlo, terra & abysso clarè apparente. Dispersas autem gentes, ut ex his aliquando electi in regnum cœleste, impleto eorum numero, congregarentur. de qua cõgregatione his uerbis Dñs: Et congregabit electos à quatuor uentis terræ.

Pars autem Domini.] *Notatur ad hæreditatem diuinam solos Israelitas pertinere. Depositio typo, occurrunt scripti in libro uitæ.*

Inuenit eum in terra.) *Modo palabundi pecoris errantem nactus est, quem præeunte splendore suo in uiam reduceret. A circunstantijs uastæ solitudinis, inaccessæ, feralis, populi errantis et omni humana ope distituti collatum beneficium amplificat ad augendam ingratitudinem.*

Circumduxit.] *non rectà proficiscentem in Chananæam. De erroribus quadraginta annorum uideris suprà.*

Docuit.) *tradita per Mosem lege in monte Sina, ut pariter & animus ab erroribus liber esset, & corpus à suis malis. ut sequitur:*

Et custodiuit.) *à serpentibus & hostibus à fame & siti.*

Quasi pupillum oculi sui.] ἀνθρωποπαθῶς *Deo pupilla oculi tribuitur. Sic apud uatem: Qui enim tetigerit uos, tanget pupillam oculi sui. Nulla corporis pars magis obseruatur, quæ media oculorum fenestra cornea fenestratur pupilla, ut aduersus obiter incursantia ac incidentia bene defensa sit, atq; oculos Deus tenuibus multisq; membranis composuit, callosisq; in extremo tunicis, ut tuti contra calores & frigora essent.*

Sicut aquila prouocans.] *Similitudo ab aquilis sese supra pullos suos ubrantibus, & pabis alis exceptos pennis suis tollentibus, præterquam quòd hæc uolucris pullos suos summo studio & amore prosequitur, etiam hoc nomine nobilis est, quòd præ cæteris alitibus, sublime fertur, sursumq; in cœlestem locum uolans, maximè procul ex alto æthere acutissimè inferiora uidet. accedit ad præstantiam eius, quòd eam dracones metuant, qui crepitu alarum eius percepto, statim se in latebras abdunt. Fertur item recto uolatu in sublime ferri, alijs uolucribus rectam uiam flectentibus. Nõ commemoro ut hæc auis inter pullos suos delectũ habeat, non ferens eos qui solis splendorem tolerare nequeant. His perpensis similitudinem ad rem facilè accommodaueris.*

Deus solus dux.] *per nubem & columnam igneam. Vt legitur in Exodo: Dominus antecedebat eos interdiu in columna nubis, ad ostendendã uiam: noctu in colũna ignis, prælucendi causa. Accommodatio similitudinis.*

Et non erat cum eo.) *Stat enim illud: Gloriã meam alteri non dedero. Cõmendatur beneficium quod solus Deus dederit.*

Constituit eum.] *iã in deserto deiectum. Manet in similitudine aquilæ sublimè uolantis.*

Super excelsam terram.] *Mysterio noto, quod crucis mysterium est in Israelitis adumbratum, in electis autem patefaciendum extremis temporib. præeunte duce Christo, de quo Apostolus: Humilẽ præbuit semetipsum. Quapropter & Deus illum in summam extulit sublimitatem.*

Mel de petra.] *Montes indicat plenos mellificantibus apibus & oliuis, quarum quædam genera in macro solo seri solent.*

Filiorum Basan.] *arietum in Basane monte terra Oggi regis nutritorum. Aut pingues sonat: nota figura. Filij pinguedinis pro pingues ac optimi: ut filij pacis, pro pacifici: & filij mortis, pro exitio ac morti destinati.*

Cum medulla tritici.] *Ad uerbum: Cum adipe renũ tritici. Adeps renum tribuitur tritico. in animantibus pinguissimi renes dicuntur esse. Vnde tropus mutuatus.*

Et sanguinem uuæ.) *Comparat uinum sanguini. Sic à ueteribus uinum sanguis terræ appellatum. Androcydes porrò ad Alexandrum Magnum scripsit intemperantiam eius cohibens: Vinum potaturus rex, memento te bibere sanguinem terræ. Commemoratur hic terræ promissæ proceritas & fructus, mel, oleum, lac, butyrum, frumentum, numum, animantium caro. At ut hæc bona umbram uerorum bonorum ostenderunt, ita tantum abfuit ut eis Israelitæ meliores fuerint redditi, ut etiam deteriores euaserint, sicut sequitur: Incrassatus est. Recte igitur Apostolus de nouo fœdere: Quòd præstantioribus promissis sanctum est. item, Lux umbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.*

Incrassatus est dilectus.) ישרון. *Quem rectum esse conuenicbat ex fœderis cum Deo initi conditionibus.*

Recalcitrauit.) *excusso iugo legis diuinæ. Illustrandus est locus exemplis, quæ uaria ex historijs occurrunt. Commemoratis beneficijs repetit reprehensionem ingratitudinis.*

Dilatatus.) בשׁית, *de farctis ac obesis, quorum corpora pinguedine obducta sunt. Est* בשׁח *indicadem quod* בסה מגרן בחלבן. *Iobus: tur insolentem rerum affluentia & luxu pertum euasisse.*

Dereliquit Deum.) *dijs alienis susceptis.*

Et recessit.) ריצבל *despectui ac stultitiæ habuit. Notatur ueteris & animalis hominis ingenium de quo illud: Animalis homo non accipit ea quæ sunt spiritus Dei, stulticiæ siquidem illi sunt. Obseruanda hic gradatio, insolescere præ luxu ex rerum copia nato, recalcitrare, deficere ad deos alienos, res diuinas stulticiæ ducere.*

Adeò.) *Non leue numen contemptui habitum, sed fortissimum quod solum seruet. Quod numen ueræ salutis, Christi Iesu est, de quo illud: Petra autem erat Christus. Cum* צור, *id est petra hac retè coniũctam legimus salutem* ישׁיעתו. *De qua mirum angelus Dei ad Mariam: Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis. Hanc petram ut reliquerint & abnegarint, declarat Daniel: Et post hebdomadas duas occidetur Christus & non erit eius populus qui eum negaturus est.*

Per deos alienos.) Qui צור *salutis non sint, in uer-*

in uerbo יקנאתי notatur zelotypia & obtrectatio, qua afficitur cœlestis maritus Messias in adulteram sponsam suam. De hac defectione ad alienos petra ipsa apud Ioannem: Si alius uenerit nomine suo, illum recipietis.

Dijs quos ignorabant.) eorum usu nullo percepto. Contemtione ingratitudinem exauget, deos alienos cum uero illo Deo comparans.

Vidit Dominus.) Instituitur facta accusatione iudicium.

Abscondam faciem meam.) subtractis ab eis oraculis meis, regno & sacerdotio, ut habet Oseas: Quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine ara. Quo tempore oppressi malis cũ clamauerint ad me, nõ exaudiam eos.

Et considerabo nouissima eorum.) relictis eis in uarijs calamitatibus, quas dispersi in nationes ferent. Affectus irati in liberos rebelles patris exprimitur.

Generatio enim peruersa.) Repetit capita accusationis, ad confirmandam sententiam in rebelles ferendam. התהפכת opponitur ישרדן.

Et ego prouocabo eos.) Talionis pœna.

In eo qui non est populus.) gentibus susceptis in fœdus meũ, qui à fœdere alieni fuerant, Israelitis repudiatis, quos fœdus diuinum complexum fuerat. De qua irritatione uideris in epistola ad Romanos: ut deos alienos non deos, sic qui eos colunt non populum appellat.

In gente stulta.) carente oraculis meis, in quibus solus sapientia uera uersatur.

Ignis succensus.) Vehemens ira notatur omnia consumens, ignis uidelicet seueri iudicij de igneo & flammeo throno in contumaces immisso. de quo throno illud: Thronus eius flãmæ ignis, rota eius ignis accensus. Flammeus ignis rapidusq; egrediebatur à facie eius, & de eo qui in throno igneo sedet, quem hic prouocasse ad iram accusatur, & oculi eius flamma ignis.

Et ardebit usq; ad inferni nouissima.) Etiã in mortuos diuinam iram sæuituram, inferni & abyssi uictore Christo, quem repudiarunt, in inferno eos persecuturo, & ita neq; uiuis, neq; mortuis pacem futuram. Si literam sequare, imæ terræ ac depressæ partes accipiuntur igni diuinæ iræ uastandæ. omnia in terra Chananæa perdenda, infera & supera, excelsa & ima, ualles & montes.

Deuorabitq; terram.) Chananæam. quæ in quam solitudinem ac uastitatem redacta sit, ab ultimo exilio satis manifestum.

Et sagittas meas.) Notantur & à diuina ira immissæ instar telorum calamitates, à proposito scopo non aberrantes, sed certò ferientes sceleratos.

Aues.) רשף similiter paraphrastes pro עוף morsu auium absumendos. Alijs febres sunt aut ardores corpora conficientes.

Cum furore trahentium.) Serpentes etiam immittendos, qui humi serpentes noxium uirus affundant. רחלי à pauore appellati, quem hominibus incutiant. Hæc est execratio serpentium, ut puluerem terræ humi prostrati lingant pro cibo. His obnoxios fore Israelitas prædicit, qui Christo contempto cœlesti homine, terrenos homines agere studeant. Quis draco & serpens significetur, satis notum.

Gladius.) Sagittæ explicantur, fames, febris, pestis, bestiarum incursus, gladius hostilis.

Et intus pauor.) intra mœnia urbium.

Et dixi, Vbi nam sunt.) Per occupationem occurrit ijs quæ obijci possent de hostibus & fœdere. Sententia est: Statueram eos ita perdere, eorum ut memoriam ex hominibus delerem, nisi uererer ne hostes huius rei gloriam non mihi, sed sibi tribuerent. Duæ igitur causæ afferuntur, cur Israelitas populũ suum Deus profligare funditus nolit: una, hostium superbia est, ne si elati animo deuicto rum Israelitarum gloriam sibi uendicẽt, Deo detra hant. Altera causa, misericordia, & fœderis semel iniri fides. de qua causa mox infrà: Et suorum miserebitur. Et de fœderis fide Apostolus: Secundum electionem autem dilecti propter patres. Cæterùm אפאיחם est in omnes terrarũ angulos dissipare ac dispergere. Nota est uox מאח. Intueamur Iudæorum in hoc exilio statum. Noster uertit, Vbi nam sunt?

Manus nostra excelsa.) Vt de se iactauit insolenter Assyrius: Fortitudine manus meæ feci. Sic sub typo Nabuchodonosoris gloriatur hodie suã potentiam ostentans aduersarius ille Christi.

Gens absq; consilio est.) Alij hostium Israelitarum stulticiam notari, alij Israelitas perstringi uolunt.

Vtinam saperent.] Nonnulli optare hic uolunt Deum primò hostes Israelitarum cognoscere propter scelera sua hanc gentem in ipsorum manus traditam: deinde uictoriam de ijs, quos ob improbitatem plectit, diuina iusticia partam, nefas esse alijs ascribere, quàm Deo iusto iudici, cui turpe sit, etiam hostiũ iudicio, alios deos pares æstimare. atq; hæc qui intelligunt, prudentes esse: qui uerò non intelligunt, imprudentes & stultos.

Quia Deus uendidit eos.) Ob perfidiam, in quam animaduerteret non ut hostes de uictoria superbè se gererent, dijs suis gloriã dantes, quæ uni Deo danda sit, ut sequitur:

Non est Deus noster ut.] Cui uni omnis gloria iusticiæ, potentiæ & sapientiæ debetur. Verba Mosæ.

Vt dijs eorum.) qui ob uanitatem nullã neq; redimendi suos cultores, neq; ulciscendi eorum à quibus coluntur, hostes, laudem mereantur.

Et inimici nostri sunt iudices.) A testimonio hostium quod maximum censetur. Sic experti sunt Aegyptij deos suos pares nullo modo Deo Israeli-

tarum esse, confitente Pharaone ad Mosem: Dominus iustus, ego autem & populus meus impij. Senserunt item uim potentiæ Israelitici Dei, Assyrij, una nocte tot milibus eorum ante Hierosolymam extinctis.

De uinea Sodomorum.) Redditur causa sumendæ de rebellibus pœnæ. suprà legitur: Et quidem decreuerã eos perdere, nisi uererer ne hostes, &c. hic uerò: Nam de uitibus Sodomanis, illorum uites sunt. id est, uitijs imitãtur Sodomanos & Gomorranos. Similiter apud Hieremiam Dominus: Facti mihi omnes ut Sodoma, & habitatores eius ut Gomorra. Eodem modo uates Iesaias illos notat: Audite uerbum Domini, & principes Sodomorũ percipite legem Dei nostri populus Gomorræ. At sunt qui de hostibus Israelitarum hæc interpretantur, eos Sodomanis & Gomorranis similes esse. sed altera sententia, in qua nullum est periculum, communior est ac receptior.

Vua fellis.] Manet in similitudine uitis. Studia eorũ fellea esse et urulẽta. Qualis uitis sunt, tales uuas ferunt, uino ex eis expresso nõ dulci & suaui, sed felleo uirus draconũ repræsentante: quos in sitos Messiæ uiti illi cœlesti, laudatas uuas ferre decebat. Et ut felleas uuas ferũt, ita felle potantur, ut est apud Ieremiam: Potabo eos felle.

Nónne hæc condita sunt apud me.) Verba Dei sunt. Accipitur uel de sententia, qua suo tempore sit castigaturus rebelles: uel de uino felleo recondito in decretis, quo illos sit potaturus. Verbũ במס nusquam aliàs reperias.

Et signata in thesauris meis.] Certitudo oraculi de puniendis Israelitis, hoc in fatalibus decretorum suorum cellis obsignatum esse. Notantur libri iudicij diuini, in quib. & scelera & sententiæ in scelera ferendæ, scriptæ sint.

Mea est ultio.) ut iusti iudicis, q ut præclarè facta præmijs orno, ita scelera ac malefacta punio.

In tempore.] in decretis meis constituto, ut sunt mihi certa & seruandi & perdendi & ea ineluctabilia momenta proposita.

Vt labatur pes eorum.) tum de eis ultionem sumendam, sic labentibus, ut consistere nequeant. indicantur in oraculo tempora, quibus in Romanorum potestatem redacti sunt, eorum templo incenso, terra uastata, ipsis in exilium actis.

Iuxtà est Deus perditionis.] Quantum defluxerit tempus ab eo, quo Moses hæc oracula exposuit, usq; ad hanc postremam calamitatẽ in quam Vespasiano Imperatore inciderunt, Chronica indicant.

Iudicabit Dominus populum suum.) incipiente iudicio Dei à domo Iacobeorũ, quos iudicãdo purget, non consumat: seruet, non perdat.

Et seruorum suorum miserebitur.) seruata fœderis fide. de qua in Leuitico: Et recordabor fœderis mei. Locus clarus de reconciliatione Israelitarum, hos expletis temporibus repudiationis reditu-

ros ad meliorem frugem, & agnito Messia reconciliandos Deo. Qua de re suprà & aliàs sæpe. Sed quo tempore Deo reconciliabuntur? Sequitur:

Videbit quòd infirmata sit manus.) Cum uidebit Deus clementiæ suæ oculis eos defectos robore, sic pro more cũ suis agente Deo. de quo more mox: Ego occido, & uitam restituo: uulnero, & sano. Locus consolatorius, Deum ope sua tum maxime præstò esse, cum omnia uidentur accisa & desperata. Exemplo Israelitæ figuram electorum gerentes.

Et dicet.) hostis, quẽ inducit ludibundè insultantem misero populo: Vbinam est eorum Deus, cui tem confiderunt? Hostium Ecclesiæ arrogans insultatio hic tectè designata nota est. Quòd si etiã ad Deũ loquentem hæc uerba referas, nullum sententiæ erit periculum.

Quod sim solus.) Qui oppressos & deiectos Israelitas leuare possim, quod temporib. quib. rerũ copia affluebatis, agnoscere noluistis. Vsus crucis & eius mysterium indicat. de quo sequitur:

Ego occidam.] in morte uitam, in uulnere sanitatem, in inferno cœlum, in opprobrio gloriam me electis meis moliri atq; expedire, cõtrà quàm hostes existimant.

Leuabo ad cœlũ.] Iurantiũ, qui manus in cœlũ iurantes tollunt, habitum Deus sermone hominum loquens, sibi tribuit. Iureiurando interposito confirmat se hostes Israelitarũ ulturum. si mystici Israelis typũ remoueas, nostris temporib. ecclesia electorũ tyrannide aduersarij oppressa, magnam consolationem accipiet.

Et arripuerit iudiciũ manus mea.] tempo-ribus afflictionũ orbis terrarũ iudex ipse Dñs noster apud Matthæũ: Erit tunc afflictio tãta quãta nõ fuit ab initio mundi ad hoc usq; tẽpus, neq; fiet. Quæ tempora Hebræi uocãt חבלי משיח et Malach. חרם הארץ. Horũ tẽporũ initia tã sentimus.

Hostibus meis.] sic Israelitarũ hostes uocat propter fœderis communionem. Hostibus inquam qui arroganter gloriantur: Manus nostra excelsa, non Dominus fecit hæc omnia.

Sanguine.] hostium Israelitarum.

De cruore occisorum.) Propter interfectorũ Israelitarum sanguinem, propter captiuitatem in quam duxerunt miseros, incipiam à capite iniurias quas hostes et eorum maiores Iacobeis intulerũt, ulcisci, atq; id esse בראש פרעת אריב. Hoc est, Ecclesiæ electorum hostes miserè tandem pereuntes, & electos liberandos.

Laudate gentes populum eius.) Acclamatio, qua carmen cõcludens gentes oleastrũ hortatur ut oliuæ naturalis restitutionem celebrent, temporibus patefactionis Messiæ. הריעו non est leuiter laudare, sed alta uoce more præconis prædicare.

Et propicius erit terræ.] quæ tot seculis ob iniquitatẽ Israelitarũ inculta & deserta iacuit. Similiter in Leuitico: Terræ quoque memor ero. Diuini spiri-

spiritus consilium, subducta figura, sapientibus notum. Hactenus de oraculari carmine.

Venit ergo Moses.] cõuocans Israelitas ad tabernaculum, locum concionum diuinarum.

IN CAPVT XXXIII.

Haec est benedictio.] Fausta hæc precatio suũ exordiũ, narrationẽ & epilogũ habet. de quibus partib. ordine. Huc uocãda sunt quæ in Iacobi testamento exposita sunt.

Homo Dei.] ut qui ꝓpheta ac sacer Dei uates esset. Itaq; paraphrastes גבריא דיי. quo epitheto cõmendatur hæc præsens oracularis benedictio.

Dominus de Sina uenit.] Exordium quo oper ibus præclaris Dei explicatis in Israelitas editis, ad precationem uiam munit. Sinæ montis meminit in quo apparuerit, & legem dederit. pro Venit igitur paraphrastes איתגלי.

Et de Seir ortus est.] Vbi peragratis mõtanis Esai, bella feliciter cum Oggo & Seone regibus gesta sunt.

Apparuit de monte Pharan.] Vbi Moses cornices promisit populo flagitanti carnes, quibus etiã integrũ mensem sunt usi. Nec nõ ad Seirẽ mõtẽ Deus Mosem allocutus iussit serpentẽ æneũ fieri cuius aspectu lætale serpentũ uirus depellerẽt. de quo beneficio in Numeris. illic quoq; Septuaginta senatores sacro spiritu donati sunt, qui cum Mose administrandæ reip. curã partirentur. Aut in hũc modũ apparuisse Dñm Israelitis aduersus Seonẽ et Oggum reges Amorræorũ aduersus Madianitas cũ bella cum his peragratis montib. Seire & Pharane gereret. Quam interpretationẽ cõfirmat illud quod in Iudicũ libro legitur: Dñe cũ exires de Seir & transires per regiones Edom, terra mota est. In quibus uerbis בישל מל חמרות indicatur. Cæterum mons Pharan cum deserto eiusdẽ nominis, ditionis Ismaelitarum erat. Vicinorum inter se montium meminit, Sinæ, Pharanis, & Seiris.

Et cum eo sanctorum millia.) Notantur genij cœlestes cum quibus apparuerit in tradenda lege. Sic enim de his Apostolus: Lex ordinata per angelos. Numerantur autem hic non pauci angeli, sed multa milia. sic enim de legionibus angelorum Dominus meminit. & Daniel uates, multa millia geniorum Christo sedenti in throno igneo per igneam legem, quæ hic promulgata dicitur, iudicium exercenti assistere, & thronum eius circumstare fatetur. Sunt qui exercitum Israeliticum indicari hic interpretantur, quem sacras copias uocant, ob quas tanto cũ splendore apparuerit Deus. Vt per ignem in monte Sina fulgentem tradita lex fuerit, ex Exodo notũ. Perpendenda hic dextera qua lex, nõ sinistra ꝓmulgata est: perpẽdenda itẽ igneæ legis natura, quam functio ostendit. Deum ad dexteram suam, non ad sinistram, igneam disciplinam tenere, quo regantur Israelitæ. Lex hic igneа dicitur, quæ ueniens ad Messiam, eius Euãgelij aqua temperatur, ut reddatur salutaris. Moses igitur per ignem uenit, Christus per aquam & sanguinem calorem igneæ legis extinguentem, leni peccatorum remissione facta. quæ cum abesset, lex igneo iudicio conscientiam infestabat. In qua ignis ille cernitur paratus maledictis, de quo Mßias ipse: Ite in ignem æternum.

Dilexit populos.) qui charitas sit, ut est apud Ioannem: Deus charitas est.

Omnes sancti in manu illius sunt.] Hebr. Omnes sancti eius in manu tua sunt. Apparet igitur Christũ hic significari, cuius sancti in manu patris sint, hoc est tutela ac cura ex qua nemo illos eripiat.

Et qui appropinquant.) תכר Alijs prosterni est. Et ad pedes tuos supplices ꝓsternuntur, te ut Dominum adorantes. alijs בחברי non dissimiliter nostro: Adhærent pedibus tuis. hoc est, sequuntur te quócunq; ducis.

Accipient de doctrina illius.) oraculis tuis diuinis, nõ hominum decretis nitentes: quæ unica est nota sanctorum.

Legem præcepit nobis Moses.) tanquã intercessor ac arbiter noster. de quo suprà Apostolus ad Galatas: Lex ordinata per angelos in manu interceſſoris. Dominus igitur ut princeps legislator, angeli ut administri, Moses ut interceſſor, legem igneam reip. Iacobeorum tulisse dicuntur.

Erit apud rectissimum rex.) Inter æquos et probos Israelitas uersatum Mosem ut regem, cum remp. constitueret, capita populi pro re nata colligeret, ut de eo suprà legitur: וחסחיל אלי. Submota umbra ueteris fœderis, occurrit Christus regnãs per legem spiritus sancti, inter probos, hoc est cœlestes et spiritu regenitos Israelitas, & cõgregans capita populi de quibus Ioannes: Procidunt uiginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorant uiuentem in secula seculorum.

Viuat Ruben.) Narratio faustæ precationis. Benedictio Rubenis hic exprimitur, non item tam apertè in Genesi à Iacobo, ubi eius scelera exponũtur, hic prætermissa.

Et non moriatur.) Ex numero tribuum propter facinus in patrem commissum Rubeniam tribum nõ delendã. Paraphrastes, יחי ראובן בחיי עלמיא ומיתתא תגיבא לא ימות. Vbi duplicis mortis meminit, quomodo & Ioannes in Apocalypsi sua prioris & secundæ mortis mentionem fecit, cum dicit: In ijs secunda mors non habet potestatem.

Et sit paruus in numero.) In Genesi legitur אל תיתר, id est non excelles cæteros uidelicet fratres dignitate: hic, Sed erit numero paucus. Indicat igitur et amplitudine imperij et numero inferiorẽ cæteris tribubus fore Rubeniã, amisso ab hoc primogenituræ, cui lege cõmuni sacerdotij & regij dignitas debebatur iure. Sunt qui אל repetentes in hunc modũ: Et non sit paucus numero. Nam hic benedictionem agi, non maledictionem.

Hæc est Iudæ benedictio.) Oratio oracularis Mosæ ad Deũ, ut is exaudiat Iudam hostib. inferen-

tem bella, & eum iucolumẽ ad ſuos reducat, Notũ eſt ut reges Iudæ oratione & fide hoſtes ſuos uicerint. Sic oraſſe Dauid legitur, ut rediret incolumis ab hoſtib. ſuis: ſic oraſſe Ioſaphat, ut ab Ammonitis: ſic Ezechias, ut ab Aßyrijs liberaretur. Moſes ergo hic ad locũ cõmunem reſpicit orãs, Exaudi oratione Iudæ, qui eſt, uictoriã ſanctorũ conſiſtere in fide & precatione. In Geneſi bellica fortitudo Iudæ à Iacobo catulo leonis, generoſoq; leoni cõparatur: neq; huius imperium ceſſaturum, donec ueniat ſoſpitator mundi Chriſtus familiæ Iacobeæ rex æternus.

Manus eius pugnabunt proeo.) Alij in hũc modum, Sua ei manus ſatis erit Domino aduerſus hoſtes eius auxiliũ ferente. Significat regno hanc tribũ inclytam & numinis Dei præſentia propter templũ & ſacerdotiũ inſignem fore. Itaq; ſequitur de Leui mentio, quæ tribus ſacerdotes dedit Hyeroſolymis uerſantes morum integritate & doctrina commendatos.

Perfectio tua & doctrina.) De Thumim & Vrim in Exod. 28. quæ uoces in pectorali pontificis erant inſcriptæ. Quarum altera integritatem, altera lucem in doctrina fulgentem ſignificabat.

A' uiro ſancto tuo.) De Moſe intelligũt. Per quem Deus Leuiticã tribũ ſacerdotio ornarit, atq; hunc ſemel in Deum deliquiſſe hic dicitur, cum ad aquam contentionis Deum per diffidentiam his uerbis tentaret: Attendite contumaces, num uobis aquam ex petra hac eliciemus? quem conueniebat Deo gloriam potentiæ in ea re dare, neq; de ea quicq̃ dubitare, qui toties diuinã uim expertus fuiſſet. חסיד notũ uerbũ eſt clementem ac benignũ ſonans, quam laudem Moſes Dei teſtimonio tulit. Sic enim in Numeris legitur: Erat autẽ Moſes uir omnium mitißimus. Sunt qui חסיד de Domino ipſo intelligũt, hoc eſt de Chriſto, cuius ſint uerè Thumim & Vrim ut ueri & cœleſtis pontificis, quem Moſes ad aquas iurgij laceßiuerit. Adhibendũ huc iudicium de dignoſcenda umbra & re adumbrata. Nam certum eſt de Chriſto uaticinari Moſem, ſed pro ratione ueteris fœderis occultius & tectius. Si Moſem ſpectes, is ille benignus uir eſt tã patiẽter ferens contumacẽ gentẽ à quo Leuiticæ tribus Aaronia familiæ Vrim & Thumim accepit. Sin Chriſtũ, is clemens ille agnus eſt & mitis, qui in pectore ſuo integritatem (de qua Vates, Eo quòd ſcelus nõ fecit) et claritatẽ ſapientiæ (de qua ille idẽ: Et ſciẽtia ſua iuſtifibabit ſeruus iuſtus meus multos) gerẽs, pro ueris ſacerdotib. agnoſcit eos de quib. ipſe his uerbis: Omnis qui reliquerit domũ, aut fratres, aut ſorores, aut patrẽ, aut matrẽ, aut uxorem, aut liberos, aut agros propter nomen meũ, &c. item: Qui fecerit uoluntatẽ patris mei, is meus frater et ſoror & mater eſt. itaq; ſequitur:

Qui dixit patri ſuo.) Si literã ſequare, cõſtat de Leuitica tribu, ut hæc ex præcepto Moſe, ppin quis nõ parcens pœnas ſumpſerit de cultorib. aurei ututuli. In Exodo enim ſic ſcriptum eſt: Ponat quiſq; gladiũ ſuper femur ſuum, & occidat fratrẽ ſuum, Item extant exẽpla eorũ qui liberos ſuos tẽpliculi tui ſacrarunt. ut de Samuele cõſtat ab Hanna Deo dedicato. Sin uerò ſacerdotes noui fœderis conſideres, quos Chriſtus commendet, indicatum.

Iudicia tua ô Iacob.) Leuitas ſacerdotes iuris diuina Iacobeos & legẽ docturos, legumus hic, Iura tua, legẽ tuã, nõ humanas doctrinas & leges. & de ſuis Leutis Chriſtus: Docentes eos ſeruare omnia q̃cunq; præcepi uobis. Perſonas igitur hic Moſes cõmendat, adhibita fauſta precatione, quarũ uitia deteſtatus eſt Iacobus in ſuo oraculari teſtamento cũ dicit: Deteſtabilis furor & effrenata ira eorũ. In electis ergo ſcelera in Meßia eis cõdonanda à perſonis ſeparanda ſunt, in repudiatis comungenda. Quæ ſumma eſt ſanctorũ conſolatio. De officio ſacerdotali aliàs, quod cernitur in docẽda lege Dei & ſacris faciendis. Alterum munus indicatum, alterum ſequitur.

In furore tuo.) Nares Hebræus habet. Narib. Dei admoturos ſuffitũ. Reſpicit ad flagrantẽ odorem ſuffitionũ gratũ diuinis narib. Depoſito typo quæ incenſa Chriſto Deo placeãt à cœleſtib. ſacerdotib. facta, declarat illud uatis, Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in cõſpectu tuo. De quibus item Ioannes: Et aſcendit fumus incenſorum de precibus ſanctorum è manu angeli.

Et holocauſtum.) Præcipui ſacrificij meminit.

Benedic Domine.) memor ſacerdotalis gentis tuæ. חיל uires, fortitudinẽ, facultates, quæ huc congruunt, notat. Vt ſacerdotio ornaſti Leuitas, ita etiam ad iſtud conſeruandum, opes illorũ quæ cernuntur in primitijs & decimis, fortunato.

Suſcipe.) תרצה, id eſt fauc eius ſtudijs & operib. docẽdi munus ut id grauiter & fœliciter peragant, beneuolentia tua promoue. Rerum proſperè gerendarũ caſus ac euentus pendẽre ex diuina uoluntate, nõ ex humana induſtria ac deliberatione.

Percute dorſa inimicorum eius.) Elumbandos hoſtes eius, quod eſt מחץ מתנים, noto tropo. Hoſtes uarij accipiuntur ſacerdotũ, interni & externi. Interni quidẽ erant impij reges & falſi prophetæ, externi cõmunes Iſraelitarũ hoſtes. Et Græcorum temporib. Machabæorum, qui ex Leuitica gente nati erant, res præclarè geſtæ monumentis literarum cõſignatæ ſunt. Quos hoſtes noui fœderis ſacerdotes habeant, ſatis manifeſtum.

Et Beniamin.) Significat templũ Dei ac domiciliũ in Beniaminitarũ finib. fore. Nam ut ex Ioſua patet, Hieroſolyma Beniamitis ceßit. Itaq; hanc ob cauſam uidetur Moſes Leuitas cum Iuda & Beniamine cõiunxiſſe, ut qui unà Hieroſolymis eſſent habitaturi.

Ioſeph quoq; ait.) Beniaminem minorẽ natu maior ſequitur. Ambo enim hi ex ſpecioſa Rahele nati ſunt: quæ cuius figurã præferat, alio loco indicatum. Non temerè igitur hic Ioſephus fœlix denunciatur à cœli, terræ, abyßi, monitũ prouentu, ſoliſq; & lunæ muneribus, à pulchritudine & beli-

ſtica fortitudine. Veritas in quo Ioſepho appareat, ſubmoto uelo myſticæ benedictionis, ſanctis non obſcurum.

De benedictione Dñi terra eius.) מבורכת id eſt fortunata à Domino terra eius, id eſt Dei munere fœlix eſt.

De pomis cœli.) מטל, id eſt à prouentu cœli à quo omnis generis fructus terræ, pficiſcuntur. quos cœli temperie, quæ in calore, pluuijs & rore cernitur, gigni diuina benedictione, conſtat.

Atq; abyſſo ſubiacente.) flumina & fontes ſuppeditante ad irrigandum, ortum his ducentibus ex mari. Paraphraſtes igitur : והתחברין דנגדן מבועבוסי ארעא מלרע, id eſt de ſcatebris fontiũ & abyſſorũ fluentiũ de terræ, pfundis infernè,

De pomis fructuũ ſolis.) A prouentu reddituũ ſolariũ. Notat fœtificauis ſolis cũctis in terra gignens, metalla, ſpirpes, animãtia et eorũ fœtus.

Ac lunæ.) quæ frugũ maturitatem iuuat, dum molliore & imperfecta ui humorẽ ſolut atq; etiã auget, quẽ ſolaris caloris uis abſumit, quæq; à ſole illumnata grauiditates et partus gignendiq; maturitates affert. Recẽſentur in myſtica benedictione omia quæ in uetere molitione mundi generãdis rebus diuina ratione deſtinata ſunt, lux, pluuia, ros, fontes: duo maiora luminaria in cœlo collocata, ſol & luna. in noua molitione quæ lux, quæ pluuia, ros, qui uuarũ aquarũ fontes, quæ luminaria cernantur, pijs non obſcurum, & aliàs indicatum.

De uertice antiquorum montium.] Cõmendandam item ab antiquorũ, hoc eſt perenniũ montium & æternorum collium fertilitate. Nihil non fœcundum fore in ditione Ioſephi.

In rubo.) ipſi Moſi, id eſt eius fauore qui ab inito apparuit Moſi in rubo prope Sinam montem, ueniat fœlicitas capiti Ioſephi, & uertici Nazarei, id eſt præſtantiſſimi fratrum. De myſtica nota uideris in Geneſi.

Primogeniti bouis.) Primogenitũ bouem Ioſephi alij de Manaſſe, alij de Ephraimo declarato primogenito à Iacobo, alij de Ioſua accipiunt, alij de Ieroboamo q ex Ephraimẽſi familia natus primus Iſraelitarũ, hoc eſt decem tribuũ rex creatus eſt. ſed hũc qui malis artibus regnũ nactus eſt hic ſignificari, diuina benedictio obſtare uidetur.

Hæ ſunt multitudines Ephraim.) Ephraimo myriades, hoc eſt decem millia, Manaſſæ Chiliades tribuit, huic Ephraimum numero præferẽs. Quod idem fecerat Iacobus. Sic enim in Geneſi legitur: Sed frater eius iunior maior erit illo, & ſoboles eius ꝓpagabitur in gentes. Dicas, ſupra in Numeris plura capita in cenſu reperta Manaſſenſiũ, quàm Ephraimenſium, ad aliud igitur tempus hæc benedictio pertinet.

Lætare Zabulon in exitu tuo.) foris nauicularia faciẽs, qui maris accola erat. Similiter & Iacobus: Zabulõ littus maris accolet et portus nauiũ

Et Iſaſchar in tabernaculis tuis.) quietis amans. Similiter Iacobus: Et uidit requiẽ quòd eſſet bona. Zabulonios mercatus gratia egreſſuros, Iſaſcharianos uerò domi manſuros, ocij ſuauitate & regionis amœnitate atq; agrorum fertilitate illectos. Sic Iacobus.

Populos uocabunt.) cõmerciorũ cõſuetudine inuitandas ad cultum Dei uicinas gentes.

In montem.) Sionem templo Dei clarũ futurũ. Veritas in tempore cernitur de quibus Vates: Et confluent ad eum omnes gentes.

Qui inundationem maris.) Opulentos eos fore ex marinarũ opũ affluentia, ut ſolẽt urbes maritimæ ex mercatu uiuentes cæteris ditiores eſſe.

In latitudine Gad.) Hebræus: Laudatus qui explicat Gadum. Grati animi erga Dñm uox. ברוך in loco celebrare eſt & gratias agere. Græci hic pro ברוך εὐλογητός. Eſt aũt εὐλογεῖν interdum gratias agere, ſicut εὐλογήσας apud Euangeliſtã, pro εὐχαριστήσας. Laus Gadi ab amplitudine ditionis quam regibus Amorræorum ſubactis ope diuina occupauit.

Quaſi leo.) terribilis hoſtib. ſuis. A fortitudine bellica laus. Similiter in Parap. רבני אריא פגריהם.

Brachiũ & uerticem.) Manet in ſimilitudine leonis, feræ quã cæperit brachiũ cum uertice dilacerãtis. Notatur de princip. & regib. reportãda uictoria. Sic paraphraſtes ושלטיבריהם עם מלכיהם.

Et uidit principatũ ſuũ.) Hebræus indicat, Gadum Oggi & Seonis regũ Amorræorũ in palatijs uerſantiũ principatũ ſibi uendicaſſe. Notæ enim ſunt hæ uoces מחקק & מטרן. Significari uolunt principes uiros Gadinorũ Moſem adijſſe de occupandis terris Amorræorũ, quas cum eis Moſes hac lege dediſſet, ut nõ prius ea ditione fruerẽtur, q̃ deduxiſſent fratres in Chananæam, promiſſum præſtitiſſe hic dicũtur Iſraelitis in ſuas poſſeſſiones introductis: ideo hic legi illos iuſticiæ & iuris diuini nuncius obijſſe.

Dan catulus leonis.) Dan cõparatur catulo leonis ex Baſane mõte opimis paſcuis inſigni, exiliẽti. Exemplũ fortitudinis Daniæ in Sãpſone exhibitũ eſt. Iacobus cõparat illũ ſerpẽti et colubro.

Naphthali abundãtia perfruei.) Fauore diuino ſaturum fore. legitur enim שבע רצון.

In filijs Aſer.] A liberorũ auctu, à gratia, ab oleo, ferri, æris copia & à robore laus.

Tingat in oleo.] Superlatione olei affluentia notatur. De Aſere ſimiliter Iacobus: Aſer pinguis panis eius.

Ferrum & æs.] In eius ditione montes æris et ferri fertiles fore, quib. urbes ſuas muniãt. De qua benedictione terræ ſacræ ſuprà: De montibus eius æris metalla fodientur.

Sicut dies iuuentutis tuæ.] רבא fortitudo eſt, quam uocem aliàs non reperias. Totum ut æ tempus robore ætati cõſentaneo uſurũ. Alij aliter. ſed hæc ſententia ut ſimplex probatur etiã paraphraſtes, qui pro רבאה habet תרקפה. Quid enim hic dolor

lor ad benedictionem faccret,in qua bona numerã tur,non mala?

Non est alius ut Deus.] Concludit precatio nem per cõmendationem Dei,& generalem Israe liticæ gentis benedictionem.

Rectissimi.] Deos profanarum gentium Deo Israelitarum similes non esse.Explicat ordine potentiã ac potestatẽ numinis diuini. ישרורן quos notet,ex superioribus notum. Qua uoce admonen tur Israelitæ probitatis.quam deceat ex fœderis di uini iure præstare: deinde Dominum solum probis fauere,non improbis ac sceleratis. Concludit be nedictionem laude Dei,à quo omnia bona in Israe litas proficiscantur.

Ascensor cœli.) רכב id est eũ qui cœlis inequi tat, eos gubernans ac regens, auxiliari Israelitis. Valet hæc Dei laus ad confirmandam fidem sanctorum.

Magnificentia eius discurrunt nubes.)Deũ qui gloriam suam & maiestatem in nubibus declarat, pluuias ex his terræ uberãdæ parans Israelitis suis fauere.Porrò qui suprà prouentuum cœli, roris & pluuiæ meminisset, hic Israelitarũ Dei ipsius cœli,quod calorem lucem,rorem et pluuiam fundit,moderatoris meminit. Non igitur unum genus cœlorum est.Est enim cœlum nubibus & pluuijs destinatum,de quo hic. Est etiam cœlum stellis illustre,quod lucem & motũ rebus infernis præbet.Sunt itẽ cœli in quib. diuinitas uersatur cũ sua luce & spiritu sacro. Quales sunt genij cœlestes, & sancti in terra homines, per quos Deus lucem suam & spiritum diffundit ad ueram uitam impertiendam. De his cœlis uates:Cœli enarrant gloriã Dei.qui locus primò quidem de materiatis illis cœlis aspectabili luce claris intelligitur.sed umbra reducta de Prophetis & Apostolis ueris cœlis, luce perenni Dei & spiritu insignitis accipiendum,etiam pij homines intelligunt. Vnde etiam stellæ homines sancti uocantur. Est postremò cœlum diuinitatis,de quo sequi uidetur.

Habitaculum eius sursum.]Dei habitaculũ מדם hoc est perenne esse, & subter brachia sempiterna,quibus sustenteris,extendi. In sublimi quidem & perenni sede, hoc est in cœlo, diuinitatis Deum tuum habitare.Sed cuius brachia in terram usq; pertingant,quibus ab hostib.tuis undiceris,de quib.uates: Redemisti brachio tuo populũ tuũ.sed ut hæc brachia salutaria sunt Israelitis, ita exitialia hostibus:ut sequitur:Expelletq; ante te hostem, idq; solo uerbo, quæ est eius potentia,confici.legitur enim וירא׳ משבר.Indicatur יהוה Christi uis de qua uates: Et spiritu oris sui interficiet impios capitales sanctorum Israelitarum hostes. Alij aliter, & paraphrastis interpretatio nota. sed hæc sententia quã attulimus uidetur simplex esse.

Habitabit Israel confidenter.]Tutò separatim habitaturũ spe & fide Iehouæ sui munitum. Tenuis umbra sese ostendit regnante Salomone,ueritas cernitur in temporib. Messiæ reconciliatoris.

Oculus Iacobi.]Oculos suos in terram frumenti & uini feracem adiecturos Iacobæos, cœlis adfœcundandã eam rorẽ fusuris.Reducto uelo mystico, occurrunt cœlestes Iacobæi,ex spiritu Messiæ renati, fidei oculos conuertentes ad cœlestẽ hæreditatem fruendam, affluentem uino de quo uates: Venite,emite uinum absq; argento. Quod est unum illud nouũ regni cœlestis, de quo eius dispensator apud Euangelistam: Quum illud bibam uobiscum nouum in regno patris mei. Idem iudicium de frumento, cœlis,& eius rore. Paraphrastes Chaldæus oculum Iacobi interpretatur de patriarcha Iacobo.Israelitas habituros in Chananæa prohe nedictione qua eis benedixerat Iacobus, quamq; tribum suam partem in ea obtenturam,quæ ei sorte diuinitus obuenerit ex prædictione Iacobi.

Beatus es Israel.] Acclamatione amplificat beatitatem sacri populi, per collationem eius cum cæteris gentibus,ut sequitur.

Quis tibi similis?]ut Deo tuo nulli alij potentia & bonitate pares sunt,ita nec ullæ gentes tibi diuinitatis consorti felicitate similes habentur. sed unde hæc tibi beatitudo contigit? Num ea tuæ diligentiæ,iusticiæ,fortitudini accepta referatur?absit.sequitur enim:

Qui saluaris in Domino.]Messia beneficio unico electorum seruatore.

Et gladius gloriæ tuæ.]ne glorieris in sapientia,iusticia,& fortitudine tua.

Negabunt te inimici tui.] fallent te in fraudando,dissimulando,malisq; artibus & dolis tecũ agendo, quod est ריכחשו. similiter Chaldæus ריתכדבון inter benedicendum etiam hostium mentionem facit , qui Israelitis defuturi non sint. Latissimè hæc oracularis benedictio spectat, etiam usq; ad ea tempora,quibus Messia duce sui redimendi gladio spiritus uerbi Dei, satana & filio eius antichristo deuicto,qui ut malis dolis et technis cum Israelitis & gentibus agat,satis manifestum est. neq; deest his eius artibus prosperitas,uelut sub typo Græcorum principis Daniel uaticinatur: Et prosperabitur dolus in manu eius. At nocebunt ne ita hæc mendacia,fallaces technæ & fraudes,electis Dei ut per eas pereant non libere uincendo hostibus tandem superatis? nequaquam. Sequitur enim:

Et tu eorum colla calcabis.] eis subiugum missis. Tenuis typus in uictoria quã Iosua, iudices, reges de Chananæis & uicinis gentibus retulerunt. Veritas expressa in uictoria quã de filio perdito & potestatibus tenebrarum,quibus ille regitur,electorũ ex Israelitis & gentibus Ecclesia imperatore Messia reportabit, uictis inimicis gladio Daniel:Sine manu conteretur per eum qui in femore suo scriptũ habet, Rex regum, Dñs dominantiũ.Cui sit gloria & honor in æternũ,Amen.

Errata.

FINIS.

ERRATA, OPERARVM INCVRIA COMMISSA, SIC EMENDABIS.

Prior numerus paginam, posterior uersum indicat.

Pag.12 uers.2.49 יהרה 3.31 תהי 6.24 *lucis & tenebrarũ* 31 *rebus secundis & aduersis* 48 *affirma*
rint 7.40 חזקים בראי 11.8 *dele aut* 38 *tegat* 12.9 *tenere* 28 יבשח 49 *camporum* 13.35 *iussa*
15.22 Hinc 16.15 *cœli* 21 *illi æther* 17.27 *Hos autem motus* 18.10 ברעדים 19.33 *fœneretur* 25.
31 *diuinitas eius* 36 *in quo planè* 30.27 הקין 37.50 יחרה 40.28 *calore è* 42 *tanquam* 43.1 *gene*
randi homi ũ 44.48 *tanto maiorem* 51 *contineri* 45.6 *ut ex* 38 *humore aeriſq; & ignis* 46.38 *gi-*
gnendæ 41 חיה 47.34 בערן 48.50 *bis terrarũ* 51.11 ἐ φάγεσθαι 52.19 עור 21 *ſuſtinentem* 54.
50 אשח 55.20 *plures uxores quàm unam* 62.16 *audiſſent* 36 *tam diſpares* 64.1 *ſpiritus* 18 *quod*
86.5 *durarũ* 68.40 *memirit* 71.2 *conteret* 73.5 בעבורין 77.24 לילית 78.38 *diuina* 80.4
ex hoc 81.8 *interpretis* 41 ἐκλεκτὸν 85.20 *non* 86.14 ביגיה 87.6 *earũ* 29 *altera parentũ et li*
berorum, tertia inter 91.19 *exemptos* 92.44 *cum corpore* 95.33 *fructus* 43 ארבא 40 מוקדם
רבראהר 96.47 *reſingat* 99.2 *munita* 16 *inducerent* 104.24 *fuerit* 111.24 *pueris* 112.22 *opes*
117.57 *potuit* 126.17 *timuerunt* 131.43 *tunc* 138.33 בארוח 141.38 *iuſsit* 153.10 *præcũte eis* 154.
2 *cauſſa* 144 *capite damnatura ſit* 161.17 *peccata* 162.28 *ceruicibus* 47 *palæſtra* 165.3 *amamus*
168.47 *execrandorũ* 171.52 *quo nos* 174.50 *hoc eſt ea fidei. deleto &* 185.25 *gratioſius* 188.55 *ij*
qui 191.46 *deſtinari* 193.14 *cõſolatione* 212.44 *lectione* 222.55 *ergo* 224.41 *ſit* 236.20 *pro pec*
catis 34 *per excitationem* 227.52 *halitu* 237.16 *cur diuina* 241.36 יחשרח *item conciſe* 242.36 *ca-*
pite 246.39 *fragili terra de. leto. de lege item, congruebat, amiſſa eſt* 247.42 *inſtaurato* 270.28
ארוי 261.11 *fuerunt* 24 בעידך 271.28 דשבש 280.19 *& prudens* 31 *ciuili* 285.22 תורח 25
תירח *pro* בוריה 286.27 *fieri* 287.33 לריתן 290.35 *fidei* 291.9 *ſuis liberis* 295.14 *exceſſerat*
46 *tranſtuliſſet* 296.31 אשח 298.23 עלבוח 33 מאר חר 299.44 גאלתר 56 *locẽtur* 301.4 *noui*
49 *mueret* 303.17 בפתילח 308.40 ביצוק 312.8 בן ק על 317.45 *fuiſſe* 318.1 שמן *uerſu ult. hũc*
325.30 *poſtulatur, lege comprehenditur* 332.4 לגר 333.50 *delectæ* 337.33 מקשרות 18 *dele* מכברות
346.30 *dele qui. & lege exercentes pro exercuerunt* 47 אלחים 365.47 *quæ* 351.3 חארץ 352.16 *di*
ctum 17 *ineluctabile* 3.6.19 *futurorũ* 59 *indicatur* 359.42 *exiſtimatur* 360.39 חרא 365.33 בראש
קדחח באפי ורוקר 366.1 *qui è corporis* 372.23 ים 375.12 ישראל 374.30 רוחית 383.6
התכוחבוחנר 393.40 *attulit* 394.33 קול 395.33 *quo* 34 רוח 37 *donum* 395.43 *deiunctæ* 50 *caritas*
396.4 הדעבון 398.22 לפני 399.23 בלחר 56 רידגר 402.15 שמער 403.24 ארור 405.4 בין 19
סנהדרים 20 מחסקים *cernuntur* 404.34 *nullo* 406.41 *prouocabo* 413.3 יתרספר 419.23 *exitum* 415.5
418.7 *calamitate* 455.21 *ocij, deſidiæ, ſeditionum negato* 457.11 *ductum* 42 *uerbis* 47 *quas* 458.22
יחות 472.13 *ſilentio* 473.44 עז 482.36 *dele animum* 487.23 *factum* 489.11 *perculſæ*. 24 ירמר
אלחים 498.39 504.45 *& ei* 505.8 *ægritudinem* 508.32 מקד 516.40 רלמידים 521.4
גרבים 523.35 *bonam* 525.4 עבתח 527.20 גבל 26 שבתר 532.6 *mulcta* 534.27 *euertit* 536.
לשין 37 538.50 נפש 544.2 אצגלי 50 *excitandã* 548.51 את 557.28 *reticulatũ* 561.6 אלעזר
סבסך 56 567.24 בכח אלחיך 594.42 *faciem* 599 12 יד 603.15 *adiectis* 604.5 *tempora* 26
quaſius 612.6 לבנח 620.2 *confitentem peccatum* 621.42 יחות 630.24 *dele mortuos* 631.30
ceperit 632.22 *ſequitur* 663.31 *Chriſti ſpectatur* 672.24 *menſtruum* 678.16 *delatores ac* 49 *o-*
dio 681.58 *inchoans* 687.42 *aere* 688.44 *dæmonibus* 689.20 *adhibita* 39 *carere pro habere*
702.27 חרך 704.35 שרוע קלרט 713.53 *dele de oliuis* 718.29 ספיח 30 ספיח 42 שבקה 726.
9 *cœleſtium* 37 *maioribus* 730.9 *more* 41 *Chriſtianos* 722.36 *cadit* 743.19 *ita* 29 *eſt* 745.42 *ſo-*
luto 751.21 יצא 264.27 *uxor* 767.51 *comæ* 768.50 *neruis* 58 *Barnea* 779.29 *congruunt*
773.28 ריטרון 796.29 ריבא 803.16 רעים 806.25 קחל 812.27 *hominum atq; legitimam uero-*
r um miniſtrorum Dei functionem confirmare 815.43 *regnum* 817.30 מקדש 44 אשם 819.35 *dele*
826.28 *expectanti* 638.5 *dilectionem* 840.28 קבח 842.34 *futura* 843.35 *ponuntur* 847.8
adhibita 861.23 *ut* 863.57 *partes* 864.9 *intelligendum* 875.4 *diuinitas* 883.44 דרמית 893.25
repetita 901.7 *Tam* 902.43 יחשרה 906.19 *ibidem* חצרות חצרים 913.1 *unde is timor* 3 *proprius*
item de quo 913.28 *fingit* 41 *regnũ* 55 *ſed* 914.44 *antiquiſsimi* 917.45 *dele ob* 921.35 *ſoli* 924.
25 *docebamus* 31 *Dei* 938.32 רגרחח 37 *impellendo* 38 *ad* 57 *atq; cum his iam* 939.9 *à quo quæq; rega*
tur quod 940.15 *ſubituri exilium ſint* 941.35 *à Iudæis acclamaturis* 55 *conflat* 956.55 *ut ad quam*
inam 944.33 *prouiſum* 946.35 *ſunt in* 952.39 *habitu* 974.11 *idololatria* 999.43 *lucem* 1000.
29 *atq; conſeruet* 36 *quæ altera* 1002.19 תזבח 1013.42 *cur ergo ei* 1053.47 *dele &* 1052.
53 *dele permittere* 1085.37 *ſub legis damnantis iugo, deleto ſecula* 1089.3 ברר
1091.46 *in cordibus mentionem facit* 1093.27 *gen-*
tium 1094.23 *ſic.*

RERVM ET VERBORum in Martini Borrhai Commentarijs ad V. libros Mosæ memorabilium.

INDEX.

Aaronis & Christi collatio 632.14 discrimen 661.12 lucernæ 714.17
Aaronis & Mosæ mortis significatio 857.29
aaronis mors 830.15 peccatum 583.16
aaroni propter incredulitatem ingressus in terrã promissam negatus 829.37
abnegatio sui 128.46
abrahamus astronomiæ & arithmeticæ cognitione clarus 133.25 fide iustificatus 221.33
abrahami constantia et fidei fortitudo 131.57 tentatio 132.25 liberatio 134.25 ætas 127.24 expeditio aduersus reges susceptа 139.6
abrahami facta quatenus imitanda 285.40
abrahami filiorum status duplex 144.38 & 250.42
abrahami mors et sepultura 301.23 peregrinatio 135.1
abrahami seruus Damascenus Eliezer 294.21
abrahami soboles puluerи & stellis cœli comparata 144.32
abrahami tentatio 281.19 & 284.26
abrahami ueri liberi qui 261.40
ab Abrahami liberis Arabiã possessam 905.15
abyssus cur תהום 4.48
עתר 403.13
אסף 69.96
Accipiter 642.40
aceti natura & uis 768.51 & 769.4
achates 563.36
actionum nostrarum finis 238.43
Adamantis uis 608.30
adamus qua ratione destinatus ad uitam quam in paradiso degeret 193.45
adami pœna 72.51 sponsalia 54.24 status ante contractam culpam 451.40
adami primi & secundi collatio. 245.43
ἀδιηφορα quæ 526.15
adipis natura 615.7
administratio œconomica 668.14
administratio rerum tripartita. 740.10
adolescentularum officium 350.19
adorare quid 935.48
adorari Deũ à cunctis, sed diuerso modo 840.29
aduersarij caput cur rasum 769.53
aduersariorũ contra certitudinẽ electionis argumenta 199.28. 200.45 & 204.17 de electione doctrina 201.50 in tractanda fide error 220.35 in funeribus curandis error 696.40
aduersariorum de gratia error. 183.2 de mediatorib. errores. 230.20 in ministros Dei odiũ 319.48 de pœnitentia error. 663.40
aduersariorum de sacrificio corporis & sanguinis Christi error 141.22 de uoto errores. 315.1
adulteræ quæ incommoda familijs afferant 764.2
adulterium bipartitum 693.47. capitali supplicio punitum. 672.4
adulterij criminis grauitas 274.54 explorandi ratio à Mose præscripta 764.31
adulterij nomine obscœnæ libidines prohibentur 689.58
de Adulterio suspectæ minha, caretoleo 764.46
Aedificiorum prima structura ex cœtilibus lapidibus 123.54
ægypti fertilitas 136.4
ægyptius spiritus à diuino quid differat 802
ægyptiorum idololatria 955.10
ægyptiorum instituta & iura à ueteribus diuersa 1058.52
ægyptiorum in mari rubro interitus 485.18
ægyptiorum sacerdotum immunitas 396.45
ægyptiorum plagæ quandiu durarint 462.54 potus 386.34 sacrificia 397.50 seruitutis uindicatio 418.26 tenebræ 470.46 uanitas & superstitio 2.30
ægyptiorum & Persarum superstitio in lugendis defunctis. 688.50
אמת וחסד 297.28
æquitatis descriptio 526.33 & 890.16
æquitatis diuinæ exemplum 902.46
aer qua ratione cœlum dicatur. 9.53 21.56
aeris ornatus 295.15
ætas coniugio apta 259.18 50.18
æthiopia duplex
Afflictiones certo Dei consilio euenire 937.30 ad parandam gloriam uia 363.5
afflictionis Israelitarum signũ. 248.22
afflictionis & liberationis tempora certa 249.26
afflictionum causæ 342.51 finis 282.9 usus 960.18
affluentiæ opum exitus 410.42
Agagus nomen commune Amalechitarum regum 848.30
agesilaus Spartanus 702.10
agnus uitæ quomodo ab originæ mundi occisus 66.54
agnus Pesah 473.15
agnus Pesah absq; macula 474.ex iusdemq; consideratio ibid.
agnus unde dictus 574.31
agni cœlestis usus 474.55 esus 476.5
agni Paschalis ritus 777.28
agnorum legaliũ oblatio 574.18
agraria lex 539.5
agriculturæ & pastoriciæ uitæ commendatio 351.4 difficultas 80.36 uetustas 763.3 619.31
אלה 297.23
עלמה de uirgine 745.30
עמר Altaris cultus 817.6 fabricatio 375.50
Amalechi intlementia erga Israelitas 496.16 interitus 496.58 de Amalechitis excindendis lex. 1064.6
amandus cur alter ut nos ipsi. 680.30
amare inimicos secundum naturam esse 680.48 1368.30
amazones
ambulare coram Deo quid 90.57 & 254.45 563.43
amethystus 53.52
amor coniugalis unde
amor Dei antegredicus qui sit 445
amus.

amor Dei lege Mosaica præceptus & fide in iustificatione nostri communicatus quidsit 169.39
amor Dei in scriptura duplex. 441.45 quæ requirat 503.13
amor uitiosus 681.18
amoris uis 356.45
amorrhæi, Chananæi dicti 830.41
amygdala arbor 815.24
amygdalarũ natura & uis 815.27
Anabaptistarum μιαανθρωπία 708.14
anadiplosis Hebraicæ uis 71.54
anathema apud ueteres 746.36
angeli an omnes spiritum Christi acceperint 78.5
angeli ascendentes & descendentes in scala Iacob 322.30
angeli stricto gladio apparentes 76.26 cur humana specie apparuerint 89.43 impiorum ultores 484.24
angeli boni qui 77.55
angeli quid 7.15
angeli mali qui 78.2
angeli quomodo conditi 76.46
angeli sanctorum paranymphi in cõtrahẽdis matrimonijs. 295.55
angelorum apparitiones 259.39
angelorum genus duplex 76.29
angelorum creatio cur à Mose nõ memoretur 6.41
de Angelorum creatione quid sentiendum 7.3
angelorũ legiones pro pijs 343.47 locus 7.36 ministeriũ duplex 263.17 & 269.34 munus 78.30 status & gloria 28.40
animalis anima quæ 43.35
anima hominis ab animis brutorũ quid differat 46.37
animæ hominis tres 43.22
de Animæ natura opiniones uariæ 45.14
animæ origo, natura & uis 45.54
animaduersionis in impios finis 467.2
animantia ἀμφίβια 22.35 639.31
animantia cuncta cur metuant hominem 111.10
animantia quatuor apud Ezechielem Cherubim 549.37
animantia ad sacrificandum prohibita, & ad uescendũ concessa 604.30 796.37
animantia immunda quæ 698.43 munda et concessa 639.34 mortifera 985.30 tempestatẽ & serenitatem præsagientia 685.5 utring; dentata 640.4
animantiũ aquatiliũ uarietas 22.29 genus tripartitũ 983.46 mũdorũ & immundorũ discrimẽ 109.52 terrestriũ genera 23.22
animantium uita quibus cõseruetur 14.16 uitæ longioris ratio 818.16
de Animantib. lex qua animi bonitate sint tractanda 10.38.40
animorum origo 42.30
animus cur in corpus humanũ demissus 47.13
animus quid & 18.53 45.28 unde dictus 21.52
animi humani immortales 46.55 eorundem præstantia 19.14 dignitas 44.17 finis 46.3
annus quinquagesimus iubilæo dedicatus 710.20
animi à diluuio ad Abrahamum elapsi 127.16
anni septimi feriatio 717.53
anni partitio 110.40
annunciare mortẽ Domini quid 999.21
annulorum & torquium aureorũ uetustas 376.42
antichristus ordinis diuini perturbator 216.27
antichristus figuratè à Bileamo significatus 851.25
antichristi regnum plenum idololatria 974.12
antichristi uel stulti pastoris ecclesiam gubernãtis doctrina 214.50 elegans descriptio 265.14
antonini Caracallæ nouercæ uox scelerata 670.5
עגור 792.26
Apis bos ab Aegyptijs pro deo cultus 475.40
aprilis mensium secundus 103.26
עפר 464.39
עפל 804.24
ἀφορμὴ 62.51
Aquæ contradictionis 828.1
aquæ locus & natura 6.42
aquæ lustralis confectio & eius figura quæ sit 821.57
aquæ lustralis ratio & typus 773.54
aquæ nubis & ignis cognatio 484.38
aquarũ cõgregatio 11.33 cum cœli cõuersione cõsensio 6.56 inũdatio ppter peccata hominũ 12.8
aquarum congregatio ad quotum diem pertineat 10.40
aquarum duo genera 9.54
aquarum moles tribus repagulis coercita 11.39
aquarum in sanguinem conuersio 462.17
aquarum uiuarum significatio. 824.37
agla 641.27 ales uictrix 1083.34
aglæ in pullos beneficẽtia 501.6
Arabiæ partitio 253.8
arabia felix 122.42
arabiæ felicis situs 301.18
arabum opes 430.33
aræ duæ, aurea & lignea 557.10
aræ generalis usus 574.11
aræ suffitoriæ situs 376.4 usus ibid.9
arbea ciuitas 291.31
arbitri officium 229.7
arbor scientiæ boni & mali an homini peccãdi occasionem præbuerit 61.40
arboris scientiæ boni & mali fructus labefactarit ne corporis & animi constitutionẽ 60.43
arca Noæ 98.48 eius magnitudo 99.10 latitudo 99.28 lõgitudo 30 dispositio 40 significatio 100.15 materia 547.20 usus 46
arcus cœlestis significatio 113.48
arcus diuinæ iræ telis repletus. 849.20
armeniæ montes 107.57
armus dexter 573.6 & 628.52
artium quibus humana uita nititur antiquitas 421.2 & 560.53
arusticina 686.33
עשׁ 737.35 עשׁת 37.36
אשׁם 621.31
Asina ut accusarit iniuriæ Bileamum
asino & boue non arandum mystice ut accipiendum 1039.40
aser 411.42
asini & equæ admissura ab Anaeinuenta 359.39
asphaltites lacus 135.57 & 138.37
assensionis infirmæ causa 262.43
assyriarum literarum præstantia & uetustas 123.30
astaroth 137.55 Gigantum locus 895.52
עשתרות 958.34
astrologorum diuinationes 687.30 prædictiones quatenus re-

ijciendæ 160.50
asyla quibus conceſſa 889.8
asylorũ antiquitas 526.23 & 887 40 usus ibid. 45 constructores 888.1 locus 526.39
Athenienſiũ ara Ignoto Deo dicata 355. 4 mos in iudicando 538.43
atrij fabricatio 558.12 latitudo 22 altitudo 42
ἄτομα 1.24
ἀτυχήματα facinora quæ 525.50
Auaritia idololatriæ fons 964. 35 rerump. peſtis 500.6
auditio uerbi exterior ſine interiori prodeſt nihil 214.20
אזן רעמל 844.54
augures qui 334.30
augurium 686.10
augurum uanorum exitus 867.8
auguſtini de ſcriptis in libro uitæ ſententia 591.1
auium, cedri, hyſſopi, cocci, uaſis fictilis, aquarum uiuarum per totam paginã 655 myſtica explicatio
auium & piſcium diſcrimen 23.18
auliætum 641.47
auris pforatæ ſignificatio 524.14
אצלתי 788.34
Azymorum feſtum unde dictum 539.45

B

Baal phegor 854.29
בבל 126.29
babel quid ibid.
babylon unde dicta 220.5
babylonis ſitus et magnitudo 119. 34
balaamus ab aſina obiurgatur. 840.1 cæcitatis exẽplũ 840.21
balaami malignitas 838. 40 mors 867.6
balthei uſus 567.30
baptiſmus mari rubro ſignificatus 489.10
baptiſmi utilitas 996.26 forma 263.10 inſtitutio 996.16 munus circa 101.40 circa Baptiſmũ qui errores committantur 995.7
barba roboris utilis ſignificatio 699.10
Bdellium 49.44
Beatitudo uera 733.50
beatitudo uera & noui mundi felicitas in quo ſita 733.50
beerſeba 281.29
behemoth 23.36
bella hominibus cur à Deo immittantur 866.7 (1031.2
bella quæ mala afferant 1030.31
belli leges 1028.34
bellorum origo 137.9
benedicendi populo formula ſacerdotalis 772.20
benedictio duplex 632.33
benedictio uera et ſpiritualis quæ 1074.44
benedictio Meßiæ quid differat à benedictione Aaronis 773.33
benedicere quid 72.56 & 23.9
benedictiones Iſraelitarũ 1074.34
benedictionis legalis forma 772. 23 ueteris & noui Teſtamenti collatio 734.20
benedictiones ueteris fœderis & noui qd inter ſe differãt 732.9
benedicti qui 187.55
benefactorum duo genera 178.50 & 176.36 uſus 48 & 177.80 origo 180.4
beneficiorũ memoria breuis 374.4 & 423.47
de Benefactis aduerſariorum errores 242.12
benefici munus 598.43
beniaminis typus 357.11
beryllus 563.54
bethel 326.12
Bias 1008.25
bileamus quos uates nobis repræſentet 837.1
bileami uatis explicatio 846.45
ex Bileami uerbis, Quomodo maledicã?q̃ intelligantur 842.17
bileami interitus 867.6
binarij uitia 11.6 præſtantia 10.50
Bonũ quod 7.46 quibus in rebus cernatur 19.57
boni uiri officium 716.33
bonorum operum uſus 178.5
boreas ſerenator 106.57
bos cicurum animantiũ princeps 529.45
bos arator & triturator 1037.19
bouis aratoris commoditas 613.35 munus 774.21 utilitas 529.48
Bruchus 643.58
Bubo 642.43
Byſſus 548.19
בברת 357.18

C

Cadauerum impuritas quanta 823.51
cadauerum attrectus cur prohibitus & in quo cadauere, typi ueritas 665.51 737.10
קדחת
cades duplex, Zin & Barnea 825.41
cæcitas duplex 269.18
cæremoniarum in uetere fœdere uſus 420.14 præſtantia ibid. 28
cainus ciuitatum primus extructor 267.3 85.42
caini blaſphemia 689.2
calanus Indus
calceamentorum de pedibus detractio 432.36
calebus cuius typum geſſerit 802.23
calebus cur כלב uocitatus 802. 26
caluariam firmitatis & medicamidium maximã habere 770.46
caluitũ quomodo curetur 655.50 678.2
calumniæ prohibitæ 740.56
בנע
candelabri & lucernarum uſus 551.26
canis preciũ cur reiectũ 1047.20
canum ingenium 1047.47
capræ & hirci diſcrimen in ſacrificando 619.2
caprarum ſylueſtrium uaria genera 985.34
caput ſenſuum & mentis ſedes. 770.44 563.14
carbunculus
carnalis hominis indicium 813.50
carnalis & ſpiritualis ſobolis ſtadia diuerſa 318.58
caro cum ſanguine cur prohibita 111.50
carnis & ſpiritus lucta 65.10 & 95.27 & 179.50
carthaginenſis ducis reſponſum 686.26
Pruſiæ regi datum 617.34
caſtra apud Iſraelitas tria 617.34
caſtrorum figura quadrata à ſcriptoribus rei militaris comprobata 754.7 534.46
cato de uſuris 30.50
cauſæ ſecundariæ 822.44 &
Cedrini ligni firmitas 655.35
cenſus Iſraelitarum quotuplex. 740.45
ceremonialium legum abrogatio 701.10
ceremoniarũ laus 933.38 uſus 545.3 22.16
cete
Chaldæorum natio ariolis plena 836.32 chame-

chamæleon 645.26
chami progenies 118.20
chamos Moabitarũ Deus 835.35
chananææ terræ descriptio 882.44 fructus 796.46
chananæi à fœdere Dei excluſi. 357.43
charitas diuina 233.20
charitas diuina non eſt creata natura 234.44
charitas diuina in hoc ſeculo imperfecta 235.17
charitas fidei non legis, eſt iuſtitia 169.40
charitas quomodo iuſticia 166.53
charitas an Dei iudicio opponi poſsit 171.2
charitatis definitio 538.3 et 163.54
charitas ficta 232.50 humana 232.18 legis rectrix 135.44 perfectionis uinculum 166.15
charitas in iuſtificatione quomodo locum habeat 168.40 quare præceptum nouum à Chriſto dictum 165.30
charitatis diuinæ gradus 233.25 diuturnitas 235.48 amplitudo 56
charitatis humanæ & diuinæ diſcrimen 233.53
charitatis humanæ effectus 234.12 leges 675.46
charitatis diuinæ uis à fide pendet 169.23 239.239.6 & uſus proprius 868.40
de Charitate aduerſariorum errores 237.11
cherubim quid 76.6 & uſus 548.39 54
choræ aduerſus Moſem conſpiratio 808
choræ liberi 855.36
chriſtiani ab imperio ciuili liberi, eidemq; ſubiecti quomodo. 1007.40
chriſtus altare de terra extructũ & 131.535 18.18 ſolus arbiter. 937.5 arbor ſcientiæ boni & mali dictus 48.30
chriſtus bifariã legẽ implet 175.7 bifariam noſtra iuſticia 232.1 uniuerſæ perfectionis caput 146.45 cõſolatorius ignis 487.9 crudus à quib. edatur 476.47 liber uitæ 508.21 noſtræ ſalutis fundamentum 186.25 germen 14.53 impletio legis 175.1 ex Iacobo naſcendus prædicitur 515.46 cur imago Dei 28.1 immolatus ueſperi 475.37 lapis de monte ſine manibus excius 188.48
Chriſtus natus anno triceſimoprimo regni Herodis 40.525
chriſtus Nazaræus 413.33 & 768.6 porta cœli 324.28
chriſtus qua ratione ſimilis Moſæ 1020.21 quare iuſticia Dei patris 158.5 rori cõparatus 787.25 ſol iuſticiæ 37.16 & 361.31 ſolus mediator 230.38
chriſti & Aaronis ſacerdotij collatio 140.57
chriſti aduentus quotuplex 154.31
chriſti & antichriſti, & utriuſq; doctrinæ collatio 215.21
chriſti conceptus & partus 648.40
chriſti & eccleſiæ coniunctio 53.31 erga eccleſiã amor 329.17
chriſti & eccleſiæ communio. 609.43
chriſti mediatoris ſtatus duplex. 226.13 munus 213.39 natura utraq; in iuſtificatione conſideranda 225.56 perſecutio ab Herode facta 66.55 poteſtas ſacerdotalis 68.12 poteſtas regia qua in re cernatur. 68.25
chriſti ſacerdotis munera 565.40
chriſti ueſtitus 629.54
chryſolithus 563.46
chyrogryllus 640.23
Ciconia 643.21
cinerum uaccæ uſus 822.53
circuli in ſphæra 19.10
circunciſio carnis & literæ mandata 256.40
circunciſio cordis quæ 175.33
circunciſionis ſignificatio 257.16
circuncidendi uſus in peregrinatione deſerti neglectus 861.37
cithim 851.39
כתים qui ſint 851.55
citrea mala 712.44
Claudius Deus 701.58
cleanthis de ſuibus dictũ 640.50
clemẽtiæ diuinæ magnitudo 508.41
clementiæ Dei exempla 417.48
coccus 548.14
Cœlum שמים cur dicatur 6.46 9.10
cœlum ferreum 737.41
cœlum cryſtallinum 9.57 πολύχαλκον 99
cœli materia 9.3
cœlorum diſtinctio 7.24
cœnæ Domini abuſus 998.14 inſtitutio 997.23
cogitatio creationis noſtri ſæpe iteranda 43.31
cognatio aquatilium cum uolucribus 22.3
cognoſcendi uerbo ſacra ſcriptura quid intelligat 80.26
columbæ ſignificatio myſtica 108.56
columbarum laus & deſcriptio. 607.34
communicatio bonorum Chriſti & eccleſiæ 161.34
conceptus nomine quid ſignificetur 72.4
conceptus & partus hominis cũ lunari conuerſione conſenſio 427.43
concupiſcentia quid ſit, utq; primæ legi Decalogi contraria. 513.50
concupiſcentia damnata 513.30
conditoris ſapientia in rebus creatis 1.26
condiendorum corporũ uetus mos 415.16
confeſsio peccatorum ad expiationem & culpæ impetrandam ueniam neceſſaria 620.4 & 661.1
confeſsio publica quid 761.52 priuata 56
confeſsionis genera 761.50
in Confeſsione quæ conſideranda. 761.20
conſitentibus delicta ſua quomodo ſuccurrendum 762.14
conugij autor 51.53
coniugalis copula 53.31
coniugalis fides 54.43
coniugij finis 29.20
de Coniugio leges 666.40 (40
in Coniugio quæ conſideranda 51.
de Coniugijs ſacerdotum aduerſariorum errores 700
conſcientiæ malæ uis 84.55 & 381.55
conſecratio legalis 743.4
conſecrationis noui fœderis uſus. 743.14
conſilium Dei de fabricando homine 25.46
conſtantia & firmitas Dei propo

siti in seruandis suis 316.31
contemplationis mundi usus 31.54
de Contractibus leges 726.16
contumaciæ detestabilis in rebelli populo exemplum 813.17
conuentus sacri 707.34
conuiuium amicitiæ confirmandæ symbolum 298.35
conuiuium frugale 261.8
conuiuia à sanctis agitata 279.13
conuicia parentũ prohibita 527.2
conuiciatoris nominis diuini multa 715.40
cor uitæ & sensuum fons 350.50
cordis præputium quid 968.27
cornelij fides 912.3
corona olei qd significet 760.32
corona regiæ potestatis signum. 287.54
corona antichristi triplex 216.38
corporis humani cõstitutio 98.23
corporum mixtorũ diuisio 31.27
corporibus procerioribus & longiore uita olim cur fuerint homines 901.20
corrupti status effectus 56.27
coruus 642.19 *eius natura* 108.26
corui in pullos inclemẽtia 642.22
coturnices 492.24
coturnicum in sinu Arabico magna uis 790.46
coxyla 493.40
Crabrones 958.55
crabronum ictus 541.57
creare quid 21
creationis sex dies numerum annorum mundi continens 37.12
cremandorũ corporũ mos 415.26
crocodilus 645.15
crux illaudata in sacerdotib. Balim & monachis 1068.40
crucis causæ uariæ 1068.16 *definitio* 396.7 *mysterium* 129.30
crucis piorum usus 1067.47
crucis usus, inuocatio Dei 483.53
crudelitatis immanis exẽpla 425.27
Cubiti Geometrici 99.13
cubum octonarium ex binario cõfectum, conuenire terræ et naturalium rerũ fundamentum esse 10.56
cuniculi 640.28
cupiditas uitiosa malarum actionum radix 532.22
cura diuina in eos qui Dei munere funguntur 727.13
cura Dei erga sanctorum coniugia 309.43
cura rei familiaris sanctis non negligenda 335.6
cultus Dei quibus in rebus cernatur 481.34 (977.40
cultus Dei Mosaicus bipartitus.
cultus corpori depositus, pœnitentiæ signum 592.12
כסי 497.2
Cygnus 643.7 (*beris* 690.6
cypriorũ mos in prostituendis li

D

Dæmonum fides 217.26 *origo* 77.13 *de Christo confessio* 922.17 *genera* 77.8
דלק 342.4
Damascus urbs uetustißima 140.1
dapalis sacrificij lex 624.56 (18
datio uarijs modis accipitur 103.
dauid imperij Israelitici fidus. 850.10
Decalogus quid 1010.28 (22
decalogi præcepta duplicia 515. *summa* 419.34 & 504.47
decalogum & ceremonias idem requirere, sed non eodem modo 968.40
decimæ aduersarij 74.17
decimæ Herculi tributæ 747.10 *tributæ regibus* 749.1 *sacerdotibus consecratæ* 536.16 *in nouo fœdere* 748.37
decimæ spirituales quæ 747.40
decimarum antiquitas 147.40 & 747.3 *genera* 747.15 *usus* 34
decretorum Dei uis ineluctabilis 376.34
delbora nutrix 299.11
delictorum uis 590.15 *discrimen* 618.6
descensus Domini, iudicij diuini patefactio est 264.40
Δεκατολογία 86.30
denarius numerus 684.23
denarius summa numerorum, cuius cubus millenarius 785.6
deus ante mundum hunc conditũ quid egerit 2.43 (281.52
Deus adiutor in rebus desperatis
deus arborarius 847.56
deus bifariam cognoscitur 1070.55
deus cur עליון *hoc est altißimus uocetur* 141.54
deus cur שדי *appellatus* 214.36
Deus cur malum permittat suis accidere 899.47 *cur possessor cœli & terræ dicat* 142.18
Deus figuræ nullius capax 507.22 *numeri & temporis expers* 18.47 *peccati autor non est* 438.47 *primò fidem, postea opera respicit* 81.17 *qua ratione indurare dicatur* 438.40
rex iustus & fortis 84.10 *irrex iustus & fortis* 84.10 *irualis impatiẽs* 508.28 *iammiũ bonum* 7.48 *ξένιος* 260.10
deus præmium & merces sanctorum 143.36 (*alenus* 506.14
deus proprius quis sit, quis item
deus spirituum Deus quomodo dicatur 858.37
deus ut unus, ita unum pulchrum, unum bonum, una sapientia, una uita 950.40
Deus ut seruare & perdere dicatur 694.46 853.30
deus zelotypus
dei appellatio in ueteri fœdere uaria 505.58 426.18
dei beneficentia
dei bonitati ascribenda bona quæ nobis contingunt, quibus argumentis probet Moses 962.38
dei clementia erga electos 145.1
cognitio in hac uita qualis. 235.29
dei colendi ratio à Mose descripta summatim explicata 971.36 (8
dei iudiciũ an sit reuocabile 686.
dei longanimitas 1064.31 *natura* 434.30
dei nominũ distinctio 458.20 (9
dei opus saluare, nõ perdere 145.
dei præsentia apud suos 397.8
dei in tentandis sanctis consilium diuersum à sataniæ 429.46
deo cor affectum & dolor πωπάζων 96.56
deo noti quos amat 904.47
deum esse unum ut intelligendũ, & ut contra hanc legem delinquant Turcæ, Iudæi, sophistæ 950.10
deum homini similem non esse. (44 844.24
deum uidere opera sua quid sit 7.
deum unitati comparari 950.38
deum in Deo affectus parentum quos in liberos rebelles gerunt exprimi 741.30
à Deo deficiẽtia regna exilio plecti, priuatos idololatras lapidibus obrui 1009.40
deos multos esse, ut sit intelligendum 69.136

deu-

deuteronomij argumentũ 893.20
utilitas 894.40
deuteronomiũ unde dictũ 893.30
dextera patris quæ sit 68.42
Dies quid 18.54
dies mensis primi ad esum agni paschalis cur electus 475.5
diei iactium apud Hebræos 8.40
diei decimiquarti mensis primi significatio 475.3
diei primi opera 8.42
diei secundi opera 8.43
diei secundi operum utilitas 13.3
diei tertij celebritas, eiusq; mysticus usus quis sit 824.5
diei tertij opera 13.28
diei tertij operib. quæ adumbrentur 14.45
diei quarti opera 15.57
diei quinti opera ibid.
dijj alieni qui sint 354.50
dijj alieni cur תחרי רבתי appellentur 2.10
diluuium 12.4 baptismi significatio 104.48 quo tempore factũ 104.20
diluuij altitudo super mõtes 106.8 effectus 106.12 modus 103.40
dimicandi de carribus mos uetustus 483.30
dinæ ætas 350.18 generatio 333.25
dinæ historia mystice tractata. 353.22
diuinandi genus sacrum falsum & prohibitum 686.7
diuinationis genera 685.49
diuinus iudicij ignis 503.21
diuitiæ terrenæ, spinæ 74.12
diuitiarum commendatio 134.35
Doctrinæ Christi & Mosæ summa 515.17
dolia in limine domus Dei duo. 907.30
in Domestica societate tripartita potestas cernitur 865.9
dominorum in seruos ius quale 528.24 officium 947.48
Duodenarij numeri significatio 715.6 & 877.4

E

Ebrietas quæ Deo placeat 861.40
ebrietas sanctorũ spiritualis 114.31
ebrietatis incommoda 114.24. & 637.7 & 768.14
ἐναντίωμα 606.9
Ecclesia amicta sole 21.6
ecclesia arca 103.8 & 240.56 ciuitas quadrata 559.45 deformis & formosa 328.30
ecclesia duplex 80.23 Dei templum 241.21
ecclesia ex ossibus & carne Christi constat 240.31
ecclesia sanctorum hortus, hortulanus Messias 848.3 rosa inter spinas 433.13 ueritatis columen 555.47.
ecclesiæ amplitudo 115.38 & 130.38 & 559.33 & 753.56
ecclesiæ exercitus Dei sacer 751.25
ecclesiæ iustorum & iniustorum discrimen 93.34
ecclesiæ parturientis sors 357.12
ecclesiæ profanatio & liberatio 353.30
ecclesiæ iustorum & iniustorum discrimen 93.34
ecclesiæ parturientis sors 357.12
ecclesiæ profanatio & liberatio 353.30
ecclesiæ status duplex 280.51
ecclesiæ uocatio ex gentib. 377.14
cum Ecclesia ut sit usq; in finem Christus 1085.12
ecclesiastica & ciuilis potestas quid inter se differãt 1005.53
ecclesiastici conuentus ad quid instituti 706.3
ἐυχαριστία 53.23
Eden regionis situs 49.5
educatio quid conferat 44.40
Egestas malus cõsiliarius 986.46
Elana 905.5
eleazar Aaronis filius patri in sacerdotij munere fungẽdo succedit 830.24
electio ambiguæ significationis uox 202.34
electio diuina sanctitatis causæ 957.10 causa salutis 443.10 extra Christum nulla 188.36
electio & repudiatio communis omnium non est 188.10
electio unde cognoscenda 449.20
electionis nostræ certitudo 200.15 diuinæ constantia 741.38 effectus 187.35 utilitas 195.49 & inde
electionem diuinam cuncta antecedere 150.37
electionem incredulitas non euertit 943.10
electione diuina omnia sacra munera constare 749.47
de Electione errores 187.1.
electorum animorũ locus 365.22
electorum diuinitas 239.45 consolatio 566.28 ecclesia 144.51 multitudo 145.57
electorum ne maior q̃ damnatorum numerus 146.35 paucitas non omnibus temporib. eadem 149.38 salus qua in re cõsistat 193.47 salutis expedien dæ ratio 741.10
electorum cum repudiatis collatio 191.4
de Electis sacras literas bifariam loqui 150.10
elementa rerum gignendarũ 5.54
elementa quib. impij perduntur duo 271.28
eli filij 931.1
elizæus 238.58
eliphaz Themanites 358.48
elihu Buzites dictus 291.8
אלהים iudices cur dicãtur 898.27
eloquentiæ commendatio 437.40
אמרות 1069.12
ἐγγαστρίμυθοι 691.3
Enoch urbs 96.14
Episcopi in regno aduersarij lenones 690.15
Equi claudicãtis eques bonus causa non est 931.35
Esaus Iacobo reconciliatur 348.14
esai arma 312.13 benedictio 317.24 ciuilatus 316.44 genus 358.22 in Iacobum odium 319.38
esai pedis planta à Iacobo apprehensa quid significarit 305.46
Euæ cũ ecclesia cõparatio 245.52
euangelium quid 161.5
euangelium arcæ fenestra 101.30 lex noua scripta in tabulis carneis 207.25
euangeliũ cur uirtus Dei 207.53
euangelij & legis discrimen 207.58 origo 207.41 usus 44 summa 207.6
eunuchus unde dictus 369.42
eunuchi, spurij, Ammonites & Moabites ut ciuitate Israelitica nondonentur, lex 1042.12
euphrates 50.20
Excommunicationis exemplum. 654.8
exemplorum in pijs duplex genus 429.10
exercitus cœlestis 34.50 terrestris 35.5

exodi libri summa 417.3 & 500. 50 utilitas 30
expiatio scelerum duobus elementis mundi conficitur 868.27
exploratores terræ sacræ quos adumbrent 795.44

F

Facies quoties accipiatur 346.14
facies Dei Messias 594.43
facie ad faciem uidere Deum quid sit 346.14
falsi cultus fructus 584.6
falsorum doctorum genus duplex 1022.13
falsæ diuinationis causa 688.1
falsi prophetæ notæ 836.50
falsi uates à ueris quomodo dignoscantur 979.38
fames uerbi Dei 375.11
Fel pessimi sanguinis purgamentum 1089.24
feriarum duplex genus 717.31
fermentati panes 627.17
fermentatorũ panum significatio. 627.24
fermenti significatio 610.18 paratio 610.10 natura 12
ferrariæ inuentor 87.3 et 560.56
festa Israelitis mandata tria 600. 40
festi tabularum usus 710.51
Fides aduersariorũ inanis 223.15
fides in sacris literis quæ commendata 168.35
fides iustificationis radix 243.50 regenerationis fons 164.20. spei fundamentum 220.6
fides mortua 217.33
fidei mortuæ origo 217.49
fidei iusticia in qua confessione cõsistat 742.13
fidei & charitatis comparatio. 236.25
fidei definitio 445 & 156. 4048
fidei genus bipartitum 168.28
fidei initium ex gratia prædestinationis diuinæ 187.40 incrementa 912.22
fidei in sanctis stratagemata 875. 32 probatio 876.38
fidei iustificantis uis 183.24 præstantia 156.32
fidei. spei & charitatis connexio. 236.35 discrimen 163.38
fidei victoria 303.31
fide nos sola iustificari quo modo intelligendum 221.44
fiducia propria damnata 206.48
filius sapientia patris 1.37
filij amoris coniugalis pignora. 330.23
filij Dei qui 94.10
filiorum Dei ac mundi conditio diuersa 360.16
filiorum huius seculi & regni cœlorum dissimilitudo qua in re cernatur 321.40
Fœcunditas benedictio Dei est. 29.9
fœdus unde dictum 1088.57
fœderum uetustas 138.55
fœminæ formandæ modus 53.23
fœminæ & coniugij usus 52.1
fœneratores qui 533.23
fœneratores Zachæo dissimiles. 623.16
fontes aquarum duodecim quid significent 490.34
forma silens fraus 1033.93
fortitudinis in Iacobo exemplum. 346.15
de Fratris defuncti uxore ducenda à fratre superstite lex, & eius mystica explicatio 1063.5
Fratrũ nomine qui apud Hebræos censeantur 1048.6
frumentum apud Hebræos unde dictum 378.24
Funebris legis sacerdotib. positæ usus 696.21
furis nocturni mulcta 530.4
furti genera 526.55

G

Gad 411.26
gæon 49.54
Galaad mons 869.54
galbanum 580.27
gallinarum caro quare salubrior 74.2
gazæ urbis descriptio 906.23
Generis humani præstantia 28. 36
generationis humani generis principia duo 658.33
geneseos libri præstantia & summa 33.50
genethliaci 374.33
gentium plenitudo, & temporũ earum impletio 740.40
gentium uariarum uaria idololatria 955.6
gentiliũ uanitas & horrenda superstitio in colendis dijs & idolis 955.10
gentium uocatio 283.20 & 479. 30 & 662.53
geometriæ & architecturæ utilitas 887.36 691.25
γεγραῖα 124.28
Gigantes
gigãtes גבלים cur uocati 798.7
gigantum uaria nomina apud Hebræos 905.27 493.35
גלגלת
Gomor mensura qualis 494.15 & 574.47 183.7
Gratia quid
gratia Dei donatæ iusticiæ causa princeps 156.10
gratia apud Ioannem qualis 210. 17
gratiæ à ueteribus depictæ 988. 25 182.27
gratiæ Dei amplitudo
de Gratia diuina locus aduersus eos qui merita humana iactãt. 596.17

H

Hæreditas & pars sacerdotũ cur Deus dicatur 819.24
hæreditas ueteris & noui Testamenti 209.41 34.21
hanochi libri 49.12
haula 302.33
haulath 540.6
Hebdomadarum festum
hebrææ linguæ uetustas 53.17 & 75.15 & 116.54 & 873.57 in uentores 874.2 123.49
hebrææ linguæ laus
hebræorum conditio 426.35 errores de Silo 407.27
hebræorum futuris uerbis consuetudinem notari 846.28
herbarum genera 14.20.31 usus 14.14 & 15.40 218.57
heliæ precatio 796.20
hemath
חרם 745.50. & 746.27 909.28
hermon mons 405.21
herodes Ascalonites
herodis cum Herodiade nuptiæ 695.23 interitus 464.37 871.27
heroum filij noxæ 429.8
heroici motus
heroici impetus in legem communem non transferuntur 716.30 695.35
חסד Hesed
Hierosolyma, templum, & eius cultus, sacrificia, sacerdotium, epulæ, quæ in nouo fœdere cernãtur 975.52
hierosolymæ situs 708.24 hircini sanguinis uis 618.34 & 661.50 hirundo

hērundo
הורבורבו 643.31
hispanorum mos in admissura equorum 383.6
de Hobabo controuersia, quis fuerit 336.10
חלב quid figuret & quæ adipis nomine significentur 783.35
holocausti genus bipartitum 623.30
homicida si deprehensus non sit, quid cum eo agendū 1032.14
homicidæ testis conuicti supplicium 891.3
homicidarum duo genera 889.25
uoluntarij 36
inuiti 43
homicidarū capitalis pœna 525.25
in Homicidis puniendis æquitas obseruanda 888.38
homicidium casu commissum 525.57
homicidiorum genera 1027.50
homo ut ad imaginem Dei conditus 26.30 cur è limo formatus 41.13 ad labores conditus 73.40 diuinæ naturæ particeps 27.10 ante regenerationem arbor uitiosa 243.17 μικρόκοσμος 27.16 & 30.18 & 917.14
homo תבל יה חעלם 1025.46
homo qua in re imaginem Dei repræsentet 28.16
homo solus inermis cur generatus 898.12
homo ut bipartitus est, ita bipartitum nutrimentum 961.50
hominis descriptio 25.42 in creatus imperium 29.33 formatio 40.35
hominis ueteris & noui collatio. 152.4 & 786.20
de Hominis furto lex 1056.34
hominis integer status in quo consistat, et is ut lege Dei requiratur 952.40
hominis in paradiso officium 50.55 status qualis fuerit 55.41 partes 40.36 præstantia 229.52 præsidiatria quibus se tueatur 225.15
homines cur condit 42.6
homines quos satius sit domi manere q̄ in bellum proficisci. 30.29.14
hominum impuritas ut lustretur, & quæ in eorum immunditia considerandæ 647.12
hominū genus tripartitum 597.44
honestas in concubitu obseruanda 627.5
horæi 945.5
horebus mons binominis 432.2
de Horto diuino Salomonis loci in Canticis explicati 848.58
hospitalitas quid 260.43
hospitalitatis exemplum 267.10 & 327.42
hoschenis usus 562.20 materia. 26
hostes ut tractandi sint 10.30.22
ab Humano corpore similitudo mutuata 818.8
humanitas in legib. Mosaicis cōmendata 1034.30
humeralia cur dicta 561.17
hyacinthus 546.3
hymni Mosaici usus 489.2
hymnorum antiquitas 485.49
hypocritæ sepulchra dealbata. 825.28
hypocritarum ingenium 362.30
hyssopi uis 822.46

I

Iacobus cur duas uxores duxerit 329.47
Iacobi benedictio qua in re amplior Esai 318.4 castitas 329.1 infirmitas 344.42 ærumnæ 395.45 peregrinatio 322.8 in Aegyptum profectio 395.40 uotum 324.54
iacobi & Esai collatio 306.18
iacobi & Esai dissidium quæ hominum genera adumbrarit. 303.47
ירדן 95.2
יעקב 306.5
יעתר 303.15
ימים pro anno 298.44
ianus 114.16. & 116.50
iapheti posteri 118.16
iaspis 563.29
יצר 96.30
Ibis 643.1
Ideæ in mente diuina 14.56
idololatria fornicatio 500
idololatria q̄ latè pateat 677.37 979.47
idola gentium 975.33
idola interiora quæ 959.40.33
idola quo nomine scriptura appellet 3.10
idoli Molochi magnitudo 692.40
idolorum cultus in antichristi regno 582.58
idumæorum inhumanitas 829.6
יהשוה nomen Messiæ proprium 458.8
יהוה diuinum nomen cur creato iam mundo usurpatum 37.49. 1028.8
Iehoua nomen quibus effabile & ineffabile 457.56
iehoua tetragrammaton 458.8
iehouæ notitia omnibus insita. 453.30
in Iehoua nomine trinitatis adumbratio 38.52
iesaiæ locus de igni & nube explicatus 902.1
iethro ex Abrahami familia natus 498.28 socer Mosæ 497.19
iethronis de magistratu constituēdo consilium 498.47
Ignea sacri spiritus uis 633.53
igneam uim habere quæ Deo afferuntur 861.16
ignis à Babylonijs pro Deo habitus 129.2
ignis alienus quis 634.28
ignis diuini iudicij 503.20
ignis hypocritarum 634.58
ignis ut in Deum conueniat 780.44
ignis alieni quæ figura sit 634.38
ignis mystica significatio 633.42
ignis in holocausto mystica consideratio 624.23
ignis natura 606.27 uis 624.28
ignem alienum qui afferant 754.43
igniti sacrificij usus 86.18
ignominia nuditati coniuncta. 587.47
Imago Dei in homine per peccatum deleta, & per Christum restituta 27.30
imago hypocritarum in Caino proposita 81.24
imago Dei ad quā homo effictus sit quæ 26.40.2 283.23
imagines Dei prohibitæ 935.35 et 508.4
imagines in ueteri fœdere quare extructæ 938.4
imaginum cultus quando cœperit 936.38
imbrium usus 735.8
de Immunditia hominis leges. 647.12

immundorum attactus quid signi ficet 825.22
imperium quotuplex 72.48
imperium Romanum ferreum. 851.20
imperij mutatio in tyrannidem. 423.37
impij admonitione deteriores fiunt 82.54
impij cur hac uita fœliciter utantur, pij infœliciter 957.43
impij cur crecntur 448.43
impij stipulæ 487.3
impiorum fœlices in hoc mundo successus 318.20
impiorum natura 454.24 opera 272.52 pœna 271.15 securitas 86.43 tyrannis 124.52 uox 265.52
impijs parci propter iustos 265.37
impijs quare Deus parcat 266.7
Incarnatio uerbi 687.7
in Celebratione nostri Pesah quæ spectanda 778.45
incensum orationis symbolum. 660.44
incredulitatis bipartitum genus. 829.40
incredulitatis pœna 902.10
incredulitate hostium quæ sunt in maius extolli, & quæ Dei, imminui 900.54
incrustationis usus 813.3
indignatio Dei duplex 591.46
induratio animorum quid 438.20
induratio quatenus Dei permissione & incitatione fiat 440.7
indurationis causa 451.32 causæ efficientes 438.31
indurationis impiorũ finis 439.24
induratorum interitus funestus. 439.30
infernus bifariam consideratur. 365.7
inferni cum sepulchro cognatio. 365.46
inferni terrores 365.40
infirmi quomodo tractandi 348.35
ingenium tyrannorum suspicax. 469.55
ingeniorum & morum diuersitas unde oriatur 16.28
inimici diligendi 537.44
inimici Israelitarum inimici Dei. 872.27 (5.54 & 31.23
initia rerum gignendarum quæ.
inittandorũ sacerdotũ ritus 568.28 & usus 630.47
iniusticiæ duo genera 538.8
innocentiæ fructus 55.28
עגרי cum במש positum quid significet 663.4
intelligeedi uis bipartita 216.58
inuidia quid 360.41 fumo comparata 311.32
inuidiæ causa aliena bona 310.30
inuidiæ ortus, & qui præcipuè in uidia laborent 792.10
inuocatio præcipuus Dei cultus. 89.25 & 349.56
inuocatio sanctorũ prohibita 399.50 & 936.10
inuocatio sanctorum nec exẽplis, nec testimonijs sacræ scripturæ probari potest 231.26
inuocationis usus 1066.44
in Inuocatione quæ res necessariæ 1066.48
in Inuocatione sanctorũ errores. 936.53
Iobi patria 122.20 & 290.56
iordanis fluuius 885.30.
ירח 970.30
ioschus ter uenditus 363.47
iosephi benedictio 441.37 erga fratres beneficia 384.53 fratres pastores ouium 398.17. uenditio consilio Dei permissa 393.31
iosephi historia mystice explicata 378.2
iosua Christum figurari 795
iræ excitationem contemptu fieri 874.54
iræ laudatæ exemplum 587.4
iræ locus 371.45 origo 533.1
iridis generatio 113.21 colorum significatio 22
Isaaci ætas quæ fuerit iã Iosepho uenundato 362.12
isaaci immolandi quæ ætas 284.53 mors 357.50 tentatio de sterilitate Rebeccæ 303.7
isaschar 410.16
יתילד pro גבחבר תרלדרת 740.
ismael derisor 279.35
ismaelis cum Esao collatio 321.35
ismaelis progenies 302.7
ismaelitæ cur numerati 751.15
ismaelitarum regio 253.27
israel unde dictus 356.14
israelitæ non perpetuò reiecti. 199.50
israelitæ quo aduentu Christi ad fidem conuertendi 1094.10
israelitarum contumacia 584.30 dispersio 1084.44 exilium 740.18 extremo tempore cõuersio 741.55 nomina in humeris Aaronis scripta 561.40 in desertorebellio 494.20 reiectionis causa 200.7 matrimoniorum finis 1055.48
israelitarum census ultimus quomodo habitus 854.6
israelitarum dispersionis quæ mystica ratio 1085.4
israelitarum duplicis prædij mystica tractatio 871.43
israelitarum hostes primò uictoria potiri 903.8
israelitarum in Arabum solitudine extinctorum figura 857.56
israelitarum in Arabam solitudine deletorum mystica ratio. 802.48
israelitarum in rep. quis diuinus ordo cernatur 816.34
de Israelitarum reconciliatione uaticinium 1090.34
israelitarum reconciliationis cum Deo maiorum suorum modus & tempus 1091.40
in Israelitarũ siue felici siue infelici statu quæ considerandã. 1074.35
israelitarũ in solitudine erraminũ typus & qualis tropus in ערים 802.16
israelitarum militaris ordinis decus & usus 753.48
israelitarum tabernacula quibus comparentur 847.30
israelitis, hoc est pijs Deo obedientibus, omnia in hoc mundo parêre, inobedientibus rebellare 735.59
israelittæ rcip. utilitas 422.5 præstantia 12 autor 15 finis 40 ex Israelitica rep. quæ discenda. 421.45
israelitici populi ordo 542.48
israelitice militiæ figura 750.30
israelitica castra quos non ferant 760.29 cur munda seruata, mystica ratio 760.46
Iubilæus à Christo institutus 739. (26 33 & 724.26
iubilæus aduersarij 723.33 et 724. 720.38
iubilæi finis 719.14 origo & usus 16.28
iubilæorum genera
Iudas Euangelio uerè nunquã ere didit 195.58

Iudas electus non fuit 202.20
Iudæ cum Thamar concubitus. 366.14
Iudæorum propter Christum occisum calamitates 406.2
Iudicum officium 1003.14 & 5360
Iudicare hebræis quid 1015.54 in sacris quid 268.37
Iudicare de rebus sacris an omnium 1023.53
In iudicando personam qui spectent 898.43
Iudicium Dei duplex 81.28
Iudicij diuini uis tripartita 473.27
Iudicij publici forma quæ fuerit apud Israelitas 101162
Iumenta unde dicta 23.34 & 529.55
Iumentorum diuersi generis admissura cur probibita 682.8
Iuramentũ pars cultus Dei 142.49
Iuramentum Dei solenne quod. 288.30
Iurandi formula 40.27
Iurandi formula Hebræorum & Aegyptiorũ cõmunis 380.20
Iurare quid 970.11
Iurisiurandi formula apud Hebræos duplex 766.73
Iurati falsi testes 537.20
Ius naturale, gentiũ, ciuile à Deo comprobari 836.46
Iuris ciuilis origo ex naturali 518.45 præstantia 499.4
Iustificatio quid 172.54 & 180.50 & 190.46
Iustificatio remissioni peccatorũ coniuncta 159.53
Iustificationis finis 180.35 materia 180.57 efficiens 181.1 forma 181.3
Iustificationis fructus benefacta. 176.30
Iustificationem sine fide non constare 136.53
Ad iustificationem nostri duo necessaria in Christo 161.15
Iustificationem nostri gratia Dei fieri 181.45
In iustificatione totus Christus cõsiderandus 173.6
In iustificationis doctrina quomodo cum aduersarijs pugnandũ 174.45
In iustificatione q̃ cernantur 171.18
In iustificatione tractanda qui ordo obseruandus 155.13
In iustificatione motis quæstionibus occurritur 168.6
Iustificandi uocabulum uariè sumi 155
Iustificare propriè quid 155.52
Iustificari quid apud Iacobũ 177.31 & 243.41
Iustitia ἄδωρος 538.40 & 1018.38
Iustitia Dei quibus in rebus cernatur 157.40
Iustitia diuina quid 157.48 humana pannus menstruatus 659.30 originalis 56.10 quid in genere 157.14 quotuplex 691.50 uera unde petenda 601.32
Iustitia quoties accipiatur 1058.13
Iustitia ut in bruta animantia declaretur 1061.40
Iustitia ueteris & noui Testamenti 209.22.25
Iustitiæ Dei, eiusq; iræ exempla. 417.35
Iustitiæ diuinæ exempla 853.25
Iustitiæ humanæ origo 169.50 cũ diuina collatio 170.15
Iustitiæ imago Thebis conspecta. 1008.36 (47
Iustitiæ munus quod 164.3 & 5122.
Iustitiæ humanæ præmia huius uitæ 666.40

L

Laban quorum typum gerat 341.33
Labanis inuidia 337.45 idola 339.58 cum Iacobo expostulatio. 340 Theraphin 687.16
Laboris commendatio 513.6
Laborum & afflictionũ usus 377.51
Lacerta 645.79
Lachrymarum origo 385.41
Lacus Genezareth 895.20
Laminæ aureæ in fronte sacerdotis significatio 241.50
Lampades Mosaicæ quas lampades figurent 714.12
Lapidationis Mosaicæ typus 692.6
Lapsus Adamus quo die fuerit. 59.5
Latronis in cruce iustificatio 186.5
Lauare pedes apud Ioannem quid sit 71.26
Lauandi pedes mos uetus 260.47
Legalis Christi et sacerdotis discrimen 618.47
Legalis iusticiæ et fidei discrimen. 911.7
Legatorum Dei conditio misera et difficilis 491.11 confessio odiosa, sed necessaria 453.14 dignitas 437.20 prudentia 459.5 tentatio 456.26
Legitima rerum diuisio ut in iudicio, pondere et mensura cernatur 691.40
Lepra quid 641.40.53 curabilis 655.5 spiritualis 653.13
Lepræ genera 650.30.41
Lepræ incurabilis signa 651.58
Leprosi à Christo cur ad sacerdotes missi 651.27
Leprosi purificandi lex 654.56
Lepus 640.31
Leuitæ à sacerdotibus quid differant 755.23 cur rasi 776.2
Leuitarum cura 886.14 tribus dispersa ibid.40 munus ibid.53 oppida 887.17 præmium 588.24
Leuitarum administratio, militia appellata 777.2
Leuitarum ministerium 755.17
Leuitarum suburbana 887.17
Leuitarum tribus cur unà cum tabernaculo medium locũ in castris sortita 753.10
Leuitarum uictus qualis, & cur ex decimis sumatur, eiusq; figura quæ sit 820.3
Leuitas pro primogenitis reliquorũ Israelitarũ haberi 755.44
Leuitas purificandi ratio quæ fuerit 773.46
Leuitas recensendi tripartitus modus 757.47
In Leuitis pili cur rasi 774.3
Leuiticus unde dictus 603.11
Leuitici libri argumentũ 603.2(40
Leuitici sacerdotij autoritas 701.
Lex à Mose cur promulgata sit 504.30 & 928.35 cur in tabulis saxeis scripta 504.34 cur pædagogus 420.4 cur repetita 893.6 unde dicta 307.50
Lex diuina quid 504.16 unde dicta ibid.20 tripartita 504.22
Lex de abstinenda manu à sanguine 678.16 emendarũ & uendendarũ domuũ 727.12 de mutuo & fœnore 727.37 de sarcitẽdo damno alieno 526.54 de seruitute 519.32 de seruis tractandis 729.55 de uirginũ stu

pro & raptu 531.14
lex magistratus mutus 1003.56
lex ministra iræ 69.8 lex angelorum ministerio data 503.43
lex naturalis tenebræ 602.25
lex noui fœderis quæ 211.20 peccati 63.13
lex purificandi leprosos 654.56
lex Romana de occisis seruis 527.46
lex uetus & noua 211.29.33
legis & euangelij collatio 210.53 discrimen 502.43
legis diuinæ usus 855.10
legis Mosaicæ & spiritus Messiæ discrimen 517.30
legis Mosaicæ finis 944.13
legis & spiritus collatio 514.54
legis finis 166.27 munus 51.17 et 60.21 & 166.27 & 222.8 splendor intolerabilis 601.26
legis naturalis obscuratio 690.9 uis 468.23
legis tabulæ quid significent 686.44
legislator à iudice quid differat. 499.44
ad Legis tractationem quæ necessaria 515.6
legis uiolatæ exemplum 582.30
legem bifariam obseruari 1075.3
legem Mosaicam peccatum augere 785.30
leges de fœdo concubitu 672.11
leges secundæ tabulæ cedunt primæ 516.13
leges cur σωθῆναι dictæ 501.49
legum genus duplex à Mose propositum 946.12
legum scriptarum diuinitas 586.46
Liber bellorum Domini 496.31 et 833 45
liber Dei duplex 588.50
de Libro uitæ deleri ne possint in eo scripti 588.57
libelli repudij scriptionis formula 1054.30
liberalis animi exemplũ 293.28
libera uoluntas quid 82.12 & 195.6 & 926.45
liberi donum Dei 80.6 & 250.10
liberi cur בגים uocentur 251.22
liberi contumaces ut puniendi. 1035.53
liberi γλυκηρὸν βλάστημα 382.11
liberi qua ratione parentes uenerentur 675.1
liberorum usus 333.1
liberis carens cur Hebræis ערירי 144.13
liberum arbitrium quid 82.5
liberi arbitrij explicatio 923.30
liberi arbitrij quæstiones & obiectiones uariæ explicantur 927 50 & 930.1
libertas ciuilis quid 521.44
libertas exterior 523.32 Interior 35
libertatis in statu uitiatæ naturæ relicta semina 521.2
libertatis definitio 522.3
libertatis duo genera quomodo sint distincta 927.8
libertatis sacræ ius 69.14
libertatis sacræ descriptio 522.28
libidinum pœnæ 353.13
libya duplex 220.28
lignum scientiæ boni & mali. 48.26
lignum uitæ 48.19
lingua homini cur data 513.34
linguarum dissimilitudo à peccato inducta 126.1 numerus 126.15
literarum uetustas 543.1 usus ante diluuium 874.8
לקח uerbi usus 91.49
locustarum mystica explicatio. 469.34
locustarum natura 469.20
locutio hæc: Vos estis filij Dei uestri quid innuat 982.43
λόγος 46.50
Lothi cõcubitus cum filiabus quid figurarit 273.16
lucernarum ceremonialium usus 714.6
luctus Iacobi 22 annorum 364.45
luctæ & uictoriæ sanctorum fructus 347.1
luctus sacerdotib. prohibitus 635. in Luctu mortuorum corpora nõ esse laceranda 982.54
lumbi generationis symbolum. 356.40
lumen naturæ quatenus cum lumine fidei consentiat 922.34
lumen sanctorũ quo Deus cognoscitur quale 164.50
luminis naturalis præstantia 916.15
luminarium cœlestium ordines. 16.5 usus 16.22
luna stellarum minima 19.35
lunæ ambitus 21.8 officium 19.48 uicissitudines & uarietates 21.12
lunæ & solis collatio 919.55
lunaris luminis cum solari concordia 922.7
lunaris sideris uis in rebus inferioribus 17.12
lupanaria in aduersarij regno. 1046246
lupi in ecclesia 738.18
lustralis aquæ ratio 773.54 & 822.56 typus 773.54 usus & usus 823.35
luti Aegyptij typus 425.14
lux mundi 5.27
lucis beneficia 7.50
lucis & tenebrarum fines 6.11
lucis finis 7.56
lucis & tenebrarum filij 6.28
lucis natura 3.32
luce & tenebris quæ figurentur. 9.14

M

Macedonia 217.53
madian Abrahæ & Cetheræ filius 363.51 & 865.45
madian urbs 430.8
madianitarum duo scelera reprehensa 854.36
madianitarum prædæ diuisionis explicatio 868.46
in Madianitarum ultione quæ cõsideranda 865.30
magistratus animata lex 1003.56 cur à Deo institutus 176.51 Dei minister 511.45 qualis eligendus 449.50
magistratus ciuilis Israelitarum quid singulare & proprium habeat 1003.4
magistratus ecclesiasticus quo munere fungatur & quales iudices habeat 1004.20
magistratus ecclesiasticus non tollit ciuilem gladium 1005.28
magistratus Israelitarum duplex 1002.48
magistratus ciuilis institutio, partes, usus 112.9. & 1002.50
magistatus ciuilis & ecclesiastici collatio 1005.4
magistratus & eorũ qui parent, consensio, quàm reip. salutaris sit 814.10
in Magistratu utroq; qui errores committantur 1006.23 608.38
magnetis uis 816.42
magog mag-

magorum Aegyptiorum infirmitas 466.27
magorum & incantationum anicquitas 837.7
malachiæ uerba de Esao & Iacobo explicantur 442.38
מלמרש 970.43
maledicere quid 73.1
maledictionis genus bipartitum. 738.46
in Maledictione spirituali etiam feras suas cerni 738.17
maledictorum genera duo 527.10
malefici qui 461.15
mandragoræ usus 332.2 odor ibid. 33
mane cur בקר 8.35
manna quid 493.12 cœlestis 491.24
manna ponderosa ne fuerit 831.8
mannæ contemptus 786.38 figura 493.2 sapor 494.16 lex & usus 493.12
mansionum Israeliticarum numerus 873.11 mystica earum ratio 20
mansuetudo unde uascatur 792.30
mare diuinæ sapientiæ & potentiæ Christus 12.20
mare salsum unde dictum 883.56
marium, sinuum, montium, quis usus 909.37
maria soror Mosæ Aethiopissa 791.44 cur lepra affecta sit. 704.34
maria quare puerperij leges obseruarit 650.15
maris constitutio 11.55
mares familiæ columnæ 867.50
mars ἀλλοπρόσαλλος 139.51 & 831.30 Mineruæ inuisus 138.47
matrimonium quid 52.21 ad quid institutum 672.31
matrimonij dignitas & commendatio 51.56 & 296.5
Beatitudinæ uetustas, eiusq; commendatio 527.35
melchisedecus Semus, filius Noæ 141.52
melchisedeci nomen, locus, condi tio 140.26
melchisedeci & Christi collatio 130.32
mellis natura 611.20
membrorum corporis harmonia & consensus 816.50
mens philosophis quid 53 13
mentis humanæ renouatio in hac uita 69.30
mensis unde dictus 472.55
mensium nomina Hebraicè 107.28
mensium apud Hebræos initia. 42.57
menstrui muliebris incommoda 648.14
menstrua unde dicta 659.5
menstrua ad lunæ motum moueri 658.43
menstrualis fœminæ lex 658.42
mercatura laudata in tribu Zabulonis 410.10
mercaturæ uetustas 293.40
mercenarius qui 703.40
mercenarius & eius typus 703.41
de Mercenario lex 1058.39
mercurius Trismegistus 4.16 & 914.44
de Meretricibus in rep. Israelitica non ferendis 1046.38
meritum congrui & condigni. 244.33
meritorum locus nullus 179.22 244.40
mesopotamiæ fœcunditas 50.32
messias ex filiabus Lothi natus 274 10
messias שדר 356.24
messias cur Dominus appelletur 969.26
messias cur in terra scripserit peccata eorum qui adulteram adulterij accusabant 765.25
messias cur sit חטאת 616.49
messias sub angelorum, nubis, propitiatorij, uictimarum typis Israelitis in uetere fœdere apparuit 736.27
messias ut execratio factus 1036.47
messias ut sit holocaustum & minha 608.42
messias ut sit sacrificium שלמים 614.26
messias ex Paretz 369.38
messiæ aduentus quotuplex 1093.46
messiæ thronus igneus 812.54
messiam prophetam esse de quo Moses prædixit 1019.40
in Messia solo omnia fructuosa 738.π
metallariæ uetustas 961.ιε
τῶν μετεώρων descriptio 468.11
metus definitio 828.47
metus seruilis 932.44
metus unde nascatur 828.47
mellis in sacrificijs cur nullus usus 611.36
militaris delectus descriptio 866.1
millenarij numeri notatio 957.30
millenarium sanctorum seruationi conuenire 957.34
miluus 641.52
minha 637.26
ministerij uerbi comprobatio 952.51
ad Ministerium uerbi qui deligendi 214.23
in Ministri fidi Dei fide duo cerni 793.42
ministrorum euangelij munus 213.35
in Ministris rerũ sacrarũ deligendis quæ spectanda 776.25
ministros Dei purgari prius quàm ad ministerium sacrum admittantur 774.36
miraculorum causa, usus, & exitus 436.6 & 461.43 & 943.50
מישהת 267.ιε
מיערים uoce quæ significentur 18.10
Mœroris natura 364.53
Molochi cultus 673.17
monachorum uota cassa & irrita 865.20
monoceros quem figuret 845.33
monocerotis descriptio 845 ferocitas indomita 845.20 figura ibid.
montes duo Dei nomine insignes. 785.32
montosis in locis firmiora corpora gigni, & à Gigantibus habitari 906.14
mortis descriptio 92.7
mortis nostræ usus 506.34
morticina & eorum typus 985.29
מוריה 285.3
moses an à Paulo dissentiat ubi dicit, Maledictus qui non manserit in lege 1073.40
moses & Aaron cur extra promissam hæreditatẽ sepulti 829.48

moſes arbiter ueteris Teſtamenti 208.42 arbiter inter Deum & Iſraelem 502.6 Deum quo modo uiderit 593.10 legislator antiquiſſimus 422.31 à reliquis legislatoribus quid differat 892.48 Hercule antiquior 887.42 quatenus abrogatus 669.30 quo tẽpore uixerit 422.37 ſcriptor uetuſtiſſimus 1099.20
moſes & Helias duo iurati teſtes 859.56
moſæ diffidentia 827.42 facies cornuta 601.20 genus 459.32 manſuetudo 792.17 & 793.52 & 813.50 modeſtia 436.53 natiuitas & educatio 428.16
moſæ interceſsio ad Deum pro rebelle populo, & eius loci 800.1
moſæ laus 792.11
moſæ precatio & eius loci 585.6
moſæ & Aaronis extra promiſſam terram ſepulturæ myſtica explicatio 857.26
aduerſus Moſem populi expoſtulatio 708.15
de Moſæ ſpiritu ſumere quid ſit, quid item de Chriſti 788.40
muli 359.38
muliebris impudicitiæ exemplum 370.30
muliebris libidinis inſania 371.5
de Mulicbri impudentia lex 1063.13
mulier alienigena in bello capta & in uxorem ducta ut tractãda 1034.3
mulier uiri ornatu non induenda 1038.8
mulieris in uirũ reuerentia 72.35
mulierum ingenium ad mala uerſutiſſimum 371.37
mulus ſterilis 359.45 & 682.8
mundus duplex 35.20 hominum liber 508.8 mare æſtuans 12.12 quo tempore conditus 14.4 unde dictus 344.8
mundus quibus artibus & modis contra ſanctos pugnet 854.30
mundi alterius conſideratio in priore adumbrata 33.10
mundi appellatio ueterum theologorum 15.52 ingratitudo 247.53 renouatio per ignem conficienda 606.40
mundo aſpectabili quæ adumbrentur 5.55
munerum uis 343.46
munerum Dei uſus 1075.16
mus 645.4
muſicæ inuentor 87.1
muſtela 642.50
Mygdale 645.20
myrrha 578.40
myſteria Dei abſcondita philoſophis 917.50

N

Nabuchodonoſor Babylonis extructor 126.37
natura Dei in Iehoua expreſſa 38.10
naturæ noſtræ corruptio & infirmitas 183.54
naturæ dotes poſt contractam noxam non omnes homini ademptæ 521.20
naturæ omnes bonæ quomodo cõditæ 78.22
נזכ 715.54
nazaræi uotum 767.46
nazaræi Deo ſacrati 718.33
nazaræi cur non attingant cadauera quæ ſit myſtica ratio 770.8
in Nazaræis pilorum typus qualis 769.33
nazaræorum conſecrationis & coronæ typus 770.23
נזרים 897.46
Neceſsitudo carnalis quotuplex. 667.27
neceſsitas duplex 463.10
νεκρομαντινὴ 687.10
nephthali 411.50
נזר pro corona & conſecratione 770.23
נחם 49
נדה pro luſtrali aqua cur ſumatur 823.6
נאץ 799.40
Nili acceſſus & receſſus 462.40 971.40. & ortus 48.18
nimrodus primus à diluuio tyrannus 118.55
nimrodi & Babelis typus 124.30
niniue urbs uetuſtiſſima 220.3 à quo condita 220.14
niniuitarum pœnitentia 264.22
Noa cuius typum cum arca & diluuio gerat 101.4
noa primus æs in pecuniæ uſum ſignauit 293.1
noa ſacerdos 109.4
noæ memio in Sibyllinis oraculis 97.56 642.36
noctua
nomini Dei quoties maledicatur 716.57
nouus homo qua ratione legem impleat 514.31
Nubes cur delecta quæ ducẽ præſtaret Iſraelitis 780.28
in Nube ſignificatio beneuolẽtiæ diuinæ 780.15 780.22
nubium utilitas 587.42
nuditas in ſacris literis 935.27
numa Pompilius
numeri appellatio apud ueteres. 15.10
numero, pondere & menſura uti omnia condita ſint 32.25
numerorum libri argumentum 749.1
nuptialium conuiuiorum uetuſtas 329.27
nutrices quales deligendæ 299.12

O

Obæratis artis inſtrumenta non tollenda 1055.53
obedientiæ fidei exemplum 130.43 in Abrahamo 285.33 425.24
obſtetricum munus 577.45
obolus
Oceum damnatũ 50.46 & 513.10.
octonarius numerus 10.55 & 105.6.30 & 257.55
octonarij numeri conſideratio 863.56 987.49
oculus malus quis 282.28 409.48
oculi animi & corporis
oculi Meſſiæ 785.23
oculorum uice eſſe quid
Odium alterius an à nobis deponi poſsit 679.56
odium & contemptus fratrum omnium malorum fons 678
odium Dei in peccatum 96.47 72.18
odium quid 909.7
Oggus gigas 818.8
Oleum unde dictum
oleum admirabile quod in natura ſpectatur, ſed arte contectũra 780.50 612.18
olei & ſalis diſcrimen 711.36
olei uis 631.4 & 635.6

usus 559.55 & 579.40
oleum lucem continere 713.38
oliuæ ramus lætitiæ symbolum. 108.48
ὁλοκαύτωμα
ὄλυμπος 571.17
Omentum quid 10.28
עברים 613.52
Onocratulus 687.38
onychinus 643.10
onycharum gemmarum usus 49.52 & 563.50
Opes diuinæ benignitatis munus 348.4
opus Dei proprium & alienum quod 694.56
opus legis propriũ, docere diuinã uoluntatem 517.10
opera carnis & spiritus 238.6. 14
operum Dei ordo 345.25
operum Dei uices 376.27 & 436.26
oppressorum arma 431.16
Orare pro inimicis, noui hominis opus 275.50
oratio quid 46.48
oratio sanctorum quandoque infirma 910.7
oratio uictoriam sanctis de hostibus parat 495.46
orationis necessitas 826.41
orationis piorum uis 333.54 & 431.10 & 464.10 & 496.7 usus 934.45
orationis propheticæ uis 355.36
orationis sacerdotalis uis 814.4
ad Orationem quæ requirantur. 826.44
oraculorum Dei firmitas 379.42
Summa 1100.52
orbis terrarum clades tres 137.41
ordo qui in creatione mundi seruatus sit 16.10
ordo à sapientia diuina in ecclesia Israelitica sancitus 616.34
orestis corpus 901.2
oriens quare in honore habitus 47.46
originis peccatum fons reliquorũ 57.35
originis peccati definitio 57.40
orionis corporis altitudo 900.55
ὀρίζοντες 19.13
ornamenta à sanctis usurpata. 296.40
ὄρος quid 51.28
orpheus philosophus uetustissimus 914.30
Ossium robur 778.27
de Ossium mortuorum ueneratione antichristi error 823.5
ostentorum usus 485.40
ostentorum Dei & satanæ discrimen 461.40
Ouium commoditas & usus 398.20 & 613.40
ouibus populus & pastori dux cur comparatus 858.52

P

בסר 435.24
Pacis nomine quæ contineantur. 773.16
pacis & afflictionis tempora ueteris Testamenti 734.34
pacis utilitas 773.17
pactum quid 255.14
pacti conditiones 263.53
palæstinorum tecta 1039.8
palmæ natura 368.32
panis & corporis Christi collatio 779.50
panis ortus & natura 1000.1
panis uis 141.15
panis usus 261.1
panes azymi 569.3
in Pane tria considerari 961.4
paradisus homini cur paratus 47.56 hortus in Eden 47.55 terræ sacræ uicinus 883.20 terrestris & cœlestis. 240.5.12
paradisus terrestris ubi 92.24
paradisi cœlestis flumina 246.22
paradisi cultus 48.12 locus 47.44
de Paradisi situ controuersia 50.38
paradisi situs unde cognoscatur. 49.10
parentes proximi Deo 510.20
parentes quomodo honorentur 510.26
parentes culpam liberorum non luere, neq; contrà liberos parentum 1055.6
parentum in liberos potestas in contrahendis matrimonijs 350.57 & 531.26
parentum probitas quatenus filijs prosit 342.38
parentibus an obediendum, si contra præceptum Dei ad falsum cultum cohortentur 981.7
παῤῥησία & πλεονοφορία quid. 222.42
partus miraculosi 423.23
paschatis noui & ueteris collatio 991.54 & inde. usus ibid.
pastoralis muneris dignitas 80.32
pastoricia cura erga infirmum pecus 348.17
patientiæ definitio 426.43
patientiæ in tentatione fructus. 277.16
patrisfamiliâs cura erga suos. 347.5
patrisfamiliâs prudentis exemplum 301.14
pauli raptus in tertium cœlum 7.38
pauperes ut diuina ratione tolerentur 988.43
de Pauperum cura lex 1060.30
פח 781.5
Peccata diaboli & hominis quæ in re differant 64.47
peccatum originis quid 57.40
peccati originis fructus 56.44
de Peccato originis errores 514.3
peccatum in spiritum sanctum 65.5 uitio originis continetur ibid. 44
peccati autor quot modis quis dicatur 930.48
peccati condonabilis & incondonabilis discrimen 64.34
peccati fœditas quanta 617.46 magnitudo 103.53 pœnæ 480.50 uis 110.13
in Peccato expiando iustitiam & clementiam Dei cerni 225.4
peccatorum confessio in antichristi regno 651.10
Pecuniæ origo 534.10
pecuniæ usus 292.38 antiquitas & usus 904.37
pectus et dexter armus sacerdotibus tributa 629.18
פגר 899.8
פגר ira in uultu apparens. 737.14

pente-

pentecoste Mosaica quid differat à pentecoste noui fœderis. 709.41
pentecoste noui Testamenti 709.30
pentecostes institutio 709.14 usus 21
peregrini & uiduæ fouendæ 532.54
פרץ peretz 323.45 & 363.24
perfectio hominis duplex 254.53
perfidia malefactorum fons 515.53
periurij pœna 910.50
inter periuriũ & mendacẽ nihil interesse 616.46
personam Deum non respicere, ut intelligendum 969.38
pesah agni utriusq; fœderis collatio 778.34
משח 599.10
petræ in solitudine fundentis aquam quæ figura 827.2
petræ percussæ iurga Mosaica quæ figura 827.22
ad Petram Mosaicam iurgia, cuius petræ iurgia figurarint. 828.4
Phanuel 347.3
pharaonis euersi usus 498.1
phialæ 550.6
philosophia an rationem comparandæ salutis ostendere possit 914.7
philosophia lunari lumini comparata 919.53
philosophiæ laus falsa 918.56
philosophi ueteres de Iehoua quid senserint 39.32
philosophorum de bonorum finibus discrepantes sententiæ. 919.15
philosophorum chaos 3.20 de Christo errores 5.47 leuitas 919.3 lux tenebræ 217.17
phinees 853.13
phinees Messiam ut figurarit 853.37
phinees quo præmio ornatus sit ob res fortiter gestas 853.24
in Phinees duo commendari. 859.9
in Phinees heroicæ uirtutis exemplum 853.23
phison fluuius 49.40
phocylides de aduenis 532.40
physicum prædictionum genus. 685.1
φῶς ἀγαθὸν 8.6
Piaculare sacrificium tripartitum 863.26
pietatis in uxorem mortuã exemplum 291.40
piorum & impiorum collatio. 85.20
piorum & impiorum exitus contrarius 272.44
piorum & impiorum separatio. 119.57
pilorum ortus 769.20
pisces ad sacrificia inepti 604.34
pisces pinnati 641.4
pisces à sacrificijs quare excluſi. 23.50
piscium natura & ingenium 23.40
Plantarum tria genera 627.10
plumbum metallorum fex 424.53
plumbum עברה cur appellatum 487.37
plumbi similitudo ad crucis onus 424.54
pœnitentiam necessariam esse ad remißionem peccatorum non meriti, sed præparationis ratione 663.18
pœnitentiam falsam & ueram esse 663.28
pœnitentiam ueram constare lege & fide 63.24
in Pœnitentia quæ ponderanda 665.30
pœnitere quid 844.10
pœnitere Deus qua ratione dicatur 96.43 & 844.34
Polyphemus 905.30
de Ponderibus & mensuris lex 1063.32
pontifex Romanus iurẽ ne alijs ecclesijs præsit, cũ summus sacerdos de Aaronis familia Israelitis præfuerit 1011.32
pontificis Romani tyrãnis temporibus Phocæ confirmata. 1015.3
prædestinatio Dei non alligata ad nostrã uoluntatem 192.20
prædestinationis definitio 192.5 & 193.38 origo 25
de Prædestinatione extra Christũ non loquendum 197.21
prædictiones falsæ prophetarum falsorum opus Dei 857.56
prænotio Dei ineuitabilis 439.52
præputium cordis quid sit 968.26
præputij nomine quæ accipiantur 684.4
præputia arborum resecare quid sit, & quæ mystica significatio 684.18
præsentia Dei maximè conspicitur, cum à creaturis destituimur omni ope 370.1
præsentiæ Dei in rebus afflictis exemplum 307.47
præscientia quid 190.30
præscientia humana & diuina 450.46
præscientia Dei cum uoluntate & facultate coniuncta 450.30
præsidio humano destitutos Deus curæ esse 969.57
primitiuorũ dies duplex 862.50
primogenitorum Aegyptiorũ & Israeliticorum comentio 753.56
primogenitorum typus 757.13
primogenitorum cur tanta dignitas 755.52
primogenitorum oblationis usus quadripartitus 990.44
primogenitorum legis usus 482.3
primogenitura ad quos pertineat 369.14
primogenituræ dignitas 80.38 et 401.38 finis 451.56
primogenituræ Aegyptiorum interitus 471.52
primogenitura qua freti pij uincant peccatum & mortem. 307.8
primogenituræ mysterium in eo quod duplicem facultatem partem accipit 1035.51
principum munus quod priuata & publica uindicta quibus cõmissa & prohibita 528.11
prodigiorum usus 468.54
propitiatorium festum 710.45
ad Propitiatoriũ conuersa precatio quid figurarit 826.48
propitiatorium ueteris fœderis. 241.2
propitiatorij structura 548.28 materia 31 usus 548.54
prophetæ uidentes dicti 276.12
prophetæ falsi & mercenarij uatis quæ signa 836.52
prophetarum uerorum & falsorum discrimen 837.40
à Prophetis falsis cur uera denũciata 842.4
prophe-

prophetiæ definitio 793.3
prophetiæ genera 393.17
prophetiæ præstantissimum genus quod 794.11
prouidentia Dei nostra mala uertit in bonum 416.20
prouidentia Dei in coercenda aquarum mole 31.41
prouidentia diuina quid 396.4
prouidentia diuina de uestiendo Adamo 75.20 erga ecclesiam profanatam 353.21
prouidentia Dei in suos 130.28.134 55
προχειρωνία 687.23
Pulsatio parentum capitalis 526. 45
purgatorium ficticium antichristi quas opes afferat suis cultorib. 696.44
purificationis spacium maribus et fœmellis quantũ datum 649.23
purificandi lex 657.56
purpura quid 546.10
Pyramidum origo 424.32
pythia oracula 687.27

Q

Quadragenari us numerus, purgationi sacer 105.19
quadragenarius etiam à natura ob seruatus numerus 544.87
quadratæ formæ laus & usus 754. 3
quadriga Ezechielis 23.56
quaternarij numeri dignitas 475. 14 perfectio 754.12
quatuor anni mutationes 18.25
quinarius numerus sacer 38.46
quinarius numerus centrũ sphæræ ex denario confectæ 38.48
quinta ultra summam pars quid significet 622.23
quinquagesimus numerus quieti sacratus 758.3

R

ῥαῤδομαντεῖα 687.4
רוח apud Hebræos quid 5.34
רחל 740.25 & 741.53
rachelis mors 357.12 & 395.35
ranarũ generatio ex limo 463.30
rationis & iudicij particeps ætas 871.4
Rebecca typus ecclesiæ 296.14
rebellionis contumacis & ingratitudinis exemplum 785.34
rebellionis incommoda 736.50
rebelles & diffidentes quomodo sine in mundo 931.8
de Rebellibus lex 2030.54
reconciliandi modus 1091.40
recordationis sacrificium 765.51
regni Christi descriptio 408.34
regni Israelitici usus 1017.23
regni Romani origo 3602
regnorum mutationes decreto Dei fieri 829.17
rex ποιμὴν λαῶν 374.44
de Rege creando lex 1017.10
regenerationis cœlestis uis 185.30
reiectionis & reconciliationis tempora 148.8
religionis semina diuinitus insita 915.9
in Religione sine uerbo Dei nihil tentandum 583.50
remissio peccatorum & satisfactio iustificationis pars prima 160. 8
remissio peccatorum sine pœnitentia nulla 663.20
remissio peccatorum gratuita 68. 54
renes unde dicti 614.41
renes libidinis sedes 570.9
reprobos cur Deus ferat 448.22
repudij causa 1049.44
de Repudio lex 1049.40
in Repudio explicando Moses an à Christo dissentiat 1050.30
de Repudio propositæ quæstiones aliquot explicantur 1050.33 & 1051 & 1052 & 1053 & 1054
repudiati qui 188.1
repudiatorum pœna 65.40
rerum creatarum diuisio 385.2
rerum diuisio naturali & diuino iuri consentanea 855.14
rerum cognitio in primo homine 52.56
rerum confusionem Deo displicere 682.45
rerum genitarum inter se connexio 19.20
rerum cõmunio inter maritum & uxorem 54.32
resina quid 363.35
respublica uera & uitiosa quæ. 421.53
reipublicæ cœlestis capita 694.27
rerumpublicarũ genera duo 421.13
reip. administrationem diuinã rem esse 898.53
reip. terrenæ & cœlestis collatio 694.5
reip. temperatæ genus à Mose delectum 898.23
ad Remp. gerendam qui apti sint 898.23
resp. duabus rebus conseruari, pœnis & præmijs 853.8
resp. tribus rebus conseruari 694. 23
resurrectionis corporũ argumenta in natura sparsa 680.16
resurrectionis spes 74.56
respiratio exigua cuius rei signũ 24.53
reticulum 614.21
Rhaguel socer Mosæ, Mercurius Trismegistus dictus 430.50
Romani imperatores pontifici subiecti 669.18
roris mystica significatio 787.17
רוגז Hebræis motus ac perturbatio animi 763.57
Rubenis primogeniti benedictio 401.16
rubi in quo Deus Mosæ apparuit explicatio 432.4
ruminantia animalia quorum ad moneant 984.24

S

Sabbathum bipartitũ 581.26 & 986.46
sabbathum cur sanxerit Deus homine creato 35.30
sabbathum exterius 706.33 interius 35
sabbathum Mosaicum 36.28
sabbathum quotuplex ad distinctionem personarũ & rerum à quibus uacatur 706.26
sabbathi obseruatio 509.30
sabbathi benedictio 36.11 sanctificatio à quibus fiat 36.23 & 509 18 & 581.50 uiolatio 947.26 usus 707.3
sabbatho robur concedi 705.12
sabbathe prima Sbylla, Noæ nurus 110.15
sabbatharij anni usus 987.7
sacerdotalium corporum integritas quid significet 701.43
sacerdotis munus 753.28 officium duplex 571.37 officia uaria 565.30
sacerdoti cur uirgo ducenda in uxorem 780.43
sacerdotes à cura rerũ mundanarum liberi 819.36
sacerdotes antichristi ut delinquant

quant aduersus legem funebrem Mosaicam 696.38
sacerdotes luctu funebri contaminari 696.18
sacerdotum & leuitarum ordo in portandis uasis tabernaculi & eius ordinis quis typus 758 27
sacerdotum apud Aegyptios honor 377.20
sacerdotibus quæ dedecori 609. 40
inter Sacerdotes et reliquos Leuitas quid interſit 755.22
sacerdotij dignitas 744.57 & 754.27 inſtitutio 560.30
sacerdotij legalis imperfectio 140 53
sacerdotij regij officium triplex 420.31
sacerdotalis initiationis ritus 620 40
sacerdotalis conuiuij deſcriptio 630.45
sacerdotale munus quod 142.31
sacramentum quid 993.36.42
sacramentorũ numerus apud Hebræos 993.22
sacrificium dapale 572.13
sacrificij dapalis deſcriptio 608. 40 ritus 609.4 uſus 609.18
sacrificium expiatorium 615.24 laudis 626.53 uoluntariũ ibid. 56 ex pane 612.50 Papiſticum 216.7 ſabbathorium 862.4 ueſpertinum 623.40 matutinum ibid.43
sacrificij exploratorij quod adhibetur de adulterio ſuſpectæ uſus 761.25
sacrificij שלמים lex 626.53
sacrificia initiatoria 630 18
sacrificia cur inſtituta 636.4
sacrificiorum apud gentiles impietas 604.42
sacrificiorum genera 603.23 & 568.34 & 771.17
sacrificiorum piorum & impiorũ diſcrimen 843.45
sacrificiorum in ceremonijs præſtantia 572.38
sacrificiorum uſus 603.34 uetuſtas ibid. autoritas 604.24
sacrificijs cur certa deſtinata loca 664.6
in Sacrificijs nouiluniorum quæ expendenda 862.14
sagarum ſupplicium 531.45
sal cur deſtinatum ſacrificijs 612.1
sal ſterilitatis terræ cauſa 272.22
salis fœdus cum ſacerdotib. ictum quid repræſentet 819.4
salis natura 272.3 & 611.46 & 818.54 ſtatua 272.10
ſale & ſole corporibus nihil utilius 611.51
ſalomonis ſapientia 53.2
ſalutis comparãdæ ratio in quib. conſiſtat 290.23
ſalutis expedicndæ methodus 881 38
ſalutis noſtræ certitudo 197.57
ſamſon ſerpenti comparatus 410 53
samuel ex familia coræ 460.9
ſanguis aræ 576.34
ſanguis duplex 976.46
in Sanguine animantiũ uita 628. 23
ſanguis quid 41.16
ſanguis ueteris & nouũ fœderis 209 33.38
ſanguinis ortus & uis 664.53
ſancti mortui Deo curæ 84.1
ſancti Dei tabernaculum 555.39
ſanctorum amplitudo 460.20 arma 83.34 cadendi & reſurgendi uices 827.32 cibus duplex 492.291 cum capite Chriſto connexio 70.13 cum ſerpente pugnæ 65.36 dignitas 143 52 facta in exemplũ non trahenda 251.40 & 269.30 gaudium 223.3 infirmitas 114.20 mors 414.54
ſanctorum oratione & fide Deus uinctus tenetur 584.44
ſanctorum patrum exempla quatenus imitanda 329.56
ſanctorum peregrinantiũ in hoc mundo ſors 292.7 præſidium 489.57 robur in infirmitate 424.35
ſanctorum ſeruorum Dei ſors 89.26 & 429.32.791.35
ſanctorum ſpiritualis cum Chriſto ὁμοιωσις 480.32
ſanctorum ſtratagemata 128.30
ſanctorum uita militia 307.34
ſapientia Dei quibus conſtet 32.22
ſapientia in ſacris literis quæ 933. 11
ſapientiſſimi in mundo idololatræ 506.40
ſapientes qui ſint 997.35
ſapphirus 563.28
ſapphiri color 543.36
ſapphirinũ opus quale fuerit 543. 34
ſaræ continentia 262.22 dominatus in Hagarem 252.13 mors et ſepultura 291.22 raptus 274. 43 riſus 258.40. 562.48
ſardius gemma
ſathan homicida 58.15 quæ ratio ne induret impios 438.54
ſathanæ caput quod 61.35 potentia in ludificando 462.2
Scala Iacobi 322.20
ſceptrum Iudæ 404.50
ſceptri regij uſus 850.28
שׁשׁח 763.23
שׁח genus aquorum et hædorum 473 285.2
שׁבר 112.45
שׁרץ 354.18
ſcortum unde dictum
ſcortatio cultui falſo adiuncta 852 20
ſcortationis fœditas 852.40 pœnæ ibid. 52
ſcortationis punitæ exempla 512. 10 852.12
ſcortationis ſcelus 867.29
ſcortationum fructus de Scortatione uitanda lex 1046. 36
Sectarum & prauarum opinionũ quæ cauſa 71.45 348.52
ſeir mons 121.35
ſemi benedicti genus
ſenarius numerus 36.45 ſenarij numeri laus 648.54 1003.22
ſenatus quid 1003.22
ſenectutis ueneranda lex 691.16
ſenſus animorum nuncij 214.13
ſenſus præſtantiores aſpectus & auditus reliquis 381.36
ſententiarum diuinarum bipartitum genus 809.48 ut tenetur Deus 955.36
de Sepeliendis in crucem adactis lex 1036.34
ſeptember primus anni mẽſis 107 26
ſeptenarius expiatorius noxæ ritus 737.25 puritati ſacramentus 102.40 quietis numerus 287.45
ſeptenarius quadratus propitiationi ſacratus 719.33 ſeptẽ-

septenarij numeri dignitas 36.30
obseruatio 649.10
septimus dies luctui dedicatus 415.38
septuagenarij numeri celebritas ibid.
septuaginta qui iuuent Mosem electio 788.16
sepulchralis monumenti uetustas. 357.23
serpẽs primus peccati auctor 63.51
serpẽtis exaltati significatio 67.22
serpentis impostoris artes 58.46
serpentis mystici & ueri comparatio 832.42
serpentes igniti 832.3
serpentum cibus 66.25
serpentum lingua trisulca 71.38
prudentia 58.31
serui liberi & liberi serui 683.23
serui ut tractandi sint 947.39
seruorum consolatio 521.35
de Seruis perfugis ut tractãdi sint lex 1045.51
seruilis ingenij natura 252.2
seruitutis descriptio 512.18
seruitus duplex 730.1
seruitus spiritualis quid 522.50
seruitutis genera quatuor 989.24
seueritas diuina in crudelitatem hostium sanctorum 1044.3
seueritatis diuinæ iustitiæ exemplum 695.9 & 541.26
Sibyllarum uaticinia 34.37
sichimorum excidium 400.44
sicilus 293.33 & 764.10 & 577.28
sicli duo quos noxalis aries uadeat, quid significent 622.9
sideralis & beneuolentiæ Dei prænuncia 17.43
siderum usus 938.40 uarietas 939.10
sidon urbs 220.50
silo Messias est 407.56
de Silo interpretum uariæ sententiæ 408.1
simile à sole 898.6
simulatio quæ uitiosa 314.13
sinæ mõtis uariæ nomina 877.50
sinæ montis commotio 503.35
σιτολόγοι 375.31
smaragdus 563.4
Societas generis humani lex 29.14 & 510.38
sodomæ ciuitatis magnitudo 272.30
sodomorum interitus 271.41
sodomorum interitus typus uniuersalis iudicij 265.30
sodomorum peccata 136.12 & 264.11
sollicitudo de uictu quatenus prohibita 494.8
solennitas diei propitiatorij 711.29
solennitatis & sabbathi usus 711.54
solennitatum septimi mensis mystica consideratio 863.8
sol & luna quam spiritualium rerum significationem habeãt 20.5
sol dux temporũ & stellarum 19.30
sol unde dictus 19.32
solis defectio 19.43
officium ibid.47
solaris luminis cum lunari comparatio 20.13
solonis lex de serendis agris 682.33
somniorum interpretatio Dei est. 372.37
sors cur adhiberi solita 855.44
sortis definitio 855.56(54
sortis iaciendæ mos uetustus 855.
sortis mittendæ forma 660.15
Spartanorum de Athenienſib. dictum 917.7
spes quid 219.37
spiritus adoptionis qui 69.3 & 208.32
spiritus duplex 3.52
spiritus sanctus in homine uis ignea 206.27
spiritus Christi ad iustificationem necessarius 2.40
spiritus & lux duo instrumenta exornandi cœli & terræ 2.50
spiritus Dei amor quo mundus cõditus 4.18
spiritus sancti munus 178.33 & 206.38 & 395.36
spiritus sancti uis tripartita 156.23
spiritum ferri super aquas quid 4.35
spurius Seruilius 1054.37
Stacte 580.11
status hominis corruptus 56.14
status hominum duplex 519.40
stellarũ splendor & claritas 163
usus 685.28
stellio 645.28
sterilitatis opprobrium 330.50
struthio 642.28
stupri pœna olim irrogari solita. 368.48
stupri turpitudo ut declaretur ab Apostolo 1041.10
de Stupro uirgini nondum despõsæ oblato lex 1041.30
sudor homini impositus, quàm latè pateat 74.12
suffitus orationis symbolum item 60.40 576.21
suffragiorum in deligendo magistratu quæ utilitas 897.22
suppliciorum de sontibus sumptorum usus 982.31
surgere Dominum quid 785.50
sus apud Aegyptios 607.8

T

Tabernaculum duplex 547.15
tabernaculi usus 375.23 structura 551.56
tabernaculorum festum 540.13
tabernaculorum inuentum 86.56
solennitas 712.17
talionis pœna 903.29
talpa 645.43
Tempus quid 18.35
temporis & numeri coniunctio 18.38
tenebræ quid 3.42
tenebræ γοννητὰ φύσις non sunt. 2.39
tentatio quid, & quoties tentetur Deus 957.14
tentationis finis 960.48 & 489.33
tentationis sanctorum usus 287.22 & 309.35 & 344.50 & 386.50
tentationes Dei & sathanæ quæ in re differant 287.26
terra unde dicta 12.36
terra ænea 737.47 & eius typus ibid. (12.26
terræ duo nomina apud Hebræos
terræ expiatio quotuplex 892.10
terræ forma 12.48
terræ habitus qualis ab initio 3.7
terræ maledictio qua in re cernatur 73.8
terræ os 84.35
terræ sacræ situs 883.4 (50
terræ sanctæ diuisio 885.45 usus

terræ ſitus 12.43
terræ os affingi 812.7
terroris animantium cauſa 111.6
teſtimonio duorum aut trium teſtiũ etiã legem à Deo ſeruari 1010.40
teſtium manus primò ſontibus inferri ſolitas 982.3
teſtium uſus politicus 891.6
Thamar Chananæa, & eius myſtica tractatio 367.5
thamnas ciuitas 369.30
tharſus Pauli Apoſtoli patria. 117.40
thebais 395.30
therſites 702.2
thephilim quid 488.19
thannus 22.20
θυείαι 24.12
תרלרת 37.36 & 360.10
תפת 692.44
thus 580.34 unde dictum 609.14
thuris incenſi uis 715.30
Tigris 50.15
timor Dei in ſacris literis 911.48
timor quid 276 23
timor laudatus quis 912.55
timoris & adoptionis ſpiritus. 732.20
timorem Dei principium ſapientiæ adoptionis ſpiritum præcedere, & eum electorũ proprium eſſe 824.8
Tonſura capitis, turpitudinis nota 1034.10
topazius 562.55
tremor in ſanctis 223.43
tribuum ordo 1072.7
triadis ſacræ ſignificatio 491.38 & 276.56 & 260.30
trinitatis ſignificatio 969.1322
triſticia Deo inuiſa 279.19
Tubæ argenteæ 711.11
tubarum conſideratio 781.18 inde turturis deſcriptio 607.28
turturum ſignificatio 771.2
tyrannorum deiectio 470.14 ingenium 119.30 pœnæ 417.42

V

Vaccæ crematæ ratio 822.5
uaccæ rufæ piacularis myſtica explicatio 821.1
uallis Ioſaphat 692.51
uaticinium de aduentu Chriſti. 404.46
uaticinuorum de Meſsia genus duplex 859.50
uates ueri & falſi Deo ſubiecti. 834.40
uaſa iræ & gratiæ 439.45
uaſorum genera duo 625.52
uelamen mulieris obedientiæ erga maritum ſignum 299.55
uelamen Moſaicum quid 602.15
uelum tabernaculi 556.50
ueli uſus 555.11
uenenata animantia cur à Deo creata 642.36
uenerationis patris in liberis exẽplum 115.4
uenus ἀφροδίτη 657.47
uenus immodica 94.27
ueri natura 4.37
uerbum Dei cur caro factum 27.20
uerbum Euangelij internum & externum 215.24
uerbi Dei conſtantia 479.27 poteſtas 13.55
uerbi fames 215.45 potentia 25.16
uerbi Dei cur prope luccm mentio facta 5.12
ueſpaſianus 851.40
ueſpera cur ערא Hebræis 8.33
ueſperæ ſpacia 475.33
ueſpertilio 643.42
ueſtales uirgines 624.49
ueſtitus primorum patrum qualis 75.22
ueſtium ſacrarum genera 561.5
ueteris hominis natura 727.47 & 135.18 & 786.16 origo 658 27
uexillorum inſignia 757.27 numerus 755.40
uia recta à qua adultera digreditur quæ ſit 763.4
uictimas ſalutares eſſe ſontes punitos 814.10
uictoriæ precationis exemplum 490
uiduæ typus 704.4
uiduarum & pupillorum conſolatio 533.17
uindicta quotuplex 679.28
uindicta priuata prohibita 679.43
uinum & oleum cur in ſacrificijs adhibeantur 375.6
uini natura & uis 1000.31 et 214 21 & 141.20 uini & olei ſignificatio 356.52
uirga Moſæ cõuerſa in colubrum 436.10 464.32
uirgæ Moſaicæ uis 815.3
uirgarum numerus 54.56
uiri gloria 857.14
uirilis ſexus dignitas 219.38
uirtutes fidem comitantes 219.38
uita noſtra exilium & peregrinatio 395.38
uitæ præſentis ſtatus miſer 596.38
uitæ paſtoritiæ commendatio 327.16 256.55
uiuere quid 655.29
Vlcerum generatio
Vmbraculorum feſto ſeptenario cur ſacratus 863.47
Vnctionis ſacræ uis 71.12 & 579.15
unguentum cum ſanguine cur coniungatur 630.28
unguenti unctorij conficiendi ratio 578.47
unguentorum confectio duplex. 578.56
ungula diuiſa quorum admonea. 983.51
uniuerſitatem rerũ aduerſus peccatum armari 737.56
uocatio quid 190.42
uocatio in electis interior 449.45 299.5
uocationis diuinæ uis
uoluntas humana quatenus libera 451.4
uoluntatis Dei duplex conſideratio 447.5
uolucrum genera & differentiæ 22.50 643.50
uolucrum duo genera 742
uotum quid
uotum uiri 864.37 mulieris ibid. 52 864.37
uota legalia 865.20
uota monachorum 216.12
uota Papiſtica 742.40
uotorum in lege genera 53 uſus
uouendi in regno ad uerarij conſuetudo 741.26 643.35
Vpupa 127.42
Vr Chaldæorum 86.20
urbs à Cauno ædificata 564.30
ארירם & Thumim quid 629.18
uſura cur prohibenda 729.3 unde dicta 534.18
de Vſura lex grauandis extraneis ut intelligenda 1048.20 uſu-

ustram exercere, iugulare hominem 676.57
usuræ laudatæ 533.43 damnatæ sacris & humanis legibus 534.40
usuræ apud Romanos 534.56
usus rerum propriarũ à Deo mandatus 512.40
uultus sedes affectionum mentis index 338.2

Z

Zabulonis benedictio 409.38
zacharias mutus 262.28
zachæi pœnitentia 623.11
צבלר 487.26
זרח 789.29
זרזיר 740.14
zelotypiæ origo 764.5
zelotypiæ minha non fit ex similagine, nec thus habet 764.46
in Zelotypiæ lege quæ cõsideranda 763.30
זבח 690.27 (825.43
Zinem solitudinem non esse Sinẽ
Zonarum & terræ partium distinctio 939.30
zorobabel 405.18
zoroastres magicæ artis inuẽtor 837.19
צבא 758.8

FINIS.

BASILEAE, PER LVDOVICVM LVCIVM, SVMptibus Ioannis Oporini, Anno Salutis humanæ M. D. LV. Menſe Martio.